Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Francisci Guicciardini Patricii Florentini Historiarum sui temporis libri viginti

https://hdl.handle.net/1874/424204

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

GUICCIARDINI
Historiae
sui
Temporis.

Hist. gentium.
Fol. n° 151

93.

t.

Guicciardinq



Historia Gentium

Folio nº. 151.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRICII FLORENTINI HISTORIARVM SVI TEMPORIS LIBRI VIGINTI, EX ITALICO in Latinum sermonem nunc primùm & conuersi, & editi,

CAELIO SECVNDO CVRIONE INTERPRETE.

Ad CAROLVM *Nonum Galliæ Regem potentissimum & Christianissimum.*

Habes humanis Lector historiæ scriptorem, omnibus historicis numeris absolutum, nulli veterum postponendum, multis seu potius omnibus nouis fide, diligentia, prudentia, ceterisq; virtutibus anteponendum. nec tamen quod alij quidam eorundem temporũ historiam scripserint, hunc superuacaneum putes. nam præter eas quas dixi virtutes historiæ quibus ceteris præstat, innumera habet in rerum gestarum memoria, in consilijs explicandis, in hominum naturis notandis, in personis describendis, in concionibus orationibusq; referendis, quæ in alijs desiderantur. Lege modò & plura ipse reperies, quàm nos polliceri possimus.

Ex dono Bürcheli

BASILEAE

Cum gratia & priuilegijs Cæsareæ Maiestatis & Regis Christianissimi ad Decennium.

1566



TYPOGRAPHVS LECTORI.

CAVTVM est priuilegijs Imperatoris & Regis Galliæ, vtroque ad decennium, nequis hoſce viginti hiſtoriarum libros Franciſci Guicciardini Patritij Florentini Latinè, vel Germanicè excudat, aut excudendos curet, néue excuſos alibi, quàm à nobis, vendere audeat, ſub X marcharũ auri puri mulcta & amiſſione librorum. Qui ſecus faxit, Deos ſentiet iratos. Hoc te ſcire volui, Lector, vt quandoquidem inter viros bonos benè agier oportet, ab alieno manus cohi beas, & res tuas agas.

Vale.

CAELIVS SECVNdus Curio

CAROLO NONO GALLIAE REGI

Christianissimo ac potentissimo S. P. D.

HISTORIAM, *Rex Christianissime, tibi affero, monumentum minimè leue, sed omnium in ista vestra ciuili regiaq; vita maximum, vt non frustra vir ille in Romana quondam rep. tantus, scriptum reliquerit: Historiam testem esse temporum, lucem veritatis, vitam memoriæ, magistram vitæ, nuntiã vetustatis. itaq; non sine causa apud vetustissimas gentes Ebreorũ, Caldeorum, Aegyptiorum, Persarum ac Romanorum, Regum & Sacerdotum erat munus, annalium, historiaéue confectio. id autem non modo propter magnitudinẽ rei, verùm etiam propter dignitatem: arbitrabantur enim tantam rem non nisi ab ijs qui ea gessissent, aut qui propter potentiam & opes, plura quàm reliqui scire potuissent; & quorum maximè interesset, hanc vitæ magistram intueri, posteritati prudenter ac fideliter tradi posse. Hæ igitur causæ me, Rex, vt hanc Francisci Guicciardini historiam tibi in Latinum sermonem conuerterem, & conuersam donarem impulerunt, nam si Regum est, aliorumq; qui ceteris imperant, quæ in rep. administranda, fugienda sequendaq; sint nosse, atq; tenere; & hæc potissimũ non nudis ac frigidis præceptis, sed illustribus & viuis exemplis docet historia, si minus eam scribere, at certè in eius lectione versari, vestri prorsus muneris esse negari non potest. Quòd si quis alius hoc seculo, hacq; ætate rerum gestarum memoriam prudenter, ac fideliter explicauit, ausim hunc nostrum non modo ceteris æquare, verùm etiam longè anteferre. Prudentia in consiliorum diligenti indagine, atq; acumine cernitur; in qua hic noster non modo nouos, verùm etiam veteres omnes superauit: tanta in eo sagacitas, tanta vel reconditarũ rerum cognitio inest. Fides autem, quæ in rerũ gestarum explicatione versatur, fecit, vt ne quid falsi scribere sciens auderet; nequid veri, nõ auderet: ne qua suspicio gratiæ esset in scribendo, ne qua simultatis. Accedit his, quòd ea tantùm sibi explicanda sumpsit, quæ suo tempore gesta sunt: & quibus maiorem partem aut interfuit, aut etiam præfuit. Nam à Carolo octauo, qui tot ac tãtas res tam breui tempore gessit, vnde tu nomen habes, exorsus, in Henrici patris tui nuptijs suam historiam terminauit; reliqua etiã scripturus, quæ pòst sunt gesta, si vita ei suppeditasset. Ad te igitur, Rex potẽtissime, hæc historia potissimum pertinere visa est, nõ solùm illis quas suprà commemoraui caussis, verùm etiam quòd maiorum tuorum præcipuè res gestas complectitur sic, vt Francorum tantùm caussa hanc scriptionem suscepisse videatur. In hac enim longè illustrius, & verius quàm in alia, rerum humanarum vicissitudinem cernes: exemplorum in omnem vitæ partem admirabilem copiam obseruabis: casus admirandos obstupesces: cõsiliorum, sententiarumq; varietatem notabis: reip. administrandæ multiplicem rationem attendes: bellorum exitus incertos metues: rei benè gerendæ occasiones arreptas & omissas minimè negliges: principum ac nationum multarum mores & instituta considerabis. omitto regionum, vrbium, & aliorum locorum certissimam, tanquam in rem præsentem veneris, cognitionem; clarorum virorum*

ac temporum quibus floruerunt, notitiam: ex qua rerum silua, quid sequẽdum, quid vitandũ sit, si modò idoneum nactus eris vitæ tuæ ducem, disces. Et quanquam, neq; ingenium tibi, neque viri sapientes desint, tamen nisi Deum, cuius nutu & voluntate regnas, ducem habueris, parum ingenium, parum quoq; prudentium virorum consilia proderunt. nam multi ingenio pollentes, meliora viderunt, deteriora sunt sequuti: neq; pauciores sapientum consilia contempserunt, atq; præcipites ruerunt. Nam quòd Herculi accidisse ferunt, vt quum primùm pubesceret, quod tempus à natura ad deligendum quam quisq; viuẽdi viam sit ingressurus, datum est, solus diu secum multumq; cogitaret, quum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingrederetur, Deũ affuisse, quo duce vritutis sit ingressus viã; id tibi quoq;, ac multo magis Regi Christianissimo faciendum est: neq; enim id meditanti, atque flagitanti tibi vitæ dux atq; magister Deus ille pater, & rex regum Christus, qui via veritas, & vita est; quem qui sequitur ducem, nec in tenebris ambulat, nec aberrat, est defuturus. Quòd aũt ad meos in hac historia vertenda labores pertinet, id tibi possum affirmare, me vt duo assequerer conatũ fuisse: primum vt fideliter, secũdum vt planè ac dilucidè verterem: quæ si sum assecutus, est quòd læter; sin minus, est quòd humanæ imbecillitati, atq; etiam meæ non modò ingrauescenti ætati, verùm etiam iam annis laboribus, curisq; planè grauatæ ista tua regia facilitate condones; & me omnia præclarè, vel tua, Rex Christiamissime, caussa, præstare voluisse existimes. Vt autem plenius hoc munus haberet Maiestas tua; cum Guicciardino, duos præclaros historiæ scriptores copulauimus, Barptolomæũ Facium, & Iou. Pontanum: quorum ille quæ à maiorib. tuis in regno neapolitano in Alfonsum primũ Aragonium gesta sunt; hic reliqua bella vsque ad Alfonsum secundum & Ferdinandum, à quo Guicciardinus suæ historiæ initiũ fecit. Hæc igitur omnia simul sic accipies, Rex optime, vt istam tuam suauissimam ætatem regiamq; magnitudinem decet.

Vale. Ex inclyta Basilea, Cal. Aprilis. M D LXVI.

CÆLIVS

Cælius Secundus Curio

Ad Lectorem.



FFICII esse aiunt, Lector humanis. unumquemq; suarum actionum rationem quà possit, reddere: id nos in hac historiæ uersione conabimur efficere. neq; enim dubito aliquos fore, qui non satis sint probaturi, quòd in hac historia uertenda, locorũ, officiorum, armorum & machinarum noua uocabula retinuerimus: uerùm si quis secum reputauerit, quãta in his rerum & nominum facta sit mutatio (nam nihil in rebus humanis in eodem statu diu permanet) is sine dubio nobis æquior erit & lenior. nam primùm hac in re nihil à ueterum consuetudine alienum fecimus: qui in scribenda potissimum historia, siue hi Græci siue Latini fuerint, sui temporis nominib. in huiusmodi appellandis semper sunt usi. hinc nata est illa uarietas, ut alius alio nomine eandem urbem aut locũ pro seculi sui more appellarit: quod exemplis confirmarẽ, ni uel geographos, uel historicos legenti passim occurrerent. Deinde tanta est plerunq; ueterum à nouis dissimilitudo, ut nisi quis omnis antiquitatis sit peritissimus, nihil omnino aut parum admodũ sit in his rebus intellecturus. Dicat aliquis, utroq;, & ueteri & nouo uti debueras; scilicet, ut historiam qua nihil clarius, nihil certius esse debet, aut obscurarẽ, aut mendosam facerem. quis enim nescit, quàm facilè sit, in nouis cum ueteribus copulandis hallucinari? id quod in nostris scriptoribus facilè uel in Sabellico, Bembo & Iouio constat: qui interdum sic inter se dissentiunt, ut aut non unum eundemq; locũ esse dubitare cogaris, aut cui potius sit assentiendum ignores. Idem de magistratuum, officiorum & munerũ publicorum, siue castrensibus, siue urbanis appellationib. dico: idem de armorũ & machinarum, quæ pro ratione gẽtium, ciuitatum & temporum sunt mutata. hinc Suffetes Cartagine, qui Romæ Consules; & Ephori apud Lacedæmonios, qui apud Romanos Tribuni pl. quibus nominib. cùm de illis scriberent, libere ueteres scriptores utebantur: idq; nulla alia de causa, quã ut intelligerentur. ergò & nos eorum exẽpla secuti, Duces, Marchiones, Comites, Ammirallios, Marischiallos, Balliuos, Cardinales, Episcopos, Abbates, & id genus reliqua rectè usurpabimus. Illud modò uidendum, ut ea omnia siue locorũ siue officiorum uocabula leniter, & ex ueterũ usu ad Latinam consuetudinẽ deflectamus, atq; ut Horatius ait, parcè detorqueamus: cuius rei exempla multa in Liuio, nõ pauca in Cæsaris Comentarijs inueniemus. Superest unum, in quo nonnullos errare uideo, qui in historia non ferũt, si quis de sua gente, etiam si uerissimum sit, aut crudeliter, aut perfidiosè, aut auarè, aut flagitiosè factum apertè aliquid scripserit: At hi nimiũ teneras ac delicatas habent auriculas; neq; uident, si hoc ualeat, omnem prorsus historiæ scriptionẽ tolli: quæ se quicquid gesserint homines, siue boni siue mali fideliter explicaturam profitetur: quum illa, ut ueteres scriptum reliquerunt, prima lex historiæ sit, ut nequid falsi audeat, nequid ueri non audeat; alioqui quomodo appellaretur lux ueritatis, & magistra uitę, si hominum scelera pariter & benefacta non complecteretur? An Salustius, Liuius, Tacitus, Suetonius Romanis orbis terrarum dominis pepercere? Le-

gat qui uolet non uniuersam historiam, sed procœmia tantū & principia, & an pepercerint, cognoscet. nos unū aut alterū locum adscribemus. Salustius per initia coniurationis Catilinę, de suis Romanis: Igitur primò, inquit, pecuniæ, deinde imperij cupido creuit: ea quasi materies omnium malorum fuere: pòst, ubi contagio quasi pestilentia inualit, ciuitas est immutata: imperiū ex iustissimo atq; optimo, crudele intolerandumq; factum est; & quæ sequūtur: ubi ne nominibus quidem magnorum uirorum parcit. Quid in Iugurtino suo? an ueritus est alieno ore, quod ipsemet ostenderat, Romam uenalem appellare? nā de Iugurta sic scribit: Sed postquam Roma egressus est, fertur eò sæpe tacitus respiciens, postremò dixisse: Vrbem uenalem, & maturè perituram, si emptorem inuenerit. Quid uerò Liuius? Labentè, inquit, paulatim disciplina, uelut desidentis primò mores sequatur animo, deinde ut magis magisq; lapsi sint, tū ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora uentū est, quibus nec uitia nostra, nec remedia pati possumus. Hæc illi, sed longè maiora in ipso historiæ cursu, ubi ne fumorum quidem ciuium, ac belli ducum proditiones describere, ac proditores tales appellare ueriti sunt. Ecquis unquam eis diem dixit? quis lege XII Tabularum, quę Cornelia de Infamia, siue Valentiniana de Famosis libellis, ullum historicum appellauit? Quid igitur mirum si & nostri homines, nouiq; historici, historiæ leges, ueterumq; historiæ principum morem secuti, uitia corruptelasq; hominum & nationum describunt? Et in his Guicciardinus hic noster? qui ingenua libertate & candore, nullius, siue gentis, siue personæ habita ratione, quæ laudanda sunt laudat, & uituperāda uituperat. Illud modò uideant qui sic affecti sunt, ne magis ægrè ferant malefacta uituperari; quàm malefacere, malintq; boni haberi, quàm esse. Iam si historici ipsi reprehendendi non sunt, multo minus interpretes; qui etsi illi reprehensione digni essent, reprehendi nullo modo debent; utpote qui non ipsi ea dicant, sed ab alijs dicta, ijs qui ea cognoscere uolunt, interpretantur: quanquam quod ad nos attinet, si quid asperius dictum uidebatur, id emolliuimus potius interpretatione, quā exasperauimus. Quamobrem in illud potius quisq; mihi animum intendat, quod præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum est, ut exemplorum documenta in illustri posita monumento intueatur, unde sibi suæq; reipub. quod imitetur capiat: inde fœdum incœptu, fœdum exitu quod uitet: & quod probi faciunt, non modò ipsis historicis, uerùm etiam eorum interpretibus faueat, plaudat, gratiam si minus referendo, at agendo, habendoq; reponat.

FRANCISCI

FRANCISCI GVICCIARDINI VITA.

GVicciardina familia nobilis atq; opibus pollens, Florentiæ à uetuſtis temporibus ſemper fuit: nam ex ea homines tam armis quàm literis domi & foris clari prodiere. Et vt complures Senatores qui in ea familia claruere, prætream, illud tãtùm dicam, patrem huius Petrũ Guicciardinũ, magni in rep. nominis fuiſſe. nam & varia in rep. munera eſt adeptus, & Florentinæ ciuitatis nomine legationes cõplures obiuit: quibus laudatiſsimè functus, haud paruam exiſtimationem & gloriam apud ſuos ciues ſibi comparauit. Ab hoc, Franciſcus hic noſter natus eſt, magni vir ingenij, quiq; ab omnibus celebretur dignus. Hic ab ineunte ætate, literarum ſtudijs deditus fuit, in quibus mirificè profecit: verũ, quum ad imperandum natus eſſe videretur, atq; in reip. adminiſtratione agnoſci cuperet, videretq; ſuos fratres in reip. muneribus ſibi anteponi, animum ad iuris Ciuilis ſtudia conuertit: cuius ſcientiam ſi adipiſceretur, fratribus ſe antepoſitum iri ſperabat. Piſis igitur ac Bononię ciuitatibus bonarum artium ſtudijs clariſsimis, fuit: vbi, in ipſo ætatis feruore, in id vnum, vt animi bonis diteſceret intentus, moderatè ſe gerens, incredibili celeritate legum & iuris cognitionem eſt conſecutus, tametſi ea ſtudia ei non admodum arriderent: propterea quod ad ea capeſcenda, nec delectatione, nec lucri cupiditate moueretur; ſed honoris, atque vt ſibi ad remp. aditum, vt dictum eſt, patefaceret. In patriam igitur cum laude reuerſus, atq; à multis ad magnas res gerendas aptiſsimus inuentus, maturè à ſuis ciuibus ad negotia adhibitus, ad Aragoniæ regem de rebus magnis legatus ea, ætate qua per leges patriæ quæ certam ætatem legatis ſtatuunt, legationem obire non licebat, miſſus eſt: tanta erat tũc in ciuibus de eius præſtantia opinio. quibus rebus cum ſibi autoritatem non paruam conciliaſſet, atq; in magnis rebus ſeuerus, in iure dicũdo incorruptus, vt qui regali planè animo, & ſincero in omni actione cognoſceretur, à Medicea familia magno fauore ſuſceptus eſt; nec multo pòſt à Leone decimo Flaminiæ Æmiliæq; præfectus: quæ prouincia, propter Valentini Borgiæ ſuperiora bella, tum etiam quòd diu diuerſis dominis paruiſſet, diſcordijs & facinoroſis hominib. tota referta erat: ex quo fiebat, vt interfinitimas vrbes innumera quotidie maleficia à magnis ſceleratorum hominum, cateruis cõmitterẽtur. quibus de cauſsis, nec non ob eorum populorum feritatem, & bellicæ rei ſtudium, nemo qui eam prouinciam gubernandam vellet ſuſcipere, inueniebatur. ea igitur Guicciardino fuit mandata: quã animo inuicto ſuſceptam, non modò tutò adijt obiuitq;, verumetiam breui tempore vniuerſam pacauit: nam illi homines qui antea pontificis uires contemnebant, Guicciardini nomine audito, ad eius ſeueritatis famam conterriti, arma poſuerunt, eiq; prouinciam ab omni ſcelere tutam ceſſerunt: ipſe quoque nulla vel nobilitatis, vel dignitatis, vel audaciæ cuiuſquã habita ratione, eos omnes qui ſe factionum autores & duces profitebantur, extinxit. Diu præterea Eccleſiæ Romanæ nomine Mutinam & Regium Lepidi, Parmamq; gubernauit: quam etiam aduerſus Gallos ſtrenuè defendit, vt ex hac eius hiſtoria liquidò cõſtabit: ex quo apparet illum non modò Conſilio, verumetiam manu valuiſſe. Accidit pòſt vt Ioannes Medices ex vulnere moreretur: qui quantus belli dux fuerit, nemo eſt qui neſciat. is Legionem ex ſelectiſsimis Italiæ militibus inſtituerat, quæ à nigris vexillis, Nigra appellabatur: hiq; milites omnes diuerſis tẽporibus præſtantiſsimi duces euaſere. Horum igitur Ioãne mortuo, dux & legatus Guicciardinus fuit: id ſummo militũ ſtudio, quod nemo animo & ferocitate Ioãni ſimilior inueniri poſſe videretur. Itaq;, cũ Rex Galliæ ob res Mediolanenſes in Italiam deſcendiſſet, Leoq; pontifex ad eius principatus tutelam cum Cæſare faceret, Guicciardinum ſuis copijs vniuerſis cum imperio præeſſe iuſsit; ſic vt Proſpero Columnæ, & Marchioni Mantuano ſummis ducibus imperaret: quam prouinciam quanta virtute prudentiaq; geſſerit, & ij norunt, qui videre, quiq; audiuere, & hæc ipſa aliorumq; hiſtoria fidem facit. Bononiæ quoq; præfuit: qua in ciuitate, Quadragintauiros in ordinem redegit: eiusq; populi contumaciam, non ſine aliquo ſui periculo depreſsit: vbi nominis ſui memoriam ſempiternam reliquit. nam & in negotijs expeditus, & in iudicando ſolertiſſimus, & in exequendo ſeueriſsimus fuit. Dicta eius varia iudiciaq; Salomonis iudiciorum haud abſimilia memorantur: quin hoc in genere atq; alijs, quæ in politico viro requiruntur, talis extitit, vt Sapientum eius tempeſtatis in Italia vnus è ſeptem numeraretur. Honos ei ab omnibus tum Italis, tum exteris principibus habitus eſt: verũ iam gloria ſatur, in patriã reuerſus, reliquam vitam in tranquillo ocio degere ſtatuit, & ſuis amplis opibus honeſtè frui. Sed cũ eius admirandum ingenium magnis rebus tractandis aſſuetum torpere non poſſet, anno ſalutis 1527 cum Iacobo Nardo intimo ſuo, qui etiamnum viuit, Senex venerandus ac totius ferè Florentinorum qui Venetijs agunt, nationis, oraculum, quandam animi ſui cogitationem contulit. cogitabat autem Cæſaris imitatione res ſuas in commentarios referre: verùm enim à Nardo ad ſui potius temporis res geſtas ſcribere eſt inductus, idq; vt inuidiam declinaret: quam ſi res ſuas tantum literarum monumentis mandaret, ſubire potuiſſet. Itaq; in id tota mente conuerſus, hoſce hiſtoriarum libros confecit: quã verò feliciter, omnes qui legunt, vident. Hanc hiſtoriã ab anno M CCCC XCIII exorſus, ad MD XXXII perduxit: nec ab eo tempore diu ſuperſtes fuit. iunior enim deceſsit, quàm tanti uiri virtus meruiſſet: verùm qui huiuſmodi monumenta poſt ſe relinquunt, non mortui, ſed immortalitatem adepti exiſtimari debent.

INDEX LOCORVM

HVIVS HISTORIÆ, IN QVO NOVIS ET PERVVLGATIS, VETERA LATINÁVE NOMINA, QVO *ad fieri potuit, apponuntur.*

A

ABruzzi, Aprutij, Marſi & Præcutini: nã veri Brutij ſunt in Calabria.
Abeuilla.
Ada, Abdua fl.
Adice, Athefis fl. Atrianus.
Adria, Atria Ciuitas.
Aduliti, Adulitæ, Aladuli populi Taurum montem incolentes.
Affrica vrbs quã quidam Aphrodiſtũ vocant; Iouius paruã Leptim fuiſſe exiſtimat, Mahemediam barbari vocant.
Agreſte, ciuitas in Iſtria.
Agria, ciuitas in Pannonia inferiori.
Agena.
Agno, fortè Aquilonia olim.
Ais, ſiue aix, Aquæ Sextiæ.
Alanſon in Gallia, Alenconium.
Alba in Inſubria, Alba Pompeia.
Albania, veteris Macedonię pars.
Albania ducatus in Scotia.
Albere.
Albi ſiue Alba in Marſis, à qua Albenſes.
Aleſſandria della paglia, Alexandria palearia, olim Cæſarea.
Albereto.
Alcantara, Norba Cæſarea
Algieri, olim Iulia Cæſarea.
Alicante, Alon in Hiſpania Tarraconenſi.
Alpi maritime, Alpes Sabatiorũ.
Alpi Iulie, Alpes Iuliæ.
Altaro, Altarium ſiue Ara. Liguriæ Caſtellum.
Aluiano, Albiana regio & oppidum.
Alua, Alba in Hiſpania.
Ambrum, Eburodunum.
Amboiſa, in Turonib. in Gallia.
Amelia, Ameria.
Amiens, Ambianum.
Amfo arx.
Anault, Analtum in Belgis.
Anagni, Anania vrbs.
Ancona, & Ancon.
Andria ciuitas in Apulia.
Anghiari, Anglarium.
Angilotta, vel Angitola caſtrum.
Angoleſme, in Gallia.
Anguillara, Anguillaria, Annilaria Fidenatium vrbs.
Angyou, Andes Cęſari, Andicani Ptolemęo, alijs Andegauenſes.
Anon, Anonium, Anaunium, Annibalis caſtra.
Antona, Angliæ portus.
Anzuola, Antiola caſt.
Apennino, Appenninus mons.
Apicio, Apiciũ caſt. in Appia via.
Appiano, Appianum caſt.
Aqua pendente, Aquulæ, Aquenſes.
Aquila, Amiternum, vel ex Amiterni & Forconij ruinis ędificata in Aprutijs.
Aquileia, Aquileia Colonia.
Aquino, Aquinum.
Aquiſgranũ, antiquis Nuagerra.
Arabia.
Aragona, Hiſpania Tarraconẽſis.
Arbinga, Albingaunũ, Albintaum.
Arbia, fluuius.
Arci, Arx, ciuitas Aprutiorum.
Argenton, Argentius fluuius & oppidum.
Argẽtario mõte, Volcẽtarij mõs
Argetra fluuius.
Arles, Arelatum, vel Salies olim.
Arona oppidum.
Arpano, Arpanus fluuius.
Arras, Atrebatum vrbs.
Artois, Arteſia Atrebates.
Aſiſi, Aſiſium.
Aſcoli, Aſculum.
Aſinalonga, oppidum Hetruriæ.
Aſſaron, Aſſaro.
Aſſilio, Aſſilium, ſiue Aſilum.
Aſola, Aſula, Aſulum.
Aſti, Aſta colonia.
Aſtorio, Aſtura ſiue Cloſtra.
Aubigni, Albiniacum.
Auellino, Auelinum.
Auerſa, Auerſia, Aduerſa, Atella ſiue Auella.
Auignõ, Auenionum, Aricomij,
Auguſta Vindelicorũ. (Volci.
Aus, Auchx, Auſcij Auguſta.
Auſonia in Gallia, vicecomitat⁹
Auſtria, Pannonia ſuperior.
Autum, Auguſtodunum.

B

BAchiglione, Bachilio fluuius olim Togiſonus, ſiue Meduacus minor.
Bagnacauallo, Tiberiacum olim.
Bagnara.
Bagni d'Abano, Aponis balnea.
Baia, Baiæ.
Baiona, Aquæ Auguſtæ.
Baiocco caſt.
Baiuſa, Baiucenſes, Bellocaſij.
Barbarano.
Barbaria, Numidia.,
Barberino.
Barbericina.
Barcelona, Barcinon.
Barga, Hetruriæ caſt.
Bari, Barium, Barum, Barrim, Baretũ, Barionon, olim Iapix, regio Apulia, Peucetia.
Barletta, Barulum in Apulia.
Baſignana, Auguſta Bacienorũ:
Baſilicata, Lucania.
Baſſanello.
Baſſano, Baſſanum.
Baſtia.
Battiſtein, Batiſtenum in Germania.
Battaglia caſt.
Batonia ciuitas in Anglia.
Bebe, caſt. Bebia.
Bellaere.
Belaſo.
Belcari, Belcarium, ſiue Belcairũ Prouincię oppidũ inter Rhodanum & Nemauſum.
Belgrado, Taurunũ, Alba græca.
Beluedere.
Belinzona, Bilitionum, ſiue Brennorum, aut Vilicionis caſtrum vel zona.
Bellona, Belluna.
Belluno, Bellunum, Bellunium,
Benerola, Beneriola.
Bergomo, Bergomum, Bara Orobiorum oppidum.
Berri, Bituriges.
Berna, Heluetiorum oppidum.
Bertinoro, Bretinorum vicus.
Beſtrice, Beſtricis ora. Hirium olim & Veſtini populi.
Beuagna, Meuania.
Biagraſſa, Abiate.
Biandra, Blandratum.
Bibbona, Vibo.
Bibiena oppidum in Cluſentinis.
Biboldon, Biboldonis Alba.
Bientina, caſt. & palus in Hetruria.
Bierna, Bigerones.
Bieſtri, Veſtæ fanum, Apuliæ portus.
Binaſco.

Biſagna.
Biſcalia, Cantabria.
Biſelli, Vigiliæ.
Biſignano, Biſinianum, olim Be-
Bitontò, (letra.
Bles, Bleſiacum.
Bobbio, Bobianum opp.
Bohemia, Marcomanorum ſe-
des.
Bolgiano.
Bolſena, Volſinium.
Bondeno, Bondincus.
Boniuet in Gallia.
Borbon, Boi.
Bordellano.
Borgaro, Burgarum.
Borghetto,
Borgogna, Burgundia, Sequani.
Borgo de Fornari, Furnariorum
vicus.
Borgo S. donin, Donini fanum.
Borgo ſanſepulcro, Sepulcri fa-
num, puto olim Biturgiam fu-
iſſe, vel locum in quo Plinij vil
la erat.
Borgo di Marradi, Marradius vi-
cus.
Borgo di S. Marco, Martianus vi
cus.
Borgo di ualdi Taro, Tariuallis
vicus.
Bormia, Burmia fl. & opp.
Boſco.
Boſsina, Miſiæ ſuperioris pars.
Boſtauro.
Bouolenta.
Bourges, Biturigum ciuitas.
Bracciano, Braccianum, Brace-
num, Arcena, Arcenum.
Brandeburgo, puto Aliſum fuiſ-
ſe olim.
Brei caſt.
Brendola caſt.
Brenta, Meduacus fluuius.
Brentelle, Meduaci foſſæ.
Breſcia, Brixia.
Breſſelle, Brixillum, Brixellum
caſt.
Bretagna, Bretania, ſiue Britan-
nia citerior, Armorica.
Brianſon, Brannonices Italiam
verſus.
Briga, Rhetiæ vallis.
Briona, Brionium, Brionia.
Brindiſi, Brunduſium.
Briſigella, Anemonis vallis oppi
dum.
Briſsina, Hetruriæ caſt.
Brunſuig, olim Tuliſurgum, uel
Iuliſurgium iuxta Viſurgim
amnem.
Bruneck, Brunecium in Germa-
nia.
Bubbano.
Bufaletta, caſt.
Bufalora.
Bulgaria, Miſię inferioris pars, ſi-
ue Tracia.
Buomporto, Bomportum in Æ-
milia.
Burella.
Burgo, Burgium.
Buſſeto, Buſſetum.
Buſti.
Buti, Butium.
Butri, Butrium.
Buonconuento caſt.

C

CAiro, Memphis.
Cadoro, Calorius Cadorius,
Varanus fluuius & vallis.
Cagli, Callis, Cale vicus.
Calatraua in Hiſpania.
Calauria, Calabria.
Cales, Geſoriacũ nauale in Gal-
lia.
Calliano, Callianum & Callia-
nus vicus.
Calcinara, Calcinaria.
Calicut, Colocueta.
Caldane, aquę Calidę, palus pro
pe Piſas.
Caldano, Ecalidus fluuius.
Camalduli, Camaldulenſe fanũ
in Cluſentinis.
Camariano, Caſtramariana, ar-
cus Marianus, campus Maria-
nus.
Cambrai, Cameracum, Samaro-
briga.
Camerata, Camarena in Sicilia.
Camerino, Camertes.
Caminate, Allia fluuius.
Campagna della Chieſa, Latium.
Campiglia, Campilia.
Campo, Campus, caſt. in Hetru-
ria.
Campobaſſo.
Campo alle moſche, Campus
muſcarum.
Canoſa, Canuſium.
Cantu.
Cancelle, Cancello, Caſilinum.
Candia, non Creta Inſula, ſed op.
in Campania felice.
Cantiano, Cantianus vicus.
Capace, Peſtum olim.
Capeleſe ponte, Capeleſius põs.
Capitanato, Capitinata, Apuliæ
plana regio.
Capri, Capreæ inſula.
Capodi Apẽnino, Iapigium ſiue
Salentinorum, hodie Apenni-
ni promontorium.
Capo di Minerua, Mineruæ pro-
montorium.
Capo Pauſilippo, Pauſilippi pro
mont.
Capua, idem nomen habet.
Carauaggio, Caracca.
Carinula, Calenũm.
Carmagnuola, Carmaniola.
Carmania, Cilicia.
Carpi, Carpium caſt.
Carpineta.
Carriati caſt.
Cartagena, Cartago noua.
Caſalarbore.
Caſalmaggior, Caſalemaius.
Caſareto, Caſaretum.
Caſal ſanuaſo, Caſaleuaſium.
Caſaleccio, Caſaleccius vicus.
Caſsiano, Caſsianum.
Caſcina, op.
Caſentino, Cluſentini terra Paſſu
Caſe, Caſetum. (mena.
Caſera.
Caloria.
Caſtanetolo, Caſtanetulum.
Caſtelamar di Boturno, vbi olim
vulturnus ciuitas erat.
Caſtelamar di Stabie, vbi olim
ſtabia erat.
Caſtellaneta, oppipum prope Ta
rentum.
Caſtellaccio, Caſtellacium.
Caſtellarquato, Caſtellarquatũ.
Caſtelbaldo, Caſtrobaldum ſiue
caſtrum Baldi.
Caſtelbologneſe.
Caſtel franco.
Caſtel guelfo.
Caſtel del monte.
Caſtel di Ruſsi, Ruſsium caſt.
Caſtel fiorentino.
Caſtellone, Formiana villa.
Caſtel nuouo, Caſtellonouum.
Caſtel Sanpiero, Petri caſtellum.
Caſtel Santangelo, Angelica arx,
Moles Adriani, Caſtellum cre
ſcentij Romæ.
Caſtel vechio, Vetus Caſtellum.
Caſtel del vuouo, Meager, ſiue
Meagrum Neapoli.
Caſtel Tialto, Theobaldiana arx
Ferrariæ.
Caſtiglia, Baſtitani, Caſtellæ re-
gnũ in Hiſpania Tarraconẽſi.
Caſtiglione, Caſtellio.
Caſtiglion di Striuieri.
Caſtiglion di Teuerina.
Caſtro, Caſtrum. (ſub ium.
Caſtrocaro, Caſtrocariũm, Sal-
Caſtrouillari, Caſtrovillarium.
Catanzaro.
Caua, oppidũ Campaniæ felicis.
Caualleria, Hippodromus Nea-
Cauezo, Cauetium. (poli.
Caui, Cauæ in Latio oppidum.
Ca uiano, Cauianum.
Cauriana, Capriana.
Cecinna fluuius.
Cefalonia, cephalenæ.
Centocroci mõte, Centicrucius
mons.

Cento, centum Æmilię oppidũ.
Centina, Sentini.
Ceperano, ceperanum.
Ceri, cere.
Ceruetri, cereuetus.
Ceruia, Philocolis.
Ceua, Sabata.
Ceſena, ciuitas in Flaminia.
Ceſenatico, ceſanatiũ vicus, & nauium ſtatio ad mare.
Chartres, carnutes in Gallia.
Chiaia, via ad mare prope Neapolim à glarea apellata.
Chiana, Glanis, glanicus fluuius.
Chiane, Glanica palus.
Chiaravalle, claraualis.
Chiari, clarium.
Chiaſſa, claſsis oppidum & fluuius.
chiaſſo, claſsium caſt.
Chiauẽna, clauenna Rhetorũ oppidum.
Chiaueri, clauerium.
Chieſteggio, claſtidium op.
Chimu vel cam, in Gallia.
Chioggia, Foſſa clodia.
Chiuſi, cluſium, chiuſa cluſia.
Chiarolois in Gallia comitatus caroleſia.
Cilecio, Cilecium.
Cipro, cyprus inſula.
Circelle, circeum promontoriũ
Cirignola, cidiniola, fortè olim Gerionis caſtrum.
Citadella, paruâ ciuitatem ſignificat, & in ciuitatibus arcẽ vel munitiorem partem, multa autem oppida in Italia hoc proprium nomen habent.
Ciuitacaſtellana, Feſcennia.
Ciuitavechia, centumcellæ, vel Pirgi, ciuitasvetus.
Città di caſtello, Tifernum, ciuitas caſtelli.
Ciuidal di bellum, ciuidale bellunianum.
Ciuâs, clauaſsium.
Ciuidal diFriul, ciuidale carnicũ, Fori Iulij ciuitas.
Ciuitella Aprutiorum oppidum.
Coccolo, caſt.
Codimonte, Liguriæ promontorium eſt.
Coira, Curia Rhetorum.
Colleoneſſa, Grigoniſſa.
Colle, Hetruriæ caſt. collis.
Cologna, colonia, in Euganeis.
Colonia, colonia Agrippina, in Germania.
Colornio, caſt.
Comachio, comaclum, cymaclũ.
Compiegne, cõpendiũ in Gallia.
Como, comum, Nouocomum.
Concordia, opp. in Gallia ciſalpina, & ciuitas in Foro Iulij.
Conſtantinopoli, Bizantium.
Conticella caſt.
Conuerſano caſt.
Corbola caſt.
Corciano caſt.
Corfu, corcira.
Coriago.
Corinaldo caſt.
Cornia fluuius & caſtellũ in Vmbria.
Corneto, cornuetum, coritũ, Innuum, caſtrum nouum.
Coron, corone, ciuitàs Peloponneſi.
Corregio, Rhegiates, corregium.
Cortona, crotone.
Coſenza, coſentia.
Conſtanza, conſtantia, cannodurum.
Cotignuola, cotiniola.
Couolo, ſpecus eſt in Vicetino agro.
Crema, Diuguntinorum forum.
Cremona climena.
Cremonſa.
Creſcentino.
Creſpolano.
Creſte.
Croarà.
Croatia, olim Valeria.
Crocè dimonte marioMarij montis crux.
Cromonio, cromonium.
Cocai.
Cugnac, cuneacum in Aquitania.
Culiſano, culiſanum.
Cunio, mons in Sabatijs alpibus, & Taurinorum oppidum.
Cuſago.
Curone, coron fluuius.

D

DAngicort, in Anglia.
Danubio, Iſter, Danubius.
Dardanelli, Sextus & Abidus.
Delphinato, Allobroges.
Digion, Diuionum.
Diuinio, Diuinium in Pannonia.
Douai in Gallia.
Doccia, Æmiliæ caſt.
Domuſſola.
Dragoniera in Sabatijs alpibus.
Draua fluuius.
Ducento, Ducentum ciuitas.
Durazzo, Dyrrhachium.

E

EBoli, Ebolum, Ebulum caſt.
Eboraco, Eboracum in Anglia.
Edin, Edinum in Gallia.
Efenengo, Efenengum.
Egitto, Ægyptus.
Elba, Ilua inſula.
Elci, Eltium caſt. in vmbria.
Empoli, Empolum, in Hetruria, Emporium.
Enna vrbs in Sicilia.
Entello, Entellus fluuius.
Era fluuius.
Eſte, ſiue Ateſte in Euganeis.
Exarcato, Exarcatus, Rauennenſis diœceſis, quæ Æmiliam ac Flaminiam complectitur, hodie Romagna appellatur: Conſtantinopolitani enim Imperatores ſuum in Italia vicarium qui Exarcus dicebatur, Rauennæ, cum Roma pontificibus, & Gallia Ciſalpina Longobardis pareret, habere ſolebant.

F

FAbriano, Fabrianum oppidũ ex Sentinæ ruinis ædificatum.
Fagnano, Flanianum.
Fano, Fanum fortunæ.
Farfa.
Feltro, Feltria, Fertini.
Feliciano, Felicianum in Liguria ciſapennina op.
Ferentino, Ferentinum.
Fermo, Firmum, Firmium.
Ferrara, Ferraria.
Fiandra, Flandria, Morini.
Figaruolo, Figariolum, Aricoli vicus.
Fidata valle, Fida vallis.
Finale, Finarium in Liguria. & item alterum in Æmilia.
Firenzuola, Fidentia.
Fiume, Flumen Iſtriæ oppidum.
Fiume morto, mortuus fluuius.
Foggia, Ecana.
Fois, Fluxates in Aquitania. Bigeronibus proximi.
Fontanello.
Fonterabia, Aquitaniæ oppidũ Hiſpaniæ finitimum.
Formigine.
Fornaci, Fornaces Padi oſtium Carbonarium.
Fornouo, Forum Nouij.
Foſſanuoua, Foſſæ Papirianæ.
Foſſalta.
Foſſombrone, Forum Sempronij.
Fuligno, Fulginum, Fulciniũ, Forum Flaminij.
Fraccie caſt.
Fratta caſt.
Frioli, Forum Iulij, Patria, Carni.
Francia contea, in Sequanis ea pars quę vltra Sequanà fluuiũ magis ad Rhenũ eſt: Sequana enim

enim Burgundiæ comitatum à ducatu ſeparat.
Francofort, olim Viſipetes.
Furlì, Forum Liuij.

G

Gabioneta, caſt.
Gaiazzo, Calatia.
Gaeta, Caieta.
Gaia Caſt.
Galeata valle, Galeata vallis Hetruriæ.
Galerà, Galaratum, Galerites legio.
Gallicano, Galli canum.
Gallipoli, Gallipolis, Vrbs Traciæ.
Gallo, collis prope Florentiam.
Gambara caſt. in Cenomanis.
Gandolfo caſt.
Garda.
Gargonſa.
Garlaſco.
Gareſſo, Gareſium caſt.
Garigliano, Liris fluuius.
Gattara.
Gatinara.
Gauio.
Gazuolo, Gaziolum caſt.
Gerbe inſula.
Geſualdo.
Ghairo.
Ghedi.
Gheldre, Sicambri, Menapij.
Gibello caſt.
Giarella, vel Giarola, Glareola.
Giaradada, Bechuni, Inſula Fulcheria.
Gierate, Hieratium.
Gies, in Gallia.
Gioia.
Giramonte, collis prope Florentiam.
Goito.
Golfo di S. Fiorenzo, Caſalius ſinus in Corſica.
Gonzaga caſtellum.
Goritia, Iulium Carnicum.
Gradara caſt.
Gradiſca.
Graduli, caſt. in Latio.
Granata, Hiſpania Betica.
Granarolo, Granariolum.
Granoble, Gratianopolis in Gallia.
Graualone caſt. & fl.
Grauina.
Grigioni, Rheti.
Grotta ferrata, Cripta ferrata, Tuſculanum.
Guaſconi, Aquitani, nunc Vaſcones.
Guaſtalla, Guardiſtallum.
Guaſto, Vaſtum Ammonis.
Guienna, Aquitaniæ pars, ducatus.
Guineguaſto, Guineguateę, Guineguaſtium in Morinis.
Gubbio, Eugubium.
Gurſia, olim Curci, in Pannonia inferiore.

H

Heſsia, Anobij, Catti.
Holanda, Batauorum inſula.

I

Ieramo, Ieramum.
Ieſi, Eſis, fluuius & ciuitas in Piceno.
Imola, Forum Cornelij.
Iſchia, Iſcla, Ænaria, Pithæcuſa inſula.
Iſpruck, Oenipons, Inutrium.
Iſtria, Iſtri populi, Iapidia ſiue Iapigia.
Itri, Itrium.
Iulia nuoua, Iulia noua.
Iunco, Pilium.
Iuraſſo monte, Iura mons.
Iurea, Eporedia.

L

Labaſtia del Geniolo, Geniolì Lucus.
Lago di Como, Larius Lacus.
Lago di Garda, Benacus Lacus.
Lago di Iſeo, Sebinus Lacus.
Lago maggior, Verbanus Lacus.
Lago di Perugia, Peruſinus Lacus, Traſimenus.
Lago di Puſiano, Eupilus lacus.
Laino, Laurinus, vel Lauius fl. & caſt.
Lambra, Lambrate vicus, in Inſubria.
Lambro, Lamber, Lambrus, fluuius.
Lamone, Artemo fluuius.
Lanciano, Anſanum. op.
Landriano.
Lanterna, Pharea turris Genuæ.
Larnata, Laterina.
Lardirago.
Lauagna Entellis fl. & vallis in Liguria.
Lecco, Leucum, olim Lupiæ.
Lenza, Anitia ſiue Nitia fluuius.
Lepanto, Naupactus.
Lerice, Lerix.
Librafatta, Liberafacta oppidũ in Hetru.
Licia fuſina.
Lidice, Idex fluuius.
Lignago, Lineacum, Lemniacum.
Lilla, in Gallia.
Limine, Romatus fl. & caſt.
Linguadocca Toloſates, Tectoſates.
Linz, in Germania ciuitas.
Lisbona, Vliſpona, Olyſsippone
Lion, Lugdunum.
Liſonzo, Sontius fluuius.
Liuenza, Liquentia fluuius.
Liuorno, Liburnum, olim Labronæ ſtatio, ſiue, vt Bembus vocat, Triturrita, melius Ligurnũ
Locarno.
Loces in Gallia, Lochiæ: Æmil.
Lodi, Laus Pompeia.
Lodrone, in Cenomanis.
Loſanto, Aufidus fl.
Logrone.
Logrugno, Iuliobriga, in Hiſpa.
Loiano, Lollianum.
Lolona, Laulon, fluuius.
Lombardia, Gallia ciſalpina, Inſubria.
Lomellina, Laumellũ, regio Inſubriæ.
Longa villa, in Gallia.
Longobuco, Themeſe.
Loreo, Lauretum.
Lorena, Lotaringia, olim Auſtraſia.
Loſarno.
Lucca, Luca vrbs Hetruriæ.
Lucerna, Heluetiorum opp.
Lugano, Luganum.
Lugara valle, fortè Lugani vallis
Lugo, Lugium, Lucus.
Lunato.
Lunigiana, Apuani.
Lonigo, Leonicum.
Lungone, Lungonium.

M

Madril, Mantua Carpentanorum, Madritum.
Madrigalegio, Madrigaletiũ, in Hiſpania.
Maganza, Maguntiacum in Ger.
Magliana, Manliana in Latio.
Magione delle roſe, Manſio roſarum, Anechini pons.
Magnano.
Magnanino.
Maine, Cenomani in Gallia. Maienne.
Maiuolo.
Malfi, Melfia, Malfia.
Malgera. Malfetta.
Malpaga.
Mandolara.
Manfredonia, Apeneſte olim Capitinatæ portus.
Mantia, vrbs Amantea.
Marano, Marianũ, vel Varanus.
Marca Treuigiana. Euganei ſiue Veneti.
Marca d'Ancona, Picenum.
Marciano, Martianum.
Marechia, Ariminum fluuius.
Maremma, Aurelia via.
Marignano, Marinianum.
Marino, Mariana villa, ſiue Marianum.
Marſiglia, Maſsilia.

Martenge, Pomicæ Maſsilienſes
Maſſa.
Maſſera.
Matalone, Metalonum, Metaleonis.
Matelica, Mathelicates in vmbria.
Matera, Acherontia olim.
Matrice, Matrix op. in Aprutio.
Mazari, Mazara oppidum & fluuius in Sicilia.
Medicina caſt.
Medina del campo, in Hiſpania.
Medeſano, Medeſanum.
Meleto, Miletum.
Melfetta, Melficta.
Meloria, ſcopulus in mari Liguſtico.
Melzi.
Memoranſi, Memorantium in Gallia.
Mercatello.
Meſtri, Menſtra, op. in Veneta regione.
Metola.
Metro, Metaurus fluuius.
Milano, Mediolanum.
Mincio, Mincius flauius.
Minerbio, Mineruium.
Minturno, Minturnæ olim.
Mirabello caſt.
Miran.
Mirandola, Mirandula.
Modon, Methone.
Moia, Molia.
Modona, Mutina.
Mola.
Molins, in Bois in Gallia.
Molino, caſt.
Molucche, inſulæ aromatum.
Mompelier, Mons peſſulum.
Monaco, Monęci portus in Liguria.
Mondaino caſt.
Mondragone, Mõs maſsicus, vel Petrinum.
Mondolfo caſt.
Monfalcone, Veruca.
Monferrato, in Liguria ciſapẽna.
Monforte.
Monguzzo.
Montagnana, Montanianũ caſt.
Montalcino, Alcinoi mons, vrbs.
Montalone, in Eluſentinis.
Mont'alto.
Montebaroccio caſt.
Montebaldo caſt.
Montebattaglia caſt.
Montebellona, Bellunianus mons caſt.
Montebretonico caſt.
Montecaluulo caſt.
Montecaſsino caſt. Caſinum.
Monte cecilia.
Mõtechiarucoli, Mons cherucus.
Mons ceritus.
Mon'ceniſo } Coctiæ alpes.
Mon'gineura }
Montechiaro, Clarius mons.
Montecchio, Monteccium.
Monte di brianza. Briantiæ mons.
Monte de la ventura.
Montefalco caſt.
Monteſiaſcone, Faliſca colonia.
Monteſiore.
Montefortino, Frangetæ.
Monteſoſcolo, Monsfuſculus.
Montelifri.
Montelione.
Monte Sant'angelo, Garganus mons.
Monte orlando.
Monte mariano, Marianus mõs.
Monte maggiore caſt. Hetrur.
Monte maggior di Sanbernardo, Penninæ alpes.
Monte minor di Sanbernardo, Graiæ alpes.
Monte di Sanmartino caſt.
Monte di Santa maria caſte.
Mõtepulciano, Mons politianus caſt
Monte Sanſouino in Hetrur.
Monte di S. Claudio, Vogeſus mons.
Monte di S. Gottardo, ſummæ alpes Adules.
Monte di Somma, Veſeuus.
Monte ſiago.
Mondiuier in Gallia.
Monte ritondo, Eretum in Cruſtuminis.
Monte varchi.
Monteroſo, Roſulum.
Monſelice, Monſilicius, Acelum Acedum.
Montici, collis prope Florentiam.
Monticelli caſt.
Monticuli caſt.
Monopoli, ex Egnatiæ ruinis.
Mongoguolo.
Montopoli.
Montone, Vitis fluuius.
Montorio.
Moraui, olim Marcomani.
Morea, Peloponneſus.
Mori, mauri.
Moroſtico, Maroſtica, Moroſticum.
Monza, Modoetia, Moguntiacũ.
Monzarban.
Mordano.
Mortara, Mortaria, olim ſilua formoſa.
Mugello, Mongillani.
Mulinaccio, Mulinacium in Æmilia.
Murano.
Murata prope Locarnum.
Muſocco, Meſaucum.
Muſſo, Muſsium caſt.
Muſone, Menſtra fluuius.
Mutrone caſt. Feronię Lucus.
Mugnone, Minius fluuius.

N

NAgera.
Narbona. Narbo Martius.
Nardo, Neritum, Nardoa.
Narni, Narnia, Nequinum.
Nantes, Nannetes.
Natiſone, Natiſo fluuius.
Nanſſau, Nuſsia.
Nauarra, in Tarraconenſi.
Nauilio, Ticini & Adę emiſſariũ.
Nauo, Nauum.
Neiers in Gallia.
Negroponte, Eubœa.
Nemours, Neomagum
Nettuno, Neptunium, vel Antiũ.
Nepi, Nepet & Nepete.
Nizza, Nicea.
Noceto, Nucetum.
Nocera, in Apulia Luceria.
Nocera, in vmbria Nuceria.
Noion, Nouiodunum.
Nola, antiquum nomen obtinet.
Norcia, Nurſia.
Normandia, Normannia, Neuſtrij ſiue Biducenſes in Celtica.
Nouacroce.
Nouale.
Nouara, Nouaria.
Nura fluuius.
Nuuolara.

O

OCcam, in Gallia ſiue Cam.
Oira, Orea vrbs, Vria, Hyria.
Oglio, Ollius fluuius.
Olginato, Olginatum.
Olmo, Vlmus formoſa.
Oppiano, Oppianũ, Opinianus vicus.
Orange, Auraſium, Aurantium. Aurengium, Arangium.
Orago, Oragum.
Orciano, Orcianum.
Orci nuoui, Vrcei noui caſt.
Orciuecchi, Vrcei veteres, caſt.
Oriolo, Oriolum.
Orleans, Aurelia, Aulircij, Eburaici, Mediolanium, Gennabum.
Orti.
Oruieto, Oropitum, Orbitum, Vrbiuentum.
Oſimo, Auximus, Auximum.
Oſtia ad Tiberim, Ciuitas Portuenſis. alia eſt Oſtia ad padũ.
Oſtiano, Oſtianum.
Oſſaro, Apſorus.
Oſſole, Oſſolius fluuius.
Otricoli, Otriculum.

Otranto,

Otranto, Hydruntum, Hydrus.

P

Palaia, Palaria caſt.
Palma, in regno Neapolitano, parma pontano.
Parma in Gallia Ciſalpina ciuitas & fluuius.
Paliſſa, palitia in Gallia.
Palude, Palus pontina.
Palliano, pallanum.
Palignano.
Palumbara.
Pampalona, pompelon Nauarræ metropolis.
Panaro, Scultenna fluuius.
Pandino, pandinum.
Panicale caſt.
Pauia, papia, Ticinum.
Patauia, olim Boiodunum.
Pera cornubiſantium.
Padua, patauium, in Euganeis.
Pedegrotta, ſpecus initium prope Neapolim.
Pergola, pergula caſt.
Perona in Gallia.
Perpignano, perpenianum ſtabulum olim.
Perotta mons, in Sabatijs alpibus.
Perſia.
Perugia, peruſia.
Peretola.
Peſaro, piſaurum.
Peſcara, piſcaria, Alternus fluuius & oppidum.
Peſchiera, piſcheria Cenomanorum oppidum.
Pianoſa, planaſia inſula in Hetruſco mari.
Piaua, plauis, Anaſſus fluuius.
Picardia, Gallia Belgica.
Piemonte, Taurini.
Pietra caſt.
Pietra doloroſa.
Pietra ſanta, Herculis templum.
Pieuedincino, Incini plebs, Licinij forum olim.
Pieue del Cairo.
Pieue di ſacco, vel di ſciocco, plebs ſacci, vel vigiſioli propinqui fluuij.
Pieue di S. Stefano, Stephani plebs.
Pilaſtrelli.
Pinaruolo.
Pioltello.
Piombino, portus Traianus, plũbinum.
Pirenei, mõtes Hiſpaniam à Gallia diuidentes.
Piſtoia, piſtorium.
Piſinio.
Pitigliano, pitilianum.
Piumaccio, plumacium caſt.
Piuieri di Seſtina, puto Sentinates, vbi olim Sentina vrbs fuit.
Pizifalcone piceleonis.
Pizigeton.
Po, padus fluuius.
Poggio imperiale Cæſareũs collis.
Poggibongi, Bonitium.
Pola, Iulia pietas.
Poliſella.
Policaſtro, Buxentum olim.
Polliſtrine, ſiue pilaſtrina, preneſte.
Pollonia, Sarmatia Europea.
Poleſino ſiue poleſeno, Inſula eſt quam Atheſis diuortia fecere, ſatis longa, quæ idcirco rectius polineſus, vt quidam tradidere, appellabitur.
Ponte barberano, barbaranum.
Pontelamentano, Nomentanus pons.
Ponte corone, pons Coronis.
Pontecoruo, Fregellæ.
Ponte ad Era, Eræ pons.
Pontemolino.
Pontepeſere.
Pontenuro, Nuræ pons.
Ponte di Salara, Salariæ pons.
Pontealloca, Occæ ſiue anſeris pons.
Pontelacco, Sacci ſiue Vigiſioli pons.
Ponte di ſtura, pons ſturiæ.
Ponte Vagliano, Valianus, vel Ianiuallis pons.
Ponte di Vedân, Vedani pons.
Ponteuico.
Pontolio, Ollij pons.
Pontremolo, põs remulus, olim Apua.
Ponzo, pontia inſula.
Poppi, Cluſentinorum caſtellum.
Populo caſt.
Porezzo, fortè procita, ſeu procida inſula.
Porretta, caſtellum vbi balnea ſunt, in Bononienſibus montibus.
Porcina, Apricene.
Porto Hercule, Herculis portus.
Pordonon, portus Naonis.
Porto fino, Portus delfinius.
Porto ferrato, portus populoniæ.
Portouenere, portus Veneris.
Porto vechio, antiquus portus in Corſica.
Porto di S. Stefano, Stephani portus prope Egnatiæ ruinas in Apulia.
Poſſonia Carnum.
Potieri, Pictones, poitiers.
Potito caſt.
Pozzeuera, porcifera.
Praga, Caſurgium.
Prato, Hetruriæ oppidum.
Prato vechio.
Preſſe caſt. & fluuius.
Priacroce, priacrucium.
Primaro, primum padi oſtium, Spinetum.
Principato, picentini.
Puglia, Apulia.
Pulignano, polynianum.
Puliſella.
Romanæ portæ quarum in Hiſtoria hac fit mentio.
Porta del populo, Flumentana ſiue Flaminia.
Porta di S. Giouá Laterano, Cœlimontana, ſiue Querquetulana.
Porta di S. Sebaſtiano, Capena, Camœna, Appia, Triũphalis Fontinalis.
Porta di S. paolo, Tergemina, Hoſtienſis.
Porta di S. Pangratio, Aurelia, pontes.
Ponte di S. Angelo, Ælius. pons.
Ponte Siſto, Aurelius vel Ianiculenſis.

Q

QVarrata, Quadrata Coratum.
Quintiano, Quintianum.
Quiſtelli.

R

Raguſa, Epidaurus.
Rapalle, Rapallius ſinus, vallis & caſt.
Raſpruch, in Germania.
Rauenna, Penthapolis & Nauena.
Rauelio, Rauelium.
Razzuolo, Ratiolum.
Rebecca, caſt.
Reco caſt.
Reggio, Regium Lepidi in Gallia ciſalpina.
Rheggio, Rhegium in Calabria.
Rems, Remi, in Gallia.
Rodi, Rhodus inſula.
Rhodes in Gallia, Rutheni.
Reſordes, Lorenzo in Gallia.
Rieti, Reate.
Riozzo.
Ripatranſona caſt.
Ripomarancie, Marantium.
Riſſano.
Riua di Trento caſt.
Riuaruolo, Riuariolum
Riuiſingo.
Riuolta caſt. Ripa alta.
Roano, Rotomagum, Auleſci.
Rocca di papa, Algidum Papæ, arx.

Ex graphi romanis folio 196 ab quo dissentiunt in gallio hybernum

Rocca di Euandro, Euandri arx.
Rocca guglielma, Guglielmia. arx.
Rocca bianca, Alba arx.
Rocca Manarda.
Rocca secca.
Rodano Rhodamus flu.
Roia in Gallia.
Romagna duplex, vna Ariminum vsq;, altera ab Arimino. Rauennam & Bononiam, illa Flaminia, hęc Æmilia dicta, ue teribus Gallia togata.
Romania, Epirus.
Ronciſualle in Pireneis.
Ronciglione, vel Roſciglone, Ruſcino.
Ronco, Bideſus fluuius.
Rondine, Rondinetum.
Roſano, Ruſcianum.
Roſa, caſt.
Roſes, Rhoda, ſiue Rhodope vrbs in Hiſpania.
Rotelino, Rotelinum in Gallia.
Rouere, Roueretum.
Roũigo, Rodigium.
Rubiera, Ruberia, Herberia.
Rubos,
Ruolo, Riolum.
Rutigliano, Rutilianum olim (Rodia

S

Salerno, Salernum à Silero fluuio.
Salo, Saloum, Salodium, longa Salona.
Salonichi, Teſſalonica.
Salſio, Salſium.
Saluze, Salutij, Salinę ſutriorum, alij Salaſſos falſo putant.
Saltzburga, olim Iuuania.
Saltara.
Salto dell'incoronata.
Saluat terra, Velia in Hiſpania.
S. Agata, Agatæ fanum.
S. Albin, Albini fanum in Bretannia.
S. Aleſsio, Alexij fanum.
S. Andrea, Andreæ fanum.
S. Angelo in Apulia, Angeli fanum in Gargano monte.
S. Arcangelo, Arcangeli fanum.
S. Bonifacio, Bonifacij fanum prope Veronam.
S. Colombano, Columbani fanũ
S. Conſtanzo, Conſtantij fanum.
S. Chriſtoforo, Chriſtophori fanum.
S. Croce, Crucis fanum.
S. Caſſano, Caſsiani fanum.
S. Donato, Donati fanum.
S. Fauſtino, Fauſtini fanum.
S. Felice, Felicis fanum.
S. Giorgio, Georgij fanum.
S. Giouan de la uena, Ioánisuénæ fanum.
S. Guiouanni, Ioannis fanum
S. Gimiliano, Geminiani fanum.
S. Germano, Germani fanum.
S. Giouan piediporto, Ioannis pedeporti fanum ad Pirenęos.
S. Hermo, Hermetis fanum.
S. Cioannis de Lus, Ioánis Luſij fanum.
S. Iago, Iacobi fanum in Hiſpania.
S. Lazero, Lazari fanum.
S. Leo, Lei vel Leonis fanum.
S. Lorenzo, Laurentij fanum.
S. Maria in Caſtello, Mariæ caſtelli fanum
S. Maria in bagno, Mariæ in balneo fanum.
S. Madalena, Mgadelenæ fanum.
S. Maura, Mauræ fanum, Neritus.
S. Miniato, Miniati fanum.
S. Martin, Martini fanum.
S. Nazaro Nazarij fanum.
S. Malo, Maclouium.
S. Paolo, in Gallia, Saliocanus portus.
S. Pier dell' arena, Petri arenarij fanum.
S. Pier in bagno, Petri balnearij fanum.
S. Pier Vergano, Petri uirgarij fanum.
S. Quintin, Quintini fanum, olim Veromandum,
S. Regolo, Reguli fanum.
S. Remigio, Remigij fanum.
S. Roſſor, Rũboris fanum, ſiue Roſſorium.
S. Sebaſtiano, Sebaſtiani fanum.
S. Seuerina, Seuerinæ fanum.
S. Seuero, Seueri fanum.
S. Secondo, Secundi fanum.
S. Sofia, Sophiæ fanum.
S. Valier, Valerij fanum in Gallia.
S. Zeno, Zenonis fanum.
Samoggia fluuius & caſt.
Santognes, Sanctones.
Santerno, Vatrenus fluuius.
Sapri, forte olim Lauus fluuius.
Sartirano.
Sarno, Sarnus oppidum & fluuius.
Sartiano.
Saſſatello, Saxatellum caſt.
Saſart.
Saſſetta, Saxeta caſt.
Sarſina, olim Farſina.
Saſsiglione, Saſsilio.
Saſſo caſt.
Saſſuolo, Saxiolum.
Sauena, Sapina fluuius.
Sauona, nõ habet aliud nomen, neque eſt Sabata ſiue Sabatia vt quidam putant.
Sauo, Sauus fluuius.
Sauignano, Sauinianum.
Saxonia, Germaniæ prouincia.
Scala, caſt.
Scarlino, ſtatones.
Scandi caſt.
Scarpa.
Scuttari, Scodra.
Sciatiua, Setaba in Hiſpania.
Scuitz, Heluetiorũ pagus, Cimbrorum reliquiæ.
Schafhuſia, Heluetiorum ciuitas.
Scuto, in Aquitania.
Scotia inſula.
Secchia, Gabelus fluuius.
Secciano.
Segnia, Signia.
Selanda, Caneniphatum in ſula.
Seminara, Seminaria.
Senare, Senaretum.
Sena, Sequana fluuius.
Senazara
Senzano.
Sepri. caſt.
Seraualle.
Serio, ſerius fluuius.
Serezana, Sergianum, Seretianum.
Serzanello, Seretianulum.
Serchio, Sercius, Eſarus, Auſerus, Boactus fluuius.
Sermidi, Sermitum, Seminum.
Sermona.
Seruia, Miſiæ ſuperioris pars.
Serra.
Seſtri di Leuante, Seſtrium orientale, Segeſtrium, Tegulia.
Seſſa, Sueſſa.
Seta, vrbs.
Seſto, Sextum, ſexto Calendas olim.
Siena, Senæ.
Siciliano, Sicilianum.
Sinigaglia, Senogallia, Galli. Sennones.
Siponte Sipus.
Sion, Sedunum in Valeſijs.
Siſteron, Siſteronum.
Singlari, ſinglarium.
Siuiglia, Iſpalis, Romuleia.
Soana, Suuianum.
Soaue, Suauium in Cenomanis.
Sogliano, Solianum.
Solaruolo, Solariolum.
Somma, Pompeianũ, vel mons ſummus.

Soncino

Soncino.
Sora.
Soriano.
Sorbolongo.
Specie, siue Speza, Spedia.
Spelle, Hyspellum, Hyspellium.
Spedaletto, spitalettum.
Spira, Nemetum vrbs.
Spilimberto, spinum Lamberti.
Spoleto, spoletum.
Squillacci, scyllaceum.
Sabiaro, vbi olim stabiæ vrbs erat.
Stampace, stampacium.
Stellata, portus ad Padum.
Stesia vel scesia, sesithes fluuius.
Stiria, olim Iapidia.
Stiliano.
Stradella.
Strada Romea, Romana, olim Æmilia via.
Strigonia ciuitas in Pannonia.
Sueuia.
Suffolc, in Anglia ciuitas.
Suuio, suuium.
Sughereto, souerani.
Susa, segusium, Oscella.

T

Tagaruolo, Tagariolum.
Tagliacozzo, Calsiolum.
Taliacotium, Talacotium, Taliequitium.
Taiamento, Tiliauentus fluuius.
Talamone, Talamonium.
Tanaro, Tanarus fluuius.
Tarba, Tarbelli.
Taro, Tarus fluuius.
Taranto, Tarentum.
Tartona, Dertona.
Tauernelle.
Tauris Persarum regia vrbs, Teruа vel Susa.
Terra di Roma, Latium.
Terracina, Anxur.
Terra di Lauoro, Leborij campi, siue agri campania olim.
Terano, Teranum Interamnia Præcutinorum.
Terra nuoua, Terina.
Teroana, Taruanna in Morinis.
Ternum, Termulæ.
Terni, Ternium Interamnia Sabinorum.
Teuerone Aniena fluuius.
Tiuoli, Tibur.
Tiliano.
Todi, Tudernum, Tudertum.
Torre di bagni, Aquæ sinuessanæ.
Torre fagiana.
Tornai, Neruij, Baganum.
Tornon in Gallia.
Torre di Greco, o uerdi Ottauo, Heracleam puto olim fuisse.
Tolosa, Tolosates.
Toscanella.
Tomba.
Torre di Godiffa, Genuæ, turris hæc est.
Torre mathia, Martia turris.
Torre d' Ascanio.
Torre marchesana, Marchionum turris in Veneta regione.
Torricella Turricula.
Torchiara, Torcularia.
Tours, Turanes
Tiliano.
Tirano, Vallis turrenæ oppidum.
Tirolo, Noricum.
Toledo, Toletum in Hispania.
Torligo.
Tolon, Tauroentium in Prouincia.
Transiluania, Pannonia inferior.
Traetto, vbi olim Minturnæ erant.
Trani, Trinium, Tranium.
Trabisonda, Trapizon in Capadocia.
Treui, fortè olim Mutiscæ, vel Trebula.
Trebbia fluuius.
Treuille.
Treccas.
Trecapanne, Tria tuguria.
Treleuero.
Trento, Tridentum.
Treueri, Augusta Treuirorum.
Treuiso, Taruisium, Taurisium, Taurisci.
Tresa, Tresia fluuius.
Trezzo, Tretium.
Tripalda, oppidum, silua & fluuius
Triesti, Tergeste.
Troia in Apulia, aliud nomen nō habet.
Trumello, Trumelium.
Tunisi, Tuneta.
Turbico.
Turpia, vrbs Trupia.
Tusignano, Tausinianum.
Turea.
Turrita.

V

Valbona.
Valdibagno, balnei vallis.
Valdi calci.
Val d'Augusta, Augustavallis, Augusta prætoria.
Vallachia, Dacia.
Valeggio, Valegium.
Valdi cadora, Cadoriæ, vel caloria vallis.
Val d'Arno, Arni vallis.
Valesi, Vallesij pop.
Valfenera, Valfeneria.
Valenza in Allobrogibus, Velentia colonia.
Valenza in Insubria, Valentium cast. Forum Fuluij.
Valenza, in Hispania, olim Roma.
Valdi chiana, Glanica vallis.
Val di Beneuento, Maleuentana uallis.
Vagliadulit, in Hispania, Ciuitas.
Val di Lamone, Anemonis vallis.
Valle d' Arriano, Ariani vallis.
Vall d' ossole, Osolij vallis.
Valmontone, Labicum.
Valdinieuole.
Valle di roncalle.
Valsabia.
Val sasina, Saxina vallis.
Val di ser.
Val di serchio, Auseris vallis.
Valtolina, Vallis turena, Vennonetes.
Valtropia, Triumpilinorum vallis.
Valle polliente, Pantenæ vallis.
Val Seriana, Serij vallis.
Vaila.
Varese, Varesium.
Varagine.
Varzi.
Varadini castellum in Pannonia.
Varo, Varus fluuius.
Vasonio, Vasonium.
Vdene, Vtina, Attile vrbs.
Velletri, Velitræ.
Verme, Verminum cast.
Vernia in Clusentinis.
Vercelli, Vercellæ.
Veruli, Verulum.
Verrucola cast.
Vernacula fluuius.
Venosa, Venusium.
Verona.
Vicenza, Vicetia.
Vicariato, regio in Picæno, vicariatus.
Vico, Vicum.
Vicopisano, Vicus pisanus.
Vicouaro, Vicº Valerij, siue Varonis olim.
Viana oppidum in Nauarra.
Viadana,
Vienna, in Pannonia superiore, Iulia bona, Viana olim.
Vignale Vineale.
Viareggio, Via regia.
Vigidolfo.
Villacera.
Villacco, vacorium olim.
Vigeueno, Vigeuenum, Vigleuanum.

Villafranca, Portus Herculis in Prouincia.
Villa di Felino, Felini villa.
Villa nuoua, Vercelle vetus.
Villa della torre, turris vicus
Villa della Purla, Piollæ vicus.
Vintimiglia, Albintimilium, Intimilium.
Vitadi.
Viterbo, Vetulonia, vel veiuza.
Virtembergi, Intuergi populi.
Vittoria, Victoria, in Insubria à Friderico extructa.
Vistarino, vistarinum.
Virtus, virtusium in Belgis.
Vlma, Alcimenium in Germania.
Vmbriano, vmbrianum.
Vnians, du Maine in Gallia, Cominius Argentonius, habet du Mans.
Voghera, vicheria, vicus Iriæ.
Voltauicus.
Volterra, volaterra.
Vormatia, Germaniæ ciuitas.
Vostagio.
Vrbio, virbius fluuius.
Vrgelli, Bergidum.
Vsolingo.
Vulturno, vulturnus fluuius.

Z

Zurich, Tigurum Heluetiorũ ciuitas.
Zais, Aquæ Sextiæ
Zulf, in Germania.

INDEX ALTER EX PRIORE INVERSUS, *vbi vetera prius, deinde noua ponuntur.*

A

Abdua, Ada fluuius.
Acelum siue Acedum, Monfelice.
Æcherontia, Matera.
Adulas, Monte di S. Gottardo.
Atrianus fluuius, Adice.
Ægyptus, Egitto.
Æliuspons Romæ, Ponte di S. Angelo.
Æmilia, Romagna.
Æmilia via, strada Romea.
Ænaria insula, Ischia.
Aladuli populi, Aduliti.
Alba Græca, Belgrado, in Pannonia.
Alba in Marsis, Albi.
Alba Pompeia, Alba in Insubria.
Albiana regio, Aluiano.
Albinganum siue Albintannum.
Arbinga.
Albiniacum, Aubigni.
Albintimilium, Vintimiglia.
Alcimenium in Germania, Vlma.
Alcinoi mons, Montalcino.
Algidum, Rocca di Papa.
Alisum, Brandeburgo.
Allia fluuius, Caminate.
Allobroges, Delfinato & Sauoia.
Alon in Hispania Tarraconensi Alicante.
Alpes Cottiæ, Montegineura, & Monceniso.
Alpes Graiæ, Monteminor di S. Bernardo.
Alpes Iuliæ, Alpi Iuliæ.
Alpes Penninæ, montemaggior di S. Bernardo.
Alpes Sabatiorum. Alpi mantine.
Alpes summæ, Monte di S. Gottardo.
Alsa fluuius & cast. Limine.
Amantea vrbs, Mantia.
Ambianum, Amiens.
Ameria, Amelia.
Amiternum, Aquila.
Anania, Anagni.
Anassus fluuius, Piaua.
Ancon, Ancona.
Andes siue Andicani, Angyor.
Anechini pons Magion dellerose.
Anemo fluuius, Lamone.
Anemonis vallis, val di Lamone.
Aniena fluuius, Teuerone.
Anitia fl. Lenza.
Annilaria, Anguillara
Annibalis castra, si Anunium Anon.
Anobij, Hesia.
Ansanum oppidum, Lanciano.
Antium, Nettuno.
Anxur, Terracina.
Aphrodisium Africa, Mahemedia.
Apicium, Apicio.
Aponis balnea, Bagni d' Abano.
Appenninus mons, Appennino.
Appia porta Romæ, di S. Sebastiano.
Apricene, Porcina.
Aprutij, Abruzzi.
Apsorus, Ossaro.
Apulia peucetia, ducato di Bari.
Apua, Pontremolo.
Apuani, Lunigiana.
Aquæ Augustæ, Baiona.
Aquæ Calidæ, Caldane.
Aquæ Sextiæ, Zais vel Ais.
Aquæ Sinuessanæ, Torre di bagni.
Aquilonia, Agno.
Aquitamia, Guascogna.
Aquulæ siue Aquenses, Aquapẽdente.
Arabia, Arausium, Oranges.
Arcenum & Arcena, Bracciano.
Arcus marianus Camariano.
Arelatum, Arles.
Argentius fluuius & oppidum Argent.
Aricoli vicus, Figaruolo.
Aricomij siue Volci, Auignon.
Ariminum ciuitas Rimini.
Ariminum fluuius, Marechia.
Armorica, Bretagna.
Asisium, asciſi.
Asulum, asola.
Astura siue Clostra astorio.
Atella siue auella, auersa.
Aternus fluuius & oppidum, Pescara.
Athesis, adice fluuius.
Atrebates, Artois.
Atrebatum vrbs, arras.
Attria ciuitas, Adria.
Attilæ urbs, Vdene.
Aufidus fluuius, Lofanto.
Augusta bacienorum, Aasignana.
Augusta prætoria, Vald' Augusta.
Augusta Treuirorum, Treuiri.
Augusto dunum, Autun.
Aulerci, Roano.
Aulircij, Orleans.
Aurasium siue aurantium, Orange.
Aurelia, Orleans.
Aurelia porta Romæ, di S. Pangratio.
Aurelia uia, Maremma.
Aurelius pons Romæ, Ponte Sisto.
Auscij siue augusta, Aus.
Auseri vallis, Valdi serchi.
Auserus fluuius, Serchio.
Austrasia, Lorena.
Auximus, Osimo.

B

Baganum, Tornai.
Baiæ, Baia.

Bara Orobiorum oppidũ, Bergomum.
Barcinon, Barcelona.
Barionon, Bari.
Barulum, Barletta, in Apulia.
Baſtitani, in Hiſpania Tarraconenſi caſtiglia.
Batauorum inſula Holanda.
Bechunni, Giaradadda.
Beletra, Biſignano.
Bellocaſij ſiue Baiucenſes, Baiuſa.
Bellunium, Bellunum, Belluno.
Benacus Lacus, Lago di Garda.
Bergidum, Vrgelli.
Biboldonis Alba, Biboldon.
Bideſus fluuius, Ronco.
Biducenſes, Normandia.
Bigerones, Bierna.
Bilitionum ſiue Breunorum caſtrum, belinzona.
Biturgia, Borgo di San ſepulcro.
Bituriges, Berri.
Biturigum ciuitas Bourges.
Bizantium, Conſtantinopoli.
Boactus fluuius, Serchio.
Boiodunum, Patauia.
Bondincus, Bondeno.
Bonitium, Poggibongi.
Bracenum, ſiue Arcenum, & Arcena Bracciano.
Brannonices, Brianſon.
Brixillum ſiue Brixellum, Breſſelle.
Brunduſium, Brindiſi.
Brutij veteres in Calabria ſunt.
Burmia Bormia.
Buxentum, Policaſtro.

C

Cœli montana, porta Romæ, Porta di San. Gioan. Laterano.
Cæſarea in Inſubria, Aleſſandria della paglia.
Caieta, Gaeta.
Calabria, Calauria.
Calatia, Caiazo.
Calenum, Carinula.
Calerites legio, ſiue Galaratum Galera.
Callis ſiue Caleuicus, Cagli.
Galſiolum, Tagliacozzo.
Camarena in Sicilia, Camerata.
Camertes Camerino.
Campania felix, Terra di Lauoro.
Campus Marianus, Camariano.
Caueniphatum inſula, Selanda.
Catabria, Biſcaglia.
Canuſium, Canoſa.
Capena ſiue Camœna, porta Romæ, Porta di S. Sebaſtiano.
Capitinata, Capitanato.
Capitinatæ portus Manfredonia.
Caprea inſula, Capri.
Capua idem nomen habet.
Caracca, Carauaggio.
Carbonarium Padi oſtium, Fornaci.
Carnum, Poſſonia.
Carnutes in Gallia, Chartres.
Cartago noua, Cartagena.
Caſalius ſinus in Corſica, Golfo di S. Fiorenzo.
Caſilinum, Cancelle.
Caſinum, Montecaſcino.
Caſtra mariana, Camariano.
Caſtrum nouum, Corneto.
Caſurgium, Praga.
Catti, Heſsia.
Cecinna, fluuius.
Cenomani, Maiene.
Centum Cellæ, Ciuita vechia.
Cere Ceri.
Cere uetus, Ceruetri.
Cidiniola, Cirignola.
Cilicia, Carmania.
Cimbrorum reliquiæ in Heluetia Scuitz.
Ciprus inſula, Cipro.
Circeum, Circelle.
Ciuitas portuenſis, Oſtia.
Claſsis oppidum & Fluuius Chiaſſa.
Claſtidium op. Chieſteggio.
Clauaſsium, Ciuas.
Cluſentini, Caſentino.
Cluſium, Chiuſi
Colonia Agrippina.
Comaclum ſiue Cimaclum, Comachio.
Compendium Compiegne.
Coratum, Quaratta.
Corcira, Corfu.
Cornubiſantium, Pera.
Cornuetum ſiue Coritum, Corneto.
Coron fluuius, Curone.
Corone Coron.
Coronis pons, Pontecorone.
Coſentia, Coſenza.
Creſcentij Caſtellũ Romæ Caſt. S. Angelo.
Crotone, Cortona.
Curci, in Pannonia, Gurſia.

D

Dacia, Vallachia.
Delfinus portus, Porto fino.
Dertona, Tartona.
Diuguntinorum forum, Crema.
Diuionum, Digion.
Dyrrachium, Durazzo.

E

Ebolum, Ebulum, Eboli.
Eburaici, Orleans.
Eburodunum, Ambrun.
Ecalidus fluuius, Caldano.
Ecana, Foggia.
Egnatia, Monopoli.
Entella fl. & vallis in Liguria, Lauagna.
Epidaurus Illirica, Raguſa.
Epirus, Romania.
Eporedia, Iurea.
Eretum, in Cruſtuminis Monte ritondo.
Eſarus fluuius, Serchio.
Eſis ciuitas Ieſi.
Eſis fluuius, fiumeſino.
Eubœa, Negroponte.
Euganei, Marca Treuigiana.
Eugubium, Gobbio.
Eupilus Lacus, Lago di Puſiano.

F

Faliſca Colonia, Montefiaſcone.
Farſina, Sarſina.
Fanum fortunæ, Fano.
Feroniæ Lucus, Mutrone.
Fertini ſiue Feltria, Feltro.
Feſcennia, Ciuita Caſtellana.
Fidentia, Firenzuola.
Finarium in Liguria, Finale.
Firmum ſiue Firmum, Fermo.
Flaminia, Romagna.
Flanianum, Fagnano.
Flumentana ſiue Flaminia porta Romæ, Porta del Populo.
Fontinalis porta Romæ, di S. Sebaſtiano.
Formiana villa, Caſtellone.
Forum Flaminij, Fulginum Fuligno.
Forum Cornelij, Imola.
Forum Iulij, Frioli.
Forniulij ciuitas, Ciui dal di Friul, Ciuidale Carnicum.
Forum Liuij Furli.
Forum Fuluij, Valenza in Inſubria.
Forum Noruij Fornuouo.
Forum Sempronij, Foſſombrone.
Foſſa clodia Chioza.
Foſſæ Papirianæ, Foſſanuoua.
Frangetæ, Monte fortino.
Fregellæ, Pontecoruo.

G

Gabelus fluuius, Secchia.
Galli ſennones, Sinigaglia.
Gallia Belgica, Picardia.
Gallia ciſalpina, Lombardia.
Gallipolis, Gallipoli.
Gannodurum, Cõſtanza.
Garganus mons, monte di S. Angelo.
Gaziolum, Gazuolo.
Gennabum, Orleans.

Geſoriacum nauale, Cales.
Glanica palus, Chiane.
Glanica vallis, Valdichiana.
Glareola Giarella.
Glanis ſiue Glanicus fluuius Chiana.
Gratianopolis, Granoble.
Grigoniſſa, Colleoneſſa.
Gerionis caſtrum, Cirignola.
Guardiſtallum, Guaſtalla.

H

Heraclea, Torre di Græco, o uer di Ottauo.
Herberia, Rubiera.
Herculis portus, Port' hercule.
Herculis templum, Pietra ſanta.
Hirium, Beſtrice.
Hyria vrbs, Oira.
Hiſpania Tarraconenſis, Aragona.
Hoſtienſis porta, Romæ, di S. Paolo.
Hydruntum ſiue Hydrus, Otranto.
Hyppodromus Neapoli, Caualleria.
Hyſpellum, Hyſpellium, Spelle.

I

Ianiculenſis pons, Romæ, Ponte Siſto.
Ianiuallis, vel Valianus pons. Põteuagliano.
Iapidia ſiue Iapigia, Stiria. Iſtria
Iapigium promontorium, Capo di Apennino.
Iapix, Bari.
Idex fluuius, Lidice.
Ilua inſula, Elba.
Innuum, Corneto.
Inſubria, Lombardia.
Inſula fulcheria, Giaradadda.
Interamnia Præcutinorum, Terano.
Interamnia Sabinorum, Terni.
Intuergi populi, Virtemberg.
Inutrium, Ispruch.
Iſpalis, Siuiglia.
Iſter, Danubio.
Iulia bona, Vienna in Pannonia ſuperiore.
Iulia Cæſarea, Algeri.
Iulia pietas, Pola.
Iuliobriga in Hiſpania, Logrugno.
Iuliſurgium, Brunſuig.
Iulium Carnicum, Goritia.
Iura mons, Iuraſſo monte.
Iuuania, Saltzburg.

L

Labicum, Valmontone.
Labronæ ſtatio, Liuorno.
Larius Lacus, Lago di Como.
Laterina, Larnata.
Latium, Campagna della chieſa, vel terra di Roma.
Lauinus vel Lauus fl. & caſt. Laino.
Laulon fluuius, Lolona.
Laumellum, Lomelina.
Laus Pompeia, Lodi.
Lauus fluuius, ſapri.
Leborij campi, Terra di Lauoro.
Lemniacum ſiue Lineacum, Lignago.
Leonicum, Lonigo.
Leptis parua, Africa.
Lerix, Lerice.
Leucas, S. Maura.
Liburnia, Frioli.
Liburnum, Liuurno.
Licinij forum, Pieue d' Incino.
Ligurnum, Liuurno.
Liris fluuius, Garigliano.
Lochiæ in Gallia, Locces.
Lollianum, Loiano.
Longa Salona, Salo.
Lotaringia Lorena.
Lucania, Baſilicata.
Luceria in Apulia, Nocera.
Lucus, ſiue Lugium Lugo.
Lugdunum, Lion.
Lupiæ ſiue Leucum, Lecco.

M

Macedoniæ veteris pars, Albania.
Maclouium, Sanmalo.
Magdauium in Germania, Maganza.
Maleuentana vallis, Valdibeneuento.
Malfia ſiue Melfia, Malfi.
Manliana, Magliana.
Mantua Carpentanorum in Hiſpania, Madril.
Marantium, Ripomarancie.
Marcomanni, Moraui.
Marcomannorum Sedes Bohemia.
Mariana villa, ſiue Marianum Marino.
Marianum, Marano.
Marradius vicus, Borgo di Marradi.
Marſi, & Præcutini, hodie Abruzzi.
Martianus vicus Borgo di S. Marco.
Maſsicus mons, Mondragone.
Maſsilia, Marſiglia.
Matheli cates, Matelica.
Mauri, Mori.
Mazara oppidum & fluuius in Sicilia, Mazari.
Meager ſiue Meagrum Neapoli Caſtel del uouo.
Mediolanium in Gallia, Orleans.
Meduacus fluuius, Brenta.
Meduacus minor, Bachiglione.
Meduaci foſſæ, Brentelle
Melficta, Melfetta.
Memphis, Cairo.
Menſtra fluuius, Muſone.
Menſtra oppidum, Meſtri.
Meſaucum, Muſocco, Miſauci pop.
Metalonum ſiue Metaleonis, Matalone.
Metaurus fluuius, Metro.
Methone, Modon, in Græcia.
Meuania, Beuagna.
Miletum, Meleto.
Mincius fluuius, Mincio.
Mineruæ promont. capo di Minerua.
Mineruium, Minerbio.
Minius fluuius, Mugnone.
Minturnæ, Minturnio.
Miſia ſuperior, Seruia & boſsina.
Modoetia ſiue Moguntiacum in Italia, Monza.
Moguntiacum in Germania, Maganza.
Moles Adriani Romæ, Caſtel. S. Angelo.
Moneci portus, Monaco.
Mongillani, Mugello.
Monscheruculus ſiue mons ceritus, Montechiarucoli.
Mons peſſulum, Mompelier.
Monspolitianus, Montepulciano.
Monsſilicius, Monſelice.
Mons ſummus, Somma.
Morini, Fiandra.
Mutina, Modona.
Mutiſcæ, Treui.

N

Nannetes, Nantes.
Naonis portus, Pordonon.
Narnia ſiue Nequinum, Narni.
Narbo, Martius, Narbona.
Nardoa ſeu Neritum, Nardo.
Nauenna Rauenna.
Naupactus, Lepanto.
Nemetum vrbs, Spira.
Neomagum, Namours.
Neptunium, Nettuno.
Nequinum ſiue Narnia, Narni.
Neritum ſeu Nardoa, Nardo.
Neritus, S. Maura.
Neruij, Tornai.
Nepet & Nepete, Nepi.
Neuſtrij, Normandia.
Nicea, Nizza.
Nitia fl. Lenza.
Norba Cæſarea, Alcantara.
Noricum, Tirolo.
Nola idem nomen obtinet.

Nomentanus pons, Pontelamentano.
Nouocomum, Como.
Nouiodunum, Noion.
Nuagerra, Aquiſgranum.
Nucetum, Noceto.
Numidia, Barbaria.
Nurſia, Norcia.
Nuſsia, Nanſſau.

O

Oeni pons, Iſpruch.
Ollius fluuius, Oglio.
Opiniacus vicus, Oppiano.
Orea vrbs, Oira.
Oropitum, ſiue orbitũ, Oruieto.
Oſolij vallis, Valdoſſole.
Otolius fluuius, Oſſole.
Otriculum, Otricoli.

P

Padus fluuius, Po.
Palus Pontina, Palude.
Pãnonia inferior, Tranſiluania.
Pannonia ſuperior, Auſtria.
Pharea turris Genuæ, Láterna.
Pantenæ vallis, Valle polliente.
Pauſilippus, Pauſilippo.
Peloponneſus, Morea.
Pentapolis, Rauenna.
Petrinum, Mondragone.
Peſtum, Capace.
Philocolis, Ceruia.
Piceleonis, Pizigetone.
Picentini, Principato.
Picenum, Marca d' Ancona.
Picenia, Ancona.
Pictones, Potieri, Poitiers.
Filium, Iunco.
Pirenei montes, idem nomen habent.
Pirgi, ciuitauechia.
Piſaurum, Peſaro.
Pithecuſa, inſula Iſchia.
Planaſia, inſula Pianoſa.
Plauis fluuius Piaua.
Polineſus, Poleſeno.
Polinianum, Pulignano.
Pomicæ Maſsilienſes, Martenge.
Pompeianum, Somma.
Pompelon, Pampalona.
Ponsremulus, Pontremolo;
Pontia inſula, Ponzo.
Populonię portus, Portoferrato.
Porcifera, Pozzeuera.
Portus Herculis in Prouincia, villafranca.
Præcutini & Marſi hodie Abruzzi
Preneſte Pilaſtrina, vel Poliſtrine
Primum Padi Oſtium, Primaro.
Procita ſeu Procida inſula, Porezzo.

Q

Quadrata, Quaratta.
Querquetulana porta Romę Porta dis. Giouan Laterano.

R

Rapallius ſinus, vallis & caſt. in Liguria, Rapelle.
Reate, Rieti.
Remi in Gallia, Rems.
Regium Lepidi, in Gallia ciſalpina Reggio.
Rhegiates, correggio.
Rhegium in calabria, idem nomen retinet.
Ripa alta, Riuolta.
Rhoda, ſiue Rhodope vrbs in Hiſpania, Roſes.
Rhodanus flunius, Rodano.
Rhodus inſula, Rodi.
Rhodia, Rutigliano.
Rodigium, Rouigo.
Roma in Hiſpania, Valenza.
Romuleia, Siuiglia.
Roſulum, Monteroſo.
Rotomagum, Roan.
Ruſcianum, Roſano.
Ruſcino, Roſciglione.
Ruſsium, caſtel di Ruſsi.
Rutheni in Gallia, Rhodes.

S

Sabata, Ceua.
Salentinorum promontorium capo di Apennino.
Salies, Arles.
Salinæ Sutriorum, Saluze.
Saliocanuſportus in Gallia, ſampaolo.
Salodium, ſiue Salum, Salò.
Salſubium, Caſtrocaro.
Samarobriga, Cambrai.
Sanctones, Santognes
Sapina fluuius, Sauena.
Sarmatia Europea, Pollonia.
Saxina vallis, val Saſina.
Scodra, Scuttari.
Scultenna fluuius, Ponaro.
Scyllaceum, Squillaci.
Sebinus Lacus, Lago, d'Iſſeo.
Sedunum in Valeſijs, Sion.
Segeſtrium, Seſtri di, Leuante.
Seguſium, Suſa.
Seminum ſiue Sermitum, Sermidi.
Senæ vrbs, Siena
Senogallia, ſinigaglia.
Sentina, Fabriano.
Sentinate ſpiuieri di Seſtina.
Sentini, Centina.
Sequani, Borgogna.
Sequana fluuius, Sena.
Sergianũ ſiue Seretianũ Sereza-(na
Serius fluuius, ſerio.
Seſithes fluuius Steſia.
Setaba in Hiſpania, Sciatiua.
Sextũ, Sextium, ſexto Calendas. Seſto.
Sextus & Abidus, Dardanelli.
Sicambri, Gheldre.
Signia, Segnia
Silua formoſa, Mortara.
Sipus, Sipontum.
Sontius fluuius, Liſonzo.
Souerani, Sughereto.
Spedia, Spacie vel Speza.
Spinum Lamberti, Spilimberto.
Stabia ciuitas, Caſtalamer di-Stabie.
Stabiæ, Stabiano.
Stabulum in Hiſpania, Perpignano.
Statones, Scarlino.
Sturia fluuius, Stura.
Sueſſa, Seſſa.
Suſa in Perſia, Tauris.
Suuiarum, Soana.

T

Taliequitium, Talacotium, Taglacozzo.
Tarbelli, Tarba.
Tarentum, Taranto.
Taruanna in Morinis, Teroana.
Taurini, Piemonte.
Tauriſci, Treuiſo.
Tauroentiũ in Prauincia, Tolon.
Taurunum ſiue Taururum, Belgrado, ſiue Alba græca hodie, in Vngaria.
Tectoſaces ſiue Toloſates, Linguadoca.
Tegulia, Seſtri di Leuante.
Tergemina porta Romæ, dis Paolo.
Tergeſte, Trieſti.
Terina, Terranuoua.
Tarmula. Termini.
Terrapaſſumena Caſentino.
Terua Tauris.
Teſſalonica, Salonicchi,
Themeſe, Longobuco.
Theobaldiana arx Ferrarię, caſtel Tialto.
Tracia, Bulgaria.
Traſymenus Lacus, Lago di Perugia.
Tiberiacum, Bagnacauallo.
Ticinum ciuitas, Pauia.
Ticinum fluuius, Teſino
Tifernum, Cittadicaſtello.
Tigurum, Heluetiorum ciuitas, Zurich.
Tiliauentus fluuius, Taiamento.
Togiſonus, ſcioco fluuius.
Traianus portus, Piombino.
Trapizon in Capadocia, Trabiſonda.
Trebula, Treui.
Tridentum, Trento.
Trinium ſiue Tranium, Trani.
Triturrita Labronæ ſtatio, Ligurnum, Liuorno.
Triumphalis porta Romæ, di S. Sebaſtiano.
Trupia vrbs, Turpia.
Turdernum ſiue Tudertũ, Todi.

Tulisurgum, Brunsuig.
Turones, Tours.
Tusculanum, Grotta ferrata.

V

VAcorium, Villacco.
Valentia colonia, Valenza in Allobrogibus.
Valentium Castellum, Valenza in Insubria.
Valeria Croatia.
Varanus fluuius, Cadoro.
Varanus, Marano.
Varus fluuius, Varo.
Vastum Ammonis, Guasto.
Vatrenus fluuius, Santerno.
Velia in Hispania, Salicatierra.
Velitre Veletri.
Vennonetes, Valtolina.
Venusium, Venosa.
Veneris portus, Portouenere.
Veneti, Marca Treuiggiana.
Verbanus Lacus, Lago maggior.
Vercellæ, Vercelli.
Vercellæ vetus, Villa nuoua.
Veruca, Monfalcone.
Veromandum in Gallia, S. Quintin.
Verulum, Veruli.
Veseuus mons, Monte di Somma.
Vetulonia vel Veiuza, Viterbo.
Vestæ fanum, Biestri.
Vicetia, Vicenza.
Vicheria siue Vicus iriæ, Voghera.
Via regia, Viareggio.
Vicus Valerij vel Varronis, Vico uaro.
Vigiliæ, Biselli.
Vigisiolus fluuius, sciocco.
Vigleuanum, Vigeueno.
Vilicionis castrum, belinzona.
Virbius fluuius, Vrbio.
Vitis fluuius, Montone.
Vlmus formosa, Olmo.
Vogesus mons, Monte di S. Claudio.
Volaterra, Volterra.
Volcentarius mons, Argentaro monte.
Volsinium, Bolsena.
Vrbiuentum, Oruieto.
Vria vrbs, Oira.
Vsipetes, Francofort.
Vtina, Vdene.
Vuulturnus ciuitas, Castellamar di Boturno.
Vuulturnus fluuius, Vulturno.

FINIS.

FRANCISCI GVICCI-

ARDINI PATRITII FLORENTI-NI, HISTORIAE ITALICAE LI-BER PRIMVS.

Origo & cauſſæ bellorum quæ in Italia cœperunt Anno MCCCCXCIIII. Caroli VIII Galliæ regis in Italiam aduentus, ab Ludouico Sfortia euocati: Florentia, Petro Medice ejecto, liberata: Piſanorum à Florentinis defectio: eiuſdem regis, Piſas, Florentiam, & Romam ingreſſus: Alfonſi & Ferdinandi regum Neapolitanorum fuga: & quomodo eo regno potiti ſint Galli.

RES in Italia memoria noſtra geſtas, ſcripturus ſum, ex quo arma Gallica à noſtriſmet principibus euocata, eam ingenti motu perturbare cœperunt: quæ res varietate & magnitudine ſua maximè memorabiles ſunt, caſibuſq; atrociſſimis refertæ: cum tot annos omnibus eius calamitatibus Italia ſit afflicta, quibus miſeri mortales nunc Dei ira iuſtiſſima, nunc aliorum hominũ impietate & ſceleribus vexari ſolent. Ex quarum rerum cognitione, tam varia tamq; graui, poterit quiuis & ſibi priuatim, & reipubl. documenta ſalutaria capere: vnde exemplis innumeris perſpicuè conſtabit, quantis mutationibus, haud ſecus quàm mare ventis agitatũ, obnoxiæ ſint humanæ res; quàm ſæpe ſibi, ſemper autẽ populis pernicioſa ſint malè conſiderata conſilia eorum qui dominantur, cum nihil aliud quàm aut vanos errores, aut præſentes cupiditates ob oculos habentes, fortunæ crebras mutationes nõ recordãtur; poteſtatemq; ſibi ad communem ſalutem conceſſam, in aliorum perniciem conuertentes, ſe ipſi, ſiue prudentia deſtituti, ſiue nimia ambitione detenti, nouarum perturbationum autores cõſtituunt. Sed calamitates Italiæ (vt qui eius tum eſſet ſtatus, atque vnà quibus ex cauſſis tot tantaq; mala orta ſint, aperiam) eò maiore cum omnium moleſtia, ac terrore initia ſumpſerunt, quo res vniuerſæ tunc lætiores feliciores q; videbantur. Nam primùm omnium illud ſatis conſtat, poſtquam imperium Romanum ex commutatione præſertim veterum morum debilitatum, cœpit à ſua illa magnitudine, ad quam admirabili virtute, fortunaq; aſcenderat (quod ante mille annos factum eſt) deficere, Italiam nunquam tanta felicitate vſam, tamq; optabili rerũ ſtatu, quantus erat ille, in quo anno Chriſtianæ Salutis MCCCCXC. ijsque qui huic tum ante tum poſt coniuncti fuerunt, ſecu- 1498
rè quieſcebat. Alta nanq; pace & tranquillitate vndiq; parta, tota non minus in locis mõtoſis & ſterilibus, quàm in planis & fertilibus culta, nullius imperio, præterquàm ſuorũ ſubiecta, non modò habitatoribus atq; opibus refertiſſima, verumetiam multorum principum magnificentia, nobiliſſimarum & pulcherrimarum vrbium ſplendore, religionis ſede & maieſtate ſummopere illuſtrata, viris in reipubl. adminiſtratione præſtantiſſimis, ingenijs in omni ſcientia atque arte præclara nobiliſſimis, florebat: nec pro eius ætatis vſu & diſciplina, rei militaris gloria vacua, tot tantisq; dotibus ornatiſſima, meritò apud omnes nationes nomen & famã clariſſimam retinebat. In hoc felici ſtatu quem varijs ex cauſſis erat conſecuta, eam conſeruabant cùm alia multa, tum verò non exigua laus omnium ferè conſenſu tribuebatur induſtriæ virtutiq; Laurentij Medicis, ciuis vſque adeò ſupra priuatam hominis ſortem in Florentina ciuitate eminentis, vt eius vnius conſilio illius reipubl. negotia gererentur: cuius reipubl. potentia magis opportunitate ſitus, ciuiũ ſuorum ingenijs, & pecunię copia, quàm amplitudine imperij continebatur: cumq; idem noua affinitate ſibi Innocentium VIII pont. Rom. conciliaſſet, isque Laurentij conſilijs plurimùm vteretur, fiebat, vt magnum eius eſſet in tota Italia nomen, magna in conſilijs de repub. autoritas: qui cum & reipub. Florentinorum, & ſibi valde periculoſum fo-

animaduerteret,si cuius potentiorum opes augerentur,omni adhibito studio,vt res Italiæ in ea æquabilitate consisterent,vt nō magis in hanc quàm in illam partem propenderent,procurabat; quòd quidem sine pacis conseruatione,summaque,ne quid quod eam perturbare posset,oriretur,vigilantia,& attentione,obtineri nullo modo poterat. In hāc communis tranquillitatis propensionem consentiebat Ferdinandus Aragonius Neapolitanorum rex,maxima certè prudentia atque autoritate princeps; etsi antea sæpe animi ambitiosi,atque à pacis consilijs alieni edidisset signa, & hoc quoq; tempore ab Alfonso Calabriæ duce liberorum suorum natu maximo,ad res nouas assiduè extimularetur; quòd inuitus ferret Ioannem galeacium Sfortiam, Mediolanensium ducem,generū suū iam annis viginti maiorem,etsi animo ad principatum capessendum minimè apto,ducis nomine tantum retento,ab Ludouico Sfortia patruo suo deprimi,ac suffocari: qui cum ante annos decem,imprudentia & parum pudicis moribus matris eius Bonæ,pueri tutelam suscepisset,hacq; occasione paulatim arces,milites,gazam, omneq; principatus instrumentum,in suam potestatem redegisset; administrationem non quidem vt tutor aut vicarius,sed ducis titulo excepto,tanquam iustus ac legitimus princeps in omni actione cum summa dignitate retinebat. Ferdinandus tamen præsentis vtilitatis maiore habita ratione,quàm filij ad bellum propensionis,&quantumuis iustę indignationis;siue quòd paucis antè annis regni sui procerum & populorum non sine grauissimo suo periculo cō tra se odia sensisset;siue quòd ex rerum præteritarum memoria,suorum in Gallicum nomen studia cognosceret,atque idcirco dubitaret,ne qua ex Italiæ discordijs regni Neapolitani inuadendi occasio Gallis præberetur; siue Venetorum potentiæ tunc toti Italię formidabili frenum inijcere cupiens,suam cum reliquis,ac cum Mediolanensium& Florentinorum potissimum imperijs,societatem necessariam esse cognosceret,ne qua res in Italia nouaretur,optabat. Nec Ludouico Sfortiæ viro alioqui inquieto & ambitioso, alia poterant consilia placere, tum quòd haud leuiora Mediolani dominantibus, quàm alijs,ab senatu veneto pericula imminerent; tū quòd ei facilius esset in pacis otio,quàm belli molestijs partam autoritatem conseruare;& quanquam ei omnes Ferdinandi,&Alfonsi cogitationes essent suspectæ,nihilominus tamen perspecta Laurētij Medicis ad pacem voluntate,& metu simul quo idem ex eorum magnitudine & potentia afficiebatur: adhæc cum sibi ex animorum dissimilitudine, atque ex veteribus inter Ferdinandum & Venetos odijs persuasisset,nullam inter eos posse firmam amicitiam constitui,existimabat,neminem præterea fore qui cum Aragonijs coniungeret sese ad id in se tentandum, quod solus obtinere se posse nullo modo confideret.In Ferdinando igitur,Ludouico& Laurentio,cum partim ijsdem,partim diuersis de caussis,eadem esset ad pacem propensio,facilè fœdus Ferdinandi regis,Ioannis galeacij Insubrium ducis,& reip.Florentinorum nomine ad sua cōmuniter tuenda contractum perseuerabat: quod fœdus cum multos ante annos cœptum esset, pòst varijs euentis interruptum, demum anno Salutis M CCCCLXXX. consentientibus in id omnibus ferè Italiæ regulis & ciuitatibus, in annos quinque & viginti fuerat renouatum; cuius fœderis is prȩcipuus erat finis,ne Venetorū potentiam vlterius crescere permitterent; qui singulis quidem socijs maiores, cōiunctis autem simul omnibus multò inferiores,consilijs à communibus separatis, suas res agebant; atque ex aliorum discordijs & malis crescere cupientes,intenti& parati in omnem occasionem stabant,quæ eis viam ad totius Italiæ imperium aperire posse videretur. Ad quod quidem imperium eos aspirasse,cum alijs temporibus perspicuè cognitum fuerat, tum verò maximè cum ex Philippimarię Vicecomitis Mediolanensium ducis morte occasione sumpta,illorum libertatis defendendæ prætextu,eius vrbis dominatum occupare tentarunt; sed recentiore memoria cum aperto marte Ferrarienſis ducis fines inuaserunt. Hoc fœdere cupiditati veneti senatus facilè quidem frenum inijciebatur, verùmenimuero animi sociorum in sincera amicitia & fideli minimè continebantur;propterea quòd æmulationis atque inuidiæ inter se pleni,pro se quisque intenti,alij aliorum obseruare consilia non cessabant;interrumpebantq; sibi inuicē ea omnia, per quæ cuiuis ipsorum vel imperium vel autoritas posset accedere:ex quo tamē pax haud minus firma reddebatur; quin potius in omnibus alacritas maior excitabatur, vt eas scintillas extingui procurarent,ex quibus noua incendia possent excitari.Hic rerum status erat,hæc Italiæ tranquil-

tranquilitatis fundamenta, sic constituta ac librata, vt non modò præsentis mutationis nullus esset metus; verùm ne suspicari quidem facilè quis posset, quibus aut consilijs, aut casibus, aut armis turbari tanta quies posset; quum mense Aprili anno MCCCCXCII. 1492
mors Laurentij Medicis superuenit; mors acerba ipsi propter ætatem, quę annum quartum & quadragesimum nondum expleuerat: acerba patriæ, quæ & autoritate, & prudentia, & ingenio ipsius ad omnem laudem & excellentiam aptissimo, opibus, ijsq; bonis, & ornamentis omnibus mirum in modum florebat, quibus humanis in rebus pax diuturna stipata esse consueuit: toti præterea Italiæ incommodissima, cùm ob alia quæ ab eo ad communem securitatẽ continenter fiebant, tum verò maximè quòd sequester, & tanquã frenum esset in diffidentibus consilijs & suspicionibus moderandis, quę inter Ferdinandum & Ludouicum Sfortiam, principes ambitione ac potentia propemodum pares, diuersis de caussis sæpenumero exoriebantur. Laurentij obitum, glisscentibus indies magis & magis imminẽtium calamitatum caussis, pontificis mors est consecuta; cuius vita inutilis alioqui publicis rebus, ob hoc saltem non incomoda, quòd armis quæ stimulis quorundam regni Neapolitani procerum infeliciter in Ferdinandum mouerat depositis, animoq; prorsus ad ocium & voluptates conuerso, iam nec sua nec suorũ caussa quicquam magnopere cogitabat, ex quo felicitas Italiæ turbari posse videretur. Innocentio successit Rodericus Borgia, patria Valentinus (est enim Valentia regiarum Hispaniæ vrbium vna) antiquus cardinalis, atq; inter primos curiæ Romanæ purpuratos; verùm ad pontificatum ob diffidia, quæ inter Ascanium Sfortiam, & Iulianum Rouereum sancti Petri in Vincula cardinales intercesserant, assumptus; ac multò etiam magis quòd nouo eius ętatis exẽplo, partim pecunia, partim officijs ac sacerdotijs, quæ habebat ampliſſima, repromissis, cõplurium cardinaliũ suffragia palã coëmit; quos tanquã diuini præcepti contemptores minimè puduit vendere facultatem sacros thesauros in celsiore templi parte cœlestis autoritatis nomine nundinandi: plerosq; illorum ad tam nefariam negotiationem induxit Ascanius cardinalis, sed non iam magis hortationibus & precibus, quàm exemplo: qui infinita opum cupiditate corruptus, sibi tanti sceleris precium pontificij tabularij procurationem, quam Vicecancellariam vocant, muntis in Romana curia præcipuum depactus est; nec eo contentus, sacerdotia, oppida, illiusq; quam Romæ habebat magnificentissimam domum, precioſſima supellectile refertam adiecit. Sed non ideo tamẽ nec pòst diuinum iudicium, nec tunc infamiam & iustum hominum odium effugit; quos ea pontificis electio terrore atque horrore compleuit, non tam quòd artibus turpissimis esset pertractata, quàm quòd pontificis esset plerisque & natura & conditio magna ex parte nota: atque inter ceteros manifestum est, regem Neapolitanum, etsi palam conceptũ animo dolorem dissimularet, reginæ vxori suæ cum lacrymis à quibus vel in filiorũ morte abstinere consueuerat, significasse, eum creatum esse Pontificem, qui non Italię modò verumetiam toti christianæ reipub. perniciosissimus esset futurus. præsagium Ferdinandi prudentia nõ indignum. Nam in Alexandro sexto (sic enim voluit nouus pontifex appellari) solertia & sagacitas singularis, consilium excellens, vis ad persuadendum admirabilis, & ad res graues pertractandas diligentia ac dexteritas incredibilis fuit; sed has virtutes longo interuallo vitia moresq; turpissimi superabant; non sinceritas in homine, non pudor, non veritas, non fides, non religio, sed insatiabilis auaritia, ambitio immodorata, crudelitas plusquam barbara, & sitis ardentissima, suos, qui non pauci erant, filios, quacunque ratione euehendi; in quibus aliqui ne ad praua consilia, praua deessent instrumenta, erant nulla in parte minus detestabiles patre. Tantam mutationem fecerant Innocentij octaui morte pontificiæ res: sed non minorem Laurentij Medicis interitu res Florẽtinorum; qua in ciuitate sine vlla repugnãtia patris magnitudini succesſerat Petrus trium filiorũ natu maximus admodũ adolescens; sed qui nec per ætatẽ, nec per alias eius conditiones tanto oneri sustinendo par esset, nec ad res domi & foris procurãdas ea moderatione præditus, qua fuerat pater; qui inter socios principes prudenter, vt tempora ferebant, agendo, publicas priuatasq; fortunas & viuens amplificauerat, & moriens eam de se opinionem in animis omnium reliquerat, quasi ipsius potissimum opera, pax in Italia fuisset conseruata. Nam vix primùm Petrus ad reipub. gubernacula manum admouerat, quum consilio, paternis consilijs prorsus aduerso, nec re cum optimatibus ci

uitatis,ſine quibus res graues decerni non ſolebant,communicata, Virginij Vrſini conſilijs inductus propinqui ſui (mater enim vxorque Petri ex familia Vrſina erant natæ) ſicſe Ferdinando Alfonſoque à quibus Virginius totus pendebat,addixit,vt Ludouicus Sfortia iuſtam haberet timendi cauſam: vt quandocunque ſibi Aragonij nocere vellent, Petri Medicis autoritate, reipublicæ ſecum Florentinorum vires coniunctas haberent. Hæc ſocietas omnium malorum ſeminarium ac principium,quanquam initio & tractata & confirmata occultè admodum fuiſſet, per initia ſtatim ferè, obſcuris quibuſdam veſtigijs percepta, Ludouico principi vigilantiſſimo, atque ingenio peracuto, ſuſpecta eſſe cœpit. Nam cum inueterato chriſtianæ reipublicæ more, legati eſſent ad nouum pontificem mittendi,qui eum tanquam Chriſti in terris vicarium adorarent,eique ſe obtemperaturos promitterent, Ludouici Sfortiæ,cuius proprium fuit ab alijs minus prouiſa conſilia excogitare, quo reliquos omnes prudentia ſuperare videretur, conſilium fuerat, vt omnes ſociorum legati vno eodemque die Romam ſimul ingrederentur: ſimul in publico conuentu ſe coram pontifice ſiſterent : vtque oratorum vnus omnium nomine verba faceret : quòd eo facto maxima cum exiſtimationis omnium acceſſione, vniuerſæ Italiæ, oſtenderetur eſſe inter ipſos non modò beneuolentia& fœdus,ſed tanta potius neceſſitudo,vt vnus duntaxat princeps,vnumque corpus viderentur.huius conſilij vtilitatem non minus ratione,quàm recenti exemplo demonſtrari: nam, vt creditum fuerat,pontifex è viuis qui proximè exceſſerat, ſociorum animos parum inter ſe conſentire,ex eo colligens, quòd ad ſe colendum & venerandum ſeparatis conſilijs, diuerſiſque temporibus veniſſent, eo ad regnum neapolitanum inuadendum promptior extiterat. Ludouici conſilium facilè Ferdinandi lenitas comprobauit : comprobarunt amborum autoritate inducti,nec Petro Medice in publicis conſilijs contradicente Florentini, quamuis id priuatim maleſtiſſimè idem ferret Petrus; qui cum reipublicæ Florentinorum orator eſſet diſignatus, decreuiſletque ſuam legationem ſuperbo admodum & regio ferè apparatu illuſtrem reddere, animaduertebat ſi Romam vnà cum alijs ſociorum oratoribus intraret,atque in pontificis veniret conſpectum,ſuæ pompæ ſplendorem in tanta multitudine in oculis homnium incurrere non poſſe: quæ vanitas iuueniles ambitioſis hortationibus Gentilis epiſcopi Aretini,qui vnus fuit oratorũ,corrobora batur: nam cùm ad eum, tum propter ſacram dignitatem, tum propter ſtudia literarum quæ vocant humanitatis,in quibus verſatus fuerat,orandi Florentinorum nomine prouincia eſſet delata, ſibi oſtentandæ eloquentiæ occaſionem illo inuſiato & nouo modo eripi in tam ornato & celebri conſeſſu,incredibiliter dolebat: idcirco Petrus partim ſua leuitate,partim aliorum ambitione impulſus(nolebat tamen ad Ludouici Sfortiæ notitiam venire, ſe eum eſſe qui eius conſilio repugnaret)ab rege petiuit,oſtenderet ſe re diligentius expenſa, animaduertiſſe eam legationem ſine multa confuſione communiter obiri non poſſe: itaque ſuaderet,vt ſinguli per ſe ſuperiora exempla ſecuti,ſuam legationem obirent.qua in re cum rex ei ita gratificari cuperet, magis ei re ſatisfecit quàm gratificandi modo: neque enim Ludouicum celauit, ſe haud alia de cauſa ab eo quod primùm comprobauerat,diſcedere, quàm quòd à Petro Medice ad id eſſet ſtimulatus. Ex hac mutatione maiore moleſtia ſe affectum Ludouicus oſtendit,quàm res ipſa per ſe mereri videbatur. Expoſtulabat vehementer, quòd cum iam notum eſſet pontifici totique Romanæ curiæ primum inſtitutum,quique eius autor extitiſſet,nunc,vt ipſius minueretur autoritas,irritum fieri: quòd quidem ei eo moleſtius accidit, quòd ex hoc leuiſſimo ac nullius ferè momenti euentu cœpit olfacere,Petrum Medicẽ cum Ferdinando clandeſtina agitare conſilia;id quod ex ijs quæ ſunt conſecuta,indies clarius apparauit. Poſſidebat Anguillariam,Cereueterem,aliaq; nonnulla exigua caſtella Romę vicina Franciſcus Cibo Genuenſis,Innocentii pontificis ex concubina filius: qui cum poſt mortẽ patris Petri Medicis vxoris ſuæ Magdalenæ fratris amicitia fretus, Florentiam ſe ad habitãdum contuliſſet,vix primùm eam vrbem attigerat,cum Petri opera ea caſtella Virginio Vrſino aureis numis quadraginta millibus vendidit re cum Ferdinando præcipuè deliberata;qui ei bonam eius ſummę partem clàm mutuò dederat;in ſuum commodum ceſſurum ratus,quo magis Virginij ſuam militiam ſequentis,ac propinqui opes circa Romam diffunderentur. Nam rex ſecum reputans,pontificum potentiam inſtrumentũ eſſe per-

se peropportunum ad regnum neapolitanum, quod est in veteri pontificum Romanorum iure; quodque per longissima spacia ditioni eorumdem finitimũ est, perturbandum nec non memor controuersiarum quas tum pater ipsius, tum ipsemet sæpenumero cum pontificibus habuissent: semperque expromptam esse nouarum contentionum materiem, finium iura, census, beneficiorum collationem, procerum perfugia, multaque alia quæ inter vicinos non rarò, neque minus sæpe inter eum qui alterius beneficio aliquid possidet, & ipsum dominum oriri solent: semper suæ securitatis firmamentum esse duxit, si vel omnes vel potentiores saltem Romanæ ditionis proceres sibi addictos retineret: quod quidem hoc tempore faciebat libentius, quoniam Ludouici Sfortiæ, cardinalis Ascanij fratris ipsius gratia, autoritatem apud pontificem magnam fore existimabat. Neque minus fortè regem mouebat (vt plerique putarunt) metus, ne in Alexandro hæreditaria essent cupiditas atque odium Callisti III pentificis patrui sui; qui effrænato Petrum Borgiam nepotem suum ad principatum euehendi desiderio, illico, nisi mors eius consilijs interueniisset, Alfonso patre Ferdinandi mortuo, arma mouisset, vt eum regno neapolitano, quod in pontificatus iura reciderat, spoliaret; parum memor (vsque adeò breuis est sæpenumero in hominibus acceptorum beneficiorum memoria) Alfonsi opera, in cuius erat natus regnis, & cui diu inseruierat, se cum cæteros obtinuisset suę dignitatis gradus, tum verò ad pontificatum adipiscendum, haud leuia adiumenta cõsecutum. Sed illud profectò verissimum est, Non semper homines sapientes videre perfectè aut iudicare: signa enim non rarò imbecillitatis humanæ mẽtis existant necesse est. Rex etsi magnæ prudentiæ princeps haberetur, non intellexit quanta ea res esset reprehensione digna, quę vllo tempore nulla præterquam leuissimæ vtilitatis spe proposita, ex altera parte grauissima afferre detrimenta poterat: quippe illa castellorum abalienatio ad res nouas eorum animos incitauit, cuia intererat communi concordiæ conseruandę operam dare. Pontifex enim cum existimaret ex illa se incolsulto venditione, ea castella iure & legibus ad pontificiam sedem esse deuoluta; cumque eo facto pontificis maiestatem non mediocriter imminutam censeret; ad hæc quid Ferdinandus in eo spectaret, reputans, cõtra eum, contraque Petrum Medicem & Virginium, Italiam vniuersam querelis impleuit; affirmans se quantum ei vires suppeditarent, nullam prætermissurum operam, vt & suam dignitatem, & illius sedis iura retineret. Sed neque minus commouebatur Ludouicus Sfortia: qui cum sibi inaniter persuasisset, suis & Ascanij consilijs pontificem omnia administraturum, id omne sibi detrahi dicebat, quod de Alexandri potentia diminuebatur. In primis verò illud angorem cõceptum augebat, dubitari iam non posse, quin Aragonij & Petrus Medices, quando in eiusmodi rebus ijsdem consilijs progrederentur, arctissimo inter se societatis vinculo coniuncti essent; quorum consilia tanquam suis rationibus periculosa vt infrigeret, vtque eo magis hac occasione pontificis ad se animum flecteret, eum ad suæ ipsius dignitatis conseruationem, quanta maxima potuit animi cõtentione incitauit: sibi ob oculos poneret, non id modò quod in prę sentia ageretur, verumetiam quàm graue esset in ipsis pontificatus auspicijs, ab ipsismet clientibus suis, tanti gradus maiestatem fuisse cõtemptam: ne crederet aut cupiditatem Virginij, aut castellorum momenta, aut aliquid eiusmodi Ferdinandum permouisse; sed quod vellet iniurijs, quæ initio paruæ viderentur, ipsius patientiam atque animum tentare; mox, si ad hæc nihil sese commoueret, indies maiora tentaturus: eius ambitionem nihil esse à cæterorum regum neapolitanorum diuersam, qui Romanę sedis hostes perpetui fuissent: idcirco ab ijsdem regibus põtifices armis fuisse sępissimè vexatos; vrbem Romam occupatam: hunc ipsum regem bis contra duos pontifices exercitus quibus filium præfecisset, ad Vrbis vsque muros misisse: semper ferè cum superioribus pontificibus apertas inimicitias exercuisse: irritari eundem etiamnum contra ipsum, non modò superiorum regum exemplo, suaque innata dominandi libidine, sed multò magis vindictæ cupiditate, ex memoria offensionum quas à Callisto patruo suo accepisset: hæc secum diligenter expenderet ac reputaret: qui si primas iniurias, fuco tantùm atque inanibus titulis honoratus, patienter toleraret, futurum vt reipsa ab omnibus contemneretur, viamque ad consilia magis periculosa patefaceret: sin maturè opponeret sese, pristinam maiestatem amplitudinemque ab vniuersis pontifici Romano debitam, facilè con-

ſeruaret. Verbis adiecit pollicitationes efficaciſſimas, ſed facta longè efficaciora: nam ei libras auri quadringentas, hoc eſt, ducatorum vt nunc loquuntur, quadraginta millia promptiſſimè mutuo dedit; atque vnà cum eo communibus impenſis trecentos grauis armaturæ equites conduxit; ſed ea lege, vt vbi iuberet pontifex, ibi conſiſterent: quo tamen nauarum moleſtiarum neceſſitatem vitaret, Ferdinandum hortabatur, Virginio ſuaderet, pontificem honeſta quapiam ratione mitigaret, innuens ni faceret, ex hoc leui principio, ingentes exoriri motus poſſe. Longè verò etiam liberius & vehementius Petrum Medicem monuit, cogitaret quàm opportunum ad pacem Italiæ retinendam fuerit, Laurentium patrem ipſius ſe tanquam medium Ferdinandum inter & ſe amicumq; cõmunem geſſiſſe; domeſticum potius imitaretur exemplum, cùm præſertim à tanti no minis ac virtutis viro ſummendum eſſet potius, quàm nouis conſilijs aures præbendo, a lijs occaſionem ſiue neceſſitatem potius præbere ea conſilia capere, quæ ſingulis tandẽ eſſent pernicioſa futura; in memoriam reduceret, quanta ex diuturna Sfortiæ & Medicis familiæ amicitia, ſecuritas autoritasque vtrique acceſſiſſet: & contrà, quantis iniurijs tum patrem, tum maiores ſuos, tum Florentinorũ remp. Aragonij affeciſſent; ac deniq;, quoties Alfonſus primùm, deinde Ferdinandus eius filius, iam inſidijs, iam armis tentaſ ſent Ethruriæ imperium occupare: verumenimuero, his monitis plus detrimenti quàm emolumenti cauſſæ importabatur. Nam Ferdinãdus indignum ratus, ſi Ludouico Aſcanioque cederet, quorum ſtimulis põtificis indignationem excitari ſibi perſuadebat; & præterea ab Alfonſo filio concitatus, Virginio ſuaſit, ne caſtellorũ poſſeſſionem emptionis iure capere vltra differret; pollicitaturque ſe eum, à quocunque ei moleſtiam inferente, defenſurum: cæterùm, ſuas innatas artes ſecutus, Pontifici varios compoſitionis modos proponebat; Virginium nihilo ſecius monens, ne modum vllum admitteret, eis exceptis, quibus pontifici ſumma pecuniæ aliqua perſoluta, caſtella ipſa ſibi retineret. Hac re confirmatus Virginius, pòſt ſæpe conditiones nõnullas recuſauit, ex ijs quas Ferdinandus, ne pontificẽ tantopere irritaret, vt acciperet ſedulò monebat. His in rebus, cum Petrum Medicem pertinaciter regis autoritatem ſequi, omneq; ſtudium, vt is ab eo remoueretur, collocatum, irritum eſſe conſtaret, Ludouicus Sfortia ſecum ipſe reputans quantum referret ſuos ab ea ciuitate hoſtes pendere, cuius temperamentum ſecuritatis ſuæ præcipuum eſſe fundamentum ſolebat; atque ob id multa ſibi pericula imminere exiſtimans, ſtatuit ſuæ ſaluti nouis remedijs prouidere; præſertim cum ei minimè obſcurum ardens deſiderium Aragoniorũ eſſet, vt ipſe à nepotis gubernatione ſum moueretur: quod quidem deſiderium, quamuis Ferdinandus ſimulandi ac diſſimulandi in omni ſua actione artifex incredibilis eſſet; Alfonſus tamen, homo natura in primis apertus, nunquam intermiſerat de iniuria genero facta palam expoſtulare; ac maiore libertate quàm prudentia, contumelioſa minarumque plena verba iactare. Intelligebat prẽterea Ludouicus, Iſabellam Ioannis galeacij vxorem virilis animi fœminam, nullum finem facere patremque auumque ſtimulandi; vt ſi mariti indigniſſimè oppreſſi, ſuaque infamia eos non mouebat, ſaltem vitæ diſcrimen, cui vnà cum filijs erant expoſiti, permoueret. Verùm illud magis animum angebat ipſius, cum reputabat, nomen ſuum cunctis Mediolanenſis imperij populis eſſe ſummopere inuiſum, tam ob multas inuſitatas exactiones numarias, quàm quòd Ioannis galeacij legitimi principis calamitate nemo ferè non vehementer permoueretur. Et quanquam Aragonios affectati in Inſubria principatus nomine ſuſpectos reddere niteretur, quaſi veteri iure ex Philippimariæ Vicecomitis teſtamento, à quo Alfonſus Ferdinandi pater hæres fuerat inſtitutus, ad eos pertineret, quaſique hoc prætextu ab nepotis tutela remouere ſatagerent, tamen his artibus odium in ſe conceptum nihil mitigabat; nec efficere poterat, quin plerique omnes cogitarent, ad quæ ſcelera dominandi ſitis peſtifera mortales ſoleat impellere. Quamobrem, poſtea quamdiu rerum ſtatum, impendentiaque pericula animo volutaſſet, omnibus alijs curis poſtpoſitis, omnes ſuas cogitationes ad noua conquirenda præſidia, nouaque fœdera conuertit; ad quod cum magna opportunitatem oſtenderet tum pontificis cum Ferdinando ſimultas, tum quòd exiſtimaret Venetum ſenatum cupere fœdus diſſolui, cuius vi conſilijs ipſius obuiã itum iam multis annis erat, noui fœderis rationẽ, quæ eſſet è re comuni, vtrique propoſuit. Verúm in pontifice odium atque alij omnes

affectus

affectus ab effrenata filios suos extollendi cupiditate vincebantur; quos cum ardenter amaret, omnium pontificum primus, qui suæ infamiæ ex parte velandæ causa, nepotes eos solebant appellare, & filios appellabat, & cunctis mortalibus tanquã filios ostentabat: cui cum nulla sese offerret occasio, qua ipsius desiderio via sterneretur, Alfonsi natarum vnam ex ijs quas extra legitimum cõnubium susceperat, vni filiorum vxorẽ conciliare satagebat, cui dotis nomine aliquis in regno neapolitano principatus non ignobilis assignaretur. A qua spe donec prorsus cecidisset, aures potius quàm animũ pactioni ab Ludouico propositæ præbuit: cui desiderio si esset satisfactum, forsitan pax Italiæ non tam repentè fuisset perturbata: à qua re, etsi Ferdinandus haud abhorreret, Alfonsus tamen cui pontificis ambitio fastusque erat inuisus, vt assentiretur nunquam adduci potuit: idcirco dum connubium quidem se non improbare simulant, sed in dotali fundo impedimenta inijciunt, Alexandro minimè satisfaciunt. Itaque indignatus statim sibi Ludouici consilia esse sequenda, partim cupiditate, partim ira, partim etiam nonnullo timore; propterea quòd Ferdinandi stipendia merebat, non modo Virginius Vrsinus, qui summo Florentinorum regisque fauore, nec non autoritate, qua in Guelforum factione pollebat, valde tunc in tota Põtificia ditione erat potẽs, sed & Prosper Fabriciusque Columnię familię principes; itemq; Iulianus Rouereus sancti Petri in vincula Cardinalis, summę existimationis viri; qui sese quòd Pontificem vitæ suæ insidias struere suspicaretur, in Ostiensem arcem, quam tanquã eius vrbis episcopus obtinebat, receperat, ex inimicissimo factus erat amicissimus Ferdinãdi, in quem olim prius Xistum patruum, dein Innocentium pontifices cõcitarat. At nõ ita facilis senatus Venetus ad hoc fœdus, ac ipse putarat, fuit: propterea quòd, etsi pergrata ei erat aliorum discordia, eum tamen pontificis iam omnibus indies magis suspecta perfidia, nec non fœderum, quæ ipsi cum Xisto atq; Innocentio qui hunc antecesserant, memoria retardabat: ab hac enim molestias satis multas citra vllum commodum acceperant: Xistus verò in ipso belli Ferrarien sis ad quod eos concitauerat, feruore, mutata sententia, non modò sacris eos armis, verumetiam istis profanis ac ferreis, ad hoc ipsum etiam reliqua Italia concitata, est persecutus. Sed enim omnibus impedimentis, Ludouici industria ac diligentia tum apud senatum, tum singulis senatoribus prẽsandis superatis, nouum deniq; fœdus mense Aprili, anno MCCCCXCIII inter pontificẽ, Venetum senatũ, & Ioannem galeacium Mediolanensium ducẽ (eius enim nomine omnia illus imperij negotia expediebantur) ad communem defensionem, ac nominatim ad Ludouici dignitatis cõseruationem, ictum est: ea tamen conditione, vt Veneti & Mediolanenses, ad pontificiæ ditionis, ipsiusq; pontificis securitatẽ, omni remota cuctatione ducentos singuli grauis armaturæ equites Romam mitterent; hisq; ac maioribus, si quidem opus esset, viribus, eum ad castella ab Virginio occupata, recuperãda iuuarent. Suspensos hæc noua consilia totius Italię animos haud mediocriter habuerunt: videbant enim ducẽ Mediolanensem ab illo fœdere quo per annos amplius duodecim Italię securitas constiterat, se remouisse: in eo enim, ne a quoquã fœderatorũ, sine aliorũ consensu noua aliqua pactio fieret, expressis verbis interdicebatur. Quamobrẽ, cum ea societas in qua cõmunis æqualitas continebatur, inæquali diuisione rupta, principumq; animi suspicione atq; ira pleni cernerentur, quid sperandũ erat, nisi ad communẽ pernicię fructus his seminibus germanos, nascituros? Itaq; dux Calabrię, Petrusq; Medices tutius reb. suis fore anteuertere quàm anteuerti existimantes, magna animi propẽsione Prosperum Fabriciumq; Columnios audiuerunt; qui ad illud ipsum ab Iuliano Cardinale clam impulsi, Romã se equitũ turmis quas haberẽt ipsi, nec non Gibellinæ factionis auxilijs, capturos pollicebantur; ea lege, vt Vrsinorũ copiæ subsequerentur; & dux ipse eò vsq; procederet, vnde triduo postquam Romam essent ingressi, eis subsidio venire posset. Sed Ferdinãdus cum mittigare potius quàm irritare animũ pontificis, & corrigere quod ad eam diem imprudenter cõmiserat, cuperet, reiectis prorsus eiusmodi cõsilijs, quæ non securitatem, sed grauiores molestias ac pericula paritura iudicabat, sibi omnibus neruis, nõ iam simultatẽ, sed sincerè enitẽdum statuit, vt castellorum controuersiam componeret; illud ratus, sublata tanti diffidij caussa, exiguo labore, imo per se propemodum Italia in pristinum statum esset reuersura. Verùm, nõ semper caussis sublatis, ea quę ab illis sunt orta primùm remouẽtur. Nam, quod 1493

sæpe accidit, vt consilia timore susceptа, periculo inferiora ei qui timet, videantur: haud existimabat Ludouicus se satis idoneũ suæ securitati remediũ inuenisse, sed veritus propter fines põtificis, & Veneti senatus à suis diuersos, vt fœdus cũ ipsis initũ, diuturnũ foret; ideoq; res suas varijs casibus posse in nõ paucas difficultates deuenire, omnẽ suam cogitationẽ ad eum, qui ob oculos obuersabatur morbũ radicitùs extirpandũ, his neglectis quę pòst exoriri possent, conuertit: quàm sit pernicioſum, quàm aut morbi natura, aut ęgroti vires ferre possint, fortioré medicinã adhibere, quasiq; illud esset vni cũ prę sentibus periculis remediũ, maiora subire pericula, vt securitatẽ suam externis cõ muniret armis; quãdoquidẽ nec in viribus proprijs, nec in Italorũ amicitijs satis haberet spei, omnia experiri statuit, vt Carolũ VIII Galliæ regẽ ad Neapolitanũ regnũ, quod veteri Aniouinorũ iure sibi vendicabat, inuadendũ cõmoueret. Regnũ neapolitanũ, quod in priuilegijs & Rom. pontificũ diplomatibus, in quorũ clientela vetustissimo est iure, Siciliæ cis fretũ regnũ absurdè nominatur, à Manfredo Federici secundi Imperatoris ex cõcubina nato, nullo ferè iure fuit occupatũ, in clientelam vnà cum Sicilia insula geminæ Siciliæ nomine, quarũ altera cis, vltra fretũ altera diceretur, anno Sal. MCCLXIIII. ab Vrbano IIII pontifice Romano, traditũ fuit Carolo prouinciæ Narbonensis, & Aniouinorũ comiti, eius Ludouici Galliæ regis fratri, qui clarus quidem potentia, sed vitæ sanctimonia clarior, in diuorũ numerũ post mortẽ relatus est. Hic cum armorũ vi reipsa obtinuisset id quod ei verbo erat pontificia autoritate attributũ, regnũ Neapolitanũ Carolo filio, quem Itali, vt à patre seiungant, Carolũ II appellant, tradit: à quo ad eius nepotẽ Robertũ peruenit. Verùm cũ mortuo sine prole mascula Roberto, Ioãna Caroli Calabriæ ducis, qui iuuenis ante patrẽ ex hac vita migrarat, filia succeſſisset, cito nõ minus obscœnitate morũ, quàm sexus imbecillitate nouę reginę autoritas cõtemni cœpit. Qua ex re, cùm varia essent tum diſſidia tum bella, progressu tẽporis, inter Caroli primi ex diuersis Caroli secũdi filijs exorta, Ioanna alia ratione se tueri posse desperans, Ludouicũ Aniouinũ Caroli V Galliæ regis fratrẽ, eum cui quòd fortunę periculũ non sæpe feciſſet ob multas eius victorias, nomẽ sapientis Galli dederũt, adoptauit. Hic validissimo exercitu in Italiam ducto, Ioanna iam prius interfecta, regnoq; in Carolũ cui à Dyrrhachio cognomen fuit ex Caroli primi similiter posteris, translato, febri in Apulia iam ferè victorię compos decessit; ita vt ad Aniouinos ex hac adoptione venerit aliud nihil, quàm prouinciæ Narbonensis dominatus, cuius possessionẽ à Carolo primo posteri semper tenuissent. Ab ea tamen originẽ habuit prętextus, quo pòst & Ludouicus Aniouinus primi Ludouici filius, & alio tempore eiusdem nominis nepos à pontificibus, si quando ab ijsdem regibus diſſiderent impulsi, regnũ neapolitanum sæpe, etsi parum feliciter, inuaserũt. Carolo autẽ Dyrrhachino, eius filius Ladislaus succeſſerat; qui cum anno seruatoris MCCCCXIIII sine liberis decessisset, regnũ ad eius sororem alteram Ioannam, nomen non modò regno, verumetiã ipsi alteriq; Ioannæ infaustum, quæ inter se nec imprudentia, nec morũ obscœnitate differebant, peruenit. Etenim cum Ioãna regni gubernacula ijs traderet, quibus etiam corpus suũ impudicè committebat, subitò in tot se molestias coniecit, vt ab Ludouico tertio Martini quinti Pontificis auxilio vexata, Alfonsum Aragoniæ & Siciliæ regem adoptare tandem cogeretur: sed cum paulò post inter eos simultas orta esset, eum adoptione reſciſſa, tanquã ingratũ abdicauit, eundemq; Ludouicum adoptauit; eiusque præsidium cuius armis ad priorem adoptionem fuerat compulsa, aduersus Alfonsum implorauit: quo armis toto regno exacto, id pacatè viuens conseruauit, & sine liberis moriens, hæredem, vt fama est, Renatum Aniouinorum ducem & prouinciæ Narbonensis comitem, Ludouici quem ipse adoptarat, quique eodem fortè anno erat mortuus, fratrem testamento reliquit. Sed cum plerisq; regni principibus Renati succeſſio minus probaretur, essetq; fama testamentum illud à Neapolitanis factum & subiectum esse, factũ est, vt à quibusdam regni proceribus, & populis, Alfonsus denuò accerseretur. Hinc bella inter Alfonsum & Renatum, quibus per multos annos nobiliſſimum regnũ afflictum est, quę bella magis regni ipsius, quàm proprijs sunt gesta viribus, originẽ duxerunt. Hinc diſſidentibus inter se animis factiones, ne hoc quidem tempore prorsus extinctę, Aragoniorum Aniouinorumq; mutatis etiã successu tẽporis tum nominibus tum coloribus, quibus iura sua prętexũt, extiterũt: propterea quòd pontifices suas

magis

magis cupiditates temporúmue neceſſitatem, quàm æquitatem ſecuti, diuerſa inter ſe eius regni diplomata conceſſerant. Cum autem ex his cum Renato bellis victor Alfonſus, vtpote maiore & potentia & virtute princeps extiſſet, ac ſine legitimis liberis è vita diſceſſiſſet, nulla facta Ioānis fratris, atq; in regni Sicilię Aragoniæq; ſucceſſoris mētione, teſtamento regnū neapolitanum tanquam ab ſe partum, atq; idcirco ad Aragonium regnum nihil pertinens, Ferdinando ex non iuſta vxore ſuſcepto, legauit: quem, etſi ſatim ferè patre mortuo, regni procerum ope fretus, Ioānes Renati filius armis eſt aggreſſus, tamen felicitate & virtute ſua non modò ſe defendit, ſed eum etiam ita afflixit, vt nunquam viuo Renato, qui diu filio ſuperſtes fuit, ei fuerit cum Aniouinis quicquam aut contendendum, aut metuendum. Mortuus eſt denique Renatus, nulla virili ſexus prole relicta, hæredemq; omnium fortunarum ſuarum & iurium Carolum fratris filium inſtituit: qui & ipſe paulo pòſt abſq; liberis moriens, ſua bona Ludouico XI Galliæ regi omnia teſtamento legauit: ad quem tanquam ſupremum dominum non modò Aniouinus principatus, à quo, quòd regni membrum ſit, fœminę excluduntur, deuolutus erat: ſed etiam (quamuis Lotharingię dux Renati filiæ proles, ſucceſſionem ad ſe pertinere affirmaret) in prouinciæ Narbonenſis poſſeſſionem venit: eiuſdem quoq; teſtamenti vi, iura Aniouinorum in regnum neapolitanum, vniuerſa ad ſe translata eſſe affirmare poterat: quo mortuo, cum ad Carolum VIII eius filium deueniſſent, potentiſſimum aduerſariū Neapolitanus rex Ferdinandus habere cœpit; magnaq; opportunitas quibuſcunq; eum lędere cupientibus, oblata eſt. Nam regnum Gallię ea tempeſtate, viris, armorum gloria, potētia, opibus, autoritate, regnis omnibus forſitan, qui à Carolo Magno extitiſſent, antebat: propterea quòd nuper ad ſingulas illas treis parteis, in quas vniuerſa Gallia apud veteres fuit diſtributa, magna erat acceſſio facta. Quadraginta enim ante hanc tēpeſtatē annis, Carolo qui ob multas non ſine grauiſſimis periculis victorias, Felicis cognomentum obtinuit, regnante, ad illud imperium Normandia, Ghiennaque, quas prouincias antea Angli obtinuerant; poſtremis autem Aloiſij vndecimi temporibus Prouinciæ comitatus, ducatusq; Burgundiæ, vnà cum tota ferè Picardia acceſſerunt: pòſt etiam Caroli VIII potentiæ ex recenti cōiugio Britaniæ in Armoricis ducatus acceſſit. Nec Carolo regni neapolitani, tanquā ad ſe iure ſpectantis armis acquirendi animus defuit iā inde à puero, naturali quodā inſtinctu ſuſceptus, pòſt etiam familiariū quorundam hortationibus ſuſtentatus, qui inanibus eum cogitationibus replentes, hanc eſſe occaſionē, qua maiorum ſuorum gloriam ſuperaret; quòd regno neapolitano ſubacto, Turcarum imperium facilè ſubigi poſſe videretur. Quę res, cum eſſet iam nota multis, Ludouicum Sfortiam in ſpem erexit, nullo negotio ſuum regi deſiderium perſuaderi poſſe, haud parum præterea Sfortiani nominis in aula regis notitia fretus: quoniam & ipſe ſemper, & prius Galeacius eius frater, multis cùm ſignis tū officijs à Frāciſco Sfortia patre in choatam amicitiam conſeruaſſent: qui cum ab Aloiſio XI, cuius ſemper animus ab rebus Italiæ alienus fuit, Sauonam vrbem beneficiariam, iuraq; quæ ſe in Genuam, cui pater eius imperauerat, habere exiſtimarat, accepiſſet, nunquam ei in ſuis periculis, nec conſilio nec auxilio defuerat; nihilominus tamen Ludouicus rem periculi plenam, ſiquidem ſolus tantum motum excitaret, arbitratus, vtque in Gallia maiore fide autoritateq; tractaret, pontifici primùm idem perſuadere non minus ambitionis aculeis, quàm iracundiæ morſu tentauit: demonſtrabat enim ei, nec Italię principū fauore, nec armis, aut Ferdinandum vlciſci, aut filijs ſuis principatum aliquem ſua perſona dignū poſſe parare, nullo modo ſperandum eſſe. Quem cum ad id animatum ſiue rerum nouarum cupiditate, ſiue vt ab Aragonijs metu id extorqueret, quod ei ſponte cōcedere recuſabant, communicatis conſilijs, clàm homines fidos ad regis animum eorumque qui ei intimi à cōſilijs erant, explorandum miſerunt. quos cum à ſuis conſilijs haud alienos reperiſſent, Ludouicus ad hoc ipſum tota mente defixus, in Galliam, alijs tamen ſparſis eius legationis cauſſis, Carolum Barbianū Belgioioſi comitem palàm proficiſci iubet; qui vbi per dies aliquot & cum Carolo rege priuatim, & ſeorſim cum præcipuis agens, eis expeditionem illàm eſſet perſuadere cōatus, in regium conſilium, vbi præter regē regioſq; miniſtros, proceres plerique tum ſacri tum profani, aulæq; nobiles erant, tandem admiſſus, verba vt fertur, in hunc modum fecit.

Si cui fortè, quacunq; de cauſſa, chriſtianiſſime Rex, ſuſpecta animi fideiq; integritas eſſet, qua Ludouicus Sfortia pecuniarũ etiam & militũ ſuorum auxilijs oblatis, te ad arma in regnum neapolitanum mouenda hortatur; is facilè ab ſeſe hanc malè fundatam ſuſpicionem remouebit, ſi memoria repetet antiquam omnium tẽporum Ludouici, Galeacij fratris, ac Franciſci patris ſui primùm, in Aloiſium XI patrem tuum, pòſt etiam ſemper in tuum glorioſiſſimum nomẽ, obſeruantiam; ac multò etiam magis, ſi cogitabit, ex hoc bello maxima in Ludouicum, cum tenui admodum emolumenti ſpe, detrimenta poſſe redundare; tibi autem omnia ſecus, cui ex victoria pulcherrimum regnum, cum immortali gloria, & res maiores gerendi opportunitate; ipſi verò aliud ferè nihil quàm contra inſidias atq; iniurias Aragoniorum iuſtiſſima vindicta obueniret. Quòd ſi fortè ſuſceptæ expeditionis fructu fruſtrari contingeret, haud propterea tua, potentiſſimè Rex, magnitudo minueretur: at Ludouicum quis neſcit inuiſum multis, omnibus contemptum, ſuis periculis ob hoc ipſum fœdus nullum perfugium inuẽturum? Quî poteſt igitur eius eſſe ſuſpectum conſilium, qui in quauis fortuna rebus tanta inæqualitate comparatis, & conditione tanto inferiore ſit vſurus? Quanquam rationes quæ te ad tam glorioſam expeditionem inuitant, adeò perſpicuæ ſunt, per ſeq; efficaces, vt nullam admittant dubitationem: etenim ea in ſe continent, atque ampliſſimè complectuntur omnia, quæ in bellis ſuſcipiendis præcipuè conſideranda ſunt, & quaſi deliberationis fundamenta ponenda; rei nimirum quæ ſuſcipitur æquitas, vincendi facilitas, & victoriæ fructus ampliſſimus. Principio nemo eſt qui neſciat, quàm efficacia ſint Aniouinorum, quorum tu legitimus hæres in regnum neapolitanum iura, quamq; iuſta ſucceſſione à Carolo oriundi, ad id regnum aſpirent; qui primus è regia Gallorum ſtirpe ſatus, & pontificum Rom. autoritate, & ſuorum inuicta armorum virtute, illud regnum adeptus eſt. Verùm haud minor acquirendi facilitas, quàm iuris æquitas eſt. Quis enim neſcit, quanto rex Neapolitanus, maximo atque potentiſſimo chriſtianorum regum omnium rege, viribus atque autoritate inferior ſit? quàm magnum, quàm formidabile cunctis mortalibus Gallicum nomẽ; quantoq; terrori tua rex arma exteris nationibus ſint. Nunquam armis regnum Neapolitanũ parum potentes Aniouini duces inuaſerunt, quin id in extremum diſcrimen adduxerint. Recens eſt Ioannis Renati filij memoria, cuius contra hunc ipſum Ferdinandum erat in manu victoria, niſi Pij pontificis, ac multo magis Franciſci Sfortiæ opera, qui id egit (vt omnes norunt) quo Aloiſio XI patri tuo obſequeretur, è manibus eſſet erepta. Quid igitur nunc tanti regis arma atque autoritas facient? aucta præſertim opportunitate, impedimentis q; quibus Renatus ac Ioannes diſtinebantur, ſublatis; cum tecum earũ principes prouinciarum, à quibus illorum fuit impedita victoria, conſentientes habeas; quiq; ſumma facilitate regno neapolitano poſſint obeſſe? Pontifex, propter ſuæ ditionis propinquitatem terreſtribus copijs; dux Mediolani maritimis propter Genuenſis claſſis opportunitatem, ei regno infeſti eſſe poterunt. Nec erit in Italia qui ſe opponat: Veneti enim ſe nec impenſis ac periculis volent obijcere, nec amicitia quam tamdiu cum Gallię regibus tenuerunt, priuari, quo Ferdinandum nomini veneto acerrimum hoſtem conſeruent. Florentinos verò credibile nõ eſt, ab ea obſeruantia qũa ſemper reges Gallię quaſi quodam naturæ inſtinctu coluerunt, receſſuros: qui ſi maximè velint, quid quæſo aduerſus tantam potentiam conari poterunt? Quoties, vel tota renitente Italia, alpes gens iſta bellicoſiſſima ſuperauit, & cum incredibili gloria ac felicitate tot victorias triũphoſque reportauit? quando autem huius regni felicitas, gloria, potentia extitit maior? quando ei facilior pacis cum finitimis conſtituendæ occaſio fuit? quæ ſi antehac ſic obuia fuiſſent, pronior forſitan ad hoc ipſum ſuſcipiendum bellum pater tuus extitiſſet. Sed nec minus aduerſarijs difficultates ſunt auctæ, quàm tibi ſint imminutæ, atque opportunitates adiunctæ. Sunt enim in eo regno Aniouinorum partes etiamnum potentia non contemnendæ; magnæ ſunt tot principum virorum ac nobilium vires, qui in exilium paucis ab hinc annis ire ſunt compulſi; adeò etiam acerbæ Ferdinandi in eius regni proceres & populos, in eos etiam qui Aragoniæ factionis eſſent, omnium temporum iniuriæ: tanta eſt perfidia, tam inſatiabilis auaritia, tam horrenda atq; expreſſa crudelitatis exempla nõ modò ipſius, verumetiam Alfonſi filij natu maximi, vt toti ſint regno notiſſima. Hi omnes incredibili odio in eos concitati, & recenti Galliæ regum liberalitatis, integritatis, humani-

humanitatis,iuſtitię memoria inuitati,ad tui aduentus famam,infinita alacritate ad arma concurrent; ita vt ſola expeditionis fama ad victoriam ſatis eſſe videatur. Nam ſimulac tuæ,rex,copiæ montes tranſierint;& claſſis in Genuæ portum conuenerit, Ferdinandus eiuſq; filij ſcelerum conſcientia perterrefacti, magis de fuga quàm defenſione cogitabunt.ita ſumma cum felicitate regnum tuo generi comparaueris;quod etſi magnitudine cum hoc tuo Galliæ regno comparari non poteſt,regnum tamen eſt amplitudine & opibus non contemnendum, ſed longè pluris æſtimandum ex fructu & commodis infinitis ad hoc regnum peruenturis:quę omnia,niſi perſpicuum eſſet,Gallicæ virtuti fines maiores eſſe propoſitos,recenſerem:præſtantiores enim altioresq; cogitationes ſunt tam magnanimi tamq; glorioſi regis,non propriam vtilitatem ſpectantis, ſed totius reipu.chriſtianæ communem dignitatem.Ad hoc autem,quæ opportunitas maior?quæ occaſio amplior?qui locus commodior,atque ad bellum contra noſtrę religionis hoſtes gerendum aptior inueniri poſſet? Mare quod inter neapolitanum regnũ Græciamq; intereſt, haud amplius alicubi,quàm paſſus ſeptuaginta milia patet: ex qua prouincia Turcica tyrannide oppreſſa & lacerata, quæ nihil ardentius quàm chriſtianorum ſigna conſpicere cupit, quàm expeditus eſt in eius gentis viſcera tranſitus ? quàm facilè ſedem & caput eius imperij Conſtantinopolim petere ? Ad quem autem magis pertinet quàm ad te, rex potentiſſimè,animum & cogitationem ad hanc ſacram expeditionem conuertere?qui& potentia à Deo tibi conceſſa admirabili polles, & Chriſtianiſſimi cognomento appellaris,& clariſſimis maiorum tuorũ exemplis excitaris? Quoties armati ex hoc regno,nunc ad eccleſiam Dei à tyrannis oppreſſam, liberandam ; nunc ad comunes fidei noſtræ hoſtes inuadendos,&ſepulcrum Chriſti ſacratiſſimum recuperandum,profecti maiores illi tui, Galliæ regum maieſtatem in cœlum vſque tulerunt ? His cõſilijs,his artibus,his factis,his propoſitis finibus,Magni cognomen,& Romanorum imperium adeptus eſt Carolus ille glorioſiſſimus;cuius vt obtines nomen,ſic tibi occaſio eius tum gloriæ,tum cognominis parandi proponitur. Sed quid ego tempus in eiuſcemodi rationibus explicandis inſumo? quaſi non ſit conuenientius,ac naturæ ordine præclarius parta conſeruare, quàm acquirere noua. Quis ignorat ad quantam ſpectaret infamiam,tanta præſertim occaſione oſtentata, tale ac tantum regnum à tuæ ſtirpis regibus continuata ſucceſſione annis ferè ducentis poſſeſſum,perſpicuoq; atque optimo iure tuum,ab Ferdinando vi occupari ac teneri vltra ſuſtinere ? Quis non videt dignitatis tuæ eſſe id regnum recuperare?pietatis eos populos qui inuictum nomen coluntuum,qui ſunt iure tui,ab Catelanorum acerbiſſima tyraninde,in libertatem vindicare? Eſt igitur hoc bellum æquiſſimum, facillimum,& neceſſarium;nec minus glorioſum & ſanctum cùm per ſe, tum verò quòd viam ad res gerendas Chriſtianiſſimo Galliæ rege digniſſimas patefacit; ad quas non homines modò,verumetiam Deus, ô magnanime rex,is eſt qui te tam magnis & manifeſtis opportunitatibus, initio ſtatim ſumma felicitate propoſita,vocat. Nam quæ felicitas maior principi cuipiam poteſt contingere,quàm ſi conſilia è quibus propria gloria& magnitudo proficiſcitur,illa comitentur & conſequantur, ex quibus eluceat ea non minus ad communem omnium vtilitatem & ſalutem , verùm multo etiam magis ad reip. chriſtianæ dignitatem eſſe ſuſcepta?

Haud læto animo hæc oratio à Galliæ principibus,atque ab ijs præſertim qui & generis nobilitate,&prudentiæ opinione,maiore pollebant autoritate,accepta fuit:exiſtimabant enim illud bellum innumeris difficultatibus & periculis implicatum fore ; cum per alienam regionem,tam procul ab Galliæ regno,& contra hoſtes potentia & viribus claros,eſſent exercitus ductandi.Maxima enim erat apud omnes Ferdinandi prudentiæ fama,nec minor virtutis Alphonſi,atque in re militari ſcientiæ:erat præterea opinio,Ferdinandum,quòd triginta regnaſſet annis,quodq; tot regni principes & nobiles diuerſis tẽporibus ſpoliaſſet,ac funditùs euertiſſet,magnam pecuniæ vim coaceruaſſe.Aduertebãt inſuper regem per ſe tanto ponderi ſuſtinẽdo imparem eſſe:in bellis autem& regnis adminiſtrandis debile conſilium,&peritiam non magnam eorum qui apud eum plurimum poſſent.His accedere pecuniæ inopiam,cuius ingens numerus requiri putabatur:adhæc Italorum aſtus & artes eſſe in memoriam reuocandas:denique illud pro explorato tenẽdum,non ſolùm ceteros, ſed ne Ludouicum quidem Sfortiam , hominem alioqui fidei

fluxæ in Italia habitum, regnum Neapolitanum in regis Galliæ potestatẽ esse, æquo animo laturum: vnde & vincere difficile, difficilius verò parta conseruare. Itaque Aloisium Caroli patrem, qui semper magis res ipsas, quàm rerum vmbras secutus esset, nunquam rerum italicarum propositas spes amplecti voluisse, nec regni Neapolitani iura magnifecisse; sed affirmasse semper, exercitus trãs alpes mittere, aliud esse nihil, quàm molestias & pericula infinito regni Galliæ auro & sanguine cõparare: esse ante omnia necessariũ, siquidem hoc bellum suscipiendum sit, cum finitimis regibus controuersias cõponere: cum Ferdinando Hispaniæ rege dissidiorum causas suspicionesque non deesse: cum Maximiliano Romanorum rege, eiusque filio Philippo archiduce, vt hodie vocant, Austriæ, non solùm æmulationes, verumetiam iniurias intercedere: quorum animi reconciliari, nisi rebus concessis Galliæ regno detrimentosis, nullo modo possent: qui nihilominus specie magis quàm re & veritate in gratiam essent redituri. Nam, quæ pactio satis securos posset reddere, eos, si quid aduersi regijs copijs in Italia accideret, in Galliæ regnum non inuasuros? In Henrico autẽ septimo, Angliæ rege, natiuum in Gallicum nomen eiusq; gentis odium, maiores, quàm recentem cum eo cõstitutam pacẽ, vires habiturum, non esse vllo modo dubitandum: Manifestum esse, ad eam pacem nulla res magis fuisse pertractum, quàm quòd regis Romanorum apparatus non responderet promissis, quibus vt castra ad Bononiam Belgarum vrbem poneret, inductus fuerat. Hęc atque huiuscemodi alia à principibus partim inter se, partim cũ rege ipso, quo eum à bello deterrerent, differebantur, in quibus longè vehementius in id incumbebat Iacobus Grauilla maritimarum rerũ præfectus, quem Armiralium vocant, cuius autoritatem celebris apud omnes sapientię fama, etsi nõnihil esset eius dignitatis magnitudo imminuta, conseruabat. Carolus tamen aures contraria suadentibus auidiores accommodabat: qui cum duos & viginti esset natus annos, & rerum gerendarum parum sciens, imperandi, & glorię cupiditate inflammatus, leuitate potius atque impetu quodam, quàm consilij grauitate ferebatur: cumq; siue proprio quodam sensu, siue exemplo & monitis paternis impulsus, principibus ac nobilibus regni parum crederet, postquam sororis Annæ Borbonię tutela exijsset: nec iam Armiralij aliorumq; qui in regni administratione præcipui fuerant, consilia vellet audire, nouorum quorundam homnium, qui ei à puero ministrauerant, sequebatur nutum: ex quibus qui maiore apud eum pollebant gratia, pars largitione & promissis (vt sæpe venalia sunt principum consilia) Ludouici oratoris corrupti, à quo nulla diligentia, nulla ars fuerat prætermissa, vt sibi eos conciliaret, quos in ea deliberatione alicuius momenti esse arbitraretur; pars spe ducti, alicuius in regno Neapolitano principatus assequendi; alij dignitatis cuiuspiam, siue opimi sacerdotij à pontifice obtinendi, regem ad id bellum hortabantur. Caput & dux horum omnium erat Stephanus Versius á Linguadoca, vt nunc loquuntur, obscuro loco natus, sed apud regem, cui à cubiculo minister fuit, multos annos educatus, atq; ab eodem Belcarij præfectura auctus; quod munus qui gerunt, Sinischali siue Balliui, eius gentis more appellantur. Cũ hoc faciebat Gulielmus Brissonetus, qui è mercatore, summus Galliæ quæstor, mox etiã Maclouiensis episcopus factus, non modò regio fisco, quem Finantiarum illi vocãt, præerat, verumetiam cum Stephano coniunctus, ad omnia grauiora negotia (quanquam rei pub. gerendæ parum admodũ peritus) aditum habebat. Accedebant his Antonelli, Bernardiq; Sanseuerinatum stimuli; quorum hic Bisiniani, ille Salerni erat princeps, aliorũ item è regno Neapolitano procerum, qui complures in Gallia iam exulantes annos, Carolum ad hanc expeditionem continenter incitauerant, regni totius Neapolitani calamitatem, siue desperationem potius, amicos pręterea & clientes suos quorum sibi opem & studia pollicebantur, memorantes. In tanta sententiarum varietate suspensa per multos dies deliberatio fuit, non alijs solùm quid statuendũ esset ambigentibus, verumetiam regis animo huc atq; illuc fluctuante, qui nunc glorię atque imperij stimulis agitatus, nunc timore quasi fræno retractus, iam hoc, iam illud probabat; interdumq; in contrarium eius ferebatur quod prius statuisset: postremò tamen, prima eius propensione, Italięq; infelicissimo vincente fato, pacatis cõsilijs prorsus repudiatis, pactio cum Ludouici oratore, omnibus præter Versium atque Belcariũ, remotis arbitris, facta est: cuius capita mensis aliquot occulta fuere; horũ tamẽ summa fuit: vt si Rex ipse in Italiã veniret, aut exercitum

citum Neapolim mitteret, Mediolanensis dux per suam ditionem iter expeditum concederet: cum regijs copijs quingentos grauis armaturæ equites suis stipendijs mitteret: regi permitteret vt Genuæ classem quantam vellet, instrueret: ducatorũ ducenta milia, priusquam è Gallia discederet ei mutuo daret. Ex altera parte, rex Mediolanense imperium aduersus omnes tueretur: & priuatim Ludouici autoritatem in eo principatu conseruaret: ducentos item cataphractos Astæ Aurelianensis ducis vrbis, toto belli tempore haberet: qui præsto ad omnem eius principatus opportunitatem essent: ac tunc seu non multo pòst, literis sua ipsius manu subscriptis, rex promisit, vbi primùm regno esset Neapolitano potitus, se Tarenti principatum Ludouico concessurum. Est operæ præciũ non leue, si quis temporum varietatem, atq; humanarũ vicissitudinem rerum attendat. Franciscus Sfortia Ludouici pater, raræ prudentiæ & virtutis princeps, quamuis ob grauissimas ab Alfonso Ferdinandi patre acceptas iniurias, Aragonijs esset infensus, veteri autem amicitia cum Aniouinis coniunctus, nihilominus tamen, cum Ioannes Renati filius anno MCCCCLVIII in regnum Neapolitanum inuasit, tanta alacritate Ferdinando affuit, vt ab eo præcipuè victoria agnosceretur: id autem fecit, quòd minimè tutum sibi Mediolanensium duci arbitraretur, si Galli usq; adeo vicini, tam opulento in Italia regno potirentur: quę res Philippummariam Vicecomitem induxerat primùm, vt relictis Aniouinis, quibus antea semper studuisset, Alfonsum hostem suum à Genuensibus in pugna nauali ad Gaietam captum, & cum suorum nobilitate vniuersa Mediolanũ adductum, liberũ abire permitteret. præterea, Caroli pater Aloisius, à multis sæpe, nec leuibus de caussis, ad res Neapolitanas impulsus: à Genuensibus insuper ad suæ patriæ, à patre suo Carolo possessę dominatũ flagitatus, semper Italicarũ rerũ curam recusauerat, ratus rem esse sumptus infiniti, molestiarum plenam, ac deniq; regno Galliæ pernicioſam. Nunc autem hominum sententijs, nec tamen forsitan rerũ naturis commutatis, Gallos cis alpes Ludouicus euocabat, nec periculum à potentissimo Galliæ rege si Neapolitano esset potitus imperio formidabat: quod pater ipsius vir bellicosissimus timuerat, si id tenuis Prouincię Comes obtinuisset. Carolus item belli in Italia gerendi cupiditate flagrabat: hominum infimorum atque imperitorum temeritatẽ, patris sui longo rerum vsu periti ac prudentis consilijs anteponens. Certum est Ludouicum ab socero Hercule Estensi Ferrariæ duce ad tantam rem pariter fuisse incitatum: qui Polesini Rodigiani Ferrariæ vicini, atq; ad eius vrbis securitatem admodum opportuni, quod Veneti bello decem & octo annos ante cum eo gesto occupauerant, recipiendi desiderio incensus, videbat sibi uiam unam ad eius recuperationem patere, si Italia motibus maximis vniuersa concuteretur. Illud quoq; creditũ à plerisq; fuit, Herculem, etsi erga generũ beneuolentiã non paruã prę se ferret, eundem tamen clam vehementer odisse. Nam cum eo bello reliqua Italia, quæ pro Hercule arma sumpserat, Venetis multo esset superior, Ludouicus qui iam rem Mediolanensem administrabat, suis cõmodis permotus, reliquos ad pacẽ cõpulit, ea tamen lege, vt Polesinus, siue rectius Polinesus, in potestate Venetorũ permaneret: eam ob rem Herculem, cum tantã iniuriã armis persequi nõ posset, pernicioso consilio vindictam comparasse. Cum autem eius rei quæ trans alpes agitabatur, resonare (etsi primùm in certis antoribus) in Italia cœpisset, cogitationes variæ, variaq; consilia in hominum mentibus sunt excitata: plerisq; enim Gallici regni opes, eius gentis ad nouos motus celeritatem, Italorumq; dissidia reputantibus, res maximi momenti videbatur: alij regis ætatem naturamq;, propriam item Gallorum negligentiam atq; impedimenta magnarum expeditionum secum expendentes, hunc iuuenilem potius impetum esse, quàm firmũ consilium existimabant: qui vbi paulùm efferbuisset, euanesceret. Sed nec Ferdinandus ipse, in quem ista machinabantur, magnum præse timorem ferebat: durissimam eam expeditionem fore affirmans: propterea quòd, si mari in se impetum facere cogitarent, idonea classe instructum, ad pugnam in alto conserendam essent inuenturi, portus munitos, insuaq; omnes potestate: nullũ in toto regno regulum esse, ad quem Galli receptum habere possent, vt Ioannes Aniouinus apud Russani principem, atq; alios regulos habuerat: terrestre uerò iter, incommodum, multis suspectum, & cum per totius Italiæ longitudinem tenedum sit, longum: ita vt quisque pro se caussam haberet metuendi: ac supra cæteros Ludouicus Sfortia, quamuis vt demonstraret aliorum pro-

prium esse periculum,quod esset commune omnium,contrarium simularet: etenim, ex propinquitate Mediolanensis ditionis cum Gallię regno,occasionem maiorem,& ex eo eius occupandi cupiditatem: cumq; dux ipse Mediolanensis sanguinis cum rege Galliæ esset coniunctissimus,quî posset Ludouicus securus esse,quin rex haberet in animo eum, ab eius tyrannide liberare: cum præsertim paucis annis ante asseuerasset, se non passurum Ioannemgaleacium consanguineum suum adeo indignè oppressum iri: non esse eo loco Aragoniorum res,vt eorum spes imbecillitatis,animos addere Gallis ad se inuadendum queat: se multis ac florentibus militibus instructum esse: ab equis bellicosis,à machinis & tormentis,omnibusq; alijs ad bellum necessarijs instrumentis optimè paratum: pecuniæ uerò tantam sibi esse copiam,ut illa citra vllum incommodum,augere quantumuis,posset: ac præter complures belli peritissimos duces centurionesúe, se suarum copiarum & armorum imperatorem habere Calabriæ ducem filium,magni nominis imperatorem,nec virtute inferiorem,omnibus Italiæ bellis iam per multos annos exercitatum: suis autem ac proprijs viribus exprompta suorum auxilia accedere: neq; enim verendum esse sibi regis Hispaniæ cognati,& vxoris suæ fratris,non tam quòd secum duplici cognationis vinculo esset coniunctus,quàm quòd Gallorum ob Siciliæ regnum ei esset suspecta,subsidia defutura.Hæc Ferdinandus in hunc modum palam disserens,suam potentiam amplificabat:& ex aduerso vires atq; opportunitates aduersariorum quantum poterat,extenuabat: verùm vt erat prudentia singulari,& maxima experientia,molestissimis curis intus torquebatur,cum in animo fixam molestiarum memoriam haberet,quas regni sui initio ab hac gente passus esset.Secum enim pressius reputabat,sibi cum bellicosissimis ac potentissimis hostibus bellum futurum: equitatu, peditatu,classibus,bellicis tormentis,pecunia,viris ad pericula pro regis sui gloria, & maiestate adeunda,ardentissimis,se longè superioribus: sibi autem contrà,omnia suspecta,odia in toto ferè regno in Aragoniorum nomen flagrantissima: in exules ac perduelles studia nõ mediocria, reliquos bonam partem,nouorum regum, vt semper,cupidos:in quibus plus fortuna quàm fides virium esset habitura: opinionem quàm virium neruos,esse maiorem: pecuniam repositam in ærario,ad belli sumptus necessarios non esse satis: cumq; bello defectionibus,tumultuq; omnia repleantur,momento tributa regia omnia deficere:sibi in Italia esse multos inimicos,amicitiam stabilem ac fidelem,nullam.Nam, quis aliquando aut armis ipsius,aut artibus non fuerat læsus? Nec ab Hispania tum superiorum temporum exemplo, tum eius regni consuetudine doctus alia suis periculis subsidia expectanda non putabat,quàm promissa largissima,& magni apparatus ostentationem: verùm facta paruissima atq; tardissima.Timorem augebant regi inauspicatæ vatum prædictiones,suæ domui dira minitantes,diuersis temporibus ad eius notitiam perlatæ,partim veteribus literarum monumentis exaratæ,recensq; repertæ: partim hominum ore prolatæ:qui sæpenumero præsentium incerti,certam futuri sibi arrogant scientiam: quæ quidem res in secundis rebus parum creditæ: vbi fortuna reflare incipit, ac tristiorem vultum ostendere, nimium faciles inueniunt approbatores. His igitur curis discruciatus,ac timore spem longissimè superante,nullam tantis malis aliam medelam inueniri posse vidit,quàm aut regis animum ab illis consilijs quamprimũ aliqua interposita compositione remouere: aut ea fundamenta subducere,quibus ad bellum suscipiendum incitabatur.Itaq;,cum haberet in Gallia oratores suos,vt de Carolotæ Federici filij secundo loco geniti filiæ cum Scotiæ rege nuptijs agerent: quæ res,quòd è Caroli sorore puella esset nata,atq; in Galliæ aula educata,à Carolo tractabatur,eis de imminentibus negotijs noua dedit mandata: ac præter eos, Camillum Pandonium,qui ibidem aliâs regis nomine legatione functus erat,constituit, ut eis qui præcipua apud regem autoritate pollerent,priuatim largiendo & maiora pollicendo,delinitis: dein regi,siquidem alia ratione mitigari nequiret,tributi conditione,alijsq; subiectionis officijs propò sitis,ab eo pacem impetrare contenderent.Adhæc,non solum omnem diligentiam, autoritatemq; suam interposuit,vt controuersia ex illa Virginij Vrsini oppidorum emptione nata,componeretur: (nam ex Virginij pertinacia mala omnia orta esse querebatur) verumetiam tractationem prius cœptam de affinitate cum filio pontificis contrahenda, renouauit: præcipuum tamen eius studium & sedulitas consumebatur in mitigando atque

que ad ſecuritatem adducendo Ludouici Sfortiæ animo totius mali autore, & ſuaſore: ratus eum timore magis quàm vlla alia ex cauſſa, ad tam periculoſa conſilia compelli: idcirco neptis commodis, & filij ex ea nati ſaluti, ſuam propriam præferens ſecuritatem: ei per diuerſos internuntios ſignificauit, ſe de Ioannis galeacij rebus, deq; Mediolanenſium imperio, omnia ipſius voluntati permittere: qua in re Alfonſi filij conſilium non eſt ſecutus: qui ex natiua Ludouici timiditate ſumpto animo: illud nequaquam recordatus, Non minus ad temeraria conſilia timidum ex deſperatione, quàm temerarium ſua temeritate conuerti: exiſtimabat, terrorem & minas remedia eſſe opportuna, quibus Ludouicus ab his nouis conſilijs reuocaretur. Compoſita tandē poſt varia impedimenta à Virginio potius quàm à pontifice profecta, oppidorum illa controuerſia fuit Federici interuentu, quem pater ad hoc ipſum Romam delegarat. Conuentum eſt, vt Virginius oppida retineret, ea tamen lege, vt pontifici tantidem quanti à Franciſcoto Cibo emerat, penderet: ſimulq; ſponſalia inter Sancem Alfonſi extra coniugium filiā, & Giuffredum, ſiue mauis Gothifredum pontificis natu minimum, cum vterq; per ætatem ad cōnubiales amplexus eſſet ineptus. Conditiones fuere, vt Giuffredus intra paucos menſes Neapolim migraret: Principatum Scillaceum dotis nomine, è quo ducatorū decem milia quotannis caperet: ſtipendia ſub Ferdinando, cum centū cataphractis mereret. Ex his rebus complurium opinio confirmata eſt: exiſtimantium, id quod in Gallia pontifex egereat, huc ſpectaret in primis, vt Aragonios ad has pactiones iniecto metu compelleret. Tentauit inſuper Ferdinandus cum pontifice fœdus ad communem vtriusque defenſionem ferire: ſed pontifice varias difficultates interponente, aliud obtinuit nihil, quàm diplomatis occultiſſimi confectionem, qua ſe ad regni Neapolitani tutelam obſtrinxit: ſiquidem Ferdinandus viciſſim repromitteret ſe idem in pontificiæ ditionis periculis eſſe facturum. His in hunc peractis modum, equitum turmæ à Venetis duceq; Mediolani ad pontificem miſſæ, à pontifice dimiſſæ ex pontificia ditione diſceſſerunt. Hæc minore ſpe felicis ſucceſſus cum Ludouico agere Ferdinandus cœpit, qui ſubtiliſſimo artificio, nunc regis Galliæ ad res Italicas propenſionē quaſi Italis omnibus periculoſam damnans: nunc Genuæ quam regis beneficio teneret, veteriſq; cum Galliæ regibus fœderis neceſſitatem eſcuſans, qua illius regis (ut ipſe dicebat) poſtulata audire impulſus fuerat: iam Ferdinando, interdum pontifici ſeparatim, Petroque Medici pollicendo, ſe pro ſua virili Caroli ardorem reſtinguere conaturum: eos in hac ſpe conſopitos retinere nitebatur, ne priuſquam res in Gallia bene compoſitæ, ac ſtabilitæ forent, aliquis in ipſum motus excitaretur: atq; hæc quidem ei facilius credebantur, propterea quòd conſilium de rege in Italiam adducendo, erat vel ipſimet Ludouico tantopere periculoſum, vt fieri haud poſſe videretur, quin tandem (periculo diligentius expenſo) ab incepto pedem eſſet relaturus. Tota ea æſtas in huiuſcemodi negotijs conſumpta eſt, Ludouico ſic negotium ſine vlla regis ſuſpicione moderāte, vt nec Ferdinandus, nec pontifex, nec Florentini de ipſius promiſſis omnino deſperarent, nec eis planè confiderent. Interea tamen in Gallia futuræ expeditionis fundamenta ſolicitè iaciebantur: in quam dehortantibus ferè cunctis regni principibus, maiore indies ardore rex ferebatur: qui, quo eſſet expeditior, controuerſias, quas cum Ferdinando & Iſabella Hiſpaniæ regibus habebat, compoſuit. Fuerunt enim hi principes ea tempeſtate à fama prudentiæ admodum celebres & clari: quòd ex maximis motibus ſua regna in ſummam tranquillitatem atque obedientiam reduxiſſent: quòdque nuper bello decem annos continuato, Granatæ regnum à Mauris annos circiter octingentos poſſeſſum, ad Chriſtianam religionem compuliſſent. Fuit in hoc fœdere, magna ceremonia & iureiurando ab vtraq; parte in templo publicè ſancito, expreſſum, ne Ferdinandus & Iſabella (ab his enim Hiſpania communibus auſpicijs regebatur) néue directè néue obliquè Aragonios iuuarent: affinitatem cum eis nouam non contraherent: nec vllo modo ad Neapolitani regni defenſionem Carolo ſeſe opponerent: hæc ut ille obtineret, initio facto à iactura certa, in ſpem rei incertæ adipiſcendæ, Perpennianum, cum vniuerſo Ruſcinonenſi agro: multis ante annis à Ioanne Aragoniæ rege Ferdinandi patre, Aloiſio patri oppignorata, gratis reſtituit: quæ quidem res toti Galliæ regno moleſtiſſima fuit: quòd illa regio ad radices Pyrenæi montis ſita, idcirco ex antiqua diuiſione ad Galliam pertinēs, Hiſpanos ea ex par-

te Galliæ aditu prohibebat. Cum Maximiliano quoq; rege Romanorum, & cum Philippo Archiduce Austriæ eius filio, eandem ob causſam pacem fecit: siquidem cum his grauissimæ veteres & nouæ inimicitiæ causſæ intercesſerant: quibus initium dederat huius Caroli pater Aloisius: qui occasione sumpta à Caroli Burgundiæ ducis, Flandriæ aliarumque circumiacentium regionum comitis morte, Burgundiam totumq; Artosij, qui Atrebatum olim fuit, tractum, aliaq; multa ab eo possessa, occupauit. Quamobrem, cum grauia inter Aloisium & Mariam vnicam Caroli filiam, quæ paulo pòst patris necem Maximiliano nupserat, bella essent exorta: Maria ipsa iam mortua, Philippo eius Maximiliani filio hærede relicto, concordia inter eos magis Flandriæ populi, quàm Maximiliani voluntatem erat consequta: cui vt firmamentum adiungeretur, Carolo Aloisij filio Margarita Philippi soror desponsa est: quæ quamquam ætate minor, tamen in Galliam est perducta: vbi cum annos aliquot mansisset, Carolus ea repudiata, Annam ad quam Francisci patris morte, quòd marem filium reliquisset nullum, hæreditate Britania peruenerat, duxit: quare duplici iniuria affectus est Maximilianus, eodem tempore & filiæ & suo matrimonio priuatus: vtpote prior per internuntios & legatos suos Annam sibi despondisset: nihilominus tamen, bello per se sustinendo impar, quod huius iniuriæ causſa erat inchoatum: nec Flandri, qui, quòd Philippus per ætatem imperium administrare non poterat, consilio & autoritate propria omnia gubernabant, cum regno Galliæ bellum vellent gerere: videretq; Hispaniæ & Angliæ reges arma in Gallos sumpta posuisse, in pacem consensit, cuius vi Carolus Margaritam Philippo sororem, ad eam diem in Gallia retentam, atq; vnà ditionem Artosiam, seu Atrebatensem restituit: arces tamen retinuit ea conditione, ut quatuor annis exactis, quo tempore Philippus iam natu grandior, concordiam confirmare poterat, eas restitueret: In ea nanq; pace quam Aloisius fecerat, tota illa ditio de communi consensu, dotis nomine eidem Margaritæ fuerat attributa. Pace Galliæ regno ab omnibus finitimis reddita, bellum Neapolitanum in annũ proximum est constitutum: indictumq;, vt interea omnia ad id bellum opportuna comparentur: ad quod quidem perficiendum Ludouicus Sfortia continenter excitabat: qui, vt hominum consilia cupiditatesq; gradatim ascendunt, non iam solum id cogitans vt se in ea nepotis tutela tutum conseruaret: sed altiora spectans in animo habebat belli in Aragonios occasione Mediolanensis imperij ius omne in se transferre: vtq; tantum scelus aliquo iustitiæ colore adornaret, suasq; res maioribus firmamẽtis in omnes euentus stabiliret: Ioannis galeacij sororem Blancammariam, neptẽ suam Maximiliano, qui mortuo patre suo Federico, Romanorũ Imperator nuper erat renuntiatus, in matrimonium collocauit: cui dotis nomine se ducatorum quadringenta millia certis temporibus numeraturum repromisit: his addidit gemmas atque alia ornamenta pretiosa, ducatorum quadraginta millibus æstimata: ex altera parte Maximilianus in hoc connubio pecuniam magis quàm affinitatem secutus, promisit se Ludouico (Ioanne galeacio nouo affine, iure suo fraudato) Mediolanense imperium, eius filijs, & reliquæ stirpi (quasi à Philippi mariæ obitu principatus ille legitimo duce caruisset) autoritate imperatoria concessurum: nec non vniuersa pecuniæ summa persoluta, se eius rei diploma amplissimum traditurum. Vicecomites patricij Mediolanenses in partium sanguinaria dissensione, qua Italia vniuersa Ghibellinorum & Guelforum appellationibus erat incensa, pulsis ad extremum Guelfis, qui ante partis unius in sua ciuitate capita erant (est hic ferè ciuilium dissensionum finis) totius ciuitatis dominatum occuparunt: quem cum multos annos tenuissent, communi tyrannorum more, vt quod iniuria erat, iure occupatum videretur, corroborare primùm veris coloribus, mox amplisimis appellationibus suam fortunam illustrare studuerunt: idcirco ab Imperatoribus, quorum iam Italia nomen potius quàm potestatem cognoscere incipiebat, Capitanei primũ (sic enim vulgo vocantur militum ductores) pòst Vicarij imperatorij nomine impetrato: tandem Ioannes galeacius, qui à Ioanne Galliæ rege Socero suo Virtusij accepto comitatu, Virtutis comes appellabatur, à Venceslao rege Romanorum suo & masculæ stirpis suæ nomine ducis Mediolanensis adeptus est dignitatem: quem duo eius filij Ioannes maria, & Philippus maria continuata successione sunt secuti: verùm in Philippo mascula deficiente prole, quamuis Alfonsum Aragoniæ, & Neapolitanorum regem necessitudine arctissima ex illa liberatione,

de qua

dè qua alibi diximus, contracta, impulsus: ac multo magis ne Mediolanense imperium à potentissimo principe defensum, à Venetis, ad id iam manifestò aspirantibus, occuparetur, testamento hæredem fecisset: Franciscus tamen Sfortia vir eius ætatis in re militari, peritissimus: nec pacis artibus, quàm belli inferior, multis simul tum concurrentibus caussis adiutus: nec minus quòd apud eum plus regnandi ambitio, quàm fidei obseruantia valuit, Mediolanense imperium, quasi ad Blancammariam vxorem suam, Philippi verò haud legitimam filiam, spectaret, armis subegit: quem fama est non magna pecunia ab Federico imperatore priuilegium obtinere potuisse: sed ratus se quibus artibus principatum illum sibi pepererat, ijsdem posse conseruare, in eo Cęsaris autoritatem contempsisse. Ita, sine priuilegio Galeacius eius filius, & Ioannesgaleacius nepos imperarunt: sed Ludouicus simul & in viuũ nepotem sceleratus: & in patris fratrisq; sui mortuorum memoriã iniurius, ausus etiam neutrũ ipsorum legitimũ fuisse Mediolani ducem affirmare, priuilegium, quasi principatus ad imperij iura deuoluti, à Maximiliano habere voluit: quamobrem se non septimum, sed Quartum Mediolani ducem appellauit: quæ tamen res ad paucorũ, quoad vixit nepos, notitiã peruenerũt: Dicere præterea Cyri qui Artaxerxis Persarum regis frater minor natu fuit, exemplo, atq; id plurium iurisconsultorum autoritate roborans, solebat: se Galeacium fratrem anteire non ætate quidem, sed nascendi felicitate, quòd primus esset patri iam Mediolanensium duci natus: quæ ratio unà cum priore expressa in priuilegio Imperatoris fuit: cui separatis literis, ad Ludouici tegendam cupiditatem, ridiculo tamen colore, adiunctum: non esse in Romani imperij more, cuiquam principatum aliquem conferre, qui eum prius aliorum autoritate possedisset: idcirco Ludouici preces de priuilegio Ioannisgaleacij nomine impetrando, à Maximiliano non fuisse auditas, quòd is primùm Mediolanense imperium, eius populo acceptum retulisset. Hæc Ludouici cum Maximiliano affinitas spem auxit Ferdinando, Ludouicum ab regis Galliæ amicitia alienatum iri: ratus ex eo quod sese cum tanto eius æmulo, & tot de caussis inimico coniunxerit: eiq; tam grandem pecuniam subministrauerit, fore ut inter eos fides labasceret, suspicio gigneretur: ipsum quoq; Ludouicum elato ex ista recenti coniunctione animo, ab eo discederet audentius: quam spem maximo artificio fouebat Ludouicus: & tamen (tanta eius erat sagacitas, ac dexteritas) eodemmet tempore & Ferdinando, atq; Italis reliquis uerba dare norat: & Romanorum Galliæq; regum gratiam conseruare. Sperabat pariter Ferdinandus, Veneto senatui, ad quem legatos miserat, molestum fore, in Italiam, vbi ipsi primum potentiæ locum tenerent, principem tantò ipsis maiorem, venire: nec eum ab regibus Hispaniæ animi spesue deficiebant: qui, siquidem hanc expeditionem dissuasione autoritateue sua impedire nequirent, ei firma auxilia pollicebantur. Ex aduerso rex Galliæ impedimentis trans alpes submotis, difficultates ac pericula, quibus impediri in Italia posset, conabatur auerte re: quamobrem Peronem Baccieum hominem rerum nostratium nõ imperitum in Italiam, vbi sub Ioanne Aniouino fuerat, misit: qui pontifici, Venetis, & Florentinis regis sui de regno Neapolitano recuperando voluntate indicata omnibus vt se cum Gallo coniungerent persuadere conatus est: verùm nec quicquam retulit, præter spes incertas, atq; ambigua responsa: nam cum non prius quàm in annum proximum esset bellum constitutum, recusabant omnes tanto antè qui animus ipsorum esset, aperire. Postulauit insuper rex à Florentinorum legatis antea de regis Ferdinandi consensu ad se, quo se excusarent de eo quod ad Aragonios inclinare dicerentur, missis, vt transitus sine maleficio, commeatus suis copijs per illorum fines honesto precio præberentur: ut præterea cum ipso centum grauis armaturæ equites, mitterent, quos se postulare dicebat, vt argumento essent, remp. Florentinorum suam amicitiam sectari: qui etsi ostenderent, hanc demonstrationem priusquam eius copiæ Italiam attigissent, sine graui periculo fieri non posse: asseuerarentq; eum sibi de illa ciuitate polliceri in omnem euentum debere, ea omnia quę eius in reges Galliæ obseruantiam cultumq; decerent: tamen Gallica importunitate ea promittere cogebantur: quod nisi facerent, minabantur se eo commertio, quod maximũ in mercimonijs atq; amplissimũ Florentinorũ natio in eo regno haberet, prohibituros: quæ consilia, sicuti pòst cognitum fuit, omnia ab Ludouico Sfortia, ducetum atq; autore omnium quæ per ipsos cum Italis agebantur manabãt. Adnixus est Pe-

trus Medices Ferdinando perſuadere, has petitiones ad belli ſummam haud magni refer re: eius rationibus prodeſſe magis poſſe, ſi reſpub. & ipſe in Caroli fide perſiſterent: qua fortè eis opportunitas ad aliquam compoſitionem inter ipſos tractandam præberetur: quàm ſi eis negatis, Gallorum hoſtes ſine vllo eius commodo ſe apertè profiterentur. commemorabat adhæc quantam ſibi apud ſuos conflaret inuidiam, quantum odium, ſi Florentini negotiatores Gallia pellerentur: fidei conuenire, quæ fundamentum præcipuum ſit fœderum, vt quiſq; fœderatorum aliquid incommodi patienter ferret, ne alius in multò maiora incurreret detrimenta. Verumenimuero Ferdinandus, qui quantum de ſua exiſtimatione ac ſecuritate, ſi Florentini ab ſe diuellerentur deceret, cogitabat, eiuſmodi conſilia nequaquam admittebat: idcirco grauiſſimè expoſtulauit, conſtantiam & fidem Petri tam repente in ijs quæ de eo ſibi pollicebatur, labaſcere inciperent. quamobrem Petrus cum ſibi ante omnia Aragoniorum amicitiam conſeruare ſtatuiſſet, varijs artibus reſponſum à Gallis tantopere expetitum, diu ſuſtineri fecit: ac deniq; eò res adducta eſt, vt Florentini dicerent ſe nouos oratores ad regem miſſuros, qui eum de Reip. voluntate certiorem facerent. In huius anni finẽ cœpit inter pontificem & Ferdinandum ictum fœdus vacillare: ſeu quòd pontifex nouis difficultatibus inducendis, viam ſibi ad maiora ab eo obtinenda muniret: ſiue quòd ſibi perſuaderet Ferdinandum hac ratione poſſe moueri, ut Iulianum Oſtienſem cardinalem ad ſuam obedientiã reuocaret: quem Romam venire, Collegij cardinalium, Ferdinandi, & Venetorum fide interpoſita, ſummopere cupiebat: quòd ei vehementer eius abſentia eſſet ſuſpecta: propter Oſtienſis arcis opportunitatem: quodq; circa vrbem Romam Roncilionẽ, & Grottã ſiue Grittam ferratam teneret: & quòd multas haberet clientelas, eſſetq; magnæ in aula pontificis autoritatis: ſiue poſtremò quòd rerum nouarum eſſet naturæ quodam inſtinctu cupidus: animoq; ita pertinaci, vt quoduis periculum mallet adire, quàm vel tantillum de ſuis conſilijs decretisq; remittere. Adhæc Ferdinandus validiſsimas afferebat rationes, quibus oſtenderet à ſe Vinculam flecti non poſſe, propterea quòd is in tantam ſuſpicionem adductus eſſet, ut quæuis ſecuritas & fides, ei periculo inferior eſſe videretur: ſuam quoq; Aragonius infelicitatem accuſabat, qua fieret, vt pontifex ſemper ipſi ea aſcriberet, quæ ab alijs proficiſcerentur: ea quoq; factum eſſe, ut crederet Virginium ſuo impulſu ſuaq; pecunia caſtella coemiſſe, quamuis ſe inconſulto ea emptio facta eſſet: ſe uerò eum qui dem fuiſſe à quo Virginius perſuaſus compoſitionem admiſiſſet: cuius rei gratia ei pecuniam commodaſſet, quæ in compenſationem caſtellorum fuerat numerata: quas excuſationes dum non admittit pontifex, ſed potius acerbis, ac ferè minacibus uerbis de Ferdinando queritur, nullum poni in eorum reconciliatione ſtabile fundamentum poſſe videbatur. In huiuſmodi animorum affectione rerumq; in nouas perturbationes impen-
1494 1594. dentium confuſione, exordium ſumpſit annus Romano more milleſimus quadringenteſimus nonageſimus quartus, annus Italiæ infeliciſsimus, ac reuera annus calamitoſorum primus: quòd eo anno porta ſit ad innumerabiles atq; horribiles calamitates patefacta, quæ poſtea per varios caſus atq; euentus in magnam orbis terrarum partem redundarunt. Huius anni initio Carolus à Ferdinandi concordia alieniſsimus, ſuis oratoribus, tanquam regis hoſtis nuntijs, regno Galliæ protinus excederent, edixit: acciditq; vt ijſdem ferè diebus Ferdinandus apoplexia repente moreretur, curis magis quàm ætate confectus. Rex fuit induſtria prudentiaq; inſigni, quibus ducibus ſecunda comite fortuna, regnum à patre nuper partum multis difficultatibus, quæ per regni initia extitere, ſuperatis, conſeruauit: eoq; magnitudinis euexit, vt ſuperiorum regum multis ante annis nullus fortè id regnum tanto ſplendore cumulatum poſſederit: rex equidem bonus, ſi quibus artibus imperare cœperat, ijſdem perpetuò vſus eſſet: verùm temporis progreſſu, ſiue nouis moribus admiſſis, dominandi impotentiam (qui mos eſt ferè omniũ principum) frenare neſcius: ſiue, vt pleriq; omnes exiſtimarunt, natura ad priſtinos mores, quos antè magno artificio celauerat, recurrente, dubiæ fidei, tantæq; crudelitatis fuit notatus, vt vel eius familiares, immanitatis potius quàm crudelitatis nomine appellandam eſſe iudicarent. Ferdinandi mortem rebus communibus nocuiſſe pro certo creditum eſt: nam, præterquam quòd is aliquid aptum ad Gallorum in Italiam tranſitum impediendum tentaſſet, illud nequaquã ambigitur, difficilius futurum eò adducere Ludouicum Sfortiam,

vt

vt Alfonſi naturæ ſuperbæ atq; immoderatæ fideret, quàm ei perſuadere vt cum Ferdinando amicitiam renouaret: cùm præſertim ſciret eundem Ferdinandum ſuperioribus temporibus ſæpe, ne vllam cum Mediolanenſi principatu contrauerſiam haberet, fuiſſe paratum ſeſe ad eius flectere voluntatem: atq; inter cætera illud eſt perſpicuum: cum Iſabella Alfonſi filia ad maritum eſt adducta, Ludouicum ea conſpecta ſubitò ſic exarſiſſe, vt eam ſibi coniugem à patre dari concupierit: atq; in hunc finem magicis artibus (ſic enim in tota Italia tunc creditum eſt) effeciſſe, vt Ioannes galeacius per multos menſes impos fuerit ad coniugij arcana peragenda: & annuiſſet Ludouico Ferdinandus, niſi Alfonſus reſtitiſſet: Quare hac ſpe excluſus Ludouicus, aliam vxorem duxit: ex qua cum liberos ſuſcepiſſet, omnes ſuas cogitationes eò conuertit, vt in eos Mediolanenſis imperij iura transferret. Quidam præterea ſcribunt, Ferdinandum quoduis incommodum indignitatemúe vt bellum imminens vitaret, ſubire paratum, vbi primùm per anni tempus liceret, conſtitutum habuiſſe, nauibus Genuam, inde pedibus Mediolanum proficiſci, vt Ludouico quacunq; vellet ratione ſatisfaceret: neptemque Neapolim reuehi, ſperans ſe non modò factis, verumetiam hac publica confeſſione, qua ei ſalutem ſuam per omnia ferret acceptam, animum eius mitigaturum: res enim erat apud omnes comperta, quàm effreni atq; impotenti ambitione cupiditateq; flagraret, vt vniuerſæ Italiæ arbiter, ac tanquam oraculum haberetur. At, Alfonſus illico defuncto patre quatuor ad pontificem oratores miſit: qui ſignis oſtendens ſe ad priſtinam Gallorum amicitiæ propenſionem reuertiſſe, ijſdem ferè diebus diplomate de cardinalium collegij autoritate, rege Galliæ petente, Macloiuenſi pontifici punicei galeri dignitatem promiſerat: communibusq; cum Mediolanenſium duce ſtipendijs, Proſperum Columnã, qui prius regis erat militiam ſecutus, & quoſdam alios belli duces conduxerat: nihilominus tamen, facilem ſe ad concordiam ineundam prębuit conditionibus ampliſſimis ductus, quas ei Alfonſus ne quid ſibi ab eo metuendum foret, vtq; eum ad ſuam defenſionem obligaret, propoſuit. Fœdus igitur inter eos in hæc capita palam ſancitum eſt: vt ſocietas inter eos ad vtriuſq; ditionis tutelam, certo numero militum eſſet: concederet pontifex Alfonſo regni iura cum cenſus diminutione iam Ferdinando ab alijs pontificibus quandiu viueret, conceſſa, apoſtolicumq; ad coronam ei imponendam legatum Neapolim mitteret: Ludouicum Henrici Alfonſi fratris minimè legitimi, filium, qui poſt cardinalis ab Aragonia dictus eſt, in cardinalium collegium cooptaret: rex illico pontifici ducatorum triginta millia numeraret: Candiano duci in regno Neapolitano aſſignaret principatum, è quo ducatorum duodecim millia quotannis acciperet, atq; vnà prima quaq; occaſione è ſeptem vnum ex præcipuis regni officijs eidem attribueret: eundem ſuis ſtipendijs quandiu viueret pontifex trecentis grauis armaturæ equitibus præficeret, quibus vtriq; pariter operam dare teneretur: Gothifredus verò obſes paternæ fidei apud ſocerum maneret: concederet præter ea quæ in priore pactione promiſerat, Protonotarij dignitatem: vnum pariter è ſeptem regni officijs, alia item in regno ſacerdotia Cæſari Borgiæ pontificis filio paulo antè in cardinalium collegium à patre cooptato attribueret: quem cum eſſet ſpurius, quibus ad eam dignitatem aditus patere non conſueuerat, falſis teſtibus alterius legitimum filium eſſe, fecit comprobari: Adhæc Virginius Vrſinus, qui cum regio mandato huic interfuit pactioni, promiſit regem ad arcem Oſtienſem recipiendam, ſi forte cardinalis ſancti Petri in vincula Romam venire recuſaret, auxilio futurum: quod quidem promiſſum ſine ſuo conſenſu rex factum fuiſſe aſſeuerabat: cumq; exiſtimaret tempore uſq; adeo periculoſo alienum eſſe tanta potentia in Genuenſium rebus præditum cardinalem ab ſeſe alienare, quas ab ipſo impulſus tentare cogitabat: & quoniam in tam graui agitatione, de concilio forſitan, ſiue de rebus ad ſacroſanctam ſedem ſpectantibus agendum eſſet, magnam vt eum pontifici reconciliaret, curam adhibuit: cui cum nulla re, niſi Romam Vincula ipſe rediret, fieri ſatis poſſet: cardinalis verò pertinaciſſimè negaret, ſe, vitam ſuam fidei (his verbis vtebatur ipſe) Cathalanorum vnquam commiſſurum, Alfonſi labor omnis ac deſiderium irritum fuit: nam Cardinalis, vbi in ferè certam ſpem concordiæ regis animum ſimulatè erexiſſet, nocte intempeſta bireme inſtructa, repente Oſtia (arce tamen prius idoneo præſidio munita) diſceſſit: ac paucis diebus Sauonæ, deinde Auenione cui præfectus erat moratus, tandem Lugdunum ſe recepit, quo

paulò antè Carolus, vt commodius maioreq; cum dignitate belli apparatum, ad quod se ipse venturum iam denuntiabat, procuraret, venerat: à quo ingenti lætitia acceptus, sese alijs, à quibus Italiæ motus procurabantur, adiunxit. Non negligebat Alfonsus, cui timor bonus fuerat magister, eadem cum Ludouico, quæ à patre fuerant inchoata, vrgere: eiq; eadem conditiones offerre: verùm Ludouicus à suo more nihil discedens, varijs spe bus animos pascere studebat: ostendebatq; magna sibi dexteritate ac prudentia agendum: ne bellum in alios susceptum, in se primùm conuerteret: interea tamen in Gallia belli apparatum accelerare non cessabat: atq; vt id efficacitate maiore ageret, firmiusq; quæ constituenda erant, singula stabiliret: neue earum rerum quæ essent constitutæ confectio tardaretur, Galeacium Sanseuerinatem filiæ suæ spuriæ maritum, hominem apud ipsum fide & gratia summa pollentem, in Galliam, tanquam ab rege accitum, misit: ac Ludouici consilijs factũ est, vt Carolus quatuor oratores ad pontificẽ legaret, ijsq; mandaret, ut Florentia iter facientes, operam darent, vti ea respublica sese quarum esset partium, declararet, Eberardum Obigneum natione Scotũ, belli clarum ducem, Quæstorũ item summũ in Gallia magistrum, & vnà prouinciæ Narbonensis præsidem, ipsumq; Peronem Baccieum, quem anno superiore in Italiam miserat, qui mandata Mediolani præcipuè confecta, secuti, in vtroq; loco iura quibus rex Galliæ nixus, tanquam Aniouinæ domus hæres, cum præsertim Caroli primi genus quod ad mares attinet, defecisset, regnum Neapolitanum peteret: atq; vt rex ipsemet eo ipso anno in Italiam transire decreuisset, exposuerunt: haud equidem quo aliena inuaderet, sed quod ad se iure spectaret, obtineret: quanquam non tam regni Neapolitani possessionem haberet propositam, quàm vt inde pòst arma in Turcas ad nominis Christiani propagationẽ & gloriam, posset conuertere. Florentię, exposuerunt quantum ei ciuitati fideret rex, quam Carolus Magnus dirutam instaurasset: progenitores eius reges sua beneuolentia essent complexi: & quam recenti memoria pater eius Aloisius contra iniustissima Xisti pontificis, Ferdinandi proximè defuncti, atq; Alfonsi præsentis arma tutatus esset: in memoriam reuocarent commoda, quæ ad Florentinorum nationem ex Galliæ regni commercio & negotiatione maxima peruenirent: vbi non secus acsi natura Galli essent, Florentini humaniter acciperentur: hoc exemplo doceri, eadem beneficia & commoda ab eis ex regno Neapolitano sperari posse, si quando in eius fuerit potestate: cum contrà ab Aragonijs nihil vnquam aliud quàm detrimenta iniurias q; accepissent: se igitur petere vt signo aliquo se cum eo in ea expeditione coniunctos esse testarentur. Quòd si qua forte iusta causa hoc facere eo tempore impedirentur, transitum saltem per suos fines, & commeatum Gallici exercitus impensis concederent. Hæc cum rep. egerunt: at Petro Medice priuatim multa beneficia honoresq; in eum patremq; suum ac reliquos maiores ab Aloisio vndecimo collata commemorarunt: qui difficillimis temporibus multa pro eorum amplitudine conseruanda feciissent: eorum insignia, domus Franciæ insignibus, vt Galliæ regum in Mediceam familiam beneuolentiæ extarent argumenta, decorasse: contrà verò Ferdinandum omnia feciisse: qui cum eos armis esset apertè persecutus, eo non contentus ciuilibus sese coniurationibus immiscuisset, in quibus & eius patruus Iulianus esset interfectus, & pater grauiter vulneratus. Hæc atque huiusmodi illi cum Petro egerunt: nec tamen vllum certum ad suas petitiones responsum ab ea ciuitate extorquere potuerunt. Romam igitur profecti, pontifici antiqua Galliæ regum in sacrosanctam sedem merita perpetuamque obseruantiam in memoriam reuocarunt, quibus cum vetera tum recentia monumenta referta essent: ex aduerso, Aragoniorum contumaciam, frequentesque iniurias: quibus expositis, regni Neapolitani diploma Caroli nomine, tanquam iure debitum postularunt: simulque pontificem multa spe, multisque promissis implerunt, si quidem huic expeditioni se propicium exhiberet: quam quidem non minus eius suasionibus, atq; autoritate motus rex, quàm alias ob causas suscepisset. Ad hanc petitionem respondit pontifex, cum eius regni possessio à tot pontificibus ante se fuisset tribus Aragonijs regibus ordine data (nam in Ferdinandi diplomate, Alfonsus nominatim erat comprehensus) minimè æquum esse vt Carolo eam traderet, donec disceptatione declaratum esset, eum iure esse potiore: cui, Alfonso traditum diploma nihil derogaret: propterea quòd in eum finem expressum in ipso fuisset diplomate,

mate, ea lege concedi, vti ne cuiusquam iuri derogari intelligatur. Commemorauit regnum Neapolitanum directò ad sedem Apostolicam pertinere: cuius autoritatem, regem, contra morem institutaq; maiorum suorum, qui semper eius prȩcipui defensores extitissent, velle violare, sibi persuadere non posse: quod quidem faceret, si vi armata regnum adoriretur: rem facturum magis è sua dignitate, ac bonitate, si quid iuris haberet, id disceptationi iudicioque permittat: quod quidem ei tanquam fundi dominus, ac solus eius caussę iudex se daturum pollicebatur: alienum esse à Christianissimo rege, aliud ab Romano pontifice postulare, cuius sit munus prohibere, non vim inter Christianos principes bellaq; fouere: quòd si maximè secus vellet facere, difficultates & pericula, tum ab Alfonsi cum Florentinis vicinitate quorũ concordiam omnis Hetruria sequebatur, tum tot regulorum ab rege ipso dependentium caussa, quorum ditiones vsq; ad Romanæ vrbis portas pertinerent, demonstrabat: atque hæc ille ita dicebat, vt eis tamen non omnem penitus spem præcidere videretur: quanquam secum ne ab fœdere quod cum Alfonso haberet, ullo modo discedere constituisset. Magna erat Florentinorum in reges Galliæ propensio, tum ob tot ciuium suorum in illo regno commercia: tum ob inueteratam, quamuis falsam opinionem, Florentiam, à Totila Gothorum rege dirutam, ab Carolo Magno instauratam fuisse: tum propter coniunctionem arctissimã, diutissimè à maioribus suis tanquam Guelfis habitam cum Carolo primo Neapolitanorum rege, compluribusq; ab eodem ortis Guelfæ factionis in Italia patronis: tum bellorũ memoria, quæ senior Alfonsus primũ, deinde Ferdinandus anno MCCCCLXXVIII. missso ad id Alfonso cum illa gesserat ciuitate: quibus de caussis populus Carolo transitum concedi cupiebat: sed non minus id prudentissimi quiq; ciues, & qui maiore in rep. pollebant autoritate, cupiebant: qui extremę dementię esse ducebant, tanti periculi bellum ob aliorum diffidia in ditionem domumq; suam pertrahere: dum se potentissimo exercitui, atq; adeo ipsimet Galliæ regi conantur opponere, qui Mediolanensium fauore, ac si minus consentiente, saltem conniuente Veneto senatu, in Italiam intraret. Hi sententiam suam Cosmi Medicis omnium Italorum suæ ætatis facilè sapientissimi habiti, autoritate confirmabant: qui bello quod inter Ioannem Aniouinum & Ferdinandum gestum est, etsi cum Ferdinando pontifex, & Mediolanensium dux facerent, semper tamen consuluerat, ne ea ciuitas se Ioanni opponeret: Laurentij exemplum Petri genitoris commemorabant: cuius in omni Aniouinorum reditus fama, eadem semper fuisset sententia: Verba quibus sæpe Gallorum potentia territus vsus fuerat postquam hic idem rex Britania potitus esset, proferebãt, cum diceret: Italię ingentia impendere mala, si rex Galliæ suas nosset vires. Verùm Petrus Medices res magis voluntate quàm prudentia metiri solitus, sibiq; nimium tribuens, & existimans hunc motum magis in vanos rumores, quàm in res ipsas abiturum, ad hoc ipsum à suo quodam familiari Alfonsi donis, vt fama fuit, corrupto: pertinacissimè decreuit in Aragonij amicitia persistere: cuius sententiæ propter viri potentiam reliquos ciues assentiri deniq; omnes necesse fuit. Autores habeo minimè contemnendos, Petrum, autoritate quam pater in rep. obtinuerat nõ contentum, quæ tamen talis erat, vt ad eius nutum magistratus crearentur, à quibus nulla res paulò grauior sine eius voluntate decernebatur, ad maiorem potestatem atque ad principis absoluti appellationem aspirasse: qua in re parum prudenter ciuitatis conditiones admetiebatur: quæ cum ea tempestate potentia atq; opibus floreret, essetque tot iam seculis in reip. quadam specie nutrita: honestiores præterea ciues socijs magis similes quàm subiectis reip. administrationis participes esse consueuissent, haud videbatur nisi vi adhibita maiore, tantam tamq; repentinam commutationem latura. quoniam verò Petrus ad hanc suam cupiditatem sustentandam externis adminiculis opus esse videbat, sese, vt ad noui principatus conseruationem sibi firmamentum adiungeret, cum Aragonijs arctius quàm par esset, constrinxerat: decreueratq; vnà cum ipsis eandem fortunam experiri. Accidit autem vt ante paulò quàm Galli oratores Florentiam appellerent, quædam Laurentij & Ioannis Medicis ditissimorum iuuenum, ac Petro sanguinis cognatione coniunctissimorum, consilia in lucem proferrentur: qui ab eo leuibus de caussis abalienati, Cosmi Rucellai Petri patruelis opera, cum Ludouico Sfortia, atque eiusdem ductu, cum Galliæ rege egerant de Petri potentia minuenda: quam ob caussam à magi-

ſtratibus detenti,leuiſſima affecti pœna,in ſuas fuerant villas relegati: nam ciuium mode ratio Petrum,etſi non ſine magna difficultate,ad conſentiendum induxit,ne in eius propinquos ſeueritate legum vterentur: qui cum hoc facto certò cognouiſſet, Ludouicum Sfortiam exitiũ ſibi machinari,eo magis ſibi cum Aragonijs vt cœperat perſeuerandum eſſe exiſtimauit. Oratoribus igitur ornatiſſimis honorificentiſſimisq; verbis, reſponſum, non tamen quale ipſi cupiebant,datum: hinc naturalem Florentinorum in Galliæ reges obſeruantiam,immenſumque tam glorioſo regi gratificandi deſiderium: illinc impedimenta demonſtrantes: Nihil eſſe principe aut Rep.indignius, quàm fidem datam non ſeruare:quam ni turpiter fœdare vellent,eorum poſtulatis aſſentiri nullo modo poſſent: neq; enim dum eſſe ad finem perductum fœdus,quod regis Aloiſij patris ſui autoritate cum Ferdinando ictum fuerat: ea lege vt ab eius morte ad Alfonſum pertineret: hoc etiam expreſſe adiecto,vt non modo regni Neapolitani defenſionem ſuſcipere,verùm etiam tranſitu per illorum fines prohibere,ſi qui ad illud inuadendum accederent, tenerentur: ſe,quòd aliter decernere non poſſent,ſumma affici moleſtia: verùm ſperare ſapientiſſimum ac iuſtiſſimum regem,eorum optima voluntate perſpecta, quòd non promitterent,id iuſtiſſimis eorum impedimentis attributurum. Hoc reſpõſo indignatus rex, vt legati Florentinorum tota excederent Gallia actutum imperauit: Lugduno autem, non reliquos mercatores,ſed Ludouici Sfortiæ conſilium ſecutus, ſolos Petri Medicis menſarios miniſtros expulit: quod quidem eò factum eſt,vt Florentini, regem hanc iniuriam Petro tantùm,non Florentinorum communi, acceptam ferre interpretarentur. Sic omnibus Italiæ principibus inter ſe diſiunctis,dum alij cum rege Galliæ, alij contrà facerent, ſoli Veneti neutram partem ſecuti rerum exitum ocioſi expectare ſtatuebant: ſiue quòd eis moleſtum non eſſet Italiam perturbari,ea ſpe,vt ex aliorum diuturnis diſſenſionibus,ſuum augerent imperium: ſiue quòd ſua potentia freti,victori ſe prædæ futuros cum non magnopere timerent:inſipientium eſſe ducerent,aliorum bella ſua propria,citra euidentem neceſſitatem facere: quamquam & Ferdinandus nullum eos ſtimulandi faceret finem: & rex Galliæ cùm anno ſuperiore,tum hoc ipſo tempore legatos eò miſiſſet,qui dicerent inter eos & Gallię reges nunquam aliud quàm amicitiam,beneuolentiã,atq; ab omni parte,vbi ſeſe occaſio dedit,amoris ac benignitatis officia extitiſſe: quæ ſtudia cum rex ſtuderet augere,orare ſapientiſſimum ſenatum,ad illam expeditionem ſibi tum conſilio tum fauore adeſſe vellet: cui orationi prudenter & breuiter reſponderant: Chriſtianiſſimum illum regem tanta eſſe ſapientia præditum,tanta grauitate & maturitate apud ſe viros habere,vt qui ei conſilium dare auſus eſſet,is nimium ſibi ſumeret & arrogaret: Senatui Veneto omnes eius proſperos ſucceſſus,qua ſemper in Galliæ reges obſeruantia fuerunt,fore gratiſſimos: idcirco eſſe ipſis moleſtiſſimum,non poſſe factis animi alacritati reſpondere:imminere ipſis Imperatorem Turcarum, cui neque cupiditas neq; opportunitas eos infeſtandi deeſſent: hanc ob cauſſam neceſſitate compelli,tot inſulas,tot loca maritima eius imperio finitima,maximis impendijs munita tenere:ea re fieri,quo minus alienis bellis ſeſe poſſent immiſcere. Verùm multo maioris erant momenti quàm oratorum orationes ipſisq; data reſponſa,maritimi terreſtresq; apparatus,qui iam paſſim incaleſcebant: Carolus enim Petrum Orpheum, archippocomum,quem Galli magnum Eſcuerium uocant, Genuam præmiſerat: quam vrbem dux Mediolanenſis Adurniæ factionis,Ioanniſq; Fliſci ope tenebat, vt ibi claſſem nauibus onerarijs,& triremibus ornatiſſimam ac validiſſimam compararet: alias præterea naues ipſe in Villafranchæ Maſſiliæq; portu armari curabat: ex quo in eius aula ferebatur, regem in regnum Neapolitanum mari inuadere, vt contra Ferdinandum Ioannes Renati filius fecerat,conſtituiſſe: In ipſa quoq; Gallia,etſi pleriq; regis tum animi imbecillitate, tum eorum à quibus ad eam expeditionem impellebatur humili conditione,tum pecuniæ inopia adducti exiſtimarent, hoſce apparatus deniq; inanes futuros, nihilominus, tantus erat regis ardor,qui quorundam ſuorum quorũ maximè conſilia ſequebatur ſuaſione,regis Hieroſolymæ,atq; vtriuſq; Siciliæ (ea enim erat tunc regis Neapolitani appellatio) nomen recenter aſſumpſerat,vt in id bellum opportuna magno feruore omnia cõpararentur:pecunia cogenda,delectibus habendis,conſilijs cum Galeacio Sanſeuerinate,in cuius pectore omnia arcana,omnia conſilia actionesq; Ludouici Sfortię concludebantur,

debantur, conſtringendis. Cęterùm, Alfonſus, qui nullam rem ad bellum opportunam terra mariq; prætermiſerat, ratus Ludouici verbis nullam amplius habendam fidem eſſe: magisq; profuturum, ſi eum terreret atq; infeſtaret, quàm ſi blandiendo mitigare conaretur: Legato Mediolanenſi Neapoli abſcederet, imperauit: ſuum Mediolani agentem, reuocauit: Barijq; poſſeſſionem, totiusq; eius ditionis vectigalia, à Ludouico per multos annos Ferdinandi dono poſſeſſa, occupauit: nec his contentus ſignis potius animi infenſi, quàm offenſionibus, totis in id viribus incubuit, vt Genuenſium ciuitatem ab Ludouico Sfortia abalienaret, rem illis in motibus maximi momenti: eius namq; ſtatus mutatione, facultas haud ſanè parua Mediolanenſis ſtatus contra Ludouicum perturbandi, præbebatur: & Galliæ rex, regni Neapolitani mari infeſtandi opportunitate priuabatur: cum Paulo igitur Fregoſo cardinale, qui Genuenſium dux antea fuerat: quem non pauci eiuſdem familiæ ſequebantur: & cum Obietto Fliſco, ambobus magnis in ea ciuitate, eiuſdemq; litoribus clientelis pollentibus: præterea cum alijs quibuſdam Adurnijs, omnibus diuerſis de cauſſis Genua exulantibus, re deliberata, decreuit valida claſſe tentare, an eos poſſet in patriam reducere: illud dictitare ſolitus: Anteuertendo ac diuertendo, victoriam ex bellis reportari ſolere: conſtituit pariter cum firmo exercitu ipſemet in Flaminiam Aemiliamq; proficiſci, vt inde repente in Parmenſem agrum duceret, vbi Ioannis galeacij nomine proclamato, eiusq; vexillis oſtentatis, Mediolanenſis imperij populos tumultum in Ludouicum excitaturos ſperabat: quòd ſi maximè aliqua difficultas obſtaret, commodiſſimum tum exiſtimabat, procul ab ſuo regno bellum inchoari: ratus ad rei ſummam plurimum intereſſe, Gallos in Longobardia adhybernam uſq; tempeſtatem diſtineri: vtpote qui bellis tantùm Italicis aſſuetus, in quibus milites pabuli equorum maturitate expectata, ante extremum Aprilem in caſtra prodire non conſueuerant, exiſtimabat eos, vt eius tempeſtatis aſperitatem vitarent, in amica regione neceſſariò hyematuros: ſperabatq; interea temporis occaſionem aliquam ſuæ ſalutis facilè exoriri poſſe: ac ne quid relinqueret intentatum, legatos Conſtantinopolim ad Baiaſettum Othomannum Turcarum principem miſit, auxilia tanquam in communi periculo petitum, ex eo quòd de Caroli propoſito in Græciam traijciendi eo debellato, ferebatur: quod quidem periculum norat à Baiaſetto, minimè contemptum iri: nam ex præteritorum memoria bellorum, quæ ab Gallica natione contra Chriſtianæ religionis hoſtes in Aſia erant geſta, Gallorum illi arma non parum formidabant. Hæc dum parte in omni procurantur, pontifex ſuas copias ductore Nicolao Vrſino Petiliani comite Oſtiam miſit, terra mariq; Alfonſo auxilia ſubmittente: cumq; oppidum haud difficulter in ſuam poteſtatem redegiſſent, cœpiſſentq; tormentis arcem percutere, præfectus arcis, Fabricio Columna intercedente, & Ioāne Rouereo vrbis pręfecto, Iuliani cardinalis Oſtienſi fratre conſentiente, paucis pòſt diebus deditionem fecit, ea conditione, ne pontifex cardinalem præfectumúe ſacris interdiceret, neúe armis perſequeretur, niſi nouis delictis ipſi occaſio præbita eſſet: Fabricio autem in cuius poteſtate Grittaferratam reliquerat cardinalis, conceſſum fuit, vt ducatorū decem millibus pontifici perſolutis, eam eodem iure poſſideret. At Ludouicus Sfortia, cui cardinalis Sauona iter faciens, quæ ſuo conſilio, & opera cum exulibus Alfonſus clam ageret, patefecerat, quantis impedimentis eius conſilia turbarentur cum Carolo demonſtraſſet, eum induxit, vt Heluetiorum duo millia qui Genuam in officio continerent, decerneret: vtq; ſine omni cunctatione, trecentos grauis armaturæ equites in Italiam tranſire iuberet: vt ſub Obignei imperio, qui tum Roma reuerſus, regis iuſſu Mediolani conſederat, Longobardiam tutari, atq; vlterius, ſi neceſſitas occaſioúe poſceret, progredi poſſent: his adiungerentur quingenti Itali equites eodem tempore regijs conducti ſtipendijs, quibus Ioannes franciſcus Sanſeuerinâs Gaiaci, Galeotus picus Mirandulę comes, Rodulfuſq; Gonzaga præficerentur: alij item quingenti, quos Ludouicus ex pacto conducere ſuo ære debebat: qui tamen nihil de conſuetis artibus prætermittens, de ſua ad Italiæ quietem ac ſecuritatem propenſione pontificem Petrumq; Medicem confirmare non ceſſabat: nunc hoc nunc illud ad illorum alendas ſpes comminiſcens: cuius rei breui, aiebat, argumenta minimè obſcura apparitura. Fieri vix poteſt, quin, quod efficaciter aſſeueratur, ambiguos reddat animos, etiam eorum qui ſecus credere conſtitutum habent: itaq;, etſi Ludouici verbis iam nulla

fides haberetur,illud tamen aſſequebatur,vt eius promiſſis,decreti apparatus tardarentur: pontifici enim Petroq; Medici res Genuenſium mouere vehementer placuiſſet: quoniam verò eare ſtatus Mediolanenſium directò offendebatur, pontifex ab Alfonſo de triremibus,deq; ſecum ſuis copijs in Flaminia coniungendis appellatus, vt pro communi defenſione in Flaminia coniungerentur, annuebat: at, vt vlterius procederent, non concedebat: de triremibus verò,difficultates opponebat,aſſerẽs nondum tempus eſſe Ludouicum in tantam deſperationem conijcere: quin & Florentini vt regiam claſſem intra Liburni portum reficiendi gratia admiterent,requiſiti,eadem de cauſſa hærebant ſuſpenſi: & quoniam ad regis Galliæ petitiones,fœdus quod cum Ferdinando haberent,excuſauerant,haud facilè,vt vltra quàm fœderis neceſſitas cogeret, aliquid facerent,moueri poterant. Cum autem res procraſtinationem iam ferre non poſſent,tandem regia claſſis Federico maris præfecto duce,Neapoli ſoluit: Alfonſus autem ipſe omnes ſuas copias in Brutijs,vt in Flaminiam tranſiret,coegit: ſed prius quàm vlterius procederet,viſum eſt cum pontifice idem cupiente in colloquium venire, quo de ſumma rerum, deq; ijs quæ ad communem ſalutem pertinerent,ſemel ſtatueretur: idcirco decima die Iulij Vicouarium,Virginij Vrſini caſtellum,conuenere:vbi triduo commorati,admodum concordes abiere.Hoc congreſſu conſtitutum fuit,ne rex ipſe vltra progrederetur: ſed partem exercitus,qui à rege centum ferè turmas equitum vt vicenos equites ſingulis turmis aſſignes,atque vnà hippotoxotarum qui baliſtarij hodie dicuntur leuis armaturæ equitum plus quam tria millia continere ferebatur,ſecum in Brutiorum,ſiue, vt antiqui, Præcutinorum finibus,quo tutam præſtaret pontificis ſuamq; ditionem,retineret: Virginius verò in agro Romano,vt Collumnij in officio continerentur,maneret: atq; eandem ob cauſſam ducenti cataphracti pontificij,regis item turmæ aliquot leuis armaturæ, Romæ conſiſterent: in Flaminiam verò cum turmis ſeptuaginta,cum reliquis leuis armaturæ equitibus,cumq; maiore parte pontificis copiarum,quæ & defenſionis tantùm gratia erant attributæ,Ferdinandus Calabriæ dux(ea omniũ erat regum Neapolitanorum,maximi natu filii appellatio) altæ ſpei adoleſcens,tranſiret: isq; ſecum tanquam iuuentutis ſuæ moderatores haberet Ioannemiacobum Triultium,regiarum copiarum ducem: Petiliani comitem,qui à pontificis ſtipendijs ad regem tranſierat, peritiſſimos belli duces & fama celeberrimos. plurimum autem referre videbatur, cum in Longobardiam ducendum eſſet,Ferdinandum adeſſe,propterea quòd cum Ioannegaleacio Iſabellæ ſororis ſuæ marito,atq; eodem Galeacij Hippolytæ,quæ Ferdinandi mater fuerat, fratris filio,arcto dupliciq; cognationis vinculo, coniunctus eſſet. Verùm ex rebus grauiſſimis quæ inter pontificem & Alfonſum agerentur, de Columnenſium rebus vnum fuit, propterea quòd non obſcuris ſignis aduertebatur, eos noua conſilia ſpectare: nam cum Proſper & Fabricius ſtipendia regis defuncti meruiſſent, ab eoque prouincias & honores obtinuiſſent, eo mortuo non modò Proſper poſt multa promiſſa Alfonſo de eius ſequendis ſtipendijs facta, ſeſe Aſcanij cardinalis opera cum pontifice, Mediolanenſique duce coniunxerat: nec ſe vni pontifici id ab eo petenti adijcere voluerat: verumetiam Fabricius,qui in Alfonſi ſtipendijs perſeuerauerat, pontificis ac regis in Proſperum odio perſpecto, ægrè adduci vt cum duce Calabriæ in Flaminiam proficiſceretur,poterat, ni prius Proſperi totiusque Columniæ gentis res in tuto ponerentur. Hic prætextus difficultatum erat: ſed re vera vteque ab Aſcanij cardinalis amicitia qui paulò antè inſidias veritus pontificis,ſeſe Roma ſubduxerat,atq; in eorum ditionem receperat,trahebatur: nec non maiorum ſpe premiorum: multoq; magis dolore, quòd primum locum apud Alfonſum,amplioresq; ipſius felicitatis partes Virginius Vrſinus aduerſę factionis princeps obtineret,ſeſe Regis Galliæ ſtipendijs addixerant: quod vt occultum tenerent,donec citra periculum ſe eius mereri ſtipendia profiteri poſſent,deſiderium præſeferentes cum pontifice Alfonſoq;,qui omnia tentabant,vt Proſper eadem conditione ab ipſis accepta,quòd aliter ab eo ſecuri eſſe nequirent,Mediolanenſium ducis ſtipendia relinqueret conueniendi,continenter cum ipſis agebant: ſed ne res ad exitum perduceretur,nunc hoc nunc illud in ijs quę proponebantur conditionibus, mouebant:qua in re diuerſa erant Alexandri regisq; conſilia: Alexandro enim, eos caſtellis quæ in agro Romano tenerent,ſpoliare cupienti,grata erat occaſio eos inuadendi: Alfonſus

fonſus verò qui nihil aliud quàm vt ſe tutum præſtaret, ſpectabat, in bellum niſi extrema adductus neceſsitate, minimè propendebat: ſed pontificis cupiditati ſeſe opponere non audebat: itaq; vno conſenſu eos armis eſſe cogendos ſtatuerunt: illud etiam inter eos deliberatum, quibus viribus, quoq; ordine id eſſet aggrediendum, verùm prius re tenta ta, ſi paucis diebus res eorum componi tandem poſſent. Hęc atq; alia multa ab omni parte agebantur: uerùm Italiæ bellis tandem primordia Federici Aragonij in Genuenſes profectio dedit, maiore proculdubio claſſe atq; inſtructiore, quàm multis ante annis vlla Tirrhenũ mare percurriſſet: quinq; enim ac triginta triremes habuit, onerarias naues decem & octo, aliaq; minora nauigia nõ pauca: & in his complura tormenta, peditumq; quæ in terram exponerentur, tria milia: hac claſſe confiſus, quodq; ſecum Genua exules haberet, Neapoli magna uictoriæ ſpe ſoluerat: verùm profectionis tarditas, ex difficultatibus quas plerunq; magni motus ſecum trahunt: ex parte quoq; aliqua ab Ludouici Sfortiæ artificioſis, quibus ſpes aleret, dolis orta: nec non quòd in Senenſium portubus, donec militum quinq; milia numerum expleret, conſederat, difficile factu reddidit, id quod menſem vnum antea tentatum, facillimum extitiſſet: nam cum hoſtes ſatis temporis ad res ſuas confirmandas habuiſſent, iam Diuionenſis præfectus cum Heluetiorum duobus milibus regio ſtipendio conductis, Genuam arat ingreſſus: iamque naues triremesq; complures in eo portu diſpoſitæ armabantur: pars item nauium Maſſiliæ inſtructarum appulerat: nec Ludouicus vllis parcebat impenſis: qui Gaſparrum Sanſeuerinatem cognomento Fracaſſam, fratremq; eius Antoniummariam cum peditum cohortib. aliquot, eò miſerat: utq; non minus Genuenſium beneuolentia quàm externis viribus vteretur, partim donis, partim ſtipendijs, partim promiſſis varijs præmijs Ioannis Ludouici Fliſci Obiecti fratris, Adurniorum quoq; aliorumq; nobilium & popularium non paucorum animos, quorum opera ſtudia eius ciuitatis erga ſe retineret, confirmauerat: Ad hæc Genua alijsq; eius litoris oppidis exulum clientes Mediolanum euocauit. His per ſe validis apparatibus plurimum exiſtimationis & firmitudinis Aloiſij Aurelianenſis ducis præſentia adiunxit: qui ijſdem, quibus Aragonia claſſis in Genuenſium mari conſpecta fuerat, diebus, in eam vrbem regis Galliæ iuſſu erat ingreſſus, cum priùs Alexandriæ cum Ludouico Sfortia de re communi egiſſet: qui vt tenebrarum plenæ ſunt mortalium res, eũ lætanter & magno cum honore, verùm vt parem, acceperat: neſcius quàm breui tum principatus, tum vita ipſius eius in poteſtatem eſſet ventura. His rebus permoti Aragonij, qui prius ſeſe in Genuæ portu cum claſſe conſpiciendos præbere, ſperantes ab exulum clientibus & amicis motum aliquem excitatum iri, conſtituerant, mutato conſilio litora infeſta habere decreuerunt: ac poſt aliquam ſententiarum varietatem, vtrum litus, orientaléne an occiduum eſſet prius inuadendum, Obiecti ſententiam ſecuti, qui plurimum ſibi de litoris orientalis incolis pollicebatur, claſſem ad portum Veneris direxere: cuius Oppidum, quòd ab Genua pedites quadringenti præſidij cauſſa venerant: oppidanorumq; animi ab Ioannealoiſio Fliſco, qui Spediam venerat, confirmati erant, multis horis fruſtra oppugnarunt: ſed expugnandi ſpe amiſſa, ſeſe in Liburni portum, quo & commeatum renouarent, & augerent militum numerum, receperunt: nam cum intelligerent litoris oppida præſidijs bene munita eſſe, maioribus opus eſſe viribus iudicarunt: itaq; Federicus vbi Gallicam claſſem ſua triremibus inferiorem, ſed nauibus ſuperiorem, ſeſe è Genuæ portu vt emitteret, comparare percepiſſet, quò triremium celeritate vſus, ſi fortè in ſe tota claſſe Gallus impetum faceret, ſummouere ſe expeditius periculo poſſet, naues ſuas Neapolim remiſit: ea tamen ſpe, vt ſi aut caſu, aut voluntate contingeret hoſtium triremes à nauibus ſeiungi, eis ſeſe opponeret. Eodem tempore Flaminiam verſus dux Calabriæ, eo animo vt prima conſilia ſecutus, pòſt in Longobardiam tranſiret, contendebat: verùm quo ſibi liberum aditum pararet, nec impedimentum ullum à tergo relinqueret, Bononiam ſibi atq; Imolam, & Forumliuij adiungeret neceſſe erat: Nam Ceſena pontificij iuris ciuitas, & Fauentia Aſtorri Manfredo puero ſubiecta, qui in ſtipendio & tutela Florentinorum erat, ad omnia Aragoniorum commoda paratæ erant. Forumliuij atq; Imolam Eccleſiæ vicarij nomine Octauianus Hieronymi Riarij filius, ſub tutela tamen Catarinæ Sfortiæ matris ſuæ, obtinebat: cum qua pontifex & Alfonſus iam menſes aliquot de Octauiano communibus ſtipendijs conducendo, egerãt,

ea conditione,vt ditionis ſuæ defenſionem ſuſciperent: verùm,ea res ad exitum perduci non potuit:partim impedimentis ab ea,quo meliore conditione vteretur,interpoſitis: partim quòd Florentini prima decreta ſecuti,quibus ſe aduerſus regem Galliæ nihil amplius facturos eſſe,quàm ex fœdere quod cum Alfonſo haberent,tenerentur,conſtituerant: ei pactioni ad quam eorum conſenſus requirebatur,non aſſentiebantur: pontifex enim & rex,eum ſumptum ſoli ſuſcipere recuſabant: atque id eo magis, quòd Catarina eam vrbem periculo ſe expoſituram ni vnà cum cęteris Florentini ad Filij ſui res tutandas obſtringerentur,prorſus negabat: Hæc impedimenta Ferdinandi & Petri Medicis colloquium in Burgoſanſepulcri, dum Ferdinandus Ariminenſi via quæ nunc Marcchia dicitur in Aemiliam ducit exercitum, habitum remouit : nam primo ſtatim congreſſu ei patris ſui Alfonſi nomine,ſe ſuas q; copias obtulit, quo eis ad libitum ſuum in Florentinorum,Senenſium,& Fauentinorum rebus vteretur: qua re primus in Petro ardor accenſus eſt: itaq; Florentiam reuerſus,prudentioribus etiam ciuibus diſſuadentibus,ei pactioni ſubſcriberetur,quod id ſummopere eſſet à Ferdinando rogatus, voluit: qua communibus pontificis,Ferdinandi, & Florentinorum impenſis confecta, in ſuas non multo pòſt partes Bononiam,ſuis ſtipendijs eodem modo Ioanne Bentiuolo conducto,cuius autoritate atq; arbitrio tum ea ciuitas gubernabatur,traxerunt: cui promiſit regis & Petri Medicis fide interpoſita pontifex, ſe filium ipſius Antoniumgaleazium tunc protonotarium apoſtolicum, in cardinalium collegium cooptaturum. Magnam horum acceſſio exiſtimationem Ferdinandi copijs conciliauit: multo maiorem conciliatura, ſi his ſucceſſibus in Flaminiam maturius ingreſſus eſſet: verùm tum profectionis è regno tarditas,tum Ludouici Sfortiæ vigilantia perfecerat, vt non prius Ceſenam peruenerit Ferdinandus,quàm Obigneus,& Sfortianarum ductor copiarum Gaiazzus cum exercitus in Aragonios deſtinati parte,itinere per agrum Bononienſem citra vllum impedimentum peracto,in Imolenſem agrum ſeſe effudiſſent.quamobrem,primis Ferdinandi conſilijs de ducendo in Longobardiam exercitu,perturbatis, bellum in Aemilia gerendum neceſſariò fuit: vbi cęteris vrbibus Aragonenſium partes ſequentibus,Rauenna & Ceruia, Veneti imperij vrbes,neutri parti adhęrebant: parua autem illa Eridano flumini adiacens ora,quam Ferrarienſium dux tenebat, Gallorum ac Sfortianorũ copijs nulla cõmoda denegabat. Verúmenimuero,neq; difficultatibus quibus à Genuenſium expeditione reiecti fuerant,neq; impedimentis in Aemilia obiectis,Petri Medicis temeritas frenabatur: qui clam & inconſulta rep.cum ſe cum pontifice & Alfonſo coniuxiſſet, obſtrinxiſſetq;,ſe palam regi Galliæ oppoſiturum,non modò vt claſſis Neapolitana receptum & commeatum in Liburni portu,facultatem præterea militem ex omni Florentinorum ditione euocandi haberet,permiſerat: ſed cum nullis iam terminis contineri poſſet,perfecit,vt Annibal Bentiuolus Ioannis filius,qui Florentinis militabat, cum ſuis & Aſtorris Manfredi copijs,ſeſe cum Ferdinandi exercitu ſimulac is Foroliuienſium agrum attigit,coniungerentur: ad quem etiam vt mille pedites atque tormenta aliquot à Florentinis mitterentur,effecit.Similis in pontifice animus continenter apparebat: qui ſupra armorum apparatum Carolum à tranſitu alpium epiſtola deterruiſſe,monuiſſeq; diſceptatione non armis ageret,minimè cõtentus , ei poſt altera epiſtola eadem ſub pœna ſacroſanctæ cenſuræ imperauit: per epiſcopum item Calaguritanum ſuum apud Venetos nuntium,vbi eandem ob cauſſam Alfonſi, ac, tametſi poſtulatis haud ita apertis, Florentinorum agebant oratores,Venetum Senatum magnopere extimulauit,vt ad cõmunem vtilitatem armis ſeſe Galliæ regi opponerent: aut ſaltem Ludouico Sfortiæ ſeriò denuntiarent,ſibi hanc rerum nouarum agitationem moleſtam eſſe : verùm ſenatus per ſuum ducem dato reſponſo, haudquaquã prudentis officium principis eſſe, bellum vt ab domo aliena remoueat, in propriam & ſuam pertrahere , nullo modo adduci potuit,vt aut verbis aut factis quicquam ſuſciperet,quod partibus diſplicere poſſe videretur.Ad hæc,quoniam Hiſpaniæ rex à pontifice & Alfonſo requiſitus , claſſem milite inſtructam ſe in Siciliam,vt regno Neapolitano ſi opus eſſet,ſuccurreret,ſed tardius fortè propter rei numariæ difficultatem,miſſurũ ſpondebat: pontifex ipſe ſupra certam ſummam ab Alfonſo ad eum miſſam,conceſſit,vt in hunc vſum pecuniam omnem ſedis apoſtolicæ autoritate in Hiſpania belli ſacri,quod Cruciatam vocãt, nomine coactam, poſ-

ſet

ſet conuertere: quam pecuniam in alios vſus,quàm contra religionis Chriſtianæ hoſtes, nefas erat inſumere: à quibus opprimendis, vſq;adeò alienæ cogitationes erant ipſorum,vt Alfonſus,præter alios antea ad Turcam ſubmiſſos,denuo Camillum Pandonum miſerit: quicum clam à pontifice Georgius Bucciardus Genuenſis quem aliâs quoq; Innocentius pontifex miſerat,profectus eſt: qui à Baiſetto maximo honore affecti, atq; illico ferè dimiſſi,auxiliorum magnifica promiſſa retulerunt: quæ,etſi non multo pòſt per legatum Neapolim à Baiſetto miſſum,confirmata eſſent, tamen, ſine locorum interuallo,ſiue quòd non ſatis Turca fideret Chriſtianis, nullum effectum habuerunt. Eodem tempore Alfonſus & Petrus Medices,cum parum proſperos terra mariq; ſucceſus haberent,Ludouicum Sfortiam ſuis artibus decipere, ſed haud feliciore induſtriæ euentu, quàm viribus,tentarunt. Opinio multorum fuit,Ludouico ex proprij periculi conſideratione,moleſtum fuiſſe regem Galliæ regno Neapolitano potiri: verùm,propoſitum eius fuiſſe,vbi ſe Mediolani ducem feciſſet,Gallorumq; exercitus in Ethruriam penetraſſet, ſeſe ad aliquam compoſitionem interponere,per quam ſe Alfonſus regis Galliæ ſtipendiarium agnoſceret: deq; pactorum obſeruantia & fide regi cautione data: ac forſitan ab Florentinis oppidis quæ in Lunigiana tenerent,ereptis,rex in Galliam reuerteretur: Sic Florentinis concuſſis, regno Neapolitano viribus atque autoritate diminuto, ipſe dux Mediolanenſium factus,tantum eſſet conſecutus,quantum ſatis eſſe ad ipſius ex periculis quæ ei ex Gallorum victoria imminere videbantur, ſecuritatem videretur: Speraſſe Carolum hyeme præſertim aduentante,in aliquam difficultatem venturum, qua ei victoriæ curſus impediretur: perſpectaq; naturali Gallorum impotentia,regemq; à pecunijs imparatum: multorum item ſuorum voluntate ab hac expeditione aliena: facilè fieri poſſe ſperabat,vt modus aliquis compoſitionis inueniretur. Quicquid horum ſit verum,illud tum eſt certum,quòd,quamuis initio Ludouicus quo Petrum Medicem ab Aragonijs diſiungeret,multum laboraſſet,cœpit pòſt eum occultiſſimè vt in ſua ſententia perſiſteret,hortari: eidemq; polliceri,ſe daturum operam,vt aut ne rex Galliæ tranſiret· aut ſi id non poſſet,breui &quidem prius quàm quicquam cis alpes tentaret,in Galliam reuerteretur: nec per legatum ſuum Florentiæ manentem, id ipſum negare non intermittebat: ſiue ea eius eſſet mens:ſiue iam in Petri exitium totus incumbens,eum eò vſq; in regem ferri cuperet,vt ei ad reconciliationem nullus aditus pateret. Petrus igitur cum de Alfonſi conſenſu eiuſmodi Ludouici conſilia regi Galliæ patefacere decreuiſſet,Mediolanenſem oratorem domum ſuam,quaſi ipſe parum integra valetudine vteretur, accerſiuit: prius tamen regis legato,qui Florentiæ agebat,vnde facilè eorum inter ſe ſermones exaudire poſſet,occultato: ibi Petrus claris verbis omnibus Ludouici ſuaſionibus ac promiſſis repetitis: atq; vt eius autoritate ductus, pertinaciter obſtiterat quo minus Caroli poſtulatis aſſenſus præberetur,grauiter expoſtulare cœpit, quòd is tam ſolicitè eius in Italiam tranſitum procuraret: ac,quando facta verbis minus reſponderent, ſibi neceſſarium eſſe ſtatuebat,aliquam rationem inuenire,ne ſe tanto periculo obſtringeret. Reſpondebat Mediolanenſis,de Ludouici fide Petro ſi non ob aliud,ob id ſaltem, quòd ei æquè pernicioſum eſſet,Carolum Neapoli potiri,nihil eſſe dubitandum: vtq; in eadem ſententia perſeueraret hortabatur: à qua ſi diſcederet, ſe Italiamq; vniuerſam in ſeruitutem pertracturum. His auditis Gallus orator ſtatim omnia regi ſuo patefecit, aſſerens eum ab Ludouico prodi: hæc tamen techna eum exitum nequaquam habuit,quem Alfonſus & Petrus ſperauerant: quin potius id à Gallis Ludouico patefactum,iram atq; odium prius in Petrum conceptum: ſolicitudinem præterea regis ne vltra tempus cunctando inutiliter tereret,ſtimulando,ardentiorem reddidit,atq; inflammauit. Iam verò non modò apparatus terra mariq; comparati,verumetiam aſtrorum hominumq; conſenſus futuras calamitates denunciabant Italiæ. In Apulia treis ſoles noctu,in medio,ſed nubilo per circuitum cœlo,cum fulgetris ac tonitruis horribilibus viſi: in agro Aretino innumerabiles armati viri equis ingentibus inſidentes terribili cũ ſtrepitu,ſonituq; timpanorum ac tubarum per medium aerem tranſire conſpecti: compluribus in Italia locis ſacras imagines & ſtatuas ſudaſſe,hominum aliorumque animantium monſtra complura paſſim nata: alia item non pauca præter naturæ ordinem diuerſis in partibus accidiſſe ferebantur: quæ omnia incredibili terrore mortales implebant,iam primùm ad Gallorum

potentiæ famam eiusq; nationis ferocitatẽ, qua (vt ex multis ſcriptoribus cogneſcebatur) olim vniuerſam ferè Itiliam percucurrerant prædatiq; fuerant: vrbem Romam ingenti abducta prẽda, ferro flammisq; vaſtauerant: non paucas in Aſia prouincias ſuo imperio ſubiunxerant: ac vix eſſe vllam orbis terrarum partem, quæ ipſorum armis tentata non eſſet. Verumenimuero cœleſtibus ſignis, prædictionibus, & prodigijs maiorem indies fidem appropinquantes exercitus conciliabant: Carolus enim ſuum propoſitum ſecutus, Viennam Delphinatus vrbem venerat: quem neq; totius regni preces, nec pecuniæ difficultas, quæ tanta erat, vt præſentibus negotijs, niſi quibuſdam gemmis, quas tum ab Sabaudię duce tum à Monferrati domina, quam Marcheſiam, ſiue Marcheſanam vocant, tum ab alijs aulæ principibus mutuò acceperat, oppignoratis, magnam pecuniæ ſummam contraxiſſet, proſpicere non poſſet, quin ipſemet in Italiam tranſiret, poterant remouere: nam, quam pecuniam ex Galliæ tributis coegerat: quamquè ab Ludouico mutuò acceperat partim in maritimis apparatibus, in quibus magnam victoriæ ſpem ab initio Galli repoſuerant, inſumpſerat: partim antequàm Lugduno diſcederet, in varios homines temerè effuderat: cumq; eo tempore principum in extorquendis pecunijs, vt pòſt dei hominumq; pudore conculcato auaritia immoderataq; cupiditas docuit, nõ eſſet prompta ſolertia, haud facilè erat, nouam pecuniam cogere: uſq; adeò tenues erant apparatus, ac tanti belli fundamenta: quòd rex temeritate magis atq; impetu, quàm prudentia & conſilio moueretur: Verùm, vt ſæpenumero euenire ſolet, vt quum ad rerum nouarum, magnarum, ac difficilium expeditionem uentum eſt, quanquam omnibus iam conſtitutis, hominum tamen mentibus, quæ in contrarium excogitari poſſunt, obuerſentur: cum iam iam rex profectionem adornaret, quin potius iam equitatus, alpes verſus procederet, graue in tota aula extitit murmur, dum alij communes tanti belli difficultates ad calculos reuocarent: alij ab Italorum ac Ludouici præſertim fraude, pericula: ab Florentia quoq; de eius dolis nuntium commemorantes: quam ſuſpicionem illud etiam augebat, quod tum fortè certa pecunia quam is mittere debebat, non expediebatur: quibus rebus fiebat, vt non modò audacter contradicerent (quemadmodum vbi conſilia, rerum euentis confirmantur, fieri ſolet) qui ſemper eam expeditionem repudiauerant: verumetiam ex ijs nonulli qui eis præcipui hortatores extiterant: atq; inter cæteros Maclouienſis epiſcopus, vehementer nutare cœperunt: ac tandem cum ad regis aures is rumor perueniſſet, talem in tota aula atq; adeò in ipſius regis animo commotionem excitauit, tantamq; ad belli ſtudium remittendum propenſionem, ut illico ſiſteret miles gradum imperarit: quamobrem, procerum non pauci qui iam in itinere erant, cum nequis in Italiam tranſiret, edictum eſſe audirent, in aulam reuerterunt: quæ quidem mutatio rerũ facile, vt creditur, proceſſiſſet, ni Iulianus cardinalis, & vt prius ſic etiam tunc pòſtq; Italiæ calamitatum fatale inſtrumentum, ſua tum autoritate, tum vehementia, regis ſpiritus qui iam fere congelarant, accendiſſet, animumq; ad prima conſilia reuocaſſet, ei nõ modo rationibus quibus ad tam glorioſam expeditionẽ fuerat excitatus, in memoriam reuocatis: ſed & ob oculos infamia qua apud cunctos mortales, ab leui tam magnifici conſilij mutatione notaretur, grauiſſimis ſtimulis propoſitis. Quam igitur ob rem Arteſij oppidis reſtitutis, ſui regni fines ea ex parte debilitaſſe? Quid tanta cum moleſtia non modò nobilitatis, verùm etiam populorum, regi Hiſpaniæ ditione Ruſcinonis tradita aditum in Galliam patefeciſſe? Cæteros reges aut quo ſe imminentibus periculis eximant, aut vt maxima ex eo commoda conſequantur, talia aſſentiri ſolere: verùm, quę neceſſitas, quæ pericula mouiſſe? quod premium expectare? qui ad eum fructus redundare, niſi ingenti precio, ignominiam multo maiorem ſibi comparare? Qui caſus exorti? quæ difficultates natæ? quæ pericula pòſt expeditionem apud omnes mortales promulgatã in lucem prolata? quin potius victoriæ ſpem fundamentis in quibus hoſtes omnem defenſionis ſpem poſuerant, eluſis, indies fieri maiorem: nam Aragoniorũ claſſem poſt vanam portus Veneris oppugnationem, in Liburni portum non ſine ignominia refugiſſe: nec eam contra Genuam, à tantis copijs atq; ab firmiore claſſe defenſam, aliquid iam poſſe: terreſtres verò copias in Aemilia paucorum Gallorũ occurſu vltra progredi non audere: quid agerent, ſi regẽ cum tanto exercitu iam alpes ſuperaſſe, fama per totam Italiam diſſiparetur? qui tumultus paſſim excitarentur? in quantum pontifex terrorem, vt

ex Vati-

ex Vaticano suo Columniorum arma in ipsis vrbis Romæ portis cerneret, conijceretur? Petri verò Medicis pauor, quantus? cum suosmet consanguineos, sibi infensos, patriam suam Gallico nomine addictissimam, cupidissimamq; libertatis ab ipso oppressæ, recuperandæ, videret? Regis impetum nulla re impediri ad regni Neapolitani fines vsq; posse: quò vbi primùm accesserit, eosdem tumultus terroresq; fore: nec aliud quicquam omni ex parte, quàm, aut defectionem, aut fugam: Vereri forsitan pecuniam sibi defuturam? quæ audito suorum armorum strepitu, tormentorumq; fulminantium horribilibus tonitruis, ab vniuersa Italia certatim ad eum sit afferenda: quòd si quis tamen ei sese vellet opponere, spolia, præda, opes de victis relata ad exercitum alendum satis superq; futura: propterea quòd in Italia, complures iam annos magis ad belli imaginem, quàm ad vera bella assueta, nerui nõ essent ad Gallicum impetum sustinendum. Itaq;, qui metus? quæ perturbatio? quæ somnia? quæ vmbræ inanes eius pectus occupasse? quo tam repente illam eius animi altitudinẽ abijsse? quo ferocitas, qua quatriduo antè se cunctam simul coniunctam Italiam vincere posse iactabat? Cogitaret sibi nequaquam esse integrum sua mutare consilia: res longè nimium processisse, propter oppidorum ab alienationem: propter auditos, missos, eiectosq; legatos: propter tam immanes quos iam fecisset sumptus, tantosq; apparatus: propter famam passim dissipatam: quòd ipsemet iam penè alpium iuga conscendere cœpisset: ac tametsi ea expeditio plena periculi foret, necessitate ad eam persequendam impelli: propterea quòd inter gloriam atq; infamiam, inter dedecus & triumphos, nullum reliquum esse medium: alterutrum prorsus esse necessarium, vt aut omnium regum maximus, aut contemptissimus habeatur. Quid igitur victoriam tam certam, triumphum tam illustrem temerari? Hæc in summa à Cardinali natura ipsius magis ac sententia, & gestibus violenta accensaq;, quàm verborum ornatu prolata, regis animum usq; adeò permouerunt, vt ijs modò auditis qui ipsum ad id bellum cohortabantur, eo ipso die Vienna, omnibus regni Galliæ regulis ac ducibus, Borbonio cui totius regni procurationem commisit, & Armiralio, nec non paucis alijs, quibus prouinciarum, quas maximè periculis opportunas esse rebatur, custodiam demandauit, exceptis, comitatus discederet: atq; per montem Genebrã, quòd his multo faciliorem transitum, quàm mons Cenisius, per quem olim, verúm difficultate incredibili, Annibal Cartaginensis, transierat (illę Cottiæ, hæ Pœninæ alpes hodie vocantur) præberet, in Italiam transiret: ac nona die Septembris anno Christi M CCCCXCIIII. Astam vrbem ingrederetur: quæ res secum calamitatum innumerabilium horribiliumque euentuum, atq; omnium penè mutationum seminarium in Italiam importauit: nam ab eius aduentu, non modò statuum mutationes, euersiones regnorum, regionum vastationes, vrbium excidia, cædes crudelissimæ, verumetiam inusitata noua vestimentorum genera, mores inauditi, noui & cruenti bẽlligerandi modi, morbi ad eam diem incogniti, originem duxerunt: quietisq; & concordiæ in Italia instrumenta adeò turbata sunt, ut quòd in ordinem iterum restitui non possent, externæ gentes barbarorumq; acies eam conculcandi vastandiq; habuerint facultatem: atq; vt nostra esset infelicitas maior, neúe victoris virtute nostra dedecora minuerẽtur, ille cuius aduentu tot mala sunt inuecta, quamuis tantis fortunæ donis esset cumulatus, idem tamen omnibus ferè naturæ animiq; dotibus vacuus erat: certum enim est, Carolum à puero constitutione admodum infirma, corporeq; male affecto fuisse: statura breui, vultu verò, excepto uigore, atq; oculorum dignitate, turpissimo: reliquis autem corporis partibus ita compositis, vt monstro similior quàm homini videretur: neq; solùm notitia bonarum artium prorsus caruit, verumetiam communium literarum notas ignorauit. Imperandi quidem cupidissimus fuit, sed ad quiduis potius quàm ad imperandum aptus, propterea quòd à suis perpetuò circumactus, cum eis neq; maiestatem neq; autoritatem vllam retinebat: à laboribus & negotijs omnibus alienus: in ijs tamen quibus operam accommodabat, omni prudentia iudicioq; destitutus: quòd si fortè quid in eo laude dignum apparebat, si quis penitus introspiceret, à virtute quàm à vitio id remotius esse comperisset: erat in eo quædam ad gloriam propensio, verùm impetu magis quàm consilio: liberalitas quoque, at inconsulta & sine modo ac delectu: immutabilis interdum in deliberationibus, verùm ita vt pertinacem potius sine modo, quàm constantem diceres: ac quam alij bonitatem

appellant, ea verius ſtupor atq; animi remiſſio quædam erat appellanda. Quo die igitur rex in vrbem Aſtam venit, eodem ſeſe ei lætiſſimo auſpicio fortunæ benignitas cœpit oſtendere. Nam Genua optatiſſimi nuntij ſtatim affuerunt, nuntiantes Federicum Aragonium, poſtquam ſeſe à Veneris portu in Liburni portum recepiſſet, ibiq; claſſem recreaſſet, nouos milites conduxiſſet, ad eadem litora reuerſum, Obiectum Fliſcum cum tribus peditum millibus in continentem expoſuiſſe: qui citra difficultatem Rapallo, quod ab Genua milliaribus viginti diſtat, occupato, circumuicinã oram infeſtam habere cœpiſſe: quod initium cum haud parui momenti eſſet, quòd in ea ciuitate partibus infecta, omnis, quantumuis exiguus motus, periculoſiſſimus eſt: ijs qui in vrbe erant, vt maiores ab hoſtibus progreſſus fierent, vltra perferre viſum non fuit: idcirco militum parte vna ad Genuæ cuſtodiam relicta, pedibus cum reliquis copijs Rapallum verſus Sanſeuerinates fratres mouerunt: Ioannes verò Adurnius Auguſtini Genuenſium præfecti frater cum Italorum cohortibus: Auerelianenſis autem dux cum mille Heluetijs in claſſe, in qua triremes decem & octo, longæ naues ſex, aliaq; maiora nauigia nouem: qui ad Rapallum omnes coniuncti, magno impetu in hoſtem qui ad pontem inter Rapalli ſuburbium, & planiciem quandam anguſtam ad mare vſq; protenſam conſtiterant, inuaderunt: Aragonijs non parum adiumenti loci aſperitas afferebat: cuius cauſſa magis quàm vlla hominum opera, illius oræ loca munita ſunt: hac de cauſſa initium pugnæ non ſatis auſpicatum hoſtibus videbatur: & iam Heluetij quòd loco eſſent ad ſuas acies explicandas inepto, pedem relaturi videbantur: verùm cum ab omni parte oppidani Adurnię factionis homines inter illa ſaxa montesq; aſperrimos, pugnare boni, tumultuoſe concurrerent: Aragonij præterea ab claſſe Gallica quæ ad litus quantum poterat acceſſerat, tormentis per latus peterentur, difficulter hoſtium impreſſionem ſuſtinere cæperunt: cumq; iam de ponte repulſi eſſent, Obiecto, cuius factionis homines nundum ſeſe commouerant, nuntiatum eſt Ioannemaloiſium Fliſcum cum non parua manu aduentare: quamobrem, ne à tergo inuaderentur veriti, fugam capeſſere, ipſeq; Obiectus, exulum more, primus, per viam quæ in montes ducit, cœperunt: è quibus partim in pugna, partim in ipſa fuga ſupra centum cecidere: quæ clades nequaquam exigua pro ea pugnandi ratione, quæ tunc in Italia erat in vſu, cenſenda eſt: multi eodem modo capti fuerunt: inter quos Iulius Vrſinus, qui Alfonſo militans cum quadraginta cataphractis atq; aliquot hippotoxotis, claſſem ſequebatur: item Fregoſinus Fregoſij cardinalis filius, & Orlandinus ex eadem familia natus. Hac victoria Genuenſium res in tuto prorſus poſitæ ſunt: propterea quòd Federicus Aragonius, qui ſimulac milites in continentem expoſuiſſet, ne in Rapallenſi pugnare ſinu cum hoſtili claſſe cogeretur, ſeſe in altum receperat, quòd ſe aliquid tunc proficere poſſe deſperaret, iterum claſſem in Liburni portum reduxit: ac quanquam ibi nouos milites comparaſſet, variaq; animo de quopiam alio litoris loco inuadendo agitaret, nihilominus tamen, vt ex aduerſis expeditionum initijs animus cum exiſtimatione amittitur, nihil vltra memorabile tentauit, Ludouico Sfortię iuſta occaſione gloriandi relicta, ſua induſtria & conſilijs aduerſarios irriſos eſſe: quòd nulla re alia Genuenſium res eſſent conſeruatæ, quàm expeditionis mora: ſuis artibus atq; inani ſpe procurata. Ad Carolum autẽ qui Aſtæ erat, ſtatim Ludouicus Sfortia cum vxore ſua Beatrice ingenti pompa atq; ſplendidiſſimo nobilium & forma præſtantiſſimarũ ex tota Inſubria mulierum comitatu, conuolauit: cui & dux Ferrarienſium Hercules aderat: ibi cum de re communi ageretur, conſtitutum fuit, vt quamprimum fieri poſſet, exercitus procederet: atq; vt id fieret diligentius, Ludouicus veritus ne tempeſtatis aſperitate aduentante, rex eam hyemen in Mediolanenſium ageret terris, regi denuo pecuniam mutuo, qua non mediocriter egebat, dedit: is tamen eo morbo, quas variolas noſtri vocãt, veteres papulas appellabant, correptus, Aſtæ menſem vnum morari coactus eſt: itaque exercitum partim in vrbe, partim in circumuicinis oppidis diſpoſuit: cuius militum numerus, quantum ex varijs multorum ſententijs uero propius colligere licet, præter ducentos nobiles ad regis præſidium deſtinatos, Heluetijs qui præfecto Diuionenſi (Balliuum illi vocant) duce, Genuam venerant, eosq; qui in Flaminia ſub Obigneo militabant computatis, mille & ſexcentos cataphractos, quibus ſingulis Gallico more bini armigeri attribuuntur, ita vt ſinguli cataphracti, quos ipſi Lanceas vocant, equos ſex ducant:

cant, continebat: sex item millia Heluetiorum peditum, totidem Gallorũ, è quibus tria millia erant ab Aquitania, ex qua prouincia, iudicio Gallorum, pedites ad bella gerenda aptiores, quàm ab vlla Galliæ parte, educuntur: tormentorum præterea ingens numerus, tam muralium quàm campestrium nauigijs Genuam aduectus fuerat, in eum finem vt cum exercitu coniungerentur: quæ quidem tormenta erant eiusmodi, vt eis pares nunquam vidisset Italia. Hæc pestis complures annos ante in Germania inuenta, in Italiam à Venetis primùm eo bello quod circa salutis annum millesimũ trecentesimum & octuagesimum cum Genuensibus gesserunt, inuecta fuit: quo bello classe Veneti superati, & Clodia amissa, vehementer afflicti, ad victoris arbitrium res componere cogebantur, nisi tam præclarę occasioni moderatum consilium defuisset. In his machinis, quę maiores erant, Bombardæ vocabantur: quarum postea vsu per Italiam vniuersam dissipato, ad oppidorum oppugnationem adhiberi cœperunt: quarum aliæ è ferro, ære Cyprio aliæ conflabantur, verùm usq; adeo ingentes, vt partim mole sua, partim hominum imperitia, atq; instrumentorum ad eas regendas non satis apta confectione, tardissimè, nec sine maxima difficultate vehebantur: eadem difficultate ad oppugnationes firmabantur: quod vbi erat factum, tanto interuallo displodebantur, rursumq; ad nouos iactus instruebantur, vt exiguo admodum successu, præ eo qui postea vsu magistro secutus est, multum temporis insumeretur: ex quo illud sequebatur, vt locorum quæ oppugnabantur propugnatores, satis ad munitiones ociosè restaurandas temporis haberẽt: cum tamen nitri (salnitrum uocant) quo puluis tormentarius conficitur, violentia, appositò igni, vsq; adeo horrendo fulminis tonitru atq; impetu globi per inane volarent, vt hoc tormentum etiam prius quàm tantam perfectionem obtinuisset, omneis machinas, quibus ad oppidorum oppugnationes, magna cum Archimedis aliorumq; inuentorum gloria, veteres vsi erant, ridicula faceret. Verùm Galli, machinis huiusmodi agilioribus, nec alia ex materia, quàm æris quadam mistura, quam cuprum vocant, nos paulo antè æs Cyprium latinè nominauimus, quos canones appellabant, conflatis: pilis præterea ferreis, cum antè lapideis, eisq; longè maioribus grauioribusq; vterentur, eas carris impositas, non quidem boum iugis vt in Italia mos erat, sed equis ea hominum atque instrumentorum agilitate, vt pari ferè cum exercitibus gradu incederent: & muris admotæ incredibili celeritate statuebantur: cumq; paruo admodum interuallo disploderentur, vsq; adeo crebris atq; violentis ictibus verberabant, vt quod prius in Italia multorum dierum spacio fieri solebat, ab his, pauciſſimis horis perficeretur: qua tartarea pocius quàm humana machina non minùs in campestri pugna, quàm in oppidorum oppugnationibus, vtebantur: ijsdem igitur, atq; alijs minoribns tormentis sed eadem agilitate celeritateq; pro rata cuiusq; portione & conflatis, & aduectis, fiebat, vt Caroli exercitus toti Italiæ valde formidabilis esset: præterea verò etiam, non tam numero quàm virtute hostium nostri non parum terrebantur. Nam cum equites omnes ferè ex Gallię oppidis, neq; tamen plebeis, sed nobilibus, qui haud prorsus ducũ arbitrio admitterentur, remouerentur vè constaret: stipendia quoque non ab ipsis ducibus sed ab regijs præfectis caperent, turmas habebant non modo numero integras, verumetiam robore & virtute florentes, equis bonis armisq; preclarè instructas, cum & per inopiam id facere minimè prohiberentur: & certatim quisq; alterum superare partim honoris, quem in hominum pectoribus generis claritas alit, impulsu cõtenderet: partim quòd ex fortiter factis prędmia tum extra militiam, tum in ipsa militia sperare poterant: quę ita erat constituta, vt per gradus ad ducis munus pateret ascensus: Ijsdem stimulis centuriones omnes ferè proceres, & reguli, quiq; generis nobilitate cæteris præstabant, cunctiq; alij regis Galliæ imperium agnoscentes, agebantur: qui suæ turmæ certo equitum numero definito (nemini enim illius regni more supra centum cataphractos ductare vlli licitum fuit) nihil magis in votis habebant, quàm suo regi probari, eiusq; fauorem emereri: ex quo fiebat, vt nec mutandi domini ex inconstantia cupiditas: nec ambitio aut auaritia, qua cum reliquis duabus, vt maiore militum numero eos anteirent, æmulatione certarent, inter eos locum habebat: quæ omnia secus habent in Italorum militia, in qua equitum pleriq;, siue rustici, siue plebei, quiq; alius principis imperio subiecti, prorsusq; ex suorum ducum nutu pendentes, cum quibus de stipendio agendum erat, in quorum erat arbitrio eos & in militiam a-

ſcribere,& ornare ſtipendijs,hi neq; natura,neq; caſu ad nauiter militandum impellebantur: quin & ipſi duces ac centuriones rarò eius qui eos conducebat, erant ditionis: qui ſæpenumero ſua commoda finesq; diuerſos propoſitos haberent: æmulatione, atq; odijs inter ſe mutuis pleni: quorum militiæ nullus eſſet terminus definitus: verè ſuorum militum domini,numerum cuius gratia ſtipendia capiebant,non habebant:nec honeſtis conditionibus contenti,quauis occaſione precia dominis cupidè imponebant: atq; in eodem munere inſtabiles,ſæpe ad alia ſtipendia tranſitiones faciebant: ambitione interdum aut auaritia,aut alijs rebus,vt non modò inconſtantes eſſent,verùm etiam infideles, impellente. Nec minor inter Italos,& eos qui cum Carolo erant pedites,diuerſitas apparebat: Itali enim ſtataria pugna certo ſeruato ordine minimè pugnabant, ſed per campos diſperſi ſeſe plerunque ad aggeres & foſſas recipientes: verumenim, Heluetij gens bellicoſiſſima,quiq; longo militiæ vſu,multisq; præclariſſimis victorijs,veteris feroc itatis famam renouauerant,ſtatario ordine ſeruato,ordinibusq; ad certum militum numerum conſtitutis,in pugnam deſcendebant: ac nemine ſuum ordinem deſerente, muri inſtar firmi atq; penè inuicti ſeſe,ſi quidem pugnæ locus talis eſſet,vt acies ſuas explicare poſſent,hoſtibus opponebant: eadem quoq; diſciplina & ordine,ſed non eadem virtute, Galli Aquitaniq; pedites depugnabant. Dum verò rex aduerſa valetudine præpeditus,moram Aſtæ trahit,nouus circa Romam tumultus exoritur: nam Columnij, qui, etſi Alfonſus eorum iniqua poſtulata admiſiſſet,ſimul ac Obigneus cum Gallicis copijs in Flaminiam eſſet ingreſſus,nihil iam diſſimulantes ſe Galliæ regis partes ſequi, Oſtiæ arcem quorundam Hiſpanorum,qui in præſidio arcis erant,opera, occuparunt. Coegit hoc factum pontificem,vt apud omnes principes,præſertim verò Hiſpaniæ regem,Venetumq; ſenatum,de iniuria ab Gallis illata,expoſtularet: à quo, etiam, etſi fruſtra,auxilia ex fœdere ſuperioris anni poſtulauit:quare,animo conſtanti ad belli apparatum conuerſus,ac Proſpero Fabricioq; citatis,cum non parerent,ædes quas Romæ haberent, demoliri iuſſit,copijsq; ſuis,cũ parte earũ quę Alfonſo Virginio duce militabãt, ad flumen Teueronẽ propè Tibur,coactis,in Columnenſium fines:qui ducentos tantùm grauis armaturæ equites,& mille pedites habebant, iuſſit inuadere: ſed poſtea veritus pontifex ne Gallica claſſis, quam fama erat Genua vt Oſtię opem ferret,proficiſci, ad Neptunũ,Columnenſium portum receptum haberet, Alfonſus copijs omnibus quas pontifex ipſeq; in eis locis,haberent,Terracinę collectis,ibi caſtra,eius expugnationem haud difficilem ratus,poſuit: verùm enim,Columnijs ſtrenuè propugnantibus: cumq; in eorum fines CamilliVitelli à Ciuitatecaſtello,eiusq; fratrum qui recens in Gallicas partes tranſierãt, copiæ ſine impedimento iam penetraſſent,pontifex ſuarum partem copiarum quæ cum Ferdinando in Aemilia erant,Romam reuocauit: cuius res non eo felicitatis curſu procedebant,qui initio ſeſe oſtentare videbatur: nam cum Villafrancam inter Forum Liuij & Fauentiam peruenisſet,indeq; Imolam verſus via regia iter arriperet,hoſtium exercitus qui prope Villafrancam conſederat,quòd viribus eſſet impar,ſeſe inter Luci & Colombariæ ſyluam, ad Genioli foſſam, locum natura munitiſſimum,in Herculis Eſtenſis ditione,à qua commeatum capiebat,recepit: quam obrem cum Ferdinandus pugnandi citra grauiſſimum propter ſitus difficultatem periculum,facultatem ſibi ereptam videret,copias Tuſcanellam haud procul ab Sanpetri caſtello,in Bononienſiũ fines eduxit: cum enim pugnandi cupiditate teneretur,Bononiam verſus ſimulata profectione, quo minus eis progredi liceret,hoſtibus neceſſitatem in locis non uſq; adeo munitis caſtrametandi imponere ſatagebat: verùm illi paucis diebus pòſt Imolæ appropinquantes, ad Santerni flumen,Lucum inter & Santagatam à tergo Padum habentes,caſtrorum loco diligenter munito,conſtitere. Caſtra Ferdinandus poſtridie ad idem flumen Mordano & Bubano haud procul,ab hoſtium verò caſtris ſex paſſuum millibus poſuit: atq; inſequenti die exercitum ad pugnam inſtructum mille ab hoſte paſſibus produxit: Vbi autem eos horas aliquot fruſtra,in planicie ſua amplitudine ad explicandas acies commodiſſima,expectaſſet: exiſtimaretq; nõ ſine manifeſto periculo caſtra eo loco inuadi poſſe,Barbianum Cotignolæ prædium ſuburbanum,non quidem montes verſus, vt antea fecerat,ſed ad hoſtilium caſtrorũ latera ſe recepit,eodem ſemper conſilio, vt eos ſi quo modo fieri poſſet,ex tam munitis caſtris eliceret. Ad eam diem Calabriæ ducis res maiore

iore autoritate,quòd & hoſtes,ſe potius caſtrorum munitionibus,quàm armorum virtute defendentes,pugnam detrectaſſent: & ſi quando leuis armaturæ equites vtrinq; concurriſſent,Aragonij potius ſuperiores euaſiſſent,proceſſiſſe videbantur: at,cum poſt indies Gallicæ & Sfortianæ copiæ,ijs militibus qui initio retrò remanſerant ſuperuenientibus,creuiſſent,belli fortuna cœpit commutari: quam ob cauſſam,Ferdinandus,ardore,ducum qui apud ipſum erant conſilijs,refrigerato,ne ſe fortunæ niſi meliore loco cõmitteret,ad Santagatam Ferrarienſis ducis oppidum copias reduxit: vbi, cum peditatu ſe atq; parte equitatus,quam pontifex reuocauerat diminutum,inq; Ferrarienſis ditionis medio cerneret,vt ſe muniret,operã dabat: quo in loco dies paucos commoratus, cum ducentos cataphractos,atq; unà Heluetios pedites mille,in hoſtium caſtris ab rege Galliæ ſimul ac Aſtam vrbem attigiſſet miſſos,expectari didiciſſet,ſeſe intra Fauentię ſuburbana recepit,qui locus inter vrbis mœnia & foſſam circiter mille ab vrbe paſſus circunductam habens,totam ambit vrbem: eumq; ſitum bene munitum præſtat locus, Cerca,à Fauentinis appellatur: ex hoc Fordinandi facto,hoſtis caſtrorum ab eo derelictum ad Santagatam locum occupauit.pugnandi voluntatem vterq; exercitus præ ſe quidem tulit,vbi hoſtem inferiorem vidit: verùm æqualis viribus,pugnæ aleam vterq; vitabat: ex quo id accidit,quod rariſſimè ſolet,vt vnum idemq; conſilium duobus contrarijs exercitibus probaretur: Exiſtimabant Galli ſeſe id obtinere,quamobrem ex Mediolanenſium finibus proceſſerant,ſi,vt ne Aragonij vltra progrederentur,obtinerent: Alfonſus quoq; rex,non parum ſe profeciſſe ratus,ſi hoſtium progreſſus ad vſq; hyemem diſtinerentur, & filio ſeriò mandauerat,& Ioannijacobo Triultio Petilianoq; iniuxerat,ne in fortunæ poteſtatem ſine magna occaſione regnum Neapolitanum,quod illo amiſſo exercitu, amiſſum exiſtimaret,poneret: verùm hæc ad eius ſalutem remedia erant infirma: quoniam Carolus,neq; anni tempore,neq; vlla præterea difficultate eius impetu retardato, ſimulatq; ex morbo conualuit,exercitum mouit. Grauiſſimo oppreſſus morbo in Papiæ arce decumbebat Ioannesgaleacius Mediolanenſium dux,regis conſobrinus (ambo enim ex duabus ſororibus, Ludouici 11. Sabaudiæ ducis filiabus erant nati) quem rex Papia iter faciens,inque eadem arce receptus,humaniſſimè adijt. ſermo quidem nihil habuit peculiare,propter Ludouici præſentiam: tantùm ſe ex eius aduerſa valetudine moleſtiam capere demonſtrauit: eumq; eſt ad ſanitatem bona ſpe procurandam hortatus; verùm tum regis,tum eorum qui cum eo erant animus miſeratione non parum commouebatur: cum nemo eſſet qui non certò ſibi perſuaderet,miſeri iuuenis vitam patrui inſidijs breuiſſimam fore: augebat etiam dolorem Iſabellæ vxoris eius præſentis conſpectus,quę non ſolùm de mariti paruuliq;,quem ex eo ſuſceperat,filij,ſalute ſolicita,verùm etiam ex patris aliorumq; ſuorum periculo mœſtiſſima,ſeſe in omnium conſpectu ad regis pedes admodum miſerabiliter abiecit:eiq; cum lacrymarum flumine patrem ſuamq; Aragoniam domum commendauit: cui rex, etſi eius ætate eximiaq; pulcritudine moueri ſe ad miſericordiam minimè diſſimularet,nihilominus tamen,cum tam graues motus leui occaſione ſiſti nequirent,reſpondit,res eò vſq; adductas eſſe, vt expeditionem vrgere,atq; in ea perſiſtere cogeretur. Papia profectus rex, Placentiam venit: vbi cum conſtitiſſet,nuntij de Ioannisgaleacij morte ſuperuenerunt: quamobrem, Ludouicus qui regem erat ſecutus,magna celeritate Mediolanum reuerſus eſt: vbi à Senatus principibus ab ipſo ad id ſubornatis,relatum ad conſilium fuit,ut cum propter imperij Mediolanenſis magnitudinem,tum etiam temporum quæ Italiæ imminerent, difficultatem, rem fore pernitioſiſſimam,ſi Ioannisgaleacij filius quinq; annorum puer,ſuccederet patri: principem hîc requiri prudentia atq; autoritate magnum: idcirco publicæ ſalutis ac neceſſitatis cauſſa,à lege, quod & ipſa iura permittunt paululum deflectendum, Ludouicumque vt huius imperij dignitatem nomenque, onus hiſce temporibus grauiſſimum,communis boni cauſſa velit ſuſcipere, cogendum eſſe: quo prætextu honeſtate ambitioni cedente,etſi nonnihil per ſimulationem reluctaretur, manè inſequentis diei, nomen atq; inſignia Mediolanenſis imperij ſuſcepit,prius ſeorſim conteſtatus,ſe ea tanquam ad ſe ex regis Romanorum diplomate,iure ſpectantia ſuſcipere. Rumor à nonnullis fuit diſſipatus,Ioannisgaleacij interitum ex veneris vſu immoderato,proueniſſe: creditum tamen in tota fuit paſſim Italia,eum non naturali morbo,non aliqua intemperan-

tia,ſed veneno eius mortem procuratam fuiſſe: quin & Theodorus Papienſis, qui vnus è regijs medicis fuit,quiq; aderat cum à Carolo viſitaretur,ſe manifeſtiſſima veneni ſigna deprehendiſſe affirmauit: nec quiſquam fuit qui ambigeret,ſi venenum fuit,quin patrui opera ei datum fuiſſet: qui abſoluta gubernatoris in Mediolanenſium imperio poteſta te non contentus: ac pro communi magnorum hominum cupiditate,inſignibus atq; ho noribus fieri cupiens illuſtrior,multoq; magis quòd ad ſuam ipſius ſecuritatẽ,filiorumq; ſucceſſionem,legitimi principis mortem neceſſariam eſſe exiſtimaret,in ſe transferre ac ſtabilire ducis tum poteſtatem, tum nomen voluiſſe: qua cupiditate, ad tantum ſcelus patrandũ eius alioqui manſueta atq; à ſanguine abhorrens natura,fuerit impulſa: fuitq; ab omnibus ferè creditum,hac eum mente iam tum fuiſſe cum primùm de Gallis in Italiam adducendis agere cœpit: opportuniſſimam occaſionem ratus dirum propoſitum perficiendi,eo tempore,quo,quòd rex Gallię in Iuſubria tanto cum exercitu eſſet, animum vnicuiq; defuturum ad tantum ſcelus vlciſcendum,exiſtimaret.Fuerunt qui recens hoc conſilium crederent,ex metu regis exortum : veritus, vt ſunt repentina Gallorum conſilia,ne rex ad Ioannem galeacium à tanta ſeruitute liberandum temere procederet: ſiue ſanguinis propinquitate atq; ætatis miſericordia commotus, ſiue quòd ad ſecuritatem ſuam magis facere arbitraretur,Inſubriæ imperiũ in conſobrini poteſtate eſſe, quàm Ludouici:cuius fidem,qui apud regem ſuſpectam reddere conarentur,minimè deerant. Verumenimuero,quòd Ludouicus ſuperiore anno diploma procuraſſet : paulòq; ante nepotis obitum monumẽta tam ſolicitè expediri ab imperatore poſtulaſſet,id arguit potius rem præmeditatam ac voluntariam,quàm ſubitam præſentisq; periculi metu, conſtitutam.Subſtitit aliquot dies Placentiæ Carolus,non ſine animi propenſione vltra montes redeundi: nam,tum quòd à pecunia ſatis eſſet imparatus,tum quòd nihil in Italia noui ſua cauſſa exiſtere animaduerteret: quæ res non parum ancipitem regis animum de rerum ſuarum ſucceſſu reddebat : accedebat etiam ſuſpicio ex nouo duce concepta: quem fama erat,tametſi ab rege diſcedens,ſe rediturum promiſiſſet,minimè rediturum. Nec abſurdum eſt,cum tranſalpinis gentibus ſceleratus ille homines veneno tollendi mos,in multis Italiæ locis vſitatus,penè ſit ignotus, Carolum totumq; eius comitatum, præterquam quòd eius fidem ſuſpectam habebant,Ludouici nomen horruiſſe: quinetiam ſe graui affectum iniuria exiſtimaſſe,Ludouicum,quo facinus tam deteſtandum citra periculum perficere poſſet,ſuum in Italiam aduentum procuraſſe:conſtituit tandem nihilominus procedere,quemadmodum à Ludouico continenter vrgebatur: qui & regi ſe intra paucos dies rediturum ſubinde confirmabat: quippe & in togata Gallia diutius hærere,& trans alpes domum temere redire,ab eius conſilijs prorſus erat alienum. Quo die rex Placentia mouit,ad eum Laurentius & Ioannes Medicei venerunt: qui è ſuis villis clam fuga elapſi,regi inſtabant vt Florentiam accederet,magnifica de præſtanti Florentinorum erga reges Galliæ voluntate pollicentes: neq; minora de ipſorum in Petrum Medicem odio,in quem ex nouis offenſionibus non parum aucta erat regis ira: nam cum rex ex Aſta vrbe legatos Florentiam miſiſſet,qui,ſi regi liberum tranſitum permitterent,atq; in poſterum ab Alfonſi defenſione deſiſterent, multa pollicerentur: ſin perſtare in priſtina ſententia mallent,graues adderent minas: eisq; mandaſſet, ni actutum aſſentirentur,diſcederent: Florentini dilationis prætextum quærentes, reſponderant: quoniam optimantes,vt erat eo anni tempore conſuetum,in ſuis eſſent villis, certum ſe tam repente reſponſum dare non poſſe: verùm breui oratorem miſſuros, qui de ipſorum mente regem certiorem faceret.Erat in regio conſilio conſtanter decretũ, melius eſſe illud iter tenere,quod per Hethruriam & Latium rectà Neapolim ducit, quàm quod per Flaminiam Picenumq;,Truento amne tranſmiſſo,in Brutios exit: haud equidem quòd ſe copias Aragoniorum,quæ vix Obigneo reſiſterent, pellere poſſe diffiderent: ſed quòd tanti regis magnitudine,ſuorumq; armorum gloria indignum videretur, cum ſe pontifex Florentiniq; hoſtes eſſent profeſſi,occaſionem hominibus præbere exiſtimandi,idcirco regem iter illud vitare,quaſi inuitis hoſtibus ſe poſſe perrumpere, deſperaret: atq; id eò magis quòd bellum in regno Neapolitano,Hethruria pontificisq; dition à tergo relictis,gerere,periculoſum cenſeretur: itaq; Hethruriæ iter ingreſſi,Apenninum,Parmæ iugis ſuperatis,tranſire potius,vt Ludouicus Sfortia Piſani imperij cupi-

dus.

dus Astæ iam suaserat, quàm recta per Bononiensem agrum, decreuerunt: idcirco primùm agmen Gilbertus Mompensierius è Borbonia gente, regij sanguinis princeps, præfectus erat, Rege cum reliquis copijs subsequente, Pontremulum Modiolanensis imperij oppidum ad radices Apennini Macræq; fontem situm, quo Genuensium imperium, quę Liguria veteribus fuit, ab Hetruria dirimitur, peruenit. Pontremulo, in Lunigianę fines Mompensierius ingressus est: cuius pars Florentinis, pars Genuensibus parebat: reliqua Malaspinæ reguli, quos Marchiones hodiè vocant, obtinebant: quorum alij Mediolanensis ducis, alij Florentinorum, pars etiam Genuensium tutela, suas exiguas sedes tuebantur. His in locis Heluetij qui in præsidio Genuæ fuerant, tormentaq; bellica, pelago Spediam conuecta ei se adiunxerunt: qui cum Fiuizano, Florentinorum castello, quo eos Gabriel Malaspina Fossenouæ Marchio ipsis commendatus, adduxerat, appropinquassent, vi ceperunt, ac diripuerunt, cunctis militibus externis qui ibi erant, atq; vnà oppidanorum non paucis trucidatis: quæ res noua, maximoq; terrori toti fuit Italię, diu iam bellis pompa atq; apparatu speciosis magis, ludisq; similibus ferè, quàm periculosis & cruentis, assuetæ. Resistendi præcipuum conatum Florentini in Serzana reposuerant, paruum oppidum atq; ab eis benè munitum, verùm non equidem vt par fuerat aduersus tanta hostis potentiam: propterea quòd neq; ad bellum gerendum ducem idoneum: neq; manum satis firmam imposuerant: nam milites qui in præsidio erant ad solam Gallici exercitus appropinquantis famam, animos abijcerant: nihilominus tamen haud facilè expugnari posse videbatur, arx præsertim, ac multo minus Serzanellum, arx munitissima, Serzanæ, è vicinio colle in quo sita est, imminens. Neq; enim diu his in locis exercitus morari poterat, regione videlicet sterili, & angusta, vtpote inter mare montemq; coarctata, atq; ad tantam multitudinem alendam minimè idonea: sed neq; aliunde, nisi è remotis locis, commeatus eò importari poterat: quæ res faciebat vt præsenti necessitati minimè opportunè succurri posse videretur. Vnde apperebat regias res in nõ paruas angustias adduci facilè posse: nam, etsi impediri non poterat, quo minus Serzanæ oppido, Serzanelliq; arce à tergo relictis, Pisas inuaderet: aut per Lucensium fines, qui Ludouici opera regem recipere occultato consilio decreuerant, in aliam Florentini imperij partem ingrederetur: tamen inuitus ad id descendebat: quòd existimaret, nisi primum oppidum quod sese ei opposuerat, expugnaret, tantum de sua autoritate detraheretur, vt alij facilè ad idem audendum inducerentur. Verùm, in fatis erat, vt aut fortunæ beneficio, aut altioris potestatis decreto (si quidem mortalium stultitiæ peccataq; tales merentur excusationes) his impedimentis, subitum remedium superueniret: propterea quòd in Petro Medice, neq; animus maior, neq; constantia in rebus aduersis: quàm aut moderatio, aut prudentia in prosperis, fuit. Creuerat indies dolor quem ab initio Florentina ciuitas ex eo quòd sese regi opponerent, conceperat, non tam quòd vniuersi Florentini mercatores denuò tota Gallia excluſi essent, quàm quòd Gallorum potentiam metuerent: qui metus, vbi regiæ copiæ Apenninũ superare intellectum est, deinde etiam ex ea crudelitate qua in expugnatione Fiuizani vsi Galli fuerant, auctus in immensum fuerat: quamobrem, omnibus inuisa palam Petri Medicis temeritas erat, qui nulla adductus necessitate, magisq; sibi, & quorundam ministrorum temerarijs consilijs, in pace arrogantium, in periculis timidorum atq; inutilium, quàm ciuibus paternis amicis, sana consilia dantibus credens, tanta temeritate potentissimi Galliæ regis arma, Mediolanensis ducis auxilijs aucta, prouocasset: præsertim ipso rei militaris imperito: neq; vrbe, neque cæteris Florentini imperij locis satis munitis: à militibus atq; alijs quibus tantum impetum sustinere possent, nudis: cum neq; ab Aragonijs quorum caussa se tanto periculo exposuissent, aliud nihil se ostenderet, pręter Calabrię ducem, in Flaminia vnà cum suo milite vnius tantùm Gallici exercitus particulæ occursu, impeditum: idcirco eorum patriam ab omnibus destitutam, ingenti odio & prædæ manifestæ eorum qui tanto studio ne eis nocere cogerentur, procurabant, exponi. Hæc totius ferè ciuitatis studia, à pleris q; nobilibus, quibus tum is qui tunc erat reip. status, summopere: tum quòd vna familia vniuersæ ciuitatis potestatem iuraq; sibi arroganter sumpsisset, displicebat: hi, & timore augendo eorum qui sua sponte timebant: & audacia eorum qui res nouas desiderarent, accendenda, ita vulgi animos commouerant, vt iam ne quis in ciuitate tumultus

exiſteret,omnes metuerent: ad quod quidem magis Petri ſuperbia,naturæq́;,impotentia incitabat: qui multis in rebus à ciuitatis moribus atq; à ſuorum manſuetudine maiorum diſcedens,iam ferè à puero ſemper ciuium multitudini fuerat inuiſus: & quidem inter omnes conſtat patrem eius Laurentium filij natura perſpecta, ſæpenumero inter intimos ſuos de eius imprudentia atq; arrogantia queſtum eſſe: quam dicebat ſuæ domus ruinam aliquando parituram. Periculo igitur Petrus,quod antè temere contempſerat,conſternatus,cum ſe pontificis atq; Alfonſi ſubſidijs quæ promiſerant,tunc ob amiſſam Oſtiam,& Neptuni oppugnationem,claſſisq́; Gallicæ metum, irretitis,deſtitutum, animo præcipitante decreuit eam ſalutē ab hoſtibus petere,quam ſe ab amicis accipere poſſe deſperabat: in eo patris exemplum ſecutus:qui cum anno ſalutis M C C C C L X X I X. ob bellum à Xiſto pontifice Ferdinandoq́; Neapolitanorum rege Florentinis illatum, in grauiſſimo periculo verſaretur, Neapolim ipſe ad Ferdinandum profectus,& publicam pacem,& priuatam ſecuritatē Florentiam reportauit. Verùm, eſt omnino periculoſum, actiones exemplis moderari,niſi eędem rationes non in vniuerſum,ſed ſingulatim omnes concurrant: deinde niſi eadem prudentia gubernentur: & poſtremò niſi præter cetera omnia,ſuas eadem fortuna partes agat. Hoc conſilio Florentia profectus,cum haud multum proceſſiſſet, Pauli Vrſini equites cum peditibus trecentis à Florentinis Sereſanam præſidij cauſſa miſſos, ab aliquot Gallis, qui vltra Macram excurrerant, maiorem partem aut cæſos,aut captos fuiſſe accepit. Progreſſus tamen Petraſanctam,Fanum Feroniæ olim dicebatur,ibi publicam regis fidem quam poſtulauerat,expectauit: quò, vt eum tutò deducerent,Maclouienſis Epiſcopus vnà cum aliquot alijs aulæ principibus, venit: his comitatus,eodem die ad exercitum peruenit,quo die rex cum reliquis copijs, ſe cum eo agmine qui præceſſerat,coniunxit: quod quidem agmen poſitis ad Sereſanellum caſtris,eam arcem oppugnabat,ſed non eo ſucceſſu,vt ſe expugnaturos ſperarent. Petrus in conſpectum regis adductus: ab eoq́; regia comitate,frontè tamen magis quàm animo acceptus,haud parum eius iram omnibus eius poſtulatis,quæ magna atq; immoderata fuere,aſſentiendo,mitigauit: nimirum,vt Petræſanctæ Sereſanæq́; arces,nec non Sereſanellum ipſum: quæ ab ea parte Florentini imperij,tanquam clauſtra erant: itemq́; Piſanæ,portusq́; Liburni,eiuſdem imperij firmiſſima munimenta,in regis poteſtatem traderentur ea cōditione,vt rex ſuo chirographo promitteret,ſe quamprimùm regno Neapolitano potitus eſſet,ea omnia reſtituturum: procuraret Petrus vt Florentini ducatorū ducenta millia regi commodarent: viciſſimq́; eos rex in fœdus fidemq́; reciperet: quarum rerum puris tantùm verbis promiſſorum monumenta Florentiæ, per quam vrbem rex iter facere conſtituerat,conficerentur: verùm in arcibus tradendis nulla fuit mora: illico enim Petrus Seretſanam, Sereſanellumq́; & Petramſanctam,ei tradi iuſſit: ac paucis diebus pòſt,idem ipſius mandato cum Piſanis Liburnicisq́; portubus eſt factum,cunctis valdè admirantibus Gallis,Petrum tam facilè de rebus vſqueadeo magnis aſſenſum fuiſſe: qui ſcirent regem conditionibus longè inferioribus fuiſſe conuenturum. Hoc autem loco illud mihi nequaquam ſilentio prætereundum videtur,quòd Petro Medici Ludouicus Sfortia,qui poſtridie ad exercitum peruenerat,argutè reſpondit: Nam cum Petrus excuſans,quod cum ei obuiam honoris cauſſa proceſſiſſet,quoniam Ludouicus de via aberraſſet,factū eſſe,vt fruſtra id itineris ſuſcepiſſet: Ludouicus promptè admodum reſpondit: ita quidem eſt: proculdubio alter noſtrum aberrauit de via: ſed vereor ne tu ipſe potius aberraueris: quaſi exprobrans,quòd ſuis conſilijs minus obſecutus eſſet,idcirco eum in tantas anguſtias periculaq́; incidiſſe: quanquam,quæ pòſt ſunt conſecuta, vtrumq́; à recto itinere deflexiſſe demonſtrarunt,verùm maiore infamia calamitateq́; illius qui in loco ſublimiore collocatus,ſe omnium aliorum ducem ſua prudentia profitebatur. Petri factum,regem non modò ab Hethruriæ rebus redidit ſecurum, verumetiam cuncta Flaminiæ impedimenta,vbi iam vehementer res Aragoniorum inclinabant,prorſus remouit. (nam vt difficilè eſt ei qui ægrè ſe ab imminentibus periculis tuetur, eodem tempore aliorum periculis cauere,) dum Ferdinandus ſecurus in munitis Fauentini Suburbani campis, ſedet, hoſtes in Imolenſem agrum reuerſi, poſteaquam cum exercitus parte Bubanum caſtellum: tum quòd à paucis vtpote exiguum benè defendebatur: tum quòd loca illa depreſſa, aquis erant inundata, fruſtra oppugnaſſent:

Morda-

Mordanum vi expugnarunt, quanquam satis munitum, & militum iusto præsidio firmum: sed is fuit tormentorum impetus, eaq; Gallorum in oppugnando ferocitas, ut quamuis non pauci, dum fossas aquis plenas transire satagunt, submersi perijssent, tamen, qui in oppido erant, reliquorũ impetum sustinere nõ possent: à quibus tanta barbarie in omnem ætatem sexumq; promiscuè sæuitum est, ut Aemiliam, Flaminia vniuersam maximo terrore compleuerit: quo casu Cakarina Sfortia, omni præsidij spe destituta, vt præsens periculum declinaret, cum Gallis composuit, omnia commoda à filij sui ditione eorum exercitui pollicita: ex quo Ferdinandus, de Fauentinorũ uoluntate ambigens: periculosumq; ratus, si diutius Imolam inter & Forumliuij castra haberet, eoq; magis, quòd iam ei Petri Medicis esset Seresanam nota profectio, sese ad Cesenæ mœnia recepit, tantum præ se terrorem ferens, ut ne prope Foroliuij præteriret, exercitum per montium iuga, iter nimirum tum longius, tum molestius non procul à Castrocario, Florentinorum castello, circunduxerit: nec multo pòst Petri Medicis cum Gallis compositione cognita, cuius causa Florentinorum firmæ ab eo discesserant, Romam versus progredi cœpit: eodem quoq; tempore Federicus Aragonius, è Liburni portu soluens, classem Neapolim versus reduxit: ubi ea arma, quæ tanta cum spe ad aliena inuadenda expedierat, Alfonso ad sui tutelam, qui haud minus infeliciter res suas in eis locis gereret, erant necessaria. Nã cũ ei Neptuni oppugnatio nequaquã ex voto successisset, copias Terracinam reduxerat: classis uerò Gallica, cuius erant duces Salernitanus princeps, & Serenonius, sese supra ostiam ostenderat, quæ palàm contestata, se Pontificis ditioni nusquam damnum illaturam, milites in continentem non exponebat: neq; ullum animi infensi signum in Pontificem edebat: tametsi rex ipse paucis diebus antè Franciscum Picolhominium cardinalem Senensem, Pontificis legatum, audire recusasset. Pactione quam Petrus Medices cum Galliæ rege tanta cum Florentini imperij diminutione, tamq; graui atq; infirmi Reip. uulnere Florentiam nunciata, feruentissimi motus in tota ciuitate extiterunt: nam, præter tantam Reip. iacturam, illud uehementer cõmouebat, Petrum nouo atq; maioribus suis inusitato exemplo, nobilissimam Florentitini imperij partem sine ciuium cõsilio, sine magistratuum decreto, alienare ausum fuisse: idcirco acerbissimæ erant in eum querelæ: passimq; ciuium uoces se uicissim ad libertatem recuperandam excitantium exaudiebantur: nec quisquam ex ijs qui Petro studebant, uerbis aut factis se tantæ tempestati obijcere audebat. Verùm cum neq; ad Pisas, neq; ad Ligurnum defendendum satis haberent uirium, etsi regem se ab earum arcium cupiditate posse remouere minimè confiderent, nihilominus, ut à consilijs Reip. Petri consilia seiungerent, utq; saltem priuato, nõ ferretur acceptum, quod ad Remp. pertineret, illicò multos ad regem legatos ex ijs quibus grauis Mediceorum erat potentia, miserunt: id Petrus cum Reip. commutandæ principium esse cognosceret, quo rebus suis priusquam maiores existerent motus, consuleret, ab rege discessit: hoc prætextu, quòd ea quæ promiserat, uellet ad exitum perducere. Quo etiam tempore & Carolus Seresana, ut Pisas proficisceretur, discessit: & Ludouicus Sfortia certo auri numero persoluto, cum ab rege Genuensis imperij iura quæ paucis antè annis Ioannigaleacio eiusq; posteris concesserat, ut in se posterosq; suos transferrentur, impetrasset, Mediolanum reuersus est: uerùm animo in regem indignabũdo, quòd ei Petram sanctam Seresanamq;, quas, ut is aiebat, eius custodiæ traditurum promiserat, tradere renuisset. ea enim oppida, quo suæ ardentissimæ cupiditati gradum ad Pisas obtinendas faceret, quasi iniustè pauciſſimis annis antè à Genuensibus ablata, à Florentinis repetebat. At Petrus Medices Florentiam reuersus, magistratuum maiorem partem ab se abalienatam: amicorum uerò præcipuorum animos, quòd omnia contra ipsorum consilia imprudenter gubernasset, suspensos reperit: populum item tanto percitum furore, ut cum postero die, qui fuit Nouembris nonus, in curiam, ubi Reip. summi magistratus residere solent, ingredi uellet, à certis magistratibus, qui armati aditum custodiebant, in quibus præcipua autoritate erat Iacobus Nerlius, iuuenis nobilitate atq; opibus pollens, prohiberetur: quod ubi in uulgum dimanauit, populus, maiore impetu cõcitatus, quòd Paulus Vrsinus cum suis equitib. à Petro accitus appropinquabat, ad arma præcipiti furore cucurrit: quo tumultu audito, Petrus qui domum iam se receperat, consternatus, cum accepisset se per-

duellem à magiſtratibus iudicatum, Florentia ſe maxima celeritate Ioanne cardinale, Iulianoq; fratribus ſuis ſequentibus, ſubduxit, Bononiamq; recepit: ubi à Ioanne Bentiuolo, in alijs eam animi conſtantiam, quam ipſe poſtea in ſuis non præſtitit malis, requirente, acriter primo ſtatim congreſſu reprehenſus fuit, qui nõ modò in ſuã ipſius perniciem: verùm etiam omnium eorum qui patriæ ſuæ libertatẽ opprimerent, exemplũ, uſq; adeò timidè, ne vnius quidem hominis cęde cõſpecta, tantum deſeruerit dominatũ. In hunc modũ unius iuuenis temeritate, Medicea domus ab ea ceciditpotentia, q̃ nomine & ſpecie ciuilis adminiſtationis per años ſexaginta cõtinuata ſucceſſione, Florentię obtinuerat: quæ cũ in Coſmo huius proauo cœpiſſet, ſingularis prudentiæ, immẽſisq; opibus ciue, atq; ob eas res in omnibus Europæ locis celebratiſſimo: multoq; magis, quòd magnificentia planè admirabili, animoq; verè regio, nominis ſui magis æternitatẽ ſpectans, quàm nepotũ utilitatẽ, aureorum numũm vltra quadringenta millia in templorũ, ſacrorumq; collegiorum, aliorũ præterea regia magnificentia ædificiorũ ſtructuris non modò in patria, verùm in alijs quoq; orbis terrę partibus, inſumpſit, ad Laurentium eius nepotẽ peruenit: qui nec magnitudine ingenij, cõſilijq; præſtantia, nec animi altitudine proauo inferior: in rep. verò adminiſtranda etſi nõ tantis opibus fultus, vitaq; breuiore, autoritate tamen maiore, magnæ in tota Italia, nec non apud pleroſq; exteros principes dignitatis fuit: quæ ab ipſius morte longè extitit clarior, quòd vnà cum eius vita, cõcordia & felicitas Italiæ interijſſe viderentur. Eodem verò die, quo Florentinæ reip. forma eſt immutata, dum Carolus eſſet Piſis, ad eum Piſani turmatim libertatẽ poſcentes, grauiterq; de iniurijs in ſe Florentinorũ conquerentes, concurſum fecerunt: cumq; ex Caroli familiarib. quidã tum pręſentes æquã eſſe Piſanorũ petitionẽ, quòd acerbius eis Florentini dominarentur, affirmarent, Rex quid ea petitio ſecũ traheret, parũ expendẽs: neq; cogitans eam, ijs quæ Sereſanæ acta erãt repugnare, Piſanos liberos eſſe iuſſit: qua voce audita, populus ad arma cucurrit: atq; ex locis publicis Florentinorum inſignibus deiectis, ſeſe incredibili cupiditate in libertatem vindicauit: nihilominus tamen rex ſibi ipſe cõtrarius, nec quid conceſſiſſet, attẽdens, ut in vrbe Florentinorũ magiſtratus manerẽt, ſolitaq; obirẽt munera uoluit: Piſanis aũt vetere arce q̃ Citadellã vocant, tradita, nouã quæ longè erat firmior, ſibi reſeruauit. In his Piſanorũ Florentinorũq; motibus, id quod cõmuni ſermone iactatur, elucere poruit: homines nimirũ, eorũ appropinquantibus malis, prudentiam in primis, cuius ope imminentes vitare calamitates potuiſſent, amittere. nam & Florentini omni tempore de Piſanorũ fide maximè ancipites, bellũq; tã periculoſum in forib. habentes, Piſanorũ præcipuos, quẽadmodum ad ſuã ſecuritatẽ in quouis leuiſſimo motu eorũ numerũ haud exiguũ ſolebant, Florentiam nõ euocarũt: nec Petrus Medices tot imminentib. periculis, externo milite forũ curiamq; muniuit, ut in multo leuiores ſuſpicione ſępenumero aliàs fuerat factũ: quę, puiſio, magna iniecißet hiſce mutationib. impedimẽta. Quod aũt ad Piſanas res attinet, illud cõſtat, Piſanis Florentini nominis, natura infenſiſſimis, Ludouici Sfortiæ autoritatẽ ſtimulos addidiſſe: q̃ cũ prius clã cum quibuſdã Piſanis ciuib. ob priuata maleficia exulibus, ea de re egiſſet, eodẽ die Galeaci⁹ Sanſeuerinâs, q̃ ab eo apud regẽ relictus erat, populũ ad tumultuãdũ cõcitauit: qua ex re Ludouicus dominatũ Piſanũ breui ad ſe q̃uenturũ ſibi perſuadebat: ignarus, eã ipſam rẽ non multo pòſt, omniũ ipſius calamitatũ cauſam futurã. Sed & illud perſpicuũ eſt, cum priore nocte Piſani quidã, quod animo agitabant, cum Oſtienſi cardinale communicaſſent, eum qui ad eam diem nunquã forſitã pacati conſilij autor extitiſſet, graui oratione eos diligentius nõ modò ſpeciẽ primordiaq; rerũ, ſed interitus q̃d tẽporis proceſſu parere poſſent, expenderent, hortatũ fuiſſe: Libertatẽ, rẽ eſſe deſiderabilem ac precioſam: talẽq;, quę digna ſit, ut nullũ periculũ defugiamus, ſi quà ſpes affulgeat minimè friuola, nos eam poſſe aliqua ſaltẽ ex parte, tueri: ſed Piſanam vrbem uiris opibusq; ſpoliatam, vires non habere, quas Florentinorum potentię poſſit opponere: ſpem quoque illam eſſe fallacem, qua ſe Galliæ regis autoritate tutos eſſe, ſibi pollicerentur: propterea quòd, tametſi apud eũ non plus Florentinorum pecunia poſſet, ijs præſertim quæ Sereſanæ tractata fuerãt, ad calculũ reuocatis, Gallos in Italia non eſſe perpetuo manſuros: ex præteritis enim facilè futura poſſe prouideri: ſtultumq; admodum eſſe, ſi quis ſe perpetuò exponat periculo, adiumentis minimè perpetuis obnixus:

ſpeq;

ſpeq; incertiſſima,cum hoſte infinitò potentiore , certum bellum ſuſcipere : in quo de aliorum auxilijs ſibi certò nihil, quod ex aliena uoluntate, & quod eſt maius, ex euentorum magna uarietate penderent, poſſent polliceri:quæ quamuis obtinerent,non idcirco effugerent,ſed multò atrociores, uno eodemq; tempore, & ab hoſtium militibus uexati,& amicorum grauatè rem gerentibus,belli calamitates,efficerent,quæ eò eſſent amicis acerbiores,quòd ſcirent ſe , non propriam libertatem defendere,ſed pro alieno imperio, ſeruitutis tantum nomine,non ſeruitute ipſa commutata,decertare:nullũ eſſe principẽ qui moleſtias ſumptusq; alicuius belli uellet ſuſcipere,niſi vt eis dominaretur: quod quidem bellum , propter opes uicinitatemq; Florentinorũ,qui dum aurã uitalem traherent , nunquam ab eis uexandis ceſſaturi , ſuſtinere , niſi ſumma cum difficultate, non poſſet. In ea rerum omnium perturbatione Piſis , itinere Florentiam uerſus ſuſcepto,diſceſſit Carolus , incertus omnino quem modum Piſanorum rebus uellet imponere:ac Signiam uenit , qui locus Florentia diſtat miliaria ſeptem: ibiq; ſe continuit,vt antequam vrbem ingrederetur , Florentini populi tumultus aliquantum conquieſceret:qui arma eo die quo Petrus Medices vrbe fuerat exactus,ſumpta , nõdum poſuerat: nec non quo Aubigneo ſpacium ueniendi daret,quem,vt maiorem Florentinis terrorẽ, in ipſo urbis ingreſſu incuteret,ea lege acciuerat,vt bellica tormenta Caſtrocarij relinqueret:quingentosq; Italos equites , quos ſecum in Aemilia habebat, ſimul Sfortianas copias exautoraret:excepto Calatino,quem Gaiazzum vocant,comite,qui cum trecentis leuis armaturæ equitibus eum ſecutus eſt:nam non paucis neq; lenibus ſignis aduertebatur, regis animum fuiſſe, armorum terrore Florentinos eò impellere , vt ſibi liberum atq; abſolutum ciuitatis cederent imperium,quod ne diſſimulare quidem cum eorum oratoribus potuit,qui ſæpius Signiam,vt cum eo de eius in vrbem introitus forma, deq; fœdere, quo de agebatur , certius aliquid conſtituerent,ventitabant.Non eſt autem dubium , quin rex , propterea quòd ſeſe ei oppoſuiſſent , Florentino nomini eſſet vehementer infenſus,maximumq; odium concepiſſet:& quanquam liquidò conſtaret,eam rem à reip.voluntate nõ eſſe profectã : & ciuitas ea de re ſe apud eum accuratè purgaſſet,tamen ex eius animo ea offenſio deleri minimè poterat:in eam enim opinionem , vt creditur à pleriſq; ſuorũ erat inductus,qui occaſionẽ eius vrbis dominatũ occupandi, nequaquam prætereundam eſſe ducebant:ſiue auaricia moti,opportunitatẽ tam opulentæ vrbis diripiendæ,amittere nolebant: eaq; uox per totum exercitum erat peruagata,eam urbem , vt cæteris eſſet exemplo , puniendam eſſe,quòd prima Italicarum ciuitatum Gallorum potentię obuiam ire auſa eſſet: nec ex cõſilij regij principibus deerant,qui vt Petrum Medicem in priſtinum gradum reſtitueret,hortarentur,atq; in primis Philippus Breſcius Sabaudiæ ducis frater , cùm priuatis amicitijs,tum promiſſis ad id inductus:quo factum eſt,ſine horum ſententijs obtinentibus(etſi Maclouienſis pontifex contrarium ſuaderet) ſine hoc terrore iniecto, facilius ſe Florentinos ad ſuam uoluntatem flectere poſſe ſperarent: ſiue vt in ipſo facto,id quod magis arrideret,minore negotio arripiendi occaſionem haberent,rex ad Petrum ſcripſit:atq; vt Breſcius ſcriberet,effecit:quibus literis eum vt ad Florentiam accederet,hortabantur:ſe tum eius amicitiæ , quæ inter patres ipſorum extiterat , memoria: tum propter præſtantem in ſe animum,quem in arcium deditione demonſtraſſet,velle eum in priſtinam autoritatem reſtituere : ſed hæ literæ Petrum non iam Bononiæ,ut crediderat rex,inuenerunt:propterea quòd is Ioannis Bentiuoli uerborum aſperitate permotus: ueritusq; ne à Mediolanenſium duce , ac forſitan ab rege ipſo ſibi inſidiæ ſtruerentur, Venetias,ſua infelicitate,profectus erat:quo tamen ei à Cardinale fratre ſuo , qui Bononiæ ſubſtiterat, miſſæ fuerunt. Florentiæ de regis uoluntate admodum ambigebatur: verùm cum non viderent , quibus viribus quáue ſpe ei poſſent reſiſtere, eum in vrbem minus periculoſo conſilio admittere cõſtituerant, ſe aliquo modo poſſe placare ſperantes:& tamen ut in omnẽ eſſent euentũ parati,fecerant vt pleriq; ciues ſuas domos clam viris è Florentina ditione implerent: atq; vt duces qui reip. ſtipendijs militabant , cum multis è ſuis militibus,diſſimulata cauſa,ſeſe in vrbẽ reciperent: vtq; tam in vrbe,quàm in uicinis locis, quiſque ad maioris campanæ pulſum , arma ſumere paratus eſſet.Rex igitur cum exercitu magna cum pompa atque apparatu, ſummo ſtudio & magnificentia, tam aulæ ſuæ,

quàm ciuitatis,diſpoſito,atq; ut victoris modo ingredi videretur,armatus ipſe, equusq; ipſius, haſtam erectam femoriq; innixam geſtans, in vrbem eſt inuectus. Hic ſtatim de compoſitione cœptum eſt agi:verùm multis difficultatibus interuenientibus.nam præter quorundam è regijs familiaribus, in Petrum Medicem ſtudia immoderata , poſtulataq; intolerabilia pecuniarum , Carolus palàm Florentiæ dominatum poſtulabat: affirmans,eo quòd armatus eſſet in vrbem ingreſſus , militaribus regni Galliæ inſtitutis,ſibi deberi. à qua petitione etſi deniq; diſceſſit,certos tamen veſte longiore vtentes (ſic enim Galli doctores ſiue togatos homines vocant) ſuos legatos relinquere volebat , ea autoritate , vt Galliæ inſtitutis , ei haud exigua in ea ciuitate poteſtas in perpetuum attributa videri poſſet:contrà verò, Florentini pertinaciſſimi erant , nullum periculum adire recuſantes,in ſua libertate ſarta tecta conſeruanda:quare,cum inter ſe tam diuerſis agerent ſententijs , animi partium magis magisq; accendebantur:nihilominus tamen neutra pars ad diſſidia armis terminanda parata erat:nam populus Florentinus mercaturæ longa conſuetudine potiùs , quàm rei militaris exercitationibus deditus, cum intra vrbis ſuæ muros regem potentiſſimum tanto cum exercitu ex ignotis ac ferocibus nationibus conflato cerneret, vehementer formidabat: Gallis autem non mediocrem inijciebat metum Florentini populi ingens multitudo: qui quo tempore ſtatus reip.fuerat mutatus,argumenta audaciæ maiora quàm quiſquam credidiſſet,oſtenderat:is quoq; rumor peruulgatus non parum eos terrebat,nimirum , ad campani æris quod in turribus ſuſpendi ſolet , ingentem ſonitum , infinitam armatorum uim ex toto Florentinorum agro concurſu facturam:in hoc communi metu, ad inanes ſæpe rumores , utraque pars magno tumultu repentè ad arma concurrebat:verùm , neutra alteram inuadebat , aut prouocabat.Irritum fuit de Petro Medice regis conſilium: propterea quòd , Petrus inter ſpem quæ facta fuerat & metũ,ne aduerſarijs prædæ dederetur, ſuſpenſus , conſilium ſuper regijs literis petiuit à Veneto ſenatu. Nihil profectò magis neceſſarium in rebus arduis:nihil rurſum periculoſius , quàm ex alterius pendere conſilio:nec cuiquam eſt dubium,alieno conſilio minus egere prudentes, quàm imprudentes:& tamen , fructum maiorem ex conſilio capiendo ſapientes percipiunt:quis enim tanta præditus eſt ſapientia , qui per ſe omnia perſpiciat,& cognoſcat,atq; in contrarijs ſententijs,quæ ſit potior,dijudicare valeat ?Verùm quis alium cõſulens certò ſcit, ſe fidele cõſilium auditurum?Nam,qui dat conſilium,ni valde ſit fidelis,aut bene erga eum qui petat,affectus:non modò inſigni utilitate impulſus,uerùm exiguo quouis propoſito commodo , quauis leui cupiditate, ſæpe conſilium in eum dirigit finem,qui maximè ſibi accommodatus eſſe videatur: cumq; hi fines non rarò ab eo qui conſilium capit,ignorentur,conſilij infidelitatem , niſi prudens ſit,non animaduertit. Hoc ipſum Petro Medici accidit: quippe Veneti exiſtimantes Petri in patriam reditũ,Carolo omnia quæ à Florentinis optabat,faciliora effecturum,id quod tanquam rebus ipſorum aduerſum, ipſis moleſtiſſimum fuiſſet:idcirco ſibi magis quàm Petro conſulentes , ne ſe regis poteſtati , qui ſe ab eo iniuria affectum duceret , committeret,grauiſſimis uerbis monuerunt, vtq; maiorem ei ſui conſilij ſequendi anſam præberent,ſe eius res complexuros, omneq; ſtudium & operam,ſi quando tempus id poſceret,poſituros, vt in patriam reſtitueretur,promiſerunt:nec hoc contenti, ne is tunc fortè Venetijs diſcederet,ei(ſi quod pòſt fuit peruulgatum , à uero non aberrat) occultiſſimam cuſtodiam appoſuerunt.Interea Florentiæ erant ab omni parte exulcerati animi , ac propemodum ad manifeſtam cõtentionem deuoluti:dum neq; rex à ſuis poſtremis poſtulatis,nuſquã uult diſcedere: neq; Florentini ad intolerabilẽ pecuniæ ſummã ſe obſtringi patiuntur: neq; vt iuris aliquid aut poteſtatis in Florentina rep. habeat rex,vllo modo uolunt aſſentiri: quas controuerſias , exceptis armis inextricabiles , Petri Caponij virtus explicauit. Fuit Petrus vnus ex quatuor ſelectis ciuibus ad res cum rege tractandas , vir ingenio atq; animo magno : easq; ob res magnæ apud ſuos autoritatis : tum etiam quòd ex familia eſſet honeſtiſſima : atque ab ijs ortus , qui plurimum in ciuitate potuiſſent. Itaque , cum is eiusq; collegæ aliquando coram rege eſſent , atque à regio ſcriba compoſitionis capita iniquiſſima , ab rege tanquam poſtremo propoſita , recitarentur , Caponius rei indignitate vehementer commotus , libellos è ſcribæ manu abreptos , rege ſpectante, diſcerpſit:

diſcerpſit: uoceq; concitata ſubiunxit: Quandoquidem tam iniqua poſtulantur, ueſtras uos inflabitis tubas, nos campanas pulſabimus noſtras: illud haud obſcurè innuens, eas controuerſias armis eſſe decidendas: eodemq; impetu, collegis ipſum ſequentibus, è regio cubiculo diſceſſit. Certum eſt, huius ciuis iam prius Carolo totiq; aulæ noti, quòd paucis antè menſibus legatus Florentinorum in Gallia extitiſſet, uerbis magnum terrorem Gallis iniectum fuiſſe, ſeçum præſertim reputantibus, tantam in eo homine confidentiam nequaquam ſine cauſa eſſe: quamobrem eo reuocato, poſtulatisq;, quibus aſſentiri Florentini recuſabant, relictis: Rex & Florentini in hanc ſententiam fœdus pepigêre, ut præteritis obliteratis iniurijs, ciuitas Florentinorũ amica, fœderata, atq; in perpetua Galliæ regum tutela eſſet, vt Piſana vrbs, Ligurnum, cum ſuis arcibus in regis eſſent poteſtate, quas rex ſine ullo prorſus ſumptu Florentinis reſtituere ſtatim bello Neapolitano confecto teneretur. Cõfectum aũt intelligi debere, vbi Neapolim vrbem occupaſſet: aut rebus pace cõpoſitis, aut quacunq; ex cauſa rex ipſe Italia diſcederet: utq; regij præfecti præſentes iurarent ſe eis conditionibus reſtituturos. Interea uerò temporis, dominatus, iurisdictio, adminiſtratio, oppidorum vectigalia, ut conſuerant, Florentinorum eſſent: ut ijſdem cõditionibus Petra ſancta, Sereſana, Sereſanellumq; comprehenderentur: uerùm, quoniam Genuenſes in hęc ſe ius habere exiſtimarent, regi eorum controuerſias vel pactione, vel iure definire ſatageret, permitti: quas niſi intra ſuprà ſcriptum tempus compoſuiſſet, eas Florentinis reſtitueret: vt rex duos Florentiæ legatos relinquere poſſet, ſine quorum interuentu, dum id bellum geritur, nihil quod eò pertineat, tractare liceret: nec eodem tempore, niſi re cum eiſdem communicata, ſuarum copiarum Imperatorem deligere: illicò omnia alia Florentini imperij oppida, quæ aut defeciſſent, aut vi capta eſſent, reſtituerentur: eadem armis recuperare, ſiquidem Florentinos recipere recuſarent, licitum eſſet. Regi in belli Neapolitani ſubſidium, aureorum numûm intra dies quindecim, quinquaginta millia: quadraginta millia per totum menſem Martium: triginta millia per totum Iunium proximè ſequentes, donarent: Piſanis perduellionis crimen, aliaq; poſt commiſſa delicta condonarentur: exilij pœna Petrus Medices, eiusq; fratres abſoluerentur: bonorum publicatio aboleretur: ea tamen lege, ne Petrus ad Florentinorum ditionem propius quàm paſſuum centum millia (id quod fiebat, vt Romæ habitandi facultate priuaretur) eius uerò fratres totidem ab vrbe Florentia accederent. Hæc fuerunt præcipua Florentini cum Carolo fœderis capita: quod quidem fœdus, præterquam quòd legitimè præſcriptum eſt, maxima etiam ceremonia fuit in auguſtiſſimo vrbis fano in ipſa ſacrorum celebritate promulgatum, atque ſancitum, ubi rex ipſe, ad cuius petitionem hoc factum eſt, vrbisq; magiſtratus, cunctis regijs proceribus, Florentinoq; populo aſtante, ſolenni ſacramento, manibus aræ maximæ admotis, ſe quod fœdere contineretur, ſeruaturos promiſerunt. His in hunc modum actis, biduo pòſt Carolus Florentia decimo ab ingreſſu die profectus, Senas uenit: quæ ciuitas, fœdere cum rege Neapolitano Florentinisq; coniuncta, eorum autoritatem ſecuta erat, donec Petri Medicis Sereſanam profectio, Senenſes ut de ſua ſalute cogitarent, adegit. Senæ, ciuitas frequens, agroq; admodum fertili: quæ etiam primum opibus & potentia, poſt Florentiam, locum in Hetruria diu quondam tenuit, ſuis legibus uiuebat: ita tamen ut nomen potius libertatis, quàm rem ipſam agnoſceret: quippe in multas ſiue factiones, ſiue membra ciuium, quos ipſi ordines appellant, diſtracta, ei obtemperabat parti, quæ aut temporum caſibus, aut principum externorum fauore, reliquis potentia præſtabat: ea verò tempeſtate, is ordo, qui à monte nouo nomen habet, primas obtinebat. Senis igitur pauciſsimos dies cõmoratus, ibiq; præſidio relicto, propterea quòd, cum ea ciuitas iam ab antiquis temporibus propenſo animo imperij reſpiceret maieſtatem, regi erat ſuſpecta, Romam uerſus iter ſuſcepit, indies inſolentior, rerũ ſucceſſu multo maiore, quàm ſpes unquam extitiſſent, factus: tempeſtatesq; benigniores, & clarius quàm anni ferret tempus, cœlum nactus, hoc uti beneficio ſine ulla intermiſſione decreuit, formidabilis nõ modò apertis inimicis, uerumetiam ijs qui aut ab eo aliquando ſteterant: aut à quibus nulla in re fuerat prouocatus: quamobrẽ, tum Venetus ſenatus, tum Mediolanenſium dux, tanto rerum ſucceſſu perterriti: ueritiq; præſertim, quòd & arces Florentinorum in ſuam poteſtatem redegiſſet, & Senis præſidium

impoſuiſſet,ut eius cogitationes,nequaquã in uno regno Neapolitano conquieſcerent, ut communi periculo occurrerent, de nouo inter ſe fœdere percutiendo,agere cœperunt:citiusq; rem ad exitũ perduxiſſent,ſi res Romanę contra Carolum firmiores,quod pleriq; ſperarant,extitiſſent:nam Calabrię ducis,cui ſe pontificis copiæ prope Romam, Virginiusq; Vrſinus cum reliquo Aragonenſium exercitu,adiunxerat,conſilium fuit,ut Carolo iter intercluderent, Viterbij conſiſtere,ad quod,præter alia multa,loci opportunitas, quòd is circũquaq; Pontificis ditione ſeptus eſſet: Vrſinorumq; caſtellis propinquus,inuitabat:ſed toto iam Latio,propter Columniorũ ultra Tiberim excurſiones, tumultuante,& propter impedimẽta,quæ ab Oſtia, ne cõmeatus Romam,ut ſolitũ erat, mari importaretur, exhibebantur, ibi nõ eſt auſus conſiſtere:dubitabat prętera Ferdinandus de pontificis mente:qui audita Petri Medicis mutatione,iã tum Gallorũ poſtulatis aures præbere cœperat:de quibus tum Romam Aſcanius Cardinalis, ut cum eo ageret(cũ prius Cardinalis Valentinus fidei obſes Marinum Columnẽſiũ oppidũ iuiſſet) uenerat. Ac,quanquã Aſcanius ſine certo reſponſo diſceſſiſſet, quòd in Alexandri pectore illa pugnabant, primùm quòd Caroli fidem eius mentis inſcius,ſuſpectam haberet:deinde,quòd proprijs uiribus diffideret: nihilominus ubi Carolũ Florẽtia profectũ audiuit, Pontifex,ad eum Concordienſem ac Ternienſem epiſcopos, magiſtrum item Gratianum,qui audiendę Pontificis confeſſionis munere fungebatur, ut ſuis regisq; Alfonſi res componere ſatagerent,legauit. At Caroli alia erat ſententia,ut qui cum Pontifice ſolo rem cõponere conſtituiſſet:idcirco Træmoliam regulum, & Gannaiũ regij ſenatus Pręſidẽ ad eum miſit:qua etiã de cauſa,Aſcanius Cardinalis,Proſperq; Columna eò venerunt:qui ſimulac Romã attigerunt,Alexander,qua de cauſa,neſcitur,mutata ſententia, Calabriæ ducem cũ toto exercitu illicò in vrbẽ immiſit:captisq; Aſcanio & Proſpero,eos in Adriani mole,quę olim Caſtellũ Creſcentij,nũc S.Angeli dicitur,cuſtodiri mãdauit:ab eisq; ut ſibi oſtia reſtitueretur, poſtulauit:quo in tumultu Galli oratores ab Aragonijs capti fuerunt: ſed hos extemplò dimitti iuſſit:nec multo pòſt,Aſcaniũ etiam & Proſperum,ſed hos ea cõditioue, ut è ueſtigio Roma diſcederent:ad regẽ poſtea,qui Nepete conſtiterat, Federicũ Sanſeuerinatem Cardinalẽ,miſit,cœpitq; de ſuis tantum rebus agere,animo tamen ualde ambiguo: nã iam Romã tueri ac propugnare cõſtituebat. itaq; Ferdinando & ducibus reliquis permittebat,ut debiliora urbis loca munirẽt: iam eã tueri,tum quòd cõmeatu maritimo ab ijs qui Oſtiæ erant,prohiberetur,tũ quòd vrbs peregrinis hominibus, quorũ variæ ſolent eſſe uoluntates, eſſe referta:tũ diuerſas Romanorũ factiones metuens,difficile exiſtimãs, Roma diſcedere cogitabat:idcirco in collegio à ſingulis purpuratis chirographũ exegit,quo ſe obſtringerent,ſeſe Põtifici comites fore:nunc difficultatib.& periculis ſuis omnib.conſilijs imminentibus,perrterefactus,ad concordiã animũ conuertebat:dum his cogitationibus ſuſpenſus fluctuat, Galli Tranſtiberinã regionem uniuerſam, iam hoc,iam illud oppidum occupantes percurrebant:nemo enim erat qui reſiſteret,nemo qui illorum furori nõ cederet,etiam ijs aliorũ exemplum ſequentibus, qui maximè reſiſtere debuiſſent:uel ipſe Virginius Vrſinus,tot tantisq; uinculis Aragonijs obligatus, nimirũ regij exercitus imperator,equitum totius regni magiſter,qui uulgo Coneſtabilis appellat̃,Alfonſo arctiſſima affinitate deuinctus, quòd eius filio Ioanni Tordano,Ferdinãdi regis demortui filia extra legitimũ thorũ ſuſcepta,nupſiſſet:à quib. etiã Caſtella in regno, honoresq; acceperat:horum omniũ oblitus, nec minus etiã quòd ab ipſius cõmodis omnes Aragoniorum calamitates originẽ traxiſſent,ita res ſuas Gallis, Italorum militũ ſubtilibus eiuſcemodi ſectionibus parum aſſuetis,ac mirantibus,ita cõpoſuit,ut ipſe quidem regis Neapolitani ſtipendia faceret: eius uerò filij, Galli ſigna ſequerentur:quinetiã,ſe Gallis, in ſuis,quæ in Pontificis ditione locis haberet, receptum,tranſitum, cõmeatum daturum:Campaniarũ item nonnullaq; alia loca depoſiti nomine Gurcenſi Cardinali traditurum: qui repromitteret ſe ea ſimulatq; regius exercitus,Latij agriue Romani fines exceſſiſſet,reſtituturũ.Eodẽ modo ſimul Petiliani Comes,Vrſinæq; gentis cęteri,conuenẽre.His in hunc cõpoſitis modum,Carolus Nepete, Braccianũ præcipuũ Virginij oppidũ,uenit:Oſtiam uerò Ludouicum Ligninũ, & ſuam Alegrium cum cataphractis quingentis duobusq; Heluetiorũ millibus,ire iuſſit:quo traiecto Tiberi,& Columnijs iã omnia percurrentibus,cõiuncti,

Romam

Romam occupare conarentur: qui Romanorum quorundam ſuæ factionis opera, ſe uoti compotes futuros, & ſi tempeſtatibus commutatis, impedimenta aucta fuiſſent, omnino ſperabant. Et iam ciuitas uetus, Cornetũ, ac deniq; totum ferè Latium, in Gallorum uenerat poteſtatem: iam tota Pontificis curia, iam Romanus populus uehementer conſternatus, concordiam ardentibus uotis expetebant: quamobrem Pontifex ad maximas redactus anguſtias, ſentiensq; paulatim defenſionis fundamẽta deficere, nulla re alia retinebatur, quàm quòd memoria teneret, ſe inter primos regẽ ad res Neapolitanas incitaſſe: pòſt etiã ſine ulla prorſus cauſa, autoritate, cõſilijs armis ei pertinaciter reſtitiſſe: quibus de cauſis, meritò exiſtimabat, eam fidẽ quam ab rege acciperet, eodẽ robore futuram, quo ea fuerat, quam ab eo rex accepiſſet: terrorem augebat, quòd apud eum haud exiguo in honore eſſe Oſtenſem, multosq; alios cardinales, ſibi pariter infenſos, uideret: quorũ ſuaſionibus, Chriſtianiſſimiq; regis Galliæ appellatione, ac iã tot ſeculis inueterata eius gentis religionis opinione, nec non expectatione, quæ ſemper eorũ qui nomine tantum noti ſunt, maior eſſe conſueuit, ne rex animum ad Eccleſiam corrigendam conuerteret, metuebat: quæ res Pontificẽ mirum in modũ terrebat: utpote, qui quã ta cum infamia Pontificatum eſſet adeptus, recordaretur: quẽ etiã moribus atq; artibus nequaquã à tam fœdis initijs abhorrentibus, perpetuò adminiſtraſſet. Hanc Pontificis hæſitationẽ regis ſedulitas, promiſſaq; efficaciſſima ſuſtulerũt: qui profectionẽ ſuam in regnũ Neapolitanum accelerare ſummopere cupiens: nec quicquã prætermittẽs, quo Pontificis impedimenta poſſet amouere, ad eum denuò legatos miſit Belcariũ Siniſcialbum Marcalumq; Gienſem (illum Prætorem, hunc Tribunũ militũ poſſumus dicere) & quem antea miſerat, Gannaiũ præſidẽ, qui ei perſuadere ſatagentes, nõ eſſe regis mentem, ut ſe eis rebus immiſceret, quæ ad Pontificiã autoritatẽ pertinerẽt, nec ab eo aliud petere, quàm quantũ ad tranſeundi ſecuritatem opportunũ uideretur, in id incubuerũt, vt regẽ ſpõte uolensq; in vrbẽ admitteret: affirmãtes hoc ab eo maximè expeti: nõ quia nõ in eius poteſtate eſſet, armis ſibi aditũ patefacere, ſed ne quicq̃ de ea obſeruãtia detraheret, qua ſui maiores Põtifices coluiſſent: quodq; ſimul ac rex in vrbe pedẽ poſuiſſet, quæ inter ipſos fuiſſent, cõtrouerſiæ, hæ ſtatim in ſincerã beneuolentiã coniunctionemq; conuerterẽtur. Duræ Pontifici partes uidebantur, ſe primũ omniũ amicorũ auxilijs nudare: ſeq; in hoſtis poteſtatẽ, eo in vrbẽ prius quàm res ſuas cum eo compoſuiſſet, recepto, tradere: verùm tandem, omnium periculorum hoc minimum ratus, regijs poſtulatis annuere decreuit: ergo Calabriæ ducem ex vrbe, publica tamen fide prius à Carolo impetrata, quo ſecurè per Põtificis ditionem iter habere poſſet, emiſit: uerùm Ferdinandus ea re magno animo ſpreta, per diui Sebaſtiani portam, quo Latinè Roma loqueretur, Latinã appellatam, die poſtremo anni Chriſtiani M.CCCC.LXXXXIIII. eadem prſus hora egreſſus eſt, qua per portã, quæ nũc à S. Maria populi nomẽ habet, Flumẽtana olim dicta, cum omnibus copijs rex armatus haſtã femori innixã gerens, quo modo Florentiam quoq; ingreſſus erat, in vrbẽ intrabat: quo etiã tempore Põtifex incredibili timore plenus, ęſtuansq;, ſe in arcem Angelicam, duob. tantũ cardinalibus comitatus, Baptiſta uidelicet Vrſino, Oliuerioq; Caraffa Neapolitão, recepit. Regi aderãt Oſtiẽſis, Aſcanius, Columna atq; Sabellus, cardinales, ac pleriq; alijs qui nullũ finẽ faciebãt regẽ obteſtandi, vt Pontifice tot tãq; fœdis uitijs cooperto, cunctisq; mortalib. inuiſo, ab illa ſede ſubmoto, alius in eius locũ crearetur, oſtẽdẽtes nõ minus ipſi fore glorioſum, remp. Chriſtianã tã ſcelerati Pontificis tyrãnide liberare, quã Pipino Caroloq; Magno ſuis maioribus fuiſſet, ſanctos Põtifices ab eorũ iniurijs, à quib. iniuſtè opprimebantur, uindicare: hanc rẽ, nõ minus eſſe ad ipſius ſecuritatẽ neceſſariã, quàm optabilẽ ad gloriã: nã qui poſſet Alexandri promiſſis fidẽ habere, hominis ex fraude doliſq; conflati, in cupiditatib. inſaciabilis: pięctę in cunctis actionib. impudẽtię, atq;, vt res ipſa docuerat, odio in Gallicũ nomẽ ardentiſſimi? quiq; regi nõ ſponte neq; ingenuè, ſed neceſſitate metuq; coactus recõciliaretur? Horum hortatibus, & pręterea, quòd Pontifex ex regis poſtulatis Angelicam arcem, tanquam promiſſorũ obſidẽ tradere recuſaret, bis è Marcianis ædibus, in quibus rex ipſe erat, tormenta bellica, ut ad arcem uerberandam collocarentur, fuerunt educta: uerùm neq; rex ſua natura ad Pontificem uiolandum erat propenſus: & in eius ſecretiore conſilio plus illi poterant, quos Alexander donis, &

promiſſis ſibi conciliarat:itaq; demum inter eos fœdus in hunc modũ ictum eſt: ut inter Pontificem & regem amicitia perpetua,fœdusq; ad utriusq; defenſionem eſſet: ut regi ciuitatis ueteris,Terracinæ,& Spoleti arces dederentur,quas tenerent Galli,donec rex Neapolitano regno potiretur:quanquam arx ei Spoletana tradita poſtea non fuit: cardinalibus & regulis Pontificium imperiũ agnoſcentibus, qui regis partes eſſent ſecuti, omnes offenſiones iniuriasq; remitteret Pontifex:regni Neapolitani regi diploma poſſeſſionemq; tribueret: Gemen Othomannum Baiaſetis fratrem, traderet, quem Baiaſetes barbaro Othomannorum gentis more, quæ regni ſucceſſionem fratrum ac proximorum ſuorum ſanguine ſanciunt,perſequebatur: atque ob id Rhodum aufugerat: illincq; in Galliam ductus , erat deniq; Innocentij pontificis poteſtati traditus: quapropter Baiaſetes Chriſti uicarij auaricia tanquam inſtrumento quo imperium reip. Chriſtianæ inimicum in pace contineretur,uſus: quot annis Pontifici ſumptus,qui in eo,tum alendo,tum cuſtodiendo fieret,nomine , aureorum numûm quadragena millia perſoluebat,quo ad eum dimittendum , ſine alijs principibus,ut eo in ſe uterentur,tradendũ, eſſent tardiores : hunc ſibi à Pontifice tradi, omnino uoluit rex,ut eius autoritate expeditione, quam in Turcam moliebatur , reddere faciliorẽ : eam ſe uanis aſſentationibus ſuorum inflatus , deuictis Aragonijs , obire cogitabat : & quoniam aureorum numûm quadraginta milia,quę in eius anni ſumptus à Turca mittebantur,Senogalliæ ab Romanæ urbis prefecto,intercepta fuerant,uolebat rex ut pontifex ſibi tum pœnam,tum etiã illius pecuniæ reſtitutionem condonaret. His omnibus,illud quoq; erat adiunctum,uti cardinalis Valentinus, ſpecie quidem , ut Pontificis legatus , re autem uera paternæ fidei obſes,regem tres menſes ſequeretur. Pontifex ſancita cõcordia,in Vaticanum , ubi Pontificia eſt domus , reuerſus eſt:deinde ea pompa & ceremonijs,quibus magni reges accipi conſueuerunt , in diui Petri templo regem accepit: qui cum ueteri conſuetudine Pontificis pedes abiectus oſculatus eſſet , pòſt etiam ad eius uultum oſculandũ admiſſus,alio die ipſo Pontifice ſacra peragente,interfuit:locus ei ad ſedendum ſecundũ primum epiſcopum Cardinalem,eſt datus : qui etiã antiquo ritu Põtifici ſacra procuranti, aquam lauandis manibus effudit.Has ceremonias Pontifex,quo poſterorum memorię mandarentur,in Angelicæ arcis quodam porticu,nobili pictura exprimi uoluit.His peractis,Pontifex,rege id poſcente,epiſcopos Maclouienſem & Vnianſium,ex Luceburgẽſium familia,Cardinales pronunciauit:nec quicquã omiſit,quo ſe animo ſincero & candido regi reconciliatum eſſe,demonſtraret.Romæ Carolus menſem ferè egit, præmiſſis tamen ad regni Neapolitani fines ex ſuis non paucis : quo in regno iam omnia erant tumultibus plena: adeò ut Aquilani omnesq; Aprutij prius quàm rex Roma diſcederet, iã Gallica ſigna extuliſſent: & Fabricius Columna Albẽſem ac Tahacotienſem tractũ occupaſſet:nec reliquæ regni partes erant pacatiores:nam ſimul ac Ferdinandus Romam deſeruit,illicò populorum in Alfonſum odia ſeſe proferre cœperunt: quæ multarũ Ferdinandi patris ſui acerbitatum memoria acuebat, ob eas cauſas de ſuperiorum temporum iniurijs,atq; Alfonſi crudelitate ac ſuperbia,ardentiſſimè conquerentes,Gallorum deſiderium palàm oſtendebant,ita ut Aniouinæ factionis reliquiæ,tametſi cum memoria & multitudine tot regulorum,quos diuerſis temporibus regno expulerat,atq; in uincula coniecerat (quod quidem perſe magnum ualidumq; ad ſtatus mutationem inſtrumentum erat)coniunctæ,parui eſſent hoc tempore momenti, cum alijs cauſis compara tæ:adeò ſine his ſtimulis,totius regni uoluntates erant in Alfonſum inflammatæ:qui cognito Ferdinandi filij ab Roma diſceſſu , in tantum eſt terrorem coniectus , ut famæ & gloriæ priſtinæ, quam longo uſu,in multis Italiæ bellis ſibi non paruam pepererat,oblitus:neq; ullo modo ſperans ſe huic fatali tempeſtati poſſe reſiſtere,ſeſe regno abdicare conſtituerit,nomenq; regium atq; maieſtatem in Ferdinandum transferre:fore ſperans, unà ſecum odio tam acerbo remoto : ſummæq; expectationis iuuene,à quo nemo fuerat læſus:quiq; per ſe gratia apud omnes polleret,ad regiam dignitatem euecto,deſiderium Gallorum in ſuis fortè imminutum iri : quod quidem conſilium antea uſurpatum, forſitan aliquid profuiſſet:in ea tempora dilatum, in quibus res erant non ſolùm uehementer agitatæ, verùm etiam præcipites ruere incipiebant , non ſatis erat ad tantam ſiſtendam ruinam. Fama etiam eſt(ſi modò non prorſus hæc ſpernere fas eſt)Ferdinandi

ſpectrum

ſpectrum ter diuerſis noctibus Iacobo regiæ domus chirurgo apparuiſſe: & primò lenioribus uerbis, pòſt admodum minacibus mandaſſe, diceret hæc ſuo nomine Alfonſo:ne ſperaret,ſe regi Galliæ poſſe reſiſtere:quòd in fatis eſſet, eius progeniem infinitis caſibus uexatam, ac demùm tam præclaro regno ſpoliatam, extinctum iri:eius rei cauſam eſſe, cùm multa ab ipſis patrata ſcelera, tum uerò illud maximè, quòd ipſius ſuaſu Puteolis rediens,in diui Leonardi fano, quod in via eſt,quę Ghiaia,hoc eſt Glarea dicitur,prope Neapolim,cõmiſſum eſt, cuius quidẽ ſceleris nomen cum ille nõ expreſſiſſet,exiſtimarunt homines,Alfonſum eo loci,Ferdinando perſuaſiſſe,vt nõ paucos regulos,quos diu in carcere detinuiſſet,clàm necari iuberet. Quicquid eius rei ſit,certũ eſt, Alfonſum ſuæ conſcientiæ ſtimulis agitatum, cum neq; dies,neq; noctes animo quietẽ inueniret,in ſomnoq; eorum nobilium quos occiderat umbræ obuerſarentur: populus item pœnas ab eo repoſcens turbulentiſſimè concitaretur, re tantũ cum regina ſua nouerca cõmunicata, cuius precib.ne fratri quidẽ aut filio ſuũ conſiliũ aperire uoluit,nec duos tresúe dies,quo ſui regni annũ uertentẽ terminaret,ſuperſedere, quatuor triremibus precioſa ſuppellectile oneratis,Neapoli diſceſſit:tantũ in ipſo diſceſſu pauorẽ p̃ſeferens,vt ſi iã à Gallis eſſet circũuentus:quaſi in ſe cœlum atq; elementa conſpiraſſe ſuſpicaretur,ad omnẽ ſtrepitũ pauidè reſpectans, Mazarim oppidũ ipſi à Ferdinando Hiſpaniæ rege donatũ,in Siciliã fuga ſe recepit. Huius fugæ nunciũ rex eadem hora,qua Roma proficiſcebatur,accepit:qui cum Velitras perueniſſet,cardinalis Valentinus occultè profugit:qua de re, quamuis pater grauiter quereretur: regiq; ſe quomodocunq; uellet, ſatisfacturum oſtenderet, ipſius tamen iuſſu & conſilio factum,creditum eſt: vt qui pacta cũ rege facta ſeruare, aut contrà, non ſeruare penes ſe eſſe vellet.Velitris primùm agmen Montemfortinum Pontificij iuris in Latio oppidum ſe contulit, cui Iacobus è comitum familia, & è Romana nobilitate vir imperabat: qui primò Caroli ſtipendijs conductus,cum plus in eo poſſet Columnenſium odium, quàm proprij honoris ratio, ad Alfonſum tranſierat.Id oppidum, tormentis illis fulmineis verberatum, quamuis ſitu munitiſſimum, paucis horis expugnarunt Galli, omnesq; qui in eo erant,tribus Iacobi filijs cum paucis alijs exceptis,trucidarunt: qui cum in arcem refugiſſent,& Galli eò tormenta libraſſent,deditione facta capti ſunt.Ex hoc loco exercitus ad Montẽ ſancti Ioannis Piſcariæ, Marchionis oppidum in eodem Latio regno Neapolitano finitimum,eſt progreſſus. Erat hoc oppidum & ſitu & arte munitiſſimum,neq; defenſoribus minus inſtructũ,cum in eo eſſent aliunde acciti milites trecenti,& oppidanorũ quingẽti,extrema omnia ſubire parati: quamobrẽ exiſtimabatur,expugnari,niſi multorũ dierũ ſpacio nõ poſſe: uerùm Galli eo paucis horis tormentorũ globis petito,tanta ui ac pertinacia rege qui Verulis eò ſe contulerat ſpectante oppugnarunt,vt omnibus difficultatibus ſuperatis,id vi eodẽ die expugnauerint:ubi, cum inſito à natura furore,tũ vt hoc exemplo,alios à reſiſtendo deterrerent, ingentẽ ſtragem ediderunt:ac cũ omni reliqua barbara feritate vſi eſſent, flammis quoque in ædificia ſęuierunt: qui belligerandi mos multis retrò ſeculis inauditus in Italia, totum regnum incredibili terrore compleuit.In victoria enim quouis modo parta, victoris furor non vltra ſæuiebat, quàm victos militer diſpoliare, eosq; ſic liberos dimittere : loca vi capta, diripere : incolas,vt pecunia data ſe redimerent,captiuos abducere:uitæ hominũ parcere,qui in ipſo pugnæ feruore nõ cecidiſſent.Nemo deinceps auſus eſt ſe Gallis opponere:neq; vſquã præterquã hoc loco ad tantũ,tamq; nobile regnũ obtinendũ fuit Gallis pugnandũ:ad cuius defenſionem,non virtus,nõ animus,nõ conſiliũ,non honoris cupiditas,'nõ potentia,nõ fides in quoquam enituit. Itaq; Ferdinandus,qui Roma profectus,ſe ad regni fines contulerat, Neapolim ob patris fugam euocatus,aſſumptis ſolenniter,ſed non ſolito cum apparatu ac lætitia,regia autoritate ac nomine, exercituq; congregato,in quo turmę equitum erant quinquaginta,& ſelectorum militum ſex milia,quibus pręerant clariſſimi Italię duces,ad Sangermanum,vt ibi hoſtes tranſitu prohiberet,conſedit:hoc autẽ fecit loci adductus opportunitate:quẽ quidẽ ab vna parte montes alti ac prærupti cingunt,ab altera paudes & ſtagna:à fronte uerò Garilianũ,quem veteres Lirim appellabãt,decurrit: etſi eo loci non tam pleno alueo,quin interdũ vado tranſitum præberet:his de cauſis,lociq; anguſtijs, is locus merito vnũ è portus Neapolitani clauſtris, appellatur. Montẽ quoq;

proximum, vt Cancellarũ aditum tueretur, præsidio muniuit. Verùm hæ omnes copiæ, ad Gallicum nomen perterritæ, iam nullum uigorem præse ferebant: duces quoq; ipsi, pars de sua suarumq; rerum salute solliciti, vt qui regnum posse defendi, nullo modo sperarent: pars cupidi rerum nouarum, nutare non minus fide quàm animo incipiebãt: nec aberat metus, toto admodũ tumultuante regno, ne à tergo periculosus aliquis motus exoriretur. Metu igitur consternati, vt monte sancti Ioannis expugnato, Gyensem trib. milit. cum tercentum cataphractis & peditum bis mille, appropinquare acceperunt, turpiter Sangermanum, tantoq; cum terrore deseruerũt, ut in itinere octo magnis tormentis sine præsidio relictis, se Capuam receperint: quam vrbẽ, nouus rex, tum Capuanorum in Aragonios beneuolentia, tum situs opportunitate, quòd à fronte flumen Vulturnum, eo loco admodum profundũ habeat fretus, se tueri posse sperabat: eodẽq; tempore, suis uiribus minimè alijs locis distractis, Neapolim, Gaietamq; tenere. Eum Galli, sed sparsi confusiq; sequebantur, more potius iter facientium, quàm bella gerentium, progredientes, quacunq; prædæ occasio sese ostenderet, eà iter suum dirigentes, sine ordine, sine uexillo, sine duce: sæpenumero plerisq; ipsorum ibi pernoctantibus, unde mane Aragonij discesserant. At, ne Capuæ quidẽ maior uirtus fortunæ sese ostendit. nam, posteaquam Ferdinandus ibi exercitũ posuisset, qui à Sangermania fuga, numero erat non parum imminutus, Reginę literis certior factus, Neapoli ex ea fuga, talem animorum mutationem factam esse, vt nisi ipsemet ueniret, res ad tumultum spectare sine dubio uideretur: statim eum paucis, vt imminenti periculo sua præsentia occurreret, eò contendit: data tamen fide, se postridie Capuam reuersurum: sed Ioannes Iacobus Triultius, cui eius vrbis cura ab Ferdinando erat cõmendata, occultè iam ab rege Galliæ caduceatorem, vt tutò ad eum deduci posset, postulauerat: qui ubi venisset, Triultius vnà cum quibusdam nobilibus Capuanis venit Caluium, quò eo ipso die Carolus uenerat: quod quidem Triultius non paucis Capuanorum fidẽ Ferdinando seruare paratis, conuicio etiam contradicentibus fecit. Ibi, ad regem sic armatus vt venerat, introductus, ciuium Capuanorum & militum nomine, regem sic est affatus, vt diceret, se cum videret Ferdinandum viribus, quibus regnum tueretur, destitutum esse, cui dum aliqua spes fuit, fidelem operam nauassent, regis fortunã, siquidem honestis conditionibus acciperentur, sequi decreuisse: illud quoq; adiecit, se minimè diffidere, quin Ferdinandum ipsum ei esset adducturus, modò eum, quemadmodum eius dignitas merebatur, uellet agnoscere. Cui rex verbis quàm humanissimis respondit, se Capuanorum, militumq; pollicitationẽ accipere, Ferdinandi quoq; aduentum sibi gratissimum forè, modò sciret, se nullam partem regni Neapolitani, quamuis minimã, retenturum: sed in Gallia opes & honores accepturum. Quid ad fœdam transitionem Ioannem Iacobum Triultium insignem belli ducem, quiq; honoris rationem in primis habere consueuisset, impulerit, in obscuro latet. Affirmabat is, se Ferdinandi voluntate ad regem venisse, vt res ipsius cum eo componere tentaret: à qua spe prorsus exclusus, constaretq; regnũ Neapolitanum armis non posse defendi, visum fuisse, non modò licitum, uerùm etiam laudabile, simul & Capuanorum ciuium, & militum saluti cõsulere. Verùm enim, secus eo de facto mortales existimarunt: nam creditum est Triultium, quòd uictoria potiri regem Galliæ cuperet, ad id fuisse compulsum: ea spe ductum, vt regni Neapolitani potitus rex, animum ad Insubriæ imperium esset conuersurus: in quo, cum esset ex clarissima familia natus: nec apud Ludouicum Sfortiam, siue principis in Sanseuerinates nimio fauore, siue alia de causa, se eo loco haberi, quo ipsius virtus, atq; in principem merita poscerent, cerneret, ab eo prorsus animum abalienasse: qua etiam de causa, pleriq; cum Ferdinando primum suasisse, cautius, quàm fortassis interdum occasiones ipsę poscerent in Aemilia procederet, suspicabantur. At Capuæ, iam ante Triulcij reditum, Ferdinandi domus equiq; à militibus direpti fuerunt: equitum alæ in varia loca dilabi cœperant: iam Virginius & Petilianus cum suis turmis Nolam, vrbem quam Petilianus Aragoniorum beneficio possidebat, prius tamen pro se & suis fide publica impetrata, receperant. Redibat ad dictam diem Ferdinandus, Neapolitanorum animis ad tempus, Capuanæ defensionis spe, nonnihil pacatis & erectis: iamq; ad secundum ab Capua lapidẽ accesserat, antequam id quod post ipsius discessum acciderat, percepisset: cum cognito

eius

eius reditu,populus vniuerſus,neeum reciperet,ad arma cucurrit: quam ob cauſam de communi conſilio è nobilitate qudam ei obuiam ſunt miſſi, qui ne vlterius procederet, denunciarent:propterea quòd ciuitas,cum & ab ipſo diſertam cerneret ſe,& Triulcium ſuarum copiarum præfectum ad regem Galliæ tranſiuiſſe, eius domum à proprijs militibus direptam: Virginium Petilinumq; abijſſe:exercitum ferè omnem dilapſum eſſe, neceſſitate compulſa,vt ſuæ ſaluticõſuleret,victori ceſſiſſet. Ferdinandus igitur,ubi ad lacrymas vſq;,vt ſe admitterent fruſtra inſtitiſſet,Neapolim redijt:certus,regnũ vniuerſum Capuanorum exemplũ ſecuturũ:quo exemplo Auerſa inter Neapolim & Capuam ſita,illicò ad Carolũ oratores ſuos, qui ciuitatis nomine deditionẽ facerent,miſit.Cũq; Neapolitani idẽ iam palàm agerẽt, ſtatuit infelix rex, tam repentinæ tempeſtati minimè reluctari.Itaq; in arcis nouæ,quæ regum ſedes fuit,aream, multis nobilibus ac populari bus cõuocatis,ad eos hiuiuſmodi verba fecit:Deum immortalẽ omnesq;,eos homines quibus mea cõſilia nota fuêre,teſtari poſſum,me nulla de cauſa tantopere hanc regiam perſonam mihi imponi,expetiuiſſe,quàm vt cunctis mortalibus oſtẽderem,me à patris auiq; mei imperij acerbitate ſemper abhorruiſſe:vtq; benefaciendo eã mihi apud meos omnes beneuolẽtiã comparare,èqua illi ſua acerbitate excidiſſent:nõ permiſit domus noſtræ infelicitas,vt hunc fructũ,regno ipſo longe præſtantiorẽ,poſſem colligere.Nam regẽ eſſe,à fortuna plerunq; datur:verùm eum regẽ eſſe,qui ſalutem ac felicitatẽ ſuorũ ciuium,quaſi vnicum regnandi finẽ,rebus omnibus anteponat,id ab ipſo tantum,atq; à propria virtute proficiſcitur.Res noſtræ in anguſtiſſimũ locum redactæ ſunt:poſſimusq; potius queri nos regnum perfidia,atq; ignauia ducũ militumq; noſtrorũ,amiſiſſe,quàm poſſint hoſtes gloriari,ſe id propria virtute quęſiuiſſe: neq; tamẽ ſpe prorſus deſtituere-mur,ſi vel ad breue tẽpus nos ſuſtineremus : propterea quòd & ab Hiſpaniæ regibus,& ab Italiæ principib.vniuerſis,auxilia potentiſſima cõparantur:iam enim eorũ ſunt aperti oculi,qui antea non peruiderant incendiũ, quo regnũ noſtrũ conflagrat,ad eorũ quoq; ſtatus,niſi maturè occurrerint,peruenturũ:mihi verò ſaltem animus nõ eſſet defuturus, regnũ vitamq; ea cũ gloria,quæ iuuenẽ regẽ,à tot regib.lõga ſerie ortũ, eaq; quã de me ad hũc vſq; diẽ,expectationẽ habuiſtis,decet,terminandi : verùm,quoniã hęc fieri iam nõ poſſunt,quin ſimul cõmunis patria in grauiſſima pericula vocet, fortunæ cedere potius cõſtitui,virtutẽq; occultã habere , quàm meũ hoc regnũ retinere conãdo,ei fini cõtraria accerſere, propter quẽ optauerã ad regiã dignitatẽ cõſcendere.Itaq; ſuadeo,hortorq;,ad Galliæ regẽ legatos de pace mittatis:quod vt citra veſtræ exiſtimationis labem facere poſſitis,vobis fidẽ iusq; iurandũ , quo vos mihi paucis antè dieb.obſtrinxiſtis,liberè remitto:moneoq; obſequijs atq; alacritate in eo accipiendo,innatã eius gentis ſuperbiã mitigare ſtudeatis:quodſi barbaris ipſorũ morib. fiat,vt aliquando eorũ domina tum auerſemini,meũ uerò reditum expetatis : in eis ero locis vnde veſtræ volũtati ferre opem valeã,ſemper ad omnia pericula vitã veſtra omniũ cauſa profundere paratus : verum ſi tales erga vos fuerint,vt imperandi lenitate & clementia,vobis ſatis faciant,à me nec ciuitas hæc,nec regnum hoc nobiliſſimum,vllam vnquam ſentiet moleſtiam.A` noſtro bono meæ calamitates leuamẽ accipient : idq; multo fiet magis,ſi in vobis aliquam memoriã ſupereſſe cognouero , à me neq; regiorũ dum eſſem filiorũ primus: neq; poſt, regio nomine aſſumpto, quemq; iniuria affectũ fuiſſe:in me nõ auariciæ,nõ crudelitatis vlla veſtigia vnquã extitiſſe: mihi non mea,ſed maiorum meorum peccata nocuiſſe:me nunquã, ſiue retinendi, ſiue recuperandi regni cauſa, vt vllus huius regni ciuis aliquid patiatur,cauſam præbiturum , mihi moleſtius eſſe facultatem vitia patris auiq; mei corrigendi amittere,quàm regia dignitate regno´ue,priuari.Harum, inquam,rerum memoria,ſi in vobis viguerit, ſi etiã me regẽ Alfonſi ſenioris proaui mei ſimilem potius q̃ Ferdinandi,atq; huius poſtremi Alfonſi,futurũ ꝓſuaſum habueritis,tametſi exul,patriaq; & meo regno ſpoliat⁹,me tamẽ haud omnino infelicẽ exiſtimabo.Audiri hæc verba abſq; miſericordia minimè potuere:quinetiã conſtat,pleriſq; ea lacrymas excuſſiſſe:verùm enimuerò tantũ erat vulgi ac totius ferè nobilitatis in duos poſtremos reges odiũ,tantum Gallorũ deſideriũ , vt hac oratione nulla ex parte tumultus ſedari potuerit, ſed vbi is ſe in arcẽ recepiſſet,vulgus regia equilia,quæ in arcis erãt area,diripere, nobiliſſimosq; equos abducere cœpit: quam inſolentiã,cũ rex ferre nõ poſſet, paucis comitatus,magna

animi constantia ex arce quo id prohiberet, erupit, tantumq; in ciuitate iam prorsus ab eo alienata, maiestas, regisq; potuit nomen, vt omnes impetu represso, ab equilijs retrocederent: at in arcem reuersus, idq; ageret, vt naues quæ in portu erãt, quando aliter eis hostes priuare nequiret, deprimerentur in mari, cœpit aliqua adductus coniectura suspicari, Germanos qui in arcis præsidio quingenti fuerant, de se capiendo cogitare: quare, repentino consilio, eis suppellectilem, quæ in arce asseruabatur, condonauit: quam dum illi inter se partiuntur, rex è custodia omnibus, Russanio principe, comiteq; Populensi exceptis, regni proceribus, qui è paterna uitaq; immanitate supererant, emissis, ex arce militari subsidiariáue porta egressus, triremes, à quibus in portu expectabatur, vnà cum Federico reginaq;, olim aui coniuge, & Ioanna filia, conscendit: ac paucis è suis comitatus, ad insulam Isdriam, quæ antiqui Aenaria fuit, quęq; ab vrbe Neapoli triginta miliaria distat, nauigauit: idem, dum in conspectu Neapolim haberet, Vatis uersum clarissima uoce pronuncians, cuius ea est sentẽtia: Frustra homines vigilarunt ad ciuitatis custodiam, quæ à Deo non custodiatur: cumq; iam nihil præter difficultates laboresq; obijcerentur, ei suæ uirtutis periculum, simulq; alterius ingrati animi ac perfidiæ, quæ in eos quos fortuna perculit, existere consueuit, faciendum fuit: nam cum arcis præfectus, cum vno tantum comitatum in arcẽ admitteret, rex vt intromissus fuit, sese in eum tanto impetu coniecit, vt & ferocitatẽ, & regię maiestatis recordatione, sic ceteros perterrefecerit, vt eueſtigiò tum præfectum ipsum, tum arcem in suam redigeret potestatem. Ferdinandi ab vrbe discessu, omnes passim tanquam concitatissimo torrenti ad uictoris tantum famam ea consternatione cedebant, vt ducenti è Lignini turmis equites Nolam profecti, quò se Virginius ac Petilianus cum cataphractis quadringentis receperant, eos minimè resistentes caperent: illi enim, partim publica regis fide, quam regem concessisse à suis acceperant: freti partim eodẽ quo & cæteri, terrore perculsi, nihil reluctantes, se dediderunt: sic ipsi in Mondraconis arcem captiui ducti: ipsorum uerò equites prædæ expositi fuerunt. Interea Carolus Neapolitanis oratoribus Auersæ, qui dedendę vrbis causa uenerant, repertis, eisq; in fidẽ receptis, ac multis regia liberalitate priuilegijs concessis, postridie, quę fuit Februarij dies uicesima prima, Neapolim est inuectus: tantoq; omnium applausu ac lætitia susceptus, vt qui id eloqui tentaret, is eum esset laborem in cassum sumpturus: concursus incredibili cum gaudio factus est sexus, ætatis, conditionis, generis, factionis, quasi ad patrem, atq; eius vrbis conditorem: nec alijs cedere in eo studio qui aut ipsi, aut maiores ipsorum ab Aragonijs ad honores euecti essent, ac beneficijs affecti voluerunt: qua celebritate ac frequentia primùm ad vrbis augustissimum templum, pòst in arcem Capuanam, quæ Gallię regum sedes olim fuerat (nam arx noua ab hostibus tenebatur) deductus est, cum admirabili inauditæ felicitatis cursu, vel supra Iulij Cæsaris exemplum, prius uicisset, quàm conspectus extitisset: tanta deinde facilitate, vt nec tentoria quidem in ea expeditione, aut explicare hastam vnam frangere necesse fuerit: multi præterea apparatus minimè necessarij: cum & ipsa classis tam immani sumptu comparata atq; instructa, maris tempestate quassata, atq; in Corsicam insulam delata, non prius ad Neapolitanum litus accederet, quàm rex in vrbem reciperetur. Ita, intestinis diſſidijs, quibus celeberrima nostrorũ principum sapientia obscurata erat, præclara ac præpotens Italiæ pars, summa cum ignominia, Italicæ militiæ irrisioneq;, grauissimo omnium cum periculo atq; infamia, ab Italorum imperio, ad Transalpinarum gentium dominatum translata fuit: nam quoniam Ferdinandus senior, etsi natus ipse in Hispania esset, tamen quòd ab ineunte ætate aut rex, aut regis filius ipse in Italia semper egisset: quodq; in alia prouincia principatum non haberet: essentq; eius tum filij tum nepotes Neapoli, & nati & educati inter Italos iure optimo censebantur.

PRIMI LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GVICCIARDINI HISTORIAE ITALICAE, LIBER SECVNDVS.

In hoc ſecundo Libro Piſanorum à Florentinis defectio manifeſtà narratur: Florentinorum rege cum Galliæ de recuperandis Piſis actiones: noua Reipublicæ Florentinorum ex Hieronymi Sauonarolæ conſilio, forma: Venetorum & Ludouici Sfortiæ aduerſus Gallos, apparatus: & eorundem cum Gallis ad Tarum pugna: Ferdinandi Aragonij in regnum Neapolitanum reditus: pax inter Mediolanenſem ducem, & Galliæ regem: eiuſdem regis trans Alpes in Galliam ſuam reditus: quando primùm, & vnde in Italia Gallicus morbus cœpit apparere.

DVM hæc Romæ atq; in regno Neapolitano geruntur, in alia Italiæ parte exigui ignis ſcintillæ, maximum tandem incendium, in multorum, ſed illius præcipuè qui nimia dominandi libidine, eum & excitauit, & fouit, perniciem parituri creſcebant: nam etſi Carolus Florentiæ de re Piſana ita tranſegiſſet, vt ipſe Piſas, quoad regnum Neapolitanũ ſubegiſſet, retineret: iuris autem dictio, vectigaliaq; omnia in Florentinorum eſſent poteſtate: nihilominus, Florentia diſcedens, vt hæc ſeruarentur, nihil conſtituerat, mandauerátue: quamobrem, Piſani in quos tum præfecti tum militum, quos rex ad eius vrbis præſidium reliquerat, ſtudia propendebant, cum excutere Florentinorum iugum conſtituiſſent, omnes magiſtratus, Florentinosq; vniuerſos, qui ibi remanſerant, partim expulerant, partim carceribus cuſtodiæq; mandarant: bona fortunasq; illorum omnes occupauerant: ſignisque & factis defectionem prorſus confirmarant: in qua vt poſſent perſiſtere, legatos non modò ad regem poſtea quàm Florentia erat profectus, qui ipſorum cauſam tuerentur: verùmetiam, vt ab omnibus obtinerent auxilia nihil præter mittentes, ab ipſa ſtatim defectione, Senam Lucamque miſerunt: quæ ciuitates nomini Florentino infenſiſſimæ, Piſanam defectionem libentiſſimis ac propenſiſſimis animis acceperunt. Itaque ſimul eis certam pecuniæ ſummam deſtinarunt: & inſuper Senenſes equites aliquot extemplò ſubmiſerunt: quinetiam Veneti ſenatus animum miſſis oratoribus, tentarunt: à quo, etſi benignè accepti, nullam tamen ſpem certam retulerunt. Præcipuum verò ſuæ defenſionis firmamentum, in Ludouico Sfortia repoſitum habebant: quem vt ipſis defectionis autor extitiſſet, ſic ad eos tuendos promptum fore minimè dubitabant: qui quamuis Florentinis aliter oſtenderet, clàm tamen eos multis & hortationibus & pollicitationibus confirmauit: Genuenſibus quoque, vt Piſanos armis cæterisq; ad bellum neceſſarijs munirent: mitterent præterea Piſas præfectum, peditesque trecentos, perſuaſit: qui odio Florentinorum incenſi, tum ex eo quòd Piſas ſuo imperio adieciſſent, tum quòd Liburni portũ Thomæ Fregoſio Genuenſiũ duce, quẽ ipſi poſſidebant, emiſſent, nato: poſtremò etiã cum Florentini Petrã ſanctã Sereſanamq; occupaſſent, aucto, non modò ad ea perficiẽda prompti extitere, verùm etiam bonam partem oppidorum occupauerant, quæ Florentini in Lunigiana poſſidebant: iamq; vnius regiæ epiſtolæ prætextu, quam de reſtitutione quorundam bonorum, quæ publica fuerant, acceperant, in Petræ ſanctæ reb. ſeſe immiſcebant: quibus de rebus Florentinis Mediolani expoſtulantibus, dux ipſe reſpondebat, nõ eſſe in ſua poteſtate, ex pactis quæ cũ Genuẽſib. haberet, ea prohibere: dũq; verbis eis ſatisfacere conatur, variaq; eos lactat ſpe, factis contraria prorſus agitare non ceſſat: vt qui ſperaret, Florentinis à Piſarũ recuperatione reiectis, ſe facilè eius vrbis imperio potiturum: id quod eius vrbis opulentia atq; opportunitate, allectus ardẽtiſſimè cupiebat: quę cupiditas in eo minimè erat noua, ſed iam tum nata cum Mediolano paulo pòſt Ga-

leacij fratris sui necem, propter affectati regni suspicionem, qua paruuli ducis mater, atque alumna Bona tenebatur, pulsus ibi menses complures fuit, relegatus: stimulabat præterea illa recordatio, cum cogitabat, Pisas, antequam in Florentinorum potestatem venirent, Ioāni Galeacio episcopo è Vicecomitū familia, primo Mediolanensium duci paruisse: quare & sibi glorioſum fore ducebat, id postliminiò recuperare, quod aliquādo à suis maioribus possessum fuisset: existimabatque aliquo iuris colore id posse defendi, tanquam Ioanni Galeacio minimè licuisset in successorum suorum Mediolanensium ducum detrimentum Pisanum imperium ab eo quidem, sed pecunia & viribus Mediolanensis imperij, partum Gabrieli Mariæ filio extra matrimonium suscepto, testamento relinquere. Nec contenti Pisani, ciuitatem à Florentinorum dominatu, remouisse, oppida insuper Pisani agri occupare studebant: quæ omnia ferè, vrbis autoritatem, quemadmodum plerunque solent, secuta, primis defectionis diebus ipsorum præfectos: Florentinis à principio grauioribus, dum cum rege componunt, dumque ab eius discessu expectant, vt is publico solemnique sacramento obstrictus, ei rei prouideret, curis intentis, eis malis sese minimè opponentibus, receperunt: verùm, quandoquidem ab eo remedium differri videbant, missis eò militibus partim vi, partim pactione, quæ amiserant, Cascina, Buto & Vicopisano exceptis, quibus in locis suas Pisani vires coegerant, recuperarunt: nec Carolo Pisanorum actiones erant molestæ, quorum causa apud regem multos apertè fautores habebat: quorum alij misericordia, ex opinione quæ iam regis familiarium animos occuparat, Pisanos à Florentinis acerbius fuisse tractatos, mouebantur: alij quo se Cardinali Maclouiensi opponerent, qui se Florentinis studere demonstrabat: sed præter cęteros, Belcarius, pecunia emptus Pisanorum: quem tamen Cardinalis honores aucti præcipuè vrebant: quam ob causam, incipiebat, vt est aulæ mobilitas, eadem ambitione ab eo dissidere, qua eum vt haberet qui cum alios deijceret, antè fouisset: ergo, hi tanti regis existimationis & fidei nulla habita ratione, regi suadebant, vtilius esse, Florentinos in ea necessitate continere: Pisasque eo in statu, saltem donec regno Neapolitano potitus esset, conseruare: quorum consilijs inductus rex, cum vtranque partem varia spe sustentare conaretur, Florentinorum oratores dum Romæ ageret, vt coram se Pisanorum querimonias audirent, introduxit: Pisanorum causam egit Burgondius Lollius, ciuis Pisanus, curiæ Romanæ vocatus: is acerbissimè querebatur, Pisanos per annos octuaginta, vsque adeò iniqua atque atroci seruitute oppressos fuisse, vt ea ciuitas, quæ quondam nobilissimis victorijs, in Orientem vsque imperium suum extendisset, quæque Italicas inter vrbes potentia & fama in primis viguisset, nunc crudelitate atque auaricia Florentinorum, ad extremam sit vastationem redacta: Pisas habitatoribus vacuas esse: quod bona ciuium pars, tam asperum iugum fere non valens, eam sponte deseruisset: quorum consilium prudentissimum fuisse, eorum quos amor patriæ in ea retinuisset, miserias declarasse: qui & acerbis magistratuum exactionibus, & priuatorum à Florentia insolentibus rapinis, omnibus propemodum fortunis nudati essent: nec vllam iam ipsis superesse vitæ tuendæ rationem, quandoquidem in audita impietate atque iniquitate, mercaturam facere, artemque vllam, præter eas quæ manu & opera fiunt, exercere prohiberentur: omnes Pisanos à publicis muneribus, etiam ijs ad quæ extranei admittuntur, excludi: iam in salutem vitamque ipsorum seuitiam adhiberi: atque ut funditùs Pisanorum reliquias deleant, aggerum & fossarum in toto Pisano agro tuendorum procurationem, semper à maioribus summa diligentia conseruatam, intermitti voluisse: qua re intermissa, fieri non posse, quin, quòd regio tota sit depressa, & stagnantibus immodicè aquis insalubris, quotannis uarijs & grauissimis morbis conflictentur: hac de causa templa, ædesq; amplissimas, aliaque nobilissima tum publica tum priuata ædificia, magnificentia atq; pulchritudine inæstimabili à maioribus extructa, passim corruere: non esse ignominiosum præclaris ciuitatibus, si post multorū annorum curricula, tandem in seruitutem cadant: cum sit hoc fatale, vt omnia quæ orta sunt, intereāt, & aucta senescant, atq; mutentur: verùm, nobilitatis & magnitudinis ipsa-

rum

rum memoria, misericordiam potius in eorum qui vicissent, mentibus ingenerare debuisse, quàm acerbitatem asperitatemq; augere: præsertim verò, illud vnumquemq; secum reputare debere, quòd omnibus & ciuitatibus & imperijs fato quodam euenturum est, idipsum quoq;, aliquando sibi accidere posse, imò necessariò futurum, nihil Pisanis iam reliquum esse, quo se Florentinorum immanitas insatiabilisq; cupiditas vltrà possit efferre: iam tot tantasq; calamitates ferri non posse: itaq;, cunctos vno animo non modò patriam, verùm etiam vitam ipsam deserere potius constituisse, quàm sub tam iniquum, tamq; impium dominatum reuerti: Regē se cum lachrymis, quas populi Pisani vniuersi ad eius pedes suppliciter proiecti, exuberantissimas esse existimaret: orare recordaretur, quanta pietate ac iusticia libertatem, qua iniustissimè fuerant à Florentinis spoliati, Pisanis restituisset: hoc suum in eos beneficiū, quod tanti principis constātia atq; animi magnitudine dignum esset, conseruaret: velletq; potius pater & liberator eius ciuitatis appellari, quàm eisdē in tam pestiferā seruitutē cōiectis, sese Florentinorum rapacitatis & crudelitatis ministrum præbere. Ad has criminationes, haud minore dicendi vi, Franciscus Soderinus pontifex Volaterranus, qui postea fuit Cardinalis, ex Florentinis oratoribus vnus, respondit: Florentinorum in Pisanos ius æquissimum esse, vt qui anno M.CCCC.IIII. Pisanorum vrbem à Gabriele Maria Vicecomite, legitimo eius vrbis domino, emissent, à quo vix in possessionē adducti, à Pisanis vi de possessione fuissent depulsi: idcirco Florentinos necessitate fuisse cōpulsos, bello sanè diuturno interceptā possessionē recipere conari: cuius belli haud minus felix exitus extitisset, quàm belli gerēdi causa: nec minus Florentinorū pietas glorioſa, quàm victoria: qui cum occasionē habuissent, Pisanos fame iā penè enectos, sic perire sinere, quo eis spiritum iamiam euanescentē, restituerent, cum exercitu in vrbē ingressi, maiorē secū vim cōmeatus inuexerunt, q̄ armorum, nullo vnquam tempore Pisanā ciuitatē in cōtinenti principatum tenuisse: quin ne Lucam quidē vrbem tam propinquam, vt eis pareret, obtinere vnq̄ potuerunt: itaq; se intra suos angustissimos fines semper inclusam cōtinuisse: maritimam potentiam breuem fuisse: propterea quòd Dei iusta vindicta, ipsorū multis iniurijs & scelerib. prouocati: ciuilib. itē discordijs diuturnisq; inter se odijs, multis antè annis quàm Florētinis venderetur, iā omni exciderat dignitate, opibus & habitatorib. nudata, atq; vsq; adeò debilitata, vt Iacobo Appiano ignobili ex agro Pisano scribæ, minimè fuerit difficilè Pisanorū dominatum inuadere: eumq; annos complures retētum, pòst filijs suis hęreditarium tradere: nec Florētinos Pisanū dominatū magnifacere, nisi ob situs opportunitatē, marisq; commoditatem: quòd vectigalia, quæ illinc extrahebātur, parui essent momēti, exactionesq; adeò leues, vt impensarū rationē, quæ necessariò fierent, haud multū excederent: quarum tamē maior pars ab externis mercatoribus ad Ligurni portum tuendum, exigeretur: quod autem ad mercaturā, artes, & reip. munera, non esse Pisanos alijs legibus obstrictos, quàm cęteræ Florentini imperij ciuitates, quæ moderato ac mansueto se gubernari imperio cōfitentes, dominum mutare: quòd nec ea superbia atq; pertinacia essent, quæ propria est Pisanorum: nec ea perfidia, quæ in eis adeò nota est, vt vetustissimo totius Hetrurię puerbio celebrē, minimè cupiebāt: quòd si cum primū Pisana ciuitate potiti sunt Florentini, multi Pisanorū statim vrbem sponte deseruerunt, id ab illorū impotente superbia, qua factum est, vt proprijs viribus & fortunæ seruire noluerint, non culpa Florentinorum, esse profectum, qui eos iustissimo ac mansuetissimo imperio rexerant, itaque tractauerant, vt eis imperantibus, ea ciuitas neque diuitijs, neq; viris esset imminuta: quin potius, Ligurni portus maximo sumptu recuperatus, sine quo ea vrbs omni commodo atq; emolumento nudata remansērat: omniū præterea artium ac disciplinarum in eā publico introducto studio, alijsq; multis, nec nō fossarum atq; aggerum diligenti procuratione cōtinuata, Florentinos semper eam frequentissimam reddere studuisse. Hæc esse tam manifestè vera, vt fictis & falsis lamentationibus obscurari non possent: omnibus meliorem sortem desiderare permissum esse, verùm debere etiam vnumquemq;, quod cuiq; dedit sors patienter tolerare: alioqui, si cuiuis alterius imperio subiecto, ad libertatem aspirare licitum sit, omnia dominatus, atque imperiorum iura peruerti atque confundi: Florentinos minimè necessarium ducere, in eo elaborare, vt Carolo Christianissimo Francorum regi, quid eum facere

deceat,perſuadeant, qui cum rex ſapientiſſimus ac iuſtiſſimus ſit, ſe certò ſcire, eum vanis querelis & calumnijs à recto ſe abduci minimè paſſurũ : per ſeq; quid prius quàm eius exercitus in vrbem Piſanam reciperetur , promiſiſſet: quid item Florentiæ in tanta celebritate ſolenniterq; iuraſſet,in memoriam reuocaturum,cogitaturũq; , quò quis potentia ac maieſtate maior eſt, eò ipſi glorioſius eſſe,ad iuſticiam & fidem conſeruandam, potentiæ ſuæ amplitudinem explicare. Manifeſtè apparebat,à Carolo Piſanos benignioribus aliquanto auribus auditos fuiſſe:eorumq; beneficio cupiuiſſe,vt quam diu bellum Neapolitanum gereretur, ab vtraque parte arma ſuſpenderentur:aut Florentini vt rex Piſanam ditionem vniuerſam retineret, affirmabatque quamprimùm Neapoli potitus eſſet,ſe quæ Florentinis promiſiſſet,omnia repræſentaturum: id Florentini,quibus omnia iam regis verba ſuſpecta erant, conſtanter recuſabant:obnixè vt promiſſis ſtaret, poſtulantes:quibus vt ſe velle ſatis facere,oſtenderet autem vera quo ab eis ante præſcriptum tempus auri libras ſeptingentas, quas ex pacto debebant,extorqueret : eodem quo Roma diſceſſit tempore, cardinalem Maclouienſem Florentiam miſit: cui rex occultè mandauit , vt Florentinos ſpe ſuſtentaret , donec aurum extorſiſſet: quo facto denique res eodem inſtatu ſineret:de qua fraude, etſi Florentini haud parum dubitarent, nihilominus ei quadringentas auri libras , quarum dies aduentabat,tradiderunt:quas vbi accepiſſet,Piſas quaſi eius ciuitatis poſſeſſionem Florentinis daturus, profectus , Florentiam re infecta redijt,ex cuſauitq; , Piſanos ſe tam obſtinatos reperiſſe, vt eius autoritas parum ad eos flectendos ponderis extitiſſet: cogere verò eos non potuiſſe,quòd eiuſmodi mandatum à rege non haberet:nec ſibi ,vtpote ſacerdoti, fas eſſe ea conſilia capere,è quibus Chriſtianorum ſanguis fundendus eſſe videretur.noua tamen præſidia, in arcem quam nouam Citadellam vocant, impoſuit:in veterem etiam impoſiturus,ſi Piſani quorum animi vnà cum viribus quotidie creſcebant , aſſentiri voluiſſent : nam Ludouicus Sfortia, exiſtimans maiore præſidio, nec non peritiore quopiam ac ſtrenuo duce ibi opus eſſe , Piſas ipſe , quanquam conſuetis artibus nomen Genuenſium prætexeret,Lucium Maluetium cum nouis militum turmis immiſerat: nec vlla occaſione qua Florentinorum moleſtias fouere poſſet, præterita : quo eos à Piſanis infeſtandis magis remoueret, Iacobum Apianum Plombini regulum, Ioannemque Sabellum communibus cum Senenſibus impenſis conduxit, vt Senenſes maiore animo Montem Politianum , quod oppidum cum recens à Florentinis defeciſſet , nulla fœderis quod cum Florentinis haberent, ratione habita , in ſuam fidem receperant , tuerentur: nec leuioribus Florentini anguſtijs moleſtijsque ab inteſtinis rebus , conflictabantur : qui vt reipublicæ ſtatum ordinarent , ſimul ac rex Florentia diſceſſerat, in comitijs , quæ veteri more populo vniuerſo in curiæ campum conuocato , apertis ſuffragijs de ijs quæ per ſummum magiſtratum propoſita erant, peragebantur , quandam reipublicæ formam conſtituerant, quæ popularis ſtatus nomine , multis partibus ad paucorum potentiam magis, quàm ad multitudinis propendebat: quæ res cum pleriſque,qui maiorem animo licentiã conceperant,moleſta eſſet:atque ad idipſum priuata alicuius præcipui ciuis ambitio accederet: de reip. forma denuò agendũ fuerat: de qua cum certo die principes magiſtratus,ciuesque primarij deliberarent,Paulus Antonius Soderinus ciuis & ſapiens & grauis, verba,vti fertur,in hũc modum fecit:Etſi ab ijs qui de rep.ſcripſerunt,pręſtantiſſimi ciues popularis ſtatus minus laudatur , quàm is in quo aut ad vnum principem, aut ad optimates, omnia referuntur: tamen quoniam deſiderium libertatis in hac ciuitate antiquum eſt,ac penè cum ipſis ciuibus natum:ſintque ciuium noſtrorum rationes ad æqualitatem, popularis reipublicæ fundamentum maximè neceſſarium,accommodatæ : multitudinis imperium omnibus reliquis à nobis anteponendum eſſe, facilè demonſtrari poſſet. Verùm enimuero , ea de re prolixius diſſerere, ſuperuacaneum arbitror , quandoquidem in omnibus ſuperiorum dierum conſultationibus , ſemper omnium conſenſu,decretum eſt , vt resp. populi nomine atq; autoritate gubernetur: ſententiarum autem varietas hinc nata eſt, quòd plerique in comitijs , ad eas reipublicæ rationes libenter acceſſerunt, quibus ciuitas, antè quàm eius libertas à Medicea familia opprimeretur,regebatur(quorum de numero me vnum eſſe fateor)exiſtimantes,

ſtatum

ſtatum,hoc recenti modo conſtitutum,multis in rebus nomine potius quàm re,popularem eſſe,caſibusq; qui ab huiuſmodi imperijs ſæpenumero exiſtunt, perterriti, perfectiorem aliquam formam, per quam ciuium concordia & ſecuritas conſeruetur,requirunt:quæ quidem res,nec rationibus,nec documentis ſuperiorum temporum in hac ciuitate ſperari poteſt, niſi in ea reip.forma quæ tota à populi poteſtate,ſed ordine & modo conſtituta,pendeat: quæ quidem duobus firmiſſimis fundamentis nititur. Primùm, vt omnes tam huius ciuitatis, quàm reliquæ ditionis magiſtratus & munera ſuis temporibus communi conſilio eorum qui noſtris legibus, ad reip. gubernacula aditum habent,decernantur:ſine cuius conſilij autoritate, nouæ leges ferri non poſſint:ita vt cum in priuatorum ciuium poteſtate non ſit, neq; cuiuſquam priuatæ conſpirationis,factionis, dignitates imperiáue diſtribuere, nemo aliorum cupiditate ſtudióue excludetur: ſed ex virtute & meritis hominum diſtribuentur: itaq; vnumquemq; virtute,bonis moribus,publicè & priuatim benemerendo, ſibi viam ad honores patefacere oportebit: abſtinere præterea à vitijs,ab inferenda alteri iniuria, ac denique ab omnibus ijs quæ in bene inſtitutis ciuitatibus, odioſa moleſtaq; eſſe videantur. neq; in vnius paucorúmue poteſtate erit, ſiue nouis legibus, ſiue vnius magiſtratus autoritate,aliam reip.formam introducere:quoniam niſi ſemel recepta,conuiciorum ſuffragijs mutari non poterit. Alterum eſt,vt grauiores deliberationes,cuiuſmodi ſunt de bello & pace, de nouis legib. ponderandis atq; explorandis, ac generatim omnia ad huius ciuitatis atq; imperij adminiſtrationem opportuna, à magiſtratibus ei muneri deſtinatis,atq; ab conſilio ex ciuibus peritiſſimis ac prudentiſſimis populi ſuffragijs ſelecto & conflato, tractentur: nam, quoniam horum cognitio negociorum, in quemuis minimè cadit, ab ijs gerantur oportet,qui earum ſunt rerum capaces: quæ res cum nõ rarò celeritatẽ taciturnitatemq; requirant, de his cum populo agi non poteſt: ſed nec ad libertatis conſeruationem neceſſarium eſt, vt hæ res in magno admodum numero hominum,deliberentur: propterea ſecura etenim libertas erit,dum modo magiſtratuum diſtributio,legumq; nouarum deliberatio,à conſenſu multitudinis pendeat. His duobus ritè cõſtitutis,ſtatus verè popularis erit conſtitutus, iacta libertatis fundamenta,reip. forma laudabilis ac diuturna ſtabilita:nam cõplura alia quæ ad formam de qua agitur,omnibus numeris abſoluendam ſpectant, præſtat in aliud tempus differre,ne ſtatim initio hominum mentes tyrannidis præteritæ recordatione ſuſpenſi, quiq; liberæ ciuitatis conſilijs parum aſſueti, quæ ad libertatis tutelam neceſſaria ſunt, ſatis peruidere non poſſunt, perturbentur: quanquam ea eiuſmodi ſunt, vt citra periculum,in commodius tempus,opportunitatemq; maiorem differri poſſe videantur.Hanc autem reip. deſcriptionem,in dies magis ciues amabunt,& complectentur: vſuq; magis facti veritatis capaces,expoliri quotidie eum ſtatum, donec ad ſuam perfectam formam redigatur,optabunt.Interea eis quæ iecimus fundamentis, ſuſtinebitur:quæ,quanta facilitate poni conſtituiq; poſſint, quantamq; vtilitatem ſint allatura, non modò rationibus oſtendi poteſt,verùm etiam exemplis.Nam Venetorum resp. quamuis è ſola conſtet nobilitate,non ſunt tamen in ea ciuitate nobiles aliud,quàm priuati ciues, numeroq; tot ac tam diuerſis conditionibus,& generibus, vt quin ad popularem ſtatum plurimum accedat, & quin eam nos multis in rebus imitari poſſimus,negari non poſſit:at ea resp.hiſce duobus fundamentis maximè nixa eſt, quibus per tot ſecula libertate ſimul & ciuili concordia conſeruata,ad tantam gloriam & magnitudinem conſcendit: quæ res non,vt multi credunt,ab vrbis ſitu profecta eſt: propterea quòd in eo ſitu & loco potuerunt eſſe, ac reuera interdum diſcordiæ ac ſeditiones extiterunt, verùm ab reip.forma ſic temperata,tantaq; proportione conſtituta, vt ab ea effectus tam præſtantes, atq; admirabiles neceſſariò proficiſcantur. Nec minus mouere nos noſtra debent exempla, quàm aliena:verùm contrario modo conſiderata:nam quoniam in noſtram ciuitatem nunquam huic ſimilis forma introducta eſt,ea fuit cauſa,quamobrem res noſtræ tam crebris mutationibus fuerint obnoxiæ: ac modò à uiolenta tyrannide conculcatæ, modò ab paucorum ambitioſa auaraq; diſſenſione laceratæ: nunc ab effrænata multitudinis licentia, quaſſatæ: ita cum propter quietem ac felicitatem incolarum ciuitates initiò fuerint ædificatæ,noſtræ reip.fructus, noſtræ felicitates,noſtra ocia, fuerunt publicationes bonorum, exilia,miſerorũ ciuium

cædes:non eſt in comitijs forma ab ijs diuerſa propoſita,quæ alijs temporibus in hac ciuitate extitêre,quę diſſidiorum & calamitatũ plena fuerunt:quæq; poſt infinita tum publica tũ priuata mala,tyraños deniq; nobis pepererũt:vnde enim, niſi ab his cauſis factũ eſt,vt apud maiores noſtros dux Athenarũ libertatẽ opprimeret:poſt etiã ſequẽtib.temporib.Coſmus Medices eandẽ oppreſſam retineret?quod quidẽ minimè eſt mirãdũ: nã vbi magiſtratuũ deſcriptio,legũq; latio,non de cõmuni ciuiũ quotidianoq; cõſenſu,ſed paucorũ arbitrio peraguntur,tunc ciuib⁹ nõ iã in publicũ bonũ, ſed in ſuas cupiditates, finesq; priuatos intẽtis,factiones & partes,quib.adiunctæ ſunt toti⁹ ciũitatis ſeditiones, peſtes atq; interitus certiſſimi rerũp.imperiorũq; omniũ,exiſtunt. Quanto igitur maiore prudẽtia videbimur præditi,ſi eas reip.adminiſtrãdæ rationes fugerimus, quas & ratione & domeſticis exẽplis,perniciosas eſſe poſſumus cognoſcere?ad easq; acceſſerimus, è quibus ſalus ac felicitas ciuitatis prouenire,& rationibus & documentis aliorũ,perſpicitur? Quippe veritate impulſus,illud dicã:In hac noſtra ciuitate,eum gubernandi modum,in quo pauci autoritate immoderata remp. gerant, paucorũ ſemper tyrannorum remp. fore: qui eo erunt vno tyranno pernicioſiores,quo pernicies omnis capitalior ac nocentior eſt multiplicata, quàm ſola: quod ſi nihil aliud inſit mali, in eo ſaltem,propter opinionum diuerſitatem,ambitionem,variasq; hominũ cupiditates,diuturna concordia in eo ſperari non poteſt:diſcordia verò omni tempore pernicioſiſſima,in hoc eſſet pernicioſior, in quo ciuem tanta potentia ſuffultũ,proſcripſiſtis:quo tã præſtanti veſtri imperij parte mutilitati eſtis: in quo Italia, externo milite fœta, tota in grauiſſimis periculis cernitur: rarò equidem, ac fortaſſis nunquam antea in ciuitatis poteſtate penitus fuit, ſe ipſam ſuo arbitratu componere: quæ poteſtas, quoniam vobis Dei benignitate conceſſa eſt,nolite per Deum, vobiſmet ipſi nocendo, Florentinorumq; prudentiæ famam cum ignominia ſempiterna obſcurando,occaſionem amittere liberi ſtatus in ciuitate conſtituendi, qui non modò vos beatos faciat, ſed cuius perpetuitatem vobis polliceri poſſitis:atq; ita veſtris liberis ac nepotib. eum theſaurum,eamq; felicitatem relinquere, quã nec vos, nec maiores veſtri,aut poſſederũt vnquã,aut cognouerũt. Hæc Pauli Antonij verba fuerunt:verumenimuerò, Guidantonius Veſpucius,clariſſim⁹ iuriſconſultus, vir ingenio:ac dexteritate ſingulari, ad ea huiuſmodi orationem habuit, Si resp.eo modo,qui à Paulo Antonio Soderino propoſitus eſt,præſtãtiſſimi ciues,optatos fructus tãta facilitate ederet, quanta deſcribũntur,palato admodum corrupto is eſſet,qui alium in patria noſtra reip.ſtatum deſideraret:pernicioſus ciuis eſſet,qui eã reip. deſcriptionem non adamaret,in qua uirtutes,merita, hominum dignitas,præter cætera omnia,præmijs & honoribus afficerẽtur:verùm equidem videre nequo,quî fieri queat, vt ea resp.quæ in multitudinis poteſtate penitus ſit poſita,tot tantisq; bonis circumfluere redundareq; poſſit: nam ſatis conſtat, quod & ratio docet, & vſus demonſtrat,& ſapientum autoritas confirmat, in tanta multitudine talem prudentiam, talem vſum,talem ordinem minimè inueniri, quibus nobis polliceri valeamus,ſapientes ignaris,bonos malis,rerum vſu peritos,ijs qui negocia nunquam tractarunt,antepoſitum iri:quippe,vt ab iudice rudi & imperito,recta iudicia expectari nequeunt,ſic à multitudine confuſa,& imperita,conſilium,ſententiáue prudentia & ratione munita, niſi fortè caſu,ſperari nullo modo poteſt: & nos, quod à viris ſapientibus nullisq; alijs negotijs intentis, vix diiudicari atque explicari poteſt, id ab ignara atq; imperita turba,ex tanta ingeniorum generum,morum varietate conflata, ſuisq; priuatis negotijs tantum intenta,diſtingui & cognoſci poſſe,credemus? Accedit his,immoderata de ſe cuuiſq; opinio,qua nemo non,ad honorum cupiditatem excitabitur: nec honeſtis libertatis fructibus in populari adminiſtratione erunt contenti, ſed ad primos honorum gradus omnes aſpirabunt:volentq; in rerum grauiorum ea difficilium deliberationibus locum habere: cuius rei ea eſt cauſa, quòd minus apud nos quàm in vlla alia ciuitate illa animi moderatio, qua prudentiori, ac præſtantiori ceditur, locum habet.Itaq;,perſuaſi,iure omnes in omnibus æquales eſſe debere, honorum gradus qui virtuti, ac meritis,debentur,cum in multitudinis erunt poteſtate,confundentur:iſtaq; in maiorem partem cupiditas diffuſa, eos armabit potentia, qui aut ſapient minus, aut minus erunt digni:nam cum numero vincant, plus etiam in ea rep.in qua ſententiæ numerantur,non appenduntur,poterunt.

Quam-

Quamobrem quis hoc præstabit, vt contenti ea forma quam vos hoc tempore introducetis, nouis inuentis, legibusq; nulla prudentia constitutis, quib. homines sapientes resistere nequibunt, modos reip. gubernandæ sapienter excogitatos, non sint breui perturbaturi? quæ res cum semper, in huiusmodi rep. sunt periculosæ, tum verò maximè hoc ipso tempore: cum ea sit hominum natura, vt vno extremo, in quo nolentes detenti fuerunt, declinato: in aliud extremum medio præteruecto, sine cunctatione volentes, decurrant. Sic qui è tyrannide sunt elapsi, sese, nisi retineantur; in effrænatam licentiam præcipitant: quæ quidem & ipsa iure tyrannis potest appellari: nam & populus, cum indignis dat, quod adimit dignis: cum gradus, & merita ciuium cõfundit, tyranno est similis: cuius tyrannis eo fortè pnicioſior est, quo periculosior ignorãtia, quæ nec põdus, nec mensuram, nec legem habet, quàm malicia: quæ tamen ipsa aliqua regula, aliquo fræno, aliquo termino gubernatur: neq; vos Venetorum exemplum moueat: apud quos & situs momenti aliquid habet: & reip. institutio inueterata plurimum valet: estq; ita cõposita, vt rerũ grauiũ deliberationes, penes paucos sint potius, quàm multos: adde illorum ingenia, quę cum non sint fortè eo acumine prædita quo sunt nostra, multo sunt pacatiora, ac faciliora: nec illis duob. tantũ, quæ proposita sunt, fundamẽtis Veneti nitũtur, verùm ad perfectionẽ & stabilitatẽ eorũ plurimũ refert, eos perpetuũ ducem aliaq; instituta complura, habere: quę si quis in hanc ciuitatẽ vellet inducere, innumeros qui repugnarent, inueniret: propterea quod nõ nũc primũ exoritur ciuitas nostra: neq; modò primã institutionẽ capit: idcirco inueterata consuetudine sæpenumero cõmuni vtilitati repugnante: nec nõ hominibus, ne cõseruandæ liberatis prætextu, noua tyrannis quæratur, suspicantibus, haud sanè multũ prodesse sana consilia possunt: ut corpori malè affecto, & noxijs humorib. redundanti, medicinę nõ tantũ prosunt, quantũ euacuato ac purgato: quibus de causis, atq; etiam ob rerum humanarum conditionẽ, in peius semper ferè vergentium, magis timendum est, ne quod in hoc principio minus perfectè erit cõstitutũ, temporis progressu penitus perturbetur, ac dissoluatur: quã sperandũ, vt aut tẽpore aut occasione perficiatur. Quid? an non domesticis exemplis abundamus, sic vt minimè aliunde sint petenda? quando enim reip. gubernacula penes populum penitùs fuerunt, quin ciuitas illicò plena discordijs tota sit conuulsa: & status mutatio consecuta? Quòd si etiã aliorũ exempla intueri libet, cur non in memoriam reuocamus, populi illã absolutã potestatem, tot tantosq; in vrbe Roma motus excitasse: vt nisi scientia, & virtus militaris obstitisset, illius reip. vita breuis esset futura? cur itẽ non recordamur, Athenas florentissimam ac potentissimam ciuitatem, nulla alia de causa imperium amisisse, inq; suorum ciuium atq; externorum seruitutem incidisse, quàm quòd res magnæ & graues multitudinis arbitrio decernerẽtur? Illud autem videre nequeo, qua ratione dici queat, in ea reip. forma quæ in publico ciuium concilio proposita est, libertatem integram minimè reperiri, propterea, quòd omnia ad magistratuum autoritatem referãtur: qui quidem perpetui non sunt, sed temporibus cõmutantur: nec paucorum suffragijs creati, sed à multis comprobati, sortis arbitrio, ex veteri ciuitatis consuetudine, relinquuntur. Itaq; qui possunt aut factione aut ciuium propria libidine distribui? Illud quidẽ certius nobis persuadere poterimus, res grauiores, à prudentioribus, peritioribus & grauiorib. expẽsum ac tractatũ iri: qui eas alio modo, alia taciturnitate ac grauitate gubernabũt, quàm populus harũ rerũ planè rudis & imperitus, atq; vbi minus est opus, sępenumero profusus: vbi aũt res ipsa largitatẽ poscit, vsq; adeò tenax, vt dũ minimis parcere vult, in maximos sumptus, grauissimaq; pericula incurrat. Grauissimus est, vt Paulus Antonius dixit, Italiæ morbus, ac nostræ potissimùm patriæ: quamobrẽ, quæ esset imprudentia, cũ medici doctiores ac peritiores requiruntur, ijs se cõmittere, qui minore eius artis scientia, vsuq; sunt præditi? Postremò, illud est tenendum, vos populum longè pacatiorem faciliorẽmq; ad salutaria sibi consilia, atq; ad commune bonum amplectendum habituros: si ei in rep. moderatum locum, autoritatemq; attribueritis: nam si eius arbitrio & potestati omnia subieceritis, verendũ erit, ne insolẽtior, ac difficilior, atq; ad uestrorũ sapiẽtum bonorumq; ciuium consilia, contumacior fiat. In eo consilio in quo non ita magnus ciuium erat numerus, ea sententia quæ reip. descriptionem non tam popularem & laxã probabat, obtinuisset, si hominũ deliberationibus, diuina autoritas, Hieronymi

Sauonarolæ Ferrarienſis,ex ea ſodalitate, quæ Prædicatorum appellatur, ore,non interueniſſet. Hic cum iam annos complures Florentiæ rerum diuinarum interpres extitiſſet,atq; ad ſingularem doctrinam, ſanctimoniæ famam celeberrimam adiunxiſſet,ſibi apud maiorem populi partem vatis nomem atq; autoritatem vendicarat. Nam quo tempore in Italia nullum niſi ſummæ tranquillitatis ſignum apparebat , pro concione ſæpenumero prædixerat, externos exercitus in Italiam tanto cum mortalium terrore, venturos,vt nulli muri, nullæ armatorum copiæ eorum furori pares eſſent futuræ:aſſerebatq;,ſe hæc atq; alia multa, quæ quotidie prædicebat,neq; humana coniectura,neq; ex cuiuſquam ſcriptoris ſcientia, ſed Dei ſolius inſtinctu atq; afflatu prænunciare:quinetiam de reip. Florentinæ commutatione aliquid innuerat: atque hoc eodem tempore eam libertatis rationem in comitijs ciuitatis agitatum , palàm deteſtabatur: affirmans, Dei eſſe voluntatem , vt talis forma reip.conſtitueretur, quæ prorſus & abſolutè eſſet popularis:ne vnquam in paucorum ciuium eſſet poteſtate,vel ſecuritatem aliorum ,vel libertatem labefacturę.Itaq;,cum ad multorum deſiderium,tanti nominis autoritas acceſſiſſet, qui ſecus ſentiebant, tantæ animorum inclinationi,reluctari nequiuerunt: idcirco,ea re multum diuq; deliberata , & agitata , tandem in eam ſententiam itum eſt,vt ex omnib. ciuibus,nõ quidẽ(vt in multis Italiæ locis fuit diuulgatum)ex plebis fece,ſed ex ijs tantum, quibus , antiquis ciuitatis legibus,aditus ad remp.conceditur,conſilium conſtitueretur:cuius conſilij ea modò poteſtas eſſet, ciuitatis atq; imperij Florẽtini magiſtratus omnes creare:pecuniæ cogendæ decreta,legesq; à magiſtratibus,& ſelectioribus conſilijs conſtituta,confirmare.Vt ciuilium autem diſſenſionum cauſę tollerentur, omnisq; metus ex ciuium animis eximeretur, publico decreto Athenienſium videlicet exemplo ſancitum eſt,vt ea delicta quæ in reip.ſtatum ad eum vſq; diem commiſſa fuerant,perpetua obliuione in poſterum abolerentur:his iactis fundamẽtis , resp. forſitan bene compoſita, & ſtabilis fuiſſet conſtituta , ſi eodem tempore ea omnia introducta fuiſſent, quæ ad eam diem in hominum prudentium conſultationem venerant: verùm cum de eis ſtatuere ſine multorum , qui propter rerum præteritarum memoriam,ſuſpicionum erant pleni,decretum fuit, vt magnum illud conſilium tanquam recentis libertatis fundamentum tunc conſtitueretur: quæ deeſſent,in temporum opportunitates,& quum publica vtilitas vſu atq; experientia ab ijs cognoſceretur , qui eam rationum inductione cognoſcere non poterant. Hoc modo Hetruriæ res laborabant: interea rex Neapoli potitus,vt victoriæ faſtigium imponeret, in duas res potiſſimùm animum intẽdebat: vna erat, vt duas arces Neapolitanę vrbis,quæ Ferdinandi nomine adhuc tenebantur,quarum vni nouæ,alteri ab ouo erat nomen, expugnaret: turrim enim quę ſancti Vincẽtij dicitur,vt portus eſſet propugnaculum extructam,paruo negocio iam obtinuerat: altera vt vniuerſum regum ad ſuum imperium reuocaret: quibus in rebus fortuna eandem ipſi benignitatem oſtentabat: nam & arx noua regum ſedes in maris litore poſita,quingentorum Germanorum,qui in præſidio erant,ignauia atq; auaricia, leui facta defenſione,ea lege deditionẽ fecit,vt incolumes,cum ijs quæ ipſi poſſent exportare,exire permitterentur:qua in arce cum magna vis commeatus eſſet,Carolus parum futuri ſolicitus , eum commeatum quibuſdam è ſuis condonauit:& arx altera,quam diximus nomen ab ouo ducere , ſcopulo impoſita,olim continenti coniuncta fuit:verùm Luculli opera inde dirempta,ponte anguſto cum proximo Neapoli litore, coniungitur: hæc quoq; aſſiduis tormentorum ictibus verberata,quibus etſi muri corona lędebatur, infra coronam tamen illęſa perſtabat moles,paucos poſt dies & ipſa cum Gallo conuenit,vt ſi intra octauum diem nemo ferret ſuppetias,in regis poteſtatem concederet:prefectis uerò militum,ipſisq; militibus in diuerſas regni partes miſſis,obuiam aliquot dierum itineribus proceres , & ſyndici ciuitatum certatim(dum omnes ad Gallos accipiendos primi eſſe volunt) procedebant,tanta cuiuſq; vel propenſione,vel terrore, vt & arcium præfecti penè omnes,eas citra vllam tergiuerſationem dederent:& arx Caietana, omnibus neceſſarijs rebus inſtructa , leuiter oppugnata,ſeſe hoſtis miſericordiæ commendauit:atq; hoc pacto paucorum dierum ſpacio,regnum vniuerſum,præter Iſchiam inſulam, præterq; Brunduſinam & Gallipolitanam in Apulia , & Heginam in Calabria arces , Carolo vrbem ipſam in extremo Italiæ angulo ex aduerſo Siciliæ ſitam, tenente,

mira

mira facilitate,in Caroli poteſtatem venerunt: idem & Trupia,& Mantia fecerunt,quæ initio ſtatim Gallica erexerant vexilla:verùm cũ rex eas certis ſuis familiarib. donaſſet, illæ quẽuis aliũ,præter regem ipſum recuſantes,mutata ſententia, ad priſtinum dominũ redierunt: idem pòſt fecit ciuitas Brunduſina: ad quam cum Carolus neminẽ miſiſſet, quin ſocordia quadã non modò non expeditis, ſed vix Syndicis,quos ciuitas Neapolim,ut cũ rege tranſigerẽt,miſerat,auditis,qui Ferdinandi nomine arces tenebant, ſpacium ciuitatis ad Aragoniorũ fidẽ perſuaſione reuocandę habuerunt:cuius exẽplo,Hydruntinorũ ciuitas,quæ Gallicũ nomen cõclamauerat,cũ nemo ad eã accipiendã veniſſet,in propoſito nõ perſtitit. Ad Carolũ omnes totius regni proceres ac reguli, Alfonſo Daualo Piſcariæ marchione excepto, qui à Ferdinando in arce noua relictus, vt Germanorũ ad dedendã arcẽ inclinationẽ agnouerat, in Siciliam cum paucis alijs quorum bona ſuis donarat Carolus,profugerat:ſe vt nouũ regẽ reciperent,cõtulerunt: qui tanti regni poſſeſſionẽ,pactione prorſus ſtabilire cupiens,prius quàm arcẽ ab ouo appellatã obtineret,ad ſe Federicũ Aragoniũ, fide data,vocarat: q tũ quòd in eius patris aula diu egiſſet,tũ quòd regi eſſet affinitate cõiunctus,toti Gallicæ nobilitati erat acceptus:cum hoc de pace in hunc modũ egit,vt Ferdinando ſe amplũ, Gallia principatum,magnaq; vectigalia daturũ polliceretur, ſi modo is quæ reliqua in regno teneret,relinqueret:ipſi quoq; Federico,pro ijs quæ poſſideret, maiora repoſiturum: verùm cum Federico nepotis eſſet voluntas cõperta,qui nullas omnino conditiones admittere, niſi ei Calabria relinqueretur,decreuiſſet, grauibus reſpondit verbis: Quandoquidẽ,Dei,Fortunæ,omniumq; mortalium cõſenſione,regnũ Neapolitanum adeptus eſſet, Ferdinandũ huic diuino conſilio nequaquam reluctari in animo habere: nec tanto regi cedere ſibi turpe ducere: itaque ſe haud minus quàm reliqui, ipſi in eodem regno parere velle,modò ei pars aliqua regni(Calabriam innuens)concederetur:in qua,non quaſi rex,ſed tanquã è ſuis proceribus & clientib. vnus manens,regis Galliæ clementiã animiq; magnitudinẽ poſſet colere: in cuius gratiã aliquando ſe occaſionem eam virtutem declarandi,quàm aduerſa fortuna in ſuã ipſius ſalutem exerere prohibuerat,habiturũ ſperaret:hoc conſilio nihil glorioſius eſſe Carolo poſſe:taleq; eſſe, qualia antiquorũ regũ fuiſſe memorantur:qui huiuſmodi operib. ſuum nomen immortalitati conſecrarant:diuinosq; apud mortales erãt honores cõſecuti:neq; minus tutũ quàm glorioſum eſſe:propterea quòd, Ferdinando in ſuam fidẽ recepto,regnũ eſſet firmum habiturus:neq; fortunæ vllam cõmutationẽ in poſterum formidaturus: cuius eſſet proprium,quotieſcunq; victoria moderatione ac prudẽtia munita nõ eſſet,inopinato aliquo caſu gloriã tanta molitione partam,inquinare. Verùm cum Carolo videretur,ſi quam regni partẽ ſuo æmulo concederet,reliquũ quoq; in apertiſſimũ diſcrimen vocari,Federicus ab eo re infecta diſceſſit:& Ferdinandus,cognita arciũ deditione,cum longis nauibus 14. malè inſtructis,cum quibus Neapoli ſoluerat,in Siciliã,vt ibi in omnẽ occaſionẽ intentus eſſet,in Iſchiana arce Inico Daualo Alfonſi fratre,viris virtute & fide præſtantibus,relicto,nauigauit. At verò Carol⁹, quo eo receptaculo ad regnũ infeſtãdũ peropportuno hoſtes priuaret,claſſem, quæ tandẽ in portũ Neapolitanũ appulerat,eò iuſſit contendere:verùm cũ deſertũ oppidũ reperiſſet,atq; arcis expugnationẽ difficilimã eſſe videret,ne oppugnare qdẽ voluit: quamobrẽ,ſtatuit rex è prouincia Narbonenſi,Genuaq; alias naues ad Iſchiæ oppugnationẽ atq; ad mare,quod interdũ Ferdinand⁹ infeſtũ habebat,tutũ pręſtandũ,accerſere: ſed enim fortunę,diligẽtia conſiliũq; paria nõ erãt:q; omnia frigidè admodũ negligẽter & turbatè adminiſtrarentur:etenim Galli tanto rerũ,puentu ſolito inſolentiores facti, grauioribus q; negotijs,fortunę temeritati pmiſſis,ludis tantũ & voluptatib.intẽti erant: q verò apud regẽ plus poterãt,vnũ illud agebãt,vt q̃ vberrimũ poſſent,fructũ, nulla ſui principis vel dignitatis vel vtilitatis habita ratione, ipſi ꝓciperent. Eo tempore Gemes Othomãnus Neapoli mortẽ obijt,ſuma cũ Caroli moleſtia,ꝓpterea q ad bellũ,quod in Turcarũ imperium animo agitabat,eũ hominẽ maximũ atq; aptiſſimũ inſtrumentũ fore exiſtimaret:eius mors à Pontifice lento veneno procurata fuiſſe conſtanti hominũ opinione,credita eſt:ſiue quòd eum inuitus regi conceſſiſſet,atq; idcirco ſe libris auri quadringentis, quas quotannis à Baiaſete ei⁹ fratre acciperet,priuaſſet,ſui doloris remediũ duceret,vt per quẽ eo priuatus eſſet,is ab eodẽ nullũ cõmodum perciperet,ſiue, quod

Caroli gloriæ inuideret:metueretq; , si fortè aduersus Turcas res ei prosperè cederent, mox, suas cogitationes , quemadmodum à multis,etsi priuatæ vtilitatis gratia,extimulabatur, ad ecclesiã Romanam,quæ quòd ab antiquis & moribus & ritibus penitùs desciuissent, magis indies Christianæ religionis autoritas imminuebatur, corrigendam conuerteret,omnibus certò metuentibus, eam labem in eius Pontificatu,multo maiorem futuram:qui Põtificatus turpissimis artibus partus , nunquam fortè post hominum memoriã deterioribus fuit administratus: nec defuere qui crederẽt(nihil enim tam iniquum est, quod in eius pontificis scelesta natura , non facilè crederetur) Baiasetem cognito regis Galliæ in Italiam apparatu,per Georgium Bucciardum pontificem pecunia corrupisse,vt Gemenuita priuaret.Verùm enim,nihil eius morte Carolus intermittens, quanquam alacritate animi , quàm prudentia & consilio maiore , de bello Turcis inferendo,cogitare , archiepiscopum Dyrrhachinum,natione Epirotam,in Græciam misit: qui per quosdam exules de aliquo motu in illa prouincia excitando , spem faciebat.At, noui atq; inopinati casus , eum noua agitare animo consilia coegerunt. Suprà dictum est,imperij Mediolanensis obtinendi cupiditate,Aragoniorumq; ac Petri Medicis,metu Ludouicum Sfortiam adductum esse , vt regis Galliæ in Italiam transitum, procuraret:cuius aduentu,cum voti sui compos factus esset, Aragonijq; in tantas angustias cõpulsi,vt difficulter propriam salutem tueri possent, ob eius oculos,nouus metus, priore longè grauior ac iustior,obuersari cœpit , nimirum sibi , totique Italiæ impendens seruitus , siquidem ad regis Galliæ potentiam regnum Neapolitanum accederet : eam ob rem , vt Carolus in Hetruria omnia difficiliora inueniret,optauerat:sed cum vidisset eum sibi & summa facilitate Florentinorum remp. adiunxisse : & Pontificis conatum elusisse:quodq; nemine repugnante,iam in regnum Neapolitanum penetraret,tanto ei maius indies suum periculum videbatur , quanto maior ac facilior victoriæ Gallorum cursus euadebat. Idem timor animos quoq; Veneti senatus cœperat occupare:qui primum suum propositum constanter secutus , vt se à partium studijs integer conseruaret, tanta diligentia se nõ modò ne quid faceret , verùmetiam ne vllam significationem daret , vnde aliqua suspicio moueretur , eum in alterutram partem magis inclinare,continuerat, vt ad regem Galliæ Antonio Lauredano,& Dominico Triuisano legatis,tamen non prius quàm regem Alpes superasse accepisset,decretis, tamdiu eos mittere distulerat , vt rex Florentiam prius esset ingressus , quàm illi ad eum peruenissent : conspecto pòst tantæ felicitatis cursu, regemq; fulminis in modum sine obstaculo vniuersam percurrere Italiam, aliena detrimenta,propria pericula ducere cœpit:timereq; ne aliorum exitio , suum quoq; adiũgeretur,præsertim verò , quòd Carolus Pisas aliaq; Florentinorum munita loca occupasset:Senis præsidium imposuisset:idem in Pontificis ditione feciisset , argumentum esse videbatur , eum præter regnum Neapolitanum,aliud animo agitare:his de causis factum est,vt Ludouici Sfortiæ suasionibus faciles aures præberet: qui simulac vidit Carolo cedere Florentinos, Venetos hortari,vt vnà secum communibus periculis occurrerent, cœperat:creditur q; , si vel in Latio,vel in regni Neapolitani finibus Carolo aliqua difficultas obiecta fuisset , hosce arma in eum sumpturos: sed victoriæ celeritas,quæ ad eam impediendam comparabantur,omnia irrita fecit:& Carolus, cui Ludouici actiones iam essent suspectæ,Ioannem Iacobum Triultium cum centum cataphractis, atq; honorifico stipendio conduxerat:multis præterea promissis Fregosium cardinalem Obiectumq; Fliscum in suas partes pellexerat:hos quasi idonea validaq; ad Genuensium res commouendas,instrumenta:illum,quòd Guelforum factionis Mediolani princeps esset, animum ab Ludouico alieniissimum gereret : his accedit quòd Tarentinum principatũ rex ei tradere recusabat: ea,vt ille aiebat, de causa,quòd nisi toto regno in suam potestatem redacto,minimè esset obstrictus:quæ res cum Ludouico essent molestissimæ,naues longas duodecim,quę Genuæ armabantur,retineri iussit:ac ne vllæ naues regis nomine instruerentur,edixit: hinc factum esse,questus est rex, quo minus Aenariæ , quæ nunc Ischia dicitur,denuò expugnationem maiore apparatu tentaret. Gliscentibus igitur ab omni parte suspicionibus,atq; odijs,tamq; repentina de regno Neapolitano victoria Veneto senatui,Sfortiæq; maius ac propinquius periculum ostentante , nihil vltra differre,sed consilia sua exequi sunt compulsi : quod quidem vt

maiore

maiore animo aggrederentur, ſociorum potentia faciebat: ad id enim haud minus Pontifex Gallorũ territus armis, Cęſarq; Maximilianus erãt animati: cui cùm ob multas odij in Gallicũ nomen cauſas, tum propter grauiſſimas à Carolo acceptas iniurias, omni tẽpore plus quàm cęteris omnibus res ſecundę Gallorũ moleſtiſſimæ fuerunt. In Ferdinãdo aũt atq; Iſabella Hiſpaniæ regum, rei benè gerendæ firmamentum maioremq; ſpem Veneti Ludouicusq; collocabant: qui cum paulo antè nulla alia de cauſa, quàm vt Ruſcinonis comitatũ reciperent, ſe ei ad regnũ Neapolitanũ ſubigendũ, nullo impedimento futuros obligaſſet, ad id tempus liberã ſibi cõtraria moliendi, facultatẽ callidè reſeruarant: nam (ſiquidem verum eſt, quòd ipſi diuulgarunt) in eius reſtitutionis capitibus ea exceptio adiecta fuit: ne vlla re teneri intelligerẽtur, qua Põtificis iuribus aliquo modo derogaretur: ex quo inferebant, ſi à Pontifice ſui iuris tuendi cauſa ad regnum Neapolitanum defendendum, appellarentur, in ipſorum eſſe poteſtate, id fide integra promiſſisq; facere. Pòſt etiam illud adiunxerunt, eiuſdem pactionis verbis vetari ipſos ſeſe Carolo opponere, ea lege, ſi regnum illud ad Carolum iure ſpectare conſtaret. Verùm enimuerò cuiuſque modi hæc ſint, certum eſt, eos cum primùm illas terras recepiſſent, non modò ſpes Aragoniorum fouere cœpiſſe, auxilia promittere: Pontifici ne eorum cauſam deſereret, occultè inſtare: verùm etiam ab initio regem Galliæ lenibus verbis, quaſi eius gloriæ ſtudioſi, ſtudioq́ue religionis incitati, fuiſſe hortatos, arma potius in religionis hoſtes, quàm in eius cultores conuerteret: quod quidem facere non deſiterunt, ſed maiore vi, verbisq́ue ad ſuſpicionem mouendam aptioribus, quo magis ea expeditio procedebat: quæ, quo maiorem haberent autoritatem, quoq́ue Pontificis atq; Aragoniorum ſpes magis ſuſtentarent (nihilominus tamẽ ex aduerſo rumore diſſipato, ſe tantũ de cuſtodienda Sicilia cogitare) claſſem comparabant, quæ poſt captam Neapolim, in Siciliam appulit, quanquam apparatus oſtẽtatione, vt moris eſt illorum, maiore quàm re, vtpote quæ octingẽtos tantũ haſtatos equites (quos Giannettarios ab haſtæ cuiuſdã forma nominant) milleq; pedites Hiſpanos aduexerit. His ſimulationibus egerant illi, donec Oſtia à Columnijs occupata, minæq; Gallorum in Pontificẽ, eis honeſtiorem id quod animo cõceperant, emittendi occaſionẽ dederunt: quã illicò amplexi, per Antonium Fonſecam ipſorũ legatum, regi apertè dum Florentiæ eſſet, denunciarunt, ſe Pontificis regniq; Neapolitani, quod Pontificis Romani iuris eſſet, patrociniũ, pro Chriſtianorũ principũ officio, ſuſcepturos: qui cum iã cũ Venetis Mediolanenſiũq; duce, de fœdere agere cœpiſſent, cognita Aragoniorũ fuga, eis, vt pro cõmuni in Gallos tutela, ſecũ facerent, vehemẽter inſtabant. Itaq; tandẽ menſe Aprili Venetijs, vbi horum principũ omniũ erant legati, fœdus inter Pontificem, regẽ Romanorũ, reges Hiſpanię, Venetũ ſenatum, ac Mediolanenſium ducẽ, percuſſum eſt: ſpecie quidem ac nomine ad cõmunem ſociorum defenſionem, loco eis qui adiungi vellent, idoneis conditionibus, relicto: verùm cunctis exiſtimantibus faciendum eſſe, vt ne rex Galliæ regnũ Neapolitanum teneret, occultioribus conſilijs decretum fuit, vt Hiſpani milites qui in Siciliã venerant, Ferdinandũ Aragoniũ, qui magna populorũ voluntatis ſpe adductus, in Calabriã ingredi tentabat, ad regnũ recuperandũ iuuarent, vtq; eodẽ tẽpore Veneti claſſe, maritima inuaderent loca: conaretur dux Mediolani, quo ſi fortè ex Gallia noua ſubſidia venirẽt, ea impedire poſſet, Aſtã vrbẽ, in qua exiguo cũ præſidio, Aurelianẽſis dux remanſerat, occupare: Regib. aũt Romanorũ, Hiſpanię q; regũ pecuniæ ſumma à ſocijs, vt valido exercitu in regnũ Gallię arma mouerẽt, contribueretur. Cupiuerunt præterea idẽ ſocij, vniuerſam Italiã in idẽ fœdus cõſentire: eãq; ob rem Florentinos ducẽq; Ferrariæ in ſocietatẽ pertrahere vehementer inſtiterunt: negauit dux antè quàm fœdus inuulgaretur inuitatus, ſe arma in regẽ Galliæ ſumpturũ: cęterùm, Italico aſtu, vt Alfonſus, maximus natu filius, ſtipendia Mediolanenſium ducis, ipſi centum quinquaginta cataphractis legati eius copiarum nomine attributis, faceret, permiſit. Diuerſa erat Florentinorũ cauſa, qui & ad ſocietatem magnis promiſſis erant inuitati, & cauſas iuſtiſſimas habebãt, ab rege diſcedendi: quibus ſtatim fœdere promulgato, Ludouicus Sfortia ſociorum omnium nomine, ſiquidem fœderi ſe vellent adiungere, totis viribus ipſis affuturos, ſi rediens Neapoli Carolus, eos lædere tentaret, repromiſit: daturosq́ue operam, vt primo quoq; tẽpore, Piſas Ligurnumq; recuperarent. Rex præterea, ſpretis quæ

Florentiæ fecerat,promiſſis, nec initio eos in oppidorum poſſeſſionem reduxerat:nec Neapoli potitus, arces reſtituerat:fide ac iureiurando,eorum conſilio poſthabitis, qui Piſanorum cauſæ ſtudentes, Florentinos ſimul ac ſua recepiſſent, cum reliquis Italiæ principibus conſenſuros affirmabant:quibus Maclouienſis cardinalis(etſi magnam pecuniæ vim accepiſſet)frigidè,ne ipſorum cauſa,cum reliquis aulæ proceribus in contẽtionem veniret,reſiſtebat.Neq; in eo tantum,ſed multis alijs in rebus quoq; rex, ſe nec fidem magnifacere, nec quantum Florentinorum amicitia, eo tempore ipſi prodeſſe poſſet,cogitare,demonſtrauit: vſq; adeò,vt oratoribus ipſorum apud ſe de Montis Politiani defectione querentibus flagitantibusq;, vti,quemadmodum tenebatur,Senenſes ad eius reſtitutionem adigeret, ſubridens reſponderit: Quid ego facerẽ,ſi veſtri homines, à vobis aſperius tractati,deficiunt? His tamen omnibus ſpretis,Florentini,rati maiorem ſuæ vtilitatis habendam eſſe rationẽ,quàm doloris, fœderatorum vocib. minimè auſcultandum eſſe duxerunt, partim ne in regis reditu Gallica in ſe arma denuò prouocarent,exiſtimantes ſe facilius ſua ab ijs qui ea tenebant,poſſe recipere,quàm ab alijs: partim quòd illorum promiſſis parum fiderent, haud quaquam ignari,ſe Venetis, quòd illorum conatibus diuerſis temporibus obuiam iuiſſent,inuiſos eſſe:partim quòd ſatis intelligerent, Ludouicum iam dudum ad Piſanorum dominatum aſpirare. Interea Galli Neapolitanis delitijs deliniti atq; eneruati, caſuq; magis quàm prudentia recti,vt Aragonios ex paucis locis, quæ adhuc ipſorum nomine tenebantur, exigerent (quod quidem fortunæ aſpirantis flatum ſequentibus, facillimum extitiſſet) minimè inſtiterunt.His de cauſis factum eſt,vt in regno Neapolitano eorum exiſtimatio ac multo magis etiam gratia paulatim elangueſceret: nam etſi rex populus ac ciuitatibus ſe facilem ac benignum priuilegijs atq; immunitatibus per totum regnum concedendis, ex quib. quotannis aureorum numũm vltra ducenta milia percipere poterat,præbuiſſet,reliqua tamen regni negocia, eo ordine ac prudentia, quam poſcebant, nequaquam gerebantur:rex enim à laboribus, atq; à querelis & poſtulatis hominum audiendis alienus,negociorum pondus omne in ſuos prorſus reiecerat: qui partim ignorantia, partim auaricia,omnia corruperunt: nobilitas nec humanitate,nec præmijs delinita,aditus ad regẽ,atq; ad eius familiares,difficilis:hominũ ꝓſonarúmue nulla diſtinctio, nulla meritorum, niſi caſu,gratia: animi eorũ q ab Aragonijs erãt alieni natura, minimè confirmati: in reſtituendis in ſuum ſtatũ regni proceribus,multæ difficultates,ac dilationes interpoſitæ:Aniouinæ factionis atq; aliorum primę nobilitatis hominum,quos ſenior Ferdinãdus eiecerat,bona ijs qui ea donis,alijsq; inuſitatis artibus ambirent,condonata: in alios temerè, in alios ſine cauſa multa profuſa: omnia ferè totius regni munera magiſtratúſue, & multorũ fortunæ Gallis attributa:oppida, & ciuitates,quæ nullũ præter reges, dominum agnoſcere conſueuerant, magno cum ciuium ſuorum dolore,maiorem partem Gallis dominis parere iuſſæ:quæ omnia eò moleſtiora erant omnibus,quo prudentioribus rectioribusq; inſtitutis, per Aragonios reges erant aſſueti:quantoq; maiora omnia à nouo rege ſibi pollicebantur: his accedebat innatus Gallicæ genti plenus arrogãtiæ ſpiritus,victoriæ felicitate inflatior atq; turgidior:quamobrem tantam de ſe opinionem conceperant, vt omnes Italos præ ſe contemnerent, nihiliq; facerent:adde,incapiendis hoſpitijs impetum atq; inſolentiam, tam Neapoli,quàm in alijs regni partibus,in quas milites erant diſtributi:qui omnibus in locis, ſuos hoſpites malè multabãt: vnde fiebat vt illud quo flagrauerant omnes ferè mortales, Gallorũ deſiderium,iam in ardentiſſimum odium cõmutatum eſſet: viciſſimq; in odij quod contra Aragonios conceperant locum,Ferdinandi miſericordia: eiuſdem virtutis expectatio, quæ paſſim in animis ferè omniũ ſemp fuerat:eius deniq; diei,quo tanta cũ manſuetudine & cõſtantia, qua Neapolitanos ante ſuum diſceſſum,erat affatus,memoria,irrepſerat:ex quo & vrbs ipſa,& totum ferè regnum, haud minore deſiderio, Aragonios reuocandi occaſionem præſtolabuntur,quam paucis diebus antè eorum euerſionem concupierant:quinetiam Alfonſi nomen tantopere inuiſum,iam gratis auribus accipiebatur, iuſtam ſeueritatem appellantibus,eam quam,dum rem domeſticam regni viuo patre procuraret,crudelitatem ſolebant appellare:& quam per multos annos ſuperbiam atq; elationem vocarant, eam animi veridici ſinceritatem nominabant. Ea eſt vulgi natura, ad plus quam par ſit,

ſperan-

ſperandum,minusq; quàm neceſſe ſit,patiendum,propenſa:rerum verò præſentiũ ſemper pertęſa: quod quidem regni Neapolitani incolarum eſt maximè proprium:qui inter omnes Italiæ populos, inconſtantiæ nouarumq; rerũ cupiditatis notantur.Ante nouum Italiæ fœdus iam ferè in Galliam quamprimùm redire, leuitate magis ſua,ſuorũq; ardenti cupiditate incitatus,quàm cõſilij maturitate: in regno enim innumerabilia grauiaq; principum & regionum negocia inchoata remanebant:nec dum victoria plenè regno nõdum penitùs ſubacto,ad faſtigium perducta. Vbi verò tot principum in ſe initum fœdus accepit, animo vehementer commotus,cum ſuis,quid in tanto caſu,agendum eſſet: omnibus præſertim veriſſimè affirmantibus, multis retrò ſeculis inter Chriſtianos nullam vſq; adeò potentem ſocietatem eſſe confectam, deliberat:quorum fuit ſententia,primo quoq; tempore,illinc eſſe diſcedendum:quòd vererentur,ne quo diutius ibi moram traherent,eo maiora fierent impedimenta: fœderatis enim ad maiores apparatus expediendos,tempus præberetur:& iam fama erat,eorũ accitu magnas Germanorũ copias in Italiã venturas: iamq; de ipſo Cæſare,rumores incaleſcebant:idcirco faceret rex,vt ex Gallia recentes copiæ Aſtam celeriter contenderent:tum quo illa ciuitas conſeruaretur, tum verò etiam quo dux Mediolani ſua tueri cogeretur:eſſentq; vlterius progredi paratæ,ſi quidẽ rex ſic expedire iudicaret.In eodẽ quoq; cõſilio decretũ fuit, omni adhibito ſtudio,ampliſſimisq; promiſſis, enitendũ eſſe Pontificẽ ab illa ſocietate abſtrahere,atq; ad regni Neapolitani poſſeſſionem ſuo diplomate confirmandã inducere:quam,etſi Romæ ſe citra tergiuerſationem conceſſurum promiſiſſet,ad eam diẽ eius confectionẽm, vel cum ea adiunctione, ne quid ea conceſſione de aliorum iure detractum intelligeretur, recuſarat: nec tamen in tam graui deliberatione, tantisque curis, res Piſana memoria excidit: nam cum multis de cauſis cuperet,penes ſe eſſe de ea ſtatuere, vereturque ne ſociorum auxilio arx quæ Citadella dicitur, ſibi à Piſanis eriperetur, eò ſexcentos pedites Gallos in naues impoſitos vnà cum Piſanorum legatis,qui apud ſe erant,miſit: qui vbi Piſas appulerunt, eodem modo affecti,quo & reliqui in ea vrbe relicti,prædandiq; cupiditate incenſi pecunia à Piſanis accepta,cum alijs Piſanorũ militibus in caſtra ad Librę factę caſtellũ,venerunt:vbi Piſani Lucio Maluetio duce, paucis antè diebus poſitis caſtris, quòd Florentini ſuarum partem copiarum Montem Politianum verſus miſerant, audaciores facti, cum poſtea hoſtes appropinquare cognouiſſent, ante lucem diſceſſerant: ſed eò cum hoc Gallico præſidio denuò reuerſi,eã breui ex pugnarunt: nam Florentinorum copię,quæ vt ei præſidio eſſent,reredibant, quo minus id facere poſſent, Serchio flumine quod aquarum inundatione intumuerat, ſic vt tranſimitti non poſſet, impediebantur:alterum verò iter,quòd præter Lucæ mœnia ducit,arripere, Lucenſium metu,qui Piſanorum libertati impenſius fauebant,non erant auſi: quorum copijs poſt Libram factam occupatam,Gallis qui ſibi Libram factam retinuerant, per vniuerſum Piſanorum agrum, tanquam Florentinorum hoſtes manifeſti,ſubſidio fuerunt: quibus hiſce de rebus apud Carolum expoſtulantibus,nihil aliud reſpondebat Carolus, niſi ſe cum primum in Hetruriã peruenisſet,promiſſa ſeruaturum hortans, hanc breuem moram ſine moleſtia tolerarent. Verumenimuerò,Carolo non ita facilis erat diſceſſus deliberatio,vt expromptum erat abeundi deſiderium:quòd tantæ eius copiæ non erant, vt in duas partes diſtractæ,poſſent ſine periculo inuitis ſociorum armis,eum Aſtam deducere:& quæ relinquerentur, ſatis eſſent ad regnum Neapolitanum,in tãtis motibus, qui iam iam imminebant,facilè tuendum. His anguſtijs circumuentus, ne regnũ defenſoribus nudatum deſereret, & de ſuæ ſalutis propugnatoribus partẽ detrahere:& ne ſe in tam manifeſtum diſcrimen prorſus conijceret, ad regni defenſionẽ, minora præſidia quàm neceſſitas poſceret,relinquere coactus fuit.Itaq;,Heluetiorum dimidias copias cum Gallici peditatus parte,& cataphractos octingentos,cum circiter quingentis equitibus Italis,quibus præerant vrbis Romę præfectus,Proſper & Fabricius Columna, Antonellusq; Sabellus,in regno relinquere ſtatuit: qui duces omnes ab eo beneficijs affecti in illa omnium ferè regni oppidorum ac regionũ diſtributione,fuerant, Columnij præſertim:nam Fabricio Albenſem ac Taliacotij ditionem à Virginio Vrſino prius poſſeſſam, conceſſerat:Proſpero Traiecti ducatum Fondanamq; vrbem vna cum multis Caietanę familiæ caſtellis,Montẽ præterea

Fortinum, atque alia vicina oppida, quibus familiã Comitum ſpoliarat, attribuit. cum his igitur copijs exiſtimabat, ſi opus foret, eorum regulorum vires coniunctum iri, qui vel propriæ ſecuritatis cauſa, ſuam magnitudinem optare cogebantur: præſertim verò Salernitani principis à ſe ad maris præfecturam, reſtituti, nec minora rex à Biſiniano principe expectabat. Proregem in toto regno, Gilbertum Mompenſerium ducem, generis potius claritate (erat enim è regia ſtirpe ortus) quàm propria virtute commendatum, conſtituit: alios item duces compluribus regni locis, quibus ſingulis oppida prouentusq; donarat, præfecit: inter quos præcipui fuere, Obigninus ab rege Magiſter equitum creatus, cui Calabriam attribuit: Caietæ, Belcarium impoſuit, quem etiam magnum ærarij Quæſtorem nuncupauit. Samnitibus (qui hodie Abrutij nomine appellantur) Gratianum Guerram, magnæ virtutis & nominis ducem. His omnibus ſe pecuniam quidẽ & militum ſupplementa ſubſidio breui miſſurum ſpopondit rex: verùm, vnde in bellũ ſumptus interea fierent, nihil præter regni vectigalia, quorũ exactio vacillantibus iam populorũ animis, atq; Aragoniorũ memoria pleriſq; in locis reuiuiſcente, reliquit: quippe, Ferdinandus, quibus diebus rex Neapoli diſceſſum adornabat, in Calabriã, eis Hiſpanis qui nauibus in Siciliam venerant comitatus, deſcendit: ad quẽ illicò multi eius regionis incolæ cõfluxerũt: nec mora, Rhegyni ei vrbẽ, cuius arx in eius fide ſemper manſerat dedidere: atq; per eoſdem dies Veneta claſſis Antonio Grimano, viro magni in ea ciuitate nominis, præfecto apparere cœpit. At, neq; his rebus, neq; alijs imminentis defectionis ſignis profectionis cõſilium aut intermiſſum aut retardatũ vlla in parte fuit, quoniam præter quàm quod neceſſitate forſitan impellebatur, incredibili in Galliam redeundi tum rex ipſe, tum eius familiares ac miniſtri omnes ardore flagrabant: quaſi eadem fortuna cuius beneficio tantam erant victoriã adepti, ſatis ad eam cõſeruandam videretur. Eo tempore Iſchiam, Liparamq; regni Neapolitani, quamuis Siciliæ propinqua, membra: itemq; Rhegyum nuper receptum: atq; in eadem Calabria, Terram nouam vnà cum arce, nec non alia per eum tractum loca Ferdinandus obtinebat: præterea Brunduſium vbi conſtiterat Federicus, Gallipolis, Martia, Trupiaq;: prius quàm rex abiret, varia Pontificem inter & regem, nec citra cõcordiæ ſpem agitata fuerunt: de quibus à Pontifice ad regem, ab eo rurſum ſancti Dionyſij cardinalis ad Pontificem reuerſus eſt: ad quem rex quoq; Francium Antiſtem familiarẽ ſuum miſit: etenim rex Neapolitani regni diploma à Pontifice ſibi tradi vehementer cupiebat: adhæc, vt Pontifex ſi ſecum facere nollet, ſaltem cum hoſtibus ſuis ne faceret: ſeq; Romam quaſi amicum recipere, ne recuſaret, poſtulabat: quibus poſtulatis, quanquam Põtifex initio aures præberet, tamen vt ei fidem haberet, in animũ ſuum inducere nunquam potuit: idcirco, cum neque ſe à ſocijs vellet ſeiungere, neque ei diploma, quòd id non ſatis ad gratiæ cum eo reconciliationem pignus firmum arbitrabatur, tradere: reliquis petitionibus varia impedimenta obijciebat: ad eam verò, qua rex regni Neapolitani iura in ſe transferri volebat, etſi ea conditione contentus erat, vt ſaluis aliorum iuribus, id faceret, Pontifex reſpondebat, velle ſe prius legitima diſceptatione, ad quem ſpectarent, cognoſcere: interea tamen, cum in animo haberet, ne rex Romam ingrederetur, armis prohibere, Venetum ſenatum ducemque Mediolani de auxilijs ad ſe mittendis appellauit: qui ei mille equites leuis armaturæ, cum duobus peditum millibus, ſubmiſerunt: receperuntque ſe mille alios grauioris armaturæ equites ſubmiſſuros: quibus ſubſidijs cum ſuis viribus vnà coniunctis, Gallorum potentiæ obuiam iri poſſe ſperabat, ſed poſtea nimis periculoſum, tam longè ab ſuis imperijs ſuas copias abeſſe, rati: nec dum totum exercitum deſtinatum haberent in promptu, parsq; etiam tum in Aſtenſi expeditione diſtineretur: præterea, in memoriam Pontificis perfidiam reuocantes: quodque Carolo tranſeunte Ferdinandum cum exercitu euocaſſet, pauloq; pòſt, eundem abire iuſſiſſet, mutato cõſilio, ei vt ſe in locum aliquem tutum potius reciperet, quàm dum Romã tueri conatur, ſeſe tam graui periculo obijciat: præſertim cũ etſi Romã rex ingrederetur, inde euestigiò eſſet, nullo ibidẽ relicto præſidio, diſceſſurus, ſuadere cœperunt: quæ ſpem regi, alicuius cum Pontifice cõpoſitionis, auxerũt. Neapoli igitur rex viceſima die Maij diſceſſit: verùm quoniam primum ſolito ritu nomen, & regia inſignia nondum ceperat, paucos antè quàm proficiſceretur

dies,

dies, ſolenniter maximoq; apparatu ac celebritate in primario vrbis templo de more ſuperiorum regum, ea cum honoribus & iureiurando nouis regibus præſtari ſolitis, accepit. Nomine totius ciuitatis verba fecit Iohannes Iouianus Pontanus, cuius nomini propter excellentem hominis doctrinam, ciuiles actiones moresque clariſſimo, haud paruam hæc actio notam inuſſit: quippe cum Aragniæ regum diu ſcriba princeps, atque à ſecretis fuiſſet, magnæque apud eoſdem autoritatis & gratiæ, Alfonſi etiam in literis præceptor, viſus eſt, ſiue vt munus oratoris expleret, ſiue quo Gallorum gratiam magis ſibi conciliaret, ſe nimium in illorum regum vituperatione dilatare, à quibus tantis fuerat honoribus affectus: vſq; adeò difficile interdum eſt eam moderationem, eaque præcepta tenere & conſeruare, quæ alijs ipſe præſcripſeris: etenim Pontanus, magnitudine ingenij, orationisq; facultate omne doctrinæ genus complexus, ſcriptis etiam de moribus libris, cunctos mortales erudiuerat, atque ad ſui admirationem conuerterat. Carolus igitur diſcedens ſecum habuit grauis armaturæ equites, quas Galli lanceas vocant, octingentos: ducentos itē è Gallica nobilitate ad regis cuſtodiam delectos: Triultium præterea ipſum, cum grauis pariter armaturæ equitibus, centum: Heluetiorum peditum tria millia, Gallorum atque Vaſconum duo millia: mandauit præterea rex, vt in Hetruria ſibi Camillus Vitellius, eiusque fratres, cum ducentis & quinquaginta cataphractis, præſtò eſſent: vtque triremes Liburnum verſus procederent. Regem ſequebantur ſine vlla cuſtodia, præterquam, quòd ſe nuſquam abituros promiſerant Virginius, Vrſinius, & Petiliani comes, quorum cauſa, quòd ſe iniuſtè captos eſſe quererentur, primum regio conſilio commiſſa fuerat: apud quem ita egerant, vt dicerent, quo tempore ſe dediderant, iam hominibus ab ſe miſſis fidem publicam, non modò regis ipſius ore conceſſam, verùmetiam in tabulas relatam, regisq; manu ſubſcriptā, fuiſſe: qua de re per ſuos nuncios qui diploma ipſum expectabant, certiores facti, eaq; fide freti, ad primùm Nolam Gallorum nuncium, regis inſignia extuliſſent: atq; primo equitum Gallorum præfecto, qui ſecum pauciſſimos equites traxerat, claues tradidiſſent: quibus tamen, quadringētis cataphractis muniti, facilè reſiſtere eo tempore potuiſſent. Ad hæc veterem Vrſinæ gentis fidem, quæ cum ſemper Guelforum patrocinium ſuſcepiſſet, ipſi natiq; ipſorum, & quicunq; ex ea gente naſcituri eſſent, nomen inſignia- que Gallię regum in animo inſculpta atque impreſſa, haberent: ex quo etiam factum, vt regem tanta alacritate, in eorum oppida, quæ in Latio haberent, recepiſſent: idcirco, nec conuenire, neciuſtum eſſe, fide regia, ſuisq; actionibus propoſitis, atque expenſis, vt captiui retinerentur. Verùm non minus expeditè, Lignini nomine, à cuius militibus Nolæ capti fuerant, ex aduerſo reſpōdebatur: fidem regiam, quamuis inchoatam atq; ab rege ſubſcriptam, perfectè tamen conceſſam intelligi non poſſe, niſi regio ſigno obſignata, atq; à libellorum magiſtris ſubſcripta, eiq; cuia interſit, tradita fuerit: hunc eſſe in omnibus priuilegijs & publicis monumentis, vetuſtiſſimum cuiuſuis aulæ morem: idque in eum finem obſeruari, vt ſi quid ab ore principis, ſiue curis & negocijs occupati, ſiue parum de re & negotio edocti fortè cecidiſſet, corrigi poſſet, neq; Vrſinos hac fiducia, vt ſe tam exiguo militum numero dederent, motos, ſed neceſſitate timoreq; impulſos, quod nec defenſionis, nec fugæ tota regione iam vndique victricibus armis occupata, vlla facultas reliqua eſſet: quod verò de ſuis in Gallicum nomen meritis afferebant, id eſſe falſum: quæ ſi vel maximè extarent, vel ab alijs prædicarentur, ab ipſis honeſtius potuiſſe diſſimulari, quàm iactari: eſſe autem cunctis mortalibus exploratum, eos non ſua voluntate, ſed periculi vitandi cauſa Aragonijs à quibus dum ſecunda vterentur fortuna, maximis fuerant beneficijs affecti, deſertis oppida regi ſua aperuiſſe. Itaq;, cum hoſtis ſtipendia facerent, atq; ab Gallico nomine alieniſſimi: nec dum integram fidem accepiſſent, optimo belli iure captos eſſe. Hæc aduerſus Vrſinos dicebantur: quæ & Lignini potentia, & Columniorum autoritate, à quibus tum veteri æmulatione, tum factionum diuerſitate apertè oppugnabantur, ſuffulta, eò rem adduxerant, vt nunquā eorū cauſa ad exitum perduci potuerit: ſed vt regem ſequerentur, eis fuerat iniunctū, facta tamen ſpe, eos cū primùm rex Aſtam peruenisſet, liberatum iri. At Pontifex, quamquam, quòd ſocij vt Roma diſcederet ſuaderēt, à reconciliatione haud quaquam alienus cum rege continēter ageret, nihilominus, metu deniq; ſuperante, etſi regi non-

nullam ſpē eius aduentus expectandi prębuiſſet,biduo quàm Romā ingrederetur,purpuratorū collegio,ducentisq; grauis armaturæ,& mille expeditis equitibus,peditū verò tribus millib.ſtipatus, idoneoq; in Angelica arce præſidio relicto, Oruietū diſceſſit: Romæ ad regē cum honore & pompa,accipiēdū diuę Anaſtaſiæ cardinalē ſuo nomine eſſe iuſſit:qui vt Angelicā arcē vitaret,per Tranſtiberinā regionē ingreſſus,ibi caſtra poſuit:nec in Vaticanum ipſe,quod ei nomine Pontificis deferebatur,diuertere voluit.At Pontifex,vbi regem Viterbium appropinquare cognouit, etſi ei denuò ſpem feciſſet, ſe cum eo in commodum quempiam Viterbium inter & Oruietum locum conuenturum,Peruſiam tamen,eo conſilio profectus eſt, vt ſi rex iter illud teneret,ipſe Anconam veniret, quo inde maris commoditatem ſecutus,ſe in locum tutiſſimum poſſet recipere: rex nihilominus,etſi ei erat iratus,Centumcellanā,hoc eſt,ciuitatis veteris,Terracinenſemq; arcem Pontifici reſtituit: Oſtiam retinuit,quam diſcedens in Rouerei cardinalis Oſtienſis epiſcopi poteſtate reliquit. Iter quoq; per Pōtificiā ditionē tenuit pacatè atq; amicè,præter Tuſcanellā, quæ quòd primū copiarū agmen accipere recuſaret, vi capta, non ſine multorū cędę,prædæ militib.fuit. Sex poſtea dies rex Senis ſine vlla cauſa contriuit:parū nec per ſe,nec ab Oſtienſi Triultioq; admonitus cogitans,q̄ pernicioſum eſſet,ea mora tantū ſpacij hoſtibus, ad ſe comparandum,viresq; coniungendū, prębere:nec idcirco tamen,temporis iacturā conſiliorū vtilitate penſauit:Senis enim actum de arcibus Florentinorum,reſtituendis fuit:quod rex Neapoli diſcedens tanta aſſeueratione promiſerat:totiesq; in itinere cōfirmauerat:ob quam reſtitutionem Florentini,præter aureorum numūm triginta millia, quæ de ſumma Florētiæ regi promiſſa reſtabant, ei ſeptuaginta millia ſe mutuo daturos pollicębantur: ad hæc,cum eo Franciſcum Siccum ſuorum militum præfectum cum trecentis cataphractis, & duobus millibus peditum Aſtam vſq; dimiſſuros:ad quod quidem efficiendū,regē qui ei erant à conſilijs,ferè omnes vehementer hortabantur: mouebat enim eos rei numariæ difficultas, exercitus augendi opportunitas, & regia cum iureiurando fides:retineret modò Petrā ſanctam,& Sereſanam,quaſi quoddam inſtrumentū,quo facilius animos Genuenſium ad obſequiū ſuum fidemq; conuerteret: ſed fata obſtabant Italiæ,vt in ea nouarū calamitatū ſuccēſa materies remaneret.Ligninus aūt iuuenis,& imperitus,niſi quod è regis matris ſorore natus, & ob id in ſumma apud regē gratia,ſiue lenitate quadā motus,ſiue moleſtè ferens,Florētinos cardinalis Maclouienſis autoritatē eſſe ſecutos,eā reſtitutionem impediuit:nulla re alia ſe moueri affirmans,quàm Piſanorum miſericordia: quod aūt ad Florentinorum auxilia attinet, eis ſe facilè poſſe carere dicebat,quòd ſatis eſſent Gallicæ copiæ ad cunctas Italiæ vires ſimul coniunctas,verberandas:cum Lignino Pienes regulus faciebat, ſperans ſibi ab rege Piſanum & Ligurnicū dominatum cōceſſum iri.Actum eſt etiam Senis de eius ciuitatis adminiſtrandę forma:nā, pleriq; ex populari cenſorioq; ordine,ad eius ordinis, qui à monte nouo habet nomen,potentiā deprimēdam,id vnū agebant,vt noua reip.forma introducta,præſidioq; quod ad prætoriū mōtis noui nomine tenebatur,remoto,ibidē Gallicū præſidiū cui Lignin⁹ præeſſet, collocaretur:quę quidē res quāuis in regio cōſilio,tanq̄ nō diu manſura,reijceretur,nihilominus tamē,Ligninus vt qui(etſi fruſtra)ſperaret ſe eius vrbis dominatu potiturū, id obtinuit, vt Carolus eius ciuitatis patrociniū certis conditionibus ſuſciperet: ſeque eorum quæ poſſiderent,Monte Politiano excepto, cuius cauſam dixit ſe nec Florentinorū nec Renenſium nomine velle ſuſcipere, defenſorem fore promitteret: Senenſes verò,etſi ea de re nihil in compoſitione expreſſum fuerat, Lignino præfecturam, aſſentiente Carolo,detulerunt: eiq; aureorum numūm viginti millia,in annos ſingulos decreuerūt,ea conditione, vt is viciſſim in vrbe vicarium cum Prætoriana cohorte trecentorum militum perpetuò haberet: quam quidem ex ijs qui in Gallico exercitu erant, reliquit:horum vanitas conſiliorum citò apparuit: propterea quòd non multo pòſt,noua montana factio, armis autoritate recepta, & præſidiū vrbe deiecit, & Lillanum quem rex ibi legatum ſuum eſſe iuſſerat, dimiſit. Sed iam in Gallia togata res vehementer laborabant, quòd tum à Venetis, tum à Ludouico Sfortia, qui per eos dies Mediolanenſis imperij diplomata iuraq; magna cum pompa auguſta autoritate ſuſceperat: viciſſimq; ipſe Cæſaris legatis ſe eius maieſtatem conſeruaturum, ſacramento obſtrinxerat, magni

gni fiebant apparatus, ad regis in Galliam reditum intercludendum: vel saltē, quo Mediolanense imperium, per quod tanto regionum spacio ei erat iter tenendum, à Gallorum iniuria viq; tuerentur: in eumq; finem suas quisq; lustrauerant copias: nouos delectus partim in commune, partim proprios equitum habuerant: & post varias difficultates tandem Iohannem Bentiuolum communibus stipendijs conductum, in societatem vnà cum vrbe Bononia, pertraxerant. Genuæ quoq; Ludouicus ad eius vrbis tutelam triremes decem proprijs sumptibus, quatuor item magnas naues Pontificis, Venetorum, & suis, armabat: in id præterea intentus quod ex fœdere tenebatur, vt Astam expugnare conaretur, duo milia peditum in Germania conscribi mandauerat: atq; ad Astensem expeditionem Galeacium Sanseuerinatem cum septingentis cataphractis, & tribus peditum milibus delegarat, victoriæ vsque adeò sua opinione securus, vt homo natura in rebus secundis insolentissimus, Aurelianensem ducem ludibrio habens, moneret, ne in posterum ducis Mediolanensis appellationem: quam post Philippi Mariæ vicecomitis mortem, pater eius Carolus assumpserat, vsurparet: ne in Italiam nouę Gallorum copiæ transirent, permitteret: quæ Astæ erat, eas in Galliam redire iuberet: atq; vt hæc se facturum atq; seruaturum promitteret, Astam vrbem pignoris nomine Galeacio Sāseuerinati traderet: cui rex haud minus posset confidere, quàm ipsi, vtpote quem superiore anno in Gallia in diui Michaelis sodalitatem atq; ordinem cooptasset: adhæc suas præter modum vires eâdem iactantia extollere, sociorum, vt regi in Italia resisterent, prouisionem, regis Romanorum, Hispaniæq; ad regnum Galliæ inuadendum apparatus. verùm, Aurelianensem parum huiusmodi minarum vanitas permouebat: qui simulac noui fœderis consilia perceperat, Astam munire institerat, magnaq; diligentia perfecerat, vt noui milites ex Gallia mitterentur: qui cum ab rege quoq; ad suummet subsidium venirent, accerserentur, celeriter Alpes transire incipiebant: quamobrē, Aurelianensis nihil hostes veritus, educto ex oppidis milite, in Saluciarum marchionatu oppidum & arcem Valfineriam, quam Antonius Maria Sanseuerinus possidebat, cępit: qua re Galeacius, qui prius castella quædā parua occupauerat cognita, sese cum exercitu Anonium Mediolanensis imperij Astæ propinquum, oppidum, nec se hosti nocere posse sperans, nec ab eo sibi damnum inferri timens, retraxit. Verùm enimuerò, Ludouici natura ad res quæ maximos exigerent sumptus, suscipiendas propensissimæ: & contrà à sumptibus faciendis vel in summis necessitatibus, alieniſſima causam ei, vt suas fortunas omnes in summum discrimen adduceret, præbuit: etenim stipendiorum paruitate factum erat, vt paucissimi Germanorum militum veniſſent: eademq; de causa, qui cum Galeacio erant, paulatim dilaberentur: cōtraq; Gallorum copię nouis è Gallia delectibus cōtinenter augebantur: qui, quod ad regi suo suppetias ferendas acciti essent, magna celeritate contendebant: & Aurelianensis, iam trecentos cataphractos, Heluetiorum tria milia, & todidem Vasconum coegerat: ac quanquam à Carolo ei serio fuisset iunctum, vt ab omni expeditione liber, si quando aduocaretur, sibi vt occurreret, præstò esset, tamē vt est difficile propria commoda negligere, Nouariæ occupandæ occasionem amplecti decreuit: in quam eum se introducturos eius ciuitatis nobiles duo Opicini, quibus inuisus admodum erat Ludouicus, propterea quod ipsos aliosque non paucis Nouariensis fictis criminib. iniquisq; iudicijs, certis aquarum emissarijs agrisque, vt sua prædia quæ ibi apparabat, huberiora atq; ampliora faceret, spoliauerat: itaq; Aurelianensis re cum ipsis composita, Ludouico Saluciarū marchione comitatus, Pado noctu ad Pontem sturiæ, Montisferratensis marchionis oppidum, traiecto, à coniuratis ipse cum suis copijs nemine resistente, Nouariam est receptus: vnde illicò Vigleuanum vsq; suorum equitum parte excurrere iussa, opinio fuit, si cum omnibus copijs celeriter Mediolanum versus contendisset, magnos in vrbe motus excitatum iri: nam & Nouarię amissione nunciata, Mediolanensium animi ad res nouas erecti: & Ludouicus, homo haud minus timidus in aduersis, quàm in secundis insolens, vt ferè insolentia cum timiditate coniungi solet, inutilibus lacrymis suam ignauiam cōsternationemq; ostendere: & copiæ quæ cum Galeacio erant, in quibus solis eius erat sita defensio, ab hostibus intercluſæ, nusquam apparere. Verùm, cum nū semper hostium conditiones offensionesque sint ducibus notæ, in bellis sæpenumerò pulcherrimæ occasiones amittuntur: sed

ne verisimile quidem videbatur, principis tanta potentia suffulti res, tam subita cõuersione posse mutari. Aurelianus, quo rem Nouariensem stabiliret, vt arcem expugnaret, ibidem constitit: quæ quinto oppugnationis die, in vnius diei interuallo subsidio iuuaretur, deditionẽ fecit: quo temporis spacio, Sanseuerinati facultas præbita est, se Vigleuanum suis cũ militibus recipiendi: & Ludouico, qui vt sibi vulgi animos reconciliaret, vectigalia pleraq; nuper imposita præconis voce sustulerat, suas copiàs augendi: Aurelianus tamẽ admotis ad Vigleuani muros castris, hostem ad pugnam prouocauit: ex quo tantus inuasit Seuerinates terror, vt oppidũ deserere, Ticinũq; ponte nauibus impositò transire in animo haberent: at, Sfortianis pugnam detrectantibus, Aurelianus Trecasium copias reduxit: quo facto Sfortianæ res meliore loco esse cœperunt: nam ad eius copias alij subinde equites peditesq; accedebant: quòd Veneti, sibi totam ferè prouinciam Carolo obuiam eundi relinqui, gaudentes, vt Ludouicus partem copiarũ quas in Parmensem agrum miserat, reuocaret, annuerunt: quibus & ipsi de suis, quadringentos equites epirotas adiunxerunt: adeò vt Aureliano vlterius progrediendi sit præcisa facultas: cumq; denuò quingentos equites Vigleuanũ vsq; procurrere imperasset, & Sfortiani equites ex oppido egressi in eos impetum fecissent, Aureliani graui accepto detrimento, in castra redierũt. Iam Sanseuerinas viribus superior, Trecasium copias eduxit, Aurelianoq; copiam pugnandi fecit: ac postremò, omnibus collectis copijs quibus præter Italos milites, nuper equites mille, & duo millia peditum Germanorum accesserant, ad Nouariam, in quam Aurelianus cum omnibus se copijs receperat, mille passus castrametatus est. Nouariensis defectionis nuncio, Carolo qui tum Senis erat, stimuli additi, at iter accelerannum: idcirco, vt quicquid moram inijcere posset, declinaret, cognito Florentinos præteritis periculis admonitos, ac quòd Petrus Medices regem sequeretur, nihil boni ominantes, etsi Carolum maximis honoribus accipere decreuissent, vrbem tamen armis & viris ad sui tutelam implere. Pisas per Florentinorum ditionem, Florentia ad dextram relicta, contendit: cui in oppido Poggibonzio factus est obuiam Hieronymus Sauonarola: qui, vt consueuerat, autoritate nomineq; diuino interpositis, eũ verbis efficaciſſimis, vt sua Florẽtinis restitueret, hortabatur, grauissimè quoq; interminatus, ni quę tanta ceremonia & religione, manib. etiã Euangelij codice contacto, & tanquam in Dei conspectu iureiurando promiserat, seruaret, breui Deo vindici grauissimas pœnas daturum. Variè & illic, & die sequenti in Castello Florentino, pro sua incõstantia respondit rex: nunc se vbi Pisas veniisset, restituturũ promittens: nunc fidem datam in contrarium retorquens: nimirum se, priusquam Florentiæ iurasset, Pisanis promisisse suam ipsius libertatem conseruaturum: nihilominus tamen, Florentinorũ oratoribus restitutionis faciebat spem, vbi primùm Pisas peruenisset. Pisis igitur denuò ea res ad regium consilium delata fuit: nam glisscente indies magis & magis apparatuũ fama, atq; ad Parmam sociorum vires conuenire, difficultates in Galliam togatam penetrandi, reuocari tamẽ ad calculos incipiebãt: idcirco pecunia atq; auxilia per Florentinos oblata, à plerisq; desiderabãtur: verùm quo minus admitterentur, per eosdẽ stetit, per quos etiam Senis reiecta fuerant: qui ita differebant, vt dicerent, si quid tamen aduersi hostium incursu pati cogerentur, siue per Galliam togatam iter facere prohiberẽtur, eam ciuitatem in sua potestate esse præstare, in quam se possent recipere, quàm in Florentinorum manu relinquere: qui eis receptis oppidis, haud meliore essent in Gallos fide, quàm cęteri Italorum extitissent: atq; etiam illud addebant, ad regni Neapolitani securitatem, Ligurnici portus opportunitatem, optabilem esse: si namq; regi consilia de Genuensium statu commutando (vt sperandum erat) succederent, eum in sua potestate ab Massiliæ portu in Neapolitanum vsq; portum, Maria omnia habiturum. Poterant equidem in regis animo, parum ad saniorem partem eligendam comparato, hæc consilia nonnihil: verùm multo efficaciores tum preces, lacrymæ Pisanorũ: qui frequentes cum mulieribus & paruulis infantibus, nunc ad regis pedes abijcere, nunc cuiuis aulicorum militúmue minimo se cõmendare: planctibus ac miserabili vlulatu futuras suas calamitates, Florentinorum insatiabile odium, extremam patriæ vastitatem deplorare: quæ illud vnum queri & lamentari posset: regem eis libertatem concessisse: se eam ipsi conseruaturum promisisse: qui Christianissimi regis Galliæ verba firma & rata esse credentes,

dentes,ipſis occaſionem,Florentinorum in ſe odium magisq; prouocandi atq; inflammandi dediſſet: quo eiulatu & clamoribus vſq; adeò vel turmales equites, ipſosq; hippotoxotas,ac pleroſq; Heluetiorũ commouerunt,vt magno numero ac tumultu regem adirent:atq; omnium nomine Salaſſartes è regijs clientibus vnus, vehemẽter flagitaret, vt honoris ſui ipſius cauſa, pro regni Gallici gloria,& ſuorum qui ſingulis horis vitã pro eo parati erant profundere, ſolatio, quiq; ipſi fide meliore, quàm qui Florentinorum pecunia erant corrupti,cõſulebant, ne Piſanos eo beneficio quo ipſemet eos affecerat, ſpoliaret:quod ſi pecuniæ cauſa,ad tantæ infamiæ cõſilia,ſe adduci pateretur aureas ſin gulorũ catenas,omneq; argentũ potius acciperet : ſtipendiaq; & penſiones,quas ab eo capiebant,ſibi retineret:atq; eò vſq; militaris proceſſit impetus,vt hippotoxotarũ vnus, Maclouienſi cardinali minari ſit auſus: & quidã alij inſolentioribus verbis Gienſem tribunũ equitum, & Gannaiũ præſidem, acceperint,quos eam reſtitutionem ſuadere,cõſtabat:itaque rex tanta ſuorum varietate confuſus,ſuſpenſum negocium reliquit:tam ab omni certa ſentẽtia procul,vt hoc ipſo tempore,& Piſanis de more promitteret,ſe nunquam eos in Florentinorum poteſtatem traditurum : & Florentinorum oratoribus, qui Lucæ præſtolabantur,ſignificaret, quod in præſentia iuſtis de cauſis non faciebat,id ſimulac Aſtam appuliſſet,ſe eſſe facturum:quocirca, ne id agere prætermitterent, vt eorum ciuitas eò ſuo legatos ire iuberet. Piſis diſceſſit, arcis præfecto mutato,& præſidio opportuno in arce quæ Citadella dicitur, relicto:idem in aliorum oppidorum arcibus fecit:cumq; incredibili Genua potiundi cupiditate per ſe arderet, & ab Rouerea cardinali,à Fregoſio,& Obiecto Fliſco,atq; alijs exulibus,qui ei facilis commutationis ſpem faciebant,incitaretur,ab Sereſana cum eis,toto eius conſilio tantam exercitus diminutionem improbante, Philippum Breſcium Oſabaudiæ ducis fratrem,cum cẽtum viginti cataphractis, & peditib. quingentis,qui recentes è Gallia venerant,miſit,mandauitq;, vt Vitelliorum equites, qui quòd retrò longius abeſſent,ſecum eſſe iam non poterant, eos ſequerentur: vtq; alij quidã exules, cum ijs copijs quas eis Sabaudię dux attribuerat,in litus ſe occiduum immitterent: ac deniq;, vt maritima claſſis,in qua reliquæ erant naues longę ſeptẽ, onerariæ magnæ duæ,totidemq; biremes,quib.omnibus Miolanſiũ præfecerat,litora radens, terreſtribus copijs præſidio eſſet.Iã primũ agmẽ Gienſi duce Pontremulũ appulerat, quæ ciuitas trecẽtis auxiliarijs peditib. dimiſſis,citò deditionẽ, Triultio ad id hortante,ea lege fecit,vt ne quid detrimẽti hominib. eorũ fortunis miles inferret:verùm irrita fuit ducũ fides:Heluetij enim per tumultũ magno impetu ingreſſi, cunctis habitatorib.ad internecionem cæſis,oppidũ direptum incenderũt, atq; id ſe facere vlciſcendę iniurię cauſa,differebant.Nam Gallis Neapolim proficiſcentibus,dum per Lunigianã iter faciunt,& rixa quædã caſu eſſe exorta, circiter quadraginta Heluetiæ gentis homines,à Põtremulenſib. cæſi fuerant. Eodẽ tempore,circa Parinã ſociorũ copiæ intentè admodum colligebantur:equitũ grauis armaturę duo millia & quingenti, peditũ octo millia,equitũ leuis armaturæ vltra duo millia,Epirotæ maiore ex parte,atq; alijs finitimis Græcorũ nationib.qui in Italiã à Venetis conducti,patrio nomine omnes Stratiotę appellãtur.Hui⁹ exercitus robur,præcipuè in Venetis copijs erat:nã Sfortianę, ꝙ dux ipſe cunctas ferè vires ſuas Nouariã vertiſſet, vix quartã toti⁹ exercitus partẽ implebant.Venetorũ legionib.in quib. multi clari nominis ductores militabãt,imperabat Gubernatoris generalis nomine Franciſc⁹ Gonzaga Mantuæ marchio,admodũ adoleſcens,ſed cuius expectatio,quòd animo magno & gloriæ cupido exiſtimabatur,ętatem ſuperabat:cui legati duo aderant viri clariſſimi à ſenatu dati,Lucas Piſan⁹, & Melchior Triuiſan⁹.Sfortianis eodẽ gubernatoris appellatione præerat Calatię comes,cui Ludouic⁹ multũ cõfidebat,qui militari gloria Roberto Sãſeuerino patri ſuo nequaq; par,cauti potius q; magnanimi ducis laudem erat cõſecut⁹:cũ eo erat Franciſc⁹ Bernardin⁹ Vice comes Gibellinæ factionis Mediolani princeps, atq; ob eã cauſã Ioãni Iacobo Triultio oppoſit⁹. Inter hos atq; alios exercit⁹ principes,cũ diſputaret,an ad Fornouũ ſiue Forũ nauũ paruulũ vicũ,ad mõtis radices ſitũ,loc⁹ caſtris eſſet capiẽd⁹:viſum eſt,cũ ꝓpter loci anguſtias,tũ(quod poſtea diuulgarũt)quo hoſti facultatẽ in plãicię deſcẽdẽdi põberẽt, ad Glareolã trib.ab Fornouo miliarib.caſtrametari: q̃ res primo Gallorũ agmini, quod multo antè reliquũ exercitũ montẽ ſup̃auerat,apud Fornouũ caſtrametandi locũ dedit:

reliquæ enim copiæ,diu conuehendis maioribus tormentis,hæserant,quòd difficillimè per aspera & confragosa Apennini iuga traherentur:quę multo difficilius educta essent, nisi Heluetij illius maculæ,quam regio nomini in Pontremulensi clade inusserant, delendæ cupidi,vt transportarentur humeris suppositis,magna alacritate laborassent. Vbi Fornouum prima agmina peruenerunt,Giensis ad Italorũ castra præconẽ misit, qui regis nomine iter liberũ atq; expeditũ postularet: diceretq;,regẽ citra maleficiũ cõmeatu æquo precio persoluto, copias suas traducturum,vt sese quamprimùm in Galliam reciperet:atq; interea aliquot equites, ad speculanda hostium castra,& regionem iussit excurrere:qui in fugam ab equitibus Grecis,quos Franciscus Gonzaga eis obuiam misit, cõiecti sunt:qua occasione,si Italorum acies sese ad castra vsq; Gallorum extendissent, creditum est ab eis prima eorum agmina facilè potuisse debellari: quo facto,reliquæ regis copiæ vlterius progredi nullo modo potuissent:nec die sequenti eadem occasio, quamuis Giensis,periculo cognito,suos in loca editiora contraxerat,præterierat:verùm Itali duces partim situs munitione territi, partim ea agmina firmiora rati, partim etiam veriti, ne reliquus exercitus in propinquo esset,in eos signa inferre non sunt ausi:illud certè constat, eo die nondum vniuersas Venetorum copias cõueniisse: quæ tam serò ad Glareolæ castra conuenerant,vt manifestum sit,Carolum, ni tam diu Senis, Pisis, alijs in locis citra vllam necessitatem hæsisset, citra impedimentum aut hostilem occursum, potuisse transire:qui deniq; cum primo agmine coniunctus,die proximo ad Fornouum cum omnibus copijs castra posuit. Nunquam fœderatorum principes, regem tam exiguis copijs,iuga Apennini recto itinere superare ausurum crediderant:eamq; ob rem à principio sibi persuaserant,eum maiore exercitus parte,Pisis relicta,cum reliquis classe in Galliam reuersurum:Pòst autem vbi cognouissent eum,terrestre iter tenere,existimarant,ne ad ipsorum castra propius accederet, per viam Burgi, quod Castellum à Tarri valle nomẽ habet,ac montem Centicrucium, asperum ac difficilem,in Derthonensium fines, cogitare, sperans Aurelianum ducem circa Alexandriam sibi obuium futurum. Vbi autem cognitum est, Fornouum rectà contendere, Italorum acies,quæ prius cùm ducum hortatione,tum hostium paucitatis fama,admodum alacres fuerant, hebescere multumq; de pristino vigore remittere cœperunt:in ipsorum enim animo obuersabatur Gallici æquitatus robur,Heluetiorum virtus,quibus Italicus peditatus citra controuersiam longè inferior censebatur: æneorum tormentorum expeditus vsus,& quo maximè homines cum secus cogitarũt,permouentur,inexpectata Gallorũ audacia, qui numero tanto inferiores, tam propè auderẽt accedere.His cogitationibus,etiam animis ducum refrigeratis, quid Giensis præconi respondendum esset,in consilio disputari cœptum: hinc periculosum admodum videbatur,in fortunæ temeritatem totius Italiæ statum ponere:illinc in magnam infamiam Italicam militiam vocari,si vllum metum præse ferrẽt, quo minus Gallicis copijs,quæ tanto inferiores numero,in ipsorum oculis transire auderent,sese opponerent:qua in deliberatione cum variarẽt ducum sententiæ,post multam disputationem deniq; decretum est, vt de regis petitione Mediolanum scriberent, id omnino facturi quod illic ab duce atq; oratoribus sociorum inter se cõsentientibus, decerneretur:interim cum ea res agitaretur,dux & Venetus orator,periculo propiores, in eandem sententiam descenderunt,nimirum,vt hosti abire volenti,iter minimè intercludendum:sed potius, vt est in communi prouerbio,Argenteũ ei pontem esse faciendum:alioqui verendum esse,ne in desperationem conuersa necessitas,quòd innumeris exemplis demonstrare poterat,viam sibi multo cum sanguine eorum,qui se parum prudenter opponerent,aperiret:at Hispanię regum legatus,cupiens absq; suorũ regum periculo,fortunæ periculum fieri, vehementer & cum obtestatione,institit,ne vllo modo abire permitterentur: néue illius exercitus profligandi occasio dimitteretur: qui si euaderet, Italam rem in eisdem periculis, atq; adeò maioribus relinqui,quàm prius fuerit: nam cum Astam & Nouariam rex teneret:obsequentes Taurinos,qui hodie Pedemontani vocantur, haberet: Galliæ præpotens atq; opulentissimum regnum à tergo, finitimos Heluetios,paratos quanto vellet numero, eius stipendia facere:regem denique ipsum autoritate, atque animis auctum cernerent: si sociorum exercitus,Gallicis copijs tanto superior,ei tam abiectè liberum iter permitteret,eum Italiam maiore spiritu inuasurum.

surum:quam ob causam suis regib. propemodū necessariū fore, noua cōsilia instituere, quandoquidē satis animaduerterēt,Italos aut nolle, aut nō audere cum Gallis acie decertare:nihilominus tutiore sententia in eo consilio obtinente,Venetū senatū,qui proculdubiò idem censuisset,ea de re consulere decreuerunt:verùm frustra iam erat omnis deliberatio: propterea quòd exercitus principes, postquam Mediolanum scripserunt, vix fieri posse, vt in tempore responsum haberent cogitantes,quantaq; ad ignominiam sempiternā turpitudinis nota Italicæ militiæ inureretur,si sic Gallos abire sinerent,præcone sine certo respōso dimisso, hostem progredientem infestis signis inuadere,Venetis legatis,magis tamē Triuisano quàm eius collega assentientibus decreuerunt:ad hęc, Galli insolētia atq; audacia pleni,vt qui cum ad eam diem qui eis occurreret,neminem reperissent,existimabant hostē nequaquam se eis oppositurum: qui,si maximè auderet nullo negocio à se in fugam coniectū iri (tantus erat armorum Italicorū cōtemptus)tamen,cū è monte descendentes, Italorū castra infinitis tentorijs & papilionibus referta: in tam amplo ac patenti loco, vt Italiæ more, in eo totus exercitus ad pugnam instrui posset,cernerent:cumque secum hostium numerum tam grandem reputarent, qui nisi pugnare vellent,locum vsque adeò vicinum haud cępissent,eorum ingentes spiritus elanguescere tātopere cœperūt,ut prolato nuncio essent habituri,si modò Itali ipsos ita abire permisissent:atq; id eò magis,quòd cū Carolus Aureliano scripsisset,vsq; eò procederet,donec ei occurreret: vtq; tertia die Iulij cum quanto maximo posset militū numero Placentiæ esset, atq; is respondisset,se in tempore affuturum: pòst ab eodem accepit,Sfortianum exercitum ipsi oppositum,in quo noningenti grauis, mille & ducenti leuis armaturæ equites,& peditum quinq; millia erant, adeò validum esse,vt absq; certissimo periculo, cum præsertim suarum copiarum partem ad Nouariæ atq; Astæ præsidium relinquere cogeretur, vlterius progredi nō posset.Itaq; rex ad noua cōsilia animū vertere cōpulsus,Philippo Argētono,qui paucis dieb.antè regis nomine ad senatū Venetū legatus,Venetijs discedens, Pisano & Triuisano iam ad castrensem legationē destinatis,se daturum operam,vt regem ad pacem flecteret,receperat, mādauit, vt ad eosdē legatos præconē cum literis allegaret,quibus nunciaret se cum eis pro cōmuni vtilitate cupere sermonē conferre:qui & receperunt se insequenti die mane in cōmodū inter vtrunq; exercitum locum, cōuenturos:verùm Carolus,siue quòd eo in in loco cōmeatu destitueretur,siue alia de causa mutata sententia eius cōgressus exitū minimè sibi expectandū esse duxit.Inter vtranq; castrorū frōtē minus quā tria miliaria aberāt: atq; in dextra Tarri fluminis ripa(tametsi torrens potius,quā flumē dicēdus sit) qui in Appennini iugis ortus,perq; angustam vallē inter geminos colles cōpressam,aliquousq; delapsus, in patentē Gallię togatæ quā Lōgobardiā vocant, planiciē emissus,in Padū influit,protendebantur.In horū colliū dextera,ad vsq; fluminis ripā sociorū exercitus tendebat,in hac parte potius q̄ in sinistra qua hostis iter factur⁹ erat,de principū cōsilio cōstiterat,ne facultas ipsi Parmā versus flectendi relinqueretur, cui ciuitati,ppter factionū studia diuersa dux Mediolani nō satis fidebat:atq; eò minus, q̄ à Florētinis rex Franciscū Siccū Astā vsq; obtinuerat, cuius filia in nobilē,atq; in toto Parmēsi tractu potentē Torellorū familiā nupserat.Erāt castra sociorū fossis atq; aggerib.munita,bellicisq; tormētis egregiè instructa:p̄ter quæ,Galli Astā petentes,transmisso ad Fornouū Tarro,transire cogebātur,ita vt inter eos flumen tantū interesset.Eā noctē Galli haud mediocri cū molestia peregerunt.Itali enim & ipsi pugiles, Illyricos equites in castra Gallorū vsq; excurrere iubebant,qui ad quēuis strepitū excitati ad arma cōclamabant:nimbi præterea maximi cum fulguribus tonitruis, frequentibusq; & horribilib. fulminibus repentè ingenti cū fragore exorti, q̄ quidē omnia triste aliqd portendere videbātur:his Galli magis quàm Itali terreri, nō modò q̄ mōtibus atq; hostib. septi,eoq; loci essent,vt si quid aduersi eis accideret,spes nulla salutis reliqua esset:in āgustias multo maiores erāt redacti:& ideo iustiorē habebant terroris causam: verùm etiā quia verisimilius videbatur,eas cœli minas,non nisi ob res magnas apparere solitas,eam potius partē innuere,vbi tantæ maiestatis potentiæq; rex versaretur.Die igitur 6.mensis Iulij primo diluculo Gallicæ copiæ flumē trāsire cœperunt,præmissis tamē æneis machinis quāplurimis,quas primū agmē, cui rex,hostes rat⁹ in id primā impressionē facturos,trecētos quīquaginta cataphractos:

centum item alios,quos Triultius ductare cõsueuerat:Heluetiorum preterea tria milia illius exercitus neruumq; spemq; adiunxerat, pariter sequebatur:cum his Engelbertus ducis Cleuensis frater,Diuionensisq; præfectus,qui Heluetios adduxerat,pedites erãt: his rex trecẽtos è Prætorianis equitibus suis,quos illi Arcierios, Latini & Sagittarios,& Arquitas vocant, dimissis equis: atq; vna hippotoxotas aliquot,nec non quicquid reliquum erat apud se peditatus,adesse iussit.Hæ primi erant agminis acies: has sequebantur in secundo agmine principes, in quorum medio erat rex ipse armis firmissimis vndique protectus, equo præferoci insidens, & cum eo, qui prudentia atque autoritate eam partem exercitus gubernaret, Tramolia magni in Gallia nominis dux. Nouissimum agmen ducebat Foissëus dignitate comes: quem impedimenta non procul insequebantur. His in hunc modum constitutis, rex tamen à pacificatione non alienus, eodem tempore quo castra moueri cœperunt, per Argentonem cum Venetis legatis agere voluit:sed enim, cum propter eius profectionem,iam totus Italorum exercitus esset in armis, ducesq; pugnam committere omnino statuissent,iam nec temporis exigui tas,nec exercituum propinquitas,vllum spacium, vllámue colloquendi cõmoditatem relinquebant:& iam vndique expediti equites concurrere,iam omni ex parte tormenta cum horribili fragore, diſplodi:iamq; Itali è castris suis erumpentes, ad pugnam in fluminis ripa acies explicare: ob id tamen Galli procedere pars in fluminis crepidine, pars, quòd in angusta planicie, ordines explicari non poterant,per collis plagas minimè intermittebant: cumq; legio prima iam eò peruenisset, vt ex aduerso hostium castra spectaret, Mantuanus Italicarum copiarum imperator, cum delecto grauis armaturæ equitum agmine, cumq; firma Græcorum equitum turma, alijs item expeditis equitibus,adiunctis sibi peditum quinq; millibus, flumen post Gallorum postremam legionem traiecit,in altera ripa Antonio Monfeltrio,Federici olim Vrbini ducis ex non iusta coniuge filio,cum nõ parua manu,vt signo dato extẽplò flumine traiecto,primę pugnæ succederet,relicto:mandarat præterea, vt pugna statim cœpta,pars vnà expeditorum equitum,& reliqua Grẹcorum Tarro ad Fornouum transmisso, Gallorum impedimenta quæ sine militum penuria,siue (vt fama fuit) Triultij callido consilio,sine præsidio prædæ exposita ponè sequebantur,impetum faceret.In alia parte Tarrum cum quadringẽtis cataphractis, in quibus erat Alfonsi Estensis equitum turma ipso Alfonso, vt voluit pater absente: & cum duobus peditum millibus Calatiæ comes transmisit, quo Gallorum primas acies inuaderet, in altera & ipso ripa Annibale Bentiuolo cũ ducentis cataphractis,ad subsidium opportunè ferendum,collocato: vbi autem castra Itali habuerant,duæ valido equitum grauis armaturæ turmæ,& pedites mille remanserunt:propterea quod Veneti legati,in omnem euentum subsidium sibi adesse voluerunt.Vbi autem rex extremum agmen à tanto robore premi, contra quàm sibi sui duces persuaserant, est conspicatus,à tergo primò agmine relicto, extremis ordinibus opem laturus accurrit:tantoq; vna cum acie, reliquas medij agminis turmas anteuertit,vt cum inire pugnã inciperent,ipse in suorum fronte inter primos pugnans inueniretur. Quidam memoriæ tradiderunt,Mantuani copias non sine confusione, propter riparum altitudinem arborumq; & stirpium, & virgultorum, quibus passim torrentium ripæ vestiuntur,impedimenta,flumen transmisisse: addunt alij eiusdem pedites cùm ijsdem de causis,tum verò flumine pluuia nocturna aucto, tardius ad pugnam peruenisse: neq; omnes flumen tamen traiecisse. Quicquid sit, certum est,Mantuani aggressionem fuisse admodum grauem,ac præferocem: nec minore impetu ac virtute Gallos eius impressionem excepisse,turmis ab omni parte permistè in pugnam ruentibus:non militiæ Italiæ more,vt binę acies inter se committerentur: alteriq; defessę aut cedere coactæ,altera succederet:nec nisi ad extremum vno ex multis cohortibus agmine facto,in hostem procederent:ita vt sæpenumero prælia, in quibus semper paucissimi cadebant, integrum ferè diem absumerent:ac non rarò nox ipsa pugnam dubiam victoriam relinquens,dirimeret. Fractis hastis,quarum concursu non pauci cum equitibus equi ab omni parte cecidere,res eadem virtute ferratis clauis, gladijs, atq; alijs breuioribus armis geri cœpta:equis haud segnius quàm viri,calcibus,dentibus,ac toto corpore decertantibus:Italis virtutẽ suam initio Mantuani ducis præcipuæ exemplum imitati,egregiè demonstrantibus: qui validam se-

dam ſecum nobilium iuuenũ, & lectiſſimorum equitum, quas Itali Lanceas Spezzatas appellant (ſunt hi milites fortiſſimi extra ordinem ſtipendia merentes) aciem ducens, atque in omnia pericula intentus, nullum fortiſſimi imperatoris munus prætermittebat. Tam ferocem impetum magna virtute Galli ſuſtinebant: ſed tanto maiore numero admodum preſſi, iam manifeſtè, non ſine regis ſui periculo, inclinare incipiebant: apud quem non magno interuallo, Borbonius nothus, quamuis ſtrenuè dimicans, captus fuit: cuius caſu Mantuanus ſimilem ſucceſſum in regem ipſum, in tantum diſcrimen imprudenter ſine eo præſidio & ordine, quæ tantum principem decerent, adductum, ad eum penetrare cum multis è ſuis, totis viribus nitebatur: aduerſus quos rex paucis ſuorum ſtipatus, magno animo egregiè ſe magis ſua equiq; ferocitate, quàm ſuorum tuebatur: cui in tanto periculo ea cõſilia quæ metu ſuadente in rebus difficilibus in hominum mentes venire ſolent, minimè defuerunt: nimirum cum ſe tantum non à ſuis deſertum videret, ad diuina præſidia conuerſus, Dionyſio & Martino Gallici regni dijs tutelaribus habitis nouit, ſi ſe cum exercitu incolumen in Taurinos educerent, ſimulac trans Alpes redijſſet, ſe ad eorum fana, quorum alterum Lutetię Pariſio rum, apud Turones alterum, cum maximis donis venturum: ad hæc, anniuerſarijs magna cum ſolennitate ac ceremonia ſacris, tanti ab eis accepti beneficij memoriam celebraturũ: quib. votis nuncupatis, quaſi vigore auctus, ſupra ſolitas uires, ſupraq; naturæ habitũ, maiore animo pugnã capeſſit. Verùm regis periculo perſpecto, qui ab eo minus aberant procul: ita fuerunt inflammati, vt ad regem ſuum ſuis corporibus protegendum conuolantes, Italos reprimerent, donec principum legione regem ſtipare conſueta, quæ retrò manſerat, ſuperueniente, aliquot ex ea turmæ, tanto impetu in hoſtium latus impulerunt, vt eorum vis non mediocriter infringeretur: acceſſit etiam, quod Rodulfus Ganzaga, Marchionis patruus, experientiſſimus belli dux, dum ſuos cohortatur, ordinesque quos perturbari videbat, reſtituit, atq; nunc huc, nũc illuc exurgens egregij ducis munere fungitur, & Galeam fortè aperit equeſtri gladio in facie à Gallo vulneratus, ex equo cecidit: cumque ſui in tanta confuſione ac tumultu, & confertiſſima ferociſſimorum equorum multitudine eum ſubleuare nequirent: atque in eum alij ſuper alios viri equique ruerent, conculcatus potius quàm hoſtilibus armis cæſus, vitam amiſit, qui caſus eo certè viro indignus eſt viſus: nam in conſultationibus, tum prioris, tum eiuſdem diei, imprudentiæ eſſe tantam rem in fortunæ arbitrio, abſque neceſſitate ponere iudicans, aduerſus nepotis ſententiam, à pugna committenda abſtinendum eſſe cenſuerat. Ita caſibus diuerſis pugnæ alea commutata, cum nec quicquam ſeſe oſtenderet, quo alteri alteris ſuperiores eſſe viderentur, vtri victores eſſent futuri, minimè conſtabat: idcirco ſpeique timoriſque examine æquato, incredibili ardore omni ex parte pugnabatur: vnoquoque exiſtimante in ſua dextera ſuaq; virtute victoriam repoſitam eſſe: Gallorum animos regis præſentia & periculum accendebat: quòd non ſecus apud eam gentem conſuetudine inueterata venerabilis atq; anguſta eſt regis ſui maieſtas, quàm natura illa ſuprema, numénue diuinum: deinde, quod eo loco eſſent, vt in ſola victoria ſperare ſalutẽ poſſent: Italos verò incitabãt prædæ opimæ cupiditas, ſui imperatoris virtus & exemplum, arridentis initio pugnæ ſucceſſus, militum ingens, vnde ſperare opem poſſent, numerus: quod ſperare Galli non poterant, quoniam eorum acies aut erant omnes in cõflictu implicatę, aut hoſtis impreſſionẽ ſingulis momentis expectare cogebantur. Verùm, maxima eſt, vt omnes norunt, in rebus humanis omnibus fortunæ poteſtas: maior in bellicis rebus: ſed incredibilis, immenſa, infinita in ipſo martis conflictu: vbi ſi quid temerè factum, ſi qua vox vel à gregario milite inaniter miſſa, ea victoriam ad eos transfert, qui iam victi videbantur: vbi repentè caſus innumerabiles accidunt, quos nec proſpicere, nec gubernare cõſilio duces vllo modo poſſunt. Quapropter in tam ancipiti Marte ſui moris nequaquam oblita, id effecit, quod nec dum militum virtus, nec armorũ vis efficere potuerat: nã cũ Græci, equites, ad impedimẽta Gallorũ inuadenda emiſſi, ea citra negociũ diripere cœpiſſent, & alij mulos, alij equos agminales, aliaq;, vt fieri ſolet, trans flumẽ abducerẽt, nõ modò altera Græcorũ pars, cui Gallos à latere inuadere iniunctum erat, ſed et, qui in ipſum certamen erant ingreſſi, ſuos commilitones præda onuſtos in ſua caſtra redire conſpicati,

prædæ cupiditate incitati, ad impedimenta diripienda & ipſi ſunt conuerſi : quorum exemplum equiq; pedites q;, eadē de cauſa è pugna turmatim diſcedebant: ex quo, Italis non ſolùm ſuo ſubſidio deſtitutis, verùm etiam per fœdam confuſionē numero decertantium diminuto : nec ſe Antonio Monfeltrio commouente : quòd mortuo Rodulfo Gonzaga, cuius erat muneris, eū, vbi opus eſſet, euocare, à nemine vocaretur, vſq; eò ꝓcedere Galli ſunt auſi, vt nihil iam Italos apertè cedentes, præter Mantuani virtutē, ſuſtineret: qui acerrimè pugnans, hoſtium impetum tamē ſuſtinebat : ſuos iam exemplo, iam vocibus feruentiſſimis hortabatur, mallent prius vitæ, quàm honoris iacturam facere: at, vt pauci multos ſuſtinerent, fieri iam non poterat: cumque omni ex parte pugnantes aucti in eos incumberent, & iam pars cęſi, pars vulnerati eſſent, præſertim qui cum Mantuano pugnam ſuſtinebant, fugam omnes traiecto iterum Tarro, capeſſere coacti ſunt: qui cum nocturno imbri, tum diurno dum pugna committitur cum grandine mugituq; cœleſti, vſq; eò excreuerat, vt multum negocij fecerit ijs qui denuò trāſire cogebantur. Eos magno furore ad flumen vſq; Galli, paſſim eos ſternentes, captiuum nullum facientes, prædam lucrúmue ſusq; deq; facientes, ſunt inſecuti: illud modò crebrò inclamantes: Redeat vobis in mentem, commilitones, Guineguaſtium. Eſt aūt Guineguaſtium in Morinis, quorū hodie regio Picardia vocatur, prope Taruannam locus, vbi poſtremis Aloiſij vndecimi annis, Gallorum copiæ in pugna cum Maximiliano rege Rom. cōmiſſa, iam propemodū victrices, prædandi ſtudio perturbatæ, fuſæ fugatæq; ſunt. Interea tamen, dum in hac exercitus parte tanta virtute pertinaciaq; pugnatur, prima Gallorum acies, in quam Calatinus comes alam equitum vnam mouerat, tanto impetu in hoſtem ferebatur, vt Itali pauore conſternati, ordines ſua ſponte deſererent : ita vt iam aliquot ex ipſis trucidatis, inter quos Ioannes Picininus, & Caleacius Corregius, ſeſe ad maximum ſuorum agmen, manifeſtè fugientes, reciperent. At Gienſis tribunus, præter quas ſecum haberet Calatinus turmas, in vlteriore fluminis ripa alteram equitum grauis armaturæ aciem, ad pugnam inſtructam conſpicatus, ſuis ut Galatini equites inſequerentur, minimè permiſit: quod cōſilium pòſt à pleriſq; prudens habitum eſt : ab alijs minus forte, rationem magis quàm euentum conſiderantibus, abiectum potius quàm prudēs: etenim minimè ambigitur, ſi eos eſſet inſecutus, comitem cum ſua manu terga daturum : quo facto, tanto pauore eos qui vltra flumen remanſerant, compleuiſſet, vt retineri, quin ſe fugę mandarent, nullo modo potuiſſent. Nam Mantuanus, qui alijs fugientibus, cum parte ſuorum flumen quo potuit ordine, reſtrictus ſuperauit, eos ita dubios atq; attonitos reperit, & de ſe ſuisq; rebus in tutum collocandis ſolicitos, vt iam via quę Placentia Parmam ducit, viris, equis, impedimentis, Parmam ſe recipientibus, referta eſſet: qui tumultus ex parte ipſius Mantuani præſentia atq; autoritate ſedatus fuit : nam milites ad ſigna coactos, in ordinem redigere inſiſtebat: verùm multo magis Petiliani aduentus, qui ex pugnæ tumultu arrepta occaſione, ad Italorum caſtra peruaſerat: vbi cohortando aſſeuerandoq; hoſtes maiore in perturbatione conſternationeq; verſari, militum animos perturbatos reſtituit, & confirmauit: quod ſi factum non eſſet, communis fuit omnium ſententia, Italorum copias vniuerſas, aut eadem hora, aut nocte ſaltem inſequenti, ingenti terrore perculſas, vaſa conclamaturas. Italis igitur in ſua caſtra reuerſis, illis exceptis qui (vt in huiuſmodi rebus accidere ſolet) perturbatione ac tumultu acti, nec non inflato flumine territi, vagi palantesq; fuga in varia loca dilapſi, in Gallos totis ferè campis ſparſos incurrentes, ab eis cæſi fuerant: rex cum ſuis ad primum ſui exercitus phalangem, quæ à ſua ſtatione nuſquam ſe dimouerat, acceſſit: ibiq; cum ducibus deliberauit, an illicò flumen quo in ſuis caſtris hoſtem inuaderet, eſſet traijciendum: quod quidem tum Triultius tum Camillus Vitellius, qui ſuis equitibus eos qui ad tentandam Genuam profecti erant, ſequi iuſſis, ipſe cum paucis regem, vt pugnæ intereſſet, ſecutus erat, ſuadebant : quod quidem etiam vehementius Franciſcus Siccus faciebat, viam quæ procul cernebatur, viris equisq; plenam oſtenſi: quod quidem arguebat, eos aut Parmam verſus fugere, aut in caſtra ex fuga reuerti. Verùm, & flumen ſuperare id demū magni erat laboris : & miles qui partim pugnauerat, partim in acie armatus ſteterat, adeò erat feſſus, vt principum Gallorum conſilio decretum fuerit, locus caſtris caperetur: ſicq; ad Medeſanū oppidum in colle, ab eo loco vbi pugnatū fuerat, circiter

citer mille passus situ, constitere: vbi sine ordine, neq; satis cõmodè, quòd impedimentorum bona parte ab hostibus exuti essent, eam noctem egere. Hæc fuit illa inter Italos Gallosq; ad Tarrum memorabilis pugna: quòd ea fuerit prima, in qua longissimo interuallo in Italia cum strage & sanguine pugnatũ sit: ante hanc enim pauciſſimi in conflictu interibant: hîc autem quanquam ex Gallicis copijs vix ducenti, ex Italicis supra trecentos grauis armaturæ equites desiderati, totque alij, vt tria millia perijsse constet: inter quos Rinũccius Franesius alæ equitũ à Venetis præfectus, multi præterea nobiles & clari viri: Bernardinus Montonius & ipse in Venetorum exercitu copiarum ductor, claua ferrea percussus, etsi capite galeato, semianimis cecidit, Braccij Mõtonij aui sui fama, qui inter primos Italicæ militiæ instauratores numeratur, quã propria fortuna aut virtute clarior: fuitq; Italis ea strages admirationi longè maiori, tum quòd præliũ haud vltra horam productũ est: tum quòd propria virtute armisq; vtrinq; decertantibus, tormenta vix locum habuere. Victoriam eiusq; diei gloriam vtriq; ad se pertrahere conati sunt: Itali, quòd eorum castra atq; impedimenta intacta atq; integra fuere, cum Galli bonam partem, & in his regis ipsius tentoria, amisissent: gloriabantur præterea, se hostes debellaturos fuisse, nisi pars ipsorum ad pugnandum destinata, prædę cupiditate à conflictu, quod quidem verum esse haud abnuebant Galli, abstinuisset: atque vsque adeò hanc sibi gloriam ascribere, Veneti admittebantur, vt in omnibus eius imperij ciuitatibus, ac Venetijs præcipuè ipsorum iussu ignes de more atq; alia læticiæ signa edita fuerint: nec segnius publicũ exemplũ priuati sunt secuti: in sepulchro enim Melchioris Triuisani quod est in Franciscinorum, quos Minores vocant, fano, in eius morte verba illa exarata fuere, eam ad Tarrũ flumen cum Carolo rege Francorũ prosperè pugnasse: nihilominus tamen, omniũ ferè mortaliũ consensus, palmã Gallis adiudicauit, tum ex eorum qui in ea pugna cecidere numero tãto minore, quàm in parte aduersa: tum quòd hostem trans flumẽ profligauerunt: tum quòd ipsis expeditũ vlterius progrediendi iter, de quo erat contentio, & propter quod in certamen erat ventum, remansit. In ijsdẽ castris sequentem diem egit rex: quo etiam die per Argentonũ cum hostibus aliquod colloquium fuit: vnde inducię vsq; ad noctem pactæ fuerunt: hinc enim rex itineris securitatem optabat, vtpote qui sciret complures supersesse ex Italorum copijs, qui non pugnauerant: quos cum in ijsdem castris manere videret, tot dierum per Mediolani imperij regiones iter, hoste continenter à tergo imminente, periculosum videbatur, illinc præ ingenij imbecillitate, certi aliquid statuere nesciebat: quod melioribus consilijs repudiatis, sæpenumero in suis deliberationibus factitabat. Eadẽ ambiguitas, in Italorum animis versabatur: qui, etsi initio admodum territi essent, eò venerant securitatis, vt vespere eiusdẽ quo pugnatũ erat die, aliqui fuerint, referẽte, ac multũ hortante Petiliano, sermones de Gallorũ qui in loco erant incõmodo, ac minimè castris noctu inuadendis: tamen plerisq; contradicentibus, id cõsilium tanquam nimis periculosum, reiectũ fuit. Rumor eodẽ tẽpore per totã Italiam peruagatus est, Ludouici Sfortię homines, eius occulto mandato, pugnare noluisse: propterea quod, cũ in ipsius ditione tantæ essent Venetorum copiæ, nõ minore forsitan ex eorũ victoria metu afficeretur, quàm Gallorum: quos nec victos nec victores esse cuperet: vtq; in omnẽ euentũ esset tutior, vires suas integras conseruare voluisset: affirmabaturq; illud ipsum obstitisse, quo minus Italorũ exercitus victoria potiretur: quæ opinio à Mantuano cęterisq; Veneti exercitus præfectis, quo sibi maiorẽ existimationẽ cõciliarẽt, fomenta capiebat, quã etiã libẽter amplectebantur ij qui Italicæ militiæ gloriã augeri cupiebant. Verùm audiui ipse ab homine grauissimo, q tũ Mediolani eo gradu erat, vt integrã negociorũ noticiã haberet, hũc rumorẽ validis rationib. cõfutari: aiebat is, quod cũ Ludouic⁹ vires ferè vniuersas ad obsidendã Nouariã cõuertisset, eũ tantas copias ad Tarrũ nõ habuisse, quæ ad victoriã cõsequendã magnũ possent momentũ affere: quã sociorũ exercitus obtinuisset, nisi ei plus ꝑprij errores nocuissent, quã quòd maiorẽ militũ numerũ nõ haberent: cũ præsertim cõstet, nõ omnes Venetas copias in aciẽ pugnãq; descendisse: quod si Calatinus vnã modò suarũ partẽ copiarũ in hostẽ immisit, eãq; frigidè satis: id ea potuit fieri de causã ꝙ prima Gallorũ acies erat adeò firma, vt is rẽ magni esse periculi cognosceret, si se fortunę cõmitteret: & in eo homine fortia facta, quam secura, maiorẽ cõmuniter admirationẽ excitasset:

neq; tamen Sfortianæ copiæ non fuerunt prorsus inutiles:nam, etsi minimè pugnarũt, tamen obsistere quo minus Gienſis cum ſua prima acie,regi qui cum minore debiliore q́ue exercitus parte,ſuo maximo periculo illius pugnæ pondus totum ſuſtinebat,opem ferret, Quid? quod non minus ratione quàm autoritate hæc opinio confirmatur ? etenim,quæ veriſimile eſt, vt, ſiquidem hoc in Ludouici Sfortiæ animo fuiſſet,non potius præfectis & legatis ſuis mandaſſet, diſſuaderent,ne ſe Italorum acies ad iter Gallis intercludendum, opponerent:cum , ſi rex victoria potitus eſſet,haud magis eius copiæ hoſti tam propinquæ, etiamſi pugnæ ſe minimè miſcuiſſent, incolumes,quam aliorum extitiſſent:ac,quo conſilio, qua ratione,quo vſu rerum,ſibi polliceri poterat,ſi in certamen ventum eſſet,fortunam ita parem futurã, vt nec victus nec victor rex eſſet futurus? quin & illud extra controuerſiam eſt,contra ipſius nutum minimè Venetos pugnã fuiſſe commiſſuros:quippe,qui acies ſuas in Inſubriã nulla alia de re miſerant, quã vt eius ſecuritatẽ & ſalutẽ tuerentur.Mane ante lucẽ Carolus nullo edito tubæ , ad profectionẽ occultandã,ſigno,ſuas omnes copias eduxit:nec eo die eſt eũ ſociorũ exercit⁹ ſecut⁹. qui etſi maximè voluiſſet,aquis fluminis qui recenti pluuia noctu intumuerat impedit⁹, minimè potuiſſet:tantũ ſole in occaſum iã inclinante, nec ſine periculo Calatiæ comes cũ expeditis equitib. ducentis,eorũ veſtigia eſt p̃ſecut⁹: eisq; in Placẽtina via, proximo præſertim die,admodũ infeſtus fuit:illi nihilo ſecius,quãuis feſſi,ſuũ iter ſine vlla cõfuſione tenuerũt:quippe cõmeatus à vicinis oppidis & caſtellis partim metu,partim Triultij opera,abundè ſuppeditabatur: qui cũ expeditis equitib.in hoc p̃currens,homines nũc minis,nũc ſua,q̃ apud omnes Inſubres erat magna, ſed apud Guelfos maxima autoritate & gratia,valde permouebat.Sed nec ſociorũ copiæ,poſtridie quã diſceſſerãt Galli,è ſuis caſtris ,p̃deuntes,ita erant animatæ , p̃ſertim Veneti legati , vt ſeſe fortunæ arbitrio iterũ vellẽt cõmittere: nec Gallis tantũ appropinquarũt, vt vel minimũ eis negociũ facerẽt: quin ſecũdis caſtris,ad Trebiã nõ ,p̃cul ab vrbe Placẽtia caſtrametati:atq; vt cõmodi⁹ haberẽt, cũ ducẽti cataphracti,itẽq; Heluetiorũ cohortes,& omnia ferè tormẽta inter flumẽ & Placẽtiã cõſtitiſſent,ſic ea nocte fluui⁹ imbrib.intumuit,vt vel extrema adhibita diligẽtia nec pedes,nec eques , niſi poſt multas diei horas:ac ne tũ q̃dẽ citra magnã,etſi minui cœpiſſet,difficultatẽ,flumẽ ſuperare potuerint,tamẽ nec ab hoſtili exercitu lõgè diſſito,nec ab Calatino,q̃ ne mot⁹ aliq̃s ibi fieret,metuens,Placẽtiã erat ingreſſus,quicq̃ infeſtũ ſenſere : cuius metus nequaq̃ ſine cauſa fuit : nã creditũ eſt,ſi Carolus Triultij cõſiliũ ſecut⁹,vexilla explicaſſet , Franciſciq; Ioãnis Galeacij paruuli filij nomẽ iuſſiſſet inclamare , facilè in Inſubria facta mutatio aliqua fuiſſet: adeò eius,quẽ vt verũ dominũ agnoſcebãt,nomẽ apud omnes erat gratioſum : tyrãni verò odioſum atq; inuiſum:tãtiq; Triultij autoritas & gratia momẽti: verũ cũ rex in id modò intent⁹ eſſet,vt vltra progrederetur,aurib.ab huiuſcemodi cõſilijs auerſis , quanta maxima potuit celeritate iter ſuũ,cũ non parua cõmeatus primis diebus exceptis,inopia, eſt perſecutus:quo enim magis procedebat,eo meliorib.præſidijs oppida cuſtodita reperiebat: q̃ Ludouicus Sfortia Derthonã Gaſpare Sanſeuerino cognomẽto Fracaſſa, duce , nec nõ Alexãdriã nõ paucis eq̃tib. peditibusq̃,ex Nouariæ caſtris eductis,munierat:cũq; Galli,Trebia ſup̃ata,Calatinũ qui ad ſuos leuis armaturę equites, quingẽtos Germanorũ pedites è Placẽtino præſidio eductos , ſemper à tergo infeſtũ habuiſſent, (neq; enim vt è caſtris ſibi reliqui equites expediti,atq; vnà quadringẽti cataphracti mitterentur,obtinere potuerat,quòd Venetorũ legati, periculi in quo ad Tarrũ verſati erant,memores,ei rei aſſentiri noluerunt)tamen vbi prope Alexandriã acceſſiſſent, itinere montes verſus, qua Tanarus minore alueo decurrit,capto, nulla neq; militis,neq; alterius rei iactura facta, octauis caſtris Aſtam incolumes peruenerunt: quam in vrbem rex ingreſſus, exercitum foris metari caſtra iuſſit , eo conſilio,vt auctis copijs tandiu in Italia conſiſteret , donec Nouariam obſidione liberaſſet: ſociorum verò exercitus,qui regem Derthonam vſq; ſecutus erat, cũ videret ſe ei nocere non poſſe,cum Sfortianis copijs ſeſe ad Nouariam adgregauit:quæ quidem vrbs fame iam incipiebat laborare,propterea quòd ne ab Aureliano duce,nec à ſuis commeatus,qua parfuerat,diligentia , in eam introductus erat: quod quidẽ facere,in magna regionis vbertate,facillimè potuiſſent: quin,periculi magnitudinem , niſi remedij facultate amiſſa, minimè expendentes , quæ in vrbe erant,

ad victum

ad victum opportuna,nullius rei habita ratione, omnia cõsumpserant.Per eosdem ferè dies,ad Carolum cardinales,& militũ præfecti,rebus Genuensibus infeliciter tentatis, redierunt: quoniã regia classis Spedia primo appulsu capta,Rappallum cõtendit:quem locum etiam citra negocium occupauit: verùm è Genuæ portu octo longarum nauium, vnius onerariæ, cum duabus Cantabricis nauibus classis profecta,noctu pedites sexcentos exposuit: qui nullo negocio suburbium Rappalli, cum Gallico præsidio cęperunt: moxq; Gallicam classem accedentes,eam post longam pugnam cum præfecto captam incenderunt, qua victoria ea loca clariora facta sunt,in quibus superiore anno victi Aragonij fuerãt. Nec fuit hæc iactura ab ijs qui terrestri itinere venerant sarta:nam per litus orientis in Bisannicam vallem,atq; ad Genuæ suburbia progressi,spe sua quam de tumultu Genuensi cõceperant,frustrati,nuncioq; de amissa classe accepto, iter mõtanum asperum sanè ac difficile fugientibus similes tenuerũt, atq; in Potiferam vallem sese,quæ in aduersa vrbis est parte,demiserunt:vnde,quanquam & agresti manu,& militibus ab Sabaudiæ duce subsidio missis aucti, eadem celeritate in Taurinos contenderunt:nec dubium est, quin nisi qui in vrbe erant Fregosiorum factionem veriti,se intra mœnia cõtinuissent, eos prorsus fudissent fugassentq;.His rebus cognitis,Vitellij qui Clauorũ venerant,tumultuosius, nec sine periculo Seresanam redierunt:sic omnia litorea oppida ab exulibus capta, præter Spediam,ad Genuensium fidem redierunt: quod etiam in occidentis litore Albintimilium ciuitas, ijsdem diebus à Paulo baptista Fregosio,atq; à quibusdam alijs exulibus capta fuerat,fecit.Bellum hoc eodem tempore, sed maiore fortunæ ludibrio, haud minus in regno Neapolitano,quàm in Longobardia,gerebatur: Ferdinãdus enim Rhegyo capto,vicinorum locorum recuperationẽ moliebatur: habebat secum militum circiter sex millia, qui tum ex ipso regno,tum è Sicilia illum sponte sequebantur, equitesq; & pedites Hispanos, quos Hernandus Consaluus, ex familia Aghilara, patria Cordubensis,ducebat,vir impiger, & Beticis bellis multum exercitatus: qui cum primùm in Italiam venit,Hispanica iactantia,Magnus,ad supremã in ipsius potestatẽ innuendã, est appellatus:pòst,ob pręclaras victorias,omniũ ferè consensu ea appellatio ad insignem eius virtutem, atq; in re militari scientiam singularem declarandam,perpetua mansit. Huic exercitui,à quo non exigua eius regionis pars ad res nouas excitata fuerat,obuiam iuit ad Semenariam,propinquum mari oppidum,Obigninus cum ijs Gallorum copijs quę in Calabria præsidij causa relictæ fuerãt, cumq; equis & peditibus,quos regni Neapolitani reguli, Gallica arma secuti,suppeditauerant: quibus in certamen adductis, quantũ miles veteranus & exercitatus,à tyrone atq; imperito distet,apparuit: quippe nõ modò Itali Siculiq; sine delectu à Ferdinando Aragonio collecti, verùm etiam Hispani tyrones erant,belliq; satis expertes:tamen ferociter aliquandiu pugnatum est: quoniam virtus atq; autoritas ducum,qui suo muneri nulla in parte deerant, eos qui alioqui inferiores erant sustentabat: ac præter cęteros Ferdinandus ita rem gerebat, vt eius persona uirtuteq; erat dignum:cumque eius esset equus interfectus,ibi occisus proculdubiò, aut captus fuisset, nisi Ioannes Capuanus, Termini ducis frater, qui à puero ipsi ministrauerat, atque ab eo in ipso ætatis flore vehementer amatus, è suo equo exiliens, in eum regem insilire fecisset: memorabiliq; eximiæ fidei atque amoris exemplo vitam suam, vt domini vitam conseruaret sui, impendit: nam illicò fuit interfectus. Consaluus per montium tramites fugiens, Rhegyum, Ferdinandus Palmam, quæ ad mare prope Semenariam sita est, euasit: vbi in classem receptus, Messanam nauigauit: hac belli offensione animo ac desiderio fortunam iterum tentandi, aucto: quod non modò intelligeret magno sui desiderio Neapolitanos teneri, verùm etiam à compluribus primæ nobilitatis viris, & bona populi parte occultè vocari: idcirco veritus ne mora, suiq; in Calabria exercitus profligati fama, hunc suorum ardorem fortè restingueret,collectis,præter eas triremes, quas ab Ischia duxerat, easque quatuor,quibus pater ipsius Alfonsus Neapoli soluerat, nauibus Hispaniæ classis, ac quanto maximo potuit numero, è Siciliæ ciuitatibus & regulis, è Messanæ portu, nihil quod viris quibus eas instrueret destitueretur,moratus, vtpote qui viribus ad rem tantam destitutus,haud minus specie atq; rerum ostentatione, quàm rebus ipsis vti cogeretur,soluit. E` Sicilia igitur cum se-

xagenis maioribus,& vicenis minoribus nauibus,cumq; Ricaiensio Catelano Hispanicæ classis præfecto,viro magnæ in rebus maritimis virtutis, & peritiæ,verùm tam paucis ad pugnandum viris, vt in maiore nauium parte nulli essent,præter eos qui naualib. munijs obeundis erant destinati. In hunc igitur modum paruæ eius erãt vires,sed fauor erga eum studiaq; populorum pugna:idcirco vbi ad Salernitanũ litus naues appulissẽt, illicò Salernitani,Melfiani,& ipsa Caua ciuitas Aragonia signa extulerũt:biduũ deinde classem præter Neapolim circunduxit, expectans sed frustra,vt in vrbe aliquis motus à suis excitaretur : nam Galli sumptis extemplò armis, præsidijs firmioribus in locis opportunis dispositis, tumultum qui iam efferuescebat,represserunt:quinetiam omnibus suis periculis occurrissent, si eorum consilium audacter essent secuti, qui Aragoniorum naues militibus malè instructas conijcientes, Mompeserio,vt milite Gallica classe quæ in portu stabat,repleta, in hostem incurreret,suadebant. Ferdinandus igitur tertia die spe sua frustratus, in altum quo se in Ischiam reciperet,egit naues,quod Aragoniæ factionis homines conspicati,ratiq; coniuratione penè detecta,Ferdinandi causam iam propriam ipsorum factam,simul coeuntes,necessitatẽq; in virtutem conuertere statuentes, clàm ad eum reuocandum schapham submiserunt,oraruntq;,quo negociũ facilius procederet,animosq; ijs qui eius causa vellent,adderet, in continentẽ aut omnes suas copias, aut partẽ exponeret: quãobrẽ denuò Neapolim postridie eius diei quo ad Tarrũ pugna cõmissa est reuersus, classem ad litus appulit,vt ad diuæ Magdalenæ fanũ, quod mille ab vrbe passus abest, qua paruus riuus potius quàm fluuius Sebetus appellatus omnibus ignotus, nisi Neapolitanorum poetarũ carminibus fuisset celebratus,in mare ingreditur,militẽ exponeret:qua re conspecta Mompenserius,haud minus ad audendum quum erat timendũ, quàm ad timendũ vbi pridie erat audendũ,promptus,ex vrbe cum omnib.ferè suis copijs,vt eius in terrã descensum prohiberet,sese effudit:quę quidem res tantã occasionem opportunitatemq; Neapolitanis rei perficiendæ præbuit, quantam vix optare potuissent:quapropter malleo æneis machinis,quæ nostro more in turribus tẽplorum suspensæ sunt, percussis,populus ad arma concitatus,à Carmelitana æde vrbis mœnibus vicina,initio facto,quam & reliquæ tota vrbe sunt secutæ , moxq; portis occupatis, palàm Ferdinandi nomen conclamarunt. Gallos hic repentinus tumultus sic perterrefecit,vt inter vrbem iam rebellantẽ,& inimicũ exercitum esse, parũ tutum rati,neque eadem qua exierant via se posse reuerti sperantes, circa vrbis muros via sanè longa,montosa, valdeq; difficili circunductis copijs,in vrbem redire per proximam arci nouæ portam decreuerunt. At Ferdinandus Neapolim interea ingressus, equoq; cum è suis aliquot, à Neapolitanis impositus, totam vrbẽ incredibili omnium lætitia & plausu inequitauit:faustis acclamationib. tota vrbs personabat:nec satiari poterant mulieres florum aquarumque odoriferarum nimbis regem conspergere:quin è nobilioribus complures in viam accurrentes, eum complexæ ab eius fronte sudorem abstergebant: neque segnius tamen quæ ad defensionem erant opportuna, comparabantur:nam Piscariæ Marchio cum eis copijs, quæ cum Ferdinando ingressæ fuerant, necnon cum Neapolitana iuuentute,intercludere ac munire omnes viarum aditus,vnde ab noua arce Galli urbem possent inuadere,nõ intermittebat: Galli vbi in arcis areã conuenerũt,omni vi adhibita, in vrbis vicos perrumpere tentarunt:verùm balistis atq; igniuomis tormentis minoribus verberati, omnia verò viarum capita, idoneis præsidijs firmata nacti, nocte superueniente, equorum partim vtilium,partim inutilium ad duo millia in ipsa arca, quod in arce neque locus, neque pabulum ad eos alendos esset, relictis, miles, cum Mompenserio, Iuo Alegria non paruæ existimationis duce,Antonello Salerni principe, alijsq; nõ paucis tũ Gallis tum Italis insignibus viris,in arcẽ sese incluserũt:& quãquã per dies aliquot crebris & in arcis area,& circa portũ eruptionib. infesti essent, edificiaq; vrbis tormentis verberarent, nihilominus ab hoste semper repulsi,omni spe vrbis per se recuperandæ ceciderunt.Neapolitanæ vrbis exemplum Capua,Auersa,Mondraconis arx,aliaque circumiecta oppida secuta sunt,maioreq; regni pars nouis rebus studere cœpit : inter quas Caietana ciuitas, maiore animo quàm viribus sumptis armis , quòd triremes aliquot Ferdinandi ante portum comparuissent, fuit à Gallis qui in præsidio erant,magna cum strage superata,atq; eadem victoriæ insolentia,

lentia, direpta. Eodem tempore Veneta classis, Monopolim Apuliæ vrbem, expositis Græcorum equitum alis, & non paucis peditum cohortibus, terra mariq; cœpit oppugnare: qua in oppugnatione Petrus Bembus Trierarchus, tormenti ex vrbe emissi ictu est interfectus: sed tandem vrbem Veneti ui expugnarunt, arce quoq; Gallo præfecto metu consternato tradente, potiti sunt: moxq; Pulygnanum pactionẽ obtinuerunt: sed Ferdinandus vt noua, atq; Oui arcibus potiretur, erat intẽtus. Sperabat enim breui deditionem facturas, quòd ad tantam quæ ibi erat, hominum multitudiuem alendam perexiguus esset commeatus: cumq; in id continenter incũberet, vt proxima circa arcem loca occuparet, eos in maiores subinde angustias redigere conabatur: nam Galli, cum eorum classis, in qua quinq; erant onerariæ naues, triremes quatuor, biremis vna, & vna magna nauis, in portu tuta esse nequiret, eam inter Vicentinã turrim, Oui, & Picifalconis arces, quæ ab ipsis Gallis tenebantur, reduxerant: cumq; ea loca tenerent, quæ à tergo arcis nouæ sunt, vbi regum erant horti, ad Capellam vsq; extendebantur: ac fano crucis munito, vsq; ad Pedegrottam (quam Pedẽ cryptæ licet appellare) diuumq; Martinum excurrebant: aduersus quos Ferdinandus capto & munito hippodromo, quem locum Canalleriam vocant, perq; Incoronatam ductis vijs, sancti Hereni montem post etiam Picifalconis tumulum, castellum in summo positum obtinentibus Gallis, occupauit: quod castellum vt auxilio priuarent, quoniam si eo potiri possent, hostiles classes è loco eminenti infestandæ, facultatem habuissent, Ferdinandi milites crucis cędem oppugnarunt: verùm tormentorum ictibus magno cum detrimento repulsi, expugnatione desperata, proditione obtinere, quæ autori exitium attulit, tentarunt: nam cum Maurus quidam, qui intus erat, Piscario suo olim domino dolo se eum locum traditurum recepisset, atque ob id ei persuasisset, vt noctu appositis ad murum cœnobij scalis, de eiusdem noctis hora atq; intrandi modo cõstitueretur, secum ad colloquium veniret, idque fecisset, ibi telo ballista emisso, perq; guttur adacto, insigni perfidia fuit iugulatus. Nec Ferdinandi rebus prosperi prius, pòst etiam Fabritij Columnæ transitio parum commodauit: qui etsi nondum militiæ sacramento quo se regi Galliæ obstrinxerant, liberati, statim ferè Neapoli recepta, ad Ferdinandi stipendia trãsierunt, hoc prætextu, quòd stipendia ipsis non essent idoneis temporibus persoluta: quodq; Virginius Vrsinus Petilianusq; essent ab rege liberaliter accepti: suorum verò in regem meritorum, pe texigua esset habita ratio: quæ quidem causæ pleriscq; beneficiorum ab rege acceptorum magnitudine inferior essent visæ: sed fortè illud quis verius existimabit, id quo tanquam fræno retineri debuerunt, calcar potius extitisse, quo, vt secus facerent, sint impulsi? quippe, quo maiora erant præmia quæ possidebant, tanto forsitan in eis, Gallorum res iam inclinari cernentibus, ea conseruandi cupiditas potentior extitit. Arce igitur hunc in modum obsessa, mariq; Ferdinandi nauibus intercluso, indies magis cõmeatus obsessis deficiebat: solaq; ea spes eos sustentabat, quod è Gallia opem mari sibi allatum iri confiderent: nam Carolus vbi primùm Astam venit, Perone Bascho Villafrancam, quæ haud longè abest, à Nicæa misso, è portu classem quæ duo millia partim Vasconum, partim Heluetiorum, atq; vnà commeatum ferret, euocarat: cui Arbanum, virum quidem bellicosum, sed maritimis rebus parum assuetum: quæ ad insulam Porezam appulsa, classeq; circa ea loca Ferdinandi, in qua triginta erant vela, duæq; magnæ Genuensim naues conspecta, extemplò se fugæ mandauit: quam hostes ad Iluam (quæ nunc Elba dicitur) insulam vsq; persecuti sunt: vnde illa parua naui Cantabrica amissa, tanto terrore in Ligurni portum sese immisit, vt in præfecti potestate non fuerit vetare, quo minus maior militum pars in continentem descenderent: mox etiam eius imperio contempto, Pisas contenderent. Huius classis fuga, Mompenserius, alijq; qui cum eo erant, commeatus inopia coacti, de arce in qua iam obsessi tres menses fuerant, Ferdinãdo dedenda pacti sunt, ni triginta dierum spacio, subuentum esset, saluis omnibus qui in arce essent cum suis fortunis, se in Prouinciam Romanorum abiturum: atq; in eius rei fidem, obsides Iuo Alegrius, tresq; alij sunt dati. At, tam breui tempore opem nullam, nisi ab ijs ipsis qui in regno erant, expectare poterant: itaq; Persiuus è regijs præfectis vnus, cum Heluetiorum cohortibus, vnaq; Gallici equitatus parte, & cum Bisiano principe compluribus itum alijs proceribus, Neapolim versus contendit: cuius aduentu co-

gnito, Ferdinandus ei obuiam Ebulum vſq; Metalonæ comitem, cum exercitu maiorem partem tumultuariò, ex neceſſarijs & amicis collecto miſit: qui quamuis numero longè ſuperiore cum hoſtem ad Paruum Lacũ (oppidum id eſt, Ebulo vicinum) offendiſſent, eumq; propius accedere cõſpexiſſent, ſeſe in fugam dederunt: qua in fuga Venantius Iulij Varani Camerinatum reguli filius capitur: verùm Gallis eos haud longè perſequentibus, paruo accepto detrimento, ſe Nolam, mox Neapolim receperunt. Victores ſuum deferenda arcibus ope inſtitutum perſequuntur, tanto ex ea victoria hoſti iniecto metu, vt Ferdinandus de Neapoli iterum deſerenda cogitaret: verùm Neapolitanorum, qui haud minus proprio, ex defectionis memoria, metu, quàm Ferdinãdi beneuolentia commoti, hortatibus confirmatus, ad Capellam quod templi nomẽ eſt, cõſtitit: vtq; hoſtẽ ad arcẽ accedere prohiberet, ducta foſſa iam antea à ſancti Eremi monte ad arcem Oui cępta, omnes colles ad Capellam vſq;, & ſupra tormentis virisq; muniuit: adeò vt quamuis Galli qui uia Salernitana Nuceriã per Cauã & Pedegrottę montẽ ad Glareã, quã illi Ghiarã appellãt, prope Neapolim veniſſent: tamẽ quod omnia bene munita eſſent, & Ferdinandus ſe illis fortiter oſtẽderet: ipſi verò tormẽtorũ pilis, ijs præſertim quæ in Picifalconis vertice, qui arci Ouatæ imminet, & eis locis vbi olim deliciæ magnificaq; Luculli ædificia tantopere celebrata fuerunt, erant collocata, vltra procedere, & ad Capellã accedere propius nequiuerunt: cũq; ibi diutius hærere nõ poſſent, quòd natura eis locis omnib. reliquis amœnitatibus affatim ſuppeditatis, dulces ac puros latices negauit, citius quàm feciſſent, retrocedere duobus tribúſue relictis tormentis, partemq; commeatus, vt in arces immitteretur, aduecti, compulſi ſunt: ac ſic Nolam verſus abierunt: quibus vt ſe opponeret Ferdinandus, relictis qui arcem obſidere pergerent, cum ſuis copijs ſe in Palmę planicie prope Sarmum cõtinuit. At Mompenſerius ſuorũ diſceſſu omni auxilij ſpe prorſus abiecta, trecentis hominibus, qui numerus proportione tã cõmeatus inopiæ, quã defenſioni reſponderet, in noua arce relictis: idoneo quoq; in Ouata diſpoſito præſidio, noctu cũ reliquis qui erãt ad duo millia & 500, militibus nauib. ſuis conſcenſis, Salernũ nauigauit: qua re cognita, Ferdinandus grauiſſimè conqueſtus eſt: aiebat enim, minimè deditionis tẽpore pendente licuiſſe cũ arcis nouæ militib. diſcedere, ni prius vtrãq; arcẽ nouã & Ouatã tradidiſſet: quamobrẽ parũ abfuit, quin pactionis ſeueritatẽ ſecutus, hac iniuriã & Mompenſerij fraudẽ obſidiũ ſanguine, vlciſceretur: propterea q; arces non præſcripto tẽpore, ſed circiter mẽſem vnũ poſt, traditæ fuerũt. Qui in arce noua remãſerant, fame coacti, eã illa cõditione, vt obſides dimitterẽtur, tradiderunt: ijſdem quoq; ferè diebus, qui in Ouata arce erant, eadẽq; de cauſa, ſe arcẽ prima proximæ quadrageſimæ die, ni antè ſubueniretur, tradituros promiſerunt. Per eoſdẽ fermè dies Alfonſus Aragoni⁹ Meſſanæ diẽ obijt ſuũ in quo ad regiã dignitatẽ euecto, eã gloria & felicitas, qua, dũ Calabriæ dux eſſet, nomẽ eius per illuſtre apud omnes mortales extiterat, in ſummã infamiã, infelicitatẽq; fuit cõmutata. Fama eſt, eum paulo antequã è vita migraret, cũ filio ſeriò admodũ egiſſe, vt Neapolim, vbi odiũ aduerſus eũ olim conceptũ, in beneuolentiã propemodũ cõuerſum erat, reduceretur: Ferdinandũ verò, magis regnãdi cupiditate, quàm paterna pietate ductũ, argutè, nec ſine aculeo reſpondiſſe, tam diu expectaret, dum ab ſe ita regnũ eſſet conſtabilitum, vt ne iterũ ipſi eſſet fugiendũ. Vt aũt res ſuas arctiore cum Hiſpaniæ rege vinculo ſtabiliret Ferdinandus, uxorẽ impetrata à Pontifice venia, amitã ſuam Ioannam aui ſui & Ioannæ eiuſdem regis ſororis filiã, duxit. Dum varijs euentis, ſicuti oſtenſum eſt, arces Neapolitanæ obſidentur, Nouariæ quoq; dura obſidione premebatur: quòd & Mediolani dux eã validiſſimis copijs circũuallaſſet, & Veneti ſubſidiũ tanta alacritate illic habebãt, vt hominum memoria vix vlla in expeditione, ſumptibus minus peperciſſe viderẽtur: nam breui temporis ſpacio in ſociorum caſtra cõuenerunt, equitum grauis armaturæ tria millia, totidem expeditorum, Germanorum mille: peditum Italorum quinquies mille: in quo autem præcipuũ robur ſitum erat, fuerunt Germanorum peditũ, quos Lancichenechos appellant, decem millia, ferè omnes Ludouici Sfortiæ ſtipendia merentes, vt Heluetijs opponerentur, quorum nomen, ne dum aliud, peditatus Italicus ſuſtinere non poterat: vſq; adeò Italorum virtus atq; exiſtimatio ab aduẽtu Gallorum erat diminuta. Has duas Germanorum legiones fortiſſimi centuriones prefectiq; ducebant, in quibus principatum-

tum obtinebat Georgius à Petraplana,in Austria natus, qui paucis antè annis sub Maximiliano Rom. rege merens, in Belgis fanum Odennari magna cum laude regi Galliæ ademerat. Venetus senatus nõ modò diligens multis militibus ad eam obsidionem mittendis fuerat,verùm etiã quo suos milites ad fortia præclaraq; facinora magis animaret ex p̃fectura,ad imperiũ militare Mantuę Marchionẽ euexerat,vt eo honoris gradu ipsius virtutẽ in Tarrensi pugna declaratã,cõmendaret:quinetiã,grato admodũ exẽplo,laudeq; sempiterna digno, nõ solũ stipendia ijs auxit,qui fortiter egerãt,sed & cõpluriũ,qui in acie ceciderant filijs stipendia aliaq; prẽmia,filiabus verò dotem decreuit. His tantis copijs Nouaria obsessa tenebatur:quòd fœderatorum esset consilium,in hoc præcipuè Ludouici Sfortiæ nutum sequẽtium,ne certaminis fortunam cum Gallis, nisi necessitate compulsi,tentarent:verùm locis opportunis circa vrbem munitis,commeatũ importari prohiberent:sperantes,q̃ in ea parũ pro hominũ multitudine esset,eam nõ multos dies posse sustinere:nã prẽter ciues & incolas,eosq; qui ex agro illuc cõfugerãt, Aurelianus partim Gallorũ partim Heluetiorũ vltra septẽ millia delectorũ militũ,habebat.Itaq; Galeatius Sãseuerinus, Sfortiani exercitus ductor, abiecta omni vrbis ob tantũ propugnatorũ copiã oppugnandæ cogitatione, castra ad Mugnias habebat, loco in Vercellẽsi via ad cõmeatus,si q̃ Vercellis adueherẽtur, impediendos, admodũ opportuno: Mantuan⁹ verò cũ Venetis copijs, primo aduentu aliquot oppidis circa Nouariã vi captis:ac paucis dieb.pòst,Brionæ,quę quidẽ alicuius erat momẽti,arce,Camarianũ, siue Campum Marianum & Burgarum loca inter Nouariam Vercellasq; fita, munierat: ac quo facilius cõmeat⁹ intercluderet,copias circa vrbẽ cõplurib.locis disposuerat, eademq; loca diligenter cõmunierat.Rex quoq; vicissim,quo propius Nouariã esset,Asta se Taurinũ cõtulerat:& quanq̃ sæpenumero Cheriũ nobilis cuiusdã fœminę,quæ in eo erat oppido,captus amore cõmearet, belli tamẽ apparatus hac de causa minimè intermittebantur:sed qui è Gallia veniebant milites,vt quã celerrimè Alpiũ iuga superarent vrgebantur,eo cõsilio vt duo millia cataphractorũ in aciẽ producerent:nec minore studio procurabatur,vr Heluetiorũ dena millia descenderẽt,ad quos cõducendos Diuionẽsis prætor erat missus,eo cõsilio vt simulatq; appulissent,omnia conari quo Nouariæ subueniretur:sine quorũ auxilijs nihil memorabile tentare auderent:ꝓpterea quòd regnũ Galliæ equitatu hoc tẽpore potẽs, & magna tormentorũ copia, eorũq; tractãdorũ peritia instructissimũ,peditatu ꝓprio destitueret:nã armis,militaribusq; exercitationib. in nobilitate tantũ retentis,in plebe & vulgarib.hominib.longo ocio emollitis,opificibusq; & pacis quæstui deditis, antiqua illi⁹ gẽtis ferocitas defecerat:nã pleriq; regũ superiorũ varijs illius populi cõspirationib.rebellionibusq; edocti,furorẽ metuentes,eos exarmare,atq; ab exercitationibus militaribus remouere studuerant:quamobrẽ,Galli de suorum peditũ virtute diffisi,timidè se pugnæ, nisi in eorum exercitu cohortes Heluetiorum aliquot essent,cõmittebãt: ea natio omni tempore inuicta & ferox,suã annis antea circiter viginti,existimationẽ plurimũ auxerat: ꝓpterea quod à Carolo Burgũdiæ duce validissimo exercitu appetiti(hic est ille Carol⁹ qui potẽtia ac feritate, regno Galliæ cũctisq; finitimis maximo terrori fuit)eũ ter paucis mensib.acie vicerãt:vltimo verò conflictu,siue pugnans,siue fugiens (nam quo id modo acciderit,obscurum est) etiam vita priuarant. Eorũ igit̃ virtute,quodq; inter eos & Gallos nulla esset æmulatio aut cõtentio:nec ex cõmodorũ respectu,vlla,quẽadmodũ de Germanis,suspicandi causa,nullum externũ peditẽ præter Heluetiũ cõducebãt: quorũ opera cũ in omnib. grauiorib. bellis,tũ eo tempore libentius,quòd intelligerent,rẽ plenã esse periculi Nouarię tantis copijs circũsessæ,& cõtra tantã Germanorũ,qui bellica disciplina pares erãt Heluetijs, vim opitulari.Inter Taurinũ & Nouariã media est Vercellarũ vrbs,Mediolanensis olim imperij membrũ: verùm à Philippomaria vicecomite,in diuturnis,quæ cum Venetis ac Florẽtinis gessit,bellis,Amideo Sabaudiæ duci,quo ab eis desciscceret,concessa: qua in vrbe neutra pars adhuc erat ingressa:quòd paruuli ducis mater, quæ filij quoq; tutelam gerebat, quamuis animo in Gallos penitùs propensa, suum tamen studium donec rex firmiores copias haberet,occultabat,atq; interea Mediolanensiũ duci grata verba dabat, speque eundem fouebat:verùm vbi rex copijs auctus,se Taurinum,eiusdem ducis vrbem,trãstulit,annuit,vt Vercellis eius milites acciperẽtur.Itaq; ex loci opportunitate

in ſpem venerat maiorem,Nouariæ , vbi omnia ſubſidia auxiliaq; conueniſſent,afferri opem poſſe : quamobrem & ipſi fœderati iam non mediocriter ſuſpenſi, hæſitare incipiebant : idcirco Ludouicus Sfortia vnà cum Beatrice coniuge ſua, quæ ei non minus in rebus grauioribus, quàm in iucundioribus comes aſſidua eſſe ſolebat,vt maturitate maiore, quo'nam pacto in his difficultatibus agendum foret,cõſtitueret,in caſtra venit: in cuius conſpectũ, atq; vt fama fuit, eiuſdem potiſſimùm conſilio,poſt multas diſputationes ab vniuerſis ducibus ac præfectis decretum fuit,vt ad ſecuritatem omnium maiorem,Venetorum copiæ cum Sfortianis in omnibus circa Nouariam locis ad obſidionẽ opportunis,idoneis præſidijs relictis,ad Mugnias coniungerentur:vt Burgaro præſidiũ educeretur:quod cum Vercellis tria diſtet miliaria,ſi fortè Galli validis copijs oppugnatum venirent,aut cum ignominia deſerendum,aut contrà quam decretum eſſet,cum vniuerſis copijs defendendum:vt Cameriani à Mugnianis caſtris paſſuum tria millia poſiti,præſidium augeretur: vtq; aggere & foſſa,itemq; tormentorum magno numero caſtris munitis ac ſeptis,alia ex occaſione atq; ex hoſtiũ progreſſib. deliberanda relinquerẽtur:eo tamen nequaquam prętermiſſo,vt totus ager Nouarienſis vaſtaretur,omnesq; arbores ad vſq; Nouariæ mœnia, deijcerentur: vt & homini & prædatorij equi,quorũ in vrbe ingens erat numerus, eo damno atq; incommodo afficerentur. His rebus hunc in modum conſtitutis,totoq; exercitu circumquaq; perluſtrato,redijt Mediolanum Ludouicus,quo facilius res neceſſarias, compararet:quoq; etiam autoritate armisq; ſacratis, humanis viribus fauorem conciliarent, Veneti cum Ludouico à Pontifice impetrarunt, vt is Fecialem vnum ex ijs qui clauam argenteam præferunt, ad Carolum mitteret,qui ei præciperet, intra decimum diem ipſe cum eis copijs quas ſecum haberet,Italia diſcederet: aliud item breue temporis ſpacium præſtituit,quo ſuos omnes è Neapolitano regno deduceret, alioqui, pœnis illis quas Eccleſia minari ſolet, propoſitis,ſeſe Romam coram ipſo ſiſteret : quo remedio Pontifices olim veteres vſi ſunt:nam,vt legitur,haud alijs armis Adrianus eius nominis primus,Deſiderium Lõgobardorum regẽ, qui cum ingentibus copijs Romam turbatum ibat, vt Interamna (hanc nunc appellant Terni)quò iam proceſſerat Papiam , quam Ticinum quoq; nominant,rediret, coegit: verùm ea veneratione ac maieſtate, quæ ex vitæ ſanctimonia Pontificum, in hominum pectoribus gliſcebat, extincta, difficile erat ex moribus & exemplis vſq; adeò contrarijs,eoſdem effectus ſperare : itaq; eius irridens mandatum,reſpondit:ſe Neapoli redeuntem , quo ei pedes reuerenter oſcularetur,Romam veniſſe:ſed Pontificem ibi expectare noluiſſe:ſe mirari,eum nunc tantopere, vt Romam veniat,vrgere:verùm tamen,vt ei pareat,in id incumbere , vt ſibi viã quæ Romam ducit, aperiret:rogare,ne fruſtra hoc incommodi ſuſciperet, ſe expectare in vrbe ne grauaretur. Per eos dies Carolus Taurini cum Florẽtinorũ legatis nouas pactiones, ijſdem qui & aliâs aduerſati fuerant,valde repugnantibus fecit: quibus contradicendi maiorem occaſionem dedit,quòd alijs Piſanorum montanis caſtellis , quæ in Caroli reditu amiſerant receptis, atq; ad Pontem ſaccum poſitis caſtris,eoq; pacta militum ſalute potiti,omnes tamen Vaſcones ferè,qui cum Piſanis erant cõtra fidem datam,exeuntes,trucidarant:atq; in mortuos multa crudeliter fecerant : quod etſi contra præfectorum Florentinæ ciuitatis voluntatem acciderat,à quibus aliquot ægrè fuerunt conſeruati,ſed militum quorundam opera,qui antea Gallorum captiui, acerbiſſimè fuerant accepti, tamen in regis aula hoc factum ab aduerſarijs in eam partem accipiebatur, vt perſpicuum eſſet animi in Gallicum nomen infenſiſſimi argumentum:difficiliorem compoſitionem,quæ tamen deniq; perfecta eſt, reddidit, omnibus alijs rebus antepoſita,non promiſſorum quidem, & iuriſiurandi,ſolenniter præſtiti,memoria, ſed præſens pecuniarum egeſtas,& regni Neapolitani tuendi neceſſitas.In hanc igitur ſententiam conuentum eſt,vt citra vllam dilationem Florentinis omnes arces,omnia oppida, quæ in Caroli eſſent poteſtate,reſtituerentur:Florentini intra biennium Genuenſibus , ſiquidem illi in regis fidem & poteſtatem venirent, Petraſanctam Sereſanamq; , ſi ita regi videretur , traderent:ea tamen lege,vt & ipſi ab rege idoneam compenſationem acciperent: vt Florentinorum legati illicò aureorum numũm triginta millia ex pactione Florentiæ facta , repræſentarent : ipſi viciſſim ab rege Gemmas pignori acciperent , vt ſi qua fortè occaſione ſuprà dicta Florentinorum

loca

loca nõ reſtituerẽtur,ipſi pecuniã ſuã poſſent recipere:vt facta locorũ reſtitutione, Florentini aureorũ numũm ſeptuaginta millia regi mutuo dare tenerentur: quos ipſis reſtituere quatuor regni Galliæ ſupremi Quæſtores (hos illi Generales Franciæ appellant) repromitterent: hanc ſummã regis nomine regijs præfectis in regno Neapolitano tunc agẽtibus, atq; inter cęteros,portionẽ vnam Columnijs ducibus,ſi modò cũ Ferdinando non conueniſſent:qua de re,etſi de Proſperi tranſitione aliqua extarent indicia,rex nõdum certò cognouerat,numerarent:vt Florentini,ſiquidẽ in Hetruria omnia pacata haberent,Neapolim ad Gallicũ exercitum ſubſidio,cataphractos ducentos quinquaginta mitterent:quod ſi in Hetruria bellum aliud nullum præterq; Montis Politiani cauſa haberent, tunc Vitelliorum copias, quæ in agro Piſano agebant,in regnum Neapolitanũ vſq; illis ijſdem equitibus comitarentur: verùm id niſi per totum ab eo quo profecti eſſent tempore Octobrem facere cogerentur: vt Piſanis omnia delecta ad eum diem cõmiſſa,remitterentur:vt certus modus in reſtitutione bonorum quæ ablata fuerant,conſtitueretur:vt quod ad artes & opificia attinet,Piſanis ad ea exercẽda,aliqua facultas honeſta concederetur: vt in omniũ horum fidem,ſex obſides è præcipuis Florentinorũ ciuibus, quos rex nominaret, regi traderentur:qui certũ temporis ſpacium in regis aula manerent. His hunc in modum tranſactis,Gemmisq; acceptis,& triginta millib.qui extemplò ad Heluetios cõducendos miſſi fuerunt,perſolutis:literæ & regis mãdata ad arciũ præfectos,vt eas ſine vlla tergiuerſatione illicò Florentinis traderent,confectæ fuerũt.At Nouariæ indies duriora omnia ac difficiliora fiebant:tametſi militũ virtus magna eſſet,& maxima ex rebellionis memoria,Nouarienſiũ in defendẽdo pertinacia: nã cõmeatus vſq; eo iam erant diminuti, vt cibarijs neceſſarijs deſtituerentur:& quãuis Aurelianus,poſtquã ſe arctius obſeſſum ſenſit, inutiles atq; imbelles ex vrbe dimiſiſſet,id tamẽ haud tantum erat,vt fame reliqui omnino leuarentur: quin & ex Gallis & Heluetijs minus ad hæc incõmoda patiẽda aptis,cõplures iã morbis tentari incipiebant: quãobrẽ & ipſe Aurelianꝰ quartana febri vehemẽter afflictꝰ,crebris nũcijs & literis Carolo inſtabat,opẽ laborantibus ferre ne vltra differret:qui quòd nondũ ea ſupplemẽta militũ haberet,quib.tutò rẽ poſſet gerere,tanta celeritate vti nõ poterat, quæ tã vrgẽti neceſſitati ſatis faceret.Sæpe tamẽ cõmeatũ noctu in vrbẽ validis equitũ peditũq; pręſidijs inferre tentarũt Galli:verùm ſemper ab hoſtib.deprehenſi retrocedere,interdũq; cũ nõ exiguo eorũ,qui cibaria cõuehebant,detrimento,ſunt cõpulſi:vtq; obſeſſis vias omnes cõmeatus habendi intercluderet,Mantuanus,Sodaliũ Franciſcinorũ ædẽ Nouariæ muris propinquã inuaſit:qua capta,ei ducẽtos cataphractos, & Germanorũ peditũ tria millia impoſuit:quo facto cum exercitus multis laborib. leuabantur,q; via ad cõmeatus ipſorum cõuehendos tuta reddebatur:tum verò via portæ quæ ad montẽ Blandranã vergit,quæ in vrbẽ faciliorẽ aditũ præbebat,claudebatur: Vallũ quoq; à Gallis ad caput ſuburbani vici,qui à diui Nazarij fano appellatur,cõſtructũ,pulſis inde Gallis, ſequẽti die occupauit: vbi Petilianꝰ comes à Venetis cũ Gubernatoris honore conductus,ſcloperi glande circa ilia ſauciatus,haud lõgè à mortis periculo abfuit.His hoſtiũ ſucceſſib.Aurelianus, ſe alia ſuburbana loca quæ cũ ſe in vrbẽ receperat munienda curauerat,poſſe tueri deſperans,ſequenti nocte iuſſit incendi:ſuoſq; omnes ad vrbẽ modò tuendã,ac propugnãdam reuocauit:atq;in extrema fame ſubſidij aduentãtis ſpe,ſeſe ſuſtẽtabat: nã Heluetijs paulatim appellentib.Gallorũ exercitus Sceſia omne traiecto,ad primũ extra Vercellas lapidẽ exierat: Burgaroq; pręſidio firmato, reliquas Heluetiorũ cohortes p̃ſtolabatur, eo cõſilio,vt quũ primũ illi ad exercitũ veniſſent, Nouariæ opẽ ferrè conarẽtur:quę res ſecũ nõ paucas difficultates trahebat:quippe Italorũ copię loco ſe natura & arte mũito cõtinebãt:iteroq; quo Vercellis Nouariã itur,aquis redũdabat:&,quod difficultatẽ augebat camporum,foſſis valde latis & profundis frequẽs & impeditũ:adhæc Burgarũ inter, quod à Gallis tenebatur, atq; Italorũ caſtra,Camarianũ ab Italis munitum,erat,quibus impedimentis fiebat,vt nec in rege,nec in alijs magna rei conficiendæ alacritas eluceret:& tamẽ ſi omnes Heluetiorũ copiæ,ſimul citius affuiſſent,Galli Martis fortunã tentaſſent: cuius euẽtus anceps vtriq; parti erat omnino futurus:cognito igitur vtrinq; periculo, nunq; inter regẽ & Sfortiã deerãt clandeſtina p̃ internuncios de pace colloquia: tametſi perexigua ſpe, tum q; neuter alteri fideret,tum quòd vterq;,quo ſuam exiſtima-

tionem tueretur,compositionis desiderium dissimularet:verùm casus aliam ad tantę rei confectionem viam aperuit:nam cum per eosdem dies Monferatensis regina(Marchesiam,vt alibi diximus, vocant) è viuis excessisset: agereturq; de paruuli filij ab ea relicti tutore,& Saluciarum Marchio, Constantinusq; demortuæ frater,ex antiqua regũ Macedoniæ, quam multis antè annis Maumetes Otomannus occupauerat, stirpe ortus,ad id munus aspirarent, rex eius principatus quietis cupidus, vt de ordinum consensu res componeretur,Argentonum Casalcuasium delegauit:quò cum etiam ad suum de eiusdem principis fœminæ morte dolorem declarandum Mantuanus aulæ suæ magistrum misisset,inter eos, vt fit,incidit sermo de pace,& quæ quantaq; bona ex ea ad vtramque partem essent peruentura:qui sermo eò processit,vt Argentonus quo sibi ipse satisfaceret, ea de re ad Venetos legatos,eis quæ ad Tarrum cum ipsis agi erant cœpta repetitis, literas daret:qui quidẽ aurẽ præbentes,req; cum Ludouici Sfortiæ præfectis cõmunicata,tandem effectum est, vt omni consensu ad regem,qui tum Vercellis erat,mitterent petitum,vt aliquos è suis delegaret, qui cum cõmodo in loco, possent agere,qui ab eis quoq; delegarentur:cui petitioni annuente rege, postridie inter Burgarum & Camarianum conuenerunt Venetorũ nomine Mantuanus & Bernardus Contarenus,Græcorum equitum legatus:ducis verò Mediolanensis nomine,Franciscus Bernardinus, Vicecomes:ab rege verò, cardinalis Maclouiensis,Aurẽgiusq; princeps,qui recens cum è Gallia venisset, regis mandato totius exercitus præcipuam procurationem susceperat:cum his quoq; erant Giensis,Pienes, & Argentonus:qui cum sæpius conueniissent, & ipsorum nonnulli diuersis diebus ad alterius castra vltrò citroq; commeassent negotij controuersiæ ad Nouariæ restitutionem reuocabantur : etenim rex, in restitutione quidem se facilem prębens,in restitutionis autem modo,vt quàm minima suę existimationis iactura fieret,laborans, instabat vt regis Romanorum nomine, ad quem Mediolanensis imperij iura directò spectarent,Nouaria cupiam è Germanis prętectis qui tum in castris erant, depositi iure traderetur:contra verò socij,vt libera relinqueretur,vrgebant:cumq; hæc controuersia aliæq; emergentes tam repentè componi nequirent, velut qui Nouariæ obsessi tenebantur, ad tantam necessitatẽ redacti,vt partim fame, partim ex ea morbis enatis,iam ad duo millia eorũ,qui cũ Aureliano erãt,interijssent,opus habuissent induciæ in dies 8.factæ:Aureliano & Salutio Vercellas cum paruo comitatu irẽt,permissum:sed ea lege, vt nisi pax fieret,cum eodẽ comitatu Nouariam redirent:& quoniam per ea loca quæ hostes tenerent eis erat iter faciendum, id tutò se facturum non dubitarent, Mantuanus in quandam turrim Burgaro haud procul sitam,quam Foisseus tenebat, se custodiendum tradidit:nec qui Nouariæ erant milites Aurelianum abire permisissent, nisi ipse fidem eis dedisset,se intra treis, ad summum sex dies,aut rediturum,aut eos ipsius opera,exeundi facultatem habituros:in cuius rei fidem Giensis, qui Nouariã, vt Aurelianum deduceret, venerat, nepotem obsidem reliquit:nam,non modò cibi quibus homines vesci consuerunt,absumpti erant,verùm etiam immundi & fœdi,à quibus homines in tanta cibariorum egestate nequaquam abstinuerant. Verùm vbi Aurelianus ad regem peruenit, induciæ in paucos dies prolatæ,ea conditione sunt, vt præsidio Nouaria educto, vrbs in populi potestate relinqueretur: isq; iuraret se eam neutri parti, nisi de communi consensu traditurum:in arce triginta milites remanerent, quibus in diem victus ab Italorum castris suppeditaretur. Ita Nouaria omnes præsidiarij milites,ab Mantuano, & Sanseuerinate Galeacio in locum tutum deducti,exiuerũt: verùm ita fame debilitati,& consumpti, vt eorum non pauci vix Vercellas appulsi,interierint: reliqui ad illud bellum prorsus inutiles remanserint.Iisdem verò diebus Diuionensis prætor cum reliquis Heluetiorum phalangis in castra venit : qui etsi decem tantum millia postulasset, tamen ad auri Gallici famam, quin integri ferè pagi oppidaque cõcurrerent,prohibere nequiuit,ita vt vicenum millium numerum explerent:è quibus dena millia sese cum exercitu prope Vercellas coniunxerunt: reliqui, quòd parum tutum videretur,tantas eius gentis copias simul in eodem exercitu coniungi, duodecim ab castris miliaribus constitere: horum aduentus si dies aliquot antè fuisset, facilè compositionis consilia interrupisset: quippe in regio exercitu, præter hos, erant Gallicæ gentis peditum octo millia : Heluetiorum duo ex ijs qui Neapoli remanserant:& mille octingento-

octingentorum grauis armaturæ equitum turmæ: sed cum tanti in negocio progressus essent facti, iamq; Nouaria relicta, etsi Aurelianus contrà totis viribus niteretur, atque in eius sententiam complures alij concurrerent, non sunt tamen intermissa colloquia: idcirco quibus id negocij commissum erat, quotidie in Italorum erant castris, vt cum Ludouico Sfortia, qui nuper, quò tanti momenti rem ipsemet, quanquam semper coram sociorum legatis ageret, redierat: ac deniq; regij legati, ad regem redierunt, atq; illa, in quibus inter eos poterat conuenire, retulerunt. Vt inter regem Galliæ & Mediolani ducem pax perpetua atq; amicitia esset: nec tamen ob id dux cęteris suis fœderibus quicquam derogaret: vt rex assentiretur, à populo Nouariẽsi duci Mediolani Nouaria, à præsidiarijs militibus arx restitueretur: Spedia atq; alia loca ab vtraq; parte occupata, redderentur: Regi licitum esset Genuæ, quæ eum supremum dominũ agnosceret, quot quotipsi visum esset, naues armare: omnibusq; eius ciuitatis cõmodis vti quacũq; in re, eo excepto, ne quid in eius reip. hostiũ fauorẽ: atq; vt in huius regi fidẽ, Genuenses certos obsides regi traderent: dux Mediolani naues ad Rapallum amissas, itẽq; naues longas duodecim Genuæ retentas, ei restituendas curaret: in p̃sentia verò binas Genuẽses naues onerarias, quas Caraccas vocãt, magnas, suis sumptib. armaret: eas cũ quatuor alijs, vt suis opẽ ferrent, in regnũ Neapolitanũ rex mittere cogitabat: vt anno insequenti ei tres eiusdem modi dare teneretur: terrestribus copijs quas rex eôdem mitteret, iter expeditum, modò ne plures simul per eius terras iter facerent, quàm ducenti cataphracti, præberet: quòd si rex ipse ad eam expeditionem rediret, dux eum cum certo numero militũ cõmitaretur: Venetis intra duos menses in hanc pacẽ venire liceret: quod si facerent, suâ è Neapolitano regno classem deducerent: nec Ferdinando vllã opẽ ferre fas esset: quod si non seruarent, & regi in eos arma mouere videretur, tũ dux Mediolani ei auxilio esse teneretur: ad quẽ quicquid ex Venetorũ imperio caperetur, pertineret. Dux per totum sequentem Maium ducatorum quinquaginta millia Aureliano propter impensas Nouariæ factas, repræsentaret: de summa verò quam regi in Italiam descendenti commodarat, ducatorũ octuaginta millia detraheret, eiq; remitteret: reliqua summa duci, sed laxiore tẽpore, redderetur: Triultio remitteretur exilij pœna, eiq; bona sua restituerentur: Bastardus Borbonius in Tarensi prælio, & Miolansius ad Rapallũ capti, reliquiq; captiui omnes, redderẽtur: Fracassam quem paulo antè miserat, omnesq; suos, ac Genuensiũ homines dux Pisis euocaret: nec Florẽtinos vllo modo quo minus sua recuperarẽt, impediret: arcẽ Genuensem, quã Castelletũ vocant, in ducis Ferrariæ manum, qui ab vtraq; parte ad hoc accitus in Italorũ venerat castra, intra mensis spaciũ, deponeret: qui eã bienniũ cõmunib. partiũ impensis custodiret: ac sacramẽto sese obstringeret, eam vel dicto tẽporis spacio, siquidẽ Ludouicus promissa nõ seruaret, regi Gallię traditurũ: Ludouicus, se dicto tẽpore Castelletũ depositurũ statim pace cõfecta promitteret, atq; in eam rem regi obsides daret. Has conditiones ab ijs qui eas tractauerant, sibi expositas, rex ad suum consilium retulit: in quo fluctantibus multorum animis, in hanc sententiam Tremollia locutus est: Si in hac deliberatione, Magnanime rex, ageretur aliud nihil, quàm fortibus factis nouam gloriam regno Francorum comparare, remissius fortassis, quo temetipsum nouis periculis exponeres (etiamsi tuum, rex inuicte, ipsius exemplum tibi secus suadere deberet) hortarer: neque enim vlla re alia quàm gloriæ cupiditate impulsus, aduersus totius fermè regni tui consilia & preces, te in Italiam ad regnum Neapolitanum recuperandum velle proficisci, anno superiore statuisti: vbi tanta cum fama & gloria expeditione ista tua ad felicem atque optatum exitum perducta, perspicuum est in deliberationem venire non solum, an noui honoris & gloriæ parandæ occasio sit respuenda: sed an ea quam tam grauibus impensis, totq; periculis es consecutus, contemnenda sit, & per ignauiam amittenda: honosque partus, in maximam ignominiam conuertendus? ac sis ne is tu, qui consilia, qui res tuo nutu susceptas damnes ac reprehendas? poteras enim rex poteras, sine vlla existimationis iactura tuę, in Gallia pacatus agere: nec, quod iam ab omnibus mortalib. summæ formidini atque animi infirmitati tribuitur, tunc alij rei ascribi, quàm aut negligentiæ, aut ætati suis iucunditatibus occupatæ poterat. Licuisset simulac Astam peruenisti, minore tuo dedecore in Galliam Nouarienſibus rebus, quasi ad se nihil

perti-

pertinentibus omissis redire: nunc quandoquidem cum exercitu hîc consedisti, peruulgastiq; te hîc esse, vt obsidione Nouariam liberes: eaq; de causa, è Gallia tot nobiles euocati, tantoq; auro Heluetij conducti, quis dubitet, si id minus præstiteris tuam totiusq; regni tui gloriam, in infamiam atq; ignominiam sempiternam abituram? Verùm enimuerò, sunt rationes acriores (si quis in fortium regum pectoribus, aculeus laudis & glorię cupiditate acrior esse potest) aut saltem magis necessariæ: quippe, receptus noster in Galliam hoc tempore, Nouaria concordiæ prætextu relicta & amissa, aliud est nihil, quàm totius Neapolitani regni amissio, quàm tot belli ducum fortissimorum, tot Galliæ nobilium interitus: qui cum ea spe ac fide quam tu rex eis dedisti, te supplementa ad eius regni defensionem breui transmissurum, illic remanserint, vbi te inuictissimo in limine Italiæ exercitu fultum, hostibus cessisse acceperint, de subsidio desperantes, spem omnem defensionis abijcient. Ab autoritate atq; existimatione magnam partem (quod ignorat nemo) bellorum successus pendent: quæ vbi inclinat, simul etiam inclinat militum virtus: imminuitur populorum fides: deficiunt ad bellum sustinendum impositatributa: & contrà, hostibus animus crescit: dubij alienantur: in infinitum difficultates augentur: ad hunc igitur tam infelicem nuncium pristino uigore nostris in militibus senescente, hostium verò viribus autoritateq; augescentibus, potéstne aliquis dubitare, quin breui totius regni Neapolitani rebellionem, citò nostri exercitus calamitatem: atq; illam expeditionem, tanta cum gloria cœptam, & gestam, nobis aliud nihil, quàm damnum atq; infamiam longè maximam peperisse, simus aduituri? Etenim, qui sibi hanc pacem fide bona fieri persuadet, is se rerum præsentium statum parum expendere: parum eorum qui cum agitur naturam cõpertam habere, demonstrat. cum sit cognitu facilè, simulac Italiæ terga verterimus, nihil eorum quæ proponuntur, seruatum iri: eaq; auxilia quæ nobis erunt promissa, Ferdinando mittentur: & illi ipsi, qui se nos Italia expulisse gloriabuntur, Neapolim vt nostrorum spolijs locupletentur, contendent: quam ignominiam equidem facilius ferrem, si qua probabili ratione dubitari de victoria posset: verùm quî huiusmodi hæsitatio in cuiusquam venire mentem potest, qui nostri exercitus magnitudine, regionisq; in qua sumus opportunitate perspecta, recondetur, nos itineris longitudine fessos, commeatu omni destitutos, numero pauciss imos, in regione inimica, tanta virtute ac ferocitate contra maximas Italorum copias ad Tarnum cõflixisse? qui fluuius eo die hostium sanguine quàm proprijs aquis plenior, magno impetu, redundauit: viam nobis ferro aperuimus: victoresq; dies octo per Mediolanensis imperij campos, in quibus nil nisi hostile occurrebat, iter nostrũ tenuimus: nunc duplo maiorem equitatum habemus, tot pedites Gallos, quibus tunc carebamus: proq; tribus Heluetiorum millibus, nunc duo & viginti millia nostrum nutum imperiumq; sequuntur: hostes, etsi Germanico peditatu aucti, tamen illud perparum est, si cum nostris conferantur: equitatus præterea ipsorum idem est, ijdem duces: semel à nobis malè mulctati, in certamen timidi pauentesq; redibunt. An fortè tam parua sunt prędmia victoriæ, vt à nobis sint contemnenda? ac nõ potius talia & tanta, vt vel cum aliquo periculo sint expetenda? neq; enim hîc tantum parta agitur gloria, regni Neapolitani cõseruatio, tot tuorum ducum equitumq; nobilissimorum salus, sed totius Italiæ imperiũ in medio positum est: quæ, siquidem hîc fortiter agendo vicerimus, tota passim erit nostræ victoriæ præda. Nam, quæ alię gentes? qui exercitus hostibus reliqui sunt (quorum in castris, cuncta sunt arma, cuncti duces ac centuriones, quos ex omnibus locis cogere potuerunt: vna fossa, superata vallum vnum, perruptum, nobis res tam magnas, Italiæ vniuersæ, possessionem atq; opus tot iniurias vlciscendi potestatem, ante pedes, in manum atq; in sinum reponet: qui stimuli homines imbelles atq; ignauos accendere soliti, si nostram bellicosissimam & ferociss imam nationem non mouent, equidem dicere poterimus nobis potius virtutem, quàm fortunam defuisse: quæ nobis occasionem præbuit in tam exiguo campo, tam paucis horis prædmia tam magna, tantæq; dignitatis consequendi, quibus nec maiora, nec præstãtiora potuissemus optare. Finem dicendi Tremollia fecerat, cum Aurengius contra eius sententiam, in hunc est exorsus modum: Si res nostræ, rex Christianissime, in tantas temporis angustias redactæ non essent, sed eo consisterent gradu, vt nobis vires cum prudentia atq; industria coniungendi spacium relin-

relinquerent,nec in eam neceſſitatem impellerent,vt ſiquidem in armis pertinaces eſſe velimus,cum impetu & furore,contraq; omnia militaris ſcientiæ præcepta,nobis agendum ſit,eſſem & ipſe ex illis vnus,qui pacẽ reſpuendam eſſe ſentiunt:etenim,haud pauca ſunt,quæ nos ad eam reijciendã hortantur:cũ negari non poſſit,quin in bello gerẽdo perſeuerare,nobis ſit honeſtiſſimum, atq; ad res Neapolitanas valde opportunũ:ſed enim, anguſtiæ ad quas Nouaria eiusque arx redacta eſt, vbi ne in vnum quidem diem cibaria ſunt, eos, ſiquidem ei ſubuenire volumus, vt repentè hoſtem inuadamus, cogunt: quòd ſi ea amiſſa, tamen in aliam Mediolanenſis imperij partem bellum transferre cogitamus, tempeſtas iam inſtat hyberna, bellis in his depreſſis atque aquis redundantibus locis gerendis admodum incommoda,militum noſtrorum natura,Heluetiorum multitudo ingens, quæ ſic eſt comparata, vt niſi eis quamprimùm vtamur, nobis quàm hoſti nocentior eſſe poſſet:pecunię ſumma penuria,qua fiet vt hîc diutius nos tueri nõ poſſimus,nos,ſiquidẽ pacem nõ admittimus, vt bello finẽ citò imponamus impellunt:id quod aliter fieri nequit,quam vt in hoſtes recta ſigna inferantur:quæ res, tum ipſorũ tum regionis conditione & ſtatu,adeò & periculoſa,vt hac ratione agere,ſummã & temeritatem & imprudentiam eſſe, negare poſſit nemo:nam, caſtrorum locus(cuius muniendi ac ſæpiendi tantum temporis habuerunt) vſq; adeò & natura & arte munitus eſt,loca circumiacentia in quib. præſidia collocarunt, ita ſunt ipſorũ defenſioni opportuna,itaq; operibus cõmunita: regio tota crebris foſſis aquarũq; impedimentis tot tantasq; noſtris equitibus difficultates obijciũt,vt qui cogitat continuato rectoq; itinere in eos tendere,ac non potius paulatim captata occaſione,& ſpacijs, & regione,vt dicitur, locisq; caſtrorum ſenſim occupatis,ad eos accedere,is aliud agit nihil,quàm ſeſe temerè in maximum, ac tantum non certiſſimum diſcrimen conijcere.Nam,quo cõſilio,qua belli diſciplina, quo præſtantium imperatorum ducúmue exemplo, tanta temeritate, tantum exercitum,in tam bene munitis caſtris, tot circumuallatũ tormẽtis,inuademus? Si quis non temerè & caſu agere velit, eum oportet hoſtem è ſuis caſtris, aut quopiam ſuperiore occupato loco, aut intercluſo commeatu, depellere:quarum rerum nullam, niſi maturè & longo temporis progreſſu, ſperari poſſe video: cuius quidem rei quam facultatem habeamus,nemo non videt:quid,quòd ne noſter quidem equitatus,eo numero ac robore eſt, quo eum eſſe pleriq; fortè exiſtimãt? multi enim,vt omnes ſcimus, morbis affecti ſunt: non pauci partim accepto commeatu,partim ſine cõmeatu in Galliam redire:bona pars eorum quos habemus,diuturno militiæ labore feſſi,abeundi cupidiores ſunt,quàm pugnandi: numerus ille ingens Heluetiorum, qui noſtri exercitus præcipuus neruus eſt, tam fortè nobis eſt pernicioſus, quàm inutilis,ſi paruus eſſet. Si quis enim eius gentis naturæ morumq; peritus eſt: nouitq; quàm difficile ſit,cum ſimul omnes vnum in locum conuenêre, eos regere & moderari, is nobis,eos tumultum aliquem periculoſum non excitaturos,rebus præſertim lento gradu(vt neceſſe eſt)procedentibus, ſpõdeat:quo rerũ ſtatu,tum ſtipendiorũ cauſa,quib.expleri nunquã poſſunt, tum alijs euentis mille poſſunt occaſiones,quibus commoueantur incidere: ſic,eorum auxilia num remedia nobis ſalutaria ſint futura, an noxia venena, prorſus ignoramus, at,in huiuſmodi ambiguitate, quî noſtra conſilia firmare poſſumus, quî aliqua de re glorioſa,& magna certi quicquam conſtituere? Victoriam laude dignam maiore,atque ad regni Neapolitani defenſionem tutiorem, quàm compoſitionem, fore,nemo ambigit: verùm, in omnibus humanis rebus, ac bellicis præſertim,conſilia ex neceſſitate capienda ſunt: nec eius partis obtinendæ, quæ vel difficillimè fieri, vel fieri ne poteſt quidem,cupiditate, omnia in extremum apertumq; diſcrimẽ adducenda:nec minus eſt boni imperatoris,ſapienter,quàm fortiter agere. Neq; enim Nouariẽſis expeditio tua, rex,præcipuè fuit: nec ad te, qui ad Mediolanenſe imperium directò minimè aſpiras, niſi aliorſum ſpectes,pertinet:nec Neapoli diſcedere placuit,quo in Taurinis conſiſtẽs, bellum gereres, ſed vt in Galliam quamprimùm reuerſus, pecuniam denuò ac militem cogeres, quo validioribus præſidijs regno Neapolitano ferre opem poſſes: quòd quidem,& nauibus Nicæa profectis, & Vitelliorum copijs,adiunctis Florentinorũ auxilijs ac pecunijs,tam diu ſuſtentabitur, vt validos firmosq; apparatus ac ſupplementa, quæ tua rex diligentia, vbi in Galliam redieris comparabit, facilè expectare poſſe vi-

deatur. Equidem is nón ſum,qui ducem Mediolani pacta ſeruaturum eſſe præſtare velim:verùm,cum & ab eo,& ab Genuenſibus obſides acceperit rex,& Genuenſe caſtelletum ex pactionis formula depoſitum fuerit, aliquod tum eius fidei pignus habebis: nec eſſet vſq; adeò mirum, ſi is, ne ſemper primus tuis armis peteretur,pacem optaret: nec fœdera inter multos icta,ea firmitate & conſenſione animorũ ſua natura ſunt,quin ſperari poſſit, quempiam aut remiſſiorem fore, aut ab alijs diſiunctum iri:in quibus rima quantumuis paruula ageretur, feneſtra quamuis exigua ſe nobis oſtenderet,victoria facili tutaq́ue potiremur. Quæ cum ita ſint, concordiam vt amplectare, rex Chriſtianiſſime,hortor: haud equidem quòd per ſe vtilitatem laudemq́; contineat,ſed quoniam ſapientis eſt principis, in difficilibus moleſtisq́; cõſilijs,eam partem pro facili atq; optabili ducere,quæ aut neceſſaria ſit,aut quæ difficultatis minus,ac periculi habere videatur. Aurengij principis verba dux Aurelianus tanta acerbitate ſuſcepit, vt ambo ira efferueſcẽtes, atq; ab iurgijs ad conuicia excurrentes,Aurelianus coram omnibus eum mentiri dixerit: nihilominus maior cõſilij pars, ac totius ferè exercitus,ad pacem inclinabat,tanta erat omnium, nec minor regis quàm aliorum in Galliam reuertẽdi cupiditas,vt eorũ mentes obcæcaret,quo minus regni Neapolitani pericula,quãq; turpe eſſet Nouariam ipſis ſpectantibus & conſentientibus amitti: deniq; Italia eis conditionibus tam incertis, tamq; iniquis cedere, cognoſcerent.Hæc cauſa tanto feruore fauoreq;ab Aurẽgio acta fuit,vt pleriq; exiſtimauerint,eũ quo regi Romanorũ cui erat addictiſſimꝰ, gratificaretur, haud minus ducis Mediolani commoda, quàm Caroli regis ſpectaſſe:& quidem magna eius apud Carolũ erat autoritas,partim ingenij ac virtutis opinione cõparata:partim,quòd à principibus illi facilè ſapientes habẽtur, qui ad eorum ſenſum & voluntatẽ magis accedũt,ac loquuntur.Pax igitur cõfecta eſt,quæ vix à Ludouico Stortia ſacramento confirmata erat, quũ rex nihil aliud quã in Galliã ſuam cogitans,Taurinum conuolauit:quanquam,vt Vercellis quamprimùm diſcederet,ea quoq; fuit cauſa: quòd ea pars Heluetiorum, quæ in regijs agebat caſtris:quo ſibi de trimeſtri ſtipendio, quemadmodũ ſecũ ſemper egiſſe Ludouicũ vndecimũ,quamuis ipſis promiſſum non fuiſſet,nec tam diu cum illo meruiſſent, aſſerebant,de rege ipſo deq́ue aulæ præcipuis retinendis agebãt: equo periculo tametſi repentino diſceſſu euaſiſſet, tamen cũ illi Diuionis præfectum, aliosq; à quibus cõducti fuerant,captiuos retinuiſſent, vt eis obſidibus datis & promiſſis,de eo quod petebãt deniq; caueret,neceſſe fuit. Taurino rex pacis cõſtabiliendæ cupidus,Gienſem Trib.militũ Gannaiumq; pręſidẽ,& Argentonũ ad Mediolani ducẽ,quo eum inducerent,vt cum ipſo in colloquiũ veniret,allegauit:quod quidẽ is ſe cupere oſtẽdebat, ſed de aliqua fraude dubitare: &,ſiue id ipſum metueret, ſiue dedita opera difficultates, ne ſocijs aliqd ſuſpicandi anſam præberet, ſiue ambitione,quaſi nequaquã inferior ipſo rege,eò adduci vellet,petebat,vt is cõgreſſus in cuiuſpiã fluminis medio fieret:vbi pons aut nauibus,aut alia ex materia ita factꝰ eſſet,vt inter vtrũq; ligneum vallũ firmũ ac robuſtũ intercederet: quo modo Galliæ atq; Angliæ reges,alijq; principes occidentales,in colloquiũ aliquando deſcenderunt:id cũ rex quaſi ſua indignũ perſona recuſaſſet, obſides verò accepiſſet,Peronẽ Baſchum Genuã miſit, quo ibi naues binas ex pacto acciperet: quoq; quatuor alias ſuis impẽſis armaret,quib. Neapolitanis arcibus ſubueniret:iãq; certior factus, ſubſidiũ Nicæa miſſum,Neapolim peruenire nõ potuiſſe:idcirco deditionẽ,ni intra triceſimũ diem auxilio iuuarentur,pactos, in has naues tria Heluetiorũ millia imponere,easq; cum ea claſſe,quæ ſe Ligurnũ receperat, & cum aliquot alijs quæ ex prouincia expectabantur, coniungere cogitabat,quæ ſine magnis Genuenſiũ nauibus,ad hanc expeditionẽ,Neapolitano portu valida claſſe iã occupato,nõ erant idoneæ: præter enim à Ferdinando eò adducta nauigia, Veneti triremes vicenas,& quaternas ibidẽ onerarias naues habebant.Venetias itẽ Argentonũ rex miſit hortatũ,vt & ipſi in idẽ fœdus tranſirẽt: moxq; iter in Galliã tanta celeritate ardoreq; ipſe cũ ſuis omnib. cępit, vt in Italia ne paucos quidẽ dies morari, donec Genuenſes,obſides darent,quemadmodum proculdubio, niſi tã citò abiuiſſet,feciſſent,ſuſtinuit:atq; in hunc modũ ſub Octobris menſis finẽ anni M. CCCC. XCV. in Gal-
1495. liam victo,quam victori(etſi victor ijs clarus rediret)ſimilior,reuerſus eſt:Aſtę quidem, quam ſe de Aureliano emiſſe ſimulauit, Triultium cum quingẽtis Gallicis cataphractis præfecit:

præfecit:qui omnes paucis pòst diebus,ſuo proprio iure regem ſunt ſecuti: ad regni verò Neapolitani ſubſidium aliud nihil quàm naues,quæ Genuæ & in prouincia inſtruebantur,itemque auxilia pecuniamque,quarum rerum ſuprà mentionem fecimus,à Florentinis promiſſam,reliquit.His rebus expoſitis, mihi nequaquam memoria indignum videtur (cum hoc tempore fatale eſſet Italiæ , calamitates ipſius ab aduentu Gallorum aut originem ducere , aut ſaltem eis aſcribi) oſtendere, eodem tempore, eum morbum qui à Gallis Neapolitanus , ab Italis paſſim Gallicus dicitur , principium habuiſſe:nam Galli ea luce dum Neapoli agerent,correpti,eam, pòst in patriam redeuntes,per Italiam vniuerſam diffuderunt: qui quidem morbus,ſiue nouus omnino, ſiue in hoc noſtro orbe ad hanc vſque ætatem , niſi fortè in quibuſdam ſuis remotiſſimis extremisque partibus ignoratus,vſque adeò per multos annos fuit horribilis , vt tanquam grauiſſima calamitas memoriæ poſteritatis tradendus eſſe videatur. Nam cum ſeſe vel puſtulis fœdiſſimis , quæ ſæpenumerò vlcera agebant, vſque adeò malefica, vt omnem curationem reſpuerent : vel doloribus in ipſis totius corporis articulis & neruis , acerbiſſimis, proderet:nec per medicos accommodata remedia,ſed non rarò prorſus contraria , ac talia quibus is morbus potius irritaretur adhiberentur, complures mortales , nec ætati nec ſexui parcens , vita priuauit: plures aſpectu penitùs deformatos , inutiles, & cruciatibus ferè perpetuis obnoxios,reliquit: quin & bona eorum pars,qui ſanati videbantur, breui temporis interuallo, in eandem miſeriam recidebant. Poſt autem aliquot annorum curricula, ſiue cœleſti ſiderum, vnde ortum habuerat,diro aſpectu mitigato : ſiue longa experientia remedijs opportunis ad eius curam inuentis , multo mitior eſſe cœpit:in plures etiam ſpecies , atque à prima diuerſas,ſuapte natura commutatus:de qua calamitate noſtri ſeculi homines iure queri poſſent, ſi in eos citra propriam culpam perueniret : propterea quòd,omnium eorum conſenſu qui huiuſce morbi naturam ſedulò explorarunt,compertum eſt , aut nunquam omnino,aut perquàm rariſſimè,in aliquem niſi Veneris contagione peruenire. Verùm , æquum eſt hanc ignominiam à Gallico nomine remouere : nam pòſt, eam luem ſcabiemque fœdiſſimam ex Hiſpania Neapolim importatam fuiſſe , conſtitit: nec tamen eius gentis ſuit propria,ſed eò quoque ex illis inſulis allata : quæ (vt alio magis opportuno loco referetur)Chriſtophori Columbi Genuenſis nauigatione, manifeſtari ijſdem ferè annis in noſtro orbe cœperunt: quibus tamen in inſulis hic morbus naturæ benignitate,præſentiſſimum habet remedium : quippe tantum cuiuſdam nobiliſſimi atq; alijs multis dotibus memorabilis ligni,quod ibi naſcitur , ſucci hauſtu , facillimè curantur.

SECVNDI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI HISTORIAE ITALICAE, LIBER TERTIVS.

Veneti Pisanorum tutelam aduersus Florentinos suscipiunt: Guelfi & Gibellini apud Perusinos tumultuantur. Quo tempore Cypri regnum in Venetorum ditionem venerit. Aragoniorum & Gallorum de regno Neapolitano certamina. Caroli octaui in Italiam bellum meditantis, apparatus. Federicus Aragonius rex Neapolitanorum inauguratur. Maximiliani imperatoris in Italiam aduentus. Alexandri Pont. Ro. in Vrsinos bellum. Coniuratio Florentiæ Mediceorum causa facta, deprehenditur: eamq; ob causam multi capitali supplicio afficiuntur. Carolus Francorum rex moritur, atq; in eius locum Aloisius XII. ad regnum assumitur.

GALLI AB regis trans Alpes reditus parum decorus, etsi ab imprudentia potius prauisque consilijs, quàm virium imbecillitate timoréue susceptus, in hominum animis spem haud mediocrem reliquit, Italiam tam graui vulnere affectam, citò ab Gallorum insolenti imperio ac dominatu prorsus liberam fore: ex quo senatus Veneti, Insubriæque ducis laudes passim resonabant: qui sapienti atque magnanimo consilio sumptis armis, ne tam præclara orbis terrarum pars, externis hominibus seruire cogeretur effecissent, qui nisi priuatis cupiditatibus obcæcati, vel in suum ipsorum & detrimentum & dedecus, publicum bonum corrupissent, nemo dubitat quin Italia ipsorum tum consilijs tum viribus in pristinum splendorem restituta, per multos annos ab externarum gentium impetu tuta esset futura. Verùm enim, ambitione, quæ vt quisque ipsorum suis finibus contentus esset, non permisit, factum est, vt citò Italia in nouas perturbationes incideret: quoque minus fructu victoriæ quam profligatis è regno Neapolitano Gallis, obtinuerunt, fruerentur: quam victoriam, negligentia regisque consilij socordia, vt facilè consequerentur effecit: nam subsidium ab ipso rege ex Italia discedente decretum, irritum fuit: quòd nec classis apparatus, nec Florentinorum auxilia præstò fuerunt. Neque enim syncera fide cum Carolo Ludouicus pacem fecerat: propterea quòd recordatus, vt eorum mos est, qui alterum læserunt, iniuriarum quib. eum affecerat, se eius fidei tutò posse cõmittere, sibi nullo modo persuadere poterat, sed Nouariæ recuperandæ, à belloque suum imperium liberandi desiderio, eum vt id promitteret, quod obseruare nequaquam cogitabat, induxerant: cui simulationi, quin senatus Veneti se immensis, quas ea respublica in re Nouariensi sustinebat sumptibus citra infamiam leuare cupientis, consensus accessisset, minimè dubitabatur. At Ludouicus ne tam repentè, omni abiecto pudore, sed aliquo prætextu tamen à fœdere discederet, ea perfecit, quæ in sua esse potestate negare non poterat: obsides dedit, captiuos, de suo multa persoluta, dimitti iussit: naues ad Rapullum captas, reddidit: Fracassam, quem suo merere stipendio dissimulare non poterat, Pisas remouit, & Castelletum arcem Genuensem, intra definitum tempus, Ferrariæ duci depositi nomine tradidit. Verùm, ipsis Lucium Maluetium quasi Genuensium stipendia merentem, cum non parua manu, reliquit: duas naues Ferdinandi nomine Genuerum instructas, Neapolim ire permisit, quod quidem sic excusabat: quòd eas ante confectam pacem conduxisset, vt ei negarentur, Genuæ minimè permitti: clàm impediuit, quo minus ab Genuensibus obsides regi traderentur: & quod arcium Neapolitanarum deditionem maximè promouit, postquam quatuor illæ naues regis impensis fuerant instructæ: ipseq; Ludouicus binas quas ex pacto debebat comparasset, effecit vt Genuenses simulato metu, siquidem illæ Franco milite complerentur, in prius sibi satis daretur, regem eas restituturum, nec eis Genuensem statum commutare, tentaturum: quibus de rebus tanquam malicioſe excogitatis, cum rex per suos apud Ludouicum ex postularet,

laret, nunc, ſe quidem naues daturum promiſiſſe, reſpondebat, ſed vt milite Gallo inſtruerentur, vt permitteret minimè teneri: nunc, ſe in Genuenſes abſolutum imperium non habere, ſed eo modo definitum ac circunſcriptum, vt in ſua poteſtate non eſſet, eos ad quidcunq; vellet, adigere: ad ea præſertim quæ ipſi ſuæ reip. ac ciuitati periculoſa eſſe cenſerent: atq; vt his maius firmamentum adiungeret perfecit, vt Pontifex Genuenſibus, & ſibi cum ſacroſanctæ cenſuræ denunciatione mandaret, ne regem Galliæ vllum nauigij genus Genua deducere vllo modo permitterent: his de cauſis, hoc ſubſidium ſummo deſiderio ab Gallis in regno Neapolitano agentibus, expectatum, quem admodum etiam pecunia à Florentinis promiſſa, irritum fuit: nam rebus Taurini compoſitis, cum Guidoantonius Veſpucius è Florentinorum legatis, qui rebus componendis interfuerant, vnus cum neceſſarijs monumentis omnibus, ſubitò diſceſiſſet: perque Mediolanenſium fines ſine ſuſpicione, quòd Florentina reſp. nemini ſe aduerſam declarauerat, iter faciens, Alexandriæ ducis mandato retentus fuit: atq; cunctis literarum monumentis ablatis, Mediolanum perductus: vbi tota compoſitione, Florentinorumq; promiſſis compertis, à Venetis Mediolaniq; duce decretum fuit, Piſanos perire, nullo modo eſſe permittendum: qui ſimul ac rex Piſis eſſet profectus, res ſuas Venetis & Ludouico noua legatione commendarant: vtriq; autem Pontificis atq; aliorum fœderatorum oratoribus conſentientibus mouebantur: quorum is erat prætextus, pecuniam militemq;, quæ Florentini, Piſis alijsq; oppidis receptis, in Neapolitanum regnum miſſuri erant, impediendi, quodq; cum rege Galliæ coniuncti, atq; ea vrbe recepta potentiores facti, eoq; impedimento liberati, Italiæ ſaluti obeſſe multis modis poſſent. Verumenimuerò, Piſanæ vrbis dominatus conſequendi cupiditate potiſſimùm incitabantur: ad quam prædam multo antè ab Ludouico cupiditate præceptam, Veneti quoque, vtpote, qui diſſoluta cæterorum Italiæ potentum veteri concordia, vnaq; parte eorum, qui ſe ipſis opponere conſueuerant debilitata, cogitatione iam & ſpe Italiæ totius imperium complectentes, oculos incipiebant conuertere: ad quam quidem rem Piſanæ vrbis poſſeſſio peropportuna eſſe videbatur: vt nimirum portus commoditate, quem non poſſe diu Florentinos Piſis excluſos retinere exiſtimabant, in mare inferum ſeſe extenderent, vrbisq; opportunitate pedem vnum haud parui momenti in Hetruria ponerent. Promptiora tamen ducis auxilia fuerant: qui eodem tempore varijs artibus Florentinos retinens, mandarat vt Fracaſſa ſuorum negociorum prætextu (nam prædia in eo agro habebat) Piſas proficiſceretur: & Genuēſes denuò militē ſubmitterent: interea Veneti Piſanos auxilijs promittendis, ſuſtentabant: itaq; Genuam certū hominē militis conſcribendi cauſa, Genuenſesq; cohortandi, ne Piſanos deſererent ſubmiſerant: quāquam de milite Piſas ſubmittēdo, lentius ageretur: quòd dum Citadella regio præſidio teneretur, multoq; magis dum rex in Italia ageret, haud magnam in hiſce rebus curam ponendam eſſe iudicabant. Ex altera parte Florentini nouis cum rege pactionibus per ſuos oratores Taurini confectis, ſuas auxerant copias, quo ſimulac regia mandata proferrentur, Piſanos cogere ad ſe recipiendos poſſent: quæ dum ſuis oratoribus retentis, retardantur, Palaiam caſtellum occuparunt: & ad Vicopiſanum copias admouerunt: verùm huius caſtelli oppugnatio irrita fuit, partim quòd militum præfecti ſiue prauo cōſilio, ſiue ſuis viribus, ſi qua parte Piſa eſt, caſtra poſuiſſent, diffiſi: præſertim quòd Piſani in loco eminentiore, ſatisq; vrbi propinquo, vallum erexerant, in parte inferiore Bientinam verſus metati fuerant, loco parum ad oppugnationem opportuno: vbi conſiſtentes Caſcina & Piſis ad obſeſſos iter apertum relinquebatur: partim quòd Paulus Vitellius cum ſuis & fratrum turmis tribus millibus aureorum numûm à Piſanis acceptis, in vrbem erat receptus: affirmans, ſe ab rege atq; ab Linguadochę ſummo Quæſtore, Maclouienſis cardinalis fratre, qui Petræ ſanctæ ægrotus remanſerat, habere mandata Piſas, Piſanamq; ditionem, donec aliud mandatum acciperet, tuendi ac propugnādi: res equitem erat permira, Piſanos eodem tempore ſimul & ab regijs hominibus, & ab Sfortianis defendi, & ab Venetis in ſpem erigi firmioris defenſionis: tametſi tum is ſenatus, tum Sfortia apertum cum rege bellum gererēt. Vitelliorum ſubſidio, facilè Vicopiſanus defendebatur, idq; cum non paruo Florentini exercitus detrimento, qui loco tam aperto conſtiterat, vt tormentis in vicum à Piſanis inuectis, non parum lædere-

tur:itaq;,cum ibi complures dies constitisset,coacti sunt castrorum præfecti:illinc exercitum non sine dedecore,abducere. Verùm cum regia mandata diuersis itineribus,eaque duplicata occultè allata essent, illicò Ligurni oppidum, eiusq; & portus arces à Salientio Florentinis restitutæ fuerunt: erat enim is Bemontij vicarius cui ab rege earum erat custodia demandata: Lillanus verò vt Taurinensem compositionem à Florentinis confirmari, eisque oppida restitui curaret,delegatus, cum Entrage Citadellæ Pisanæ arciumque Petræsanctensium,& Mutronensium præfecto, de die & restitutionis modo agere cœpit. Verùm, Entrages,siue cõmuni Gallorum in Pisanos studio,siue Lignini,cuius nomine atq; auspicijs eis erat arcib.rege Pisis abeunte prẹfectus,occultis mandatis inductus siue puellæ cuiusdam, Lucæ Lantei ciuis Pisani filiæ amore stimulatus(neq; enim credibile est illũ pecuniæ solũ cupiditate permotũ,cũ à Florentinis vberiorẽ sperare posset)varia impedimẽta cœpit interponere:nunc regijs mãdatis absurdiè interprẹtãdis:nũc se ab initio mandatũ accepisse affirmans,ne illinc se dimoueri,nisi arcanã quandã tesserã ab Lignino acciperet,pateretur: quibus de reb.cũ per aliquot dies disceptatũ esset, necesse fuit Florentinos ea de re denuò regẽ,qui Vercellis etiã tũ erat, appellare,vt huic malo quod in tantã eius & ignominiã & detrimentũ,natũ erat, remedium adhiberet.Hanc Entragis contumaciam se molestissimè ferre ostendit rex: idcirco non sine indignatione Lignino imperauit,eum ad parendum cogeret:decreuitque vna cum nouis mandatis ,literisq; grauissimis Aurelianensis,ducis cuius is erat iuris, virum autoritate conspicuum mittere:sed enim, cum Lignini pertinacia eiusq; studia plus quã debile regis consilium,possent,ea res aliquot dies producta fuit:ac tandem,non aliquis in quo esset autoritas , sed nobilis quidam priuatus cui Lanciaimpugno nomen erat, missus:cum eo Camillus Vitellius,vt in regnum Neapolitanum cum pecuniarum parte quam à Florentinis acceperat,copias suas duceret,profectus est:quæ simulac regia mãdata comparuerunt, ad eorum se exercitũ aggregauerant.Haud maiorẽ hæc mandata, quam priora fructum pepererunt: etsi præfectus Citadellæ iam à Florentinis ducatorũ duo millia, quibus milites præsidiarios dum regis responsum affertur,sustentaret,accepisset: & Camillo ducatorum tria millia fuissent numerata:nam Entrages præfectus,qui vt,creditur, occultiore via ab Lignino tontraria mandata acceperat:sed pòst multorum dierum altercationem,cum prẹfectus existimaret Florentinos,quòd in vrbe præter oppidanos & agrestẽ multitudinẽ, mille externi milites essent,nõ satis virium ad suburbiũ Marcianũ, portæ Florentinæ Citadellæ contiguæ, coniunctum in cuius fronte iam antea ipso annuente vallum pregrande constructum erant, vi expugnandum habere : sic se voti compotem, sine manifesta in regis mandata contumacia, fieri posse sperans, Florentinorum præfectos , vt exercitum ad portam Florentinam admouerent , monuit: quod quidem nisi suburbio expugnanto , facere non poterant:quòd si Pisani eos in vrbem nollent admittere , eos se portam deserere,quòd ea Citadellæ tormentis sic obnoxia esset,vt inuitis ijs qui eam tenerent, defendi nullo modo posset, coacturum: qua re audita Florentinorum præfecti magno apparatu , atque ausu, nec non totius exercitus,qui ad Remigij fanũ considebat locum suburbio vicinum inflãmato desiderio, tãta vi à tribus partibus in vallum , cuius totam rationem à Paulo Vitellio acceperant impetum fecerunt, vt propugnatoribus extemplò deiectis,atq; in fugam conuersis,dum eos insequuntur,simul cum eis permixti in suburbium per pontem,qui tolli in altũ poterat, vallo coniunctum , alios occidendo, aliòs capiendo,ingrederentur: nec dubium est quin eodem impetu , citraque Citadellæ opem , eodem tempore per portam in quam aliquot iam equites sese immiserant,Pisis essent potituri:nam Pisani in fugam coniecti, nihil iam resistebant:verùm,Entrages cum rem contra quam cogitasset succedere videret,Florentinos tormentorum pilis petere cœpit: qua re inopinata legati ducesq; Florentinorum cõterriti,cum iam multi interfecti,plures quoq; vulnerati essent,inter quos Paulus Vitellius in crure vulnus accepit, seq; eo die vrbe potiri posse, Citadella repugnante,desperantes , signo receptui dari iusso, milites à pugna reuocarunt:& suburbiũ quidem paucos dies retinuerunt: nam tormentis è Citadella continenter verberati, Cascinam versus omnes suas copias contraxerunt: ibique quid contra tam manifestam suorum contumaciam facturus esset rex,præstolabantur:quòd dum faciunt,Florentinis

alia

alia ex parte nouæ & periculosæ molestiæ ab fœderatis principibus præcipuè excitatæ,non desunt: qui vt Pisana recuperatione Florentinos excluderent,fœderiq́ue Gallico renunciare cogerent , Petrum Medicem hortati sunt, vt Florentiam Virginij Vrsini, qui in Tarensi pugna è Gallorum custodia elapsus,Braccianum reuerterat,ope redire tentaret: quæ res facilè vtrique persuaderi potuit: quippe, Virginio percommodum quomodocunque is conatus cecidisset,erat, suos veteres milites & clientes alieno ære re colligere,seq; in pristinum militiæ gradum restituere:Petro quoque pro communi exulum more variæ spes per amicos quos Florentiæ habebat , vbi etiam multis nobilibus populi potentiam molestam esse intelligebat , perq; peramplas clientellas, quas ex inueterata Mediceæ familiæ potentia, in toto Florentinorum imperio,retinebat,animum augebant.Hæc consilia Mediolani primum nata esse creditum est:quoniã Virginius,cum è manibus Gallorum aufugisset,illicò se ad Mediolani ducem contulerat: sed Romæ post constituta fuerunt, vbi apud Pontificem ab Veneto oratore Ascanioque cardinale,cui id à fratre suo Ludouico mandatum erat, per multos dies agitata fuerant. Huius autem expeditionis fundamenta spesq; fuerunt, vt præter copias quas Virginius ex veteranis suis militibus cogeret, vna cum decem millibus ducatorũ, quos Petrus Medices ab se atq; ab amicis collegerat,Ioannes Bentiuolus Venetorum & Ludouici stipendia merens,è Bononiensium finibus in Florentinorũ fines inuaderet: vtq; Catarina Sfortia, cuius liberi Mediolanensium ducis stipendia faciebant,ab Imola Foroq; Liuij, ciuitatibus Florentino imperio finitimis,molestiã aliquã eisdẽ inferret,cõfidebant præterea non inaniter Senenses inueterato Florentinorũ odio accensos,atq; ex eo quòd Montem Politianum retinere cupiebant,quod quidẽ suis viribus facere posse diffidebant,in sua vota propensos futuros:qui cum paucis ante mensibus & proprijs viribus,& Plombini domini Ioãnisq; Sabelli,suis,ducisq; Mediolani cõmunib.stipendijs conductorum , Glanicæ paludis aditum occupare , quæ ab ea parte longo tractu inter ipsos & Florentinos finitima erat,tentassent,eamq; ob causam vallum ad pontem Valianum,vt turrim Florentinorum in extremo Mõtem Politianum versus sitam percuterẽt, construxissent,sua spe frustrati sunt:nam Florentini periculo commoti , quòd eo ponte amisso, Montalcini infestandi facultate priuarentur:hostibus autem in Cortonæ,Aretij atq; aliorum locorum fines,qui in altera Glanis parte Florentinorum sunt ditionis,aditus præberetur,valido præsidio misso,vallum à Senensibus inchoatum corruperũt:vtq; sibi prorsus transitum illum vendicarent, trans Glanim amnem iuxta pontẽ vallũ multorum militum capacẽ,extruxerunt:cuius opportunitate,ad vsq; Mõtis Politiani portas excurrebãt:omnia itẽ oppida quæ Senenses in ea parte haberent,vexabãt:his succesſib. accedebat,quòd post paulo quã rex Galliæ transiuisset,Senensiũ copias ad Montẽ Politianũ fuderãt: ac Ioannẽ Sabellum copiarũ ducẽ ceperant.Sperabant præterea Virginius & Petrus Medices,se receptum aliquẽ & commoda à Perusinis habituros,nõ modo quia Balliones,qui armis & clientelis suis dominatũ ferè in ea vrbe obtinebant,Virginio vtriq; factionẽ Guelforũ sectantibus , coniuncti erant:& quia cũ Laurentio Petri patre,ipsoq; Petro dum Florentiæ fuit,arctissima necessitudinis iura tenuerunt: atq; ab ipsis semper aduersus suorum inimicorum motus adiuti , verùmetiam, quod Pontificatus beneficiarij , quanquam specie magis quàm re cum essent, credebatur in hoc quod ad statum ipsorum præcipuæ non spectaret, Pontificis voluntati , accedente præsertim Venetorum ac ducis Mediolani autoritate, cessuros. Hac igitur spe Virginius Vrsinus, & Petrus Medices Roma profecti,ratiq; Florentinos intestinis diſſidijs inter se laborantes , atque ab omnibus vicinis fœderatorum nomine armis petiti , vix posse resistere, vbi dies aliquot Ternium inter & Todium , locisque circumpositis , dum Virginius factione Gibellina diuexata, à Guelfis pecuniam & militem cogit, constitissent, castra in Perusinorum gratiam ad Gualdium Folengiorum castellum , verùm à Perusinis non tam eius possidendi desiderio accensis , quam partium studio quibus omnia circuniecta loca tunc maximè conflagrabant , de Pontifice aureorum numûm sex milibus emptũ,posuerunt.Paucis namq; diebus ante,Oddij Perusia exules, aduersæq; Ballionum factionis, principes ab Folengijs atque Asciſatibus,alijsque vicinis,Gibellinas partes sectantibus , adiuti , Corcianum munitum oppidum quinque milliaria Perusia

remotum,cum trecentis equitibus,& peditibus quingentis,occuparunt:quo facto,tota regio eſt commota:nam Spoletum, Camerinum, atq; alia Guelforum loca Ballionum partes ſequebantur: itaq; haud multo pòſt, Oddij furtim Peruſiam noctu ſunt ingreſſi, quo repentino caſu Balliones tanto pauore correpti fuerunt, vt ſui defendendi ſpe abiecta,iam fugam capeſſerent:ſed improuiſo atq; minimo momento,eam victoriam quã eis eripere hoſtis potentia nullo modo poterat,corruperunt:cum enim iam,nemine reſiſtente,ad primarij vrbis fori aditum peruenisſent: velletq; ipſorum vnus ſecuri quam in hunc finem attulerat, catenam, qua vrbis factionum morbo infectæ,vias tranſuerſas claudere conſueuerant, perfringere:isq; à ſuorum multitudine ita premeretur, vt brachia explicare ad ſecurim attollendam nõ poſſet,clara voce,Retrocedite, ingeminauit: quo verbo eos, vt ſibi locum ad explicandam ſecurim darent, admonebat:quæ vox ab ijs qui ſequebantur,repetita,atq; ſic accepta, quaſi de capeſſenda fuga admonerentur, cunctos citra hoſtem, aliúdue impedimentum,in fugam coniecit,quibus perſequentibus aut quam ob cauſam fugerent, prorſus ignaros ; quod cum aduerſarij animaduertiſſent,recepto animo,globoque facto, multos in fuga ipſa trucidarunt:& Troilum Sabellum qui ab cardinale Sabello eodem partium ſtudio,vt Oddijs opem ferret, miſſus fuerat,cęperunt: & fugientes Corcianum vſq; perſecuti,eodem victoriæ curſu id oppidum receperunt:nec eorum ſanguine qui in fuga cæſi fuerant,ſatiati,immanitate qua ſe factioſi homines mutuò perſequuntur, alios præterea complures Peruſiæ laqueo ſuſpenſos necarunt. Ex his motibus cum cædes complures in locis vicinis patrarentur, quòd partes ſuſpectis temporibus,ſiue inimicos vlciſcẽdi cupiditate,ſiue ne ab illis anteuerterentur metuentes, Peruſini in Fulginates commoti,copias Gualdum miſerant: quo fruſtra oppugnato, ſuis viribus ſe eo potiri poſſe diffiſi, Virginij,quæ,vt facilius ad belli & prædæ famam confluerent milites, ipſis detulerat,auxilia admiſerunt:& tamen ab eo atq; à Petro Medice,vt ſuę cauſæ palàm adeſſe vellent,ſtimulati,aut ſaltem aliqua tormenta & ad Caſtellionẽ lacus, agro Cortonenſi finitimum ſuis militibus receptum, nec non commeatus opportunitatem concedere, nihil horum, etſi id ipſum cardinalis Aſcanius Mediolanenſium ducis nomine flagitaret:& Pontifex literis minacibus & fulmineis mandaret,aſſentiri voluerũt: nam,quoniam poſt Cortiani occupationem à Florentinis aliqua pecunia adiuti fuerant,atq; ab ijſdem Guidoni ac Rodulfo Balliniæ familiæ principibus annuę penſiones conſtitutæ:præterea Ioannes Paulus Rodulfi filius, ſuis ſtipendijs conductus,cum ipſis ſeſe coniunxerant:alieni præterea à Pontificis amicitia, ſiue eius fauorem in ſuos aduerſarios propenſiorem eſſe veriti, ſiue ex eorum diſcordijs occaſione capta, eam ciuitatem in Põtificatus poteſtatem omnino ſubiungere cogitaret.Eodem tempore Paulus Vrſinus, qui cum ſexaginta cataphractis ex veterib. Virginij equitibus per multos dies in Monte Politiano fuerat, pòſt ad plebis caſtellum ſeſe tranſtulerat, Cortonæ Petri Medicis conſilio clàm de capienda vrbe cum quibuſdam agebat,eo animo, vt ſimulac Virginij milites quorum nec numerus, nec virtus primis conſilijs reſpondebat, eò accederent,rem ad exitum perduceret: ſed dum moram trahunt,proditione, quæ per quendam obſcuræ conditionis exulem tractabatur patefacta,iam eorum pars fundamentorum deficere, obſtaculaq; maiora ſeſe oſtẽdere cœperunt:nam Florentini periculis depellendis inuigilantes,trecentis in agro Piſano grauis armaturę equitibus, peditum bis mille relictis,ducentos equites graues,mille item pedites,Rinucio Martiano duce, qui prope Cortonam conſiſterent,miſerant: vtq; Senenſium copiæ cum Virginio coniungi, quemadmodum inter eos erat cõſtitutum,nequirent, ad Pogium imperiale, Seneuſibus finitimum Guidobaldum à Montefeltrio Vrbini ducem ab ipſis paulo antè conductum, cum trecentis catraphractis, mille & quingentis peditibus ire iuſſerant : adiunctis etiam multis Senenſibus exulibus, quo eam ciuitatem maiore in metu retinerent. Verùm Virginius Gualdo ſæpius fruſtra oppugnato, vbi ſcloppeti glande Carolus eius nothus percuſſus fuit,acceptis clàm,vt creditum eſt,à Fulginatibus pecunijs, caſtra inde,nulla Peruſinorum detrimentorum facta mentione,mouit, atq; ad Tabernulas poſuit,poſt Panicale in agro Peruſino,denuò vrgens,vt ſe Florentinorum hoſtes declararent: quod non modò ipſi eſt negatum,verùm etiam ex Gualdiana oppugnatione in eum commoti, minacibus ferè verbis cum ex agro ſuo

gro ſuo exire coegerunt. Itaq; cum Petrus ipſeq; primùm Vrſariã pagum Cortonæ propinquum, cum equitibus quadringentis veniſſent: ſperantes, ea in vrbe, quæ vt militum detrimenta vitaret, Florentinorum præſidia reſpuerat, aliquem motum excitatum iri, poſtquam ibi omnia pacata viderunt, Glanim cum trecentis cataphractis ac tribus peditum millibus maiore ex parte, quòd exigua pecunia conducti eſſent, armis haud ſat bene inſtructis, traiecerunt: ſeque in Senenſem agrum prope Montem Politianum inter Cantianum, Turritam, & Aſinam longam receperunt: vbi dies complures ocioſi, quibuſdam excurſionibus exceptis, atque aliqua abacta præda: propterea quòd Florẽtini ad Pontem Valianum Glani tranſmiſſo, in Sanſouino colle atq; alijs circunpoſitis locis conſidentes, eorum conatus impediebant: nec à Bononia, vt ſperabant, motus vllus apparebat: quòd Bentiuolus, cum aliorum commodis bello ſeſe cõtra potentem ac finitimã ciuitatẽ implicare nullo modo decreuiſſet (etſi Iuliano Medici, qui Bononiã venerat, vt veteres clientes & amicos, quos in Bononiæ montibus habebant, cõmoueret, multa permitteret) arma mouere noluit: cumq; ad id à fœderatis extimularetur, varias excuſationes cauſasq; comminiſcebatur: quin ne inter fœderatos quidem ipſos eadem erat voluntatũ ſtudiorumq; conſenſio: nam Mediolani duci, Florentinos vſq; eo premi, vt infirmiores ad rem Piſanam redderẽtur, erat gratum: at Petrum Medicem ab ſe tantopere læſum Florentiam redire, minimè gratum erat: & ſi ille vt ſe in poſterum ab eius autoritate pendere totum velle oſtenderet, fratrem ſuum cardinalem Mediolanum miſiſſet: Veneti verò ſoli hoc bellum ſuſcipere detrectabant: his accedebat præterea quod dux Mediolani & ipſi toti erant in apparatibus comparandis, quibus Gallos regno Neapolitano profligarent. Quamobrem, cum Petro Virginioq; non modò ſpes quas ſibi propoſuerant, verùm etiam pecuniæ ad militem ſuſtentandum deeſſent, pedite equiteque multum diminuti, ad balneum Rapolanum Cluſini agri, quæ ciuitas Senenſibus paret, reuerterunt: quò paucis diebus pòſt Virginium ſuo trahente fato, Camillus Vitellius, ac Gemellius ab rege Galliæ miſſi, vt illum in regias partes traherent, Neapolimque perducerent, venerant: vbi rex Columniorum defectione cognita, Virginij opera vti cupiebat: quam prouinciam, etſi plerique è ſuis diſſuaderent, hortarenturque potius ſe fœderatis, à quibus magnopere inuitabatur, adiungeret, aut ad Aragoniorum obſequia rediret, accepit, ſiue ea ratione ſperaret ſe facilius Albenſem ac Talliacotienſem poſſeſſionem recuperaturum: ſiue quæ in regni Neapolitani amiſſione acciderant recordaretur, videretque magnam eſſe æmulorum ſuorum Columnenſium apud Ferdinandum autoritatem: eaque de cauſa ſe in antiquam apud eum fidem, atque autoritatem poſſe redire deſperaret, ſiue moueretur, vt ipſemet affirmabat, quòd principes fœderati parum ipſi ſatis feciſſent, in eo quòd promiſſis ijs quæ ipſi fecerant, de Petro Medice reſtituendo, non ſtetiſſent. Fuit igitur Virginius à Gallis conductus, ipſique ac Vrſinę gentis reliquis grauis armaturæ equites ſexcenti fuerunt attributi: ea tamen lege vt Carolum filium obſidem in Galliam mitteret (hi ſunt fructus eorum, qui fidem ſuam ſemel ſuſpectam reddiderunt) acceptaque pecunia, vt cum Vitellijs in regnum Neapolitanum, vbi tum ante, tum poſt arcium amiſſionem varijs caſibus & locis continenter fuerat laboratum, & tum quoque laborabatur, tranſirent. nam cum initio Ferdinandus in Sarnenſi planicie Gallis ſe oppoſuiſſet, illi relicta Pedegrotta, Nuceriæ ab hoſtium caſtris quatuor miliaria, conſtiterant: vbi quòd vtriuſque partis copiæ eſſent propemodum pares, tempus leuibus pugnis incaſſum terebatur: nec memorabile quicquam gerebatur: eo excepto, quòd circiter ſeptingenti partim equites, partim pedites Ferdinandi ancipiti proditione, quaſi in Gifonis Caſtellum, locum Sanſeuerino oppido vicinum, intromittendi ducti, omnes ferè aut cæſi aut capti fuere. Verumenimuerò Pontificijs militibus ad Ferdinandum appulſis, Galli inferiores facti, Nuceria ſeſe remouerunt: eam ob rem ea vrbs vnà cum arce à Ferdinando capta magna cum eorum cæde qui Gallorum partes erant ſecuti. Interea Mompenſerius eos quos ſecum ex arce noua eduxerat, equis alijsque ad bellum neceſſarijs inſtruere ſatagebat: quibus inſtructis ac decuriatis, cum alijs coniunctus, Arianum oppidum commeatu refertum, venit: ex aduerſo Ferdinandus hoſtibus iam inferior factus,

Monte Fusculi consedit,vt ibi fortuna minimè tentata,opperiretur,donec à socijs maiora auxilia mitterentur:cepit Mompensserius oppidum,mox etiam arcem Sanseuerini: & feciſſet proculdubio maiores progressus, ni difficultate numaria impeditus ac retardatus fuiſſet:propterea quòd,cum neq; è Gallia pecunia mitteretur,neq; ex Neapolitano regno cogendi potestas esset, stipendia militi persolui non poterant:cumq; hac de causa milites, præsertim Heluetij,alieni à rebus gerendis essent, res gerere viribus pares Mompensserius nequibat.In hunc igitur modum vtriusq; exercitus affectis rebus,menses tres ferè consumpti sunt:quo tempore, & in Apulia illius prouinciæ auxilijs, atq; opibus adiutus,bellum gerebat Federicus, cum quo erat Cæsar Aragonius:contra quem reguli & populi partes Gallorum sequentes,pugnabant:& in Aprutijs Gratianus Guerra à Populensi comite, atq; ab alijs regulis Ferdinando studentibus,infestis armis petitus,magno animo se defendebat: & Romanæ vrbis præfectus, qui ducentos cataphractos regis nomine ducebat,è suæ ditionis locis, Montis Cassini tractum,cũ circuniacentibus oris,infestum habebat: vbi Gallorum res inclinare incipiebant: in causa erat Anbignei diuturna grauisque admodum ægritudo: qua factum est,vt impigro alioqui duci victoriæ cursus, etsi Calabria vniuersa principatusq; in regis Galliæ fide manerent, interrumperetur. At Consaluus Hispanis, alijsq; Aragonensium amicis iterum collectis, qui & ob Neapolim receptam erant aucti, aliquot oppida ceperat: atq; in ea prouincia Ferdinandi nomen tuebatur: in qua prouincia eadem numaria difficultate Galli laborabant,qua in castris eos paulo antè laborare diximus: nihilominus Cosentiam,quæ ab eis defecerat,recuperarunt,& diripuerunt: nec tamẽ in tantis angustijs & periculis suorum,aliqua ex Gallia prouisio aut subsidium comparebat:propterea quòd rex Lugduni ludicris certaminibus ac decursionibus, alijsq; ludis, belli cogitationibus sepositis, operam dabat:ac tametsi identidem se rerum Italicarum denuo curam susceperturum affirmaret, re tamen ipsa nullam se rerum illarum memoriam tenere,satis ostendebat:& quanquam ab Argentone qui recens Venetijs redierat, accepisset Venetum senatum respondisse,nullam se cum rege Galliæ inimicitiam habere,quod arma nisi post Nouariam occupatam,nec aliam ob causam,quàm pro ducis Mediolanensium socij sui defensione cepisset:idcirco superuacaneum videri, noua pace veterem amicitiam confirmare:præterea cum idem senatus per quosdam intermedios pollicitus esset,Ferdinandum se ad id inducturum,vt ei certam pecunię summam repręsentaret:ac tributi nomine auri pondo quingenta quotannis pensitaret:vtq; eius promissi certus esset, Ferdinandum Tarentum ad certum tempus regi relicturum, rex quasi in promptu validum subsidium quod Neapolim mitteret,haberet, aures huic compositioni præbere recusauit: tametsi præter rerum Italicarum difficultates, à Galliæ finitimis,bello impeteretur: Ferdinandus enim Hispaniæ rex, Perpenianum ipsemet venerat:suosq; in Tolosates vsq; excursiones facere,& prædari,& quæcunq; possent,detrimenta inferre iusserat: nec grauiora minari cessabat : Galliæ præterea Delphinus vnicus regis filius nuper è viuis excesserat:quæ omnia, siquidem in eo sensus aliquis fuisset , satis erant ad eum excitandum, quo facilius,aut pacem, aut bellum susciperet,aut ad aliquam saltem concordiam animum flecteret.In huius anni fine Citadellæ Pisanę negocia finẽ habuerunt:rex præfecti pertinacia cognita , Gemellium postremò cum minacibus atrocibusq; mandatis, non ad ipsum modò arcis præfectum,verùm etiam reliquos qui in eius arcis erant præsidio, Gallos miserat:ac non multò pòst Bonum affinem ipsius, quo ei per hominem cui fidere certò posset, facultate qua præditus erat obedientia, superioris temporis contumaciam peccataq; abolendi:& ex aduerso , in quæ incommoda,siquidem in vetere persisteret contumacia, incurreret , demonstratis, facilius ad regis exequenda mandata se compararet,is nihilominus in eadem contumacia persistens, Gemellij verba contempsit:qui paucos ibi dies commoratus,cum Camillo Vitellio,Virginioq;, vt ei iniunxerat rex,in regnum Neapolitanum est profectus. Nec Boni aduentus, qui Seresanæ ducis Mediolani iussu detentus multos fuerat in itinere dies , præfectum à sua obstinatione remouit:quin , Bono in suam sententiam pertracto ,cum Pisanis Lucio Maluetio ducis
1469. nomine interueniente, transegit:atq; ita Cal. Ian. anni M. CCCC. XCVI. Citadellaà præfecto Pisanis,prius tamen aureorum numûm pro se duodecim millibus , & octo millibus in

bus in præſidiarios milites diſtribuẽdis,acceptis, tradita eſt: quam ſummam cum Piſani conficere totã non poſſent, à Venetis quatuor millia, à Genuenſibus & Lucenſib. totidem: totidẽq; ab duce Mediolani acceperunt: qui quidem dux, eodẽ tempore ſuis artib. vſus, tametſi parua ei fides haberetur, cum Florentinis agebat de amicitia, cõſiliorumq; cõmunicatione, contrahenda: iamq; cũ eorũ oratoribus ipſi de conditionib. cõuenerat. Veriſimile aũt nullo modo videbatur, aut Ligninum, Entragémue, aut quemuis alium, tanta cõtumacia vti ſine regis voluntate, auſum fuiſſe: cum id præſertim in ſuum nõ parnum cederet detrimentum: propterea quòd etſi Entrages ita rem compoſuiſſet, vt Piſana ciuitas in regis Galliæ fide maneret, manifeſtò tamen in fœderatorũ poteſtate remanebat: & quia Florentinis non reſtituebatur, Galli qui in regno Neapolitano agebant, militum & pecuniæ ſubſidijs priuabantur, in conuentione Taurinenſi compromiſſis: Florentini tamen, qui ſumma vigilantia omnium harum rerum progreſſus obſeruarant, quanquam initiò multum dubitarent, in eam opinionem deniq; venerunt, vt crederent omnia aduerſus regis voluntatem fuiſſe tranſacta: quę res prorſus incredibilis ei videri poſſet, cui regis natura, ingenij q; & morũ conditio ignota eſſent: quamq; nulla ferè auctoritate apud ſuoſmet eſſet, quantũ itẽ homines auſint in eũ principẽ qui ſe ipſe cõtemnendũ præbeat. Piſani Citadella accepta, illicò eã funditùs facto totius populi cõcurſu, exciderunt: & quia ſe impares eſſe videbãt, ad ſe tuendos, eodẽ tẽpore ad Pontificẽ, ad Rom. regẽ, ad Venetos, ad Mediolani ducẽ, ad Genuẽſes, ad Senenſes atq; ad Lucenſes legatos de auxilijs ab omnib. rogandis miſerũt: verùm ab Venetis atq; ab Inſubriæ duce ardentius, in quẽ ducẽ primo vrbis imperiũ ſponte transferre, propenſi fuerant, propterea quod ſe eò adigi viderentur, vt nõ tã de libertate tuenda ſibi cogitandũ putarẽt, quã vt ne ſub Florentinorũ dominatũ redire cogerentur: cumq; in eo magis quã in alio ſperarent, tũ quòd is primũ eos ad rebellionẽ incitaſſet, tum ob vicinitatẽ, tũ quòd, cum ab alijs fœderatis ſpes modò inanes retuliſſent, ab eo opportuna præſidia obtinuiſsẽt: dux aũt, etſi eius vrbis potiundæ cupiditate arderet, tamen an eam acciperet, ne ſociorũ in ſe odia concitaret, ſuſpenſus hęſerat (nam in eorũ conſilijs Piſanorum res, quaſi cõmunes omniũ agi cœperant) nunc eos vt id facere differrent hortando, nunc vt deditio palàm in Sanſeuerinorum nomine fieret, quo denique re ipſa in ſuo nomine factam eſſe, vbi tempus opportunum iudicaret, aperiret, ſuadendo: nihilominus, vbi rex in Galliam reuertiſſet, arbitrareturq; ſe ſociorum neceſſitate leuatum, eam accipere decreuit. Verùm, in Piſanis ea propenſio, ex magna quam de Veneti ſenatus auxilijs conceperant ſpe, deferueſcere cœperat: neq; deerant etiam qui eis demonſtrarent, facilius ipſos opem multorum ſe poſſe conſeruare, quàm vnius: quibus ex cauſis in eam opinionem erant inducti, vt hoc modo maiorem tuendæ libertatis ſpem ſibi proponerent: quibus conſilijs poſt adeptam Citadellam, roboratis, ſe cuiuſuis fauore, atq; ope munire promiſcuè nitebantur: ad quam rem, omnium Italiæ principum ſtudia admodum erant opportuna ac propenſa: etenim Genuenſes Florentinorũ odio, Senenſes Lucenſesq; partim odio, partim metu, aliquid ſubſidij prębere ſemper erant parati: vtq; quod inſtituerant, ordine perficerent maiore, certis adhoc cõditionibus cum ſingulis agere, ſeq; obſtringere deliberabant: Veneti aũt Inſuberq; dominatus Piſani cupiditate allecti, vt ſub Florẽtinorũ redirent iugum, nequaquã laturi videbantur: apud Pontificẽ verò Hiſpaniæq; regum oratores, Florentinos deprimẽdi debilitandiq; deſideriũ, vtpote qui nimiũ Gallicis partibus ſtudere viderentur, Piſanorum cauſam apud eos commendatiorẽ faciebat: quas ob res ſingulis in locis benignè auditi: diplomateq; à Cæſare quo ipſis libertas confirmabatur, impetrato, Venetijs & Mediolano eadem promiſſa de libertate conſeruanda reportarunt, quæ antè de communi conſenſu, vt ab Gallis liberarentur, acceperant: Pontifex quoque ipſe, omnium ſociorum nomine & conſenſu, epiſtola ad illud ipſum eos eſt hortatus, eisq; repromiſit, fore ut ab omnibus potenter defenderentur: nihilominus tamẽ, validiora præſidia ab Venetis Inſubriumq; duce extiterũt: ab hoc adauctis quæ illic prius haberet, copijs: ab illis, haud paruo militũ numero ſubmiſſo: qua in re ſi pariter perſeueraſſent, eò neceſſitatis Piſani nõ eſſent adducti, vt ipſorum alteris magis quã alteri, ſeſe applicuiſſent: ex quo cõmunis concordia cõſeruari facilẽ potuiſſet. Verumenimuerò, citò accidit, vt Mediolanẽſis ſemper à ſumptibus faciendis alieniſſimus,

naturaq; ad ſimulatè & callidè agendum pronus, ratus tunc ſe ad Piſanorum dominatum minimè poſſe peruenire, eaq; de cauſa, quæ Piſani ab eo peterent, parcius ſuppeditare inciperet, occaſionem ipſis præbuit, vt in Venetos à quibus neceſſarijs omnibus liberaliter ſuppeditarentur, animo eſſent propenſiore: ex quo factum fuit, vt paucis menſibus pòſt quàm Galli Citadellam reliquiſſent, Venetus ſenatus à Piſanis ad id vehementer rogatus, ciuitatis Piſanæ patrocinium, Ludouico Sfortia potius hortante, quàm ſibi moleſtum eſſe demonſtrante, ſuſciperet: idq; re minimè cum alijs fœderatis communicata, etſi ab initio eos ad copias mittendas eſſent hortati: qui poſt ſe promiſſis quæ Piſanis de auxilio ferendo fecerant, liberatos eſſe, dixerunt, quandoquidem citra ipſorum conſenſum cum Venetis priuatim conueniſſent. Certiſſimum eſt, nec deſiderium aliorum libertatis conſeruandæ, quàm in ſua patria tantopere amant: nec communis ſalutis ratio, vt & tunc, & pòſt magnificis verbis prædicarunt: verùm ſola Piſani dominatus potiundi libido, Venetos ad ea compulit decreta: quibus non dubitabant fore vt breui, vel Piſanorum voluntate, qui, vt ſe in perpetuum à Florẽtinorum ſeruitute vindicarent, Venetorum imperio libenter ſubijcerentur. Ea tamen res diu fuit in ſenatu agitata, quòd communis ferè propenſio quorundam, tum ętate, tum etiam exiſtimatione præſtantium ſenatorum autoritate retardaretur: qui vehementer contradicerent, oſtenderentq;, ſi Piſanam defenſionem ſoli reciperent, rem eſſe multarum difficultatum plenam: quòd ea vrbs terreſtri itinere procul admodum ab eorum finibus eſſet, multo verò etiam maritimo magis: ad quam niſi per alienam ditionem & portus, longoq; duorum, quibus Italia cingitur marium ambitu, peruenire nequirent: idcircò ſine maximis impenſis ab continuis Florentinorum moleſtijs, defendi non poſſe. Se nõ negare, quin Piſani dominatus acceſſio, Veneto imperio admodum eſſet opportuna: ſed ante omnia conſeruandi difficultates, multoq; magis temporum præſentium conditiones eſſe conſiderandas: tum quid ea res eſſet paritura: propterea quòd, cum tota Italia naturali quodam inſtinctu, propter eorum magnitudinem ſuſpectos animos gereret, fieri nõ poſſe, quin talis acceſſio omnibus eſſet ſummopere diſplicitura: quæ res facilè maiores & periculoſiores páreret motus, quàm pleriq; fortè putarent: eos non parum falli, qui ſibi perſuaderent, cæteros principes ocioſè laturos, eorum imperio cunctis Italis formidabili, tantam Piſani dominatus opportunitatem accedere: qui ſi minus, vt olim, ad prohibendum proprijs eſſent viribus pares, habere eos ex alia parte, poſtea quàm Tranſalpinis gentibus itinera, quibus in Italiam tranſirent, erant commonſtrata, maiorem reſiſtendi, exteris euocatis, occaſionem: ad quorũ opem implorandam, ſiue odio ſiue metu proculdubio illicò eſſent decurſuri: præſertim cum illud cõmune humani generis vitiũ ſit, vt ſeruire externis malint, quàm cedere ſuis. quî credi poſſet, Ludouicum Sfortiam, tantum de ſe nunc cupiditati, & ſpei, nunc timori permittere ſolitum, in præſenti verò non minus ira quàm æmulatione eum excitante, ne ad Venetos ea præda, quam tot artibus ſibi deſtinaſſet, deueniret, nõ prius denuò Italiam eſſe omnem turbaturum, quàm vt Piſana vrbs, ab ipſis occuparetur, paſſurum? qui quanquam verbis & conſilijs ſuis ſecus demonſtraret, perſpicuè admodum animaduerti poſſe, hunc non eſſe verum eius animi ſenſum: ſed inſidias, atq; in minus ſinceros fines, artificioſa conſilia: cum quo eam ciuitatem defendere, prudentiæ eſſe: ſi minus aliam ob cauſam, ob eam ſaltem, vt impedimẽto ſint Piſanis, ne ſe Ludouico tradant: at eam cauſam ſibi quaſi propriam aſſumere, ſeq; tanta inuidia, tantoq; onere grauare, id certe à ſapientum conſilio vehementer abhorrere: illud eſſe cogitandum, quàm hæc conſilia eis operibus aduerſarentur, in quibus tot menſibus inſudarant, & inſudarent etiam num: propterea quòd nullæ aliæ cauſæ eum ſenatum ad arma tantis cum impenſis & periculis capienda, quàm ſe atque vna Italiam vniuerſam à barbaris aſſerendi deſiderium, impuliſſent: cuius rei cum tam felici ſucceſſu & gloria ieciſſent fundamenta, nihilominus cum rex Galliæ vix trans Alpes ſeſe recepiſſet, maiorq; regni Neapolitani pars valido exercitu eius nomine teneretur, quæ imprudentia, quæ infamia foret, vbi libertatis Italiæ ſecuritatisq; conſtabiliendæ tempus erat, nouarum calamitatum ſemina ſpargere, quibus Galliæ regis in Italiam reditus, Romanorum verò regis, qui, vt omnibus erat notum, nihil ardentius eius quod ſe in eorũ imperium iuris habere exiſtimat, cauſa, cuperet, introitus facilior, redderetur,

deretur:haud eo loco Venetam remp.esse,vt ad periculosa cõsilia suscipienda,nundum ad maturitatem perductis occasionibus, sese offerre,cõpelleretur:imò neminẽ in Italia opportunitates temporũ,occasionumq; maturitates facilius posse præstolari:subita dubiaq; consilia ijs conuenire quibus aut res difficiles,aut aduersæ admodũ obijcerentur: aut etiam ijs qui ambitione, suiq; nominis illustrandi cupiditate impulsi,ne ad id tẽpus fortè deesset,vererentur:nõ ei reip.quæ in tã sublimi potẽtiæ,dignitatis,autoritatis gradu esset collocata,vt reliquę Italię omni formidolosa esset & inuidiosa:& quæ regũ atq; aliorum principum comparatione immortalis propemodũ esset,ac perpetua:cumq; idẽ semper esset Veneti senatus nomen,nihil esse causę,quamobrẽ sua ante tẽpus p̃cipitare cõsilia vellet:eius Senatus sapientiæ & grauitatis magis esse , pericula ista spe & cupiditate infuscata ac lemniscata,nec non fines ipsos rerum,quam principia(quod quidẽ hominũ erat verè prudentiũ)expendere, ac temerarijs cõsilijs reiectis,tam in Pisanis quã in alijs occasionibus,ab aliorũ animis perterrefaciendis & irritãdis, saltẽ donec Italia à Barbarorũ periculis,& suspicionibus aliquanto esset securior,abstinere:præcipuè verò ne illis vlla redeundi causa præberetur, cauere : propterea quòd res ipsa paucis mensibus ostendisset,cunctam Italiam, cum ab exteris non opprimebatur,semper ferè Veneti senatus autoritatem fuisse secutam : verùm, Barbaris in Italia agentibus, factum esse vt nec qui se sequeretur, nec qui formidaret, haberet , sed necesse fuisse vnà cum cæteris , vt externorum vires armaq; timeret. Hæc atque eiusmodi rationes,vt numeri maioris cupiditatem taceã,Augustini Barbadici eius reip.ducis suasionibus vincebantur: cuius autoritas eò vsq; creuerat, vt supra ducum superiorum reuerentiã euecta,potentiæ potius quàm dignitatis nomen mereretur : nam præterquam quòd cõplures iam annos in ea principis dignatione secunda egerat fortuna,præterq; multas præclaras dotes atq; ornamenta quibus erat præditus , illud quoq; magno erat artificio consecutus, vt multi senatores qui perlibenter se ijs qui tum prudentiæ fama, longoq; rerum vsu tũ etiã,q; in ea rep.summos dignitatũ honores erant consecuti,in ea ciuitate maioris erant autoritatis se opponebant,ipsi cõiuncti, eius consilia partium potius studio quàm senatoria grauitate integritatéue frequẽtes sequerentur:qui vnà cum imperij propagatione, sui quoq; nominis clarissimã memoriã relinquere ardens : nec ea gloria cõtentus,quòd Cyprus insula, regibus è Lusiniana familia deficientibus, eius principatu,ad Venetum imperium accesserat,quamcunq; augendi imperij occasionem amplectendam esse suadebat:idcirco, eis q̃ in Pisano negocio ei⁹ cupiditati aduersa cõsilia afferebant , sese opponens,verbis efficacissimis quàm vtilis quamq; opportuna Veneto imperio Pisanæ ciuitatis accessio,demonstrabat: quantumq; haberet momenti,si ea ratione Florentinorũ audacia reprimeretur: quorũ opera in Philippimariæ|vicecomitis, morte,Insubriæ dominatus adipiscendi occasionem amisissent: qui etiam propter rei numariæ expeditam facultatem,in Ferrariensi bello , atq; in alijs expeditionibus,magis ipsis quàm cęteri omnes Italiæ potentatus maiores , nocuissent: quam raræ eiusmodi occasiones essent, quanta cum infamia amitterentur : & quàm graues pœnitentiæ aculeos neglectæ relinquerent,commemorabat:Italiæ conditiones eas non esse , vt ipsis cæteri potentatus per se possent opponere:nec vt hac siue indignatione siue formidine impulsi,ad Galliæ regem confugerent metuendũ:quòd,nec dux Mediolani à quo tantis esset iniurijs affectus rex,ei fidere vnquam auderet:nec Põtificis animũ his cogitationibus moueri: nec regem Neapolitanum,quanuis regnũ recepisset suum,iã Gallicum nomẽ audire posse: nec ipsorũ in Pisanã vrbem ingressu,quantumuis alijs molestus esset,rẽ esse tam atrocẽ, nec tã periculũ propinquũ vt ab reliquis principibus ad ea remedia quę extremis ac desperatis reb. adhiberi solent, prȩcipiti cõsilio esse recurrendũ duceret:lentis enim morbis periculosa remedia , quòd tẽpus nequaquã sibi eis vtendis defuturũ homines arbitrentur,nõ statim procurari: quòd si in ea imbecillitate ac diffidio reliquorũ Italorũ ipsi tantã occasionẽ contẽnerent, frustra maiorẽ rei gerendæ securitatẽ,aliis principibus in pristinũ vigorẽ restitutis,atq; ab transalpinarum gẽtiũ metu liberatis,expectari:ad nimij timoris remediũ,cogitãdũ esse, omnes humanas actiones multis p̃iculis obnoxias esse, verùm homines prudẽtes cognoscere,nequaquã omnia mala semper euenire,q̃ possint accidere:fortunę beneficio pleraq; pericula euanescere:multa,prudentia atq; industria

vitari:idcirco timiditatẽ cũ prudentia,quod pleriq; rerũ cũ nomina tũ naturã ipſam parũ attẽdentes faciũt, cõfundendã nõ eſſe:nec ij ſapientes ducẽdi,q̃ omnia pericula,q̃ quidẽ dubia ſunt,p̃ certis habentes,atq; ob id omnia formidantes,ſua cõſilia ſic gubernãt, quaſi omnia ſint certò futura:neq; enim vllo modo prudẽtes ſapientéſue illos habẽdos eſſe,q̃ quę futura ſunt,ſupra quã par eſt,timent: hoc nomẽ hãcq; laudẽ multò meli⁹ fortib.magnoq; animo viris cõuenire: q̃ pericula quidẽ cognoſcentes,eaq; ponderãtes,in quo à temerarijs qui ea nec cognoſcũt,nec põderãt,differũt:tamẽ,q̃ ſępe homines nunc caſu,nũc virtute è multis difficultatib.ſeſe explicãt,etiã animaduertunt.Itaq;,dũ in deliberando nõ minus ſpẽ quàm formidinẽ in conſiliũ accerſunt: nec incertos euentus pro certis habent,haud tã facilè atq; illi,occaſiones quę ſecũ vtilitatẽ cum dignitate afferũt, reſpuunt: igitur,aliorũ Italorum debilitate diſſenſioneq; ante oculos poſitis,potentiam ex altera parte fortunãq; Venetæ reip.patrũ maiorũq; animi celſitudinẽ glorioſaq; facinora,Piſanorũ patrociniũ magno animo ſuſciperẽt:qua exre ad eos eius vrbis dominatus eſſet omnino vẽturus, gradus proculdubiò inter cætera maximè opportunus ad totius Italiæ imperiũ obtinendum.His perſuaſi patres, ſenatuſconſulto Piſanorum patrocinium ſuſcipiunt: promittũtq; diſertis verbis,ſe eorũ libertatẽ propugnaturos: quæ res ab initio minus fuit ab Ludouico Sfortia, quàm tanta res debuit,expenſa : qui ob id ne Piſis ſua præſidia haberet,excluſus,gaudebat ſe eo ſumptu liberari:præterea à ſuis in eã ciuitatem meritis minimè alienum ducebat, vt eodem tempore Piſanæ ciuitatis cauſa, tum Veneti tum Florentini grauiſſimis ſumptibus grauarentur: ad hæc, ſibi perſuadebat, Piſanos propter imperij ſui tum amplitudinem, tum vicinitatem:deinde etiam ob eorum quæ ipſorum libertatis cauſa fecerat, memoriã ſibi tantopere deuinctos eſſe, vt ſe reliquis omnibus ſemper eſſent antepoſituri. Has cogitationes ſpesq; fallaces,ea perſuaſio, qua inconſtantiæ rerum humanarũ parum memor,ſe ipſe nutriebat,quaq; ſe fortunam tantũ non ſub pedibus tenere exiſtimabat:cuius etiã ſe filiũ eſſe palàm aſſeuerabat:vſq; adeò fortunæ blandientis aura ebrius atq; inflatus erat:quòd ipſius & opera & cõſilijs Galliæ rex in Italiam deſcendiſſet:ſibi quoq; aſcribebat, quòd Petrus Medices parum ipſius obſequens voluntati,eiectus è Florentinorũ dominatu eſſet:Piſanorũ itẽ à Florentinis defectionẽ:& Arogoniorũ è regno Neapolitano, qui ſui erãt hoſtes,expulſionẽ:quodq; pòſt mutata ſentẽtia,ſuis & autoritate & cõſilijs,tot principũ aduerſus Carolũ cõſpiratio ſecuta eſſet:Ferdinandi in regnũ reditus:regis Gallię cõditionib.tãta maieſtate indignis,ex Italia diſceſſio : ac deniq; q̃ apud Citadellę Piſanæ præfectũ plus ipſius ſiue induſtria,ſiue autoritas, quàm proprij regis voluntas præceptaq; potuiſſent: his actionib.atq; euentis quaſi certiſſimis regulis futura dimentiẽs : aliorũq; & prudẽtiã & ingeniũ præ ſua prudentia ingenioq; contemnens,ſibi res Italiæ omnes ſuo arbitratu moderaturũ eſſe,ſuaq; induſtria quemuis circũ agere poſſe,p̃mittebat:quę vana perſuaſio nec ab ipſomet,nec à ſuis,nec verbis,nec factis diſſimulata : quin potius cũ ipſi pergratam eſſet ſic ab omnibus & credi & prædicari, Mediolanũ noctes atq; dies inanibus vocibus paſſim reſonabat : paſſimq; Latinis Italicisq; verſibus & orationibus ad aſſentationem compoſitis,Ludouici Sfortiæ admirabilis ſapientia celebrabatur:è qua pax bellumq; Italiæ penderent: nomen ipſius & Mauri cognomentum laudibus in cœlũ ferebatur:quod quidẽ cognomentũ ipſi iam inde ab adoleſcentia,quòd fuſco eſſet colore, atq; ex opinione quæ tum iã de eius calliditate diuulgabatur, libẽter quoad in imperio manſit,retinuit.Haud minor Mauri huius autoritas in alijs Florẽtinorũ arcibus,q̃ in Piſana fuerat:ita vt nõ amici modò,verùm etiã inimici eius arbitrio gubernari viderentur: quippe, etſi rex grauiſſimis per legatos Florentinorũ querimonijs auditis,grauiter fuiſſet commotus : atq; vt reliquæ ſaltem ipſis arces reſtituerentur,cum nouis mandatis & cum Lignini literis Robertum Veſtium cubicularium ſuum miſiſſet,' nihilominus cum eius autoritas haud plures apud alios quàm apud ſemetipſum fieret, tanta fuit Lignini audacia, qui multis affirmabat ſe non ſic ſine regis nutu agere,vt propter ipſius mandata accedente mala præfectorum, quibus arces erant commendatæ, voluntate, regis ipſius imperia parui fierent: idcirco Bienenſis Baſtardus,qui Lignini nomine Sereſanæ prę̃ſidium tenebat,poſtquam eò copias & legatos Florentinorũ ad poſſeſſionẽ recipiẽdam adduxiſſet,Genuenſibus vigintiquinq; millib.ducatorũ acceptis,tradidit:idẽ fecit

certo

certo auri numero accepto, Sereſanelli cuſtos, autore atq; interceſſore Mauro: qui Florentinis Fracaſſa cum centum equitibus, & peditibus quadringentis ſub nomine tamen Genuenſium, oppoſito, obſtitit quo minus oppida quæ in Lunigiana amiſerant, recuperarent: quarum iam partem ijs copijs quas ad Sereſanam recipiendam miſerant, recuperauerant: paulóque pòſt Entrages, in cuius cuſtodia Petræ quoq; ſanctæ Mutronisq; arces erant: & ad cuius manus Librafacta ſimiliter peruenerat, hac retenta, quam haud multis pòſt menſibus Piſanis conceſſit, eas Lucenſibus ducatorum ſex & viginti millibus, quantum ab ipſo Mediolani duce conſtitutum fuerat, vendidit: qui cum prius Genuenſibus tradi optaſſet, pòſt mutata ſentẽtia, Lucenſibus gratificari maluit, quo ad Piſanos iuuandos prõptiores redderentur: quoq; hoc beneficio eos magis ſibi obſtringeret: quæ omnia in Galliam delata, quanuis rex ſe Lignino iratũ oſtenderet: Entragẽq; toto regno interdiceret, tamen vbi Bonus redijſſet, qui præterquã quòd Piſani auri particeps fuerat, Genuæ Sereſanæ venditionẽ procurauerat, eius purgationes admiſſę fuerunt: benigneq; à Piſanis legatus cũ eo miſſus, qui regi perſuaderet Piſanos velle regib. Francorum parere: fidemq; ſuam ad hoc iureiurando obſtringere: tametſi paulò pòſt, eius mãdatis inanibus cognitis, dimiſſus fuerit: nec Lignino alia inflicta pœna, quàm, vt regia gratia excluſus videretur, interdicta in regis cubiculo cubandi, quemadmodum conſueuerat, facultas: quæ ei citò fuit reſtituta: Entrages verò ſola contumacia notatus, in qua non diu tamen relictus eſt: nam in huiuſmodi rebus, præter regis naturam, aliaq; media & ſtudia, plus potuit non falſa perſuaſio, Florentinos ne ſe ab eo ſeiungerent, neceſſitate teneri: propterea quòd cum apud omnes Venetorũ ducisq; Mediolani nota cupiditas, illud pro explorato tenebatur, niſi Piſis receptis, eos ad Italię defenſionẽ fœdus cum illis nunquã percuſſuros: quã ad rẽ eos inducere minis, ac terrorib. ſatagebãt: nihil tamen aduerſus eos tentabant: quòd ſatis eſſe arbitrarentur ijs præſidijs quæ Piſis impoſuiſſent, eius ciuitatis vitam tueri: nec permittere, vt omni prorſus ditione agri priuarentur: quòd regni Neapolitani periculũ ab omni alia eos cogitatione auertebat: nam Virginius ad Balneum Rapolanum, deinde etiam in Peruſino agro, vbi aliquot dierum moram traxit, multis militibus collectis, vnà cum alijs Vrſinę gentis: Aprutiũ verſus procedebat: quò etiam Camillus Pauluſq; Vitellij cum ſuis copijs contendebant: quibus cum Montis Leonis caſtellani, commeatũ denegaſſent, id caſtellum diripuerunt: qua re cętera pontificij iuris oppida in eo itinere poſita, perterrefacta, nihil Pontificis prohibitione moti, omnibus in locis caſtrametari permittebant, cõmeatumq; ſuppeditabant: quamobrẽ, multoq; magis q; è Gallia nouæ copiæ mari Neapolim venire nunciarẽtur, viderẽturq; Gallicæ res in regno Neapolitano magna incrementa accepturæ: nec Ferdinandus à pecunia imparatus, multisq; difficultatibus irretitus, tam grande pondus ſine maioribus ſubſidijs ſuſtinere poſſet: ad noua remedia, quo ſe tueretur, animum conuertere compulſus eſt. Ferdinandum reliqui potentatus initio ſuo fœdere nõ comprehenderant: & quanquã, recuperato regno, Hiſpaniæ reges vehemẽter cõtendiſſent, vt in id fœdus amitteretur, Veneti prorſus recuſarant: rati eius anguſtias ipſorum conſilijs promouendis aptas eſſe, nimirum vt eius regni portio aliqua in eorũ poteſtatẽ deueniret: quapropter Ferdinandus omni reliqua ſpe deſtitutus, quod ex Hiſpania noua ſubſidia minimè expectabat: nec cęteri fœderati oneri tã graui ſeſe vellent ſubmittere, cum Veneto ſenatu conuentũ eſt, vtriuſq; partis ſponſoribus Pontifice regũq; Hiſpaniæ oratoribus, regum ſuorum nomine: vt Veneti in regnũ Neapolitanum Mantuæ Marchionem cum grauis armaturæ equitibus ſeptingentis, leuis armaturæ quingentis, ac tribus peditum millibus Ferdinando ſubſidio mitterẽt: claſſem præterea quam circa ea loca haberent, eadem ibidẽ tenerent: verùm ea cõditione, vt hæc auxilia, ſi quando ipſi eis opus haberent, reuocare poſſent: ad hæc, regi ad præſentem egeſtatem ſubleuandam, auri pondo C.L. commodarent: vt aũt ſumptus recuperandi ratio cõſtaret, ijdem ſponſores ſe effecturos vt eis Ferdinandus Hydrontem, Brunduſium, & Tranum pignori traderet: vtq; Monopolim & Pulignanum, quæ in ipſorum etiam tum erant poteſtate, retinerent, aſſentiretur promiſerunt: ea tamen lege, vt impenſis in id bellũ, receptis, ea omnia reſtituerent, impenſarũ verò nomine ſiue in bello, ſine in præſidijs, ſiue in munitionib. factarũ, ſupra duo millia auri pondo petere nõ poſſent: quibus portub. quòd in mari ſupero

positi sint,atque ob id Venetæ vrbi multum opportuni, Venetorũ potẽtia valde augebatur:quæ cum qui se opponeret, nemo iam esset:nec iam post Pisanorum susceptũ patrocinium, eorum cõsilia qui ventis vsq; adeò prosperè flantibus,lentius vela explicari dariq; voluissent, audirentur, in omnes Italiæ partes sese proferre ac dilatare incipiebat:nam prẽter res Neapolitanas atq; Hetruscas, Astorrẽ Fauentiæ dominũ recens cõduxerant:eiusq; regni patrocinium susceperãt:quod quidem ad Florentinos,Bononiã, Aemyliamq; reliquã in metu cõtinendam admodũ erat opportunum: his Venetorũ auxilijs,alia quoq; fœderatorũ auxilia accedebãt:quæ,Põtifex,Veneti,duxq; Mediolani, communibus impensis,Ferdinando submittebant:quanquam Ludouicus Maurus, nõdum prorsus à simulata Vercellensis cõpositionis obseruatione discedẽs, quamuis eius consilijs bona horũ negociorũ pars ageretur, suumq; his in rebus nomẽ proferri nolẽs, clàm se auri libras centum singulis mensibus appensurum in regni Neapolitani subsidium,repromiserat.Vrsinorum ac Vitelliorum profectio,res Aprutiorũ, iam in Gallos apertè cõmotas,confirmauit: iam enim Teramũ,ciuitasq; Teatina rebellauerant:ac,ne Aquila vrbs eius regionis præcipua,idem exemplũ sequeretur: metuebant, qua in fide Gallorum confirmata,Teramoq; pactione recepto, non Iulia noua direpta,omne ferè Aprutium Gallorum nomen sequebatur: atq; his de causis Ferdinandi res in toto regno palàm inclinare videbantur:nam Calabria ferè tota in Aubignini erat potestate: tametsi diuturnus eius morbus, cuius causa Ieracij constiterat, Consaluo tum Hispano milite, tum regulorum prouinciæ viribus, bellum in ea prouincia accensum tenendi,facultatem præberet. Caieta cum non paucis circumpositis oppidis, Gallis parebat:Romanæ vrbis præfectus cum suis copijs, cumque suæ ditionis viribus, Montiscassini castellis receptis,Leboriã terram, Campaniam olim dictã,ab ea parte infestabat:& Mõpensérius, etsi rei numariæ difficultas magno ipsi erat ad res gerẽdas impedimento,Ferdinandũ in loca munita compellebat,quem quidã eadẽ pecuniæ inopia laborantem,multisq; alijs ad bellũ opportunis destitutũ,Venetorum præsidiorũ spes valde sustentabat:quæ quidẽ præsidia recẽti fœdere cõstituta,tam citò quã opus fuisset,expediri nequibant.Beneuẽtum Mompensérius proditione occupare tentauit:sed Ferdinandus aliquid ea de re suspicatus,repentè in eã vrbẽ cũ suis copijs est ingressus.Ad vrbẽ Galli accesserũt:castraq; ad Pontẽ feniculi posuerunt:captoq; Fenezano,Apice,alijsq; cõplurib.circuniectis locis,in quib.cõmeatu destituti:q; vectigalia pecuaria in Apulia exigendi tẽpus instaret,q̃ quidẽ vel totius regni maxima ad summã ducatorũ octuaginta milliũ ascẽdebat,quæ omnia vnius mensis spacio cogebantur, Mõpensérius tũ vt hostes hoc cõmodo priuaret, tum vt suorũ egestatẽ subleuaret, in Apuliam copias suas conuertit:cuius regionis pars vna ipsius nomine:altera hostiũ tenebatur:cuius vestigia ponè Ferdinandus sequebatur, in id magis,vt aliqua arte aut diligẽtia hostis progressus impediret, quã vt pugnaret,intentus,dũ eius auxilia adessent. Interea, classis magnarũ nauiũ quindecim,& septẽ minorum Caietam peruenit:in quã Sauonæ octingenti è Geldria pedites, ijq; Heluetij & Vascones quos rex primũ magnis illis nauib.quæ Genuæ armari debuerant,portari cõstituerat, conscenderant, cui classi Ferdinandi classis quæ supra Caietam,vt in ea commeatũ importari prohiberet, speculabatur:pecuniæ defectu,rebus necessarijs malè instructa,cesserat:sic vt Gallica classis sine impedimento in portũ inuecta,turmas nauales in continentẽ exposuit,à quib.Itriũ, aliaq; vicina oppida capta fuerunt,multaq; abacta præda: ac de Suessa Ioannis Baptistæ Carracioli opera, qui se eos occultè intromissurum receperat,obtinenda, speratum : verùm Federicus,qui prius cum suis copijs,circa Tarentum cõsederat, pòst à Ferdinando ad Neapolim custodiendam erat missus,re intellecta,repentè in eam sese immisit: vbi episcopum aliquotq; alios proditionis cõscios captos custodiæ tradidit.In Apulia, vbi summa totius belli versabatur, varia fortuna vtriusq; exercitus res gerebatur: dum temporis iniquitate in oppida & castella miles distributus,quòd vno contineri non posset, in id vnũ incumbebat,vt validis excursionib. armenta gregesq; abigeret, & prædaretur, magis industria & celeritate, quàm armis & virtute vsus. Foggiæ Ferdinandum cum suorum militum parte:reliquis partem Troiæ, partim Nuceriæ dispositis, consederat: vbi,cum inter sanctum Seuerum, quò cum trecentis cataphractis Virginius Vrsinus, vt cum Mompensério coniungeretur, nouerat, interq;

interq; Porcinæ oppidum,in quo cum centum cataphractis Marianus Sabellus erat,ouium aliarumq; bestiarum greges penè innumerabiles errare accepisset, cum sexcentis grauis armaturæ, octingentis leuioris equitibus, & peditibus mille & quingentis, eò processit:ac circa auroram in Sanctiseueri conspectum venit:vbi cum cataphractis,quo Virginio,si se commoueret, resisteret,cõsistens,leuis armaturę equites excurrere iussit: qui per totam regionem discurrentes, ad sexaginta millia bestiarum abegerunt: ac Marianum Sabellum, qui Porcina ad eos infestandos eruptionem fecerat,in oppidum,triginta amissis cataphractis,compulerunt.Hoc detrimento ignominiaq; accepta,compulsus Mompenserius, vniuersis suis collectis copijs, Foggiam versus,quo prædam existimationemq; recuperaret,duxit: vbi fortuna felicius quàm ab initio sperarat, aspirante, inter Noceriam & Troiam in octingentos pedites Germanos primum mari Ferdinandi stipendijs,conductos: qui cum Troia vbi fuerant collocati,profecti,sua temeritate magis quàm regis mandato, contraq; Fabricij Columnæ cõsilium, qui & ipse Troiæ considebat,quo se cum rege coniungerent, iter faciebant:hi cum neq; fuga,neq; armis salutem suam tueri possent,nec se dedere vellent,omnes ad internecionem pugnando:non tamen hostibus victoria sine sanguine relicta, cæsi fuerunt, progressus pòst Mompenserius in Foggiæ conspectu exercitum ad pugnam instructam posuit:sed cum Ferdinandus leuem tãtum armaturam exiri permitteret, Galli ad Saltum Incoronatæ castra sunt metati:vbi cum biduum non sine commeatus difficultate mansissent,maiore pòst prędę parte recepta, denuò ad Foggiam rediere:ibiq; vnam noctem commorati,sequenti die ad Sanseuerum haud tota cum præda, quippe dum redeũt,à Ferdinandi equitibus vna parte spoliati,rediere:atq; in hunc modum bestijs dispersis,& abactis,vtriq; ex vectigali exiguam admodum vtilitatem percepere. Paucis pòst diebus Galli commeatus difficultate acti,in Campobassum quod per ipsos tenebatur,profecti sunt:quo ex loco Coleonessam siue Grigonisam vicinum oppidum vi cęperunt: vbi ab Heluetijs ducum autoritate contempta,ea crudelitate sæuitum est,vt tametsi regioni magnum terrorem incusserit, animos tamen multorum abalienauit:& Ferdinandus qua poterat res suas tutatus,Mantuaniq; reguli aduentum expectans,copias suas sexdecim aureorum millib. à Pontifice acceptis, ijs adiunctis quos ipse conficere potuit,instaurabat:quo tempore Heluetiorum cohortes, alijq; pedites qui classe Caietam appulerant, ad Mompenserium accessere: ab alia verò parte Mantuanus in regnum ingressus,Capuamq; via Sangermana multis eo itinere partim vi, partim deditione castellis oppidisq;,quanquam haud magni momenti,occupatis,profectus:se cum rege circa Iunij mensis initium,ad Nuceriam coniunxit: quo Cæsar Aragonius copias quæ circa Tarentum fuerant,conduxit:sic omnibus ferè tam Gallorum quàm Aragoniorum viribus vnum in locum cõtractis, illis peditatu, his equitatu superioribus, rei euentus anceps admodum videbatur:quòd quam in partem victoria inclinatura esset, dijudicari non posset. In Gallia verò per regem de subsidijs in regnum Neapolitanum mittendis agebatur:nam vbi de arcium Neapolitanarum amissione rex accepit, & quoniam Florentinis arces non essent redditæ,suos pecunia, & cęteris auxilijs destitui, tanquam è veterno cum quo in Galliã redijsse videbatur, excitatus,denuò ad res Italicas animum cœpit conuertere.vtq; magis liber ab eis rebus omnibus esset, quibus retineri posset,atq; vt se gratum de beneficijs in suis periculis acceptis declararet, equis ad celeritatem comparatis,Torsium primùm, mox etiam Lutetiam Parisiorum votis in Tarensi pugna nuncupatis diuo Martino ac Dionysio satisfacturus,contendit: vnde ea celeritate Lugdunum reuersus,indies magis ac magis in hac cogitatione & cura accendebatur: quam ad rem sua sponte propensissimus erat: sibi ad maximam gloriam ascribens, quòd tam nobile regnum acquisiuisset: quodq; Galliæ regum primus post multa secula ipse præsens in Italia armorum & victoriarum Gallicæ gentis renouasset:cumque sibi persuaderet,difficultates quibus Neapoli rediens laborauerat,ex mala suorũ disciplina potius,quàm ab Italorũ potentia aut virtute,quorum nomen in re militari apud Gallos iam nullum erat,fuisse profectas: eius præterea animum Florentinorum oratores, cardinalis Hostiensis,& Triultius, qui hac ipsa de causa in aulam redierat, extimularent, cum quibus idem vrgebant Vitellocius & Carolus Vrsinus,nec non Montorij comes,eandem ob causam ab regulis qui in

regno Neapolitano Francorum partes sequebantur, missus: ac denique Belcarius ipse Caieta mari ad regem profectus: magnam spem victoriæ, modò citra vllam moram idonea auxilia mitterentur: & contrà, eius regni res, auxilijs destitutæ diu sustineri non posse, demonstrabat: præter hos etiam haud minima procerum Galliæ pars, antea ab rebus Italis abhorrens, idem propter ignominiam quæ Gallico nomini inureretur, si quidem quod partum erat per socordiam amitteretur, multoq; magis ne tãta Francorũ nobilitas, quæ grauissima esset omnium iactura, in regno Neapolitano periret, suadebant: nec huiusmodi consilia motibus qui Hispaniæ regum nomine à Perpeniano glisscebant, frænabantur: propterea quòd, cum nomine quàm re apparatus illi maiores essent: eorumque regum vires suis regnis tuendis, quàm aliorum inuadendis essent firmiores, ei malo remedium idoneum putabatur, quod Narbonem, atque ad alia Hispaniæ finitima loca, satis valida equitum Gallorum ac peditum Heluetiorum præsidia fuerant missa: itaq;, procerum omnium & regulorum qui tum in aula erant coacto concilio, decretum fuit, vt quanta maxima celeritate posset, Astam Triultius cum proregis appellatione, atque honore, cum cataphractis octingentis, Heluetiorum duo millia, & totidem Vasconum, reuerteretur: Aurelianus item paulo pòst, cum alijs copijs Alpes superaret: ac denique cum reliquis omnibus ad bellum opportunis rex ipse: cuius nutu, siquidem potenter descenderet, non ambigebatur Sabaudum, Salucium, & Monferratensem, ad bellum Insubribus faciendum admodum opportunos esse secuturos: credebaturq; omnes Heluetiorum pagos, Berna excepta, quæ Ludouico Mauro fidem dederat, se nihil contra ipsum moturam, regis stipendia summa alacritate facturos: quæ consilia eo maiore consensu decreta sunt, quòd rex eius rei desiderio ardere videretur: qui prius quàm in consilium veniret, Borbonium vehementer orauerat, vt magna verborum vi, bellum illud omnibus regni viribus, necessariò esse faciendum: pòst etiam in consilio eodem feruore verborum Ammiralio refutato, qui paucis consentientibus, non tam directò contradicendo, quàm multis obiectis difficultatibus, aliorum animos ab ea expeditione obliqua oratione auertere, conatus erat, rex palàm est contestatus, in sua non esse potestate, aliud statuere, quòd Dei voluntate atque instinctu, in Italiam ipsemet redire cogeretur. Fuit quoque in eodem consilio decretum, vti naues triginta in quibus vna maxima erat Normana appellata, itemque altera & ipsa magna, Rhodiorum equitum, ab oceani occidentalis litore, in prouincię portus transirent: vbi triginta partim triremes, partim quos vocauit Galeones, armarentur: quo tam magna classe in regnum Neapolitanũ, militũ, cõmeatus, pecuniæ, aliarumq; munitionũ validissimũ subsidium importaretur: ac nihilominus, dum ista parantur, sine vlla mora aliquod nauigium viris & commeatu onustum, mitteretur: ad hæc, vt Mediolanum Rigaultus regiæ domus magister, proficisceretur: quoniam dux, quamuis duas naues, vt promiserat, non dedisset, nec vt regis nomine Genuæ naues instruerentur, permisisset, ac naues tantum ad Rapallum captas, restituisset, sed non naues longas duodecim in Genuæ portu retentas, excusare id factum esse Genuensium contumacia, studuerat: ac varijs artibus suos homines continenter apud regem tenuerat: ad quem Antonium Mariam Palauicinum recens miserat, se pacta seruaturum confirmans: petensque sibi quinquaginta millium aureorum numûm solutionem, quos ex compositione Aureliano duci deberet, prorogari: quibus ex artibus, tametsi perexiguum fructum reportaret, quòd eius mens regi esset, cum ex alijs actionibus, tum quòd ex literis alijs monumentis & indicijs, quæ intercepta fuerant, inuenerat, ab eo continenter Romanorum, Hispaniæque reges ad bellum in Galliam mouendum extimulari: nihilominus sperans eum timore fortè ad id induci posse, à quo voluntate alienus erat, Rigaulto mandatum fuit, vt sine vlla rerum præteritarum altercatione, duci significaret, in sua esse manu præteritarum memoriam offensarum abolere, siquidem promissa facere inciperet, triremibus restituendis, nauibus duabus tradendis, regi Genuæ armare permittendo: his præterea regis in Italiam reditum adiunxit: qui quidem ipsius cum grauissimo detrimento foret, si dum ad pristinam amicitiam redire facultas præbetur, eam contemneret: quam rex ab eo inanibus suspicionibus potius quàm aliam ob causam imprudenter spretam esse, existi-

existimaret. Iam tantorum in Gallia apparatuum, in Italiam delata, sociorum animos vehementer perturbarat, ac præter cęteros Ludouicus Sfortia, primus hostium furori expositus, maximis curis afflictabatur: cum præsertim cognouisset ab rege post Rigaulti ab aula discessum, suos procuratores omnes cum verbis & signis satis asperis, esse dimissos: quamobrem, periculi magnitudinem animo voluens, quodque omnia belli incommoda, in se vnum suumque imperium deuolutum iri, regis postulatis facilè annuisset, nisi in regem offensarum conscientia, retentus esset: his enim tanta in eius animo diffidentia ingenita erat, vt difficilius fuisset medium ad vtrius securitatem inuenire, quàm in controuersiæ capitibus conuenire: nam cum id ab vnius securitate auferretur, quod ad alterius securitatem concederetur, neuter in alterius fide ponere volebat, id quod alter in sua ponere recusaret: sic cum Ludouicus id consilium capere quod ipsi molestius erat, quo saltem pericula differret, necessitate cogeretur, cum Rigaulto ijs artibus vti perrexit, quibus ad eam horam vsus erat: vehementer asseuerans, se Genuenses coacturum, modò rex per idoneos sponsores Auenione de nauium restitutione caueret: atque vtraque pars obsidibus datis repromitteret, nihil alteram partem noui in alterius partis detrimentum tentaturam: quæ res multis diebus agitata, eum demum finem propter varias cauillationes ac difficultates interpositas habuit, quem aliæ pariter habuerant: verùm Ludouicus nequaquam inutiliter id temporis terens, dum hæc colloquia pendebant, certos homines ad regem Romanorum misit, qui eum vt in Italiam suo atque Venetorum auxilio veniret, inducerent: cum Venetis verò per suos legatos egit, vt in hos sumptus, communis periculi vitandi causa, concurrerent: atque ad Alexandriam versus ea præsidia mitterent, quæ Gallis opponi posse viderentur: quod illi se facturos esse facilè promiserunt: at non eandem facilitatem in regis Romani transitu ostenderunt: quòd is parum esset eius reipublicæ amicus, propter ea quæ ipsi in continenti possiderent, quæ ad imperium atque ad Austrios pertinerent: nec assentiebantur, vt communibus impensis in Italiam exercitus conduceretur, qui in omnibus ab Ludouici nutu penderet: nihilominus vehementer id vrgente Ludouico, quòd præter cætera quæ illum mouebant, Venetorum vires solæ in Insubria ei erant suspectæ. Venetus senatus ne is qui vehementer, vt constabat, perterritus erat, cùm Gallo reconciliaretur, veritus, tandem ei est assensus: legatos eandem ob rem, ad Cæsarem misit. Metuebant præterea Veneti & Ludouicus, ne Florētini simul ac rex Alpes superasset, in Ligustico litore aliquid mouerent: idcirco cū Ioanne Bentiuolo egerunt, vt cum trecentis grauis armaturæ equitibus, cum quibus erat à fœderatis conductus, Florentinos qua parte Bononiensibus finitimi sunt, infestis armis inuaderet: pollicebanturq; eodē tempore, ab Senensibus, atq; ab ijs qui Pisis erant, infestatum iri: sese præterea obligaturos, si fortè is Pistorium vrbem occuparet, ipsi ad eam retinendam auxilio futuros: cuius rei etsi Bentiuolus eis spem faceret, tamen cum animo esset alienissimus, ac non parum Gallorum aduentum pertimesceret, clàm ad regem misit qui præterita ex loco in quo posita Bononia est, excusaret: polliceturq; Bentiuolos ab eius nutu velle pendere: eiusq; causa à Florentinis infestandis abstinere. Verùm enim, non satis erat regis voluntas, quanuis ardentissima, ad ea quæ in consilio erant constituta perficienda: etsi regis honor, & regni Neapolitani pericula celeritatē maximè poscerent: propterea quòd Maclouiensis in cuius manu non modò rei numariæ explicandę, verumetiam totius regni summa administratio posita erat, etsi palàm nihil repugnaret, nihilominus solutionib. necessarijs prolatandis expeditiones in tantū retardabat, vt nulla prouisio ad exitū perduceretur: quòd quidē facere putabatur, siue quòd ea ratio ad suam autoritatē perpetuandā, potior videretur, si nullū sumptum faceret, qui aut præsentē vtilitatē, aut ad regis voluptates pertineret: siue ne quotidie nouas rerū difficultates, reiq; numariæ angustias, pponere cogeretur, siue, vt nō pauci dubitabāt, largitionibus & promissis corruptus, arcana cōsilia cū Pōtifice, aut Mediolani duce haberet: nec huic cessationi regis cohortationes p̄ceptaq; interdū iracundię verborūq; cōtumelioſorū plena, medebātur: nā cū eius naturā cōpertā haberet, ei, pmissis reb. ipsis prorsus aduersis satisfaciebat, atq; in hūc modū rerū cōstitutarū effectione retardata, omnia ferè cōsilia casu quodā inopinato, cōciderūt. nā rex cū omnes expectarēt, vt paulo

pòst in Italiam moueret, circa finem mensis Maij, Lutetiam proficisci decreuit: cuius profectionis eas causas afferebat: primùm quòd veterum regum more, antequam è Gallia discederet, Diuum Dionysium Parisijs, Torsij verò D. Martinum solita cum ceremonia salutare vellet: deinde, cum in Italiam transire pecunia exuberantissimus, decreuisset, ne in eas rei numariæ difficultates incideret, quibus anno superiore erat conflictatus, opus esse vt & alias Galliæ ciuitates Lutetiæ exemplo, à qua nisi ipsemet adesset, extorqueri nihil posset, ad pecuniam expediendam, induceret, quodq; quo magis ipse in interiora Galliæ procederet, eò magis equites qui è Normania & Picardia mouebantur, vt iter accelerarent, vrgeret: affirmabatq; ante suum Lugduno discessum, Aurelianum se expediturum: seq; intra mensem Lugduni futurum. Verum enimuerò, verior ac potior eius profectionis causa credita est, quòd amore cuiusdam in reginæ cubiculo puellæ amore teneretur: quæ regina paulo ante Torsium cum omnibus suis erat profecta: nec suorum consilia, nec ardentes ac lugubres Italorum preces, eum ab huiusmodi proposito auertere potuerunt: qui ei quàm damnosum esset tempus bello opportunum amittere, in tantis præsertim suorum in regno Neapolitano angustijs, demonstrabant: quamq; pernicioſa fama per Italiam dissipata, eum tunc remissiorem factum, cum Italiæ appropinquare maximè deberet: minimis momentis, quouis velleuissimo rumore, maximarum rerum momẽta verti, expeditionumq; existimationem amitti, quam, vbi semel cœpit inclinare, quamuis illi pòst multo gererent maiora ijs quæ prius homines sibi de ipsis promisissent, erigere ac recuperare difficillimum esset: hæc monita cum ille contemneret, mensemque amplius Lugduni fuisset, se ad illud ipsum iter accinxit, Aureliano minimè expedito, sed Triultio tantùm cum paucis Astam, non ad belli apparatum, quam vt Philippũ, qui paruuli ducis nepotis sui interitu, in Sabaudiæ ducatum nuper successerat, in sua amicitia confirmaret, dimisso: nec ante regis discessum de rebus Neapolitanis effectum est aliud, quàm quòd sex naues cum commeatu Caietam sunt missæ: spe facta, citò validam classem secuturam: procuratum præterea, etsi serò, per mercatores Florentiæ est, vt Mompenserio aureorum numûm quadraginta millia persoluerentur, propterea quòd Heluetij Germaniq; milites, ni ante calendas Iulias sua stipendia acciperent, se in hostium castra transitiones facturos, minati contestatiq; fuerant. Lugduni Aurelianus & Maclouiensis, totumque consilium remansit, cum mandatis, vti bellicum apparatum accelerarent: quas res, si cardinalis Maclouiensis rege præsente lentè procurauit, multo etiã eo absente lentius administrauit: at Neapolitanæ res horum remediorum tarditatem expectare iam non poterant, quòd bellum, tum propter vtriusq; partis copias vndiq; congregatas, tum ob multas difficultates quæ ab vtraq; parte nudabantur, eo loci redactum erat, vt id sine vlla dilatione terminari necesse esset. Ferdinandus, postquam Venetas copias sibi adiunxisset, Castellum Frãcũ occupauerat: vbi cum ducentis cataphractis Ioannes Sfortia Pisauri dominus, & Ioannes Gonzaga, Mantuani Marchionis frater, fœderatorum duces se ei adiunxerunt: ita vt in eius castris in summa essent, mille & ducenti grauis, mille & quingenti leuis armaturæ equites: peditum verò quatuor millia: Galli quoq; eodem tempore ad Circellas, decem prope Beneuentum milliaria, suas copias admouerunt: ad quas cum Ferdinandus quatuor millia passus accessisset, ad Frangetas Monfortianos copias duxit: quem locum, quòd bene munitus esset, primò impetu capere nequiuerunt: Circellis quo eis opem ferrent, mouerunt Galli: sed in tempore non affuerunt: quòd secundum oppugnationem veriti Germani milites, qui in præsidio erant, oppido ad voluntatem hosti relicto, iam deditionem fecerant: quæ occasio si à Gallis cognita fuisset, eorum felicitatis causa extitisset, nisi aut imprudentia, aut aduerso fato eam amisissent: nam eo die facilè (quod omnes ferè fatentur) hostem in oppidi direptione magnam partem occupatum, debellassent: miles enim prædæ intentus, præfectorum imperia non attendebat: qui præfecti cum viderent inter Gallos, suaq; castra, vnam modò vallem interesse, omni adhibita cura, militem ad signa reuocare conabantur. Hanc tam grandem tam ostentatam occasionem cognouit Mompẽserius, cognouit Virginius: quorum alter imperabat: alter, certa victoria demonstrata profluentibus lacrymis rogabat, vt vallẽ quãta possent celeritate, dum in Italorum castris omnia erant confusionis ac tumultus plena: dum

na:dum miles pars rapere, pars rapta exportare intentus, ducum & præfectorum non audit imperia,transmitterent.Sed enim Persiuus vnus Gallici exercitus,post Mompenserium princeps,siue iuuenili leuitate motus, siue,quod magis est creditum,Mompenserij inuidens gloriæ, allata vallis transmittendæ difficultate, quòd ferè sub pedibus hostis esset ascendendū: præterea castrorū situm natura munitum:ac deniq; apertè militem à pugna dehortando,consilium vsq; adeò salutare impediuit:existimatū etiam est, Heluetios Germanosq; ab eo instigatos,stipēdijs importunius postulādis,tumultuatos esse:quamobrē,Mompenserius pedē referre cōpulsus,Circellas est reuersus: quas cum postero die oppugnare cœpisset: & Camillus Vitellius circa muros egregij & ducis & militis munia obiret, saxo caput percussus,vitæ finem habuit:quo casu Galli non expugnatis Circellis, castra inde mouerunt, atq; Arrianum versus duxerunt,eo tum animo, vt oblata occasione, pugnæ fortunam tentarent: cui consilio contrarium prorsus erat Aragoniorum consilium, in qua sententia maximè Venetorum legati firmiter stabant: qui cum scirent hostem commeatus difficultate iam laborare, & pecunia penitùs carere,in Gallia quoque subsidia lentius expediri,indies eorum res deteriores,& incommoda maiora futura sperabant: in alijs etiam regni partibus, maiores molestias habituros: quippe, in Aprutijs, quo Annibal Camerini reguli spurius recens ad Ferdinandi iuuandas partes sua voluntate cum quadringentis equitibus suo ære conductis profectus, Bitontinum Marchionem debellauerat: ad hæc, dux Vrbini cum trecentis cataphractis, nuper à fœderatis conductus, expectabatur: quorum fortunam, præmiaque maiora secutus, Florentinorum stipendia, quibus in annum & amplius futurum erat obligatus, reliquerat, ea vsus excusatione,quòd cum esset Pontificis beneficiarius, non poterat non Pontificis mandatis obtemperare: aduersus quem cum Gratianus Guerra procederet, in Sermonetæ planicie cum Celani Populique comitibus cum quibus erant trecenti equites, peditum tria millia, ex agris collectorum, congressus,eos in fugam conuertit. Verùm,amissa ad Frangetas vincendi occasione,simul etiam fortuna Gallorum apertè cœpit inclinare,vno eodemq; tempore innumeris propemodum difficultatibus concurrentibus: extrema pecuniæ inopia,cōmeatus caritas, populorum odium,præfectorū discordia,militū cōtumacia,multorūq; ab castris partim necessitate,partim voluntate,discessio:nam & ab regno cogēdæ pecuniæ, nisi perquàm exiguæ,facultas fuerat: nec ex Gallia summa aliqua saltē tolerabilis,suppeditati: quòd vel quadraginta millium aureorum Florentiam missorum,sera nimis fuerat explicatio. His igitur de causis, atque insuper propter vicinitatem multorum locorum,quæ hostis propinquitate sustētabantur, cum ad cōmeatus conuectionem opportuna remedia inuenire nequirent: & castra confusionis essent plena: militum animi abiecti, Heluetij cum Germanis quotidie stipendia non sine tumultu flagitarent: consilijs denique omnibus Persiui & Mompenserij dissidium, plurimum obesset,Bisiniani princeps,vt ad suum tutandum regnum cum suis omnibus copijs Consalui, qui circa ea loca suas habebat acies, metu, discederet, compulsus est: complures etiam milites pagani, manipulatim difluebant: quippe, præterquam quòd nullam vnquam pecuniam acceperant,malè à Gallis atque ab Heluetijs in prædæ commeatusq; distributione accipiebantur:quibus difficultatibus, maximè verò ob commeatus angustiam, Gallicæ copiæ paulatim de loco in locum retrocedere, quod magnopere eorum apud omnes existimationem imminuebat,cogebantur,quanquam hostis eorum vestigia perpetuò insequeretur,nulla tamen pugnæ cōmittendæ,quod summopere Mōpenserius Virginiusq; cupiebant,facultas præbebatur: Aragonij enim, ne pugnare cogerentur,castra semper in locis munitis, & vbi suis commoditatibus prohiberi non possent, metabantur: ad quos cum Philippus Russus,qui centum cataphractos Venetorum nomine ducebat, vt cum his se coniungeret, progrederetur, à præfecti Romani turmis fuerat debellatus. Tandē cum Galli sub Montem Caluulū & Casalarborem prope Arrianum cōstitissent, Ferdinandus castris ab eis ad sagittæ iactū, in loco tamē natura munito,positis,ad commeatus summam angustiam, aquatione etiam intercluſa eos redegit: ex quo Apuliam vbi commeatus commoditatem se posse nanciſci sperabant,proficiſci statuentes:veriti in tanta præsertim hostis vicinitate, ne in eas difficultates inciderēt,in quas facilè exer-

citus discedentes incidunt: prima statim noctis vigilia vasis collectis, passuum viginti-quinq; millia, antequam consisterent, confecerunt: quos cum mane Ferdinandus insequi cœpisset: se autẽ eos consequi posse desperaret, ad Giesualdum castra posuit: quod oppidum cum alio tempore quatuordecim mensium obsidionem sustinuisset, vno die expugnatum fuit: quæ res valde Gallos fefellit: qui cum Venusiæ consistere loco & natura munito, & fertili, decreuissent, existimarentq; à Ferdinando Giesualdũ haud tam citò captũ iri, in causa fuit, vt Attellæ tempus inaniter, dum eam captam diripiunt, consumerent: quapropter, priusquam inde discederent, Ferdinandus, qui capto Giesualdo iter accelerauerat, superuenit: & quamuis ipsius copiarum partem quæ præcesserat, repulissent, cum se Venusiam quæ octo passuum millibus inde aberat, recipere non posset, Attellæ, vt ibi, si fortè alicunde subsidia compararent, expectarent: atq; ob Venusiæ multorumq; circà oppidorum, quæ ab ipsis tenebantur, propinquitatem, commeatus commoditate vti posse sperantes, constitere: vbi Ferdinandus illicò positis castris, in id tantum, vt eos commeatu, quandoquidem certam victoriam citra periculũ & sanguinẽ, se adipisci posse sperabat, prohiberet: itaq; fossis circũquaq; ducendis, & vicinis oppidis occupandis, sedulò incumbens, nulli diligentiæ, nulliuo labori, aut operę parcebat. Verùm, Gallorum res aduersæ, rem illi faciliorem indies reddebant: nam Germanorum cohortes, cum ab eo tempore quo domo discesserant, nisi in duos menses stipendia accepissent, omniaq; solutionum tempora inaniter expectata, præterijssent, in Ferdinandi castra transierunt: ex quo, aucta ipsi hostis infestandi, atq; latius euagandi facultate, difficilius in Gallorum castra commeatus, Venusia alijsq; ex circunjectis locis, importabantur: ne Attellæ tantum erat commeatus, vt Gallis multos dies sustentandis, satis esse posset: nam, frumenti copia perquam exigua ibi erat: cumq; ab Aragonijs molæ frumentariæ in flumine muris proximo, corruptæ essent, molendi facultate priuabantur: nec præsentia incommoda, futurorum commodorum spe, leuabantur: quãdoquidem nulla ex parte alicuius opis aut subsidij signum apparebat. At enim, calamitas, in Calabria accepta, res illorum omnes prorsus prostrauit: quippe, cum Consaluus, occasione ex Obignini diuturna valetudine, quamobrem multi ad Mompenserij se castra contulerant, accepta, in ea prouincia complura oppida cæpisset, postremò cum Hispanis, ac nõ paucis eius prouinciæ militibus, ad Castrouillarium consederat: vbi, cum Meleti comitem, Alberigumq; Sanseuerinum, multos præterea alios regulos Laini, militum numero, suis ferè parem, esse: qui continenter augescentes, statuebant, vbi validiores contraxissent copias, in se impetum facturos, accepisset, anteuertere statuit, se illos incautos, loci natura fretos ac securos, sperans: propterea quòd Laini arx ad Saprini flumen, quo Calabria à principatu separatur, posita est: oppidum verò in aduersa fluminis ripa: in quo ipsi castris positis ab arce, si quis eos recto itinere inuasisset, defendebantur: inter Lainum verò, & Castrouillarium, Muranum, nonnullaq; alia Bisiniani principis castella, quæ ipsi tenebant, intererant. Verùm, Consaluus diuerso prorsus consilio, Castrouillario cum copijs suis vniuersis secunda noctis vigilia, mouit: rectoq; itinere relicto, latum iter, etsi multo longius ac difficilius, quòd montes quidam erant superandi, cæpit: atque vbi ad flumen peruenisset, peditum cohortes, via quæ ad pontem ducit, Laini arcem inter & oppidum, iri iussit: qui pons eadem quam paulo antè commemoraui, securitate, negligenter custodiebatur: ipse verò cum equitatu, amne duobus supra pontem milliabus, vado transmisso, ante ad oppidum quàm luceret, peruenit, hostemq; sine vigilibus, & sine custodibus nactus, eum momentò oppressit, vndecim regulis, omnibusque ferè militibus, qui arcem versus fugientes, in pedites, qui iam pontis transitum occuparat, captis. Hac nobili victoria, quæ prima Consaluo in regno Neapolitano fuit, alijs quibusdam Calabriæ oppidis receptis, viribusque adauctis, Consaluus cum sex millibus militum in Ferdinandi castra, quæ circa Attellam erant, concessit: quò etiam paucis diebus antè centum cataphracti Candiani ducis fœderatorum auspicia sequentis, venerant: nam ipse cum reliquis suis equitibus, in Latio remanserat, Consalui aduentu, arctius Attella à tribus partibus circunsessa, obsideri cœpit: nam ab vna parte Aragoniorum copiæ, ab altera Venetorum, à tertia Hispanorum positæ erant: quo fiebat vt omni ferè commeatu inferendo, præsertim longè lateq; equitibus Græcis, quos Veneti misc-

miſerant,diſcurrentibus,intercluderetur:à quibus equitibus multi Galli Venuſia commeatum adducentes,capti fuerunt,ſic vt qui intus erant,nullam iam facultatem prædatum exeundi,niſi certis horis,magnoq; comitatu,qua etiam re omnino priuati fuerunt, haberent: cumq; Paulus Vitellius cum centum grauis armaturæ equitibus circa meridiem erupiſſet, à Mantuano regulo, in inſidias pertractus, ſuorum partem amiſit. In hunc igitur modum omni commoditate priuati,in tantas demùm anguſtias adacti ſunt, vt ne cum præſidiis quidem flumine ad aquandos equos vti poſſent: in oppido verò aqua vſibus hominum neceſſaria deſtituerentur: quibus tot tantisque malis victi, omniq; ſpe prorſus deſtituti, iam duobus & triginta diebus obſidionem paſſi, ad deditionem compulſi,fide publica impetrata, Perſiuum,Barptolemæum Aluianum,vnumq; ex Heluetiorum præfectis ad Ferdinandum miſerunt: cum quo induciæ in hanc ſententiam ſunt conſtitutæ: vt in triginta dies vtrinq; offenſæ ceſſarent: quo tempore nulli obſeſſorum diſcedere liceret: vt Aragonijs ſingulis diebus ad victum neceſſaria obſeſſis pręberentur: liceret Mompenſerio ſuum regem de hac compoſitione certiorem facere: ſi eo triginta dierum ſpacio, opem nemo ferret,Attellam,atque vnà quicquid in regno Neapolitano in ſua eſſet poteſtate, cum omnibus militaribus tormentis, quæ in eis locis eſſent, ſaluis tamen militibus, eorumque fortunis, relinqueret: quibus terra mariue in Galliam abire, Vrſinis quoque alijsque Italis militibus vnà cum ſuis copijs quocunque extra regnum vellent, liceret: regulis verò & alijs qui partes Gallicas erant ſecuti, ſi intra dies quindecim ad Ferdinandum irent, omnis pœna remiſſa eſſet, omniaque quæ belli initio poſſidebant,reſtituerentur: quibus dieibus exactis, Mompenſerius cum omnibus Gallis, multisque Heluetijs, Vrſinique ad Caſtellum quod ad mare Stabianum eſt, deducuntur: ibique diſputabatur, an Mompenſerius vt regis legatus ſummusque in eo bello imperator, omnia quæ in toto regno regis Galliæ nomine poſſiderentur, vti ea reſtituerentur efficere,quemadmodum volebat Ferdinandus,teneretur:quippe, Mompenſerius ad ea tantum ſe obligari, quæ in ſua eſſent poteſtate,aſſeuerabat:aiebatq; autoritatem ſuam eò non pertinere,vt illis prefectis & arcium cuſtodibus parendi neceſſitatem imponeret,qui in Calabria,in Aprutijs,& Caietę, multisq; præterea alijs & oppidis & arcib. eſſent,quarũ cuſtodiam ab rege ipſo,& non à ſe accepiſſent:qua de re,poſtquã aliquot dies fuit altercatũ, Baias, quaſi inde Ferdinandus eos dimiſſurus eſſet, ſunt deducti:vbi eo prætextu,quaſi naues quibus vehendi forent,nundum inſtructę eſſent,tam diu fuerunt detenti,vt inter Baias & Puteolos ſparſi,tum aeris graui affectione, tum multis alijs incommodis expoſiti, grauibus morbis infici cœperunt,adeò vt Mõpenſerius ipſe ibi vitam amitteret:atque è ſuis qui erant ſupra quinque millia,tot interière, vt vix quingẽti incolumes in Galliam redierint:Virginius autem Paulusq; Vrſini,petente Pontifice,qui eam iam familiam fortunis omnibus euertere ſtatuerat,in Oui arcem incluſi fuerunt:horũ quoq; copię, quas Ioanneſiordanus,Virginij filius, & Aluianus ducebat, eiuſdem Pontificis mandato,ab Vrbini duce in Aprutio armis equisq; exutæ fuerũt:ad hæc,Ioanneſiordanus,Aluianuſque,qui Ferdinandi iuſſu copijs in itinere relictis, Neapolim redierant,in carcerẽ ſunt coniecti:quanquã Aluianus,ſiue ſua induſtria,ſiue occulto Ferdinandi,cui admodũ carus extiterat, fuga euadendi facultatem inuenit. Poſt Attellanã victoriam Ferdinandus copijs ſuis ad reliqua recuperanda, in varias partes diſtributis, ad Caietam obſidendam Federicum Aragonium, Proſperumque Columnam miſit:in Aprutium, vbi iam Aquila ad Aragonium fidem redierat, Fabricium Columnam:ipſe verò Sanſeuerini arce vi capta,atque ad aliorum terrorem præfecto vnà cum filio capite multatis,ad Salernum copias eduxit:vbi Biſiniani princeps, cum eo in colloquium venit:in quo res ſuas, Salernitani principis, & Capaccij comitis,nec aliorũ quorundam regulorum cõpoſuit, ea conditione vti omnes res ſuas poſſiderent, ſed Ferdinandus arces ad certum tempus teneret:quibus rebus compoſitis,Neapolim ſe contulerunt.In Aprutio non admodum eſt laboratum:quòd Gratianus Guerra,qui ibi cum equitibus octingentis erat,ſui defendẽdi facultate priuatus,ſeſe Caietã recepit.In Calabriã,cui bona pars à Galli tenebatur, Conſaluus redijt:vbi,etſi Obigninus nonnihil oſtaret, tamẽ ad extremũ ſe Groppolim recepit:cumq; Manfredoniam Coſentiamq; primùm à Gallis direptã amiſiſſet,

omni reliqua ſpe diſtitutus, pactione totam Calabriam reliquit: eiq; vt terreſtri itinere in Galliam rediret, conceſſum. Certum eſt, pleraq; ex ijs quæ diximus, negligentia ſocordiaq; Gallorum accidiſſe: nam etſi Manfredonia munita eſſet, atq; in fertili regione ſita, ſic vt commeatu probè inſtrui poſſet: in eaq; rex Gabrielem à Monte Falcone, qui eam cuſtodiret, quòd eum hominem ſtrenuum exiſtimaret, reliquiſſet, nihilominus poſt non longam obſidionem, fame deditionem facere eſt compulſus: alij aut cum ſe tueri poſſent, timore, aut incommodorum quæ obſeſſis propoſita ſunt impatientia, in hoſtiũ manus deuenere: quidam arcium præfecti, commeatum quem in arcibus copioſum inuenerant, initio diſtraxerunt: quapropter, hoſte conſpecto, illicò deditionem facere cogebantur: quas ob res, Galli in regno Neapolitano eam exiſtimationem, quam eius virtus, qui ab Ioanne Aniouino arci Ouatæ præfectus fuerat, nomini Gallico conciliarat, amiſerunt: is enim poſt Ferdinandi victoriam, eam per annos multos tenuit, donec abſumptis omnibus, quibus vita ſuſtentari poterat, neceſſitate extrema compulſi, eam reliquerunt. Cum igitur Aragonijs ad totius regni recuperationem, nihil iam præter Tarentum, Caietamq;, nec non quædam à Carolo Sanguine poſſeſſa, Sanctiq́ue angeli montem, vnde Iulianus Lotharingus ſumma cum laude vicina loca infeſtabat: Ferdinandus in ſummo gloriæ faſtigio collocatus, magnaq; ſpe ſe maiorum ſuorum magnitudini parem futurum, Sommam ſe contulit, oppidum in Veſeui Montis radicibus poſitum, vbi regina coniunx ipſius tum erat, conceſſit: hîc, ſiue militiæ laboribus exantlatis, ſiue nouis offenſionibus corporis temperamento diſſoluto, in tam grauem morbum incidit, vt Neapolim ſine vlla propemodum ſpe ſalutis delatus, huius vitæ curriculum, nec dum anno à morte Alfonſi finito, concluſit: ſuæ virtutis, tum ob recentem victoriã, tum ob animi generoſi indolem, tum ob multas regias virtutes, quæ in eo haud mediocriter elucebant, non modò in toto ſuo regno, verùmetiam per totam Italiam maximã opinionem relinquens. Deceſſit ſine liberis: idcirco ei Federicus patruus ſucceſſit: cum quinq; trium annorum ſpacio reges in eo regno fuiſſent: cui ſtatim è Caietana obſidione redeunti, regina eius nouerca, arcem nouam, etſi permulti dubitarent, eam regis Hiſpaniæ Ferdinandi fratris ſui nomine retenturam, tradidit: qua in re non modò populi Neapolitani voluntas egregia in Federicum ſeſe oſtendit, verùmetiam principum Salerni & Biſiniani, comitisq; Capaccij: qui primi Neapoli eius nomen proclamarunt: eumq; è naui deſcendentem obuiam progreſſi, regem ſalutarunt: eo multò cõtenti magis, quàm mortuo: propter animi ipſius manſuetudinem: quodq; haud exigua ſuſpicio ſuborta eſſet, Ferdinandum, vt primùm res ſuas confirmaſſet, eos qui quouis modo ſe Gallico nomini ſtudere oſtendiſſent, omnes acerbiſſimè perſequi, in animo habuiſſe: at Federicus, quo eos ſibi integra fide reconciliaret, omnibus ſuas arces magna cum laude liberaliter reſtituit. Hæc autẽ quæ tanta confuſione, tantaq; Gallici nominis cum ignominia & detrimento acciderant, nec animum, nec apparatus regis Galliæ commouerunt: qui voluptatibus irretitus, ſuum Lugdunum aduentum quatuor menſes diſtulit: & quanquam interea ſæpe ſuis qui Lugduni reſtiterant, inſtaret, vt maritimi terreſtresq; apparatus accelerarentur, duxq; Aurelianus ad profectionem eſſet accinctus, nihilominus ijſdem Maclouienſis artibus, & miles ſerò ſtipendijs repræſentatis, Italiam verſus lentè procedebat: & claſſis quæ Maſſiliæ conuenire debuit, tanta tarditate inſtruebatur, vt ſocijs ſpacium ſit datum Villafrancam primùm, portum prope Niceam ampliſſimum, pòſt ad Pomicas Maſſilienſes vſq; claſſem, quam Genuæ communibus impenſis coniunxerant, mittendi, quò, ne qua nauis Neapolim è Gallia mitteretur, impedirent: ad hanc tantam moram Maclouienſis opera iniectam, aliquam occultiorem cauſam, in regis pectore multa & diligentia & arte nutritam ab ijs qui varijs de cauſis adnixi fuerant regis animum ab rebus Italiæ remouere, accedere homines non inſulſi opinabantur: itaq; ſuſpicabantur, regem Aureliani felicitati nonnihil inuidere, ad quem ex victoria Inſubriæ imperium peruenisſet: erant præterea qui regi perſuaderent, ni prius cum Hiſpaniæ regibus aliquo modo controuerſias componeret, qui vt voluntatem cum eo in gratiam redeundi oſtenderent, legatos miſerant, qui ei inducias, aliosq; concordiæ modos proponerent, è Gallia non eſſe vllo modo diſcedendum. Alij vt Reginæ partum propinquum expectaret, hortabantur: eius prudentiæ non eſſe, neque amoris quo ſuos popu-

populos complecti deberet, vitam ſuam tot periculis exponere, ni prius filium tanti regni hęredē ſuſciperet: quæ ratio reginę partu roborata eſt: quippe breui mortuus eſt ex ea natus filius. Sic, partim negligentia, debiliąque regis conſilio: partim difficultatibus magno quorundam artificio interpoſitis, in tantum dilati ſunt apparatus, vt ſuorum qui in Italia erant extremum exitium, cum totius regni Neapolitani amiſſione ſecutum ſit: idemque ſuis in Italia amicis accidiſſet, niſi ipſi res ſuas conſtanter defendiſſent. Suprà dictum eſt, Gallicorum apparatuum metu, de Maximiliano in Italiam euocando, Ludouici potius cauſa, quàm Venetorum, agi cœptum fuiſſe: cum quo eodem metu permanente conuentum eſt, vt Veneti & Ludouicus in ſingulos menſes aureorum numûm vicena millia, idq; per tres tantùm menſes, numerarent: vt is certum equitum peditumque numerum ſecum duceret: qua pactione confecta, Ludouicus ſociorum oratoribus comitatus, Manzium locum vltra Alpes Germaniæ finitimum, colloquendi cum eo gratia, profectus eſt: quo in loco cum diu eſſent collocuti: eodemq; die ſeſe Burmium cis Alpes imperij Mediolanenſis caſtellum recepiſſet, poſtridie Cæſar per ſpeciem venationis in eum locum venit: quibus bidui colloquijs, tempore & modo in Italiam tranſeundi cum eis conſtituto, in Germaniam redijt, vt quod inter eos erat conuentum, perficeret. Verùm enimuerò, cum interea apparatus Gallici rumores deferuęſcerent, ſic vt Cæſarē in Italiam ea de cauſa educere iam opus eſſe minimè videretur: Ludouicus ad ambitionem eo vti decreuit, quod ad propriam ſecuritatem procurauerat: idcirco eum vrgere vt in Italiam deſcenderet, non ceſſabat: cumq; Veneti eò adduci nō poſſent, vt ei vltra illa ſexaginta millia, triginta millia aureorum numûm, quæ Cæſar petebat cōpromitterent, Ludouicus ea ſe appenſurum repromiſit: in huncq; modum tandem in Italiā paulo quàm Ferdinandus moreretur prius venit: cuius morte cum iam Mediolano appropinquaret, cognita, in animo habuit pro ſua virili conari, vt regnum Neapolitanum ad Ioannem vnicum regis Hiſpaniæ generi ſui filium, peruenire: ſed cum ei ab Ludouico oſtenderetur, id toti Italiæ moleſtum fore, ſic vt ſocij ab ſe inuicem diſiungerentur: atq; ob id, Galliæ regis conſilia promouerentur, non ſolùm abſtinuit, ſed etiam Federici ſucceſſionem literis cōprobauit. In Italiam ſecum perexiguū militum numerum duxit: breui tamen, reliquos, quos ex pacto ducere deberet, ſecuturos, erat rumor: ipſe Vigeueni cōſtitit, vbi corā Ludouico & Sanctæ crucis cardinali pontificis legato, alijsq; ſociorum oratoribus, dictum fuit, rem videri omnibus commodam, ſi Maximilianus in Taurinos duceret, & vt Aſtam vrbem occuparet, & Sabaudiæ ducem, Marchionemque Monferratenſem, ab Galliæ rege quaſi imperij membra diuelleret atq; abalienaret: à quibus poſtulauit, vt aliquò in Taurinis ad ſe colloquij cauſa venirent: verùm cum eius vires contemnendæ viderentur: nec res ipſæ tantæ maieſtati & nomini reſponderent, neuter ad eum venire voluit: nec erat ſpes, Aſtenſem expeditionem proſperè ceſſuram. Multum quoq; inſtitit, vt Ferrariæ dux ad ſe veniret: qui tanquam beneficiarius imperij, Mutinam Regiumque poſſidebat: vtque tutius id faceret, ei Ludouici generi eius fidem proponebat: qui & ipſe venire recuſauit: afferebatque, ſuæ integritatis ſalua exiſtimatione fieri non poſſe, quòd depoſiti nomine Caſtelletum Genuenſe retineret. Itaque Ludouicus, qui inueterata ſua illa cupiditate ſtimulatus: veritusque ne Piſana ciuitas ab ſe tantopere cupita, cum totius Italiæ periculo in Venetorum poteſtatem veniret, hoc ipſum impedire ſummopere ſtudens, Cæſarem vt ad eam vrbem proficiſceretur, eſt hortatus: ſibi inaniter perſuadens, Florentinos Cæſaris & ſociorum viribus impares, ab regis Galliæ amicitia neceſſariò diſceſſuros: nec auſuros Cæſaris arbitrium recuſare: qui ſi compoſitione non poſſet, diſceptatione ſaltē ipſorum cum Piſanis cōtrouerſias definiret: atq; ad hoc ipſum Piſæ vnà cum tota eius ditione in Cæſaris manū deponerentur: quibus conditionibus vt Piſani aſſentirentur, ſua autoritate facturum ſperabat: Venetos autem, reliquis præſertim fœderatis conſentientibus, nequaquam ſe rei quæ præ ſe tantam cōmunis boni ſpeciem ferret, ſuaque natura æquiſſimæ, oppoſituros: nam cum Piſana ciuitas in veteri imperij iure eſſet, videri nullum præter Cæſarem ipſum, eius vrbis controuerſiarum cognitorem legitimum dari poſſe: Piſis autem in Cæſaris manum depoſitis, ſperabat Ludouicus tum pecunia, tum qua apud Cæſarem pollebat autoritate, ſe facilè ab eo eius vrbis dominatum impetraturum. Hæc

ſententia ad conſilium eo colore relata: vt, quando quidem Gallici belli metus ceſſaret, Cæſaris aduentu ad id vtendum eſſe, vt Florentini aduerſus Galliæ regem, cum reliquis fœderatis conſpirare, cogerentur: Cæſari placebat qui moleſte ferret, ſuum in Italiam aduentum nihil tanto nomine dignum pareret: adhæc, cum vaſtiſſimus eius animus infinita conciperet, ſemperque pecunia, non minus propter immoderatum quodam vitæ genus, quàm infinitis profuſionibus, egeret, Piſanam ciuitatem inſtrumẽtum fore, quo aut à Florentinis, aut ab alijs ingentem pecuniarum numerum cogere poſſet, ſperabat. In eam ſententiam pariter omnes fœderati, tanquam multum ad Italiæ ſecuritatem faceret, Veneto quoq; oratore minimè contradicente, deſcenderũt: nam etſi Venetus ſenatus videret quorſum Ludouici cõſilia ſpectarent, ſperabat nihilominus ſe ea impedire facilè poſſe: confidebatq; Cæſaris præſentia Ligurni portum Piſanis acquiri facilius poſſe: qui Piſis adiunctus, Florentinos omni ſpe eius vrbis recuperandæ priuare videbatur. Fœderati antea ſępe Florentinos in fœdus ſecũ pertrahere conati erant, & eo tẽpore quo Gallorũ aduentum maximè formidabant, ſe ita effecturos, vt Piſani ſub illorũ imperium redirent ſpem fecerant: ſed quum Venetorum & Ludouici cupiditas, Florentinis eſſet ſuſpecta, nec ſe leuiter ab Galliæ rege alienare vellent, hæc haud magna propenſione audierant: mouebantur præterea Petræ ſanctæ, & Sereſanæ regis aduentu recuperandi ſpe, quod quidem ab ſocijs ſperare minimè poterant, multoq; magis merita ſua, & ea quæ regis cauſa patiebantur, quàm illius naturam conſuetudinemque metientes, ſibi ex eius victoria non modò Piſas, ſed reliquam Hetruriam quoque ferè omnem pollicebantur, hanc in ſpẽ Hieronymi Sauonarolæ ſermonibus inducti, qui multas res proſperas & imperij incremẽtum, poſt multas calamitates ei reip. deſtinatas, aſſiduæ in concionibus, ingentia verò mala Romanæ curiæ, reliquiſque Italiæ principibus omnibus denunciabat: cuius orationi, etſi qui contradicerent non deeſſent, tamen maxima pars populi magnã fidem adhibebat: & multi è ciuitatis primoribus, aut bono ſtudio, aut ambitione, aut metu ducti ei adhærebant: itaq; cum Florentini in Galliæ regis amicitia perſeuerare ſtatuiſſent, haud ab ratione alienum videbatur, vt fœderati, eos vi ad id, à quo animo erant alieni, compellere conarentur, idq; negotium minimè difficile cenſebatur, quòd eſſent omnibus vicinis inuiſi: ab Galliæ rege opem ſperare nõ poterant, nam cum is ſuorũ ſalutem deſeruiſſet, eum aliorũ quoq; obliuioni traditurum credibile erat: & grauiſſimis ſumptib. iam per trienniũ cum vectigaliũ imminutione, factis, ita erant exhauſti, vt belli moleſtias diu ferre poſſe minimè crederentur: & hoc ipſo anno cõtinenter cũ Piſanis bellũ geſſerant, in quo varij euentus fuerãt, ac magis ob rei bellicæ peritiã, vtrinq; in multis militarib. factis declaratũ, & pertinaciã qua res gerebãtur, quã ob exercituũ magnitudinẽ & locorũ circa quę pugnabatur nobilitatẽ (erãt enim obſcura quędã, paruiq; momẽti caſtella) memorabiles. nã cũ Florentinorũ copię, paulo pòſt q̃ Citadella Piſanis tradita fuit, & ante quàm Venetorũ auxilia à Piſas aduentarent, Butium caſtellum cepiſſent, & deinde circa Calcim caſtra locaſſent, atque antequam id caperent, vt commeatus facultatem ſibi tutam facerent, in Doloroſæ monte propugnaculum ædificare cæpiſſent, pedites qui eum locũ cuſtodiebant, ob ſuã negligentiã, ab Piſanorum militibus fuſi fuerunt: & paulo pòſt cum Franciſcus Siccus cum multis equitibus, in Butij uico vt commeatus tuto ad Herculem Bentiuolum, qui cum Florentinorum peditatu paruam verruculæ montis munitionem obſidebat, conuehi poſſet, caſtra haberet, repente ab peditibus Piſis egreſſis, in loco vbi equorum difficilis erat vſus oppreſſus, non paruam illorum partem amiſit: quibus ſucceſſibus cum Piſanorum res fauſtæ magis viderentur, maioriſque felicitatis ſpes affulgeret, (iam enim Venetorum auxilia aduentare incipiebant) Hercules Bentiuolus, qui in Bientinæ caſtello caſtra habebat, Ioannem Paulum Manfronium, Venetorum militum ducem cum primo agmine ad Vicopiſanum, qui duobus paſſuũ millibus à Bientina diſtat, veniſſe certior factus, timore ſimulato, & modò in aciem prodiens, modò quam primum Venetæ copiæ conſpiciebantur, Bientinã recedens, vbi illũ audacia & temeritate plenũ animaduertit, magno aſtu quodam die eum in inſidias pertractum, cum bonæ peditum atq; equitum partis iactura fregit, & ad Vicopiſani muros vſq; eſt perſequutus, ſed ne victoria prorſus læta eſſet, cum ſe recipere voluerunt Franciſcus Siccus, qui ſe eo die Herculi coniunxerat,

ſclopetti

ſclopetti glande ictus cecidit:ſuperuenerunt deinde reliquæ Venetorũ copiæ,in quibus erant octingenti Epirotæ,& cum illis Iuſtinian⁹ Moreſinus legatus: quocirca, cũ Piſani longè ſuperiores eſſent, Hercules Bentiuolus regionis peritiſſimus,qui ſe nec periculo obijcere,nec prorſus cãpis excedere volebat,loco munitiſſimo inter Põtaderã caſtellũ, Erãq; fluuiũ caſtra locauit, quorũ oportunitate,hoſtiũ impetũ nõ parũ cohibuit,q toto hoc tẽpore nihil p̃ter Butiũ caſtellũ,quod illorũ arbitrio deditũ fuit,cęperũt,& regionẽ vniuerſam ſuis Epirotis diripiebãt,ex quib.trecenti,qui in Erę uallẽ excurrerãt,ab militib.ab Hercule eis à tergo miſſis, fuſi fuerũt.Florẽtini eodem tẽpore ab Senẽſib.infeſtis armis petebãtur,q ex moleſtijs quas in Piſano agro habebãt, occaſione capta,& ſocijs incitati,Plũbini principẽ,& Ioannẽ Sabellũ,ad Valiani pontis propugnaculũ oppugnãdum miſerũt,ſed Rinuciũ Marcianũ cũ auxilijs aduẽtare audientes,tormẽtorũ parte ibi relicta tumultuariè diſceſſerũt: quãobrẽ Florentini reb. ab illa parte in tuto collocatis, Rinuciũ cũ copijs in Piſanũ agrũ miſerũt,adeò vt virib. ferè æquatis, bellũ ad caſtella in collib. ſita trãslatũ fuerit:q̃ quia Piſanis fauebãt,res poti⁹ Florentinis fiebãt deteriores: accidit quoq; vt Piſani Saccipontis caſtellũ,p̃ditione ingreſſi,grauis armaturæ equitum turmã ſpoliarẽt,& Ludouicũ Martianũ captiuũ facerent,quãuis Florentinarũ copiarũ q̃ nõ,p̃cul aberãt metu,ſtatim id deſeruerint, & vt melius collibus,q magni,p̃pter cõmeatum,qui inde Piſas ferebatur,momẽti erãt,potirẽtur, & Florẽtinis Ligurni port⁹ cõmercium impedirẽt,pleraq; ex illis caſtellis munierũt: ex quib. fortuito caſu nobilitatũ fuit Soianũ:nam cũ Florentinus exercitus,cũ eius eodẽ die expugnãdi ſpe eò eſſet,p̃fectus, ideoq; omnia Caſſinæ fluminis vada corrupiſſent, atq; grauis armaturæ eq̃tes ne hoſtes opẽ ferre poſſent,in fluminis ripa ad pugnã inſtructos collocaſſent:dũ Petrus Caponi⁹ Florentinorũ legatus,tormenta collocari curat,ſclopetti globo ex oppido ictus, repẽtẽ interijt,finẽ profectò ob loci obſcuritatẽ, & expeditionis paruitatẽ,haud ſua virtute dignũ ſortitus:quãobrẽ exercit⁹ nulla alia re tẽtata diſceſſit: eodẽq; tẽpore Florẽtini,milites in Lunigianã ad Verruculę arci,quã Maleſpinij marchiones,Genuẽſiũ auxilijs fulti oppugnabãt,opẽ ferẽdã,mittere fuerũt coacti:vnde facilè illos repulerunt.Piſanorũ vires p̃ aliquot mẽſes validæ fuerãt: nã p̃ter ciues & agricolas,iã longo vſu bellicoſos multos Venetorũ ac Mediolanenſiũ ducis equites peditesq; habebant, quãuis longè maior eſſet Venetorũ numerus:pòſt aũt quia Sfortianis copijs ſtipẽdia nõ p̃ſoluebãtur, minui cœperũt: & ideo Vẽeti denuò centũ grauis armaturę eq̃tes,& ſex triremes cũ cõmeatu miſerunt:nec ulli ſumptui,q ad eius vrbis ſecuritatẽ eſſet neceſſari⁹,& Piſanorũ beneuolentiã captandã opportunus,parcebãt,Piſanorũ aũt animi quotidie magis ab Ludouico alienabãtur,cũ ei⁹ in ſumptibus, & apparatib.parcitatẽ,tũ etiã incõſtantiã odio habẽtes: nã modò ſe in reb.ipſorũ ardentem oſtẽdebat,modò frigidè,p̃cedebat,adeò ut ferè ei⁹ voluntatẽ ſuſpectã habentes,illi tribuerent quòd Ioãnes Bentiuolus, velut à fœderatis ipſi erat iniunctũ,cõtra Florentinos exercitũ nõ duxiſſet: p̃ſertim q̃ illi magnã ſtipẽdiorũ partẽ,ipſius culpa,ſiue id auaricia, ſiue quod ei Florentinorũ moleſtiæ,ſed nõ tamen ſumma oppreſſio grata eſſet, defuiſſe notũ erat:quas ob res ipſemet, ſuæ menti atq; fini,in Piſanis reb.cõtraria fundamẽta iecerat,cuius gratia,vt in ſociorũ cõſilio Cæſari Piſana profectio decerneretur,autor erat:quod vbi decretũ fuit,Cæſar duos legatos Florentiã miſerat,qui ipſum, ad expeditionẽ quã magnis virib.cõtra Chriſtianæ religionis hoſtes facere in animo habebat, neceſſario ſibi in Italiã ad eã pacandã, atq; in ſecurũ ſtatũ reponendã,veniendũ cenſuiſſe, ſignificarẽt:eãq; ob cauſam ab Florentinis,vt ſe ad Italiæ defenſionẽ cum reliquis ſocijs declararent,peteret: q̃ ſi tamẽ aliud in animo haberent, mentẽ ſuã aperirent,velle ſe eandẽ ob cauſam, & quia id ad Cæſareã autoritatẽ pertineret,illorũ cũ Piſanis cõtrouerſias cognoſcere,ideoq; cupere vt donec ipſe omniũ rationes audiuiſſet,ab iniurijs abſtineretur,quẽadmodũ Piſanos facturos certò ſciret, quib. idẽ mandaſſet: ſeq; ad ius omnib. æquè reddendũ, paratũ eſſe lenib. verbis affirmabat: cui orationi honorificis verbis Cęſaris voluntate cõmẽdata,quantãq; eius æquitati fidẽ haberent,demonſtrantes, ſe per lagatos quos ſtatim miſſuri eſſent,animũ ſuum penitùs ei aperituros reſponderunt.Interea verò Veneti, ne Cæſari aut Mediolanenſiũ duci Piſis occupandis facultatẽ relinquerent, denuò cum Piſanorũ cõſenſu Annibalem Bentiuolum cum centum & quinquaginta grauis armaturæ equitibus eò miſerunt, & paulo

pòst,alios Epirotas & mille pedites, duci se hos milites ideò misisse quòd ipsorum resp. liberarũ ciuitatũ studiosa, Pisanos ad agrum suum recuperandũ iuuare vellet significantes,quarũ copiarũ ope Pisani ferè omnia in collib. posita castella recuperarunt:ob quæ beneficia,& ob Venetorum in eorũ petitionibus,quibus modò militẽ modò pecunias, modò commeatum tormentariumq; apparatum sæpe flagitabant explendis,promptam beneuolentiam, Pisanorum studia,ita Venetorum studijs erant cõiuncta,vt ea fide,coque amore quo Insubriæ ducem prosequi solebant, in eos conuersis, eum senatum in ipsorum patrocinio perseuerare summopere cuperent, & nihilominus Cæsaris, quia, ijs copijs quæ Pisis erant, & quas secum ducturus esset, se facilè Ligurno potiri posse sperabant, aduentum vrgebant. Florentini autem, qui præter reliquas difficultates tunc temporis grauissima annonæ penuria præmebantur, cum se solos contra tot principum potentiam esse cernerent, magno in metu versabantur : nemo enim in Italia erat qui eis opem ferret, & oratorum quos in Gallia habebant literis, ab rege, quem vehementissime, vt ipsos in tantis perculis positos aliqua saltem pecuniæ summa iuuaret,rogarant,nullam opem sperari posse,certiores facti fuerant:sola Petri Medicis molestia carebant, quòd sociorum consilium fuit, hoc in motu eius nomine gratiáue non vti, quia Florentinos hoc metu, ad propriæ libertatis conseruationem magis coniungi, re ipsa compererant. Nec desinebat Ludouicus Sfortia, salutis ipsorum studij specie, & Venetorum potentiæ odiò, illos vehementer vt se Cæsaris iudicio subijcerent hortari : multa pericula & terrores ostendere, nullamque præterea Venetos Pisis eijciendi rationem esse proponebat : ex quo statim ipsorum in integrum restitutio,res ad Italiæ quietem valde necessaria:eamq; ob causam ab Hispanię regibus ceterisque omnibus fœderatis expetita, sequeretur, sed tamen Florentini,neque his insidiosis verbis, blandaque leuitate moti, neque tot difficultatibus atque periculis territi, vllam cum Cæsare animi declarationem facere,neq; sua iura eius arbitrio committere, nisi Pisis antea ipsis restitutis, quoniam eius neque voluntati, neque authoritati fidebant statuerunt:notum enim erat illum quòd per se nec vires,nec pecunias haberet, ex Mediolanensium ducis voluntate pendere : neque in Venetis Pisas deserendi voluntas, aut necessitas cernebatur : ideo forti animo Ligurno muniendo, atque instruendo & copijs suis omnibus in Pisano agro colligendis operam dabant: nihilominus ne se ab concordia alienos ostenderent, & vt Cæsaris animum si quomodo fieri posset mitigarent, cum ipse iam Genuam peruenisset,legatos ad eum miserunt, qui ad ea quæ eius oratores Florentiæ exposuerant responderent, quorum mandata fuerunt, vt ei nulla declaratione opus esse persuaderent:quòd ea obseruantia qua eius nomen prosequebantur, sibi ab Florentina rep. quæcunq; optaret polliceri posset: monerent illum, nihil ad eius sanctissimum Italiæ pacandæ propositum magis opportunum fore, quàm vt Pisæ statim Florentinis restituerentur, ex hoc enim fonte omnes deliberationes ipsi & fœderatis molestas manare : quoniam verò Pisana res erat in causa vt quispiam alius ad Italiæ imperium aspiraret, ideò vt eam in continuis molestijs retinerent, procurare:quibus verbis,quamuis non exprimeretur,Venetos denotabant: neq; iusticiæ ipsius esse,vt qui per vim spoliatus fuerat,contra Cæsarearũ legum sententiam antequam possessionem suam reciperet, iura sua arbitro dijudicanda permittere cogeretur:illud tandem concludentes remp. Florentinã si hoc primum ab illo impetraret cum nulla præterea causa aliquid præter communẽ pacem expetendi supereſſet,omnem declarationẽ quæ illi æqua videretur facturam: eiusq; æquitatẽ per omnia fretã, iuriũ suorum cognitionẽ ipsi promptè permissurã:quod responsum quũ Cæsari, ante omnia fœderi Pisarũ possessionis intra æquũ tẽpus recipiẽdę fide ab ipso accepta,adhęre rẽt cupido nõ satisfaceret,aliud post longã deliberationẽ, nullũ ab ipso resp̃sum acceperũt,nisi quod in Genuẽsis port⁹ mole cũ iã mari se cõmitteret ipsos ab Põtificis legato qui Genuæ erat mentẽ suã intellecturos : à quo ad ducẽ, qui Dertona quò Cæsarẽ erat comitatus,Mediolanũ redierat reiecti eò cõtenderũt, cũq; iã ab eo audiri postulassent, mandatũ Florẽtia, vbi legationis ipsorũ progressus cognitus fuerat, vt nullo alio resp̃so quæsito in patriam redirent, acceperunt:quamobrem cum constituta hora ad ducem veniſſent, responsi petitionẽ in id cõuerterunt,vt se cũ Florentiã essent reuersuri,itineri

quo

quo eum antequã imperij ipsius fines egrederẽtur, quemadmodum reip. ipsorum cum illo amicitia postularet, reuerenter salutarent, parcere noluisse significarent. Dux illos responsum petituros ratus, vt quemadmodum sæpe solebat, eloquentiam artesq; suas ostentaret, & ex aliorum calamitatibus voluptatem caperet, omnes sociorum oratores, omnemq; suum senatum conuocauerat, sed hac oratione in admirationem perturbationemq; coniectus, cum dolorem suum celare non posset, quod nam responsum ab Cæsare accepissent, interrogauit: cui cum illi, se reip. suæ legibus, mãdata sua alteri principi quã illi ad quẽ legati essent destinati, communicare non posse respondissent, totus turbatus dixit: Ergo si nos responsum cuius causa vos ab Cæsare ad nos reiectos fuisse scimus, vobis dederimus, vos id non audietis? cui illi, ipsis quo minus audirent non interdici, neq; alios quin loquerẽtur prohiberi posse respõderunt. at ille: Placet nobis illud vobis exponere, sed hoc, nisi vos ea nobis enarretis quæ illi dixistis, fieri non potest: cumque oratores sibi id easdem ob causas non licere, idque superfluum esse, quod ipsorum petitionem ab Cæsare ijs quibus responsum suo nomine reddendum commisisset, expositam fuisse necesse erat, respõdissent, ipse qui iam indignationem nec verbis nec gestibus tegere poterat, eius ludibrij quo alios accipere volebat, parte in se accepta, & oratores & reliquos omnes quos conuocauerat dimisit. Cæsar interea è Genuensi portu cum sex triremibus quas Veneti in Pisano sinu habebant, & multis Genuensium nauibus, quæ tormentis, sed non militibus abundabant, neq; enim plures erãt quàm mille Germani pedites, profectus, ad Spediæ portum vsq; nauigauit, & inde pedibus Pisas petijt, vbi quingentis equitibus & mille Germanis peditibus, qui terrestri itinere venerant, collectis, cum his & cum Mediolanensium ducis copijs, & Venetorum militum parte, Ligurnum exercitum ducere statuit, eumq; locum terrà mariq; oppugnare: & vt reliquæ Venetorum copiæ ad Saccipontem castra ponerent, ne Florentinorum exercitus, qui non admodum potens erat, vel Pisanos molestia afficere, vel Ligurno opem ferre posset: sed nulla expeditio Florentinos minus quàm quæ contra Ligurnum fieret terrebat: erat enim oppidum illud militibus atque tormentis satis instructum, & quotidie auxilia ibi expectabantur, quoniam non multo antè, vt vires suas ea existimatione in qua tunc Gallorum arma in Italia erant, augerent, ex Galliæ regis consensu Albigionij vnum ex ipsius ducibus, cum centum cataphractis & mille partim Heluetijs, partim Aquitanis peditibus, ad stipendia sua adsciuerant, vt mari, quibusdam nauibus quæ ipsorum mandato, vt annonę penuriam, qua in vniuerso Florentino imperio laborabatur, subleuarent, frumento oneratæ erant, Ligurnum venirent: quæ deliberatio alio consilio, & in alium finẽ quàm vt se contra Cæsarem defenderent facta, etsi multa impedimenta habuit: nam & Albigionius, cum suis militibus, quum iam ad naues venisset, mari se committere recusauit: & ex peditibus sexcenti solummodò naues conscenderunt: nihilominus tam propitiam habuit fortunam, vt nec maius auxilium, nec opportunius exoptari potuerit: eodẽ enim die quo Pisanus quidam legatus, ab Cæsare cum multis peditibus atq; equitibus, ad pontes faciendos, & itinera copijs quæ venturæ erant, complananda præmissus, Ligurnum peruenit: naues ex Prouincia, quinq; oneraria, & nonnullæ longæ magnæ quas Galeones vocant, & cum illis magna Normana oneraria, quam rex ad Caietam commeatu & militibus muniendam mittebat, supra Ligurnum tam secundis ventis sunt conspectæ, vt Cæsariana classe, quia tempestate supra Meloriam, scopulum ob Pisanorum vires olim ab Genuẽsibus nauali pugna prope eum commissa, in perpetuum attritas celebrem, altum petere est coacta, minimè impediente, nullo alio detrimento, nisi quòd vna longa nauis frumento onusta, ab reliqua classe disiuncta ab hostibus capta fuit affectæ, portum sint ingressæ: hoc tam opportunum auxilium, ijs qui Ligurni erant valde spem auxit, & Florẽtinorum animos vehementer confirmauit: censebant enim hunc tam opportunum aduentũ indicio esse, vbi ipsos humanæ vires deficerent, diuinum auxilium affuturum, vt illis diebus in maximo aliorum terrore, sæpe in concionibus publicis Sauonarola asseuerauerat. Sed non ideo Romanorum rex ab exercitu Ligurnum ducendo destitit, quo quingentis grauis, mille leuis armaturæ equitibus, & quatuor peditum millibus terrestri itinere missis, ipse nauibus longis ad stagni quod inter Pisas & Ligurnum est ostium, vsque vectus, &

vnius oppidi partis oppugnandæ cura Galatiæ comiti, quem Mediolanẽſium dux cum eo miſerat demãdata, ipſe ad alterã cõſedit: quãuis primo die ob magnã ab Ligurni tormẽtis acceptã moleſtiã difficillimè caſtra locarit, vt qui primò omniũ portu potiri cupiebat, militib. ante lucem ad eam partẽ vbi fons eſt admotis multis tormentis, Magnanum quem oppidani munierãt, & cũ primum exercitum ad eam partẽ admoueri cõſpexerũt, Pallazzottum, & turrim q̃ ad mare erat, vt quæ defendi nõ poſſent, & nouæ turris iacturã parere poſſent diruerãt, verberare cœpit: eodẽq; tẽpore, vt maritimã quoq; partẽ verberaret, claſſem ſuã ad portum appellere iuſſerat, quoniã Gallicæ naues, militib. & frumenti parte expoſitis, vectionis munere perfecto precib. in contrariũ factis nihil proficientibus, vt in Prouinciã redirẽt, diſceſſerant, & Normana, vt ſuum Caietam verſus iter ſequeretur. Magnani oppugnatio vt oppidum deinde etiã mari oppugnaretur, parum proficiebat: erat enim loc⁹ ita munit⁹, vt ei tormẽta parum obeſſent: & oppidani ſępe ad leuia certamina egrediebantur: ſed illud in fatis erat, vt Florentinorum ſpes ex ventorũ aura cõcepta, eorundẽ quoq; beneficio expleretur: graui nãq; tempeſtate orta, claſſis ita cõcuſſa fuit, vt Grimalda nauis Genuenſis, qua Cæſar ipſe vectus fuerat, diu ventis agitata, è regione nouæ Ligurni arcis cum omnib. qui in ea erãt viris & tormẽtis ſit ſubmerſa: idem & duæ Venetæ triremes ad Iacobi promõtorium paſſæ ſunt, reliquę verò naues in varia loca diſſipatæ tantũ damni acceperunt, vt ad hanc expeditionẽ inutiles fuerint: quo caſu oppidani longã nauem quæ antea in hoſtium poteſtatẽ venerat, recuperarũt. Ob claſſis naufragium Cæſar Piſas redijt, vbi poſt multam deliberationem, omnib. Ligurnum iam expugnari poſſe diffidentibus, vt exercitus inde abduceretur, & bellum in aliam partem transferretur decretum fuit: ideo Cæſar Vicopiſanum contendit, & ponte ad Arnum inter Caſcinam, & Vicum, altero ad Cilecium fieri iuſſo, cum tranſmiſſurus crederetur, repentè vaſis collectis, nullo alio progreſſu in Hetruria facto, niſi quod quadringenti ipſius equites Bulgherium ignobile, in Piſarum maritima ora caſtellum diripuerunt, Mediolanum verſus terreſtri itinere redijt. Hunc ſuum repentinum diſceſſum eo excuſabat, quòd ſubinde difficultates augerentur: nec crebris eius nouæ pecuniæ petitionibus ſatis fieret: quum nec Veneti legati, de eius fide dubitantes maiorem exercitus partem amplius Piſis egredi paterentur, neq; etiam Veneti de ſeptuaginta millibus aureorum numũm portionem ſuam integrè ſoluerant: quamobrem Mediolanenſiũ ducem valde extollens, illos grauiter accuſabat. Papiæ, quò ipſe ſe tranſtulit, noua conſultatio habita fuit, & quamuis ſe in Germaniam redire velle diuulgaſſet, tamen ſe per totam hyemẽ cum mille equitib. & duobus peditum millibus, ſi modò ei ſingulis menſibus vinginti duo Rhenenſiũ aureorum numũm millia numerarentur, manſurum aſſentiebat: cuius rei dum reſponſum à Venetis expectatur, eo tempore quo Mediolani expectabatur, in Laumellinam eſt profectus: erat enim illi, vt eius progreſſus ſequentibus temporibus melius declararunt, fatale, vt in eam vrbem non veniret. Ex Laumellina mutato conſilio Cuſagum ad ſextum ab Mediolano lapidem redijt: vnde inopinato duce atq; oratoribus qui aderant inſcijs Comum eſt profectus, vbi cum in prandio ſedens Pontificium legatũ, cui ne ſe ſequeretur per nuncios ſignificauerat, veniſſe cognouiſſet, menſa relicta, tanta celeritate nauẽ cõſcendit, vt vix legat⁹ ei pauca verba ad nauim dicere potuerit: cui, ſibi in Germaniã neceſſariò proficiſcẽdũ, ſed ſtatim reuerſurũ, reſpõdit: & nihilominus vbi Comenſi lacu Bellaſium peruenit, Venetos ijs quæ Papiæ agitata fuerant aſſentiri certior factus, denuò Mediolanũ redeundi ſpem fecit, ſed poſt paucos admodum dies, naturæ ſuæ inſita varietate vſus, equitum ac peditum ſuorũ parte relicta & virium ſuarum tenuitate, parua cum Cæſarei nominis dignitate, Italiæ, quæ iam diu armatos Cæſares non viderat, oſtenſa, in Germaniam contendit. Ludouicus Sfortia, Piſarum, niſi noui caſus inciderent amplius, ſuo imperio adijciendarum, vel ex Venetorum manibus eripiendarum, ob eius diſceſſum ſpe amiſſa, omnes copias ſuas reuocauit: & quum ex vtriuſq; partis defatigatione, temporis ſucceſſu, ſibi aliquam exoptatã occaſionem dari poſſe ſperaret, eo quòd Veneti ſoli in bello cum Florentinis implicati relinquerẽtur, dolorem ſuum ex parte ſolabatur. Quarum copiarum diſceſſu, Florẽtini in Piſano agro hoſtibus potentiores relicti, omnia collium caſtella recuperarunt, ideoq; Veneti, ad nouos, vt illorum progreſſus impedirent, apparatus faciendos coacti, ijs copijs quæ

pijs quæ aderant,tot addiderunt,vt in vniuersum essent quadringẽti grauis, septingenti leuis armaturæ equites,& plusquam duo millia peditũ.Interea vero in regno Neapolitano,ferè omnes Gallici belli reliquiæ sunt dissolutæ, quoniã Tarentina ciuitas cum arcibus,fame oppressa sese Venetis qui illã sua classe obsidebãt dedidit: qui ea per multos dies in potestate sua retenta, iamque suspicio esset, eos eam velle suam facere,tandem Pontifice atq; Hispaniæ regibus id vehementer flagitantibus, eam Federico restituerunt:& quũ Normanã nauim,supra Herculis portũ cum nonnullis Genuensib.nauibus in quas inciderat,congressam,deinde iter suum sequentem,maris tempestate victã submersam Caietæ nunciatum esset, Galli qui in ea ciuitate erant,quam nouus rex denuò obsidebat, etsi (vt fama erat) tantum cõmeatus aliarumq; rerum necessariarum, vt aliquot menses obsidionem sustinere possent, haberent, regem tandem,ad opem ipsis ferendam,haud diligentiorẽ fore,quàm tot nobilibus viris,totq; ciuitatib.quę eius partes tuebãtur auxilio iuuãdis,fuissent rati,Obignini qui ob aliquas difficultates,in Calabriæ arcib.tradendis ortas, nõdum Neapoli discesserat opera,cũ Federico,vt ciuitate & arce relicta,cum rebus suis omnib.mari in Galliam incolumes redeundi facultatem haberent,conuenerunt,quare Galliæ rex, auxiliorum in regnum Neapolitanũ mittendorum cura liberatus, & ab altera parte detrimenti atq; infamiæ stimulis accensus,Baptistini Fregosij qui antea Genuæ dux fuerat factione, & clientelis quas Hostiensis Sauonæ,in qua natus erat fretus,Genuã inuadere statuit,tum opportunitatẽ,discordia eo tempore inter Ioannem Ludouicum Fliscum & Adurnios orta: tum quòd in vniuersum Genuenses, nõ satis æquo in Mediolanẽsium ducẽ,quia vt in Petræ sanctæ venditione Lucenses ipsis p̃ferrentur autor fuerat: & quia cum postea se vt in eorum potestatẽ rediret effecturũ promisisset, eaq; in re vt cõceptam indignationẽ mitigaret,Venetorum autoritate esset vsus, multos menses ipsos vana spe fouerat,animo essent,augeri existimabat.Huius regiæ deliberationis metus,Ludouicũ qui ob Pisanas res ab Venetis ferè erat alienatus, vt se denuò illis cõiungeretur,eumq; illos equites ac pedites Germanos quos Cæsar in Italia reliquerat, Genuã mitteret, coegit:quibus nisi hæc necessitas incidisset,nulla re prospectum fuisset: Quæ dum agitantur, Põtifex se Vrsinorũ oppida occupandi magnã opportunitatem nactum, ratus, quoniam eius familiæ capita Neapoli detinebantur,Virginium & reliquos,in purpuratorum senatu,quòd cõtra sua præcepta ad Gallorum stipendia essent profecti', perduelles declarauit, & illorum bona fisco addixit: quo facto anni nonagesimi septimi supra millesimum & quadringentesimum initio,ditionem illorum inuasit,& vt Columnij pluribus ex partibus vbi fines cum Vrsinis communes habent, idem facerent mandauit. Fuit hæc expeditio ab Ascanio cardinale ob veterem eius cum Columnijs amicitiam, & cum Vrsinis dissensionem, Mediolanensium consentiente duce valde commendata, sed Venetis qui eius familiæ benevolentiã promereri cupiebant molesta,sed tamen quum nulla ratione,quo minus Pontifex ius suum persequeretur impedire possent, nec illum eo tempore ab se alienare vtile esset, vt Vrbinatium dux, qui & Pontifici & ipsis militabat, se Pontificijs copijs, quibus Candiæ dux imperabat, & quarum legatus erat Lunensis cardinalis patria Papiensis,qui prorsus ab Ascanij autoritate pendebat, coniungeret,annuerunt,& Federicus rex ei Fabricium Columnam auxilio misit. Hic exercitus multis castellis deditione captis,Triuinianum obsedit: quod oppidũ vbi se per aliquot dies strenuè defendisset,ad illorum arbitrium deditionem fecit:sed dum hi se tuerẽtur Barptolemæus Aluianus,Braciano egressus, ad octauum ab vrbe lapidem, quadringentos equites qui tormenta ad Pontificium exercitum ducebant fudit:& alio die,cum prope Marianimontis crucem vsque excurrisset, parum abfuit quin Valentinum cardinalem Roma ad venationem egressum ceperit: sed is fuga salute suæ consuluit. Triuiniano capto, exercitus ad Insulam contendit, vbi arcis parte tormentis verberata, deditione ea potiti sunt: & tandem belli impetus omnis circa Bracianum collectus est: vbi omnis Vrsinorum defensionis spes erat collocata. Locus enim per se firmus, bene munitus ac reparatus fuerat: & suburbium operibus confirmatum:cuius in fronte vallum construxerant: in quo propugnatorum satis magnus erat numerus,Aluiano duce,qui iuuenis adhuc,sed ingenio feroci, incredibili celeritate,& in armis exercitatus,eam sui 1497.

ſpem faciebat, cui inſequentibus temporibus eius res geſtæ minimè inferiores extiterunt. Nec Pontifex exercitum ſuum quotidie augere deſinebat, cui denuò octingentos Germanos pedites ex ijs qui in regno Neapolitano militauerant, adiunxerat: certatum eſt per multos dies magna vtrinq; contentione, quum obſidentes pluribus in locis tormenta collocaſſent: & qui intus erant ſumma vbiq; diligentia & fortitudine, prouiderent atq; occurrerent, nihilominus intra paucos dies ſuburbium dèſerere ſunt coacti: quo capto, Pontificij oppidi oppugnationem ferociter agreſſi ſunt: ſed quanuis iam ſigna in muris fixiſſent, magna accepta clade, recedere coacti fuerunt: qua in oppugnatione vulneratus fuit Antonellus Sabellus. Qui intus erant eandem & contra alteram oppugnationem, hoſtibus, ex quibus pluſquam ducenti partim cæſi, partim vulnerati fuerunt, maiore cum clade repulſis, virtutem oſtenderunt: idq; ſumma cum Aluiani, cui huius propugnationis gloria præcipuè tribuebatur, laude: nam & intus ad omnia neceſſaria munia obeunda promptiſſimus erat, & foris hoſtilem exercitum crebris excurſionibus, aſſiduis moleſtijs die noctęq; afficiebat. Illud quoq; eius laudes auxit, quod cum quoſdã expeditos eqtes quodã die Cereuetere, quod Vrſinorũ erat, in caſtra vſq; excurrere iuſſiſſet, huius tumultus occaſione egreſſus, pedites qui tormenta cuſtodiebant fudit: & aliquot minora tormenta Bracianum traxit, & nihilominus die noctęque oppugnati atq; afflicti, auxilij potiſſimùm ſpe foueri incipiebant, quoniam Carolus Vrſinus & Vitellotius, ob Guelfam factionem Vrſinis coniuncti, qui pecunia ab Galliæ rege, vt copias ſuas, in regno Neapolitano diſſipatas inſtaurarẽt accepta, nauibus, q̃ ex prouincia Ligurnum appulſæ fuerãt, in Italiam venerant, ſeſe vt tantum periculum amouerent comparabant. Quamobrem Carolus Sorianum profectus, militibus veteranis, & Vrſinorum amicis atq; clientibus colligendis operam dabat: & Vitellotius in Ciuitatecaſtelli, idẽ cum ſuis militibus, & regionis peditatu faciebat: quib. collectis, cum ducentis grauis armaturæ equitibus, & mille & octingentis ex ſuis peditibus, & tormentis in curribus Gallico more impoſitis, Soriani ſe Carolo coniunxit: quare Pontificij duces, ſi illi vlterius progrederentur inter illos & eos qui Braciani erant poſitos eſſe periculoſum iudicantes, ac ne totam circumiectam oram in qua iam aliquot caſtella diripuerant, eis prædæ relinquerent: caſtris Braciano motis, & maioribus tormentis Anguillariam vectis, contra hoſtes iter direxerunt: cum quibus inter Sorianum & Baſſanum, congreſſi, per aliquot horas ferociter dimicarunt. Sed tandem Pontificij, quanuis in principio pugnæ Franciottus Vrſinus ab Columnijs captus fuerit, tamen impedimentis tormentisq; amiſſis, & partim captis, partim verò cæſis pluſquam quingentis, fuſi fuerunt: inter quos capti fuere, Vrbinatium dux, Ioannes Petrus Gõnzaga Nogarolæ comes, & multi alij magni viri, & Candiæ dux leui in facie vulnere accepto, vnà cum Pontificio legato, & Fabritio Columna, Roncilionem fuga petierunt. Huius victoriæ præcipuam laudem Vitellotius retulit: quoniam Ciuitatis caſtelli peditatus, antea ab fratribus & ab ipſo tranſalpinæ militiæ more, edocta: eo die plurimùm ab eius induſtria adiuta fuit: nam cum illos haſtis, communem menſuram ad ſeſquipedem excedentibus armaſſet, id commodi, cum ab illo contra hoſtilem peditatum perducti ſunt habuerunt, vt ob haſtarum longitudinem illæſi ipſi hoſtes vulnerarent: eosq; facilè profligarent, idq; tanto maiore cum laude, quod in hoſtili agmine erant octingenti Germani pedites, quę gens ſemper poſt Caroli regis aduentum Italis peditibus maximo terrori fuerat. Poſt hanc victoriam cœperunt victores abſq; impedimento per omnem ciſtiberinam regionem excurrere: deinde copiarum pars flumine infra Montemrotundum tranſmiſſo, per illud iter quod ſolum tutum erat relictum, excurrebant: ob quæ pericula Pontifex multis militibus denuò conſcriptis, Conſaluum & Proſperum Columnam, ad opem ſibi ferendam ex regno Neapolitano euocauit: & nihilominus pòſt paucos dies Venetorum oratoribus Vrſinæ gentis beneficio, & Hiſpano quod ne ex hoc initio maior in ſociorũ rebus perturbatio oriretur metueret, ſeſe magno ſtudio interponentibus, admodum prompta tam Pontificis ſumptibus faciendis natura alieniſſimi, quàm Vrſinorum, qui quum pecunia carerent, & ab omnibus deſererentur, ſibi tandem Pontificis potentiæ neceſſario cedendum animaduertebãt voluntate, pax inita eſt. Pacis capita hæc fuerũt, vt Vrſinis in regio ſtipendio, ad pacti temporis finem vſq; perſeuerare liceret: ea tamen lege, ne

lege ne contra Pontificum imperium arma capere cogerentur: omnia oppida hoc bello capta eis restituerentur: sed quinquaginta aureorum numûm millia Pontifici numerarent: ex quibus triginta millia, quamprimũ ab Federico Ioannes Iordanus & Paulus Vrsini liberarentur: (Virginius enim antè paucos dies, vel febre, vel vt aliqui existimarunt Veneno, in Oui arce ex hac vita migrarat) reliqua viginti millia, intra octo menses repræsentarentur: sed Anguillaria, & Cereuetus, interea pignoris nomine, in Ascanij & Sanseuerinatis cardinalium manus deponerentur: qui in Soriano prælio capiti erat dimitterentur, prærer Vrbinatium ducem, pro quo liberando etsi sociorum oratores laborarint, Pontifex quia Vrsinos pecuniæ quæ ab eis petebatur soluendæ, nisi ex eius ducis mulcta facultatem non habere sciebat, id non vrsit: eius autem mulcta paulo pòst quadraginta millia aureorum numûm fuit constituta: & insuper additum, vt non antè dimitteretur quàm Paulus Vitellius, qui in Atellæ deditione, ab Mantuano marchione captus fuerat, absque vllo pretio libertatem esset consequutus. Pontifex itaque parua cum dignitate Vrsinorum bello liberatus stipendio militibus quos Consaluus ducebat persoluto suisq; adiunctis, illum ad Ostiæ, quam etiam tum sancti Petri in Vincula cardinalis obtinebat, expeditionem misit, vbi antequam vix tormenta essent collocata, arcis præfectus sese ad Consalui arbitrium dedidit. Hostia capta Consaluus triumphum ducenti similis, cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equtibus, mille ac quingentis peditibus, qui omnes Hispani erant, arcis præfectum velut captiuum, quem paulo pòst dimisit, antè se ducens Romam est ingressus, & ab multis antistitibus, Pontificis atque omnium cardinalium familijs, cum totius populi & aulæ ducem, cuius nomen iam per totam Italiam clarissimum erat, videre cupientium concursu, ad Pontificem, in senatu sedentem est perductus: qui illum maximo cum honore accipiens, in eius virtutis testimonium, rosam quorannis ab Pontificibus donari consuetam, ei dono dedit: ille verò deinde ad Federicum regem redijt, qui vrbis præfecti, ditionem agressus, omnia oppida, quæ ab Galliæ rege, quum regnum illud occuparet, Piscariæ marchioni adempta, ei tradita fuerant, coœperat: & Sora, Arcioq;, sed non illarum arcibus captis, Roccaguiliemiam obsidebat: quoniam Vlueti comitis ditionem, iam antè quàm eum ducatum, Præfecto nimirum Sorano duci venderet, pactione obtinuerat. Et nihilominus in hac secunda fortuna Federico molestiæ quamplurimæ minimè deerant, non modò ab amicis (Consaluus enim Calabriæ partem regum suorum nomine retinebat) verùm etiam ab reconciliatis inimicis: nam cum quadam nocte Bisiniani princeps, in Castelli noui Neapolitani egressu, ab quodam Græco grauiter esset vulueratus, tantus Salernitanum principem, ne hoc regis iussu, ad præteritas iniurias vlciscendas factum esset, terror inuasit, vt statim suspitionis caussa minimè diffimulata, Neapoli Salernum se contulerit: & quamuis Græcum à quo ob iniuriam, vt constabat, ab eo ante multos annos in vxoris corpore acceptam, fuerat vulneratus, captum rex, in eius potestatem misisset, nihilominus vt in veteribus grauibusque odijs firmam pacem constituere, quòd ea vel suspitione, vel vltionis cupiditate impediatur, dffiicile est, nunquam amplius princeps vt ei fideret flecti potuit: quæ res quum Gallis, qui Angelimontem & nonnulla alia munita loca tuebantur, nouorum in regno motuum excitandorum spem faceret, vt in defensione constantius perseuerarent, in causa erat. Maiora pericula hoc tempore, ex Gallorum, qui tunc ab Hispanorum minis tuti erant, motibus, Insubriæ imminebant: nam cum inter eos potius leues incursiones & belli minæ, quàm aliquid memorabile, præterquam quod ab Gallis breuissimo temporis interaullo Salsium & captum & exustum fuerat, factæ fuissent, pacis colloquia inter eos reges introducta fuerant, quæ vt commodius tractari possent, duorum mensium induciæ constitutæ: qua occasione Carolus cũ Genuæ & Sauonę rebus liberius operam dare posset, mille cataphractis, tribus Heluetiorum, & totidem Vasconũ millibus, Astam missis, Triultio suo in Italia vicario, vt Baptistino, & Hostiensi cardinali opem ferret mandauit, & præter hos paulo pòst Aurelianum ducem cum magno exercitu, ad Mediolanensis imperij expeditionem proprio nomine faciendã mittere in animo habebat, & vt Genuensem expeditionem faciliorem redderet, Octauianum

Fregosium ad Florentinos, qui vt eodem tempore Lunigianum & orientale litus inuaderent, ab eis peteret, misit, & Paulo Baptistæ Fregosio, occidui litoris sex nauibus longis turbandi curam dedit. Cœpit hic motus tanto cum Mediolanensium ducis, qui per se non satis erat instructus, nec dum ab Venetis promissa auxilia acceperat, terrore, vt si ea ratione qua debebat perseueraſſet, aliquid magni pariturus fuerit, & in Mediolanensi imperio facilius quàm Genuæ: Genuenses enim, quum Ludouici opera, Ioannes Ludouicus Fliscus, & Adurnij reconciliati essent, multos pedites conscripserant, & maritimam classem Venetorum, & Ludouici sumptibus instruxerant, cui sex triremes ab Federico missæ accesserunt: Pontifex autem, magis consilijs atq; ostentatione, quàm factis fœderati nomen retinens, nullius nec terra, nec mari sumptus in hisce periculis particeps esse voluit. Huius expeditionis progressus fuerunt, vt Baptistinus, & cum eo Triultius, Nouium exercitum ducerent, cuius oppidi, cum Insubrium duce eo spoliatus fuisset, arcem obtinebat, ob quorum aduentum Calatiæ comes, qui cum sexaginta grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, & quingentis peditibus eius custodiæ præerat, de eo defendendo diffisus, Serrauallem se recepit. Nouio occupato exulum existimatio non parum creuit: nam præterquam quòd oppidum multorum hominum capax erat, itineri quo Mediolano Genuam itur, impedimento est: & situ suo, ad circuniecta loca, infesta reddenda valde est oportunum. Baptistinus deinde alia oppida huic propinqua occupauit, eodemq; tempore Cardinalis cum ducentis cataphractis & tribus peditum millibus, Albintimilio capto, Sauonę exercitum admouit, sed ciuibus motum nullum excitantibus, & Ioannem Adurnium cum multis peditibus appropinquare certior factus, Altarium Monferratensis marchionis oppidum, quod octo passuum millia Sauona distat, se recepit. Maioris autem ponderis fuit Triultij initium, qui occasionis ad bellum in Mediolanensi imperio accedendum, inueniendæ cupidus, etsi rex vt prius Genuę & Sauonæ rebus opera daretur mandarat, Boscum, magni momenti castellum in Alexandrino agro, eo prætextu cępit, quòd ad militum, qui in Liguriam erant profecti securitatem, Mediolanensium ducis militibus, Alexandria in Genuensem ditionem perueniendi facultatem necesse esset intercludere: sed tamen ne apertè regis mandata excederet non vlterius est progressus, sicq; maximam occasionem amisit: quoniam omnis circuniecta regio, Bosco capto, pars timore, pars verò rerum nouarum cupiditate erat concitata: nec dux in ea parte plus quàm quingentos grauis armaturæ equites, & sex peditum millia habebat, & Galeatius Sanseuerinas, qui Alexandriæ erat, eius, nisi maiores vires haberet, defendendæ spem amittere incipiebat, iamq; Ludouicus, non minus in hac aduersa fortuna quàm in alijs omnibus esse soleret timidus, Ferrarienſium ducem, vt de pace aliqua ratione inter Galliæ regem & se concilianda intercederet rogabat. Sed Triultij inter Boscum & Nouium mora, Ludouico sui comparandi, & Venetis, qui promptissimis animis ad eius defensionem concurrentes, antea mille & quingentos pedites Genuam miserant, multos grauis & leuis armaturæ equites Alexandriam mittendi spacium concessit: & postremò Pitiliani comiti ipsorum exercitus imperatori, quoniam Mantuanus marchio ab Venetorum stipendijs discesserat, vt maximam copiarum partem ad eius imperij auxilium duceret mandarant: sic ijs quæ magna spe cœpta fuerant, deferuescentibus, Baptistinus nulla re Genuæ, quæ ciuitas ob apparatus factos nullum motum excitauit, confecta, se iterum Triultio coniunxit: consilia sua ideo vana extitisse afferens, quòd Florentini orientale litus non inuasissent. qui sese antequam Gallorum res feliciores validioresq; apparerent, bello immiscere minimè prudens consilium existimarant: Hostiensis, quoq; nulla re, nisi quòd aliqua Finarij marchionis oppida, quòd is se Sauonæ defensorem ostendisset, cęperat, gesta, se Triultio coniunxit. Gallicæ itaq; copiæ coniunctæ, aliquot excursiones Castellacium versus fecerunt: quod oppidum Bosco vicinum iam ab Ludouici militum præfectis munitum fuerat: cumq; sociorum exercitus qui Alexandriam conueniebat, assiduè augeretur, & viciſſim Gallis pecuniæ & commeatus deesse inciperēt, nec reliqui duces Triultio libenter parerent, Nouio & Bosco præsidio munitis, cum exercitu prope Astam se recipere coactus fuit. Huic expeditioni copiarum in plures partes distributio, vt sæpe vsuuenire videmus, obfuisse creditur: quòd si omnes initio Genuam petijssent, fortè

forte meliorem ſucceſſum ſortiti eſſent: nam præter factiõnũ ſtudia, indignationẽ Petræ ſanctæ cauſſa natã, Germanorum equitũ ac peditum quos Mediolanenſiũ dux miſerat pars, cum paucos dies ibi fuiſſent repentè in Germaniã redierant. Fieri etiã poteſt vt illi ijdem, qui ſuperiore anno Gallię regis in Italiam aduentũ & regni Neapolitani ſubſidia impedierant, ijſdẽ artibus, vt & hanc expeditionẽ, apparatuum difficultate impedirent, vſi ſint: & eo magis quia fama erat Mediolanenſiũ ducem, qui ſibi ſubiectis graues exactiones imperabat, multa Borboniorum duci, atq; alijs qui autoritate apud regẽ polle bant donare: quæ nota etiã ad Maclouienſem cardinalem perueniebat. Vtcunq; aũt ſe res habeat, illud certũ eſt Aurelianorum ducẽ, vt Aſtam veniret deſtinatũ & vehemẽter ab rege incitatũ, omnia quæ ad huiuſmodi expeditionẽ erant neceſſaria cõparaſſe: ſed ſiue quòd neceſſaria ſibi pòſt ſubminiſtratũ iri minimè fideret, ſiue, vt multi interpretabãtur, quòd cum rex ſemper corpore æger eſſet, regnũq; ſi ille abſq; liberis excederet, ad eum ſpectaret, inuitus ex Galliæ regno diſcederet, cunctatus eſt. Rex aũt Genuæ & Sauonæ mutationis ſpe fruſtratus, cũ Hiſpaniæ regibus cæpta colloquia, maiore ſtudio proſequi cæpit, quæ vnica tantũ difficultas remorata fuerat, quod rex Galliæ, ad ciſalpina bella liber eſſe cupiens, Italiæ res inducijs quæ tractabantur cõprehendi nolebat: & Hiſpaniæ reges, ſe nullã ob aliã quàm honoris cauſſam eius voluntati repugnare oſtendentes, vt & ille cõprehenderentur, inſtabant: nam cum omnibus idem induciarum, vt facilius de pace agi poſſet faciendarũ animus eſſet, honeſtius deinde ab Italorum fœdere diſcedere poſſent: quamobrem vbi ſæpius legati vltro citroq; miſſi fuerunt, Hiſpanis artibus tandem, vt ferè ſemper, ſuperantibus, inducias pro ſe, ſubiectis atq; clientibus ſuis, & pro ijs quoque quos quiuis eorum nominarent fecerunt. Quæ induciæ quinto Martij die inter eos, ſed inter nominatos poſt quinquageſimum diem incipientes, in totum Octobrem proximũ extenderentur. Vnuſquiſq; illorum eos principes & ſtatus in Italia, qui ſibi fœdere vel clientela iuncti erãt nominauit: & inſuper Hiſpaniæ reges Federicum regem & Piſanos addiderunt: præterea proprios homines qui de pace agerẽt Mompeſſulũ mittere cõſtituerũt, quib. colloquijs reliquorũ ſociorũ oratores intereſſe poſſent: & in hoc negocio Hiſpaniæ reges ſe aliqua iuſta occaſione arrepta, cõtra Italos cũ Gallię rege fœdus inituros ſpẽ faciebãt: & iã tũ de regno Neapolitano inter ſe diuidẽdo proponebant: quæ inducię etſi abſq; Italiæ ſociorũ cõſenſu factę eſſent, omnib. tamen, & præſertim Mediolanenſiũ duci, vt bellũ ab finibus ſuis auerteretur cupidiſſimo, gratæ fuerunt. Sed quum ſe inuicem infeſtandi facultas in Italia ad vigeſimum quintum vſq; Aprilis diem libera eſſet, Triultius & Baptiſtinus & cũ eis Serenonius, cum quinq; militum millibus in occiduum liguriæ litus reuerſi, Albigaunum oppidum inuaſerunt: quod etſi primò ferè totum occuparint, nihilominus in eius ingreſſu diſſipati, ab paruo hoſtiũ numero inde pulſi ſunt: deinde Finariẽſem marchionatũ, vt Italis eò ſubſidia mittendi cauſſam præberent, ſe inde eius ad prælium alliciendi occaſionem habituros ſperantes ſunt ingreſſi: quod cum eis non ſucceſſiſſet, nihil amplius præclari geſſerunt, cum præſertim ducum diſcordia creuiſſet: & ob inducias factas ſtipendia indies magis deficerent. Quo tempore ſocij Nouio excepto, omnia prius amiſſa oppida recuperarant, & tandem Nouium quoq;, etſi Calatinus comes caſtris admotis repulſus fuiſſet, deditione receperunt: neq; ex locis occupatis, vllus præter parua quædam in Finarienſi ditione oppidula, in Gallorum poteſtate relictus eſt. Quibus in moleſtijs Allobrogum dux, ab vtraq; parte magnis promiſſis tentatus, & Monferratenſis, cuius adminiſtratio ab Romanorum rege, Conſtantino Macedoni confirmata fuerat, ſeſe nec Galliæ regi, nec fœderatis fauere oſtenderunt. Hoc anno nihil magni inter Florentinos & Piſanos, quamuis aſſidue bellum geſtum ſit, effectum eſt, niſi quod quum Piſani Ioanne Paulo Manfronio duce cum quadringentis expeditis equitibus, & mille ac quingentis peditibus, ad uallum ab ipſis ad ſtagni pontem factum, quòd cum Cæſar Ligurno diſceſſit amiſerant, recuperandum eſſent profecti, Rinuncius comes, ea de re certior factus, Liguranenſi itinere, multos equites ad id tuendum duxit: & Piſanis nullum impedimentum niſi Pontaderenſi itinere expectantibus, cũ illos iam vallũ oppugnãtes offendiſſet, multis captis facilè eos fudit. Sed ob inducias factas, etſi eas Florẽtini inuiti admiſerint, inter eos quoq; arma ſunt depoſita: ſuis etenim rebus, Piſanis reſpirandi ſpaciũ cõcedere

inutile existimabant: quia etsi inducię essent, ob Petri Medicis qui semper aliquid moliebatur suspicionem, & Venetarum copiarum quæ Pisis erant metum, eosdem sumptus facere cogebantur. Sic armis vbiq; depositis vel iam deponendis, Ludouicus quāuis in proximis periculis sibi ab Veneto senatu ob prompta auxilia ab eo accepta optimè satisfactum ostendisset, & palàm magnificis verbis Venetam virtutem ac potentiam extulisset, atq; Ioannis Galeatij primi Mediolanensium ducis, qui testamentum suum eius senatus fidei exequēdum commisisset prouidentiam cōmendasset, nihilominus quum Pisanam prædā quam ipse tanto labore, totq; artibus excitasset persecutusq; esset, illis vt manifestè futurum apparebat relinqui, ferre non posset, ideoq; vt id quod viribus adipisci non poterat, consilio assequeretur, cum Pontifice & Hispaniæ regum, quibus omnibus tanta Venetorum potentia molesta erat, oratoribus egit, proponerent ad Gallos omnibus adiumentis in Italia priuandos, atq; eam totam ad concordiam reducendam, necesse esse Pisarum restitutione Florentinos, postquam id alia ratione fieri non poterat, in commune fœdus allicere: quòd dum ab alijs erant seiūncti, Galliæ regem, vt in Italiam veniret cohortari non desisterent: qui si venisset, posse illos pecunijs & copijs suis, cum præsertim in media Italia sint collocati, res non paruas efficere. Sed huic sententiæ, vt communi saluti valde perniciosæ, ab Veneto oratore repugnatum est: afferebat enim eam esse Florentinorum in Galliæ regem propensionem, vt vel hoc beneficio in eos collato, nequaquam, nisi promissorum seruadorum idoneam cautionem dedissent, illis esset fidendum: in tanti autem momenti rebus, nullam nisi Ligurnum in fœderatorum manus deponerent cautionem idoneā esse: quod illi artificiosè, vt, cum illos nunquam locum tanti ad imperium ipsorum momenti deposituros sciret, maiorem contradicendi facultatem haberet, proponebat: quo vt cogitauerat facto, tanta vehementia sese opposuit, vt cum Pontifex & Mediolanensium ducis orator, ne illos ab fœdere suo alienarent, repugnare non auderent, id colloquium omissum sit, & noua ab Pontifice & Venetis, ad Florentinos vi ab Gallica societate diuellendos, ratio introducta, quia ijs qui de eis lædendis cogitabant, peruersus eius ciuitatis status, animum augebat: erat enim inter ciues non parua dissensio ex reip. forma orta: nam cum primò popularis status est constitutus, ea temperamenta adhibita non fuerant, quæ & libertatem idoneis modis firmarent, & ne resp. multitudinis imperitia atq; licentia perturbaretur prohiberent: ideo cum amplioris census ciues minoris quàm æquum videretur fierēt, & vicissim illorum ambitio populo esset suspecta, multiq; sæpe grauibus deliberationibus interessent, qui ea non satis intelligebant, & altero quoq; mense supremus magistratus ad quem dificillimarum quarunque rerum summa referebatur, mutaretur, resp. magna cum perturbatione administrabatur, quib. accedebat magna Sauonarolę autoritas, cuius auditores ferè tacitè conspirauerant, cumq; multi inter eos honesti ciues essent, & contrariam factionem numero etiam superarent magistratus & honores, multo magis in eos qui eum sequebantur, quàm in alios distribui videbantur: eamq; ob causam cum ciuitas manifestè esset diuisa, altera pars alteram in publicis consessibus impugnabat: neq; vllam publici boni rationem: vt in diuisis ciuium studijs accidit, quo aduersariorū existimationem euerterēt habebant. Harum perturbationum periculum augebat, quòd præter longas molestias & graues sumptus ab ea ciuitate perpessos, summa eo anno erat annonæ penuria: ex quo existimari poterat, plebem fame oppressam, res nouas exoptaturam: quæ omnia Petro Medici præter has occasiones ab nonnullis ciuibus incitato, ad exoptatum finem facilè perueniendi spem fecerunt: quare consilijs suis cum Sanseuerinati cardinale sibi veteris amicitiæ iure coniuncto, & cum Aluiano communicatis, clàm etiam ab Venetis, qui Pisanas res Florentinorum molestijs firmari existimabant, incitatus, vt per insidias Florentiam ingrederetur, conari statuit: præsertim verò certior factus, vbi Bernardum Nerium, grauem & magna autoritate virum, veterem & parentis & suum amicum, vexilliferum, quæ summa est in rep. dignitas, creatum, & nōnullos alios, quibus ob veteres clientelas potentiam suam gratam fore censebat, ad eundem magistratum euectos. Huic consilio & Pontifex qui postquam Florentinos ab Galliæ rege beneficijs disiungere non potuerat, iniurijs facere cupiebat, est assensus: nec dux Mediolani, quòd se, ob præsentis status perturbationem, firmum aliquod fundamentum,

damentum, ſocietatémue cum ea ciuitate habere non poſſe cenſeret, quamuis nec Petri cũ ob iniurias ei illatas, tum quia ne nimiũ ex Venetorum autoritate penderet metuebat, reditus ei non placeret, repugnauit. Petrus igitur quanta pecunia potuit ex ſuis & amicorum opibus collecta: &, vt opinio fuit, parua ſumma ab Venetis ſubminiſtrata, Senas eſt profectus, eumque Aluianus cum equitibus & peditibus ſemper vt eius profectio Florentinis eſſet occultiſſima, noctu per deuia iter faciens ſequutus eſt. Senis Ioannifiacobi, & Pandolfi, Petruciorum eius reip. ſummorum ciuium paternorum ſibique amicorum fauore, clàm alios milites habuit, adeò vt cum ſexcentis equitibus, & quadringentis ſelectis peditibus, biduum poſt cæptas inducias quibus Senenſes non comprehendebantur, Florentiam verſus ea ſpe, vt quum repente in ipſo diluculo eò peruenisſet, ſe facilè vel perturbatione, vel tumultu quem pro ſe exoriturum ſperabat, ingreſſurum exiſtimaret, eſt profectus: quòd conſilium fortaſſe vanum non extitiſſet niſi fortuna eius aduerſariorum negligentiam adiuuaſſet: nam quum prima noctis vigilia, ad tabernulas quæ ſunt nonnullæ domus in regia via poſitæ, eo cõſilio vt per maximam partem noctis ambularet, caſtra poſuiſſet, magna pluuia ſuperuenit, quæ tantum ei impedimenti attulit, vt niſi multas horas pòſt ſolis ortum Florentiam peruenire non potuerit: quæ mora, ijs qui ſe eius peculiares hoſtes profitebantur (plebs enim & ferè omnes reliqui ciues, otioſi rei exitum expectabant) cum amicis & clientibus arma capiendi, & vt magiſtratus ſuſpectos ciues in prætorium vocarent ibique eos detinerent, curandi, & ad portam qua Sens itur ad quam ab eis rogatus & Paulus Vitellius, qui Mantua rediens, forte fortuna ſuperioris diei veſpere Florentiam peruenerat, accurrit, globum faciendi ſpacium conceſſit: adeò vt cum nullus in ciuitate motus oriretur, nec Petrus portam, cui ad arcus iactum appropinquarat, vi perrumpere poſſet, vbi quatuor horas ibi hæſiſſet, ne ſuo periculo Florentinorum equitatus, quem vt res erat, ex Piſano agro accerſitum exiſtimabat, ſuperueniret veritus, Senas redijt: vnde Aluianus profectus, & Todium ab Guelfis introductus omnes Gibelinorum domus diripuit, tresque & quinquaginta eius factionis principes interfecit: quod exemplum ſequutus Antonellus Sabellus, Ternium ingreſſus, & Gateſchij Columniorum ope Viterbium ingreſſi, eadem in vtroque loco, & circumiecta regione Guelfis damna intulerunt: nec Pontifex à ſumptibus in huiuſmodi res faciendis abhorrens, ſuaque natura ex aliorum calamitatibus exiguam moleſtiam capiens, ijſq; rebus quæ honorem ipſius attingebãt, modò vtilitas aut voluptates nõ impedirẽtur, minimè perturbari ſolitus, tantis Pontificij imperij malis obuiam ibat. ſed tamen domeſticam calamitatem, quæ domum eius tragicis exemplis, & libidine atq; crudelitate, vel in quauis barbara regione horrenda perturbauit, effugere non potuit: nam cum vſq; ab initio ſui Pontificatus, omnem profanam potentiam & opes, in Candianum ducem ſuum maximum natu filiũ cõferre ſtatuiſſet, Valentinus cardinalis qui animo prorſus ab ſacerdotio alieno, ad rem militarem aſpirabat, quum ſibi hunc locum ab fratre occupari ferre non poſſet, præterea etiam illum ab quadã nobili muliere, quæ ab vtroq; amabatur, magis ſibi anteferri ægrè ferens, libidine & ambitione, ad quoduis magnum ſcelus perpetrandum, potentibus miniſtris concitatus, noctu cum ſolus per Vrbẽ equitaret clàm eum necari, & deinde in Tiberim proijci curauit. Candiani mors Pontificẽ in filiorum amore, ſi quiſquã alius, ardentiſſimum, nec fortunæ ictibus ſentiendis aſſuetum, vehementiſſimè afflixit: certum enim eſt, eum à teneris ad eam vſq; ætatem ſecundiſſimo fortunæ curſu vſum fuiſſe: quare eo caſu tantopere fuit commotus, vt in ſenatu, quod ipſi conſiſtorium vocant, poſt quam maxima animi commotione & lacrymis, ſuam miſeriam grauiter deploraſſet: multasq; ſuas actiones & vitæ modum quẽ ad eum vſq; diẽ tenuiſſet, grauiſſimis verbis ſe aliam rationẽ vitæ & morum in poſterum inſtituturũ, aſſeuerauit: ſimulq; è purpuratorũ numero certos delegit, quorũ conſilio atq; opera in morib. atq; ordinibus curiæ corrigendis, vteretur: cui rei cum per aliquot dies operã dediſſet, autorq; necis filij ſui, quæ initio Aſcanij cardinalis atq; Vrſinorũ opera procurata putabatur, pateſcere inciperet, laudabili prius propoſito, deinde etiã lacrymis depoſitis, ad eas cogitationes, eaq; opera, in quibus ad id vſq; tempus ætatẽ contriuerat, impotentiore quàm vnquam antea animi impetu reuerſus eſt. Ex Petri Medicis motib. nouæ calamitates per ea tem-

pora Florentiæ extiterunt: nam paulo pòst quorundam in Petrum ſtudia patefacta ſunt: quamobrem non pauci nobiles ciues capti, alij fuga elapſi: qui, coniuraſſe conuicti, rei capitalis condemnati fuerunt, non ſolum Nicolaus Ridulfus, Laurentius Tornabonus, Ioannotius Puccius, & Ioannes Cambius, qui Petrũ vt ad vrbem veniret, ſolicitauerant, & Laurentius qui ei ad hoc pecuniam cõmodauerat, verumetiam Bernardus Nerius ob eam tantùm cauſſam, quòd cum de coniuratione intellexiſſet, eam non patefeciſſet: quod peccatum alioqui legibus Florentinorũ, & iuriſperitorũ ſententia capitale, eò grauius fuit, quòd cum Petrus Florentiam venit, ipſe reip. vexillifer eſſet: quòd in magiſtratu, magis publicæ perſonæ munus, quàm priuatæ obire teneretur: verùm cum damnatorum propinqui magnũ populi cõſilium, legis cuiuſdam vi, quum populi poteſtas fuerat conſtituta, latæ, appellaſſent, qui eius condẽnationis autores, veriti ne ætatis ac nobilitatis miſericordia, propinquorumq; multitudine, in populi animis iudicij ſeueritas mitigaretur, obtinuerunt vt in minore ciuium numero conſultaretur, eſſẽtne appellationis perſecutio admittenda, an prohibenda: vbi eorum autoritate & numero, qui rem periculoſam, atq; ad ſeditionem excitandam facilem eſſe dicerent, vincente: afferrentq; legibus ijſdem concedi, vt tumultus vitandi cauſſa, in eiuſmodi re, leges ſilerent, quidã ex ijs qui in ſupremo dignitatis gradu ſedebãt, impetu quodam, & propemodum vi & minis aſſentiri, vt eadem nocte interficerentur, compulſi fuerunt: hoc ipſum vehementius Sauonarolæ fautoribus poſcentibus, non ſine ipſius infamia, qui ſui ſtudioſos ſaltẽ non deterruiſſet ab ea lege violanda, quam ipſemet paucos ante annos, quaſi admodum ſalutarem, atq; ad libertatem conſeruandam neceſſariam, rogaſſet. Hoc ipſo anno Fedricus rex Neapolitanorũ, regni à Pontifice diplomate accepto, ac ſolemni ritu inauguratus, Montemangelicũ ab Iuliano Lotharingo, quem ei rex Galliæ præfecerat, fortiter defenſum, pactione, nec non Ciuitatẽ (id enim eſt oppidi nomen) vnà cum alijs aliquot oppidis, quæ Carolus cui à Sanguine cognomẽ fuit, tenebat, recepit: & induciarũ tempore finito, Romano præfecto toto regno exacto, in Salerni principem arma conuertit: qui deniq; in Diani arce obſeſſus, atq; ab omnibus deſertus, vt incolumis vnà cum ſuis rebus abiret obtinuit: ea ſui imperij parte quam nundũ amiſerat, in Biſiniani principis poteſtate, ea conditione relicta, vt eam Federico traderet ſimulac ſe Senogalliam incolumen perueniſſe intelligeret. In huius anni fine, cum immoderatis Hiſpaniæ regum petitionibus, conuentus qui è Montepeſſullo Narbonem translatus erat, prius eſſet interruptus, ad noua conſilia, ijſdem tamen difficultatibus permanentibus, ijdem reges redierunt: nam rex Galliæ, nullam cõpoſitionem admittere cõſtituerat, in qua Italia cõprehenderetur: Hiſpaniæ verò regibus graue videbatur, ſi ei Italiæ ſubigendæ liberã facultatem relinquerẽt: nec tamen cum eo bella vltra Alpes gerere cupiebant: quib. ex bellis plus moleſtiæ, quàm fructus ſperare poſſe videbantur. Tandem induciæ inter eos quandiu ab alterutris non renunciarentur, & inſuper menſes duos, pactæ: quibus inducijs nulli Italorum principum, aut ciuitatũ cõprehenſi fuerunt: quas Hiſpaniæ reges factas eſſe ipſis ſignificarunt, eamq; rationẽ ſui facti attulerunt: nimirũ, tam ſibi licuiſſe id eis non appellatis facere, quàm Ludouico Sfortiæ ſine ipſorũ conſenſu pacẽ Vercellenſem cõponere: & cum, icto cum eis fœdere, bellũ in Galliã mouiſſent, idq; multos menſes geſiſſent, nec tamen ſibi pecunia à ſocijs promiſſa perſoluta: etſi iuſtam cauſſam haberent eos deſerendi, à quibus deſerti fuerant: ſæpenumerò tamen eis denuntiaſſe, ſe mille & quingenta pondo auri, quæ ſibi ex peractis bellis debebãtur, perſoluere vellẽt, ſe eam ſummã in bella futura acceptu-ros fuiſſe, eo animo vt in Galliã cum validiſſimis copijs eſſent ingreſſuri: ſed cũ ſocij ſuper his nec ſuæ fidei, nec cõmuni vtilitati ſatisfeciſſent, viderẽtq; fœdus pro Italiæ libertate percuſſum, ad eã vſurpandã & opprimendã verteretur, cũ Veneti tot portub. in regno Neapolitano occupatis minimè cõtenti, Piſanã quoq; ciuitatẽ ſine iure tenerẽt, ſibi æquũ eſſe viſum, quandoquidẽ alij rem cõmunẽ diſſoluerent ac perturbarẽt, ſuis induciarũ beneficio proſpicere, ſed eo tẽperamento, vt admonitio potius quàm à fœdere diſcedẽdi voluntas dici poſſet: propterea quòd in eorũ eſſet poteſtate eas renuntiando, diſſoluere: quod quidẽ eſſent facturi, ſi in Italiæ principibus alia ad communem vtilitatem conſilia, alioſq; apparatus cernerent. Pacis dulcedinem integrè guſtare reges illi, propter Ioannis Hiſpaniæ principis amborum vnici

filij

filij mortem nõ potuerunt. Mortuus eſt eadem tempeſtate Allobrogum dux Philippus paruulo filio vnico relicto, qui poſt longã deliberationẽ deniq; cum fœderatis ſenſurus videbatur: nã ei aureorũ numũm 20. millia quotannis ſe appenſuros receperant: nihilominus eius apud omnes fides adeò anceps erat, vt & ipſi, ſi quãdo rex Galliæ valida expeditione aliquid aggrederetur, nõ multũ ſibi ab eo pollicerẽtur. Eiuſdẽ anni extremo dux Ferrariæ, cũ iam bienniũ arcẽ Genuẽſem depoſiti nomine tenuiſſet, Ludouico genero ſuo reſtituit: prius tamẽ ab rege Galliæ poſtulauit, vt ſibi impẽſarũ quas in eius arcis cuſtodiã feciſſet, mediũ reponeret: ſe id perſoluturũ rex affirmabat, ſi modò ſibi dux Caſtelletum traderet: quod quidẽ facere ipſum debere rex aiebat, quòd Mediolani dux pacta non ſeruaſſet: reſpondebat ille, hoc ipſum nundũ eſſe demonſtratũ, atq; vt Ludouicus contumaciæ reus fieret, interpellationẽ intercedere oportuiſſe: ſe eã ſummã rex depoſiturũ polliceri, vt antè ſolutionẽ, an ſibi arcẽ tradere deberet, cognoſceretur: verùm apud Herculem potiora fuerunt Venetorum generiq́ue ſui poſtulata: mouebatur enim nõ ſolum precibus ac delinimẽtis Ludouici, qui paucis diebus antè, Archiepiſcopatum Mediolanenſem in Hippolytũ cardinalẽ filium ſuum contulerat: ſed multò magis quòd periculoſum exiſtimaret, odium vicinorũ præpotentiũ, in tempore præſertim quo indies Gallorum aduentus ſpes magis ac magis imminuebatur, prouocare: itaq; ex Gallica aula Ferrando filio ſuo reuocato, Caſtelletũ Ludouico prius impenſis, etiam ea portione quam rex perſoluere debuiſſet, acceptis, reſtituit: quamobrẽ, Veneti, quo ſe ei debere præ ſe ferrent, eum Ferrandum ſuis ſtipendijs centum grauis armaturæ equitibus præfecerunt: quæ reſtitutio parum æquè facta, etſi ad regis exiſtimationem in Italia magni eſſet momenti, tamen rex æquiore animo eam tulit, quam rei grauitas poſceret: quin imò, cum Hercules oratorem qui ſe apud regem excuſaret, miſiſſet, diceretq́ue, quòd eius imperium Venetis, ducíq; Mediolani finitimum eſſet, qui ei tantum non bellum indixiſſent, ſe neceſſitati parere coactum fuiſſe: eum rex eadem negligentia, qua ſi de leui aliqua re egiſſet, audiuit: vt qui præter quàm quòd omnibus ſuis actionibus caſu & temere procedere conſueuiſſet, in conſuetis anguſtijs ac difficultatibus verſabatur, quòd in Italiam tranſeundi cupiditate flagraret: maioresq; quàm vnquam antea occaſiones haberet, cum Hiſpaniæ regibus inducias, Heluetij fœderis nouam confirmationem, multas fœderatorum Italiæ principum diſcordiarum cauſſas: ſed artibus bonę partis eorum qui circa eum erant, impediebatur: alij ei varias proponere voluptates: alij ad eam quidem expeditionem hortari, verùm tanto terra mariq; apparatu, tantaq; rei numariæ confectione, vt ad ea perficienda longo admodum tempore opus eſſe videretur: alij quauis difficultate occaſioneq; vti negociũ protelarẽt, abuti: nec Maclouiẽſis nõ & ipſe ſolita ſua in expeditionibus numarijs tarditate, moras interponere: ſic vt nõ modò in Italiam tranſeundi tempus magis quàm antea incertus eſſet, verumetiã, quæ penè ad faſtigiũ erant perducta, concidere permitterentur. Nam Florentini cum eo ita conuenerant, vt ſimul atq; ipſe bellum cœpiſſet, ipſi ab altera parte arma mouerent: atq; vt in hoc Obigninus cum centum quinquaginta cataphractis, quorum rex centum ſtipendia ſolueret, ipſi quinquaginta, mari in Hetruriam, vt ipſorum exercitus imperator eſſet, tranſiret: Mantuanus quoque ab Venetorum ſtipendijs, quum victor è Neapolitano regno redijt, quòd eum cum rege Galliæ de ſe conducendo agere, ſuſpicarentur, importunè remotus, nunc reuera ea de re cum eo agebat: & Sabaudiæ nouus dux, in regis amicitia erat confirmatus: Bentiuolus quoque, vbi rex Italiam attigiſſet, ſe ipſius potificiſq; autoritatem ſecuturum promittebat: an cum eo facere, vt continenter cum ipſo agebatur deberet, ambiguus, ſaltem ſe regi non oppoſiturum, promiſerat. At, regis conſueta tarditas ac negligentia, omnium ardorem reſtinguebat: nam, nec in Italiam, vt Aſtæ congregarentur copiæ, vt ab eo promiſſum erat, tranſibant: nec Obigninus mittebatur: nec pecunia qua Vrſinis ac Vitellijs ſtipendia perſoluerentur, explicabatur: res, ſiquidem bellum erat gerendum, magni momenti: idcirco cum Vitellij Venetorum facturi ſtipendia viderentur, Florentini, regem ea de re certiorem faciendi tempus non haberent, communibus ſuis & regis ſtipendijs eos in annum conduxerunt: quæ res pòſt cognita ab eo fuit laudata: verùm nec confirmata, nec in eam pecunia miſſa: quin miſſo ad eos Gemellio, vt ſibi auri pondo mille & quingenta in

eam expeditionem commodarent, postulauit. Denique, aliorum voluntate ex sua, vt
sæpenumerò solebat, æstimata, Lugduno repente ferè discedens Tursium, inde Am-
bosiam, se breui rediturum, vt solebat, promittens, profectus est: quas ob res om-
nium qui in Italia partes ipsius sequebantur, spe frustrata, Baptistinus Fregosius ad
Mediolani ducem reconciliata cum eo gratia, se contulit: qui animo ex his rebus
recepto, indies magis suam in Venetos ob Pisanorum res indignationem conce-
ptam, aperiebat: pontificemque & Hispaniæ reges instigando, vt denuò, se ardore
maiore de Pisis restituendis postulata sermonesque renouarent. His consilijs Floren-
1498. tini ab eo sic persuasi, ineunte millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo Ro-
mam suum oratorem miserunt: cui vt ita rem tractarent mandarunt, vt & Pontifex
& alij possent cognoscere, si Pisana ciuitas ipsis restitueretur, ipsos cum reliquis
ad Italiæ defensionem, contra Gallos conspiraturos: & nihilominus rex Galliæ,
si res minus procederet, aliquid de ipsis suspicandi causam non haberet. Hæc res
per multos dies Romæ fuit agitata, Pontifice, & oratoribus Hispaniæ regum, ducis
Mediolani, & Neapolitani regis, cum Venetorum legato aperte agentibus: cum di-
cerent ad communem securitatem necessarium, hac ratione Florentinos sibi aduersus
Gallos adiungere: Venetum senatum cum reliquis, assentiri debere, vt omnium offen-
sionum radicibus extirpatis, nemo in Italia restaret, qui transalpinas gentes euocandi
occasionem haberet: cuius concordia, si hac re impediretur, alijs fortè noua consilia in-
eundi: è quibus aliqua grauis rerũ immutatio cum omnium detrimento posset existere,
eam rem esse ansam præbituram. Sed enim prorsus diuersa erant Veneti senatus cõsilia:
qui suam cupiditatẽ varijs coloribus prætexens, atq; vnde præcipue tantum eius rei stu-
dium manaret, animaduertens, per eundem suum oratorem sic respondebat, vt grauis-
simè expostularet, eam rem nequaquã cõmunis boni causa excitatã esse, sed & alicuius
fœderatorũ aduersus eos maleuolẽtia: propterea quod, cũ Florentini animo essent cum
Gallis cõiunctissimi: sibiq; per illorum in Italiam reditum bonam Hetruriæ partẽ occu-
paturos persuasum haberent, sine dubio restitutionẽ Pisanam non satis esse ad illorũ in
Gallicũ nomen studia remouenda, quinpotius, rem esse periculi plenã, si ea ipsis resti-
tuatur: quoniam, quo essent potentiores, eò magis Italiæ securitati nocerent: in hac re-
stitutione, omnium existimationem & fidem agi, sed præcipuè ipsorum reipublicę, quia
cum omnes socij concordes Pisanis se illorum libertatem propugnaturos cõpromisis-
sent, pòst, cum reliqui omnes in publicum bonum sumptus inuiti cõferrent, onere ipsis
solis relicto, qui ad hoc nullum sumptum aut molestiam recusarunt, turpe admodũ forè
si eã deserant, datamq; fidem infringant: quã si ceteri non magnifacerent, ipsi eam sem-
per seruare soliti, violare nullo modo vellent: esse molestissimũ Veneto senatui, quòd
sine vllo respectu ab alijs carperentur ea de re quam de communi omnium consensu
incępissent: & communis vtilitatis causa in incœpto perseueraſſent: ac tanta cum in-
grati animi significatione, benefaciendo, malè mulctarentur: hanc mercedem im-
manes quos in eam rem totq; alias sumptus feciſſent: tot præterea molestias, & peri-
cula, quæ post ictum cum illis fœdus sustinuissent, minimè mereri: quæ res fuerant,
vt audacter possent dicere, ipsorum opera fuisse Italiam liberatam: quòd nec ad
Tarum alijs erat pugnatum armis: nec alijs armis Neapolitanum regnum recupera-
tum, quàm suis: & qui nam exercitus Nouariam ad deditionem compulliſſet: quis
Galliæ regem trans Alpes abire coegisset? cuius vires quoties redire tentauerat in
Taurinis obuiam iuissent? Negari verò non posse, quin hæ actiones ex salutis Italiæ desi
derio potissimum profectæ sint: nam nec primi vnquam ipsi periculis expositi fuerant:
nec ipsorum causa errores extiterant, quos ipsi corrigere tenerentur: quòd nec Galliæ
regem in Italiam ipsi euocassent: nec eum cis montes eductum, comitatos esse: nec
vt suo parcerent ærario, res communes in discrimen venire permisisse: quinetiam sæpe-
numerò necessarium fuisse, Senatum Venetum eis malis adhibere remedia, aliorum
culpa ad omnium perniciem oxorta: quæ opera si minus erant cognita, aut tam citò
obliuioni tradita, nolle ipsos ob id aliorum parum laudabili exemplo imitantes, neq;
fidem, neque suæ reip. dignitatem fœdare: eam præsertim ob causam, quòd cum Pisa-
norum libertatis incolumitate, Italiæ vniuersæ securitas, bonumque coniunctum esse
videatur.

videatur. Hęc dum inter fœderatos aperto cum diſſidio tractantur, nouus ſuperueniens caſus, res longe ab hominum cogitationibus diuerſas peperit: nam nocte quæ octauum diem Aprilis antecedit, apoplexia Carolus rex, Amboſiæ repente mortuus eſt: quod quidem ei accidit, dum pila ludentes ſpectat, tanta vi, vt eodem in loco vitam terminarit, qua maiore impetu quàm virtute orbem terræ perturbauerat: & erat denuò turbaturus: per multi enim exiſtimarunt, quòd in Italiam redeundi deſiderio arderet, ſemel tandem ſiue ſua ſponte, ſiue eorum monitis quibus Maclouienſis magnitudo erat inuiſa, eum ſe ex ijs quæ obijciebantur difficultatibus explicaturum: & quanquam in Italia modò augeret, modò minueret, propter actionum ſuarum inconſtantiam, ſui aduentus opinionem, non ob id tamen eius expeditionis metus tollebatur: itaq; Pontifex, ſuos filios cuehendi cupiditate ſtimulatus, iam cum de rebus nouis clàm agere cœperat: pòſt etiam rumor ſiue falſus ſiue verus increbuit, ducem Mediolani, ne in perpetuo timore vitam ageret, idem feciſſe. Regnum Galliæ, quod Carolus ſine liberis deceſſiſſet, ad Ludouicum Aureliæ ducem, à ſtirpe maſcula proximum peruenit: ad quem illico Carolo mortuo regij ſtipatores Bleſiacum, vbi ille tum erat, totaq; aula contendit: mox omnes regni proceres, regem ſuum & ſalutantes & agnoſcentes: tametſi non defuerint qui tacitè ſubmurmurarent, eum antiquis eius regni inſtitutis, à regia dignitate, aduerſus quam Britonico bello arma ſumpſiſſet, arceri. Poſtridie eius diei quo Carolus viuere deſijt, qui Chriſtiano ritu palmarum celebritati ſacer eſt, Hieronymi Sauonarolæ autoritas Florentiæ concidit: qui prius apud Pontificem in crimen vocatus, quòd non ſine offenſione in Sacerdotum curiæque Romanæ mores pro concione inueheretur: quòd Florentiæ diſcordias aleret: quòd eius doctrina nequaquam per omnia ſana eſſet: quas ob res cum Romam breuibus Pontificis literis eſſet accitus, nec tamen vnquam eò ſe cõferre, certis vtipſe afferebat cauſſis, voluiſſet, tãdem ſuperiore anno Ptõificis cenſura ei rebus ſacris fuerat interdictum: huius rei cauſſa, cum à concionibus aliquot menſes abſtinuiſſet, facilè, ſi abſtinere perſeueraſſet, abſolutionem obtinuiſſet: nam Pontifex ſuapte hominem parui faciens, vt in eum ſua fulmina vibraret, id magis eius aduerſariorum ſtimulis, quàm alia de cauſſa mouebatur: verùm cum is exiſtimans, ſi conciones diutius omitteret, ſuam autoritatem imminutum, aut eum finem, propter quem mouebatur, quæ potiſſimum concionandi vi augebantur, interruptum iri, Pontificis præceptis contemptis, denuò ad idem concionandi munus redijt: aſſerens diras in ſe à Pontifice contortas, diuinæ voluntati repugnare: ac tanquam publico bono pernicioſas, iniquas eſſe, nullius q; momenti: quæ dum pro concione detonaret, Pontificem totamque Pontificis curiam vehementiſſimis verbis caſtigabat: qua ex re cum magnus eſſet motus excitatus: quòd eius aduerſarij, quorum autoritas in populo indies magis creſcebat, iſtam eius contumaciam deteſtabantur: improbabantq; quòd eius temeritate Pontificis animus turbaretur, eo præſertim tempore, quo de Piſana reſtitutione cum ceteris ſocijs agebatur: quo tempore nihil non erat faciendum, vt eum in propenſione confirmarent: contra hos eius fautores eum tuebantur, dicebantq;, hominum gratia haud eſſe diuina opera turbanda: nec aſſentiendum, vt huiuſmodi prętextu Pontifex in Florentinæ reip. negocijs immiſceretur. Qua in contentione cum permulti dies conſumpti fuiſſent, indignante mirum in modum Pontifice, & nouis epiſtolis fulminante, dirarum item denunciatione ciuitatem vniuerſam terrente, ei tandem per magiſtratus interdictum concionibus fuit: quibus etſi ipſe paruiſſet, complures tamen è ſodalibus ipſius diuerſis in templis idem facere non ceſſabant: cumque haud minus feruerent ſtudia ſacerdotum, quàm aliorum, reliquarum ſodalitatum monachi aduerſus eum vehementiſſime concionari minimè deſiſtebant: ac deniq; in tantum furorem prorupere, vt vnus è Sauonarolæ ſodalibus eius ſectæ ſtudioſus, & ex altera parte vnus ex ijs ſodalibus qui Minores appellantur, cõuenerunt, vt ambo in flammas populo vniuerſo ſpectante, ingrederentur: vt aut incolumni, aut flammis abſumpto Sauonarolæ ſodali, ex euentu eſſet ne is verus Dei vates, an falſus, & impoſtor, omnes liquidò cognoſcerent: id autem idcirco afferebatur, quòd is ſæpius pro concione aſſeueraſſet, ſe in ſuæ doctrinæ teſtimonium à Deo impetraturum, vt incolumnis per medias flammas tranſiret: nihilominus, quòd ſe inconſulto eius experimenti facta mẽtio eſſet, moleſtè ferens, id impedire

magna dexteritate tentauit:sed cum res iam multũ proceſſiſſet, atq; à multis ciuibus ciuitatẽ tantis moleſtijs liberari cupientibus, vrgeretur,vlterius omniño progredi neceſſe fuit. Quamobrẽ cum ad dictam diem duo monachi cunctis ſodalibus ſuis comitantibus,in prætorianũ forum campúmue conueniſſent,quo non modò Floretinus populus vniuerſus,verùm etiam è vicinis vrbibus cõplures cõcurrerant: ad Minorum ſodalium aures peruenit,Sauonarolã, vt eius ſodalis inflammas ingrediens corporis Chriſti cruſtum,quod ſacramentum dicitur,manu geſtaret mandaſſe:cui rei cum illi reclamare inciperet: diceretq; hac ratione Chriſtianæ perſuaſionis autoritatem in diſcrimen vocari: quæ,ſi cruſtũ (hoſtiam illi vocant) igni abſumeretur, in imperitorũ animis multũ imminueretur:Sauonarola verò qui aderat,in ſua ſententia perſeuerãte,atq; ita inter eos diſſenſione exorta, in id res non eſt adducta diſcrimen: quàm ob cauſſam tantum de eius autoritate detractũ eſt, vt inſequenti die,cũ caſu tumultus quidã eſſet exortus,eius aduerſarij ſumptis armis,adiuncta ſumi magiſtratus autoritate,D. Marci domũ vbi cũ ſuis ſodalib.habitabat,expugnarunt:eumq; cũ duob.eiuſdem ſodalitatis captum,in publicũ carcerẽ duxerũt: quo in tumultu propinqui eorũ qui anno ſuperiore ſecuri fuerãt propter Petrum Medicẽ percuſſi,Franciſcũ Valorium ciuẽ primariũ,Sauonarolæ factionis principẽ,quòd is qua ſupra ceteros autoritate pollebat, in cauſſa fuerat,vt perſequẽdæ appellationis ad populũ facultate priuarẽtur occiderãt.Fuit de Sauonarola habita quæſtio etſiminimè grauis,atq; ipſius edita cõfeſſio:quæ remotis omnib.calũnijs quib.grauabatur,ſiue auaritię,ſiue flagitiorũ ac libidinis,ſiue quod clandeſtina haberet cũ principibus cõſilia,illud continebat:Sauonarolã quæ prædixiſſet,non inſtinctu inflatuq; diuino ſed ſua opinione ſacrarũ literarũ doctrina obſeruationeq; nixa,prædixiſſe:nec in eo ſe aliquid improbum ſpectaſſe: nec vt ea via ſacrũ aliquẽ honoris gradũ aſſequeretur:verùm ſe illud ſummopere expetiuiſſe,vt ipſius opera totius Chriſtianæ reip.conciliũ conuocaretur:in quo ſacerdotũ corrupti mores corrigerentur,eccleſię q; dei ſtatus,qui tantopere à maiorũ inſtitutis receſſiſſet, quàmmaximè fieri poſſet,ad eius tẽporis formam, quæ Apoſtolorũ temporibus proximè accederet,reuocaretur: Hoc opus tam præclarũ, tamq; ſalutare,ſi ad exitũ perducere potuiſſet,ſibi longe glorioſi⁹ atq; diuinius duxiſſe, quàm ſi ſummũ pontificatum eſſet conſecutus: propterea quòd illud niſi excellẽtis doctrinæ virtutisq; admiratione, reuerentiaq; mortaliũ omnium ſingulari aſſequi non potuiſſet:ſed pontificatũ ſæpius aut malis artibus,aut fortunæ beneficio homines adipiſci. Super hac confeſſione ab ipſomet coram multis ſacratis etiam ſuæ ſodalitatis viris,ſed verbis(ſiquidẽ verum eſt, quòd poſt eius ſectatores inuulgarunt)conciſis,quæq; varias & multiplices interpretationes poſſent recipere,de ſodalitatis dominicanæ ſummi prę fecti(Generalẽ illi vocant) Romuliniq; antiſtiti,qui poſtea Surrentinus cardinalis fuit, ſententia:qui huius cauſſæ à Pontifice cognitores erãt dati, ceremonijs ab Romana eccleſia cõſtitutis ſeſe ſacerdotio vnà cum duob. ſuis ſodalibus,abdicare coactus eſt: quo facto in magiſtratus poteſtate relicti:à quibus rerum capitaliũ iudicibus traditi,ſuſpenſi,combuſtiq; fuerunt:ſed ad abdicationis & ſupplicij ſpectaculum,haud minor mortalium concurſus eſt factus,quàm eo die qui ad Sauonarolæ doctrinam igni explorandã. tantiq; ab eo promiſſi miraculi expectationem,in eundẽ locum cõcurriſſent.Hoc mortis genus ab eo conſtanter perpeſſum, nulla tum alia vel delicti, vel innocentiæ ſignificatione data, iudiciorum varietatem hominumq; ſtudia minimè ſuſpendit:nam à multis fallax,ab alijs verus & pius fuit iudicatus, qui confeſſionem editam,& inuulgatam, aut falſo conſcriptam & commentitiam, aut in eius conſtitutione corporis admodum molli ac delicata,plus tormentorum vim, quàm veritatem potuiſſe: eamq; imbecillitatem principis Apoſtolorum exemplo excuſabant: qui nec cuſtodiæ traditus, nec acerbitate quæſtionis, aut alia externa vi compulſus, ſed ad ancillarum aut ſeruorum ſimplicem ſermonem, eius ſe magiſtri diſcipulum eſſe, à quo tot ſalutaria præcepta audierat, diuinaq; viderat patrari miracula, non ſemel negauit.

TERTII LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE, LIBER QVARTVS.

Galliæ regum in Mediolanensem ducatum iura: Florentinorum in Regulianа valle clade, eorundem cum Ludouico Sfortia fœdus: belli inter Columnios & Vrsinos origo: Alexandri Pontificis regni Neapolitani occupandi consilia: Pisani ad Cascinam fusi: inter Senenses & Florentinos induciæ: Cæsar Borgia se Cardinalis dignitate abdicat. Ludoui regis cum vxore diuortium: Venetorum cum Galliæ rege fœdus: Ferrariensium dux à Venetis ac Florentinis rerũ Pisanarum arbiter factus: Ludouici Sfortiæ in Germaniam fuga: Paulus Vitellius ob Pisanas res à Florentinis securi percussus: Valentini bella: ducis Mediolani in Insubriam reditus, eiusdem regni & vitæ iactura.

CAROLI Galliæ regis obitus, quia Ludouicus XII. nouus rex in regni sui initio Cisalpinis bellis implicari velle minimè credebatur, Italiam periculorũ ex Gallorũ potentia imminentiũ metu liberauit: at eorũ qui futura perpendebant animi, quòd regẽ annis maturũ multis bellis exercitatũ, in sumptib. temperatũ, & proculdubio magis quàm superior rex ex se pendentem, ad tantũ imperium perueniſſe cernerent, & ad quem non modò, vtpotè Galliæ regem eadem regni Neapolitani iura spectarent: verùm etiam ob Valentinæ auiæ suæ successionem, sibi peculiari iure Insubriæ imperium arrogaret, ne dilatum malum temporis successu maius grauiusq; redderetur suspicione non sunt liberati: quoniã cũ Valentinã Ioannes Galeatius Vicecomes pater, antequã ex Cæsareo vicario Mediolanensium ducis appellationem esset adeptus, Ludouico Aurelianensium duci, Caroli VI. Galliæ regis fratri desponderet, doti, qua Asta cum eius agro & ingens pecuniæ vis continebatur, vt quocunq; tẽpore, mascula proles deficeret, Valentina, vel illa defuncta ordine proximi, in Mediolanẽsis regni iura succederẽt, expressis verbis cauerat. Quam pactionẽ per se leuem (si quod Galli asserũt verum est) vtpote in imperi interregno, quo tempore imperij administrationem sibi Romani Pontifices vindicant pontificia autoritas confirmauit, quare cum postea Philippi mariæ Vicecomitis interitu, Ioannis Galeatij virilis proles esset extincta, Carolus Valentinæ filius Aurelianensium dux, eius regni successionem sibi deposcere cœpit, quam sibi eodem tempore (vt principum ambitio facilè quemuis prætextũ arripit) & Federicus Cæsar, quasi progenie, quæ in Ioanne Galeatio, à Venceslao Romanorum rege concesso priuilegio, nominata erat, extincta, iterum ad imperium deuolutum: & Alfonsus Aragoniæ & Neapolis rex, Philippi testamento hæres institutus, arrogabant. Sed cum Francisci Sfortiæ, qui vt arma aliquo colore muniret, Blancam coniugem suam, Philippi vnicam sed notham filiam debere succedere aiebat, arma, artes, felicitasque plus valuissent: Carolus Aurelianensis, qui in bellis inter Gallos & Anglos, Dangicortino prælio captus viginti quinque annos in Anglia captiuus fuerat, ob inopiam & aduersam fortunam, nec per se id bellum moliri, nec ab Ludouico vndecimo Galliæ rege, quamuis cognatione coniunctissimo, aliquod auxilium vnquam impetrare potuit: quia cum illi in regni sui initio, Galliæ proceres, qui publici boni specie, priuatis de causis atque odijs in eum coniurarant, infesti fuissent, semper rex ille potentiorum depressione, securitatem magnitudinemque suam confirmari duxit. Quam ob causam Ludouicus Aurilianensis Caroli filius, quamuis eius gener esset, nullam ab illo opem assequi potuit: & socero defuncto, cum in Caroli octaui tunc pupilli tutela, Annam Borboniorum ducem regis sororem sibi anteponi ferre non posset, rebus nouis exigua fortuna in Gallia excitatis, minore felicitate in Britãniam citeriorem transijt: nam ijs qui Carolum Annæ, quæ Frãcisco patre sine liberis maribus defuncto, eius ducatus hæres erat, matrimonio

Britannia citeriori potiri nolebant cõiunctus, imò eidem matrimonio occultè inhians, in pugna quæ inter Gallos, & Britannos, prope Santalbinum, in citeriore Britannia commissa fuit, captus & in Galliam perductus, ibiq; bienniũ in carcere custoditus. Itaq; prius facultate, deinde regio beneficio liberatus, Caroli ope destitutus id negocium non tentauit, nisi cum regis iussu Astæ moratus, tenui successu Nouariam est ingressus. Rex aũt Galliæ factus, nullo vehementius, quàm Mediolanensis ducatus velut hæreditario iure ad se spectaret, occupandi desiderio flagrauit: in quo à pueritia educatus, rebus ad Nouariam gestis, & arrogantibus signis sibi cum Astę esset declaratis, non mediocri in Ludouicum Sfortiam susceptо odio, multo magis accensus fuerat. Ideò paucos dies post Caroli regis obitum, ea re consilij sui autoritate firmata, non modò Galliæ, & regni Neapolitani ratione, Ierosolimæ, & vtriusque Siciliæ rex, verùm etiam Mediolanensium dux appellari voluit: atq; vt suam ad res Italicas propensionem omnibus declararet, statim per epistolas Pontificem, Venetos, ac Florentinos suæ ob regnum adeptum læticiæ participes fecit: & proprios homines qui rerum nouarum spem facerent, apertè sibi Mediolanense imperium in suam potestatem redigere, in animo esse ostendens misit. Cuius rei, Italorum propensione Caroli morte longe è priori immutata, occasio minimè parua offerebatur. Pontifex enim proprijs cupiditatibus, quas Italia pacata explere non posse animaduertebat agitatus, res denuò turbari cupiebat: & Veneti, timore quo ob iniurias Carolo illatas affecti fuerant sublato, à noui regis fide animo minimè erant auersi: quæ propensio indies incrementum erat habitura: nam etsi Ludouicus Sfortia se duriorem immitioremq; hostem habiturum cerneret, eadem tamen spe nixus qua Federicus Aragonius, illum videlicet non tam cito cisalpinis rebus operam nauare posse, & præsenti indignatione, à futuri periculi cognitione remotus, quo minus se illis in Pisanis rebus opponeret, non erat omissurus. Soli Florentini animo à Gallica amicitia alienari incipiebant: quoniam etsi nouus rex illis antea fauisset, nunc ad regnum euectus, nullo ipsis vel fidei vel beneficiorum acceptorum, quemadmodum defunctus ob Florentię & Astæ factas pactiones, & quòd potius multas molestias & pericula subire, quàm eius necessitudinem relinquere voluissent, vinculo deuinctus erat: & inter Venetos aç Mediolanensium ducẽ indies gliscens dissensio, in causa erat, vt fœderatorum potentię metu sublato, potius in propinqua ac certa Longobardiæ societate quàm Galliæ remotis incertisq; auxilijs spe collocata, eam amicitiã parui facerent. In hac igitur diuersa animorum propensione, variæ etiam actiones fuerũt: Senatus enim Venetus statim vnum ex suis scribis, quem apud Allobrogum ducem habebant ad eum misit: & vt his initijs eius amicitiæ quam communes res indies poscerẽt, cum eo firmandæ fundamenta iacerent, tres oratores, qui illi, regni successionem gratularentur, & ea quæ aduersus Carolum gesserant, non alia de causa quàm quòd cum multis inditijs illum regno Neapolitano minimè contentum animaduertissent, ne ad totius Italiæ imperium occupandum consilia sua direxisset metuerent, gesta excusarent, electi fuere: Et Pontifex cum animo ad altiora consilia elato, Cæsarem filium ex sacræ purpuræ dignitate ad profanam amplitudinem euehere constituisset, missis statim legatis, sacra munera profanorum imperiorũ pretio vendere cogitauit: sciebat enim regem Ioannam coniugem sterilem & monstruosam, quam ab Ludouico XI. penè coactus duxerat, repudiare vehementer cupere: nec minore Annæ, quæ superioris regis morte vidua erat relicta, non tam ob pristinæ beneuolentiæ iam antè Santalbini prælium inter ipsos contractæ reliquias, quàm vt hoc matrimonio Britannia citeriore, magno & Galliæ regno admodum opportuno imperio potiretur, in matrimonium ducendæ desiderio flagrare, quæ absq; pontificia autoritate obtineri, non poterant. Nec Florentini, ob antiquum eius vrbis cum Galliæ regno institutum, & vt merita sua obligationesq; defuncti regis confirmarent, à legatis ad eum mittendis abstinuerunt, ab Mediolanensium duce ad hoc ipsum impulsi, vt per ipsos, Venetorum (cum ab vtraque rep. de Pisanis rebus esset agendum) negocijs difficultas interponeretur: & si fortè fidem vel aliquid autoritatis sibi cõparassent, aliqua occasione ad gratiam inter ipsum & Galliæ regem reconciliandam, quam ipse summopere exoptabat, vti possent: qui omnes ab rege hilari fronte accepti sunt: & quamuis antequam Galliæ regnum nouis cum finitimis regibus,

gibus, fœderibus firmasset, nihil in Italia mouere statuisset: tamen statim cum singulis negocia tractare cœpit. Sed fatale erat, vt Pisano incendio, Mediolanensium ducis immoderata dominandi libidine excitato & nutrito, tandem autor ipse conflagraret, quoniam is & ob æmulationem, & ob periculum quod ex nimia Venetorum potentia sibi ac cæteris Italiæ principibus imminere videbat, suarum artium laborumque fructum, ab illis colligi patienter ferre non poterat, cumque ex Florentinorum, in Pisanis quocumque casu & ratione lædendis pertinacia, occasionem haberet, sibique Sauonarolæ casu & Franciſci Valorij, qui contrariam sibi factionem tuebatur interitu, maiorem quàm antea in ea ciuitate spem locare posse videretur, Florentinos ad Pisas recipiendas, postquam sua & aliorum consilia atque autoritas, id efficere nequiuerant, armis iuuare statuit: vana opinione persuasus, vel antequam rex aliquem motum facere posset, Pisas seu vi, seu pactione in Florentinorum potestate fore: vel Senatum Venetum ea prudentia, quæ in ipsomet vim non habuerat, retentum nunquam, aut indignatione, aut leuioribus de caussis, Gallica arma, in quibus pellendis tantum laborasset communi omnium cum periculo in Italiam redire, exoptaturum: quod imprudentissimum consilium, clades à Florentinis in Pisano agro accepta, accelerauit: cum enim copiæ illorum quæ ad Eræ pontem erant, circiter septingentos equites, & mille pedites, Pisis egressos, cum opima præda ex Volaterræ maritimis locis redire comperissent, penè omnes Ranutio, & Gulielmo Pacciò Florentini exercitus legato, ducibns, vt prædam recuperarent, ad iter illos intercludendum contenderunt: cumque illos in Reguli valle offendissent, impetu facto perturbarant: & prædæ maximam partem receperant, quum centum & quinquaginta grauis armaturæ equites, qui Florentinarum copiarum motu percepto, vt suis opem ferrent, Pisis profecti erant, superuenerunt: à quibus fessi: & in diripiendo turbatis ordinibus reperti, cum Ranutij autoritas suos cataphractos ad pugnam sustinendam conuocate non posset, aliqua defensione per pedites facta, multis peditibus cæsis, pleriſque ducibus cum maxima equitum parte captis, fugati sunt: adeò vt non sine difficultare legatus & Ranutius, cladis acceptæ culpam (vt in rebus aduersis fieri solet) sibi inuicem obijcientes, in Reguli fanum euaserint. Hæc clades Florentinos afflixit, qui vt extemplo periculo prospicerent, cum tam repente nouos milites comparare non possent, & Ranutij existimatio esset imminuta omnium copiarum imperatoris, exercitus esset dissipatus, Vitellios qui in Aretino agro erant, Pisas conuertere statuerunt, sed Paulo suarum copiarū omnium imperatori tribuere coacti sunt. hic casus etiam ab Mediolanensium duce auxilia flagitare coëgit: & eò magis quia statim post eladem, Galliæ regem ad ipsorum pericula viribus & autoritate auertenda, trecentos cataphractos in Hetruriam mitteret: de Vitellijs Carolo viuente pactum stipendium confirmaret: suamque portionem tribueret, & Venetos ab iniurijs abstinere moneret, supplices rogarant. Ex quibus rebus, quoniam rex se Venetis odiosum suspectumue reddere nollet, vel quidquam in Italia, antequam bellum in Insubria inciperet, mouere, grata verba absque factis retulerant. Dux autem in re, ne Veneti, victoriæ occasione eò vsque progrederentur, vnde eos postea repellere nimium difficile esset, veritus, minimè lentus fuit: ideò firma auxilij spe Florentinis facta, prius qui apparatus non modò ad defensionem, sed etiam ad Pisanum bellum, in quod, quia eo anno nullus Galliæ regis motus timebatur, totius Italiæ tunc ab omni alia perturbatione immunis, oculi conuersi erant, conficiendum essent necessarij, cum ipsis deliberare voluit: nam etsi in Romano agro inter Columnios & Vrsinos ad arma ventum esset, tamen ipsorummet prudentia, citò odia & simultates superauerat. Huius belli origo fuerat, quòd Columnij atque Sabelli Iacobi è Comitum familia Mattiæ turris occupatione incitati, Comitum gentis oppida inuaserant: & ab alia parte Vrsini ob factionum necessitudinem, arma pro illis sumpserant. adeò vt multis vtrinque castellis vicissim occupatis, tandem totis viribus ad Monticelli radicem in agro Tiburtino dimicarint: vbi pòst longum acreque prælium non minus factionum ardenti affectione, quàm gloriæ atque imperij caussa incitati, Vrsini, qui duo millia peditum & octingentos equites habebant, signis amissis, & Carolo

Vrsino capto fugati sunt : & ex Columniorum parte, Antonius Sabellus clari nominis dux læthali accepto vulnere, intra paucos dies expirarit: quo successu Pontifex, regionis Vrbi propinquæ perturbationem sibi molestam esse ostendens, se ad concordiam conciliandam interposuit: quod dum minus bona fide, (vt erat vafer) agit, Vrsini nouis viribus collectis, ad Palumbariam nobile Sabellorum oppidum castra posuerũt: & Columnij, qui post victoriam multa comitum familiæ castella occuparant, se ad auxilium oppido ferendum comparabant. Sed cum vtraq; pars, Pontificem modò Columnijs modò Vrsinis fauendo, vt tandem attritis ipsorum viribus omnes opprimere posset, bellum fouere animaduertisset, Tiburi absq; aliorum interceſſione ad colloquium conuenere: vbi eodem die pacem confecerunt, qua Carolus Vrsinus liberatus, cuiq; oppida in hac contentione adempta, restituta, Albensis & Talliacotiensis ditionis controuersia, Federico regi, cui Columnij militabant promissa. Hoc motu statim sedato, cum nusquam in Italia, nisi in Pisano agro arma miscerentur, Mediolanensium dux, quamuis ab initio Florentinos nullis appertis auxilijs, sed clandestina pecunia iuuare decreuisset, indies maiore indignatione ac dolore concitatus, nec superbis minacibusq; verbis in Venetos parcens, palàm se nullius habita ratione declarare statuit, ideò illorum copias quæ Parmensi & Pontremulensi via Pisas contendebant itinere prohibuit : & per Ferrarienſium ducis imperium, longius ac difficilius iter facere coëgit, vt Cæsar omnes oratores qui apud se essent, præterquàm Hispaniæ regis discedere iusserit, & intra paucos dies omnes præter Venetorum reuocarit effecit, trecentos sagittarios Florentinis misit, & ad trecentorum cataphractorum partim sub Plumbinatium principe, partim sub Ioannepaulo Ballione, stipendium contribuit, & pluribus vicibus, supra trecenta ducatorum millia semper si opus esset maiora auxilia pollicitus mutuò dedit. Præterea cum Pontifice, vt à Florentinis rogatus aliquod eis auxilium daret, egit, qui Venetorum Pisis potentia firmari, Pontificio imperio perniciosum ab se animaduerti ostendens, centum grauis armaturæ equites, & triremes tres, quæ Villamarino duce ipsius stipendijs militabant, vt commeatus Pisas mari vehi impediret, se missurum promisit, sed vbi varijs excusationibus distulisset, tandem apertè negauit, quoniam quotidie magis alijs consilijs reiectis Galliæ regi, non mediocria & vsitata præmia, sed regnum Neapolitanum, (cum plerumq; hominum proprium sit, quod ratione difficile cognoscunt, id sibi cupiditate & spe facile fingere) ab eo sperans, adhærere statuit, & penè fatale erat, vt ab Aragoniæ regibus affinitatum passæ repulsę, illi nouarum rerum originem adferrent: nam antequam prorsus Galliæ regi coniungi statuisset, ab Federico rege petierat, vt filiam Valentino cardinali prima occasione se abdicare parato, in matrimonium, & pro dote Tarentinum principatum traderet, filium ingenio & animo magno, si tanto eius regni membro potiretur, & regiam filiam in matrimonio haberet, Pontificijs viribus ac iuribus adiutum, socerum parum potentem ac pecunia exhaustum, & à quo multorum regni procerum animi alienati erant facilè regno spoliare posse persuasus: cui negocio quàmuis Mediolanensiũ dux vehementer faueret, & per Marchesinũ Stampam, quem hac de caussa Romã & Neapolim legauerat, validis rationibus primùm, deinde asperis verbis Federico ostenderet, quanto cum ipsius periculo, Pontifex eiusmodi desiderio deiectus, in Galliæ regis amicitiam præceps ruiturus esset, & quàm imprudentis abiectiq; animi esset, vbi de totius salute agitur, indignitatis rationẽ habere, nec se ipsum, ad imperij conseruationem propriæ voluntati anteponendam cogere posse: Federicus tamen Pontificis alienatione, regnum suum in discrimen conijci fassus, quòd etiam se si filiam cum Tarentino principatu Valentino nuptui daret, eodem in periculo versari videret, semper obstinatè negnauit, seq; ex duobus periculis, id potius cui maior honor coniunctus esset, quodq; ex nulla sua actione manaret, subire velle dixit: quare Pontifex toto animo ad Galliæ regis amicitiã cõuersus, cum & Venetos idem facere optaret, ne illos læderet, ab Florentinis, qui Mediolanensium ducis tam promptis auxilijs, & Pauli Vitellij virtutis fama freti, nihil erãt prætermissuri armis iuuãdis abstinuit, quamuis res difficilis censeretur: nam præter Pisanorum ciuium & agricolarum numerũ, experientiam, atq; animum: Veneti quadringentos grauis armaturæ, octingentos Epirotas equites, & duo millia peditum Pisis habebant: cumque ij qui ab initio Pisanorum patro-

patrocinium suscipiendum negarant, tunc publici honoris gratia, non minus quàm reliqui ad Pisanos iuuandos essent propensi, maiores copias mittere parati erant. Tandem communi Ludouici ac Florentinorum consilio exercitum ita augendum, vt ad Pisani agri oppida expugnanda esset idoneus, & omni ratione, vt omnes vicini à Pisanis iuuandis, vel Florentinis ex Venetorum voluntate ab alia parte infestandis desisterent nitendum, decretum fuit. Ideò cum Ludouicus antequam se declarare statuisset, Ioannem Bentiuolum cum ducentis grauis armaturæ equitibus, communibus cum Venetis auspicijs conduxisset, tantum effecit, vt eum vnà cum Bononiensi republica sibi soli obstrinxerit, & quo magis eum confirmarent Florentini Alexandrum eius filium conduxerunt, & vt si Veneti qui Fauentiæ domini patrocinium habebant, ex Aemilia aliquem impetum facerent, obstaculum inuenirent, Florentini Octauianum Riarium, Imolæ & Foriliuij dominum, qui Catarinæ Sfortiæ matris, quæ pluribus de caussis, sed præcipuè quia clàm Ioanni Medicco, quem Mediolanensium dux populari administratione minimè contentus, vnà cum fratre Florentiæ potentem facere cupiebat, nupserat, palàm Ludouici ac Florentinorum partes sequebatur, consilijs parebat cum centum & quinquaginta cataphractis ad stipendia sua pertraxerunt. Egit quoque Ludouicus cum Lucensibus, apud quos plurimum autoritate valebat, ne (vt semper fecerant) Pisanis amplius fauerent, quod quamuis non penitùs fecerint, in eius gratiam tamen plurimum abstinuerunt. Relinquebantur Genuenses, & Senenses, antiqui Florentinorum hostes, & cum quibus controuersiarum caussæ, intercedebant, cum his ob Montempolitianum, cum illis propter Lunigianam: & de Senensibus metuendum erat, ne odio excæcati, quemadmodum proprio periculo aliàs sæpe fecerant, cuiuis per suam ditionem ad Florentinos turbandos iter expeditum concederent: & quamuis Genuensibus, ob antiquas inimicitias Venetorum potentiam Pisis confirmari molestum esset, tamen, vt in ea vrbe publici commodi parua solet haberi ratio, ob multorum priuatorum commoda, Pisanis & Venetorum nauibus litorum suorum commercia permittebant, ex quo ad Pisanos maxima commoda perueniebant. Quapropter Ludouici consilio, à Florentinis legati, Genuam & Senas, qui de controuersijs per ipsum componendis agerent missi sunt: sed cum Genuensibus omnia frustra fuerunt, quoniam Seresanæ iura, nulla vicissim nisi quod Pisanos regionis ipsorum opportunitate frui se prohibituros promiserunt, compensatione data, sibi liberè cedi postulabant: Florentinis verò tam certæ iacturæ comparatione, quæstus tam paruus tanq; dubius videbatur, vt illorum amicitiam hoc pretio emere recusarint. Sed dum hæc varijs in locis aguntur, Florentinus exercitus magis equitibus qàum peditibus potens, sub nouo imperatore in campum prodijt: quare Pisani qui post Regulianam victoriam, cum Epirotis ad libitum totam regionem percurrerant, à Ponte facci vbi postremò castra posuerant recesserunt: & Paulus Vitellius, capta Calcinaria, dum plurium peditum copiam expectans cunctaretur, propè Cascinam, quò se Venetæ copiæ, quæ sub Marci Martinengi imperio, nec disciplinam nec ordinem seruabant, contulerant, ex insidijs positis eos adortus, multos Epirotas & Ioannem Gradinicum cataphractorum ducem interfecit, & Francum Epirotarum præfectũ, cum centũ equitibus captiuum fecit. Quapropter Venetorũ copiæ cum Cascinæ morari non amplius tutũ videretur, in Martianum vicum, nouas Venetia copias expectãtes se receperunt. At Paulus Vitellius, peditibus comparatis, cõplanationibus, Cascinæ inuadendæ significatione data, idq; credentibus Pisanis, Arno flumine repente traiecto, ad Butium castellũ tribus peditũ millibus, ad proximos colles occupandos antea missis, castra posuit, & ingenti fabrorum copia tormentis montana via, ob itineris asperitatem miranda difficultate aduectis, secundo die tormenta collocata, castellum expugnauit. Id à Paulo factum est, quia cum Pisas, in qua vrbe incredibilis, tam populi quàm agricolarum, qui in eam confugerant, & iam longo vsu omnes bellicis rebus facti erant idonei, pertinacia vigebat, expugnari nullo modo posse existimaret, quòd Venetorum valida adessent auxilia, & ciuitas per se mœnibus valde munita eius vires consumere, quàm vim adhibere satius duxit, & bello ad eam regionis partem quæ ad Arni dexteram est tranflato, ijs locis capiendis, & situ, vnde auxilia quæ ex peregrinis

regionibus venirent impedire posset occupando incumbere: ideò post Butij expugnationem, in montibus qui supra Sanioannem Venæ sunt, propugnaculo extructo, propugnaculo quod prope Vicum Pisani extruxerant, tormentis eadem difficultate conuectis castra admouit, eodemq; tempore tota Calcis valle occupata, & supra vicum Pisanum, eo loco qui Petra dolorosa dicitur, alio propugnaculo vt omnia auxilia ingredi prohiberet cõstructo, Verrucolę quoq; arcem obsidebat: & vt Pisani ne Librafactam, & Serccij vallem inuaderet metuentes minus audacter ab vrbe recederent, comes Rinutius, cum alijs copijs in Neuolis valle castra habebat, & tamẽ quadringenti pedites Pisis egressi, milites qui ad Verrucolæ obsidionem in Michaelis templo negligenter versabantur fuderunt. Sed Paulus, propugnaculo quod tormentorum ad Vicum pisanum conuehendorum facultate accepta deditionem fecit, occupato Vico, nõ ab ea parte ad quã cum ipse tueretur Florentini posuerant, sed Sanioannem Venę versus, vnde Pisana auxilia impediebantur castra admouit, & mœnium haud exigua parte tormentis diruta, qui intus erant auxilij spe amissa, & ab pertinaci ad extremum vsq; defensione, quia Vitellius Butio expugnato, victoria crudeliter vsus ad terrorem ceteris incutiendum, tribus Germanis tormentorum iaculatoribus qui intus erant manus amputari iusserat, territi, fortunis hominibusq; saluis deditionem fecerunt. Vico capto statim alterius felicitatis occasionem habuit, quoniam copiæ quæ Pisis erant, Petrædolorosæ propugnaculi expugnationem repente si adorirentur facilem forè sperantes, ante lucem cum ducentis leuis armaturæ equitibus & multis militibus eò venerunt: cùm verò maiora impedimenta quàm opinati erant offendissent, plus etiam temporis quàm propositum erat consumpserant, adeò vt dum oppugnationi incumberent, Paulo qui cum parte exercitus ad opem propugnaculo ferendam accurrebat in illis montibus conspecto, Pisas versus concedere volentes, in planitie Calcim versus Vitellotium, cum altera exercitus parte, vt reditum intercluderet, in eum locum profectũ offenderint: cum quo dum pugnant, Paulo aduentante, multis equitibus & magna peditum parte amissis fugati sunt. Interea verò Florentini aliquo inditio ab Ferrariensium duce & alijs Venetos ad concordiam propensos esse, sed, si vt tantæ reip. dignitas postularet, non tanquam cum æqualibus verùm maioribus cum eis ageretur, facilius induci posse, percepto, ad illorũ animos explorandos, Guidantonium Vespucium, & Bernardum Rucellaium, summæ apud ipsos existimationis ciues, legatos Venetias miserunt, à quo, tum ne Hispani regis animum irritarent, tum etiam quia dum se ad Pisanos opprimendos nimis tenues cognouêre, preces sine existimatione ac viribus inutiles censuerant, ad hoc vsque tempus abstinuerant, nunc verò cum arma illorum foris vigerent, & Mediolanensium dux penitus Venetorum hostis declaratus, honestæ compositionis aliqua ratione adipiscendæ spe minimè carebant: quare legati honorificè accepti, ad ducem & patrum senatum, quem collegium vocãt, intromissi, vbi legatos, varijs de caussis, ex temporum qualitate & diuersis suæ ciuitatis casibus ortis, non antea missos excusassent, vt à Pisanorum defensione abstinerent liberè petiuerunt, se, cum Florentina resp. nullam eis lædẽdi caussam dedisset, cumq; Venetus senatus semper summæ æquitatis famam obtinuisset, nec à iusticia recedendum viderent, quam, cum omnium virtutum sit basis & fundamentũ, omnibus alijs rationibus anteponi deceret, id consequi magnopere sperare ostendentes. Quibus dux respondit, ipsos quidem nullam à Florentinis his temporibus iniuriam accepisse, nec senatum lædendi desiderio Pisanorum patrocinium suscepisse: sed cum soli Florentini in Italia Gallorum partes sequuti essent, omnes fœderis principes communis vtilitatis ratione adductos, Pisanis se libertatem eorum defensuros, fidem suam obstrinxisse, quòd si cæteri datæ fidei obliti essent, nolle ipsos contra suæ reip. consuetudinem, in re tam indigna illos imitari, verùm si qua ratio proponeretur, qua Pisanis libertas conseruaretur, se nec priuata cupiditate, nec proprij commodi gratia, in Pisanorum defensione perseuerare, cunctis mortalibus declaraturos. Deinde per aliquot dies qua ratione vtrique parti satisfieri posset disputatum fuit: cum verò nec Veneti nec Florentini oratores, aliquid proponere vellent, Hispaniæ regis legatum, qui eos ad cõcordiam hortabatur intercedere contenti fuêre, à quo cum propositum esset vt Pisani in Florentinorum clientelam, non tanquam subiecti, sed commendati, ijsdem captibus

quæ

quæ Pistorienſi ciuitati conceſſa fuerant, quaſi medij inter ſeruitutem ac libertatem redirent. Veneti ſe in vrbe, in qua munita loca & iuris adminiſtratio in aliorum poteſtate eſſent, nullam libertatis partem cognoſcere reſponderunt, quocirca Florentini oratores nihil conſequi ſperantes, Venetos niſi neceſſitate coactos Piſanorum patrocinium nunquam deſerturos ſatis certi Venetijs diſceſſerunt: Veneti autem quotidie copias Piſas mittebant, nec ab initio multum Florentinorũ res timuerant: quòd cum in Veris initio bellum eſſet cœptum, & Piſanus ager, vtpotè admodum depreſſus aquarum inundationibus valde obnoxius, diu in agris verſari minimè poſſe cogitarent, & quia ſub Vrbinatium duce cui recenter copiarum præfecti titulum dederant, & nonnullis alijs ducibus quingentos grauis armaturæ equites compararant, & cum multis occulta conſilia agitabant, vt Florentinos à Piſanorum offenſione auerterent, bellũ aliunde inferre decreuerant, Petrum Mediceum, cuius cõſilio Carolum Vrſinum & Bartolomeũ Aluianũ, cum ducentis cataphractis ſtipendio cõduxerant, deinde impellere in animo habentes. Nec defuit ſpes efficiendi, vt Ioannes Bentiuolus, Florentinis ab Bononia moueri pateretur, quoniam Mediolanenſium dux, in Annibale eius filio ad ſtipendia mittendo, Venetos ſibi ab illo antepoſitos indignatus, & hac noua offenſione veteribus ininrijs, quas vt aiebat, cum Ferdinandus Calabrię dux in flaminiam Aemiliamq; tranſiuit, ab illo acceperat, memoria repetitis, nonnulla caſtella quę Alexander eius filius dotis nomine in Inſubria poſſidebat, occupauerat, neq; ab eo quauis ratione irritando abſtinebat: verùm enimuerò tandem Florentinorum interceſſione caſtellis reſtitutis, belli ab ea parte inferendi conſilium excluſum fuit, idcirco Veneti Senenſibus, vt ex ipſorum finibus arma moueri paterentur, ſuadere conabantur, & præter cõſuetum in Florentinos odium, ciuium quoq; in ea vrbe diſſenſio, huius rei obtinendæ ſpem faciebat: cum enim Pandolfus Petruccius, ingenio & aſtu, ſibi maximam autoritatem comparaſſet, Nicolaus Borgheſius eius ſocer, & Belantiorum familia, quibus illius potẽtia erat moleſta, Vrbinatium duci & Vrſinis, qui cum quadringentis cataphractis, duobus peditum millibus, & quadringentis Epirotis, Venetorum iuſſu ad Fratam agri Peruſini caſtrum hærebant, iter concedi volebant, & cùm Florentinis inducias paciſci, quemadmodum Mediolanenſium dux poſtulabat, & Pandolfus hortabatur, nihil aliud eſſe aiebant, quàm illis Piſani belli conficiendi commoditatem præbere, quo confecto eò potentiores contra ipſos eſſent: quare vt prudentes viros deceret, ex occaſionibus fructum accipi debere, nec alia pactione quàm pacis, qua Florentini Montispolitiani iuribus cederent, conueniendum in eaq; ſententia conſtanter perſiſtendum, quibus iuribus, Florentinos nullo modo ceſſuros ſciebant, ex quo neceſſariò ſequebatur, Venetis aſſentiendum, apud quos cum illi primùm gratiæ locum occupaſſent, ſe facile Pandolfi autoritatem depreſſuros ſperabant, qui Mediolanenſium ducis hortatu, contrariæ ſententiæ autor factus, non parum in ſententia ſua defendenda laborauit: in populo namque naturale in Florentinos odium vim habebat, & Montispolitani iura hoc terrore obtineri poſſe admodum veriſimile videbatur, quæ cupiditas odio coniuncta, plus poterat, quàm Pandolfi, moleſtiarum, quæ bellum proprijs tectis propinquum ſequuturæ eſſent, & periculorum, quæ ex Venetorum in Hetruria potentia imminerent commemoratio, cuius rei exempla ab exteris minimè quærenda aiebat, cum recens eſſet memoria, quòd Ferdinandi Neapolitanorum regis, anno M. CCCC. LXXVIII, in Florentinos coniunctione, niſi Ferdinandus ob Hidruntum in regno Neapolitano, ab Mahumete Ottomanno occupatum, Alfonſum filium cum copijs quæ Senis erant reuocare coactus fuiſſet, penitus in ſeruitutem redacti forent, præter quod ex ipſorummet hiſtorijs ſcire poſſent, eandem Florentinos per Virtuſij comitem lædendi cupiditatem, & odium, propter eundem Politianum montem conceptum, in cauſſa fuiſſe, vt ipſimet propriam patriam illius imperio ſubiecerint. Quæ rationes quamuis veræ, tamen cum ad illorum ardorem & affectus comprimendos, non ſatis eſſent idoneæ, non extra alicuius tumultus ab aduerſarijs in ſe concitandi periculum erat, ſed ille vt præueniret, repente multos ex agro amicos & clientes in vrbem introduxit, & trecentos grauis armaturæ equites cum mille peditibus, à Florentinis ad Pogium Imperialem mitti curauit, quarum virium exiſtimatione, aduerſariorum compreſſa

audacia, quinque annorum inducias cum Florentinis fieri obtinuit, qui præsentium periculorum metu, dignitatis rationi antepoſito, Valiani pontis partem, & propugnaculum Senenſibus tam moleſtum ſe dirutùros receperunt, ac præterea intra certum tempus, inter Glanici annis alueum & Montispolitiani oppidum quaſcunque munitiones vellent ædificare conceſſerunt. Qua re Pandolfus potentior factus, paulo pòſt Socerum, qui nimis audacter eius conſilijs obſtabat, potuit interficiendum curare, hocque æmulo ſublato, & reliquis perterritis indies magis tyrannidem ſuam confirmare. Veneti hac concordia, per Senenſium agrum Florentinos à Piſano bello auertendi ſpe deiecti, cum nec à Peruſinis vt per illorum agrum arma inferre liceret impetrare potuiſſent, Petri Medicis gratia & veteribus clientelis, loca quæ Florentini in Apennini iugis poſſiderent, facilè occupari poſſe ſperantes, ab ea parte quæ Aemiliam ſpectat illos turbare ſtatuerunt, idcirco itineris per Lamonis vallem facultate à Fauentiæ regulo impetrata, cum copiarum quas in Aemilia habebant parte, quibus coniuncti ſunt Petrus & Iulianus Medicei, Marradium vicum in Apennini iugo, quà Aemiliam vergit poſitum, abſque impedimento occuparunt, quoniam Dionyſius Naldius homo ex eadem valle natus, in trecentos pedites à Florentinis, vt eum locum vnà cum incolis tueretur accepto ſtipendio, tam paucos pedites ſecum adduxit, vt ibi hærere non ſit auſus: deinde ad Caſtilioni arcem eminenti loco ſupra eum vicum ſitam, propter multarum rerum & præſertim aquæ inopiam qua eum locum laborare ſciebant, ea potiri ſperantes, qua capta in Mugellanum Florentiæ vicinum agrum liberum iter haberent, caſtra poſuerunt: verùm pro tenui apparatu præfecti conſtantia, & pro aquarum penuria cœleſte auxilium ſatisfecit, quoniam vna nocte tantum pluit, vt vaſis puteisque omnibus repletis, hac difficultate ſint liberati: interea verò Ranutius, cum Plumbini regulo, & aliquot alijs ducibus, per Mugellanum prope hoſtium caſtra venêre, & quia illi celeritate freti non admodum inſtructi venerant, quaſi fugientes retrocedere coêgerunt, & iam Gaiatij comes, à Mediolanenſium duce cum trecentis grauis armaturæ equitibus, & mille peditibus Cotiniolam miſſus, & Fracaſſa eiuſdem ducis miles qui cum centum cataphractis Foroliuij erat, ſe ad illos à tergo inſequendos comparabant, idcirco vt hoc periculum euitarent, ad Vrbinatium ducem, qui ex Peruſino agro diſceſſerat, & reliquas Venetorum copias, contenderunt, quæ omnes vnà inter Rauennam & Forumliuij cum parua alicuius progreſſus ſpe caſtra habebant, quia in Aemilia præter Florentinorum vires, erant quingenti grauis armaturæ equites, quingenti Hyppotoxotæ, & mille pedites Mediolanenſium ducis, & Forumcornelij atq; Forumliuij plurimum obſtabant. Interea verò Paulus Vitellius, vbi poſt Piſani vici expugnationem, aliquot dies in res neceſſarias comparãdas conſumpſiſſet, in eadem Piſanis auxiliorũ facilitatem impediendi ſententia perſiſtens, ad Librafactam occupandam conuerſus erat, & vt ad eam oppidi partem quæ minus eſſet munita accederet, & moleſtias quibus exercitus tormẽtis impedimentisq; grauatus affici poſſet vitaret, via quæ per montes in Piſarum planitiem deſcendit, & ea quæ, per Lucæ planitiem montis radices ambit, relicta, magna fabrorum multitudine, noua via per montes facta, & eodem die ex itinere, Montis maioris propugnaculo quod Piſani in cacumine montis fecerant expugnato, tutiſſimè in Librafactæ planitiem deſcendit, cui ſequenti die caſtris admotis, & peditibus qui in Potiti, & Caſtelli veteris (quæ duæ turres ordine poſitę paruo ſpatio à Librafacta diſtant) præſidio erant, facilè ad deditionem coactis, in ſecunda turri, & alijs locis aliquot tormenta, contra oppidũ benè munitum & cuſtoditum collocauit, erant in enim eius præſidio ducenti Venetorum pedites, quib. ex locis cum mœnia ſupra & infra verberaret, ſe primò die expugnaturũ ſperabat; ſed muri arcu caſu nocte diruto, ea materies munitionem cæptam, quatuor vlnas in altum auxit, adeò vt cum Paulus triduum fruſtra ſcalis conſcendere tentaſſet, de ſucceſſu non mediocriter dubitare cæperit, cum etiã exercitus à tormento quo ex oppido per depreſſam feneſtram iaculabantur, magnum detrimentũ caperet: verùm ipſius induſtria & virtus, fortunæ beneficio ſine cuius ope ducum conſilia ſæpe ſunt fallacia, fuit adiuta: vnius etenim tormenti ictu ex caſtris, id tormentum fractum fuit, & vnus ex optimis tormẽtorũ iaculatoribus qui intus eſſent interfectus, globusq; per totum oppidum

pertrã-

pertranſiuit, quo caſu propugnatores perterriti, quoniam propter tormenta ad ſecundam turrim poſita difficilè ad mœnia venire poterant, quarto die deditionem fecerunt, & paulo pòſt arx, paucis tormentorum ictibus expectatis idem fecit. Librafata occupata, nonnullis propugnaculis in vicinis montibus faciendis operam dedit, prę cæteris verò vnum extruxit munitum, & multorum hominum capax ſupra Mariam in caſtello, à monte in quo poſitum erat Venturæ propugnaculum nuncupatum, ex quo in vniuerſam circumiectam regionem excurſio patebat, vbi fama eſt olim à Caſtrucio Lucenſi ſuorum temporum nobiliſſimo duce, aliud exædificatum fuiſſe, vt hoc & Librafata cuſtoditis, commoda quæ Lucenſi & Petræſanctæ itinere Piſas peruenire poſſent impedirentur. Veneti autem omnia quæ ad eam vrbem vel auxilio, vel bello aliò transferendo iuuandam eſſent oportuna, excogitare non deſinebant: cuius rei difficultates inter Mediolanenſium ducem & Mantuæ marchionem, denuò ad eius ſtipendia accerſitum ortæ, ſpem illis auxerunt: quoniam dux Mediolanenſium, ne Galeatium Sanſeuerinatem, qui magis ob gratiam quàm virtutem, multum apud ipſum poterat, ſuarum copiarum imperatoris titulo defraudaret, Marchioni, intra tres menſes, ſuarum & Cæſaris, vel Pontificis, vel Federici regis, vel Florentinorum copiarum ſimul imperatoris titulum ſe daturum promiſerat, quo intra præſcriptum tempus, quia huic quoq; rei Galeatius repugnabat, minimè facto, accedente etiam ſtipendiorum difficultate, Marchio ad Venetorum, qui de eo cum trecentis grauis armaturæ equitibus ad opem Piſanis ferendam mittendo agebant, ſtipendia animum conuertit: quod cum Ludouicus præſentiret, Galeatij conſenſu, ſuarũ ac Cęſaris copiarum imperatorem eum declarauit: ſed iam Marchio Venetias profectus, & maxima, Florentinorum copiarum impedimento minimè obſtante, Piſas ingrediendi confidentia, Senatui demonſtrata, denuò cum illis cõuenerat, & pecuniarum parte accepta, Mantuamq; reuerſus ſe comparabat, & ſi Veneti eadem in eius expeditione celeritate, qua in cõducendo eſſent vſi, mox iter eſſet aggreſſus, ad quam rem lentè progredi cœperunt, quia cum ipſis Bibienæ, quod Caſentini ſiue (vt veteres appellabãt) Cluſentini agri caſtellũ eſt, per aliquos Mediceorum veteres clientes occupandæ, denuò ſpes fieret, ob Piſas tranſeundi difficultatem, bellũ aliò transferre, auxilio, vtilius fore cenſuerunt: qua tarditate indignatus Marchio, demũ cum Ludouico cum trecentis grauis & centum leuis armaturæ equitibus, & Cęſaris ipſiusq; copiarũ ducis titulo, pecunia à Venetis accepta, pro priſtinis ſtipendijs quæ illi debebant retenta, conuenit. Florentini nõ ſine ſuſpitione eius coniurationis fuerãt, imò præter multa cõmunia inditia, ante non multos dies Bononia certiores nuntios ea de re acceperãt. Verùm diligentia prudentiaq; conſilia, negligenter imprudẽterq; exequuta, inutilia ſunt. Prępfectus quem ad hoc periculũ auertendũ ſtatim miſerunt, vbi eos de quibus maior erat ſuſpicio, & qui conſcij erant cœpit, verbis illorum imprudenter fide adhibita liberauit, & in reliquis actionibus fuit tam parum diligens, vt Aluiano, cui eares conficienda demandata erat, facilè negotium reddiderit, quoniã is aliquot equitibus viatorum veſtitu præmiſſis, qui vbi totam noctem equitaſſent, ſub diluculum ad portam peruenerunt, quam cum præfectus nullo præſidio muniuiſſet, nec ſaltem vt ſerius quam pacatis temporib. ſoleret aperiretur, proſpexiſſet, ſine difficultate occupa runt: hos alij deinceps equites paulatim ſequuti ſunt, qui in itinere ſe Vitelliorum milites eſſe diuulgarant, & coniuratis pro illis arma ſumentibus, ſtatim toto oppido potiti ſunt: eodemq; die aduentauit Aluianus, qui quamuis paucos milites haberet, vt ſua natura ſemper incredibili celeritate occaſiones arripiebat, ſtatim ad Poppium, nobiliſſimum eius vallis caſtellum inuadendum contendit, verùm difficultate offenſa, ad loca Bibienæ proxima, quamuis parua, exiguiq; ponderis occupanda hæſit. Caſentina regio, quam Arnus fluuius interfluit, anguſta, ſterilis & montuoſa eſt, ad Apennini Alpium, quę tunc quòd hyemis initium eſſet, niuibus erant tectæ radices ſita, ſed Florentiam petentibus, ſi Aluiano Poppij oppugnatio feliciter ſucceſſiſſet, oportunũ iter, nec in Aretinum agrum & Arniuallem minus commodum, quæ regiones quòd amplis oppidis & caſtellis refertæ ſint, ad Florentinorum imperium magni erant ponderis, qui in tanto periculo minimè negligentes, apparatibus repentè vbicunq; opus erat factis, coniurationem quæ Aretij parabatur oppreſſerunt, & cum impedire ne Veneti in Caſentinum

nouas copias mitterent reliquis rebus anteferrent, Ranutium comitem ex Pisano agro reuocatum, statim ad Apennini itinera, inter Bagniuallem, & Stephaniplebem occupanda miserunt, & tamen quo minus Vrbinatium dux & Carolus Vrsinus, alijq; duces, transirent impedire minimè potuerunt, qui cum septingentos cataphractos, & sex millia peditum, atq; inter hos aliquem Germanorum numerum in ea valle haberent, paucis locis exceptis totum Casentinum occuparunt, & denuò, sed frustra, Poppium capere tentarunt. Ideò Florentini, prout Venetorum mens fuerat, Paulum Vitellium cum suis copijs ex Pisano agro, idoneo præsidio in munitis oppidis, & Venturæ propugnaculo relicto eò conuertere coacti fuerunt, cuius in Casentinum aduentu, Venetorum duces, qui vt eodē die circa Pratum ueterem castra ponerent mouerant, retrocesserunt. Quamprimùm Paulus Vitellius in Casentinum venit, & Fracassa, qui à Mediolanensiū duce, cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & totidē peditibus in Florentinorum gratiam mittebatur, illi cōiunctus fuit, statim hostes, cum ob castrorum angustiam, tum quia vt Casentini exitū ingressumq; patentē sibi conseruarent, Verniæ, Clusij, & Montalonis angustias, loca in alpibus edita, custodire cogebantur, in varia loca distractos, in multas difficultates redegit, & acerbissimo tēpore in ea valle inclusi, nullius neq; isthic neq; alibi progressus faciendi spem habebant, quoniā Comes Ranutius cum ducentis cataphractis Aretij manebat: & in Casentino, postquam ab initio Poppium occupare non potuerant, nec Mediceum nomen aliquid mouebat, cùm regionis in qua vix aliquis est equorum vsus, incolas infensos haberent, iam ante Vitellij aduentum, multa ab incolis detrimenta acceperant, & idcirco ipsius & Fracassæ aduentu cognito, impedimentorum & tormentorum parte trans alpes remissa, quantum locorum natura patiebatur copias simul coniunxerunt: contra quos Vitellius consuetudinem suam seruare statuit, quæ erat, potius vt tutam victoriam pararet, nec tempori, nec multis laboribus parcere, nec vt à sumptibus abstineret, absque multis apparatibus progredi, quàm vt facilis celerisque victoriæ gloriam compararet, vnà cum exercitu rei exitum in discrimen conijcere: ideò ipsius in Casentino consilium fuit, non statim munitiora loca petere, sed hostes ad minus munita deserenda compellere, & alpium angustias, aliaque regionis itinera, præsidijs, propugnaculis, vijs obstruendis, alijsque munitionibus claudere, ne nouarum copiarum auxilia habere possent, néue ex vno loco eos qui in alio essent iuuandi facultatem haberent: hac ratione multorum opprimendorum occasionem, & maiorem numerum qui Bibienæ erat, si nō alia re, equorum incommoditate, & commeatus inopia, consumptum iri sperans: quo consilio aliquot locis prope Bibienā, parui per se momēti, verùm ad eam rationem qua sibi belli victoriam proposuerat opportunis recuperatis, & quotidie magis progressus, multos grauis armaturæ equites, in quibusdam paruis vicis Bibienæ propinquis spoliauit, & vt Venetorū copias quæ ad opem his ferendā trans alpes colligebantur itinere prohiberet, omnibus locis quæ circa Verniæ montem sunt occupandis, & fossis in omnibus vijs, quæ circa ea loca sunt faciendis operā dedit, adeò vt hostium difficultatibus & cōmeatus penuria perpetuò crescentibus, multi eorum, ordinibus relictis abirent, qui plerumq; ob itinerū asperitatem vel ab incolis, vel à militibus diripiebantur. Hi erant inter Venetos & Florentinos armorum progressus. Eodemq; tempore quamuis Florentinorum legati, absq; vlla concordiæ spe, Venetijs discessissent, tamen Ferrariæ noua pacis consilia à Ferrarienſium duce Venetorum opera proposita agitabantur, quoniam multi, summæ in eo Senatu autoritatis, iam bello, quod graui sumptu, & multis difficultatibus gerebatur fessi, maiorumque rerum in Casentino gerendarum spe amissa, Pisanorum defendendorum molestijs, dummodò aliquo honesto colore fieri posset liberari cupiebant. Dum verò Italia ob Pisanas res in his molestijs versatur: nouus Galliæ rex ad Venetos qui Insubriæ imperium sequenti anno inuadendum, incredibili in Mediolanēsium ducem odio flagrantes magno studio fœdus cum eo moliebantur, sibi coniunctos fore sperans se comparare non cessabat: sed maiori studio agebant rex, & Pontifex, qui à Federici affinitate exclusus, in eadem regni Neapolitani cupiditate perseuerans, toto animo ad Gallicas spes conuersus, Valentino cardinali, Carolotam, Federici filiam, quæ nondum nupta, in Gallica aula viuebat, copulare procurabat, cuius rei ab rege, in cuius potestate

teſtate illam locare eſſe videbatur ſpe accepta, Cardinalis, mane ſacrum ſenatum ingreſſus, patrem & purpuratos reliquos, vt cum ipſe nunquam animo ad ſacerdotia propcliuis fuiſſet, dignitatis cum habitu deponendæ facultatem ſibi concederent, quò fata ſua ſequi poſſet ſupplex rogauit: ſicque pallio & ſago pro toga ſumptis, iter in Galliam quamcitiſſimè adornabat, cum iam Pontifex regi diuortij cum vxore ſua auroritate faciendi, facultatem promiſiſſet, & rex viciſſim, quamprimùm Mediolanenſe imperium occupaſſet, ſe eum ad ciuitates ab Aemiliæ Flaminiæq; vicarijs poſſeſſas pontificio imperio ſubijciendas iuuaturum, & trecentas auri libras maioris ad cuſtodiam ſuam præſidij alendi ſpecie, in præſentia numeraturum ſuſcepit, quaſi ipſius cum rege coniunctio, multos in Italia ad inſidias quibus ipſum oprimerent parandas, eſſet impulſura. quare rex vt promiſſa præſtarentur pecuniam numerare cæpit, & pontifex diuortij cauſſam, Setenſi Epiſcopo nuntio ſuo, & Pariſienſi ac Rotomagenſi archiepiſcopis demandauit, quo in iudicio regis vxor per ſuos procuratores ab initio contradicebat, ſed tandem, cum iudices, non minus quàm aduerſarij potentiam, ſuſpectos haberet, Berrenſi ducatu, cui triginta millium francicorum, ad victus ſui ſuſtentationem prouentu accepto, lite cedere cum illo conuenit, ſicq; diuortio iudicum ſententia confirmato, ad liberationem, & nouum matrimonium perficiendum nihil aliud, quàm Cæſaris Borgiæ qui iam ex cardinali, & Valentiæ archiepiſcopo, miles ac Valentinus dux factus erat, aduentus expectabatur: quoniam rex illum centum cataphractis cum viginti millium francicorum ſtipendio præfecerat, & Valentiam Allobrogum vrbem, cum viginti francicorum millibus annuis ducis titulo conceſſerat: qui Oſtiæ ab rege miſſis nauibus conſcenſis, ſub anni finem ad aulam, pompa ac faſtu incredibili peruenit, ab rege quoque magno honore acceptus, & purpureum galerum, Georgio Amboiſio, Rotomagenſi archiepiſcopo, qui cum antea periculorum, eiusdemq; cum rege fortunæ particeps fuiſſet, ſummæ erat apud eum autoritatis, ſecum attulit: tamen ipſius ab initio actiones minimè gratæ fuerunt, quoniam paternum conſilium ſequutus, liberationis deſiderium regem magis ad conſilia ſua propenſum, quàm accepti beneficij memoria, redditurum ſperans, ſe diploma ſecũ attuliſſe negabat: ſed cum ab Setenſi epiſcopo, clàm regi veritas eſſet patefacta, ipſe coram deo diploma confectum eſſe ſufficere ratus, eo non amplius petito, nouam vxorem apertè ſibi matrimonio iunxit, quod in cauſa fuit, vt dux Valentinus cum diploma amplius retinere non poſſet, reſciuiſſetq; ab Setenſi epiſcopo eam rem fuiſſe patefactam, alio tempore pòſt veneno illum clàm ſuſtulerit. Nec rex in vicinis principibus pacandis minus erat ſollicitus, ideò cum Hiſpaniæ regibus pacem inijt, qui rerum Italicarum conſilijs depoſitis, non modò omnes legatos, quos in Italia habebant, præter eum qui apud pontificem verſabatur, reuocarunt, ſed omnibus Calabriæ locis, quæ ad eam vſq; diem retinuerant, Federico conceſſis, Conſaluum cum omnibus copijs in Hiſpaniam redire iuſſerunt. Maior difficultas erat in concordia cum Romanorum rege concilianda, qui, non parua pecuniæ ſumma ab Mediolanenſium duce, cui, vel Cœſarianum bellum, Galliæ regem ab Italiæ rebus auerſurum, vel, vt ab Cæſare certò promittebatur, concordia inter eos orta ſe quoq; incluſum iri, perſuaſum erat, adiutus, nonnullarum defectionum in regione ortarum occaſione, in Burgundiam irruperat. Sed poſt longas agitationes atq; conſilia, rex nouam pacem Arteſiæ comitatus oppidis reſtitutis, cum Archiduce inijt, quæ res vt ad filij commodum perficeretur, Romanorum rex, Mediolanenſium ducis, cum quo quia infinitis ſuis pecuniæ petitionibus non ſemper ſatisfecerit, videbatur hoc tempore indignatus, nulla facta mentione, in multos menſes inducias cum eo pactus eſt. Rex præterea pacem cum Angliæ rege à ſuperiore rege factam confirmarat, & omnibus rationibus, quæ vt Mediolanenſium ducem, qui ingentibus promiſſis & maximis largitionibus in id nitebatur, vt aliquas pacis leges admitteret proponebantur, reiectis, vt Venetos ac Florentinos eodem tempore ſibi adiungeret operam dabat, ideoq; vt Piſano bello remoto Veneti Piſas in ipſius manus deponerent, vehementer inſtabat, & vt Florentini aſſentirentur, clàm ſe illis breui reſtituturũ promittebat: quod negocium difficultatibus plenum, varijs propoſitis finibus & cauſſis, per multos menſes variè agitatum fuit: quoniam Florentini, cum eos hac ratione Galliæ regi adhærere eſſet neceſſe, & ob promiſſorum ab Carolo rege

non præstitorum memoriam, ne nunc quoque idem accideret veriti, inter se non in vnam sententiam conueniebant, propterea quòd ciuitas, potentiorum ciuium ambitione, & popularis status licentia agitata, & ob Pisanum bellum Mediolanensium duci coniuncta, ita in se ipsa diuisa erat, vt res graues præsertim nonnullis ciuium Galliæ regis victoriam optantibus, alijs contrà Mediolanensium duci fauentibus, magna difficultate pacatè decerni possent. Veneti autem, etiam reliquis omnibus fœderis cum rege iheundi difficultatibus remotis, depositò, minimè assentiri statuerant consilijs, quæ ea de re Ferrariæ agitabantur, & sumptuum pro Pisarum defensione factorum restitutionem ampliorem, & minorem in desederanda notam sperantes, quod negotium Ludouicus Sfortia, ne si apud Galliæ regem depositum fieret, hæ respublicæ ambæ regi adhærerent veritus, & hac controuersia in Italia sedata, Venetos sui lædendi consilia deposituros sperans, vehementer vrgebat: quam ob caussam & Galliæ regi Ferrariense consilium summopere displicebat, & Pontifex vt ex aliorum molestijs commodum suum eliceret, quia cum in omnibus Italiæ negotijs maxima apud regem autoritate polleret, si depositum in regis manus fieret, aliquo modo particeps fieri sperabat, obliquè id consilium perturbare nitebatur. Interea verò Venetijs, vtrum rege à depositi petitione (quam non concedere decreuerant) recedente in Mediolanensium ducis detrimentum fœdus, quemadmodum is magnopere instabat, cum Cremonam, & vniuersam Giaradadam regionem, victoriæ præmium, se concessurum promitteret, cum illo esset ineundum discutiebatur, quæ, etsi omnibus summopere optanda viderentur, tamen multis deliberatio tanti ponderis, & Galliæ regis in Italia potentia, ipsorum imperio tam periculosa videbatur, vt in Rogatorum consessu, qui apud illos Senatus locum obtinet, variæ ea de re sententiæ dicerentur, in quo cum aliquando vt quid tandem agendum esset deliberarent, conuocati essent, Antonius Grimanus, magnæ autoritatis vir in hanc sententiam est loquutus.

Quum, præstantissimi Senatores, beneficiorum à nostra republica in Ludouicum Sfortiam collatorum magnitudinem, quæ proximis annis toties ei imperium conseruauit intueor, & quum contrà, quanta ille ingratitudine vsus sit, grauissimasque iniurias, quas, vt ad Pisanorum defensionem ad quam nos antea & hortatus fuerat, & impulerat, deserendam cogeret, nobis intulit, memoria repeto, adduci non possum, vt aliquem esse credam, qui non videat, nobis omni ratione quatenus fieri possit, vt eas iniurias vlciscamur necessariò incumbendum: nam quod dedecus, quæ infamia maior esse potest, quàm tot iniurias patienter ferendo à maiorum nostrorum magnanimitate, nos vniuerso orbi degeneres declarare? qui nunquam vel leuissimis offensionibus prouocati, vt Veneti nominis dignitatem conseruarent, pericula subire recusarunt: & iure quidem, quoniam rerumpublicarum deliberationes, abiecta priuataque consilia minimè poscunt, neque omnia ad vtilitatem referri, verùm ad excelsos magnanimosque fines, per quos illarum splendor augeatur, & dignitas conseruetur, spectant, quæ nulla re magis extinguitur, quàm si in hominum mentibus opinio gignatur, animum, aut vires ad propulsandas iniurias deesse, nec ad vltionem esse paratos, quæ summopere est necessaria, non tam ob vltionis voluptatem, quàm vt eius qui læsit pœnitentia, tale reliquis exemplum præbeat, vt te prouocare nemo audeat: sicque gloria cum vtilitate coniuncta sequitur, & generosa magnanimaque consilia, commoditate quoque & fructu plena oriuntur: sic vna molestia, multas tollit, & sæpe vnicus ac breuis labor, à multis ijsque longissimis liberat. quamuis si Italicarum rerum statum, multorum principum in nos odia, & insidias, quæ semper à Ludouico Sfortia parantur ponderabimus, nos non minus præsenti necessitate, quàm alijs de caussis ad hanc deliberationem trahi videbimus: nanque is, naturali ambitione, & odio, quo in hunc amplissimum Senatum flagrat impulsus, nihil aliud studet, in hoc vnum incumbit, vt omnium Italorum animos, nobis infensos paret, vt Romanorum regem, Germanicamque gentem in nos conciet, imò ad hoc idem, iam cum Turcarum imperatore consilia agitare incipit, iam illius opera quantis difficultatibus, & ferè sine spe Pisanorum defensionem,

nem,ac bellum in Casentino sustineamus cernitis,in quo si perseueramus,in grauissima incõmoda periculaq; incurrimus: si nullo alio rebus nostris iacto fundamento deserimus,cum tanta existimationis diminutione fit,vt eorum qui nos opprimere cupiunt animi nimis augeantur, & quanto facilius sit eos qui iam declinare inceperunt, quàm qui adhuc existimationis culmen tuentur opprimere, nostis: quarum rerum fructus clarissimi apparerent, & citò imperium nostrum tumultibus,rumoribusq; bellicis refertum sentiretur,nisi nostræ cum Gallię rege coniunctionis metus Ludouicum suspensum retineret,qui tamen metus diu suspensum tenere minimè potest:quis enim est qui non videat, regem à fœderis nostri spe exclusum, vel trans alpes res nouas aggressurum, vel Ludouici artibus, corruptelis,medijsq; potentissimis, quæ in ipsius aula habet,victum, aliquam cum illo compositionem facturum? itaque antiquæ dignitatis & gloriæ nostræ tuendæ necessitas, nos ad coniunctionem cum Galliæ rege cogit,sed multò magis imminens grauissimumq; periculum, quod alia ratione vitari non potest: & hac in re fortuna se nobis valde propitiam præbet, quæ efficiat vt à tanto rege ad id rogemur,quod nobis ab illo petendum esset, tam amplis insuper tamque magnificis victoriæ præmijs propositis, ex quibus potest hic Senatus semper sibi maximas spes polliceri, in mente sua ampliſſimas cogitationes facere, præsertim verò cum tanta facilitate obtineantur: nam quis dubitat à Ludouico Sfortia aduersus duplices tam magnas tamque vicinas vires nullam defensionem fieri posse?à qua deliberatione non debemus, nisi fallor,Galliæ regis vicinitate remoueri, nec vt Insubriæ imperio occupato nobis periculosa formidabilisque fiat vereri: nam qui diligenter cogitauerit, multa quæ nunc nobis contraria sunt, tunc profutura animaduertet, quoniam tantum illius regis incrementum,toti Italiæ erit suspectum, Romanorum regem,gentemq; Germanicam,quòd tam nobile Imperij membrum ab illo occupetur, æmulatione, atq; indignatione irritabit, adeò vt illi quos nunc Ludouico ad nostram perniciem coniungi veremur, tunc proprij commodi gratia conseruare, nobisque coniungi, sint exoptaturi: cunque imperij nostri existimatio vbique terrarum magna sit,ingens diuitiarum fama,atque concordiæ nostræ, & ad imperij conseruationem constantiæ tam crebris illustribusque exemplis confirmata opinio maior, non audebit Galliæ rex,nisi multis vel saltem Romanorum regi coniunctus nos inuadere, quæ res multis de caussis tot difficultates habet, vt vel spem, vel metum inde concipere vanum sit: neque pax quam nunc à vicinis principibus trans alpes impetrare sperat, perpetua erit, quin inuidia, inimicitiæ, ipsius incrementi timor, omnes eos cum quibus aut odium aut æmulatio intercedit, excitabunt: & quam Galli ad acquirendum promptiores quàm ad conseruandum prudentes sint, quamque citò, impetu & insolentia, subiectis odiosi fiant, omnibus notissimum est, ideò Mediolano occupato, erit illis magis necessarium conseruationi operam dare, quàm nouis rebus studere oportunum:nouum namque non benè constitutum imperium, nec prudenter gubernatum, ei qui id acquirit potius graue est,quàm vt potentiorem eum reddat, cuius rei quod nam recentius atque illustrius exemplum haberi potest,quàm superioris regis victoria,contra quem,incredibile desiderium quo in regno Neapolitano acceptus fuerat, in summum odium conuersum est? Periculum itaque quod intra aliquod tempus ex Galliæ regis victoria ad nos pernenire potest nec tam certum, nec tale est,vt ad id vitandum, in præsenti maximique momenti periculo manere velle debeamus, & futurorum incertorumq; periculorum metu, tam opulentam,tanq; oportunam Insubriæ partem recusare nisi animo pusillo abiectoque in priuatis hominibus, nedum in omnium quotquot vnquam vlla in mundi regione fuere, rerumpublicarum post Romanam potentissima & celeberrima, vituperando tribui posset: raræ sunt atq; fallaces tam magnæ occasiones, estque prudentium & magnanimorum,cum offeruntur arripere, & è contrà negligere summa reprehensione dignum,ac sæpe nimis curiosa sapientia,& futuri nimium ponderatrix, vituperatur: quoniam res humanæ,tot tanque varijs casibus subijciuntur, vt rarò id eueniat, quod viri etiam sapientes existimarant: & qui præsens bonum,futuri periculi timore quum id nec certum nec propinquum est, negligit, summo sæpe dolore, & infamiæ nota, eorum periculorum quæ post vana fiunt metu, vtilitatis & gloriæ

plenas occasiones amisisse reperitur. quas ob caussas, mihi fœdus aduersus Mediolanensium ducem accipiendum videretur, quia præsentem securitatem nobis adfert, dignitatem apud omnes principes, & tantum incrementum, quantum nos alijs temporibus, molestijs sumptibusq; immensis, cum ob magnitudinem, tum quia erit aditus & ianua ad huius potentissimæ reipublicæ gloriam & imperium mirum in modum augendum, obtinere posse niteremur.

Huius sententiæ autor magna attentione, & admodum æquis auribus auditus fuit, eiusq; animi magnitudo & in patriam amor à multis laudatus. Sed contrà dixit Marchio Triuisanus. Iniurias, sapientissimi Senatores, à Ludouico Sfortia, nostræ reip. illatas grauissimas, & cum maxima dignitatis nostræ offensione esse negari minimè potest, nihilominus quo illæ maiores sunt, quoq; magis nos commouent, eò magis proprium prudentię est, iustam indignationē, iudicij maturitate, & vtilitatis ac publici commodi consideratione moderari: quoniam seipsum temperare, & proprias cupiditates vincere, quo pauciores sunt qui id possint, & quo iustiores sunt causſæ, quibus hominum indignatio & appetitus concitatur, tantò maiorem habet laudem: ideò ad hunc Senatum, qui apud omnes gentes tam clarum sapientiæ nomen obtinet, quiq; proximè se Italiæ à Gallis liberatorem professus est, spectat, infamiam quæ si nunc illorum reditus causa fuerit manabit, & multò magis periculum, quod perpetuò nobis imminebit, si Mediolanense imperium in Galliæ regis potestatem peruenerit, sibi ob oculos proponere, quod quidem periculum qui per se non perspicit, quantum terrorem regnum Neapolitanum à Carolo occupatum nobis incusserit in memoriam reuocet, à quo non antè nos tutos duximus, quàm in illum penè omnes Christiani principes nobiscum cōiurassent: & tamen quæ comparatio inter hoc & illud? quia rex ille ferè omnibus regijs virtutibus carens, erat quasi ridiculus princeps, & Neapolitanum regnum, tam à Gallia longinquum, illius vires ita distrahebat, vt ferè magis hebetaret ipsius potentiam quàm augeret, & ea occupatio ob regnorum tam propinquorum metum, pontificem atq; Hispaniæ reges illi inimicissimos reddebat, quorum vnum diuersos nunc fines habere, & reliquos Italicarum rerum pertæsos, nisi maxima necessitate compulsos ijs immiscerī velle notum est. Hic autem nouus rex ob propriam virtutem multò magis timendus quàm contemnendus est, & Insubriæ imperium Galliæ regno est ita coniunctum, vt propter auxiliorum opportunitatem, nunquam nisi vniuersum orbem concitauerimus nos illum inde pellere posse sit sperandum, quare nos tam admirandæ potentiæ vicini, pacis tempore in grauissimis sumptibus ac suspitione erimus, & in bello illius iniurijs ita expositi, vt nos tueri difficillimum sit futurum: & profectò non sine admiratione eum qui ante me sententiam dixit audiebam, ab vna parte Gallię regem, Insubriæ dominum non timere, ab altera tantùm Ludouici Sfortiæ, principis viribus longe nobis inferioris, quiq; timiditate & auaritia, res suas semper in grauissima pericula coniecit, metum præse ferre: terrebant eum aliorum auxilia, quasi in tanta animorum voluntatumq; diuersitate, & tanta conditionum varietate, talem coniunctionem conciliare facile esset, vel quasi non multo magis esset metuenda magna potentia tota coniuncta, quàm multorum vires, quæ vt diuersos motus habent, sic etiam facta diuersa & repugnantia: in ijs qui odio varijsq; de causſis nostram cupiunt depressionem, illam ad indignationes cupiditatesq; vincendas prudentiam, quam in nobis ipsis ad has ambitiosas cogitationes cohibendas desideramus, inuenire sperabat. Nec scio quam ob causſam nobis polliceri debeamus, in Romanorum rege, atq; in illa gente æmulationem, & antiquam ac recentem in Galliæ regem si Mediolanum occuparit indignationem, maiorem vim habituram, quàm inueteratum in nos, qui tot loca ad Austriacam domum & ad Imperium spectantia possidemus odium. Et cur Romanorum rex, libentius nobis cum aduersus Galliæ regem, quàm cum illo contra nos, fœdus sit initurus ignoro, imò Barbarorum, Italici nominis æternorum hostium & ad faciliorem prædam coniunctio verisimilior est, quoniam potius illi coniuctus ex nobis victoriam sperare poterit, quàm nobis ex illo. præterea illius in superiori fœdere quum in Italiam venit actiones eiusmodi fuēre, vt cur illum nobis coniungi adeò optandum sit non videam: lacessiuit nos grauissimè Ludouicus, nemo negat, verùm vltionis desiderio, res proprias in tantum discrimen conij-

cere,

cere, minimè prudentium eſt, neq; dedecet, caſus & occaſiones quas reſp. ſperare poteſt, ad vlciſcendum expectare: imo admodum turpe eſt, indignatione vinci, & in rebus ad imperia ſpectantibus, ſumma infamia eſt, quum imprudentiam detrimentum comitatur: non dicetur nos his rationibus ad tam temerariam rem moueri, ſed omnes nos Cremonæ occupandæ cupiditate trahi cenſebunt, ideoque ab omnibus huius Senatus priſca ſapientia & grauitas deſiderabitur, omnes nos in eandem Galliæ regis in Italiam accerſiti, temeritatem, in quam Ludouicum Sfortiam deueniſſe tantopere mirabamur, incidiſſe clamabunt: præmium magnum eſt, & ad multa oportunum, ſed num maior ſit iactura Galliæ regem Inſubriæ dominum habere perpendatur, potentia exiſtimatioque noſtra quando maior ſit cogitetur, quum ſummum principatum obtinemus, an cum in Italia eſt tantò maior tamq; nobis vicinus princeps: cum Ludouico Sfortia aliàs & diſcordias & pacem habuimus, idem poteſt inter nos & illum quotidie accidere, nec Piſanæ cauſſæ difficultas talis eſt, vt nullum remedium inueniri poſſit, nec vt nos hac de cauſſa ita præcipites demus meretur, at cum vicinis Gallis ſemper erunt diſſidia, quia ſemper eædem cauſſæ regnabunt inter Barbaros atque Italos, animorum diuerſitas, Gallorum ſuperbia, odium quo principes ſemper reſpublicas perſequuntur, & ambitio, qua fit vt potentiores ſemper minus potentes opprimere cupiant: quapropter, me non modò Cremona non inuitat, verùm etiam deterret, quia tantò maiorem ad nos lædendos occaſionem & aculeos habebit, eò magis à Mediolanenſibus qui Cremonæ ab illo ducatu alienationē ferre non poterunt concitabitur, eademq; cauſſa gentem Germanicam & Romanorum regem irritabit, quoniam pariter Cremona & Giaradada, Imperij membra ſunt: Saltē noſtra ambitio, non ita vituperaretur, nec nouis occupationibus nobis quotidie nouos hoſtes pararemus, omnibusq; ſuſpectiores reddemur: quamobrem oportebit tandē, vel omnes à nobis ſuperari, vel nos ab omnibus affligi, vtrum aūt facilius ſit ei qui ſe ipſum decipere noluerit facilè erit iudicare: huius Senatus ſapientia & maturitas, per totam Italiam, & vniuerſum orbem agnoſcitur & celebratur, nolite eā tam temeraria tamq; periculoſa deliberatione cōmaculare: indignatione contra propriam vtilitatē ferri, leuitatis eſt, parua pericula maximis anteferre, imprudentiæ: quæ duo cum ab huius Senatus ſapientia & grauitate alieniſſima ſint, mihi aliter perſuadere nō poſſum, niſi deliberationem quæ fiet iuxta conſuetudinē veſtram, moderatam circumſpectamq; fore. Hæc ſententia tam validis rationibus, & multorū ſenatus principū & ſapientiorum autoritate corroborata, non tantā vim habuit, quin contraria odio & dominandi cupiditate, quæ ad quamuis periculoſam deliberationē vehementer impellunt, concitata, longè plus potuerit: erat enim immenſum in ſingulorum animis aduerſus Ludouicum Sfortiam conceptum odium, nec minus Cremonæ cum eius agro, & tota Giaradada Veneto imperio adiungendæ deſiderium, quæ acceſſio, cum quòd ſingulis annis ad minimum centum ducatorum millia inde perciperentur, tum propter oportunitatem magnifiebat, quia hoc incremento ferè totum Olium fluuium cōplexi, fines ſuos ad Padum vſq; proferebant, & longo ſpacio ad Abduā extendebant: cumq; ad quindecim millia paſſus Mediolano apropinquarēt, & aliquantò magis Placentiæ & Parmæ, via ipſis ad totum Inſubriæ imperium quotieſcunq; Galliæ rex vel noua conſilia, vel magnam difficultatem trans alpes haberet occupandum aperiri videbatur: quod breui euenire poſſe, Gallorum magis ad acquirendum, quàm ad tuendum apta natura, ipſorum reip. perennitas, & in Galliæ regno ob regum mortem, conſiliorum & adminiſtrationis crebra varietas, ſubiectorū beneuolentię propter ſanguinis, & Gallicorum ac Italicorū morum diuerſitatē, conſeruandę difficultas, ſpem faciebant: hac itaq; ſententia plurium ſuffragijs confirmata, ſuis oratoribus qui apud regem erant, hoc fœdus dummodò de Piſanis rebus in eo nihil ageretur, oblatis legibus perficerent mandarunt: hæc exceptio regis animum non mediocriter turbauit, ſperabat enim per depoſitum ſe Venetos ac Florentinos ad bellum ſuum coniuncturum, & cùm Venetos à Piſanorum defenſione pactionibus deſerenda iam minimè alienos ſciret, id ita ab illis potius fieri debere exiſtimabat, vt Mediolanenſis imperij victoria, quæ ipſis communis eſſet futura, eā re facilior redderetur, quàm vt paulò meliorem in concordia conditionem haberent, vt Florentini Ludouico Sfortiæ coniuncti manerent,

in cauſſa eſſe, cuius opera cum Ferrariæ conſilium promoueri ſciret, non parum verebatur, ne ſi ipſo intermedio perficeretur, tandem nec Venetos nec Florentinos ſecum eſſet habiturus. Quare id conſilium, quam de vtraq; rep. dubius relinqueretur parum prudens eſſe ratus, & ob diffidentiam ab ipſis declaratam indignatus, potius ad pacem quæ cum Romanorum rege, his legibus vt vni cum Ludouico Sfortia, alteri cum Venetis bellum gerere liceret, aſſidue tractabatur, inclinauit. Itaque per delectos homines qui ipſius nomine cum Venetis oratoribus agebant, ſe niſi ſimul Piſarum depoſitum perficeretur, cum illis conuenire nolle reſpondit, & Florentinorum legatis ipſemet dixit, certò ſcirent ſe nunquam alia ratione cum Venetis conuenturum. Sed dux Valentinus, & reliqui Pontificij procuratores S. Petri in Vincula cardinalis, Ioannes Iacobus Triultius, & omnes illi Itali, qui proprijs de cauſis ad bellum concitabant, illum in hac ſententia permanere non ſunt paſſi, quin multis validisq; rationibus, oſtendebant, propter Venetorum potentiam, & Mediolanenſis imperij lædendi opportunitatem quam haberent, nullum pernicioſius cõſilium eſſe, quàm propter Florentinorum qui ob perturbationes, & quòd ab eo imperio procul abeſſent, paruo illi adiumento eſſe poſſent, amittendorum metum, illorum auxilijs priuari, idq; facile in cauſſa futurum, vt Ludouicus Sfortia, quo ſe Venetis iterum conciliaret Florentinorum amicitia, quæ omnium inter illos diſſidiorum cauſſa fuerat, relicta, iterum illis coniungeretur, Ludouico autem cum Venetis coniuncto quæ difficultates inde oriri poſſent, ſi non alia re, ſaltem præteritorum annorum experientia demonſtrari, nam etſi in fœdus aduerſus Carolum tot regum nomina concurriſſent, tamen ſolas Venetorum & Ludouici vires, illi Nouariam ademiſſe, & ſemper Mediolanenſe imperium aduerſus ipſum defendiſſe: Maximiliani coniunctioni niti, fallax periculoſumq; conſilium eſſe monebant, in quo ad eum vſq; diem, facultate vel adornandi prudentia, maiora conſilia viſa eſſent, & ſi etiam feliciores quàm hactenus ſucceſſus eſſet habiturus, perpetui tanq; acerbi Gallici regni hoſtis incrementum quàm è re eſſet conſiderari debere: quibus rationibus ita regem commouerunt, vt mutata ſententia, Piſanis rebus omiſſis, fedus cum Venetis perfici, annuerit, quo fœdere conuentum eſt, vt quo tempore ipſe potenti exercitu Inſubriam inuaderet, ipſi quoq; ex ſuis finibus idem facerent, & omni reliqua regione ipſi parta Cremona cum tota Giaradada excepta, Abduæ ripa quadraginta vlnas lata, Venetis cederet, Mediolanenſi autem ducatu ab rege occupato, Veneti, ad certum tempus, conſtituto equitum ac peditum numero ad eius defenſionem tenerentur, & viciſſim rex pro Cremonæ, & omnium quæ in Longobardia ad Veneta ſtagna vſq; poſſiderent defenſione, eſſet aſtrictus: quæ res adeò clàm acta fuit, vt Ludouicum Sfortiam, vtrum inter ipſos ad defenſionem tantùm, quemadmodum ab initio in Gallica aula & Venetijs diu vulgatum fuerat, fœdus initum eſſet, an etiam aliqua capita contra ſe eſſent incluſa, multos menſes latuerit: nec ipſemet Pontifex tam regi coniunctus, niſi ſerò certior eſſe potuit. Rex fœdere cum Venetis icto, nulla amplius Piſarũ mentione facta, leges à prioribus admodum diuerſas Florẽtinis propoſuit, quam ob cauſſam & ob moleſtias, quas à Venetis accipiebant, eò magis Mediolanenſium duci adhærere cogebantur, cuius auxilijs ſemper res in Caſentino feliciter ſuccedebant, vbi hoſtes, multis ſæpe à militibus & incolis incommodis acceptis, & cum commeatus & præcipuè equorum alendorum difficultate pugnantes, Bibienam ſe & in nonnulla alia parua oppidula contulerant, Apennini tamen itinerum vt auxilij accipiendi via, & ſi tandem cogerentur Caſentini minore incommodo deferendi facultas eſſet aperta, cuſtodiendorum diligentia minimè intermiſſa. Idcirco ad Montalonis anguſtiæ cuſtodiam manſerat Carolus Vrſinus cum ſuis cataphractis & centum peditibus, & inferiores Verniæ anguſtiæ, ab Aluiano obtinebantur: contrà verò Paulus Vitellius, iuxta morem ſuum maturè procedens, vbi illos in tam pauca loca redegit, à Montalonis aditu pellere conabatur, eo cõſilio, vt pòſt & eos qui Verniæ anguſtias tuebantur, in fugam cõijceret, ſicq; Venetorum copiæ Bibienã tantùm poſſidentes, vndiq; ab hoſtibus montibusq; ſeptæ, vel facilè ſuperarentur, vel ſe ipſas conſumerent, cum præſertim admodum eſſent imminutæ: nam præter eos qui hìc atq; illic ſpoliati fuerant, ob commeatus penuriam, & tutorum caſtrorum difficultatem, paulatim, ſupra mille quingentos equites, & multi pedites diſceſſerant,

quorum

quorum maxima pars in alpiũ tranſitu maximis ab incolis cladibus affecta fuerat. Tandem hæ difficultates Carolũ Vrſinum cum ſuis ad Montalonem deferendũ,non ſine cladis periculo coêgerunt:nam cũ illum diutius ibi hærere nõ poſſe ſciretur,multi Florentinorũ milites,& regionis incolæ,qui huic occaſioni inuigilabant,in itinere impetum in eos fecerũt,ſed ipſi locis ſuperioribus occupatis,quamuis impedimentorũ parte amiſſa cum nõ parua eorum qui inordinatè perſequebantur clade ſe defenderunt. Caroli Vrſini exemplum,ijſdem de cauſſis qui ad Verniam & Cluſium erant, ſequuti ſunt,qui illis anguſtijs deſertis Bibienã ſe receperunt, vbi Vrbinatium dux,Aluianus,Aſtorius Balio, Petrus Marcellus Venetus legatus, & Iulianus Medices,ſexaginta equitib.& ſeptingentis peditibus ad eius oppidi quod ſolum in Caſentino poſſidebant cuſtodiam retentis, manſerunt,nec aliud illos fouebat prẹter auxilij quod Veneti,Caſentinũ bellum nõ penitus deſerere ad honoris conſeruationẽ, & multò magis ad pacis leges meliores reddendas minimè parum intereſſe rati comparabant ſpem:& ideò Pitiliani comes Rauennæ ſumma celeritate decretas ad auxilium ferendum copias, crebris Vrbinatium ducis & aliorum querelis vrgentibus colligebat,qui commeatum deficere ſignificantes,ſe ad talem inopiam redactos atteſtabantur, vt ſi vitam tueri vellent,mox cum hoſtibus paciſci cogerentur: & è contrà Ludouicus, & duces qui in Caſentino erant,Bibienæ expugnatione auxilium præuenire cupiebant, ideoque exercitui quatuor millia peditum addi poſtulabant: illorum autem deſiderio multæ difficultates repugnabant, quoniam in frigida & alpina regione, aſperrimę tempeſtates, militares actiones plurimum impediebant, & Florentini ad hunc apparatum, tum quòd grauibus longisque factis, & quos aſſiduè faciebant, ſumptibus feſſi eſſent,tum etiam quia in vrbe alijs de cauſſis parum concordi, noua erat orta diſſenſio, non admodum prompti erant, cum alij ciues Paulo Vitellio fauerent, alij ad Ranutium comitem veterem & fidum, quique magnæ autoritatis propinquos Florentiæ haberet, illius reipublicæ exercituum ducem extollendum propenſi eſſent, qui ob Regulianam calamitatem, ſummi gradus ſpe deiectus, in Paulum translatum eſſe ægrè ferebat, & cum in Caſentino ſuum agmen haberet,ad ea exquibus illius, quem deprimere voluiſſet exiſtimatio augeri poſſet exequenda minimè promptus erat. Has difficultates Pauli natura in ſtipendijs auida,cum Florentinis legatis difficilis,& qui ſæpe in deliberationibus, & rerũ expeditonibus maiorem ſibi quàm decere videretur autoritatem arrogaret, augebat, & tunc quoq; legatis inſcijs Vrbinatium duci ægroto, tuto ex Caſentino diſcedendi facultatem cum fide dederat, qua fretus præter ipſum etiam Iulianus Medices cum graui Florentinorum moleſtia diſceſſerat, quibus ſi duci abeundi difficultas fuiſſet impoſita, illum valetudinis in regno ſuo recuperandæ deſiderio ad copias Bibiena abducendas conuenturum fuiſſe perſuaſum erat, querebantur etiam Iuliano antea perduelli, & qui poſt cum armis contra patriam veniſſet, ipſis inſcijs talem conceſſam facultatem. Hæres Florentiæ Pauli conſilijs ac poſtulatis fidem adimebant, & multò magis quòd bellum non cum magna ipſius apud populum exiſtimatione procedebat: nam & nonnulla præclarè, magis ab incolis quàm à militibus geſta erant, & propter magnam ipſius virtutis opinionem, longe citius victoriam ſibi ex hoſtibus promiſerant, vt populorum natura eſt, voluntati id tribuentes, quòd potius temporum aſperitati, & apparatuum defectui tribuendum erat:quocirca, dum quatuor millia peditum mittere cunctantur, Pitiliani comes Elcium Vrbini ducatus caſtellum Florentinorum finibus proximum veniendi tempus habuit, quo prius venerant Carolus Vrſinus ac Petrus Medices, & vbi omnes copiæ ad Apennium tranſeundum colligebantur, quæ veluti ad regionis aſperitatem & inopiam aptiores, peditatu longe quàm equitatu copioſiores, ijq; potius leuis quàm grauis armaturæ cõparabantur.Hic fuit extremus Venetorum ob Caſentini res conatus,quem Paulus Vitellius vt impediret, leui circa Bibienam obſidione & neceſſario ad opportuna itinera præſidio relicto, cum reliquis copijs ad Stephaniplebem Florentinorum oppidum ad pedes alpium ſitum, vt ſe hoſtibus in earum deſcenſu opponeret contendit: at Pitiliani comes, cum alpes niuibus obtectas ante ſe,ad alpium pedes validam oppoſitionem, & itinerum anguſtias cum nihil eſt obſtaculi,miti tempeſtate,nedum ſic,ſuperatu difficiles

haberet, quamuis grauibus querelis ab ſenatu Veneto (vt ipſe aiebat) ad accuſandum quàm ad proſpiciendum, vehementiori, multum vrgeretur nunquam tranſitum auſus eſt experiri: & ſi etiam aliqua diuertendi conſilia proponerentur,& in Balneiualle iam Florentinorum loca aliquantum infeſtari inciperent, id tamen nihili fecit.Sed quò res bellicæ lentius procedebant, eò pacis varijs de cauſſis ab vtraq; parte expetitæ conſilia vehementius tractabantur,quam non minus optabat & vrgebat Mediolanenſium dux, qui fœdere inter Galliæ regem ac Venetos inito territus,huius concordiæ ſucceſſu Venetos minus Gallorum aduentum optaturos ſperabat, & inſuper illos hac in re voluntate factisq; ſuis contentos, aliqua ſaltem ex parte indignationem in ſe conceptam mitigaturos perſuaſum habebat: ideo apud Herculem Ateſtinum ſocerum ſuum medium ſe inter illos gerens,Florentinos,non tam autoritate(quoniam apud illos qui ipſius cõſiliũ animaduerterent,iam eius interceſſio ſuſpecta eſſe incipiebat)quàm quòd,niſi cõcordia iniretur,ſe Galliæ regis metu,ſi non omnes,ſaltem partem copiarum ſuarum,ab eorum auxilijs detrahere coactum iri ſignificaret, vt alicui Venetorum deſiderio cederent cogebat. Ea res multos menſes Ferrariæ fuit agitata,varijsq; interpoſitis difficultatibus,Veneti ab Hercule quo res facilius tranſigeretur,vt Venetias iret poſtularunt,qua in re ſe ipſe nonnihil difficilem præbebat, ſed multo magis Florentini, quia Venetos Herculem arbitrum fieri, à quo ipſi valde erant alieni,optare ſciebant, ſed tantum Ludouicus Sfortia inſtitit, vt Hercules tandem ire: & Florentini, Ioannem Baptiſtam Ridolfium,& Paulum Antonium Soderinum, ſummos & prudentiſſimos illius reip.ciues cum illo mittere ſtatuerint. Venetijs primum diſputatum fuit,vtrum Herculi,arbitri autoritate cõtrouerſia dirimenda permitteretur, an tanquam communis amicus medium ſe inter partes gerens, conciliare niti deberet, quemadmodum hactenus Ferrariæ factum, & præcipua grauiſſimaque capita ad paruam difficultatem redacta fuerant. Hoc Florentini, Herculẽ in ijs quæ exipſius arbitrio penderent,maiorem Venetorum quàm ipſorum amplitudinis rationem habiturum, & cum ſententia Venetijs eſſet pronuncianda,tanto magis illis fauere cogi,& quod per ſe non eſſet facturus,ad id Mediolanenſium ducem,qui ſuã operam Venetis hac in re vtilem tãtopere declarare cuperet ipſum impulſurum, cernentes cupiebant, & quamuis multæ difficultates,Ferrariæ ferè determinatæ fuiſſent, tamen & in vltima tranſactione,& in multis peculiaribus capitibus,nõ parua relinquebatur arbitri poteſtas, præter quòd cauſſa illi permiſſa,ab ijs quæ antea tractata fuerant diſcedere in ipſius erat poteſtate.Veneti verò niſi arbiter fieret,non tam quòd ſibi de arbitro plus quàm Florentini pollicerentur,quàm quia id negotium inter ipſos met multas habebat difficultates, nihil agere ſtatuerant:nam cum omnes grauiſſimis,cum exigua fructus ſpe ſumptibus,feſſi,concordiam exoptarent,iuniores tamen in Senatu & præſertim ferociſſimi quiq;,niſi Piſanis libertas integrè,& ſaltem ea pars agri quam cum in clientelã accepti ſunt poſſidebant,conſeruaretur, eam nolebant:in quam ſententiam multas rationes afferebant, ſed ea erat præcipua, quòd cum tunc publica ſanctione,Piſanis libertatem ſe conſeruaturos promiſiſſent,niſi reip.ſplendorem commaculare vellent,deſiſtere non poſſent.Nonnulli alij,in reliquis rebus minus difficiles, in ſumptuũ quos Piſis deſertis à Florentinis reſarcire poſtulabant ſumma, erant immoderati. Sed ferè omnium ſapientiorum, & maioris autoritatis ſenatorum contraria erat ſententia, qui tot ſumptibus feſſi,& omni Bibienæ defendendæ, ac Piſanarum rerum ſine ingenti moleſtia,propter difficultates in auxilijs mittendis,& bello diuertendo repertas tuendarum ſpe amiſſa, cum maiore quàm ab initio perſuaſum habuiſſent Florentinorum vires comperiſſent, & præterea quamuis bellum in Mediolanenſium ducem facile exiſtimaretur, tamen quum Galliæ rex,cum Romanorum rege nondum pacem inijſſet,variaq; trans alpes impedimenta oriri poſſent,multa illum à bello inferendo remorari poſſe,& ſi etiam moueret, multas quotidie & inopinatas difficultates & pericula in rebus bellicis accidere cogitarent,præcipuè verò ingentibus terreſtribus ac maritimis apparatibus, quos Baiſetus Ottomannus,vt illorum in Græcia loca inuaderet adornare dicebatur territi,ſi ſecus fieri non poſſet, potius neceſſe eſſe vt honeſtum aliqua ex parte vtili cedere paterentur, cenſebant, quàm vt datam fidem obſtinatè ſeruarent,in tantis moleſtijs perſeuerare:quare cum eas deliberationes ad quas iam initio

deue-

deueniendum esse animaduerterant, maxima difficultate in ipsorum senatu ferri posse certò scirent, quum Ferrariæ id negocium agi cœptum est, prudenter ab Senatu, in Pisanis rebus & Florentinorum pace, Decemuiris ampliſſimam autoritatem dari curarant, quo in conſeſſu numero longe minori, omnium grauiſſimi maximaque autoritate præditi conueniunt, in quibus eorundem qui concordiam expetebant maxima pars erat, nunc autem negocio Venetias perducto, Senatum in capita Ferrariæ tractata, perducere posse diffisi, & cum Decemuiros tantùm assentiri, ijs qui interfuissent magno oneri fore animaduerterent, homines iudicij culpam magis in arbitrum quàm in ipsos translaturos, & eam sententiam quæ iam lata esset facilius, quàm si ad conciliandas partes proponeretur comprobandam rati, arbitrum fieri instabant, ideò pòst aliquot dierum disceptationem, Mediolanensium duce, Florentinis qui rem arbitro permittere recusabant, omnes copias suas ex Hetruria se statim abducturum minante, caussa Herculis Ferrariensium ducis iudicio arbitrioq; liberè & absolutè ad octo dierum spatium permissa est, qui post longam deliberationem, Sexto die Aprilis, legem tulit, vtintra octo proximos dies iniurię inter Venetos ac Florẽtinos tollerẽtur: & proxima diuo Marco sacra die, omnes vtriusque partis copiæ & auxiliadiscederent, & ad proprias sedes redirent: & Veneti eodem die, Pisis & eius agris omnes quas isthic copias habebant deducerent, & Bibienam cum omnibus Florentinorum locis quæ occupauerant deserẽrent: Florentini Bibienensibus errata condonarent: & ad sumptus quos Veneti ad octo millia libras auri ascendere asserebant resarciendos, per annos duodecim Florentini illis quotannis centum & quinquaginta auri libras penderent: Pisanis omnium delictorum venia, & cuiusuis artis vel mercaturæ terra mariq; exercendæ facultas concederetur: Pisanæ vrbis & locorum quæ eo die quo lex lata erat possidebant munitiones ab ipsis custodirentur, ea verò conditione vt custodes vel Pisani essent, vel ex alio loco Florentinis minimè suspecto, eisque ex prouentibus quos Florentini Pisis haberent stipendia numerarentur, nec hominum numero aucto, nec sumptibus ante defectionem consuetis: omnes Pisani agri munitiones à Florentinis dũ Veneti Pisanos tuebantur receptæ, si ita Pisanis visum esset euerterentur: Pisis prima ciuilia iudicia, à prætore peregrino, à Pisanis ex loco Florentinis minimè suspecto fierẽt: & præfectus à Florentinis delectus tantummodo prouocationum caussas cognosceret, nec vlla ratione de criminibus, vbi de sanguine, exilio, & bonorum proscriptione agere tur, absq; vnius assessoris ab Hercule vel eius posteris, ex quinq; iuris interpretibus qui ex ipsius imperio à Pisanis proponerentur delecti consensu iudicare posset: suppellex fundi, domus, pecora, aliaq;, vtrinq; occupata, fructibus ijs qui eos perceperant concessis, dominis restituerentur: & in omnibus alijs rebus Florentinorum Pisis & in agro, iura inuiolata essent: Pisanis quod ad munitiones & quę vis alia spectat nihil in remp. Florentinam moliri liceret. Arbitrio Venetijs promulgato, per totam vrbẽ & in nobilitate multæ in Herculem, & eius consilij principes querelæ audiebantur, plerisq; quòd ingenti reip. infamia, Pisani fide data fraudarentur vituperantibus, & sumptuum in bello factorum, non æquam rationem habitam querentibus, quas querelas illorum oratores, qui ante sententiam latam, à Venetis artificiosa inuiolatæ libertatis conseruandæ, & nõ modò reliquum agri ipsorum, sed fortasse etiam Ligurni portum ipsis adiudicatum iri, spe fouebantur, plurimum accendebant, & quò exitus ipsorum expectationi magis contrarius apparebat, eò magis libertatis tuendæ toties ab illo Senatu datam fidem, qua freti, omnium reliquorum principum amicitiam contempserant, & sæpius longè meliores à Florentinis oblatas conditiones reiecerant, tam indignè violari & vanis tantùm coloribus ipsorum securitati prospici dolebant. Qua enim ratione, qui in Florentini magistratibus Pisis restitutis, eorumq; mercatoribus ac subiectis ad commercium reuersis: agricolis autem qui potissimùm eius vrbis defensionis membrum fuerant, ad propria tecta, & culturam abeuntibus, aliqua fraude absolutum imperium occuparent, quòd illis, portarum præsertim custodia ipsorum potestati permissa, facillimum factu foret, securi esse possent? & quæ tandem esset ea securitas, munitiones possidere, si earum custodibus à Florentinis stipendia darentur, nec in tanto metu liceret maiora præsidia habere, quam tutis pacatisque temporibus alere consuessent? rerum commissarum

veniam quoque vanam esse, cum Florentinis, ipsos in iure & iudicijs perdendi facultas concederetur, mercium namque & reliquæ supellectilis, defectionis tempore captæ precij summam tantam esse, vt non modò omnia ipsorum bona, eo iure essent occupaturi, sed ne homines quidem ipsi à carceribus tuti forent: has querelas senatus principes vt extinguerent, effecerunt vt postero die, etsi arbitrij tempus præterijsset Hercules, qui tanta totius ferè vrbis indignatione cognita, sibi metuebat, sententiæ latæ Florentinis oratoribus inscijs, declarationem adiungeret, vt munitionum appellatione Pisanæ vrbis & reliquorum munitorum locorum portæ intelligerētur, pro quarum custodia, & pro Assessoris stipendijs, certa Pisanorum prouentuum portio Pisanis tribueretur, & loca non suspecta, quorum in arbitrio mentio fiebat, essent pontificum, Mantuæ, Ferrariæ & Bononiæ regna, aliorum tamen stipendiarijs excluſis: supellectilis verò & mercium restitutioni perpetuum imponeretur silentium: Præfecti collegam ex quouis non suspecto loco nominare in Pisanorum potestate esset: præfectus de nullo quamuis minimò crimine sine Assessore cognosceret: Pisani à Florētinis iuxta aliarum nobilium Italiæ vrbium consuetudinem bene tractarentur: nulla noua onera illis imponerentur. quæ declaratio non ideò procurata fuit, quòd Veneti illam seruari cuperent, sed vt Pisanorum oratorum ardorem mitigarent, & vt se in Senatu defenderent: quòd si Pisanorum libertas non esset conseruata, saltem illorum securitati & commodo ita consultum erat, vt prædæ dati vel deserti dici minimè possent: quo in Senatu pòst multas disputationes, temporum tandem ratione, & Pisanos tuendi difficultate, præsertim verò Thracis tyranni armorum metu superante, arbitrium expresso consensu non comprobare, sed quòd omnibus in rebus efficacius est, offensionibus intra dies octo remotis, copijsque præscripto tempore, Hetruria eo animo, vt se huic negocio non amplius immiscerent deductis, factis exequi decreuerunt, imò potius quàm ea vrbs in Mediolanensis ducis potestatem veniret, multi in Senatu, eam à Florentinis recuperari cupere incipiebant. Nec Florētiæ sententiæ latæ summa audita, minor animorum motus apparuit, ijs à quibus iniustè fuissent lacessiti, sumptuum partē resarciendam ægrè ferentes: idq; eò magis quod cum munitiones à Pisanis essent custodiendæ, & criminū iudicia, præcipuū conseruandis imperijs instrumentū, Magistratibus ipsorum non liberè concederentur, nihil aliud quā nudum imperij nomē sibi assequuti videbātur: tamen ijsdē Mediolanensiū ducis attestationibus, quæ vt causſam arbitro cōmitterent effecerant, ad comprobandū cogentibus, seq; breui industria & erga Pisanos humanitate, res ad meliorē formā redacturos sperantes, sententiā latā exceptis adiunctionibus illis nondum ipsis notis, expressè confirmarunt. Maior fuit Pisanorum indignatio atq; hæsitatio, qui mirum in modū in Venetum nomen concitati, & maiorē fraudem metuentes, quam primùm quæ arbitrio continerentur, intellexerunt, eorū milites ab vrbis munitionib. & portis remouerunt: nec amplius in vrbe esse voluerūt, multosq; dies magnopere vtrum arbitrij conditionibus acquiescere deberent dubitarunt, in illam partem cum se ab omnibus desertos cōspicerent timore flectente, in hanc Florentinorū odio, & multò magis propter iniuriarū magnitudinē, & quòd ingentiū illis sumptuū cladiumq; causſa fuissent, ac sæpius in propriæ libertatis discrimen coniecissent, veniæ vnquā consequēdæ desperatione pertinaciter retinētem: qua in dubitatione, & si Mediolanensiū dux, se vt arbitrij cōditiones à Florentinis mitigarentur apud illos curaturū recipiens, ad cedēdum hortaretur, tamen vt nū antiqua cupiditas adhuc in illo vigeret experirentur, & ad liberam illi tunc deditionē faciendā parati, legatos ad eum miserunt: & deniq; pòst longam consiliorum agitationē, potius quæuis extrema experiri quàm sub Florentinorum imperium redire statuerūt: ad quod etiam à Lucensibus, Genuensibus, & Pandulfo Petrucio clàm impellebantur. Nec Florentini, etsi res contrà se haberet, à Mediolanensium duce ad idem hortatos (tam parua integritas, & fides ab eis quos fraude & artibus creuisse opinamur expectatur) suspicione carebant. Florentini verò, Pisarum pactione obtinendarum spe excluſis, opportuna eius ciuitatis expugnandæ occasio dari visa est: idcirco Paulo Vitellio in Pisanum agrum reuocato, apparatus ab illo postulatos diligentissimè adornabant. interea vero Ludouici Sfortiæ pericula indies augebantur, quoniam nec ipsius de pace preces Venetorum animos, odio & lucri spe, in ipsius euertendi

euertendi desiderio constantes, nulla ex parte placarat: nec Maximilianus, ita ad bellum aduersus regem Galliæ promptus erat, vt ad pecuniam sæpe ab ipso petendam sollicitus, imò contrà sæpius iterata promissa, in totum Augusti proximum mensem inducias prorogauit, auxilium suum plus illi quàm diuertendi consilium profuturum: eodem tempore spe adempta, & Sueuico fœderi coniunctus, Heluetijs, ob varias inter ipsos ortas controuersias, Imperij perduellibus declaratis bellum intulit: quod vtrinq; magnis viribus gestum, hinc atq; illinc, varios progressus & magnas cædes habuit: ita vt Ludouicus, iam se, si opus esset, antequam hoc bellum vel victoria vel pactio ne absolueretur, auxilia non posse habere certus esset: & tamen cum Maximilianus se nunquàm cum Galliæ rege vel cum Heluetijs, nisi ipso incluso conuenturum promitteret, ne illum alienaret sæpe nouas pecunias subministrare cogebatur, quam occasionem cum rex Galliæ cognosceret, quantumq; referret, Venetos ac Pontificē coniunctos habere, multorū qui quòd rex nouus & parum pecuniæ abundans esset, Insubriæ bellū in sequentem annū differri consulebant suasionibus neglectis, & cum paucorum mensiū spacio sibi victoriā polliceretur, non magnam pecunię summā necessariam ratus, aliqua pecunia, vt Maximilianum occupatum teneret clàm Heluetijs data, apertè se comparabat: quare Mediolanensium dux, cum bellum sibi imminere perspicuè animaduerteret, summa diligentia & sollicitudine ne in tantis periculis solus esset nitebatur: nam & concordiæ ratione inuenienda, & de reconciliatione cum Venetis iam prorsus diffidebat: neq; in Hispaniæ regib. à se vehementer rogatis, aliquā salutis suæ curam inueniebat: ideo vt omniū aliorum animos eodem tempore experiretur, Galeatium Vicecomitem ad Maximilianum & Heluetios, vt se ad concordiā inter eos conciliandam interponeret misit: & cum Pontifici, Carolotæ pro Cæsare Borgia filio, negocium, quòd puella, vel amore, vel paterna autoritate, vel occultis Galliæ regis consilijs, quamuis ipse secus simularet, ducta, nisi simul Federici patris qui Galliæ regi annuum tributum, & amplas conditiones offerebat res componerentur, ei matrimonio iungi obstinatè recusabat, minimè succedere sciret, illum à rebus trans alpinis se alienaturum sperauit, & vt secum in fœdus alliceret magnopere conatus est, in quod fœdus præter Federicum regem, Florentinos quoque, conuenturos, secq; & reliquos fœderatos illi aduersus Pontificij, imperij vicarios auxilia, & magnam pecuniæ vim, qua aliquod amplum imperium filio emeret daturos promittebat: quæ etsi initio ab Alexandro simulatè audirentur, mox vana apparuerunt: nam ille multo maiora præmia ex Galliæ regis societate sperans, quàm nisi Italia denuò transalpinis exercitibus repleretur consequuturus esset, vt filius Carolatæ matrimonio excluſus, Alibretti, qui quòd ex regia stirpe esset, & ob regnorum suorum amplitudinem, nulli totius Galliæ regulorum erat inferior, filiam duceret annuit. Nec verò Ludouicus de mala Venetorum in se voluntate indies certior factus, qui iam per se maximos faciebat apparatus, Turcarum regem per proprios homines, Federico rege ad idem concurrente, clàm in illos concitare destitit, ratus, ipsos cū eo occupatos, Insubriæ imperio minimè molestos fore, & cū Florentinorū ad Pisanam vrbem expugnandā apparatus cōpertos haberet, ijs auxilijs quæ exoptare possent oblatis, cum trecentis cataphractis & duobus peditum millibus, ea vrbe expugnata, ad se defendendum, deuincire conatus est: & ab altera parte rex Galliæ, vt sibi qningentos grauis armaturæ equites in annum vnum concederent postulabat: se quoq; vicissim Insubriæ imperio occupato, eos mille cataphractis ad illorum bella conficienda annū iuuaturum: & nisi eodem tempore Pisas & reliqua oppida recuperassent, cum Ludouico non conuenturum, quòd si antequàm Insubriam occupasset, ab aliquo molestia afficerentur, Pontificem ac Venetos ipsos defensuros recipiebat: quibus in contrarijs postulatis, cum ob rei difficultatem, tum ob animorum dissensionem, magna erat in Florentinis hæsitatio: nam quum Ludouicus Pisis tantùm recuperatis illorū auxilia postularet, ipsius auxilium longe præsentius & certius erat, quàm quòd Galliæ rex, quod ad Pisanas res attinebat parui momenti habitus promittebat: quia cum illa ciuitas ab omnibus esset deserta, omnes illorum cogitationes ad illam ea æstate consequendam erant conuersæ: mouebat etiam non parum multorum animos recordatio quòd Ludouicus ipsos in periculis iuuisset, vt Venetus senatus cum Galliæ rege fœdus aduersus

illum faceret, in cauſſa fuiſſe: & longè magis ne ipſius petitionibus reiectis indignatus, Piſanam expugnationem, quod haud difficulter potuiſſet impediret, metu mouebantur. Contrà verò, cum illum Galliæ regi ac Venetis, imparem fore cenſerent, regem cuius arma intra non multos menſes totam Italiam peruagatura videbantur, irritare deliberatio periculoſa videbatur: & beneficiorum ab Ludouico, Veneto bello acceptorum, ex quibus verè pericula ſua manare aiebat memoria, illius opera Piſanorum defectionem primum ortam, ipſum eius vrbis potiundæ cupidum per multos menſes illos fouiſſe, & ab alijs tuendos curaſſe, ac Florentinos eo tempore multis iniurijs perſequutum, recordatione facilè delebatur: adeò vt maiores fuiſſent offenſiones quàm beneficia: ad quæ non aliam ob cauſſam deuenerat, niſi quia Venetos ea quæ ſpe & ambitione ductus in animo ſuo propria cenſebat occupaſſe ferre minimè poterat: verebantur etiam ne ſi Ludouico palàm adhæſiſſent, rex per pontificem & Venetos ſibi fœdere iunctos Piſarum recuperationem impediret: idcirco tandem, nec Galliæ regi, nec Mediolanenſium duci adhærere, ſed interea Piſanum bellum cui proprias vires ſufficere arbitrabantur conficere, & tamen ne Ludouico impediendi cauſſam præberent, ipſius artibus cum illo vtentes, eius ſpem quo ad poſſent fouere ſtatuerunt: quare, vbi reſponſum in multos dies diſtuliſſent, reipublicæ ſcribam, qui reipublicæ mentem re ipſa eandem cum ipſius eſſe, verùm aliquam in peragendi ratione differentiam ſignificaret miſerunt, decreuiſſe quidem ipſos Piſis recuperatis, auxilijs quæ poſtulaſſet illum minimè deſtituere, ſed, quòd in liberis ciuitatibus huiuſmodi negocia abſque multorum conſenſu non tranſigantur, ideoque occulta eſſe non poſſint, cum illo palàm ea de re conuenire admodum pernicioſum cenſeri: quoniam re diuulgata, Galliæ regi, vt pontificem ac Venetos Piſanis opem ferre curaret, occaſio daretur, quæ res promiſſum ipſis perniciosum, illi verò inutile redderet: Piſis enim non expugnatis, ipſum iuuare nec tenerentur nec poſſent: eam ob cauſſam, fidem quæ verbis, cum ſummorum ciuium, ex quorum autoritate omnes publicæ deliberationes penderent, conſenſu daretur, ſatis eſſe exiſtimari: nec alia de cauſſa, ſcripto ſecum conuenire recuſari: denique ad ampliorem animorum declarationem, ſi ipſe aliquam rationem, qua tanto periculo vitato eius deſiderio ſatisfacere poſſent oſtenderet, exequi paratos fore. Quo reſponſo quamuis arguto & artificij pleno, quia auxilia à ſe oblata non accipiebant, Ludouicus nullam ſibi in illorum copijs ſpem collocandam cognouit, & ſimul vndique ſpes deficere animaduertit, quoniam ab Romanorum rege ſemper promiſſum auxilium, cum ob illius naturæ varietatem, tum ob Heluetij belli impedimentum, valde erat incertum: & quamuis Federicus quadringentos grauis armaturæ equites, & mille quingentos pedites, Proſpero Columna duce ſe miſſurum promiſiſſet, non tam de voluntate, quia Inſubrię defenſio ipſius quoque intererat, quàm de facultate & tarditate illius dubitabat: & Hercules Ateſtinus ſocer ad auxilium ferendum rogatus, ferè antiqua iniuria, quòd illius opera Rodigiam Polinenſum Veneti retinuiſſent exprobrata, ſibi quòd, cum Venetorum fines Ferrariæ portis ita eſſent vicini, vt propria tecta cuſtodire cogeretur auxiliū ferre non poſſet, diſplicere reſpondit. Omni igitur ſpe quæ ex ipſo nō penderet amiſſa, Anonio, Nouariæ, & Alexandriæ, quæ loca primis Galliæ regis motibus erant expoſita, muniendis, ſollicitè operam dabat, eo conſilio vt Galeacium Sanſeuerinatē cum maxima viriū parte eius furori, & reliquas copias ſub Mantuano regulo Venetis opponeret: etſi non multo poſt vel imprudentia, vel auaritia, vel quod diuinis conſilijs obſiſti non poſſit, à ſe hoc auxiliū alienarit: nam cum Venetos, quibus Baiſettus Ottomannus, terra mariq; incredibili apparatu bellū inferebat, aduerſus tantum hoſtē rebus proprijs tuēdis occupatos, ſibi minimè moleſtos fore, vana perſuaſione credere incępiſſet, & Galeatio Sanſeuerinati, qui marchionem honoris gradu ſibi anteponi ægre ferebat, ſatisfacere cuperet, difficultates mouere, quorundā veterū ſtipendiorum reliquū perſoluere nolle, & fidei atq; obſeruantiæ inſolita ſacramentum & cautiones poſtulare cępit: & quāuis cum poſtea Venetos, quotidie in Brixienſem agrum copias, vt ad arma eodē cum Gallis tēpore mouenda parati eſſent, mittere animaduerteret, per Ferrarienſium ducem cōmunem ſocerum, illum reconciliare tentarit, difficultates non tam

cito

citò ſublatæ ſunt, quin pericula, quæ ſemper maiora apparebant citius aduentarint: quia in Taurinos, vbi Allobrogum dux denuò ſe regi coniunxerat, copiæ quæ circa Aſtam hærebant continenter tranſibant: & Ludouici ſpes ſemper minuebantur: nam Federicus rex, ſiue impotentia, ſiue negligentia, auxilia promiſſa mittere differebat, & ſpes quæ relinquebatur aliqua, Florentinos Piſis expugnatis Paulum Vitellium, cuius virtus in tota Italia maximè celebris erat miſſuros, Galliæ regis diligentia interrupta fuit, qui aſperis verbis ac penè minis cum illorum oratoribus vſus, vt reſp. clam ſcripto, nullum Ludouico auxilium ſe daturam, nulla ab illo viciſſim promiſſione accepta, promitteret, effecit. Quocirca Ludouicus leui ad Venetorum fines ſub Calatiæ comite, defenſione relicta, Galeatium Sanſeuerinatem, cum mille ſexcentis grauis, mille quingentis leuis armaturæ equitibus, decem millibus Italis & quingentis Germanis peditibus, in transpadanam regionem, potius vt oppida vrbesq; tueretur, quàm vt acie ſe opponeret miſit: multis enim de cauſſis moram trahere vtile ducebat, præcipuè verò quia quotidie pacis quam ipſius nomine inter Maximilianum & Heluetios Vicecomes procurabat, negotium perfici ſperabat, qua facta, valida ab illo ſtatim auxilia promittebantur: ſecus autem, non modò auxilium ſperare non poterat, verùm etiam milites in illis partibus conſcribere difficile erat, quoniam motus qui maximi erant, incolas ad id bellum pertrahebant. Nihil vtrinq; in bellicis rebus, donec omnes copiæ ad bellum decretæ, Ludouico Lignino, Eberardo Obignino, & Ioanne Iacobo Triultio ducibus alpes ſuperaſſent, præter leues excurſiones geſtum eſt: nam etſi rex Lugdunum, ſi opus foret in Italiam tranſiturum rumore diuulgato, veniret, per legatos bellum gerere in animo habebat. Gallico autem exercitu omni in quo erant mille ſexcenti cataphracti, quinq; Heluetiorum millia, quatuor Vaſconum, todidemq; ex alijs Galliæ partibus ſimul coniuncto, ſtatim duces decimatertia Auguſti, ad Gareſſij arcem in Tanari ripa poſitam metati ſunt, quam, & ſi quingenti pedites in ea eſſent, non minus defenſorum ignauia quàm tormentorum impetu tantam celeritatem adiuuante, breuiſſimo temporis ſpatio cœperunt: ea capta ad Anonium Caſtellum in regia via inter Aſtam & Alexandriam in Tanari, Gareſſio oppoſita ripa collocatum, ſitu munitum, quodq; ante aliquot menſes à Mediolanenſium duce etiam arte valde confirmatum fuerat, caſtra mouerunt: & quamuis Sanſeuerinas, qui prope Alexandriam in campis caſtra habebat, Gareſſij iactura cognita, nouos ac meliores pedites mittere cupiuiſſet, quia ſeptingenti quos antea impoſuerat tyrones erant, & rei bellicæ expertes, id tamen quia Galli, vt auxilium eò venire prohiberent, ex Monferratenſis marchionis eius loci domini conſenſu, in Feliciano oppido, inter Alexandriam, & Anonium ſito, milites poſuerant, exequi minimè potuit: ideò ijs qui Anonij erant nihilo melioribus re ipſa quàm ſperabatur inuentis, Galli primùm ſuburbio, deinde oppido à quatuor partibus verberato, biduo expugnarunt: deinde arcem quoque omnibus peditibus, qui in eam confugerant cæſis occuparunt: quo magis repentino quàm credidiſſet ſucceſſu, territus Sanſeuerinas, quòd ad timorem excuſandum inutilem peditatum ſe habere, & populos, in Ludouici fide parum firmos animos oſtendere diceret, cum omnibus copijs Alexandrinam in vrbem ſe recepit. Quare Galli eo audaciores facti ad quartum ab vrbe lapidem caſtra locarunt: eodemque tempore Valentiam in qua multi milites ac tormenta erant, Donati Raffagnini Mediolanenſis, in ea vrbe arcis præfecti, Triultij promiſſis corrupti opera cæperunt: ab eo enim per arcem in ciuitatem introducti, omnes milites, partim ceperunt, partim interfecerunt, inter quos Octauianus Sanſeuerinatis nothus frater captus fuit: & erat notatu dignum, hunc eundem præfectum, ante annos viginti, principi Bonę, & paruo duci Ioanni galeatio fide fracta, eodem die quo Gallos in Valentiam vrbem introduxit, Ludouico Sfortiæ Dertonæ portam tradidiſſe: Gallis deinde fulminis more regionem percurrentibus, Baſſiniana, Vicheria, Caſtellonouum, & Ponscoroneus deditionem fecerũt: idem paucos pòſt dies fecit ciuitas & arx Dertonenſis, ex qua Antoniusmaria Palauicinus, qui eam cuſtodiebat, nulla vi expectata trans Padũ ſe recepit: quarum rerum nuntijs Mediolanum perlatis, Ludouicus Sfortia, cum ſe ad tantas angustias redactum, imperiumq; ſuum tanto impetu ruere conſpiceret, vt in tam repentinis calamitatibus accidit, non minus animo quàm conſilio deſtitutus, ad ea remedia

deueniebat,ad quę afflictis in rebus & ad extremam penè desperationem redactis mortales confugientes, periculi potius magnitudinem omnibus notam faciunt, quàm fructum aliquem consequantur: primùm in vrbe quotquot arma ferre possent conscribi iussit:deinde populo, cui ipsius nomen ob multas exactiones odiosissimum erat conuocato, parte onerum illum liberauit, vehementissimis verbis subijciens, si quando nimium se grauatos fuisse existimarent, id nec naturæ suæ, nec auri cumulandi cupiditati, sed temporibus atque Italiæ periculis,quæ primum propter Venetorum potentiam, deinde ob Caroli regis aduentum, se eius imperij in pace & securitate conseruandi, & ijs qui id inuadere vellent obsistendi cupidum, ad ea facienda coëgissent, tribuerent: quòd se nullum patriæ ac populis suis maius beneficium, quàm si vt bellis non infestarentur prospiceret, facere posse existimaret: id autem consilium mirum in modum vtile extitisse, fructus inde perceptos clarissimè demonstrasse, quòd tot annos se gubernante in summa pace & tranquillitate essent versati: qua eius vrbis magnificentia, opes, ac splendor, maximè aucta erant,cuius rei,ædificia, pompas,tot ornamenta, & artium incolarumque penè infinitam multitudinem auctam, manifestissimam fidem facere: quibus rebus Mediolanensis ciuitas eiusque imperium reliquum, non modò non cederent, sed omnes reliquas Italiæ vrbes regionesque superarent: se nulla in ipsos crudelitate vsum recordarentur: quantaque mansuetudine ac benignitate, semper quoslibet audiuisset, & à se solùm inter omnes eius ætatis principes, nullis corporis laboribus vel molestijs vitatis, per se ipsum publico iuridicundo constitutis diebus,omnibus æquum ius citra vllam moram administrasse: patris, qui illos potius vt filios quàm vt subiectos rexisset merita beneuolentiamque memoria repeterent: & quàm Gallorum superbum insolensque imperium acerbum esset futurum, sibi ob oculos ponerent: qui propter Galliæ regni vicinitatem, si eam regionem occupassent, quemadmodum aliàs eadem gens de tota Longobardia fecerat, veteribus habitatoribus pulsis firmam perpetuamque populorum suorum sedem essent facturi: idcirco rogare illos, vt animis à barbaris inhumanisque moribus alienatis, simul & patriam & propriam salutem defendendam susciperent: nec dubitandum esse, quin si ad breuissimum tempus, prima pericula sustinere niterentur, facilè esset obsistere, quòd Galli maiore ad inuadendum impetu ferrentur, quàm in perseuerando constantes essent: quòdque ipse absque mora ab Romanorum rege, qui rebus iam cum Heluetijs compositis, vt ipsemet auxilio veniret se comparabat, valida auxilia expectaret: & copias quas Neapolitanus rex cum Prospero Columna mittebat, iam in itinere esse, Mantuanum verò, omnibus difficultatibus cum illo compositis iam cum trecentis grauis armaturæ equitibus Cremonensem agrum ingressum se certò existimare: quibus rebus si populi sui alacritas & fides accederet, se ab hostibus etiamsi præter illum exercitum, totius Galliæ vires simul coniunctæ essent, tutissimum censeret: quæ verba maiori attentione quàm fructu audita, non magis quàm arma Gallis opposita profuerant, quorum metu, periculi à Venetis qui bellum in Giaradada mouerant, & Carauagium oppidum aliaque Abduæ vicina occuparant, imminente contempto, Calatiæ comitem, cum maiore copiarum ad eam regionem tuendam missarum parte reuocauit, & Papiam vt Galeatio ad Alexandriæ defensionem iungerentur, ire iussit: sed iam ab omni parte illius pernicies accelerabatur: nam Calatinus comes, Galeatium minorem natu fratrem, militari quoque exercitatione inferiorem, in exercitus imperio omnibusque honoribus & gratia, sibi anteponi indignatione, innumerorum ab se & fratribus beneficiorum ab Ludouico acceptorum memoriam in illo superante, antea clàm cum Galliæ rege conuenerat. Aliqui huius fraudis nuncium, iam aliquot menses ante ad illius aures peruenisse asserunt, quo audito cum aliquandiu tacitus cogitabundusque fuisset, tandem cum gemitu ei qui id significauerat, non posse sibi tantam ingratitudinem persuadere respondisse: quæ si tamen vera foret, qua nam ratione cauendum esset, si vel ab

inti-

intimis pluribusque beneficijs affectis proderetur, cui amplius fidere posset ignorare, se non minorem minus ue pernitiosam calamitatem existimare, vana suspitione, se fidorum hominum opera priuare, quàm incauta credulitate, illorum se fidei committere, qui suspecti esse debebant. Sed dum Calatinus pontem ad Padum vt fratri coniungatur facit: & rem artificiosè protrahit: dum ponte facto transitum differt, cum interea Galli iam biduum circa Alexandriam fuissent, eamque tormentis percuterent, Galeatius cum quo erant mille ducenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, & militum tria millia, tertij diei nocte cum nullo alio præfecto præterquam cum Lucio Maluetio, consilio communicato, leuis armaturæ equitum parte comitatus clàm Alexandria diffugit, magnoque suo dedecore, nec minore Ludouici prudentiæ infamia, quantum generosum equum tractare, aut in ludicris equitum certaminibus publicisque spectaculis magnas hastas vibrare, (quibus in rebus cunctos Italos superabat) & exercitui præesse inter se differant, & quanto cum proprio detrimento principes qui in ijs quibus res grauissimæ committuntur eligendis, magis gratiam quàm virtutem intuentur & spectant, decipiantur, documento fuit. Quamprimùm autem Galeatij discessus per vrbem Alexandriam notus fuit, reliquæ copiæ omnes aut in fugam se conijcere, aut latebras quærere cæperunt: qua occasione Gallicus exercitus sub solis ortum ingressus, non modò milites qui reliqui erant spoliauit: sed militari licentia totam vrbem diripuit. Fama est Galeatium literas cum Ludouici Sfortiæ nomine scriptas ac eiusdem signo obsignatas, quibus quoniam motus aliquis Mediolani esset exortus, quamcitissimè cum omnibus copijs eò aduolaret imperabatur, accepisse, & aliqui postea à Calatino, vt hac arte Gallis victoriam faciliorem redderet, conscriptas suspicati sunt: quas deinde Galeatius quasi illis literis, non vt exercitum incolumen, idque si effici posse animaduerteret adduceret, sed vt temere eum desereret, iniunctum fuisse, ad defensionem suam ostendere solebat: id autem non tam certum est, quàm quòd si in Galeatio, vel imperatorium consilium, vel militaris animus fuisset, facile ijs copijs quas habebat Alexandriam, & maximam transpadanarum rerum partem defendere potuisse omnibus notum est, imò fortasse etiam aliquo felici successu vsus fuisset: quia cum antea paucos dies Gallici exercitus pars, Burmiam amnem traiecisset, & maximis imbribus, inter duo flumina Burmiam & Tanarum intercluſa esset, Galeatius quamuis, aliquot ipsius leuis armaturæ equites, ponte qui Tanaro impositus suburbium vrbi coniungit egressos, & in illos profectos, penè primum agmen fugasse, illi significatum esset, eos inuadere non est ausus. Alexandriæ iactura, omnem reliquam Insubriam nouis calamitatibus singulis horis oppressam terruit: nam & Galli Pado traiecto, ad Mortariam castra posuerant, vnde Papienses cum illis conuenerant, & Venetorum copiæ Carauagij arce capta, & Abdua fluuio nauali ponte traiecto, Laudem Pompeiam vsque excurrerant, iamque penè omnia reliqua oppida tumultuabantur: nec Mediolani minor quàm alibi erat perturbatio ac terror, quoniam tota ciuitas consternata, arma sumpserat, idque tam parua erga principem suum reuerentia, vt cum meridie Antonius Landrianus summus ipsius ærarij præfectus ex arce, vbi cum illo fuerat, prodiret, siue priuato odio, siue eorum qui rebus nouis studebant voluntate, in publica via fuerit interfectus: quo casu Ludouicus, maximo vitæ suæ metu correptus, & omni obsistendi spe deiectus, Mediolanensi arce cum firmo præsidio relicta, vt presens periculum vitaret, & quemadmodum aiebat, Maximilianum, qui iam pacem cum Heluetijs vel confecerat, vel certè pro facta habebat, ad se iuuādum vrgeret, cum liberis in Germaniā ire statuit. Hoc consilio capto, statim filios Ascanio, qui nō multos dies ante vt fratris rebus quatenus posset opem ferret Roma venerat, & Sanseuerinate Cardinalibus comitibus adiunctis, discedere iussit, & vnà cum illis Gazam solito valde diminutā misit: manifestum enim est, annis octo ante id tempus, quum Ludouicus ad potētiam suam ostentandam,

legatis alijsq; multis ærarium ostendisset, in numerata pecunia & aureis argenteisque vasis, ad quindecim millium auri pondo summam ascendere repertum fuisse: præter gemmas quarum magna erat copia: hoc autem tempore hominum opinione duo millia auri pondo non multum excedebat. Post filiorum discessum, omnibus domesticis ac familiaribus dissuadentibus, Bernardino Curtio Papiensi veteri suo alumno, qui tunc quoq; arci præerat, huius fide Ascanij fratris, qui se eam curam suscepturum pollicitus erat fidei anteposita, arcis custodiam commisit, & tria peditum millia sub fidis ducibus cum commeatu, tormentorum puluere, pilis, alijsque rebus necessarijs, & pecunijs, ad multorum mensium defensionem idoneis reliquit: cumq; in Genuensibus rebus, Augustino Adurnio tunc prefecto, & Ioanni fratri, cui Sanseuerinatium soror matrimonio iuncta erat fidere statuisset, arcis tesseram ad eos misit. Borromeis Mediolanēsibus nobilibus, Angleriam, Aronam, aliaq; ad Verbanum lacum oppida quæ illis occupauerat restituit: & Isabellæ Aragoniæ, quondam Ioannis Galeatij ducis vxori, dotis ipsius nomine Barriensem ducatum, & Rosanensem principatum prò triginta ducatorum millibus donauit, quamuis illa paruum Ioannis Caleatij filium, quem ipse cum suis in Germaniam duci cupiebat, concedere noluisset: & vbi his rebus constitutis tandiu moratus esset, quàm se id tutò facere posse duxit, ciuitate iam se ipsam gubernante, secundo Septembris die, Atestino cardinale, & Galeatio Sanseuerinate, & vt iter tutum haberet Lucio Maluetio, cum grauis armaturæ equitum ac peditum non paruo numero comitatus, cum multis lacrymis Germaniam versus contendit: & vix dum arce egressus erat, quum Calatinus perfidiam suam colore aliquo tegere conatus, illi obuiam factus dixit, postquam ipse imperium suum deserebat, se ipsius militari sacramento liberatum suiq; ad quamuis conditionē arripiendam iuris esse, existimare: & repente se nomine & signis Galliæ regis militē declarauit, & cum eadem turma quam Ludouici ære cōparat conseruaratq;, ad illius stipendia transiuit: Ludouicus aūt Como, vbi arcem in populi potestate reliquit, lacu Bellagium vsq; profectus est: deinde pedibus Bormium, & per ea loca, in quibus olim quum in tanta gloria & felicitate collocatus esset, Maximilianum potius tanquam suum ac Venetorum exercitus ducem, quàm vt Romanorum regem in Italiam venientē acceperat iter fecit, inter Comum ac Bormium Gallicæ copiæ & Calatiæ comitis turmæ illum persequutæ sunt, ex quibus locis, præsidio in Tirani arce, quam post paucos dies Rheti occuparunt relicto, Oenipontem versus, vbi Cæsarem esse audiebat contendit. Post Ludouici discessum Mediolanenses, legatis statim ad exercitus duces, qui iam cum copijs ad sextum ab vrbe lapidem aberant, missis, illos sponte admittere pacti sunt, compositionis conditionibus in regis aduentum dilatis, à quo suæ vtilitatis tantummodò ratione ducti, immoderata priuilegia immunitatesque sperabant: idem absq; mora omnes reliquæ Mediolanensis imperij vrbes & oppida fecerunt: Voluit & Cremonensis ciuitas, (quum à Venetorum copijs à quorum imperio abhorrebat obsideretur) idem facere: sed quum rex pacta cum Venetis facta nollet infringere, illis se se dedere fuit coacta: Genua, populo, Adurnijs, & Ioanne Ludouico Fliſco singulis certatim, eam sua opera regi dedi volentibus, eandem propensionem sequuta est. Et vt in Ludouicum, non modò tam repentina tamq; magna, adeo nobili ac potenti imperio, viginti dierum spatio amisso calamitas, verùm etiam omnia ingratorum exempla extarent, Mediolanensis arcis præfectus, quem ipse inter omnes suos velut fidissimum elegerat, ne vnò quidem tormenti ictu, vel aliqua oppugnationis specie expectata, duodecimo post eius discessum die, arcem quę expugnari minimè posse credebatur, Galliæ regi, magna pecuniæ summa, centum cataphractorum præfectura perpetua, & multis alijs muneribus ac priuilegijs in tantæ perfidiæ præmium acceptis tradidit, sed cum tanta infamiæ nota, tantoq; etiam apud Gallos odio, vt illius familiaritate, velut pestiferæ atq; abominandæ feræ ab omnibus reiecta, quocunq; veniſſet contumelioſis verbis irrisus, pudoreq; & conscientia potentissimis certissimisq; facinorosorū hominum flagellis cruciatus, non multò pòst dolore confectus, vitam reliquit. Huius infamiæ, duces qui cum illo erant in arce relicti, & præsertim Philippinus Fliscus, qui cum ducis esset alumnus, & ab illo tanquam fidissimus relictus, quum præfectum ad tuendam arcem hortari debuisset ingentibus promissis obcæcatus, contrarium suasit:

& cum

& cum Antoniomaria Palauicino, qui regis nomine intererat, deditionẽ tractauit, participes fuere. Rex aũt tantę victoriæ, longè citius quàm sperauerat partæ, Lugduni acceptis nuncijs maximis statim itineribus Mediolanum contendit, vbi ingenti plausu acceptus, multorum vectigaliũ immunitatẽ concessit, qua tamen populo in desiderijs intemperanti, qui omnium rerum immunitatem animo conceperat, non penitùs satisfactũ est. Multis Insubriæ nobilibus viris prouentus dedit, inter quos, Ioãnis Iacobi Triultij meritis perspectis, Vigeuenum cum multis alijs rebus ei cõcessit. Eodem verò tẽpore, quo rex Galliæ in Mediolanensium ducem arma mouebat, Paulus Vitellius, Florentinorũ copijs apparatibusq; collectis, quo facilius deinde Pisarũ expugnationi incũbere posset, ad Cascinã castra metatus est: quam etsi propugnatoribus, alijsq; reb. necessarijs, & fossis, aggeribus, ac propugnaculis satis esset munita, tamẽ vbi tormẽta collocata fuerũt 26. horis cepit, quia oppidanis, magno tormẽtorum in debilibus muris progressu territis, peregrini milites qui intus erant, vt illos anteuerterent, suam tantùm & rerum suarũ incolumitatẽ pacti, oppidanis ac Pisanis militib. & legatis, victoris arbitrio permissis, deditionẽ fecerũt. Deinde, Tubicinis internũcio, turris, ad Arni hostij custodiã ędificata, & Stagniuallum à Pisanis desertum, dedita sunt, adeõ vt in toto agro, Pisani præter Verruculæ arcem & paruam Ascani turrim, propter Arni, expugnare eas volentibus traijciendi incommoditatem, & auxilij ex vicina vrbe capiendi facilitatem, & quia tempus ibi terere nullius ad rerum summam momenti erat, ab hostibus non tentata, nil possiderẽt. Solæ itaq; Pisæ expugnandæ relinquebãtur, quæ res ab ijs qui prudenter ponderarent, ob vrbis munitiones, & propugnatorum numerum, virtutem, & pertinaciam, minimè facilis factu credebatur: nam etsi Pisis præter Gurlinum Rauennatem & alios paucos, qui Venetorum stipendijs eò perducti, post Venetarum copiarum discessum sponte remanserant, nulli essent peregrini milites, ciuium tamen & agrestiũ hominum numerus erat copiosus, & virtute haud contemnẽdus, quoniã quinquennij perpetua experientia, penè omnes bellis apti erant, tamque obstinato sub Florentinorum iugum minimè redeundi proposito, vt quamuis aliam grauissimam calamitatem minorem existimaturi essent. Vrbis mœnia fossas nullas habebant, sed erant admodum crassa, & ex lapide antiqua structura, ob calcis quæ in ea regione fit vim, ita conglutinata, vt cum magis quàm reliqui muri, soliditate sua tormentorũ impetum sustinerent, ijs qui defendebant, prius quàm diruerentur, multum ad prouidendũ spatij præberent: & tamen Florentini, Paulo Vitellio, & Ranutio Martiano idem suadentibus, & eius quindecim dierum spacio capiendæ spem facientibus, eam oppugnare statuerunt: quare decem peditum millibus, multisq; equitibus collectis, & ex ducis præscripto, multis apparatib. factis, ipse vltima Iulij, non quemadmodũ à multis monebatur, & vt Florentini instabant, ab ea Arni parte qua Lucensium auxilia impediri poterant, sed ab altera fluuij parte, contra Stampatium propugnaculum, siue quòd eo propugnaculo occupato victoriam faciliorem reddi arbitraretur, siue ad maiorem commeatus qui ex castellis in collibus sitis ferebatur opportunitatem, siue quòd Pisanos illum nunquam ad eam partem accessurum ratos, nullũ propugnaculum: quemadmodũ ab alia parte ædificare cæpisse, cõperisset, exercitum admouit. Stampatiũ propugnaculũ cum mœnibus, longissimo ad dextrã & sinistrã tractu, hoc est à D. Antonio, ad Stampatium, & inde ad Portam, quæ maritima dicitur, iuxta Arni ripam positam vsq;, viginti maioribus tormentis verberari cęptum est: Pisani verò contrà, assiduis dierum ac noctium absq; intermissione laboribus, mulieribus etiam, huic operi pertinacia, & animo, minimè viris inferiori incumbentibus, paucissimorum dierum spacio, intra murum qui verberabatur, aggerem, magnitudine & altitudine insignem, & profundissimam fossam, multorum dum operabantur, ex tormentorum vel directis vel repercussis ictibus, vulneribus ac cæde, quæ pestis, pariter & in castris milites, ab Vrbanis tormentis, & præcipuè vno quem passauolantem vocitant in Martiana turri collocato ita percutiebat, vt totis castris vel terram quò se tegerent extollere, vel in fossis delitescere cogerentur, minimè territi fecerunt. Res plures dies, hac ratione processerunt: & quamuis à diuo Antonio ad Stampatium, magna pars muri esset diruta, & id propugnaculum, eò redactum, vt Vitellius id absque magna difficultate capi posse speraret, tamen vt victoriam sibi faciliorem compararet, à Stam-

patio ad maritimam vsq; portam verberando perseuerabat, leuioribus interea crebro, inter percussum murum & aggerem, tanto spacio, vt Stampatium totum extra aggerem relinqueretur à mœnibus distantem, prælijs comissis, in quorum vno, Ranutius Iclopet ti glande vulneratus fuit: ducis consilium erat, Stampatio occupato, in eo, & in verberato muro tormenta collocare, quibus cum tota ea pars quam Pisani tuebantur, à latere peteretur, penè certam victoriam sperabat: eodemque tempore, muri partem inter Stampatium & aggerem interiectam, quæ prius scalpris excisa, ligneis fulcris sustinebatur, aggerem versus, vt fossa repleta ascensus militibus facilior esset, deijcere. At Pisani qui in defensione Gurlini consilia sequebantur, Sanctantonium versus, nonnullas subterraneas cellas in fossa, quibus hostes si fortè descenderent, ab ea replenda prohiberent fecerant, & in munitionibus multa tormenta ibidem collocarant: & vt si res in angustum deueniret, propria corpora hostibus obijcerent, pedites iuxta aggerem esse iusserant. Tandem Paulus Vitellius, decimo obsidionis die, cum Stampatij expugnationem vlterius differre nollet, mane sub auroram oppugnatione incæpta, etsi milites ab arcis, quam veterem Citadellam vocãt, tormentis læderentur, celerius faciliusq; quàm sperauerat, eo potitus est: idq; tanto cum Pisanorum terrore, vt aggeribus desertis tota vrbe in fugam conijcerentur: & multi, atq; inter eos Petrus Gambacurta, nobilis ciuis, cum quadraginta Hyppotoxotis, qui sub illo militabant, Pisis aufugerent: & nisi magistratus ad portas obstitissent, longè plures aufugissent: manifestissimumq; est, si vlterius progressi essent, eo die summa cum imperatoris gloria victoria potituros fuisse: cui is dies, qui ipsius calamitatum origo fuit, felicissimus extitisset: is enim, insperata occasione quę offerebatur, vt ipse postea excusabat, minimè cognita, nec opugnationem omnibus copijs eo die adoriri, nec aliud quàm turrim illam occupare constituisset, non modò milites ad aggerem vbi obstaculum nullum reperissent inuadendum non misit, sed maximam peditum partem, qui Stampatij occupatione audita, vrbis diripiendę cupidi tumultuariè vt eam ingrederentur accurrebant, reuocauit: intera verò Pisani, hostes victoriam minimè sequi, fama per vrbem volitante, miserabilibus mulierum ad mortem potius oppetendã quàm sub Florentinorum iugo vitã conseruandam hortantiũ fletibus clamoribusq; concitati ad aggerum custodiã redire cæperunt: quò reuersus Gurlinus, ex parua Stampatij turri quæ in vrbem spectat, viam quæ ad maritimam portam, quam antea terra & lignis obstruxerant, & castra versus, sed non ab altera parte, qua Stampatium spectat munierant, tenderet, esse animaduertens, statim id latus, muniri ac repleri curauit, tumulo aggesta terra extructo, tormentis quæ latus verberabant, ingressum ab ea parte impediebat. Paulus Stampatio occupato, aliquot minora tormenta, quos falconettos & passauolantes vocant, eò attolli curauit, quæ per totam vrbem iaculabantur, sed munitiones non lædebant, quæ etsi ab infra positis tormentis verberarentur: non tamen à Pisanis deserebantur: eodemque tempore subterranea cella Antonij fanum versus, & maritima porta, cum munitionibus impetebantur: nec Paulus Vitellius, vt fossam lignorum fasciculis, quo aggeris expugnatio facilior redderetur repleret conari desinebat: contra quæ Pisani, ad quorum auxilium proxima nocte trecenti pedites Luca missi erant, animo aucti, artificiosos ignes in fossam proijciebant, & cùm summo studio, vt hostes ad Stampatiũ propugnaculum deserendũ cogerent niterentur, ingens tormentũ, Bufalũ nuncupatum eò direxerũt, quo paucis ictibus, vt tormenta in summitate posita remouerentur effecerũt, in quo & si Paulus aliquot tormenta, quorũ ictibus anterior eius pars fracta fuit, direxisset, tamen à iaculando minimè desistens pluribus diebus turrim ita lacerauit, vt Paulus tandem tormenta inde abducere eamq; deserere coactus sit: nec succisus murus alium habuit euentum, quoniam cum eum Pisani quoq; ab interiori parte, vt in fossam caderet suffulcissent, quum Paulus eum deijcere vellet immotus stetit. Hic euentus ducem, victoriæ tandem adipiscendæ spe minimè dejecit, quam cum morem suum secutus, tutissimam & quamminimo exercitus detrimento quæreret, quàmuis pluribus locis, iam suprà quingẽtas muri vlnas diruissent, perpetuò magis verberando, vrbis fossis replendis, & Stampatio propugnaculo, vt iterum tormenta quibus magnos à Pisanis extructos aggeres à latere verberare posset, ibi collocaret, muniendo incumbebat, omniq; peritia & arte sua semper tutiorem ad eã quam totis

totis castris & viribus moliebatur oppugnationẽ, viam munire nitebatur, quam, & si res eò perduxisset, quotiescunq; fieret victoriam valde speraret, & Florẽtini legati, quibus quælibet minima cunctatio erat molestissima, continuis Florentia literis ac nuntijs incitati, vt accelerando impedimenta quæ singulis horis oriri possent anteuerteret assiduè vrgerent, tamen quo magis & magis vt exercitus incõmoda minuerẽtur, certiorq; esset victoria, libenter differebat: quod Pauli consiliũ, fortè prudentius & magis ex militari disciplina, contrariam habuit fortunam: nam quum Pisanus ager, inter proximã maritimam oram & vrbem, stagnis paludibusq; plenus, ea anni tempestate, & præsertim in ea parte vbi castra habebat, pestiferis ventis sit obnoxius, biduo innumerę ægritudines exercitũ inuaserunt: quibus quum Paulus oppugnationẽ adoriri voluit, quod fuit xxiiii. Augusti, tantum militum numerum inutilẽ factum animaduetit, vt qui bona erant valetudine non satis multi essent: quod incommodum quamuis Florentini, & ipse morbo vt reliqui oppressus, nouis militibus conscribendis sarcire conarentur, tamẽ aëris intẽperies adeò superabat, vt diminutio quotidie supplemẽto maior esset: quare ad extremũ, victoriæ consequendæ spe deiectus, aliquam etiam cladem veritus, Florentinis qui vt idoneo in Stampatij propugnaculo præsidio posito, cum exercitu prope Pisas morarentur cupiebant, vehementer repugnantibus, exercitum retrahere statuit: ac quod Stampatia turris, primùm ipsius deinde Pisanorum tormentis vehementer cõcussa, defendi non posset, illorũ votis minimè acquieuit: ea igitur deserta quarto Septẽbris die omnes copias ad maritimã orã perduxit, & quia itinera imbribus inundata erant, tormenta terra Cascinam vehi posse diffisus, ad Arni ostiũ, vt Ligurnum veherentur nauibus impo, suit, & fortuna se omnibus in rebus aduersa præbente, illorũ pars submersa est: quæ nõ multo pòst in Pisanorum à quibus eodẽ tempore turris quæ ad ostij custodiã posita est, capta fuit, manus peruenerunt: qui casus, à popũlo Florentino iam de Paulo sinistrã cõceptam opinionẽ ita auxerunt, vt intra paucos dies, copiarũ per æstiua distributionis cõstituendæ specie, ab legatis Cascinã vocatus, supremi vrbis Magistratus imperio ab illis captus: indeq; Florentiã missus, & eadẽ nocte qua eò perductus est, quæstionibus acerbè vexatus, sequenti die eiusdem Magistratus iussu securi percussus fuerit, & parum abfuit quin vnà cum ipso & frater ipsius ad quẽ legati eodem momento, qui eum caperẽt miserunt, in eandẽ calamitatẽ, inciderit: sed Vitellotius, ita vt erat, morbo circa Pisas cõtracto æger, dũ imperio se parere velle fingens strato egreditur, dum se induendo tempus interponit: aliquot suorũ qui accurrerũt ope equo conscenso, Pisas vbi summa cum lætitia acceptus est, contulit. Præcipua Pauli damnationis capita hæc fuerunt, quo minus Pisę quo die Stampatium propugnaculum captum fuit, caperentur, ipsius factũ esse voluntate: eadẽ de causa ipsorũ oppugnationẽ tãdiu distulisse, sæpius Pisanos homines ad se missos, illorũ legationibus nunquam legatis cõmunicatis, audiuisse: contra publicum imperiũ exercitũ remouisse: Stampatiumq; deseruisse: aliquẽ ex alijs militũ præfectis, ad Cascinam, Vicum Pisanum, & tormenta, quo in stipendijs aliisq; cõditionibus Florentinos vt visum esset tractare possent, secũ occupãda inuitasse: in Casentino occulta cum Mediceis cõsilia habuisse: eodẽq; tempore cũ Venetis egisse ac penè cõueniisse, quamuis vt illis statim sacramenti sui cum Florentinis tempore exacto, cuius iam prope finis aderat militare inciperet, quod eam ob causam perfectum non fuit, quia Veneti, pace cum Florentinis inita, illum neglexerant: his de causis Vrbinatium ducem, & Iulianum Medicem cum publica fide dimisisse: quibus de rebus interrogatus, nihil quod illi obesse posset fassus est: & tamen ne Galliæ rex qui iam Mediolanum venerat, ipsum sibi condonari peteret veriti, supplicium accelerarunt: diutius interrogatus non fuit: nec quisquam ex ipsius ministris, qui post eius necem commodius in quæstionẽ vocati sunt, aliud fassus est, quàm illi ob Ranutio ad æmulationem ipsius concessam autoritatem, ob necessariarum rerum quas petebat ministrandarum, interdum etiam difficultatem, nec non ab ea quæ vulgo Florentiæ in ipsius ignominiam iactabantur, eum haud parum in Florentinos fuisse comotũ: vnde etsi apud aliquos, illũ quasi ad Pisarum principatũ, & ad aliquã aliam Florentini imperij, in quo multos cõscios & amicos fouebat, partem occupandam aspiraret, non sincerè se gessisse, opinio resideret: tamen in maxima parte contraria fuit opinio, qui sibi persuaderent, illum gloriæ, quæ belli du-

cum prę cipuus ſcopus eſt, quanquam ea re geſta maximã adipiſcebatur, cauſſa Piſarum expugnationis ſummoperè cupidum fuiſſe. Ad regem verò, qui Mediolanum venerat, præter Federicum omnes Italiæ principes, aut ipſimet, aut per legatos, alij vt tantummodò victoriam gratularentur, alij vt maioris in Ludouicum Sfortiam quàm in ipſum propenſionis crimina diluerent: alij vt res ſuas in poſterum cum illo firmarent, concurrerant: quos omnes benignè accepit, & cum omnibus fœdera, pro ſtatutuum varietate, & pro commodorum quæ ab illis ſperare poterat ratione, diuerſa. Mantuanum marchionem in clientelam ſuam recepit: eumque centum cataphractis præfecit, & diui Michaelis equeſtri ordine, honeſtoque ſtipendio donauit. Ferrarienſium verò ducem (nam & is & Mantuanus ad eum iuerant) quia ex eo tempore quo Genuæ arcem Ludouico Sfortiæ tradiderat, ſemper à rebus Gallicis animo alieno habitus fuerat, non ſine ſumptu & difficultate, in clientelam admiſit. Admiſit etiam præterea, accepta tamen ab illo pecunia, Ioannem Bentiuolum qui Annibalem filium miſerat: ſed maiore ſumptu ac difficultate Florentinorum res, quibus penè tota aula, illorum meritis, & ijs quæ Gallicę amicitię cauſſa ſuperioris regis tempore paſſi erãt obliuioni traditis, & illorum rationibus, quòd ne Ludouicum Sfortiam in Piſanis rebus in ſe prouocarent, nullius partis eſſe coacti fuiſſent, minimè probatis infenſa erat, compoſitæ ſunt: in Gallorum namq; pectoribus, opinio eo tempore, quo Carolus rex Piſanis libertatem conceſſerat concepta, adhuc vigebat: & in præfectis ac militaribus viris, Piſanos in armis ſtrenuos eſſe fama vbiq; peruagata, propẽſionem erga ipſos auxerat. Oberat præterea Florentinis Ioannis Iacobi Triultij autoritas, qui cum Piſarum imperium affectaret, illorum cauſſæ fauebat: illi verò vel ipſum vel quemuis alium, qui ſe à Florentinis tueri poſſet, libentiſſimè dominum accepiſſent: ob Pauli quoq; Vitellij necẽ, quaſi tantum belli ducem, cui Gallia quòd dum in regno Neapolitano Caroli ſtipendijs militarent, frater eius interfectus & ipſe captus fuiſſet, deberet, ſine cauſſa obtruncaſſent, à tota aula lacerabantur: ſed tandem vanis rebus in regis animo propria vtilitate ſuperatis, fœdus ictum eſt, quo rex illos ſexcentis cataphractis, & quatuor peditum millibus, aduerſus quemuis iuuandos ſuſcepit: & Florentini viciſſim, ad illius in Italia regna tuenda, quadringentos grauis armaturæ equites, & tria peditum millia promiſerunt: rex verò quotieſcunq; petijſſent, tot cataphractos ac tormenta, quod ad Piſas & oppida à Senenſibus & Lucenſibus occupata, (excipiebat enim rex ea quæ Genuenſes poſſiderent) recuperanda opus eſſent, illis ſuppeditare teneretur: quòd ſi hæ copiæ non antè ab illo peterentur quum exercitum ad Neapolitanum bellum miſſurus eſſet, totum vel partem ad hoc bellum conficiendum conuerteret: ipſi verò Piſis receptis, quingentos grauis armaturæ equites, ad Neapolitanum bellum, & quingenta auri pondo quinque Heluetiorum millibus in tres menſes conducendis penderent, trecentas & ſexaginta auri libras, quæ ab Ludouico Sfortia mutuò acceperant, ex Ioannis Iacobi Triultij ſententia, ijs quæ pro ipſo ſoluerant vel inſumpſerant detractis, reſtituerent: Romanæ vrbis præfectum, Hoſtienſis cardinalis fratrem, in cuius gratiam hoc poſtulatum fuit, omnibus copijs ſuis præficerent. Pontificis ambitio in tanta opportunitate minimè dormitabat, quo promiſſorum obſeruationem vrgente, rex Valentino duci qui vnà ſecum ex Gallia venerat trecentos cataphractos ſub Iuone Alegria proprijs ſumptibus, & quatuor Heluetiorum millia, ſub Diuionenſi præfecto pontificijs ſtipendijs, contra Aemiliæ Flaminiæq; vicarios conceſſit. Aemiliæ Flaminiæq; vrbes, vt & aliæ pontificio imperio ſubiectæ, varijs caſibus vexatæ, iam multos annos reipſa ferè tanquam à Pontificum imperio diſiunctæ ſuas res agebant: quoniam nonnulli vicarij, ſupremo domino tributum nõ pendebant: alij difficulter & ſæpe extra tempus, omnes autem æquè absq; Pontificum venia, nulla aduerſus põtificium imperium militandi exceptione interpoſita, ſui etiam contra Pontificum autoritatem armaque defendendi ſtipulatione ab illis accepta, aliorum principum ſtipendia ſequebantur: à quibus, vt illorum regnorum armis & opportunitate frui poſſent, nec non, vt Pontificum potentiæ incrementum impedirent cupidè admittebantur: Hoc autem tempore, Rauenna & Ceruia in Aemilia à Venetis poſſidebantur: quibus ante multos annos, Polentanæ familiæ homines, qui cum primum priuati Rauennæ eſſent ciues, patriæ ſuæ tyranni, deinde vicarij facti fuerant, priuauerant:

Fauen-

Fauentia, Forumliuij, Imola & Arimium, singulæ suis Vicarijs parebant: Cesena diu à Malatestiorum familia possessa, non multos annos ante Dominico postremo eius vrbis vicario sine liberis defuncto, sub Pontificum imperium redierat. Idcirco Pontifex, illas vrbes varijs de caussis ad Pōtificatum deuolutas, seq; eas in pristina iura restituere velle asserens, re autem vera, vt Cæsari filio subijceret, cum Galliæ rege, vt Insubriæ imperio occupato, sibi ad eas tantùm quæ à vicarijs possiderentur, & præterea Pisaurum, in qua vrbe Ioannes Sfortia olim gener ipsius erat vicarius, capiendas, auxilium daret conuenerat: neque enim Venetorum magnitudo, hæc consilia ad ipsos extendi patiebatur: nec tunc ad parua quidem illa oppidula, quæ Pado flumini adiacent, in Ferrarienſium ducis potestate posita spectabant. Valentinus igitur copijs ab rege acceptis, ijsque Pontificijs militibus additis, Aemiliam ingressus statim sub anni 1499. finem, Imolam deditione cepit: quo anno Italia tot motibus concussa, Turcica quoque arma senserat: nam quum Baisetus Ottomannus ingenti classe, mari loca quæ Veneti in Græcia possidebant inuasisset, sex equitum millia terrestri itinere ad Forijulij regionem diripiendam misit: quam absque præsidio vtpote nihil tale metuentem inuentam, diripiendo & incedendo ad Liquentiam amnem vsque excurrerunt, & innumeris mortalibus captis, quum in regressu ad Tiliauenti ripam peruenissent, vt in itinere expeditiores essent, ea parte quam secum ducere posse existimarunt conseruata, reliquos omnes crudelissimè trucidarunt: & rebus in Græcia quoque parùm prosperè succedentibus, Antonius Grimannus Venetæ classis, quam Turcicæ opposuerunt imperator, quòd hostes, quum ab Sapientiæ portu egrederentur, & iterum, ad Lepanti sinus fauces, vincendi occasione vsus non esset, accusatus, successore ei dato Senatusconsulto Venetias est reuocatus: caussaque Senatui Rogatorum permissa, in quo multos menses summa expectatione, hinc illius autoritate & amplitudine defendente, illinc accusatoribus, multis argumentis ac testibus persequentibus acta est: tandem quum, siue viri autoritate, & propinquorum multitudine, siue quòd in eo Senatu, cui multi prudentes viri interſunt, non tam publici rumores, & non satis probatæ calumniæ, ponderarentur, quàm maturo iudicio rei veritas indagaretur, fuit hæc caussa per tribunos plebis quos communis Aduocatores appellant, ad maiorum comitiorum iudicium deducta, vbi vel gratia cessante, vel multitudinis leuitate Senatoriam grauitatem superante, non tamen ante sequentis anni finem, perpetuo exilio in Ossaram insulam relegatus fuit. Tantos motus habuit annus 1499. sed non minus varius & memorabilis fuit annus 1500, etiam absoluta delictorum venia, quam Iubileum vocant, nobilis: quæres initiò à Pontificibus, Moseæ legis exemplo centesimo quoque anno, non ad delectationem vel pompam, vt apud Romanos seculares ludi erant, sed ad animorum salutem instituta: eo enim anno pia Christiani populi persuasione, peccata sua examine detestantur, ac Romæ Apostolorum principibus dicata templa, atque delubra adeunt, omnia delicta aboleri arbitrantur: deinde vt quinquagesimo anno celebraretur constitutum fuit, & tandem ad vigesimum quintum redactum: tamen ob primæ originis memoriam, centesimo anno frequentia longè maiore, quàm alijs temporibus celebratur. Huius anni initio Valentinus sine obstaculo Foroliuienſi vrbe potitus est: quoniam, Matrona illa liberis cum pretiosiore supellectile Florentiam missis, ceteris rebus quæ tueri non poterat desertis, ad Citadellam tantùm & arcem Foriliuij, viris ac tormentis abundè instructas, defendendas se contulit: itaque Citadellam ingressa, virili ferocique animo multa cum gloria eius defensionem curabat, Valentinus autem frustra illam ad deditionem flectere conatus, magno tormentorum numero Citadellæ muro verberare cæpto, magnam eius partem deiecit, quam aggesta terra sequuta, fossam magna ex parte repleuit: hostibusque facilem ascensum reddidit. Qua re propugnatores animo fracti, ea deserta, in arcem se recipere tentarunt, quò domina prius illos omni ratione ad defensionem sistere conata, se contulit, factoque in ingressu à trepidantibus tumultu & perturbatione, à Valentini militibus oppressi, penè omnes cæsi sunt, qui illis permixti, eodem impetu arcem ingressi occuparunt, omnesque defensores, paucis quibusdam ex principibus qui se vnà cum matrona in turrim quandam receperant, quiq; cum ea capti sunt exce-

1500.

ptis trucidarunt: & Valentinus maiore in illa fortitudinis quàm ſexus habita ratione, captiuam Romam miſit: vbi in Angelica arce cuſtodita fuit, quamuis non multo pòſt in Iuonis Alegrij gratiam libertate ſit donata. Valentinus Imola & Foroliuij captis, niſi nouis repentinisque caſibus impeditus fuiſſet, ad reliquarum ciuitatum oppugnationem progreſſus eſſet: Rex etenim, partis rebus in eum ordinem qui oportunus videretur redactis, idoneo præſidio relicto, inducijsque cum Romanorum rege, Inſubriæ quoque imperio, & ijs omnibus quæ in Italia poſſideret incluſis, ad proximum Maium vſq; prorogratis, in Galliam redijt: quo paruum Ioannis Galeatij filium, à matre illi imprudenter traditum duxit, & religioſæ vitæ, quam monaſticam vocant, dicauit: & Ioannem Iacobum Triultium, cui ob virtutem & merita, ac Ludouici Sfortiæ odium plurimũ tribuebat, toti Inſubriæ præfecit: eius autem imperij populi, tum quòd multis Gallorum mores ſtudiaque diſplicerent, tum etiam quòd in rege non eam liberalitatem inueniſſent, nec omnium vectigalium quemadmodum multitudo ſibi imprudenter perſuaſerat, immunitatem eſſent adepti, minimè in fide permanſerunt: multum quoque intererat, quod Gibellinæ factioni, Mediolani & in alijs vrbibus potentiſſimæ Ioannem Iacobum Guelfæ factionis principem, adminiſtrationi præeſſe, valdè moleſtum erat, qui morbus ab illo, qui natura factioſus, animoque elato & inquieto, Magiſtratus autoritate, multò plus quàm deceret, ſuæ factionis hominibus faueret, vehementer augebatur: plebis præterea animos, aliquot laniorum, qui cum ceterorum plebeiorum temeritate, vectigalia à quibus immunes nõ erant perſoluere recuſantes, exactoribus, armis ſe opponebant, in macelli foro propria manu cæde cõmiſſa, magnopere à ſe alienauit: quas ob cauſſas, à maiori nobilitatis parte, totaq; plebe, ſuapte natura rerum noua rũ cupidiſſima Ludouici reditus optabatur, iáq; verbis vocibusq; minimè occultis eius nomen implorabatur: qui vnà cum Cardinale Aſcanio ad Cęſarem profectus, & magna humanitate viſi acceptique optimum in illo animum, & maximo, ob ipſorum calamitates dolore affectum inuenerant: quin etiam frequenter magnis viribus, ad imperium ipſis recuperandum ipſemet profecturum promittebat, iam enim penitùs bello cum Heluetijs finem impoſuerat: hæ verò ſpes ob eius naturæ varietatem, & quòd male innixa conſilia ſua, inuicem perturbare ac permiſcere conſueſſet, in dies leuiores apparebant: quin & conſueta egeſtate oppreſſus, ſæpe pecunias ab illo petere non deſinebat. Quare Ludouicus & Aſcanius, illius auxiliorum ſpe deiecti, perpetuoque à multis Mediolanenſibus nobilibus incitati, octo Heluetiorum millibus, & quingentis Sequanis grauis armaturæ equitibus conſcriptis, per ſe ipſos rem aggredi ſtatuerunt: quo motu percepto Triultius, ſtatim ab Senatu Veneto vt copias ſuas Abduæ admouerent petijt: & Iuoni Alegrio, vt Valentino relicto, cum Gallis cataphractis, ac Heluetijs ſumma celeritate Mediolanum rediret ſignificauit: atque vt primum hoſtium impetum reprimeret, copiarum partem, Mediolanenſis populi metu, omnes vires eò conuerti minimè permittente, Comum miſit. Sed Sfortianorum fratrum celeritas, omnem aliorum diligentiam ſuperauit: quippe non omnibus copijs quas conſcripſerant expectatis, ſed ſequi iuſſis, ſumma celeritate montes ſuperarunt: & nauibus quæ in Lario lacu erant conſcenſis, Como appropinquarunt: quæ ciuitas, Gallis ob ciuium animos perſpectos abeuntibus, ſtatim eos accepit. Comi amiſſio Mediolani nunciata, ita populi & penè omnium Gibellinæ factionis principum animos erexit, vt iam à tumultu minimè abſtinerent: adeò vt Triultius, quum regijs rebus nullam ſalutem ſupereſſe cerneret, repentè in arcem ſe receperit, & ſequenti nocte, vnà cum cataphractis, qui in ſeptum arci contiguum ſe contulerant, populis in diſceſſu tumultuariè ad Ticinum vſque perſequentibus, Nouariam verſus contendit: & quadringentis cataphractis Nouariæ relictis, ipſe & reliqui duces, magis de imperio, ſi noua auxilia ex Gallia venirent, recipiendo, quàm de propugnando cogitantes, ad Mortariam caſtra locauit. Poſt Gallorum diſceſſum, primùm Cardinalis Aſcanius, deinde Ludouicus Mediolanum ingreſſi ſunt: quam vrbem arce excepta, eadem facilitate qua amiſerant recuperarunt: maiusque populi Mediolanenſis in eorum reditu, deſiderium & lætitia, quàm in diſceſſu, perſpecta ſunt: quod ſtudium quum in reliquis populis quoque eſſet, Papienſes & Parmenſes

absq;

absque mora in Ludouici fidem redierunt: & Laudapompeia, atque Placentia, nisi Venetæ copiæ, quæ prius ad Abduam erant, statim ingressæ essent, idem fecissent. Alexandrini, & penè omnes Transpandani, quòd Mediolano longius abessent, & & Astæ regiæ ciuitati propinquiores, ex rerum progressu maturius consilium expecturi, nullam mutationem fecerunt. Ludouicus Mediolano recuperato, sine vlla cunctatione, magnum Italorum peditum numerũ, & quotquot grauis armaturæ equites posset conscribere; eosque omnes à quibus in tanta necessitate auxilia sperabat, precibus, promissis, & varia spe impellere. Ideò Seuerinatem cardinalem, qui prosperum initium significaret, & vt milites ac tormenta mitteret suplex rogaret, ad Cęsarem misit: cumque Venetum Senatum minimè inimicum habere cuperet, ab Ascanio cardinali Cremonẽsem Antistitem, qui fratris, ad quascunque leges optare possent accipiendas, promptam voluntatem offerret, statim Venetias mitti curauit; sed frustrà quia Senatus à regio fœdere discedere minimè statuit. Genuenses quamuis ab Ludouico vehementer rogati, sub eius imperium redire recusarunt: nec Florentini pecuniæ ab ipso mutuò acceptæ petitionem audire voluerunt: solus Mantuanus fratrem cum aliquot grauis armaturæ equitibus illi auxilio misit; cum quo Mirandul, ę Carpij & Corregij reguli concurrerunt, & Senenses exiguam pecuniæ summam miserunt, subsidia in tantis periculis penè contemnenda, quemadmodum etiam parui momenti fuerunt, Philippi Rossij, & Vermineorũ auxilia; quorũ patres, etsi ab illo veteribus suis bonis spoliati fuissent, Rossij San secundo, Torciaria, & multis alijs Parmensis agri castellis; Verminei, Bobiensi ciuitate alijsque in Placentiæ montanis circumiectis locis; nihilominus Philippus à Venetorum stipendijs sine venia discessit, & ad oppida sua recuperanda contendit; ijsque in potestatem redactis, Ludouici se exercitui coniunxit: idem & Verminei fecerunt, vtrique vt hac occasione illius beneuolentiam captarent. Ludouicus autem collectis, præter Sequanos, mille quingentis grauis armaturæ equitibus, & plurimis Italis peditibus Heluetijs adiunctis, Ascanio cardinale ad arcis obsidionem relicto, Ticino amne traiecto, Vigeuenoque oppido cum arce deditione capto, ad Nouariam castra posuit; hoc potius quàm Mortariæ oppugnationem, vel quia Galli Mortariæ se præclarè munierant; vel quòd Nouarię celebris atque abundantis vrbis expugnationem, magis ad belli summam & existimationem pertinere arbitraretur; vel vt Nouaria capta, commeatus inopia Gallos Mortariam deserere cogeret; vel vt Iuonem Allegrium ex Aemilia reuersum, Nouariam venire prohiberet, aggressus: Iuo enim, dum cum Valentino duce ad Pisauri oppugnationem contenderet, acceptis à Triultio nuntijs, statim cum omni equitatu & Heluetiorum cohortibus regressus, Mediolanensium prope Parmam defectione audita, iter summa velocitate sequutus, cum Parmensibus & Placentinis illos, modò ne itinere prohiberent se non læsurum pactus, Dertonam perueniens, ac eius ciuitatis Guelfis, Gibellinos, qui sub Ludouici imperium reuersi ipsos expulerant, vlciscendi cupiditate ardentibus incitatus, ciuitatem ingressus, Guelfis frustra querentibus, quòd fidissimi regis serui non secus ac perfidi hostes tractarentur, fidem implorantibus totam diripuit. Dertona Alexandriam profectus, ibi consedit; quia Heluetij qui cum illo venerant, siue quòd stipendia non darentur, siue alia re impulsi, in Mediolanensium ducis exercitum transierunt: qui quum se hostes militum copijs superare conspiceret, summo studio Nouariã tormentis verberare accelerabat, vt ante quàm Galli, qui ab rege auxilia expectabant, se illi acie opponere possent, ea potiretur: quæ res feliciter illi successit; quoniã Galli qui Nouariæ erant, defensionis spe amissa, incolumes cum rebus suis abeundi fide accepta, vrbem dediderunt: qua ille fide, etsi, quòd illorum militum cædes magni ad victoriam momenti esset, à multis qui si magnorum virorum autoritate & exẽplis, imperij augendi gratia fidem violare liceret, multò magis conseruandi licere aiebãt ad frangendam impelleretur, constanter seruata, Vercellas vsque comitatos dimisit. Nouaria capta, ad arcem expugnãdam hæsit: sed opinio fuit, si Mortariam cõtendisset, Gallicas copias Triultio & Lignino nonnihil diffidentibus, trans Padum ituras fuisse. Sed dum Ludouicus hæc solicitè curat, non minor fuit regis diligentia & solicitudo, qui Mediolanensi defectione audita, indignatione & pudore ardens, statim Tramoliam cum

sexcentis cataphractis in Italiam properè ire iussit, magnumque Heluetiorum numerum conscribi curauit: & quo maiori celeritate res necessariæ compararentur, Rotomà gensem cardinalem suum in cisalpinis rebus legatum, constituit; statimque Astam iussit contendere: ita rebus his mira celeritate comparatis, initio mensis Aprilis mille quingenti cataphracti, peditum Heluetiorum dena, Gallorum sena millia, Tramolia, Trivltio & Lignino ducibus in Italia conuenere: quibus copijs ad Mortariam simul coniunctis, non minus dolis, quàm viribus freti Nouariæ appropinquarunt: Heluetij namque duces qui cum Ludouico erant, quamuis in Nouariæ expugnatione fidem ac virtutem ostendissent, Heluetiorum tamen qui in Gallicis castris erant præfectorum opera clàm cum illis conuenerant: quòd Ludouicus nonnullis coniecturis suspicatus, quadringentos equites, & octo peditum millia qui Mediolani conscribebantur sibi adiungi vrgebat: Heluetij Nouariæ à ducibus incitati, quod stipendijs constituta die, pecunia non numeraretur, tumultuari cæperunt. Dux autem ad tumultum subitò accurrens, humanissimis verbis, & huiusmodi precibus quæ minimè mediocrem misericordiam excitarent, omni etiam sua argentea supellectile illis dono data, vt donec Mediolano pecuniæ afferrentur patienter expectarent effecit: duces verò illorum, ne vbi duci copiæ quæ Mediolani comparabantur coniunctæ forent, excogitata impedirentur veriti, vt Gallicus exercitus, acie instructa, Nouariæ mœnibus, maxima parte circundata appropinquaret, aliquotque equitibus inter vrbem & Ticinum amnem missis, duci & reliquis Mediolanum confugiendi facultatem adimerent, effecerunt: qui semper deteriora suspicatus, cum exercitu præmissis iam leuis armaturæ equitibus & Sequanis qui pugnam inciperent, vt cum hostibus prælium inirent, Nouaria egredi voluit; cui ab Heluetiorum ducibus apertè repugnatum fuit, qui se absque suorum magistratuum mandato, cum propinquis, & proprijs fratribus, cæterisque suæ gentis hominibus pugnare nolle, ijsque paulòpòst, quasi eiusdem essent exercitus permixit, quamprimùm in patriam redire velle dixerunt: cum autem dux, nec precibus, nec lacrymis, nec infinitis promissis illorum animos flectere posset, se illis vt saltem in tutum locum perducerēt vehementer commendauit: sed quia cum Gallis ducibus illo secum non abducto se discessuros conuenerant, illius petitione reiecta, Heluetij peditis amictu sui si non agnosceretur seruandi gratia fortunam tentaturus se ipsis immisceret concesserunt: quæ conditio, ab ipso in extrema necessitate cōstituto accepta, ad eius salutem irrita fuit: quoniam illis ordine per Gallicum exercitum incedētibus, siue eorum quibus hęc cura mandata erat diligenti inuestigatione, siue à quibusdam proditus, dum agmini permixtus Heluetio more vestitus & armatus pedes incederet, cognitus, & statim captus fuit: vsque adeò miserando spectaculo, vt vel hostibus ipsis lacrymas expresserit: fuerunt pręterea ipsum capti, Galeatius Sanseuerinas, Fracassa, & Antoniusmaria fratres, Heluetijs eodem vestitu permixti: & Itali milites, cum Nouariam, tum Ticinum versus fugientes, spoliati & capti, quia Galli, ne gentes illas irritarent, Sequanos equites, & Germanos pedites incolumes abire permiserunt. Duce capto, & exercitu dissipato, quum nihil iam obstaret, omniaque terroris & fugæ plena essent, Ascanius Cardinalis, qui iam copias Mediolani comparatas ad exercitum ire iusserat, tanta calamitate audita, repentè Mediolano, vt se in tutum locum conferret, multis ex Gibellina nobilitate, qui Ludouici partes immoderatè professi, de venia à Gallis impetranda desperabant, sequentibus discessit: sed quia in duorum fratrum calamitate, cum aduersa fortuna fraudem immiscerī in fatis erat, proxima nocte, vt se aliquantisper à labore itineris celeritate suscepto recrearet, ad Riuoltam, in Placentino agro, Conradi Landi, eius vrbis patricij, ipsi affinitate, & longa necessitudine coniuncti castrū moratus est, qui mutato cum fortuna animo, Carolo Vrsino, & Sonzino Benzonio Venetorum ducibus, statim Placentia accersitis, illum atq; vnà Hermetem Sfortiam Ioannis Galeatij defuncti ducis fratrem, & nobilium qui cum eo venerant partem tradidit, reliqui nobiles vtiliori consilio, quum ibi pernoctare noluissent, vlterius progressi erant. Ascanius statim captiuus Venetias perductus est, sed rex illum in sua potestate habere, quanti ad Insubriæ imperij securitatem interesset animaduertens, absq; mora illum ab Senatu Veneto,

Veneto, additis, etiam vbi cunctari animaduertit minis atteſtationibusque ſibi tradi, quòd in ſuæ dictionis loco captus eſſet, ad ſe ſpectare affirmans, poſtulauit: quæ petitio quamuis admodum acerba, & Veneto nomine minimè digna videretur, tamen ad illius armorum furorem vitandum ei traditus eſt, & vnà omnes Mediolanenſes qui cum illo capti fuerant: quin etiam, Baptiſtam Vicemomitem, aliosque nobiles, qui eandem ob cauſſam Mediolano aufugerant, & publica ſecuritatis fide Gallis in ea nominatè expreſſis accepta, in Giaradadæ oppidis manſerant, eodem metu in regis poteſtatem tradere coacti ſunt: tanto plus Gallicorum armorum timor, quàm reipublicę dignitatis ratio, hoc tempore in Veneto ſenatu potuit. Mediolanenſes autem, omni ſpe deiecti, ſtatim legatos ad veniam apud Rotomagenſem cardinalem deprecandam miſerunt, qui illos clementer complexus eſt, & regis nomine, rebellionem condonauit, ita tamen vt illi tria millia auri pondo perſoluerent, cuius pecuniæ deinde rex maximam partem eis condonauit: eodemq; exemplo Rotomagenſis cæteris vrbibus quæ defecerant ignouit, & ſingularum ſtatus & facultatum habita ratione, pecunia mulctauit. Sic bello feliciter confecto, copijsq; dimiſſis, quatuor Heluetiarum ciuitatum, quæ Bellizonæ oppido in montibus poſito propinquiores ſunt, milites in patriam redeuntes, id oppidum auidè occuparunt: quem locum rex ab initio parua pecuniæ ſumma ab illis redimere potuiſſet: ſed quemadmodum ſæpe ſua natura, vt exiguæ pecuniæ parceret rerum magnarum occaſiones amittebat, recuſauit: ſecuta pòſt ſunt tempora & occaſiones, quibus ſæpe, & libenter magna vi auri id ab ipſis redemiſſet: eſt enim locus ad Helùetios, in Inſubriam deſcenſu prohibendos valde opportunus. Ludouicus Sfortia Lugdunum vbi tunc erat rex perductus fuit, & in eam vrbem meridie introductus, infinita multitudine, ad tantæ paulo antè amplitudinis & maieſtatis principem, cui multi inuiderent, quique nunc in tantam miſeriam corruiſſet viſendum accurrente: vnde, vt ad regis conſpectum quemadmodum ſummopere cupiebat, admitteretur, minimè conſequutus, poſt biduum in Loccenſem turrim ductus eſt: in qua circiter decem annos, quibus vitam terminauit, illius cogitationibus & ambitione, quæ ante vix totius Italiæ terminis continebantur, anguſto carcere incluſis, captiuus fuit. Princeps profectò, eloquentia, ingenio, multisq; animi & naturę ornamentis excellentiſſimus, ac niſi nepotis necis infamia, hanc laudem maculaſſet, manſueti & clementis nomine dignus: ſed viciſſim, ingenio vanus, ac inquietis ambitioſisq; conſilijs plenus, & promiſſorum fideiq; cõtemptor, quiq; tantum ſuæ ipſius ſapientiæ tribueret, vt aliorum prudentiam & conſilia celebrari moleſtiſſimè ferens, ſua induſtria & artibus cuiuſuis mentem quò vellet impellere poſſe ſibi perſuaderet. Sequutus eſt illum non multo pòſt Aſcanius cardinalis, qui maiori humanitate & honore acceptus, & ab Rotomagenſi cardinali benignè ſalutatus, honeſtiore in cuſtodia habitus eſt, nimirum in Biturigum turri: in qua idem rex, à quo nunc captiuus tenebatur, biennium incluſus fuerat: ea eſt humanæ ſortis varietas ac miſeria: vſq; adeò omnibus incertum, quæ ſit in poſterum futura ſua cuiuſq; conditio.

QVARTI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE, LIBER QVINTVS.

Pisani belli continuatio, eiusq; successus: Fauentia à Valentino obsessa: Hispaniæ & Galliæ regum, in regno Neapolitano bella: qua ratione Plumbini dominatus, à Borgia fuerit occupatus: Magni Consalui in regno Neapolitano, res præclare gestæ: inter Hispanos & Gallos discordiarum origo: Aretinorum à Florentinis defectio: multorum principum in Valentinum coniuratio, eorumq; mors: Gallorum ad Terram nouam clades: tredecim Gallorum & totidem Italorum certamen: pax inter Hispaniæ & Galliæ reges à Consaluo reiecta: ad Semenariam vna, altera item ad Ciriniolam pugna.

TANTA, tamq; felici Insubriæ victoria, Galliæ regis ambitio & audacia ita creuerat, vt nisi eum Germanorum motuum timor repressisset, facilè eadem æstate regnum Neapolitanum inuasurus fuerit: nam etsi antè de Mediolanensi quoq; imperio, à Maximiliano Cęsare inducias impetrasset, tamen quum postea rex ille, quantum imperij maiestas, tanti regni alienatione minueretur, quantaq; ignominia, ad se qui penè sub patrocinio suo, & spe data, tanta pecuniæ vi accepta, Ludouicum Sfortiam priuari passus esset, inde perueniret, diligentius perpendisset, Galliæ regis ac Venetorum legatos, velut eorum qui imperij iura occuparent, non amplius audire voluerat: ac demum duorum fratrum miseranda calamitate multò magis accensus, veteri æmulatione, iniuriarumque à Galliæ regibus & Veneta republica varijs temporibus sibi & maioribus suis illatarum, memoria in eius animo excitata, vt Septemuiros augustales & reliquos Germanos principes, ad tantam iniuriam, non minus Germanorum genti, cuius imperij dignitas propria est, quàm sibi illatam, armis vlciscendam concitaret, crebros conuentus peragebat: quin etiam ne rex Galliæ, tanta imperij principum patientia audacior factus, & tanto fortunæ fauore elatus, vt aliqua obliqua ratione, Cæsaream coronam, Galliæ regibus quorum aliàs fuerat, restitui curaret, animum intenderet, periculum imminere ostendebat: qua in re Pontificis consensum, cum necessitate, vt qui illius potentiæ repugnare non posset, expressum tum ob filij euehendi cupiditatem, esset habiturus. Quæ in causa fuerunt, vt rex, quem hæc consilia finem essent habitura incertus, Neapolitani belli cogitationem in aliud tempus distulerit, ideoque quum eius copiæ alio bello non essent occupatæ, copias à Florentinis ad Pisarum & Petræ sanctæ oppugnationem petitas non sine multa difficultate ac dubitatione, concessit: qui Pisani, & cum illis Genuenses, Senenses, & Lucenses, centum ducatorum millia, si Pisæ, Petra sancta & Monspolitianus, à Florentinorum molestijs liberarentur, in præsentia regi numerare, & si ipsius autoritate Pisani, Ligurni portus munitione & toto Pisano agro potirentur, quinquaginta millia insuper singulis annis in perpetuum pendere promittentes contrà vehementer instabant: ad quæ regis animus pecuniæ cupiditate, non mediocriter flecti videbatur: tamen vt in rebus grauibus solebat, hanc deliberationem Rotomagensi cardinali, qui Mediolani erat, commisit: apud quem præter supra dictos, pro Pisanis agebant Ioannes Iacobus Triultius, & Ioannes Ludouicus Fliscus, vterque regni in Pisanos occupandi cupidus, quiq; regi vt id permitteret non paruam pecuniæ summam offerebant, atque Florentinos, cæterosque Italiæ principes, quum occasio daretur, deprimere, ad illius securitatem pertinere docebant. Sed apud Cardinalem,

dinalem, regiæ fidei ratio, & Florentinorum, qui regi ad Insubriæ recuperationem, pro copijs quas ei mittere debebant, ex ipsius petitione pecunia numerata, prẽsto adfuissent, recentia merita, maiorem vim habuerunt: quare vt Florentinis ad Pisarum oppugnationem, sexcenti cataphracti, regio stipendio: & illorum sumptibus, quinque Heluetiorum millia Diuionensi præfecto duce, & certus Vasconum numerus, & omnia tormenta cum eorum apparatu ad id bellum necessaria, Cardinalis illos prætereuntes Petram sanctam, & Mutronem restituturos promittente, mitterentur, decretum fuit: & contra regis ac Florentinorum voluntatem, ex illorum more, accesserunt duo Heluetiorum millia: quibus copijs Bemontium, à Florentinis petitum eius fidei plurimùm tribuentes, quòd in Ligurno restituendo promptus fuisset, parum considerantes in exercitus imperatore etsi fides requiratur, autoritatem pariter, & rei militaris peritiam necessariam esse, præfecit: etiamsi rex saniori vtilioriq; consilio, Allegrium, reibellicæ longe peritiorem, quiq; quòd nobiliori gente natus esset, & maioris existimationis, exercitum ad imperia promptiorem esset habiturus, destinasset. Sed mox molestiæ ac difficultates quæ Gallica auxilia comitabantur apparere cæperunt: nam quum peditum stipendia Kalendis Maij. deberi inciperent, totum eum mensem, ad regis commodum, qui harum copiarum transitus occasione, à Mantuæ marchioni, Carpij, Corregij & Mirandulæ regulis, quod Ludouico Sfortiæ opem tulissent, pecunias mulctæ nomine extorquere cupiebat, in Longobardia manserunt, adeo vt Florentini suspitione ex hac mora concepta, nimium præterea temporis Pisanis ad se muniendos & comparandos dari rati, de negocio deserendo cogitarint: tamen quum huiusmodi occasionem non libenter prætermitterent, secunda stipe numerata, progressum quammaximè vrgebant: tandem, quum Carpij, Mirandulæ, & Corregij domini, Ferrarienſium duce pro illis deprecante, viginti ducatorum millia spopondissent, nec ad Mantuanum, qui dum se muniret, pecuniæ inopia excusata, Legatis ad regem missis veniam suplex petebat, cogendum, tempus terere possent, ad Montemcheruculum Torellæ familiæ quæ Ludouicum Sfortiam iuuerat in Parmensi agro castellum, non tam quòd illos mulctare cuperent, quàm vt Bononiæ appropinquantes Ioanni Bentiuolo pariter ob auxilia Ludouico data minarentur, exercitum duxerunt: Bentiuolus autem vt periculum vitaret, quadringentas auri libras repromisit, eumq; rex denuò cum Bononiensi vrbe, pontificij imperij in eam ciuitatem iuribus expressè exceptis, patrocinio suo complexus est. Bononiensi re composita, & Montecheruculo expugnato, copiæ vt Apenninum Pontremulensi via superarent regressæ sunt: & Lunigianam ingressi, magis cupiditates & propria commoda quàm honestum sequuti, in Fregosiorum gratiam, Albericum Malespinam qui in Florentinorum patrocinio erat, Massa castello reliquisq; eius oppidis expulerunt: cumq; vlterius essent progressi, Lucenses, quamuis plebe repugnante, grauiter inter se diffiderent, Petramsanctam, Bemontio regis nomine tradere sunt compulsi: qui præsidio in arce relicto, illorum magistratus in oppido manere passus est, quoniam Rotomagensis cardinalis, ijs quæ Florentinis promiserat in hoc contemptis, certa pecuniæ summa à Lucensibus accepta, ea lege, vt rex Petram sanctam tamdiu donec ad quem iure spectaret dijudicasset, depositi loco teneret, illos in regis clientelam accepe-
rat. Pisani vero hoc tempore, animis ad defensionem obstinatis, à Vitellotio, cum quo propter commune in Florentinos odium, maximè coniuncti erant, aliquot architectos, qui munitiones ipsorum in quibus vnà viri ac mulieres operabãtur instaurarent, acceperant: & nihilominus Gallos consuetis artib. demulcere minimè prętermittentes, in totius populi comitijs vrbem regi subiecerant: cuius deditionis publicas tabulas non modò ad Bemontium miserunt, sed etiam ad Philippum Rauestenium, regium Genuæ præfectum, qui temerè regis nomine accepit: cumque Bemontius, Fœcialem Pisas qui sibi ciuitatẽ tradi poscceret misisset, se nihil magis cupere, quàm sub regis imperio viuere, ideoque, dummodo ipsos Florentinorum imperio non subijcere promitteret, ad deditionem paratissimos esse, mulierum lachrymis & omni arte, se Galliæ regum à quibus libertatem acceperant, obseruantissimos addictissimosq; esse, Fœciali persua-

dere conati, reſponderunt: Bemontius verò Piſanorum legatis eadem de cauſſa ad ſe miſſis excluſis, penultima die Iunij caſtra vrbi, inter Plagarum portam, & Calceſanam, contra angulum Barbagianni nuncupatum, admouit: & cum eadem nocte ad maiorem diei partem vſq; magno impetu mœnia verberaſſet, tormentorum vi, circiter ſexaginta muri vlnæ conciderunt, & quamprimùm iaculari deſtiterunt, equites ac pedites, abſq; ordine, vllaue diſciplina permixti, antequam cogitaſſent qua ratione profundiſſimam foſſam, à Piſanis inter dirutum murum & interiorem munitionem factam ſuperaturi eſſent, vt in vrbem conſcenderent, ſtatim accurrerunt: ſed conſpecta eius latitudine altitudineque territi, reliquum diei potius difficultatis ſpectatores quàm oppugnatores, contriuerunt. Poſt quem diẽ, ſemper victorię ſpes eſt diminuta, tum quia ob munitionis naturam, ac defenſorũ pertinaciam, Gallica audacia deferbuerat, tum etiã quia conſuetis artibus, eius gentis priſtina in Piſanos propenſio denuò erat excitata, ita vt loqui & familiariter cum ciuibus, qui eodem pacto regi ſe, modò ne ſub Florentinorum iugum redirent, dedere velle, ſæpius iterabant, verſari inciperent: multiq; illorum Piſas tanquã amicam vrbẽ tuto ingrederentur egrederenturq; totis caſtris, qui apud duces Piſanorum cauſſam defendebant, ac pleriq; eos ad defenſionem hortabantur: & ad hoc præter Gallos, haud parum animos auxerunt Franciſcus Triultius, Ioannis Iacobi vicarius, & Galeatius Palauicinus qui cum ſua acie in Gallorum caſtris erat: quarum perturbationum occaſione, ijs qui obſidebant permittentibus, Tarlatinus, ex ciuitate caſtelli, cum aliquot militibus bello expertis, à Vitellotio Piſanis auxilio miſſus, vir tunc obſcurus, ſed qui deinde ab illis ad militiæ gradus euectus, non parua cum laude ad extremũ vſq; in eius vrbis defenſione permanſit, ab maritima parte Piſas ingreſſus eſt. Hanc tàm peditum quàm equitum communem propenſionem, multa mala ſequuta ſunt: cum enim diſcedendi occaſionem quærerent, commeatum qui ad caſtra ferebatur diripere incęperunt, ad quos errores reprimendos cum ducis autoritas minimè eſſet idonea, indies ita creuerunt, vt tandem Aquitani pedites confuſè ab exercitu diſceſſerint: quorum exemplum reliqui omnes ſequuti ſunt: & in diſceſſu nonnulli Germani pedites, qui regis iuſſu Roma venerant, Lucam Albitium Florentinum legatum, quòd ſibi aliàs quùm Florentinis Ligurni militarent, non ſatis factum fuiſſe dicerent, ceperunt. Heluetij & reliqui pedites ſtatim diſceſſerunt, ſed cataphracti prope Piſas hæſerũt: vbi paucos dies immorati, regia voluntate non expectata, Florentinorum, qui vt Heluetiorum & Aquitanorum ſtipendia perſoluere poſſent, omnem ſuum peditatum dimiſerant, rebus in graui perturbatione relictis, in Longobardiam redierunt: qua occaſione perſpecta, Piſani ad Librafactam exercitum duxerunt, quam nõ minus hoſtium imprudentia, quàm proprijs viribus facilè expugnarunt: quoniam dum oppugnatio fieret, & omnes pedites qui intus erant, in eum locum vbi pugnabatur accurriſſent, nonnulli ex oppugnantibus, ſcalis arcis editiſſimum locum qui non cuſtodiebatur conſcenderunt: qua re territi pedites deditionem fecerunt: dein ſtatim caſtris, ad Venturæ vallum poſitis, dum oppugnatur, milites, Sanbrandani Florentinorum præfecti, patria Lucenſis, vel ignauia, vel fraude, ſe dediderunt: quorum locorum expugnatio Piſanis, quia quà parte Luca eſt liberati, fines extenderant, valde vtilis fuit. Hic Piſanarum rerum ſucceſſus, plus quàm credibile ſit, regis animum turbauit: vt qui animaduerteret, quantum ea re exercitus ſui exiſtimatio eſſet imminuta: nec Gallorum armis, qui tanto omnium terrore totam Italiam peragrarant, vnicam vrbem, nullius quàm proprij populi defenſione nixam, in qua nullus eſſet celebris belli dux, reſtitiſſe, ferre æquo animo poterat: & vt plerumq; in rebus moleſtis homines ſolent, ſe ipſe fallens, à Florentinis, idoneos commeatus, inſtrumẽtorum ad tormenta ſpectantium, & fabrorum apparatus, non ſuppeditatos, quemadmodum ſui vt culpam ab ſe reijcerent aſſerebant, victoriæ non adeptæ cauſſam fuiſſe: militiq́ue omnia præter virtutem defuiſſe, ſibi ipſe perſuadere nitebatur: querebatur etiam Florentinos, quòd imprudenter potius ſub Bemontio quàm ſub Allegrio copias mitti poſtulaſſent, multorum errorum cauſſam prębuiſſe: deinde amiſſam exiſtimationem recuperare cupiens, Corcutum cubicularium ſuum, non tàm vt quæ à ducibus referebantur vera eſſent nec ne exploraret, quàm vt à Florentinis melioris in poſterum ſucceſſus ſpe minimè amiſſa peteret, ſuos cataphractos in Piſano agro, quo-

eam vr-

eam vrbem ſequenti hyeme perpetuò infeſtare poſſent, donec ineunte Vere, iuſto exercitu, ducibus atq; imperio ad oppugnationem melius inſtructo redirent, conſidere iterum paterentur, Florentiam miſit: quæ res à Florentinis, Gallorum armis meliora effici poſſe deſperantibus, reiecta fuit: ex quo ſors illorum indies deterior facta eſt, & quia regem ab illis alienatum eſſe fama erat, Genuenſes, Senenſes, & Lucenſes, Piſanos palàm, militibus ac pecunia iuuare, & quicunque Florentinos lædere cupiebant, animum ſumere cæperunt. Florentiæ verò etiam ciuium factiones ita creſcebant, vt non modò amiſſa recuperare non poſſent, ſed ne proprij quidem imperij perturbationibus occurrerent: quum enim Piſtoriæ Panciatica & Cancellaria contrariæ factiones arma ſumpſiſſent, atq; inter eos in vrbe & in agro, maximis incendijs ac cædibus, ferè ad apertum bellum, etiam cum peregrinis auxilijs res veniſſet, magno reip. dedecore, nulla ratione huic malo obuiã ibant. Interea Cæſaris Borgiæ res feliciter ſuccedebãt: nam etſi rex parum æquo in Pontificem eſſet animo, quòd ſe ad Inſubriæ imperium recuperandum non iuuiſſet, in auxilijs, ad cæptum aduerſus Aemiliæ Flaminiæq; vicarios bellum conficiendum, mittendis moram traxiſſet, nihilominus tandem pontificis beneuolentiæ, ob Germaniæ motuum timorem, cõſeruandæ deſiderio, quum nullam cum Cæſare concordiæ rationem inueniret, & longè magis Rotomagenſis cardinalis, qui Galliæ regni legationem ambiebat autoritate, in aliam ſententiam eſt perductus. Pontifex igitur regi quotieſcunque neapolitanum bellum aggredi vellet, copias & ipſummet filium auxilio mittere promiſit; & Rotomagenſi cardinali in decem & octo menſes Galliæ regni legationem conceſſit: quod munus quia nouum erat, & quia, quamuis citeriorem Britanniam non complecteretur, multa negocia, & plurimos quæſtus à Romana curia ad ſe pertrahebat, valdè amplum exiſtimabatur. Rex autem viciſſim trecẽtos cataphractos, & duo peditum millia Allegrio duce ad eius auxilium miſit; omnibusq; ſe eos qui Pontificis negocio ſe opponerent, eo loco, quaſi ſibi ipſi iniuriam feciſſent habiturum ſignificauit. Qua autoritate & proprijs viribus, quibus ſeptingenti grauis armaturæ equites, & ſex peditum millia continebantur, Valentinus Flaminiam ingreſſus, abſque difficultate, Piſaurum atque Ariminum illarum ciuitatum dominis fugientibus, in ſuam poteſtatem redigit; deinde Fauentiam verſus nullius præterquàm ciuium ſuorum auxilio nixam, contendit: quia non modò Ioannes Bentiuolus, Aſtorris paruuli infantis auus maternus, ne Pontificis eiusq; filij arma irritaret, nec non regio iuſſu, ab auxilijs mittendis abſtinebat: nec Florentini ſolùm atque Ferrarienſium dux, eaſdem ab cauſas idem faciebant, verùm etiam Veneti ad illius defenſionem obſtricti, quoniam ita rex ab illis petierat, ſe eius patrociniũ deſerere, ei ſignificarunt; quemad modum etiam prius eadem de cauſſa, Pandolfo Malateſtæ, Ariminenſium domino fecerant: imo quo ſe magis Pontificis rebus fauere oſtenderent, eodem tempore Valentinum ducem iure comitiorum in ipſorum repub. donarunt, quæ res ab ea repub. vel ob acceptorum beneficiorum gratiam, vel ob ſummæ beneuolentiæ teſtificationem fieri ſolet. Valentinus, Dionyſium Naldinm, Berſigellenſem, qui magnas in Lamonis valle clientelas habebat, ad ſtipendia ſua pertraxerat, eiusq; opera ſine labore Berſigellam oppidum ac penè totam vallem occupauit; & veteri arce expugnata, noua prefecti deditione potitus eſt, & eiuſdem Dionyſij cum Fauentinæ arcis præfecto, homine in eadem valle nato, quiq; diu Aſtorris imperium adminiſtrarat proditione cõpoſita, eius vrbis arce potiturũ eſſe ſperauit: ſed proditione patefacta, à Fauentinis captus fuit, qui, neq; quòd ab omnib. deſerti eſſent, neq; vallis graui iactura territi, vt ſe ſub Manfredi familię, quę multos annos in ipſos dominatũ obtinuerat imperio cõſeruarẽt, quoduis periculum ſubire ſtatuerãt; ideoq; maxima ſolicitudine vrbẽ munierãt: ex qua ſententia quũ illos Valentinus, nec promiſſis, nec minis remouere poſſet, prope vrbis mœnia, inter Lamonã, & Martianũ amnes metatus, tormenta ab ea parte quę Foroliuiũ ſpectat, quęq; etſi muro circũdata ſit, vulgo ſuburbiũ appellatur, collocauit; vbi Fauẽtini munitũ propugnaculũ extruxerãt: quũq; ſatis mœnia, & præſertim portã q̃ inter ſuburbiũ & ciuitatẽ eſt, pulſarẽt, quinto die oppugnationẽ eſt aggreſſus, ex qua ciuib. ſtrenuè propugnãtibus, magna clade qua Honorio Sabellus interijt accepta, receptui canere iuſſit. Nec dies ſequentes, exercitu perpetuis ex ciuitate tormentorũ ictib. infeſtato, & ciuibus quãuis

admodum exiguum peregrinorum militum numerum haberent, crebrò ferociſſimè, ad leuia certamina prodeuntibus, mitiores fuerunt: præcipuè autem, etſi menſis Nouember nundum eſſet exactus, temporibus præter eius anni partis conſuetudinem acerbiſſimis impediebatur: erãt enim niues maximæ & ingentia frigora, quibus ferè penitùs militaria munia ſub dio caſtra habentibus impediebantur: quoniam Fauentini, antequam exercitus vrbi appropinquaret, omnia ædificia ciuitati propinqua incenderant, arboresq; omnes deiecerant: quibus rebus coactus Valentinus, decimo die obſidione relicta exercitum per proxima oppida in hyberna diſtribuit: quòd quum præter Gallicas vires, exercitum Italis ducibus atq; militibus valde florentem haberet, (aderant enim illi Paulus & Iulius Vrſini, Vitellocius, & Ioannes Paulus Ballio, cum multis delectis viris) ſibiq;, nec maria nec montes repugnatura ingenti animo promiſiſſet, militię ſuæ initiorum famam, à populo qui in diuturna pace vixiſſet, quiq; tunc temporis non alium quàm puerum ducem haberet obſcurari, ferre non poterat; multisq; gemitibus, ſe quamprimùm tempus ferret, animo aut ad mortem aut victoriam comparato ad eandem oppugnationem rediturum grauiſſimè iurabat. Quo tempore Alexander eius pater, vt omnes ipſius actiones eundem finem ſpectarent, ſibique inuicem reſponderent, duodecim, non quidem ex magis benemeritis, ſed ex ijs qui pretium maius obtulerant, in Cardinalium numerum hoc ipſo anno ſumma cum infamia allectis, ne quod lucri genus prætermitteret, per totam Italiam & exteras prouincias delictorũ veniam, quam Iubileum vocant, Romæ magno tranſalpinarum præſertim gentium concurſu celebratam, cunctis mortalibus etſi Romam non veniſſent, aliquam modò pecuniam darent, eius adipiſcendi facultate data ſpargebat: quam pecuniam omnem cum alia quam ſiue ex ſacris ærarijs, ſiue ex Pontificio imperio elicere poterat, Valentino dabat, qui Foroliuij commoratus, res ad oppugnationem in proximum annum neceſſarias comparabat: nec minori diligentia Fauentini vrbi muniendę operam dabant. Hec anno M D.

1501 1493 geſta ſunt: ſed longè maiora à rege Gallię in milleſimum quingenteſimum primum ordiebantur; ad quæ vt expeditior eſſet, ſemper pacem cum Romanorum rege, qua præter Mediolanenſis imperij ius, quod ab illo impetrare cupiebat, neapolitanum regnum ſibi inuadere liceret, quæſierat, Archiducis illius filij, hac in re opera vſus; qui, quoniam eius populi, ne mercaturæ commercium impedirent, haud libenter cum Gallis bella gerebant: & quia rex quum maſcula prole careret, Cluadiam filiam ſuam, Carolo Archiducis filio in matrimonium dare, & dotis nomine, quum ad ætatem qua procreandis liberis dare operam poſſent peruenirent, (neuter enim triennium attigerat) Inſubriæ imperium ſe traditurum eſſe promittebat, ad pacem erat propenſus: cuius opera, quum multæ difficultates quæ in pacis negocio inueniebantur, non tam citò tolli poſſent, anni 1501. initio inducias in multos menſes, certa pecunia numerata, à Maximiliano impetrauit: quibus neapolitani regis, quamuis Maximilianus quadraginta ducatorum millibus ab illo acceptis, & ſi opus eſſet quindecim millium in ſingulos menſes ſoluendorũ ſtipulatione, nullã ſe pactionem ſine ipſo admiſſurũ, & ſi opus foret, ad periculum ab illo auertendũ bellum in Inſubria moturum promiſiſſet, nulla facta fuit mentio. Itaq; Galliæ rex tunc à Germaniæ motibus tutus, & breui per eundem Archiducem imperij Mediolanenſis diploma pacemque adipiſci ſperans, omnia ſua conſilia ad neapolitanum bellum conuertit; in quo, ne Hiſpaniæ reges aduerſos haberet, illisq; potentiæ illorum metu Veneti, & fortaſſe etiam Pontifex coniungerentur veritus, negocia, Caroli regis tempore, de regni illius diuiſione, in quo & Ferdinandus Hiſpaniæ rex ius ſe habere aſſerebat, agitari cæpta renouauit: nam etſi Alfonſus Aragoniæ rex, peculiari & ab Aragoniæ regno ſeparato iure, id adeptus eſſet, ideoque tanquam rem propriam, Ferdinando filio notho tradidiſſet, tamen apud Ioannem eius fratrem qui illi in Aragoniæ regno ſucceſſit, & Ferdinandum Ioannis filium, quum Alfonſus id Aragoniæ regni armis & pecunijs adeptus eſſet, iure ad id regnum ſpectare, ad illud tempus vſque tacita querela fuerat: quam Ferdinandus, Hiſpanica arte & patientia, non modò debitis inter propinquos officijs, cum Ferdinando Neapolitanorum rege, & ſucceſſoribus non prætermiſſis, ſed etiam nouæ affinitatis vinculo auctis, texerat: Ferdinando enim neapolitano regi, Ioannam ſororem ſuam in matrimonium dedit, & vt altera Ioanna illius

filia

filia Ferdinando iuniori nuberet assensus est: nec tamen efficere potuerat, quin cupiditas sua, multo ante neapolitanis regibus innotesceret. Eadem itaque cupiditate, in Ferdinando, & in Galliæ rege conspirante, alter vt impedimenta & difficultates remoueret, alter verò, vt eius quod diu optauerat partem adipisceretur, quum ad totum occupandum nulla occasio appareret, Neapolitanum regnum eodem tempore inuadere pacti sunt, quod inter ipsos hac ratione diuideretur, vt Galliæ regi Neapolis ipsa cum tota Leborij agri regione Aprutijque prouincia: Ferdinando vero Apulia, & Calabria obtingerent: suam verò quisq; partem, altero nec iuuante nec impediẽte, occuparet: hoc autẽ fœdus tandiu donec Galliæ regis exercitus quem ad id bellũ missurus esset Romã peruenisset, quàm maximè occultũ esset: quo tempore vtriusq; legati, id ad Christianæ reip. cõmodum, contra religionis hostes factum asserentes, simul à Pontifice diploma ex partitione inter ipsos facta, vt Ferdinando videlicet, Apuliæ & Calabriæ ducatus, & Galliæ regi non amplius Siciliæ, sed Hierosolymitani & Neapolitani regni nomen attribueretur peterent, quæ regni Hierosolymitani appellatio, semel Federico secundo Romanorum Imperatori, & Neapolis regi, in vxoris, quæ Ioannis, nomine sed non re, Hierosolymitani regis, filia erat in dotem data, à sequẽtibus regibus perpetuò vsurpata fuerat, etsi eodem tempore, varijs de caussis, Cyprij reges, ex Lusiniana familia eandem appellationem sibi non minus auidè arrogassent, vsq; adeò principes cupide colores ac prætextus amplectuntur, quibus aliqua honesti specie, quamuis plerumq; iniustè, aliorum regna vexare possint. Quo fœdere inter duos reges inito, Galliæ rex palàm exercitum comparare cæpit: interea Valentinus, quum primis anni diebus, noctu cum magno scalarum numero Fauentiæ suburbium adijsset, & vt credebatur conscios intus haberet, frustrà id occupare tentauerat. quare fraudis spe excluſus, post paucos dies Russium & reliqua eius agri oppida cæpit: ac tandem ineunte Vere, cum exercitu redijt, & propè arcem castris positis, mœnibusq; ab illa parte verberatis, Gallos & Hispanos qui ipsius stipendijs militabant, permixtos oppugnationem aggredi iussit: qui absq; vllo ordine impetu facto, sine fructu recesserunt: sed triduo post, totius exercitus viribus aliam impressionem fecit: cuius primus impetus Vitellotio & Vrsinis obtigit, qui militum suorũ flore selecto, magna virtute atq; ordine eò vsq; sunt progressi, vt aliquam victoriæ spem habuerint: sed non minor erat ciuium virtus, & valida munitio intus ab illis facta: adeo hostis ingenti fossa conspecta, magnaq; tormentorum copia à latere verberatus, Ferdinando Farnesio, & multis magnis viris amissis, & cum magno sauciorum numero pedem referre coacti sint, & tamen Fauentini, non parua in oppugnatione clade accepta, qua tandem ratione se à tanto exercitu, omni ope destituti, tueri possent, quantoque cum detrimento & iniquis legibus, vel vi expugnati, vel extrema necessitate compulsi, in victoris potestatem peruenturi essent, sic animo voluere incæperunt, vt tanto ardore extincto, timoreq; subeunte, intra paucos dies, hominibus ac fortunis conseruatis, & Astorris eorum principis libertatem, & ei vti quocumque vellet ire liceret, vtque propriorum prædiorum fructibus frueretur, pacti, Valentino vrbem dediderint: quæ Valentinus quòd ad Fauentinos attinebat, inuiolata fide seruauit, sed Astorrem qui nondum decimum octauum annum attingebat, excellenti forma præditum, ætate & innocentia, victoris perfidiæ crudelitatique cedente, quasi illum in sua aula habere vellet, honorificè apud se retinuit: sed non multo pòst Romam perductus, alioquorum (vt dictum fuit) prius libidine expleta, cum fratre notho clàm interfectus fuit. Fauentia in potestatem suam redacta, Valentinus Bononiam versus non modo vt eam vrbẽ occuparet, castra mouit, verùm etiam vt Florentinis, quorum res recentibus ad priorem Galliæ regis indignationem caussis additis, vehementer inclinabant, posteà molestias inferret: nam grauibus sumptibus, quos fecerant, quosq; ob Pisanum bellũ, & ob Pontificis ac Valentini virium metum, indies facere cogebantur defatigati, regi quamuis maximè vrgenti, reliquam à Mediolanensium duce mutuò acceptã pecuniam, & quam pro Heluetijs in Pisanos missis petebat, minimè persoluebant: nam quum Florentini, quòd Heluetij multos dies ante accepti stipendij tempus exactum discessissent, pro vt Mediolani cum Rotomagensi Cardinale pacti fuerãt, mensis vnius stipendium quo in patriam redirent, soluere noluissent, rex vt eius gentis

beneuolentiam retineret, de suo numerarat: & acerbissimis verbis, nulla inopiæ excusatione admissa, à Florentinis repetebat: quæ omnia ciuilis discordia, ex popularis status confusione orta difficiliora reddebat: in quo quum nemo qui certam rerum curam haberet, & plerique ciuitatis principes, vel tanquam Mediceorum amici, vel tanquam alterius reipublicę status cupidi, suspecti essent, magis temeritate quàm consilio respublica administrabatur, ex quo quum regis postulatis non satisfacerent, imò temporis prorogatione ab illo impetrata sine effectu elabi permissa, maxima illum indignatione accenderant: qui præterea etiam, vt pecuniam & auxilia ad Neapolitanum bellum promissa compararent postulabat: nam etsi ex pacto nisi Pisis receptis non deberentur, sibi, quum illorum culpa factum esset quo minus adepti essent, perinde esse ac si recuperassent, aiebat: ad id vel pecuniæ, cuius natura admodum auidus erat cupiditate, vel quòd præscriptis temporibus non persoluissent, indignatus, vel quòd ob status perturbationem, & multos Mediceorum amicos nullam rebus suis firmam spem in ea vrbe locare posse, persuasum haberet, impulsus: & vt atrocitate acerbitateq; quò autoritate minimè potuerat illos impelleret, palàm illorum legatum quem apud se habebat, sinistrè excipiebat: se non amplius ad illorum patrocinium teneri asserens, quòd sibi Mediolanensis pactionis capita, pecunia ijs comprehensa debito tempore minimè persoluta, non seruassent: quare Iulianum Medicem, qui Pontificis hortatu, vt suo ac fratrum nomine, maxima pecuniæ vi promissa, pro restitutione in patriam illum supplex rogaret, ad se venerat, libentissimè audiuit, & perpetuo cum illo de eorum reditu agebat: ideò Valentinus his rebus audacior factus, & à Vitellotio atque Vrsinis, militibus suis, & Florentinorum, ille ob fraternæ necis iniuriam, hi ob Mediceorum necessitudinem grauissimis hostibus incitatus, antea Liuerotum Firmanum cum centum leuis armaturæ equitibus Pisanis auxilio miserat: & pòst Fauentiam captam, Florentinos armis inuadere, quamuis nec ipse nec pater vllam, à Florentinis iniuriam, imò potius beneficia commoda accepisset: quia ad illorum petitionem, Riariorum patrocinio, cui obstricti erant deseruerant: & quotidie commeatus ex Florentino imperio ad illorum castra ferri patiebantur, decreuerat. Hoc itaq; animo, iam post Fauentiæ deditionem, à Pontifice ex sacri Senatus consensu Flaminiæ, Aemiliæq; dux declaratus, eiusq; rei diplomate accepto, Bononiensem agrum, magna eius vrbis occupandæ spe, cum exercitu ingressus est: sed eodem die quo ad Castellosanpetrum, Imolam inter ferè & Bononiam situm, castra locauit, à Galliæ rege, ne Bononiam oppugnare, neue Ioannē Bentiuolum inde pellere contenderet, mandatum accepit, quòd se & ad vrbis & ipsius defensionem teneri diceret, eamq; exceptionem, in patrocinij suscepti pactione expressam: ne videlicet, in Pontificij iuris fraudē fieret, de ijs rebus eaq; potestate intelligendam, quæ tunc Pontificatus possidebat: si enim promiscuè non autem iuxta verborum sonum quemadmodum volebat Pontifex intelligeretur, frustra Bononienses, & Bentiuoli, in ipsius patrocinium suscepti fuissent: quocirca Valentinus cum maximis Pontificis ac suis querelis ea spe ad tempus deposita, per Paulum Vrsinum cum Bentiuolo, vti sibi per Bononiensem agrū, iter & commeatus concederet, singulis annis nouem ducatorum millia penderet, certum grauis armaturæ equitum & peditum numerum secum in Hetruriam mitteret, Castellum Bononiensem, quod oppidum inter Imolam & Fauentiam positum in Bononiensium ditione est sibi traderet: quòd ipse Paulo Vrsino dono dedit pactus est: quibus ita constitutis, Bentiuolus siue propria suspitione, siue quòd Valentinus vt fama fuit quo illum odiosiorem in ea vrbe faceret, se ab Mariscotta familia, quæ clientelis & factione potens erat, quæq; tum eam ob caussam, tum propter ipsorum insolentiam erat illi valde suspecta, vt Bononiæ appropinquaret inuitatum ei patefecisset, penè omnes ex ea familia qui Bononiæ essent, multorum nobilium adolescentum vnà cum Hermete filio suo opera abusus, vt tanti facinoris in Mariscottorum cæde patrati memoria eius familiæ inimici facti, sui imperij conseruationē optare cogerentur, interfici curauit. Gallicæ copiæ Valentinum non vlterius sequutæ sunt, quia regium exercitum, qui numero mille cataphractorum, & decem peditū millia, Obignino duce, ad Neapolitanum bellum contendebat, vt ei coniungerentur expectabant. Valentinus autem per Bononiensem agrum, cum septingentis grauis armaturæ

turæ equitibus, & quinque ſelectis peditum millibus, & præterea, centum cataphractis & duobus peditum millibus, quos Bentiuolus Protonotario filio ſuo ductore mittebat, in Florentinorum ditionem progreſſus eſt: ac tranſitu & commeatu à Florentinis per illorum fines petito, nec tamen reſponſo expectato, legatos à Florentinis ad ſe miſſos, donec Apenninum tranſiuiſſet benignis verbis demulcens vltra proceſſit: ſed vbi ad Barberinum peruenit, benignitate in acerbitatem commutata, vt ſecum fœdus inirent, ſeq; cum ijs equitibus ijſq; conditionibus quæ gradum ac perſonam ipſius decerẽt, ad ſtipendia ſua conducerent, & præſenti ſtatu mutato, aliam reip. formam cui magis fidere poſſet conſtituerent, poſtulauit: ad hæc verò petenda, non tam potentia ſua, quum minimè magnas copias nec tormenta ad mœnia pulſanda ſecum haberet, quàm ex Florentinorum male affectis rebus, audax fiebat: quum illi paucos equites nec alios pedites quàm regionis incolas quos quotidie cogebant, haberent: Florentiæ verò, propterea quòd Vitellotius & Vrſini in ipſius exercitu eſſent, & Petrus Medices eius iuſſu Loiani in Bononienſi agro hæreret timoris, ſuſpicionis ac diſſidiorum omnia erant plena, & populus, optimates, vt formam reipublicæ ex ſuo arbitrio conſtituerent, illius aduentum procuraſſe, vehementer ſuſpicabatur. Sed in Valentino, quòd Vrſinorum ac Vitellotij, quibus Petrum in patriam reuerſum cõiunctiſſimum fore ſciebat, potentiam ſibi commodam non cenſeret, nullum erat Petri reſtituendi deſiderium: præterea ex fide dignis viris accepi, in ipſius animo, antiquæ indignationis, quum Pompelonæ Archiepiſcopus, patre nundum ad pontificatum promoto, in Piſano Gymnaſio Pontificio iuri operam daret, in eum conceptæ memoriam fixam inſediſſe: nam quum de cuiuſdam familiaris ſui capitali cauſſa ad eum Florentiam iuiſſet, vbi multas horas fruſtrà, donec illum vel negocijs, vel voluptatibus occupatum, alloqui poſſe daretur, expectaſſet, re infecta, ſe contemptum, & non mediocriter læſum exiſtimans Piſas redierat: & nihilominus vt Vitellijs atque Vrſinis gratificaretur, & multò magis vt Florentinorum terrorem atque diſcordiam, quo inſtrumento, vel meliores ab illis conditiones, vel alicuius magni momenti oppidi in eorum imperio occupandi, occaſionem ſperabat, augeret, ſecus ſimulabat: ſed quum irruptionem ſuam Galliæ regi moleſtam eſſe iam ſubolfaceret, quamprimùm Campium, ſex à Florentia paſſuum millibus peruenit, in hunc modum cum illis pactus eſt. Inter rempub. Florentinam & ipſum fœdus ad vtriuſque defenſionem eſſet: neutri parti alterius rebelles iuuare, & nominatim Valentino Piſanos liceret: Florẽtini omnia delicta à quouis in ipſius aduentu cõmiſſa condonarent: neue ad Plumbini principis qui ſub illorum patrocinio erat defenſionem ſe illi opponerẽt: ipſum Florẽtini trecentis grauis armaturæ equitibus, quos quotieſcunq; ſiue ad propriam defenſionem, ſiue ad bellum alijs inferendum opus haberent illis auxilio mittere teneretur, in proximos annos tres præficerent: atque hanc ob cauſſam ei quotannis triginta ſex ducatorum millia penderent: qua compoſitione facta, paruis itineribus, ſingulis caſtris aliquot dies moram trahens, & regionem præda & incendijs nõ minus ac ſi manifeſtus hoſtis eſſet infeſtans, Signiam contendit, inſuper pro ſtipendiorũ quæ cataphractis perſoluuntur conſuetudine, annui ſtipendij quartam partem, & tormenta quæ ad Plumbinum duceret ſibi commodari petebat: quorum vnum Florentini, quòd non tenerentur, apertè recuſabant: alterum quòd quæ coacti promiſerant, minimè præſtare in animo haberent, differebant: & nuntijs ab ipſorum apud Galliæ regem oratore acceptis, eius autoritate ſe hac moleſtia liberatum iri ſperabant: quæ ſpes minimè eos fefellit: regi enim, Valentinum eis minatum eſſe, gratum fuerat, at inuaſiſſe minimè: cui etiam præſentis ſtatus mutatio moleſta fuiſſet: aut ſaltem ſi aliam reip. formam Florentiæ conſtitui cupiuiſſet, id alijs viribus aliáue quàm ſua autoritate factum ægrè tuliſſet: idcirco quamprimùm Valentinum Florentinorum fines ingreſſum cognouit, vti ſtatim diſcederet, & Obignino qui iam cum exercitu in Inſubria erat, ſi non paruiſſet, totis viribus ad eum pellendum contenderet imperauit: quare Valentinus, nec ſtipendij quadrante, nec tormentis acceptis, Plumbinum verſus progreſſus eſt: & Piſanos, qui Vitellotij opera, ab ipſo vt tormenta ad exercitum duceret Piſas miſſi ad Ripomarantias, Florentinorum Caſtellum exercitum duxerant, illinc abirent, mandauit: Plumbini agrum ingreſſus Sugeretum & Scarlinum caſtella, Iluam, Pla-

nosiamque insulas cepit: & præsidijs in locis captis ad ea defendenda, & Plumbinum perpetuò infestandum, idoneis relictis, cum reliquis copijs, vt regium exercitum in Neapolitano bello sequeretur, Latium petijt: regij verò exercitus pars, cum Obignino, Castrocarino itinere Hetruriam erat ingressa, reliqui per Lunigianam eodem contendebant: omnes autem copiæ simul coniunctæ, erant, mille cataphracti, quatuor Heluetiorum millia, & partim Vasconum, partim Francorum peditum sex millia, & ex eorum more, magnus tormentorum apparatus: illud verò notatu dignum fuit, eam copiarum partem quæ per Lunigianam venit, Pisis ingenti tàm Gallorum, quàm Pisanorum lætitia, amicè iter fecisse: eodemque tempore maritima classis, quæ tribus Genuensibus nauibus quas Caracchas vocant, sexdecim alijs, & multis minoribus nauigijs, cum magna peditum copia, constabat, ad idem bellum Raestenio Genuæ præfecto, duce, ex Prouicia soluebat: aduersus quos motus Federicus rex, qui Hispanica arma, amicitiæ specie, in se parata esse ignorabat, Consaluum Ferrandum, qui cum Hispaniæ regum classe, auxilij ferendi simulatione in Sicilia hærebat, vt Caietam veniret, aliquot Calabriæ oppidis, ab illo vt partem suam facilius occupare posset, suarum tamen copiarum securitatis colore, petitis, eius potestati permissis vrgebat: Federicus autem Consaluo copijs suis, quas partim à se, partim à Columnijs Marini conscriptas, septingentos grauis, sexcentos leuis armaturæ equites, & sex peditum millia, fore existimabat, coniuncto, se satis validum aduersus Gallos exercitum habiturum, nec oppidis sese includere coactum iri sperabat: quamuis ab Turcarum Imperatore, à quo ijsdem & maioribus ex huius regis, quàm quæ ex superioris victoria timuerat periculis ostensis, opem obnixè petierat, sperata auxilia deficerent: & vt se à fraude tutum redderet, Bisiniani principem, & Meleti comitem, occulta cum Calatiæ comite, qui cum Gallico exercitu erat, consilia habere apud se accusatos, in carcere includi curarat: qua spe nixus prius tamen Ferdinando filio nanu maximos etiam tum puero, Tarentum, magis ad ipsius si quid sinistri accidisset securitatem, quàm ad vrbis illius defensionem misso, cum exercitu suo ad Sangermanum concedit: vbi Hispanica auxilia, & copias quas Columnij adducebant expectans, feliciori successu, quàm in Caroli aduentu Ferdinandus eius nepos fecisset, se regni claustra defensurum sperabat. In quo rerum statu, proculdubio vniuersa Italia omnibus id bellum grauissimarum calamitatum initium forè iudicantibus, anciptiti dubitatione plena erat: neque enim Galliæ regis exercitus tam potens videbatur, vt Federici, & Consalui coniunctas vires facilè superare posset: & tantorum regum animis irritari cæptis, vtraque pars bellum maioribus viribus persequutura existimabatur, ex quo per vniuersam Italiam, ob varia ceterorum principum studia, graues ac periculosi motus facilè oriri possent. Sed quamprimùm Gallicus exercitus in Romanum agrum peruenit, hæ cogitationes vanæ apparuerunt: quoniam Galli, atque Hispani oratores, vnà Senatum ingressi, Pontifici & Cardinalibus fœdus inter suos reges, regnique diuisionem, vt (quemadmodum aiebant) in Christianæ religionis hostes ducere possent, factam, atque pro eius diuisionis ratione, sibi diploma concedi petentes, notam fecerunt: quod sine mora à Pontifice consequuti sunt: quare de huius belli fine dubitatione sublata & hominum metu in summam admirationem conuerso, Galliæ regis, quod potius eius regni mediam partem in Hispani regis manus peruenire, regemque æmulum suum, in Italiam vbi antea solus omnium rerum arbiter erat, ad quem omnes ipsius hostes, quibus ue ab illo non satis esset factum possent confugere: Romanorum præterea regi arctissimis vinculis coniunctum, introducere, quàm Federicum ipsius beneficio, tributo, quemadmodum varijs modis quæsierat, dato, regnantem pati voluisset, prudentia deliderabatur. Nec minus communi hominum sententia in Ferdinando cunctis hominibus, quod eius regni partis occupandæ cupiditate, in consanguineum suum coniurasset, quemque quo facilius posset euertere semper falsis auxilij promissis fouisset, & Catholici regis, quem ipse cum Elisabetha regina, ante paucos annos à Pontifice erant adepti, splendorem, eamque

gloriam

gloriam qua quòd non minus religionis ſtudio, quàm proprijs de cauſſis, Mauros Granatæ regno expuliſſent, nomen illorum in cœlum vſque efferebatur, obſcuraſſet, ſummopere mirantibus, fides integritasque deſiderabatur: quibus vtrique regi obiectis calumnijs, pro Galliæ rege nihil aliud reſpondebatur, niſi Gallorum tantam eſſe potentiam, vt cùm tempus foret, omnibus erroribus obuiam ire poſſent: pro Ferdinando, dicebatur, quamuis à Federico iuſtã belli inferendi cauſſam accepiſſet, quòd illum multò ante cum Galliæ rege occulta in ſuum detrimentum cõſilia agitaſſe ſciret, tamen non hac de cauſſa motum fuiſſe, ſed quòd, cum regem illum prorſus Neapolitanum regnũ inuadere ſtatuiſſet animaduerteret, ſe aut ad illum tuendum, aut deſerendum cogi: ſi defenſionem ſuſcepiſſet, tam grauis incendij initium fore, vt Turcarum præſertim armis terra mariq; tanta vi Venetos impetentium, Chriſtianæ reipub. valde pernicioſum eſſet futurum: ſin deſeruiſſet, ſuum Siciliæ regnum in graue diſcrimen conijci: præterea, his omiſſis Neapolitanum regnum, quod ad ipſum iure ſpectaret, quodque etiam Federici poſteris deficientibus, nouo iure ad ipſum peruenire poſſet, à Galliæ rege occupari, manifeſtè ipſi inſigni detrimento fore. In hac igitur ancipiti deliberatione diuiſionis viam elegiſſe, qua ex Gallorum peruerſa adminiſtratione illorum quoque partem ſperare poſſet: quod ſi contingeret, ex publicæ vtilitatis ratione, ad quam ſemper plus quàm ad proprium commodum conſilia ſua direxiſſet, conſilio capto, vel ſibi retineret, vel Federico, ſiue potius eius liberis, quòd eius nomẽ ſe iam penè odiſſe, vt qui illum iam antequam Galliæ rex Inſubriam occuparet, cum Turcis conſilia agitaſſe ſciret, negare nõ poſſet, reſtitueret. Horum regum concordiæ nuntius, ita Federicũ terruit, vt quamuis Conſaluus, quæ Romæ promulgata erant contemnere fingens, ſe illi opẽ laturum aſſeueraret, à primis nihilominus conſilijs diſcederet: & Sangermano Capuã verſus regreſſus copias à Columnijs ſuo nomine cõſcriptas expectaret, qui præſidijs Ameriæ, & in Roccapapæ relictis, reliqua omnia quæ in Latio poſſidebant deſeruerunt: Pontifex enim ex Galliæ regis conſenſu, ad illorum fortunas occupandas arma mouerat. In his difficultatibus, cum tandem Conſaluus, quam primùm Gallicum exercitũ vltra Romam proceſſiſſe intellexit, ſua patefeciſſet mandata, & ſex triremibus Neapolim, quæ duas ſeniores reginas, quarũ vna ſoror, altera neptis ſui regis erat aſportarent, miſiſſet, Proſper Columna Federico eas triremes vt retineret, & omnib. viribus ſuis collectis, acie ſe hoſtib. opponeret ſuadebat: quòd in tentanda fortuna, quum præliũ euentus omnium humanarũ actionũ incertiſſimi ſint, aliqua victoriæ ſpes eſſe poſſet: hoc conſilio omiſſo, nullã ipſi prorſus duobus potentiſſimis regibus, qui ſe ex diuerſis regni partibus adorirentur, obſiſtendi, facultatem reliquam eſſe: nihilominus Federicus qui id conſilium quoque tenuiſſimæ ſpei cenſebat, oppidorum præſidijs operam dare ſtatuit: quare quum iam antequam Obigninus Roma exiret, Sangermanum aliaq; vicina loca defeciſſent, primum impetum Capuæ expectare ſtatuit, qua in vrbe Fabritium Columnã, & cum ipſo Rinutium Martianũ, qui recenter ad eius ſtipendia venerat, cum trecentis grauis, aliquot leuis armaturæ equitibus, & tribus peditum millibus poſuit. Ad Neapolis præſidium, Proſperum Columnam reliquit: ipſe verò cum reliquis copijs, Auerſæ conſtitit. Obigninus autem Roma profectus, quia Fabritius Romæ, nonnullorum Neapolitani regni procerum, qui Gallicas partes ſequebantur, nuntios, ad ſecum paciſcendum miſſos, interfici curarat, indignatus, Marinum, Cauium, & nonnulla alia Columniorum oppida incendi iuſſit. Deinde ad Montefortinum, quem locum Iulium Columnam defenſurum arbitrabatur contendit: ſed quum illum parua cum laude deſeruiſſet, Obigninus vlterius progreſſus, omnia in Capuano itinere circumiecta oppida ad Vulturnum vſque occupauit: quem quum prope Capuam vado tranſire non poſſet, vt in ſuperiora loca montem verſus, exercitum traijceret profectus eſt: quo cognito Federicus, Auerſa relicta Neapolim ſe contulit. Auerſa verò, cum Nola, & multis alijs locis Gallis ſe dediderunt; quorum vires omnes circa Capuam conuenere: vbi pars, cis, alia trans flumen, ad ſuperiorem partem, vbi ad vrbem fluere incipit, caſtra poſuit: & mœnibus vndequaque magno impetu concuſſis, ferocem admodum impreſſionem fecerunt: quæ quamuis non feliciter ſucceſſerit, imò magna clade accepta à mœnibus receſſerint, tamen quum non abſque defenſorum graui periculo fuiſſet, ducum

& militum animi, prȩcipuè quia in populo, & regionis incolis quorum maximus numerus eò confugerat, magnam conſternationem animaduertebant, ad deditionem inclinare cæperunt: cumque octauo obſidionis die, Fabritius Columna ex propugnaculo, cum Calatiæ comite, de deditionis captibus loqui cæpiſſet, militum in cuſtodiendo negligentia, vt ſæpe, in propinqua pacis ſpe accidit, hoſtibus irrumpendi occaſionem prȩbuit, qui ob prædæ cupiditatem, & ob cladem in oppugnatione acceptam ira perciti, totam vrbem multa cum cæde diripuerunt, eosq; qui ipſorum crudelitati ſuperfuerant captiuos fecerunt. Nec minor fuit efferata in mulieres impietas, quæ ex omni ſtatu, etiam quæ religioni ſacræ erant, victorum libidini & auaritiæ, miſera præda fuere: quarum multæ poſtea minimo pretio Romæ venditæ ſunt: & fama eſt aliquas Capuæ, minus mortem, quàm honoris iacturam horrentes, alias in puteos, alias in flumen ſe præcipites dediſſe: Et præter alia ſcelera infamia digna ſempiterna, diuulgatum eſt, ducem Valentinũ, qui regij vicarij appellatione caſtra tantummodo cum ſuis nobilibus & ſtipatoribus ſequebatur, quum multæ quæ primum impetum effugerant, in turrim quandam confugiſſent, omnes inſpicere voluiſſe: ijsque diligenter inſpectis, quadraginta, omnium formoſiſſimas retinuiſſe. Fabritius Columna, Vgo Cardonius, & omnes reliqui duces, virique inſignes captiui fuerunt: inter quos Rinutius Martianus, qui in oppugnatione baliſtæ iaculo vulneratus, cum in Valentini miniſtrorum poteſtatem peruenisſet, non absque procuratæ necis ſuſpitione, biduo extinctus eſt. Capuæ iactura, omnis vllius rei defendendæ ſpes ſublata eſt. Caietani absque mora vrbem dediderunt, cumque Obignino, cum exercitu Anerſam veniſſet, Federicus Neapolitana vrbe relicta, quæ ſexaginta ducatorum millibus victori promiſſis deditionem fecit, in arcem nouam ſe recepit: ac poſt paucos dies cum Obignino ſic compoſuit: vt oppida atque arces quæ ex partitione facta ad Galliæ regem ſpectarent, & in ſua poteſtate eſſent, intra ſex dies ei ſola Iſchia inſula ad ſex menſes retenta traderet: quo temporis interuallo, quocunque vellet præterquam per regnum Neapolitanum ei ire: centum grauis armaturæ equites Tarentum mittere: omnia præter tormenta à Carolo rege relicta, ex arce noua, atque altera quæ Oui dicitur aſportare liceret: omnibus, quæ poſtquàm Carolus Neapolim venerat commiſiſſent, condonarentur: Cardinales Columna & Aragonius, ſacerdotiorum prouentus, quos in eo regno habebant, perciperent. Sed in Iſchiæ arce, omnes certè Ferdinandi primi poſterorum miſeriæ miſerabili ſpectaculo, comulatæ cernuntur: quoniam præter Federicum, recenter tam præclaro regno ſpoliatum, ac multo magis de tot paruulorum liberorum, & de primi ſui nati Tarenti obſeſſi, quàm de propria ſorte ſollicitũ, erat in eadẽ arce eius ſoror Beatrix, quæ, poſt Matthiæ celeberrimi Vngariæ regis viri ſui obitum, ab Vladiſlao Boemiæ rege, quo ab illa ad id regnum occupandum iuuaretur, matrimonij fide accepta, ab illo vbi voti compos fuit, ingratiſſimè repudiata fuerat, qui poſt Alexandri pontificis permiſſu, aliam vxorem duxit: ibidem quoque erat Iſabella Mediolanenſium dux, haud minus quàm ceteri omnes calamitoſa, quòd penè eodem tempore, marito, regno, atque vnico filio orbata eſſet. Illud fortè, vtpote maximum nequaquam prætermittendum eſt: quod quidem eò rarius eſt: quo temporibus his filiorum in parentes amor minus eſt frequens: Puteolos ad paternum ſepulchrum viſendum vnus è Gilberti Mompenſerij liberis venerat: qui grauiſſimo mœrore commotus, innumeris effuſis lacrymis, ſupra idem ſepulchrum exanimis cecidit. At Federicus, extremo quo in Hiſpaniæ regem flagrabat odio ductus, quum ad Galliæ regis clementiam potius confugere ſtatuiſſet, ad regem fidem publicam poſtulatum miſit: eaque accepta, ſuis omnibus in Iſchiæ arce relictis, vbi etiam manſerunt Proſper & Fabritius Columnij, qui multa perſoluta à Gallis liberatus fuerat, & inſula Vaſtij marchionis & Francheuillæ dominæ fidei, vt antea fuerat, commendata: & copiarum ſuarum parte ad Tarenti defenſionem miſſa, cum quinque triremibus in Galliam infelici ſanè conſilio traiecit: ſi enim libero in loco fuiſſet, fortaſſe in bellis, quæ poſt inter duos reges orta ſunt, multas in regnum ſuum redeundi occaſiones habuiſſet: ſed tranquilliorem vitam ſequutus, ac fortè hanc optimam rationem ratus, conditionem oblatam, vt in Gallia maneret, ab rege accepit: ea autem fuit, vt Anioui-

dux esset: ac præterea aureorum numûm triginta millia quotannis acciperet: quibus rebus confectis ijs quos Ischiæ præfecerat, vti eam Galliæ regi traderent mandauit: qui parere recusantes, diu, sub Federici tamen in signibus eam tenuerunt. Eodem tempore Consaluus in Calabriam transierat, vbi quamuis regio vniuersa Gallorum potius imperium exoptaret: tamen quum nullum defensorem haberet, omnia oppida & vrbes præter Manfredoniam atq; Tarentum, sponte illum admiserunt: Manfredonia cum arce obsidione capta, exercitum Tarentum, vbi maior apparebat difficultas duxit: quanihilominus tandem quoq; deditione potitus est, quoniam Potentiæ comes, cuius custodiæ paruus Calabriæ dux à patre commissus fuerat, & Leonardus Neapolitanus, Rhodius eques Tarenti præfectus, quum nullam amplius defensionis spem viderent, nisi intra quatuor menses auxiliũ acciperent, vrbem cum arce ei tradidere: isq; vicissim solemni ad sacra altaris misteria sacramento confirmauit, se Calabriæ ducem liberum abire permissurum: qui occultum à patre mandatum habebat, si fortunæ amplius repugnare non posset, ad se in Galliam contenderet, sed nec Dei metus, nec apud homines suæ existimationis ratio, plus quàm regni causa potuere: quum enim Consaluus, ipsum Hispaniæ regis potestate non esse, olim plurimum interesse posse animaduerteret, iureiurando contempto abeundi facultatẽ minimè dedit: sed quamprimûm potuit bene comitatum in Hispaniam misit: vbi à rege benignè acceptus, apud ipsum si externam quandam speciem spectes, in regio penè honore fuit. Hoc eodem tempore res Pontificis solitum felicitatis cursum obtinebant, quia mira facilitate omnem Columniorum & Sabellorum, in Latio ditionem, in potestatem suam redegerat: cuius partem Vrsinis dono dedit: & Valentinus in bello aduersus Plumbinum perseuerans, Vitellotium, & Iohannempaulum Balionem, cum nouis copijs eò misit: quorum aduentu Iacobus Appianus qui regnum illic obtinebat territus præsidio in arce & oppido relicto, maritimo itinere, vt num à rege, qui multo antè illum in suam clientelam receperat, vt proprij honoris causa, se pessundari non permitteret, impetrare posset experiretur, in Galliam contendit: cui rex infamia sua nullo artificio tecta, se Pontifici non repugnaturum promisisse, nec sine suo ipsius detrimento facere posse, admodum apertè respondit. Sed interea oppidum, Pandolfi Petrucij opera Valentino deditum fuit: idemq; intra paucos dies & arx fecit. Pontifex etiam Lucretiam filiam, quæ iam tribus viris desponsa fuerat, & tunc Gismundi Biseliorum principis, Alfonsi Neapolitani regis, nothi filij, quem Valentinus trucidauerat, obitu, vidua erat. Alfonso Herculis Estensis natu maximo, cum centum millibus aureorum numûm in pecunia numerata dotis nomine, multisq; maximi prætij muneribus, connubio iunxit, cui matrimonio Estensis familia, nobilissimis affinitatibus contrahendis assueta indigno Hercules & Alfonsus, quia rex Galliæ, Pontifici in omnibus obsequendi cupidus, id summopere vrgebat, consenserunt, sui etiam regni, ab Valentini armis & ambitione, (si tamen aliqua aduersus tantam perfidiam erat idonea cautio) muniendi desiderio ducti, qui Pontificatus pecunijs & autoritate, nec non Galliæ regis fauore potens: iam magnæ Italiæ parti erat formidabilis: vtpote quæ cerneret, eius dominandi libidinemn, nullo iam termino aut fræno contineri. Eadem tempestate Galliæ rex, maxima diligentia non modo, sumptuum ac suspicionum vitandarum, & Mediolanensis imperij diu exoptati diplomatis impetrandi spe, verùm etiam, vt Venetos infestandi facultatem haberet, pacem cum Maximiliano Cæsare procurabat: ad quod quidem, quia suam felicitatem illis molestam esse sciebat, eosq; vt pacem inter Cæsarem & ipsum impedirent operam dedisse sibi persuaserat, impellebatur: sed multo magis Cremonæ & Giaradadæ, quas ipsemet paulo antè concesserat: & Brixiæ, Bergomi & Cremæ, quæ vrbes olim Mediolanensis imperij fuerant, & à Venetis in bellis quæ cum Philippomaria Vicecomite gesserant, occupatæ, imperio suo adiungendarum cupiditate, qua & per se, & Mediolanensium stimulis flagrabat, mouebatur: & vt hæc ex propinquiori loco tractaret, resq; ad Neapolitanum bellum necessarias cõpararet, Cardinalem Rotomagensem, cuius lingua & autoritas regis ipsius lingua autoritasque erat, multo ante Mediolanum miserat, qui cum ob Romanorum regis crebras mutationes, nihil adhuc cum illo firmi statuere potuisset, plures menses ibi moram traxerat. Hoc tempore Florentini per cardinalem, vt denuò in regis clientelam admitteren-

tur egerunt,sed fruſtrà, quoniam difficiles admodum leges perponebat, imò animo ab illis prorſus alieno oſtenſo, ſeque pactionibus Mediolani factis non amplius teneri ratus,Lucenſibus denuò in clientelam admiſſis, Petramſanctam & Mutronem, tanquam veteri iure ad eam vrbem ſpectantes, eis quatuor tamen & viginti millibus aureorum numûm ab illis velut Genuenſiũ dominus acceptis, eis tradi iuſſit: quia Lucenſes olim Petræſanctæ domini,quadam neceſſitate impulſi tanta pecuniæ ſumma mutuò accepta Genuenſibus oppignorarant:ex quorum manibus poſtea iure belli ad Florentinos peruenerat: egit etiam cum Senenſibus, Lucenſibus, & Piſanis, vt ad Mediceos Florentiam reducendos coniungerentur, regem ex ſingulis non paruam pecuniæ ſummam inde conſecuturum ſperans : quæ conſilia etſi ferè ad ſtipulationem perducta fuerant, non tamen exitum habuere : quia non omnes ad poſtulatam pecuniam ſoluendam parati erant. Tandem certior à rege Romanorum ſpes allata fuit,ideoque Cardinalis Tridentum ad tranſigendum cum illo , ſe contulit : vbi multa ad Claudiæ Galliæ regis filiæ, & Caroli Archiducis natu maximi matrimonium Mediolanenſis ducatus iuribus vtrique conceſſis firmandum ſpectantia tractarunt : agebatur etiam de bello Venetis inferẽdo:quo vnuſquiſq;,ea quæ ab illis vſurpari ſibi exiſtimabat recuperaret: & de vniuerſali concilio, ad res Eccleſiæ non modò vt aiebant in membris verùm etiam in capite corrigendas, conuocando : & in hoc Romanorum rex,vt Rotomagenſi Cardinali, Pontificatus, ad quem ipſe vehementer aſpirabat,& regem eius rei propriæ potentiæ gratia non minus cupidum habebat, adipiſcendi ſpem faceret, conſentire ſimulabat :ab Galliæ rege quoque in clientum & fœderatorum capite , ea exceptio, ſaluis imperij iuribus concedebatur : qua Maximiliano, etiam in eos qui vel tunc ab rege nominati eſſent, vel prius in ipſius clientelam admiſſi, agere licebat, tantùm præcipua priuilegij controuerſia relinquebatur,quòd Cæſar maribus,ſi quos rex ſuſcepturus eſſet concedere recuſabat: & in Inſubriæ exulum reſtitutione aliqua erat difficultas: quam quum Cæſar vehementer peteret, quia multi erant, & factione atque autoritate potentes, rex non admittebat, quamuis eiuſdem precibus impulſus Aſcanium Cardinalem liberarit: & de Ludouico Sfortia,cum viginti millium ducatorum ſtipendio, quo in Galliæ regno honeſtè viueret,pariter liberando ſpem fecerit : quibus in rebus quum non penitùs inter eos conueniret , ſed alicuius tamen commodæ rationis inueniendæ ſpes eſſet , eamque ob cauſſam inducijs denuò renouatis Cardinalis res tractatas breui prorſus tranſigi poſſe ratus in Galliam redijt : quæ ſpes ideò aucta fuit,quia non multo pòſt, Archidux , in Hiſpaniam , vt ſibi & Ioannæ coniugi ſuæ , Hiſpaniæ regis natu maximæ velut hæredibus , populorum fidem ſacramento obſtringeret, profecturus , cum vxore terreſtri itinere facto , Bleſiaci Galliæ regem conuenit , vbi maximo honore acceptus,de filiorum connubio concordes fuere. Hoc ipſo anno Auguſtinus Barbadicus Venetorum dux, principis munere feliciſſimè , tantaque autoritate , vt in multis rebus ſuperiorum ſuorum gradum exceſſiſſe videretur functus obijt: ideò ſucceſſorum poteſtate , nouis legibus coarctata , republica, ob præſtantem adminiſtrationis formam , nec principis morte, nec noui electione vllam mutationem paſſa , Leonardus Lauredanus in eius locum ſuffectus eſt. Eodem hoc anno præter ſuperiorum annorum conſuetudinem , arma inter Florentinos ac Piſanos ſatis pacata fuerant : quia Florentini , quum non amplius in Galliæ regis clientela eſſent , ſemperque Pontificem ac Valentinum metuerent , magis proprijs rebus tuendis, quàm alienis infeſtandis operam dederant: Piſani verò per ſe, ad laceſſendum imbecilles,aliorum auxilio, quia nemo niſi ad illos quum in periculo eſſent tuendos mouebatur, id facere minimè poterant. Anno autem milleſimo quin-
1502. genteſimo ſecundo , ad conſuetos motus redierunt , quoniam Florentini ſub eius anni initium omnibus difficultatibus magis fortunæ beneficio, quàm regis benignitate, vel alijs de cauſſis ſuperatis ,denuò cum Galliæ rege fœdus inierunt: rex etenim Romanorum, poſt Rotomagenſis Cardinalis diſceſſum noua conſilia ingreſſus , & Inſubriæ regni diploma , etiam pro filiabus regi concedere recuſans , Hermetem Sfortiam, ab Galliæ rege in Romanorum reginæ ſororis ſuæ gratiam carcere liberatum , & Brixinæ præpoſitum , oratores in Italiam , vt cum Pontifice reliquiſque princi-

principibus, de suo ad Imperij coronam accipiendam aduentu agerent misit: qui aliquot dies Florentiæ immorati, vt ea ciuitas illi quamprimùm Italiam attigisset centum grauis armaturæ equites, & trecentas auri libras dare vellet, effecerant: quare rex, ne Florentini amicitia sua excluſi, ad Maximiliani res animum conuerterent veritus, immoderatis postulatis omissis, ad æquiores conditiones deuenit: Quarum hæc fuerunt capita: Rex eos patrocinio complexus per tres proximos annos proprio ære, à quouis qui seu iure seu iniuria eam quam tunc possiderent ditionem infestaret, armis tueri teneretur: Florentini eo triennio, mille ducentas auri libras regi darent: ita vt singulis annis tertiam penderent partem: omnia reliqua fœdera inter illos facta, & quæ ex ijs penderent obligationes, sublatæ extinctæque essent: Florentinis Pisanos aliosque qui ipsorum oppida occuparent armis persequi liceret. Quo fœdere audaciores facti, vt postquam oppugnatio infeliciter tentata fuerat, Pisanos temporis longitudine & fame ad deditionem cogerent, agros vastare decreuerunt. Hoc consilium primo illorum defectionis anno ab aliquo sapienti ciue, qui hac, quamuis longiori, certiori tamen via, minori sumptu ac periculo, Pisanos affligendos atque atterendos suadebat, propositum fuerat: quoniam pecunia conseruata, in tam perturbato Italiæ statu, multis occasionibus vti possent, si autem illos vi cogere conarentur, quum ea ciuitas mœnibus munita, & incolis ad eam defendendam pertinacibus plena esset, rem factu difficilem fore: & quia quotiescumque illa in periculo versaretur, omnes illi qui eam non opprimi cuperent, qui multi quidem erant, opem essent laturi, sumptus graues, spes autem exiguas, imò cum manifesto grauium molestiarum discrimine forè: quod ab initio velut pernitiosum reiectum, plurium annorum cursu, sed eo tempore quòd ad victoriam adipiscendam, iam ingentem pecuniæ vim insumpserant, & plurima pericula subierant, vtile repertum est. Agris igitur vastatis, regij patrocinij respectu neminem arma moturum sperantes, ad Vicopisanum exercitum miserunt: quia illud oppidum ante paucos dies, nonnullorum militum qui in præsidio erant proditione, in Pisanorum potestatem peruenerat, & arcis præfectus, auxilio, quod intra paucas horas adfuisset minimè expectato per summam ignauiam arcem quoque dediderat: nec de victoria facilè consequenda, quòd illos quindecim dierum commeatum non habere scirent, & quo minus inferretur se prohibituros sperarẽt, dubitabant: quare propugnaculis in montibus extructis, & pluribus in locis itineribus occupatis, quum eodem tempore Fracassam, qui pauper & sine stipendio in Mantuano agro degebat, Maximiliani penè mendicatis literis & nomine fretum cum paucis equitibus Pisas petere comperissent, in Bargensi agro ei insidias posuerunt: quibus in itinere oppressus quamuis in propinquum Ferrarien sium ducis imperij templum confugisset, à persequentibus captus fuit. Hæc in Hetruria gerebantur, nec dum quid præter hominum expectationem paritura essent apparebat. Sed maiores longeq; periculosiores motus, & ex quibus maximi momenti res manaturæ erant, in regno Neapolitano, ob diffidia iam superiore anno inter Gallos & Hispanos duces orta, gliscere incipiebant: quorum origo fuit, quòd quum ex illa regni diuisione, vni Leborij campi, & Aprutium, alteri Apulia & Calabria prouinciæ adiudicatæ essent, prouinciarum fines & termini, non bene expressi fuerant: ex quo vterq; eam partem quæ nunc Capitanatus dicitur, sibi deposcere cæpit, cui controuersiæ, priscorum nominum, ab Alfonso Aragonio eius nominis primo Neapolitano rege immutatio facta occasionem præbuit, qui vt censuum ac vectigalium exactionem faciliorem redderet, regnum vniuersum in sex præcipuas prouincias distribuit, hoc est, Leboriam terram, Principatum, Basilicatam, Calabriam, Apuliam, & Aprutium, ex quibus Apulia, in tres partes diuidebatur, videlicet in Hydruntinam, Barensem, & Capitanatum, qui Capitanatus quum Aprutio sit coniunctus, ab reliqua Apulia Lofanto flumine qui olim Aufidus dicebatur, seiungitur. Gal li igitur qui nouæ apellationis non habita ratione, in diuidendo veterem spectauerant: Capitanatum aut sub nulla quatuor dictarũ prouinciarum cõprehendi, aut potius Apruti j quàm Apuliæ partẽ esse volebant: nec tam regionis magnitudine mouebantur, quàm quòd nisi Capitanatum possiderent, nullum ex pecore vectigal, magnũ eius regni vectigalium membrum ad ipsos perueniebat: & quia Aprutium & Leborij campi frumento

quod in capitanatu naſcitur ſpoliati, ſterilibus temporibus, quoties ab Hiſpanis ex Apulia & Sicilia accipere prohiberentur facilè ad extremam penuriam redigi poterant. Sed in contrariam partẽ, quòd Aprutium locis montanis terminatum ad planitiem minimè protendatur, & quia in controuerſijs de prouinciarum nominibus, & terminis, ſemper præſens conſuetudo ſpectatur, Capitanatum minimè ad Gallos pertinere adducebatur. Quibus in altercationibus, anno priore, vectigalia in æquas partes diuidere contenti fuerant: ſed anno ſequenti eadem diuiſione minimè contenti, quantum quiſq; potuerat arripuerat, & nouæ contentiones acceſſerant: iam tunc, (ſic fama erat) magis præfectorum voluntate, quàm regum conſenſu excitatæ, quoniam Hiſpani Principatum, & Baſilicatam Calabriæ, quæ duplex eſt, Calabria citra, & Calabria vltra, id eſt ſuperior & inferior, includi, & Beneuentanam vallem quam Galli poſſidebant Apuliæ partem eſſe volebant: & ideò magiſtratus, qui iuriſdictionem exercerent ad Tripaldam, duobus ab Auellino, vbi Galli magiſtratus erant, paſſuum millibus procul miſerunt: quæ apertè diſſenſionis initia quum regni proceribus moleſta eſſent, inter Conſaluum Hernandem & Ludouicum Arminiacum Nemurij ducem Galliæ regis vices gerentem, operam ſuam interpoſuerunt: qua effectum eſt vt Ludouicus Melfiam, & Conſaluus Atellam, Melfiani principis oppidum venerit, & poſt aliquot menſium agitationes, quibus etiam duo imperatores ſimul collocuti ſunt, nulla inter eos concordiæ forma inuenta, ſuorum regum mandata expectare ſtatuerunt: ita vt interea temporis nihil innouaretur. Sed Gallus prorex, quòd viribus longe ſuperior eſſet ſuperbia elatus, intra paucos dies alia lata ſententia Conſaluo ni illico Capitanatum relinqueret bellum indixit, deinde ſtatim milites ſuos ad Tripaldam excurrere iuſſit: ex qua incurſione, quæ decima nona die Iunij facta fuit bellum initium habuit, in quo ſemper perſeuerantes Galli, ſine reſpectu, oppida quæ Hiſpani in Capitanatu & alibi poſſidebant vi occupare cæperunt: quæ ab ſuo rege non modo repreſſa non fuerunt, verùm etiam quum Hiſpaniæ regem, Capitanatu non cedere decreuiſſe iam certior factus eſſet, toto animo ad bellum conuerſus, duo Heluetiorum millia, mari ſuis auxilio miſit: & Salernitanum, atq; Biſinianum regulos, cum nonnullis alijs nobilium primoribus, ad ſtipendia ſua pertrahi curauit: præterea vt ex propinquiori loco, res ad totum regnum imperio ſuo ſubijciendum ad quod iam locis quæ in controuerſia erant minimè contentus, palàm aſpirabat, neceſſaria ſuppeditare poſſet, & ſi opus foret in Italiam tranſiret, Lugdunum venit: ad id autem citò efficiendum, noui tumultus in Hetruria exorti, Vitellotij, Ioannepaulo Ballione & Vrſinis conſcijs opera, & præcipuè Pandulfi Petrucij conſilio & autoritate concitati, qui omnes Petrum Medicem Florentiam reducere cupiebant, illum coëgerunt. Res hanc habuit originem: quum Gulielmo Paccio, Flõrentinorum Aretij præfecto, nonnullos ciues eam vrbem, ipſorum opera à Florentinis defecturam, cum Vitellotio pactos eſſe innotuiſſet, ipſe omnium animos corruptos eſſe minimè ratus, & publici nominis autoritatem, pro virium defectu ſatis fore perſuaſus nullo idoneo ad cõiuratos, & eos qui repugnare vellent opprimendos ſubſidio comparato, quod breui temporis ſpacio facere poterat, repente duos ex conſcijs in carcerem conijci curauit: quare populus à cæteris coniuratis concitatus, & alioqui ſemper ſiniſtro in nomen Florentinum animo, tumultuans duos captiuos recuperauit, & præfectum cum reliquis magiſtratibus cepit, & per totam vrbem libertatis nomine cõclamato, apertam defectionem declarauit, ſola arce in Florentinorum poteſtate relicta: in quam, tumultus initio Coſmus, eius vrbis epiſcopus præfecti filius confugerat: quo facto Aretini ſtatim ad Vitellotium accerſendum miſerunt, cui id antè ab ſe cum coniuratis ſtatutum tempus accidiſſe quia nundum vires, quibus Florentinorum copijs, ſi vt veriſimile erat, Aretium per arcem ingredi voluiſſent obſiſteret, collegerat, non placebat: cuius metus gratia, quamuis ſtatim cum ſua equitum ala, & multis peditibus quos à ciuitate caſtelli expectabat, Aretium contenderit, & Ioannespaulus Ballio milites aliquot Peruſia miſerit, & Pandulfus Petrucius clam aliquam pecuniæ ſummam ſuppeditarit, tamen illis copijs, cum mandato, vt arci ne ex ea in vrbem aditus pateret obſtruendæ diligenter operam darent, ibi quaſi mox maioribus viribus Aretium eſſet rediturus relictis, Ciuitatem caſtelli reuerſus eſt. At Florentiæ, ab illis, ad quos huius rei cura pertinebat, quanti momenti

eſſet

esset hic motus, non satis ab initio animaduersum fuit: nam quum ciuitatis principes quorum consilio grauibus reip. negocijs deliberari solebat, copias quæ ad Vicopisanũ castra habebant, numero tantas, vt si citò perrexissent, validum obstaculũ non essent habituræ, statim Aretium mitti suasissent, multi imperiti qui maiores magistratus gerebant, hanc rem leuem esse, cuiq; ei vrbi vicinorum viribus occurri posset: sed ab ijs qui animo à præsenti statu alieno, ne eo anno Pisarum recuperationi incumbi posset, Vicopisanum non expugnari cupiebant, periculum maius fingi vociferantes tandiu copiarum profectionem distulerunt, vt Vitellotius ex illorum tarditate, resumpto animo, & iam viribus auctus Aretium redierit: quem Ioannes Paulus Ballio, Fabius Pauli Vrsini filius, Cardinalis & Petrus Medicei, cum alijs copijs sequuti sunt: & tormentorum apparatu Senis accepto, arcem verberare cæperunt: in qua more quorundam, qui in nouis munitionibus ædificandis quàm in iam extructis conseruandis, diligentiores sunt, commeatus & reliqua omnia ad defensionem necessaria deficiebant: præterea ab exteriori latere, vt auxilij admittendi facultatem adimerent, fossis aggeribusque præsepiuerunt: adeò vt qui intus erant, necessarijs rebus destituti, Florentinorum copias, quibus Hercules Bentiuolus imperabat, tandem castris ad Quaratam castellum Aretio propinquum positis, vlterius progredi non audere scientes, auxilij spe frustrati, quarto decimo post ciuitatis defectionem die, coacti, ea lege vt cæteris liberis, Episcopus, cum octo alijs ab Aretinis nominatis, quo eos cum nonnullis ciuibus suis qui Florentiæ in carcere detinebantur permutare possent, captiui essent, arcem dediderunt: quam Aretini statim facto concursu diruerunt: & Florentinus exercitus, ne Vitellotius & Ioannespaulus, iam ipsis potentiores in se ducerent veritus, omnia circum posita oppida capiendi hostibus potestate relicta, Montemuarchium se receperunt. Opinio fuit hanc irruptionem absq; Pontificis & Valentini, quibus Petri Medices, propter ipsius cum Vitellotio & Vrsinis, quos iam opprimere clàm in animo habebant, necessitudinem, Florentiam reditus molestus fuisset, consilio factam fuisse: nihilominus semper contrarium simulantes, Vitellotium, Ioannempaulum & Fabium, suos milites eam expeditionem persequi permiserunt: nec summam se ex Aretij defectione voluptatem cepisse dissimularunt, facile fieri posse, vt ex Florentinorum molestijs sperantes, vel ipsi aliquam illorũ imperij partẽ adipiscerentur, vel illos ad aliquas duras conditiones sibi vtiles accipiendas cogerent. Florentinis autem illos eius rei autores non fuisse difficile persuasu erat: ideoq; tanto magis territi, & proprijs virib. diffisi, quòd propter peruersum ciuitatis statum, paruũ equitatũ haberent, nec tam cito, quàm in tã repentino periculo necesse fuisset, cõparare possent, summa diligentia Gallię regis auxilia implorarũt, nõ modò quòd tam reeẽter ipsorum patrociniũ suscepisset, de ipsius honore, verùm etiã de periculo, si Pontifex & Valentin⁹, quorũ opera hos motus excitatos, dubitandum minimè esset Hetruriæ imperio potirentur, Insubriæ imminenti agi, cõmemorãtes: illos armorũ potẽtia, & exercitu delectis ducib. ac militibus florenti vigere: iãq; ad illorũ immẽsam ambitionem explendã, nec Aemiliã Flaminiãq;, nec Hetruriã omnẽ satis esse, sed vastos immensosq; fines sibi proposuisse, luce meridiana clarius apparere: & quandoquidẽ, regis maiestatẽ, eos qui sub illius patrocinio erãt, adorti læsissent, cogi nunc illos non minus de propria salute, quàm facultate qua tantam iniuriam vlcisci possit, ei adimenda cogitare. Regem cui iam antea, Pontificis ac filij insolentia ambitioq; molesta esse cæperat, hę rationes vehementer commouerunt: quumq; bellũ in regno Neapolitano cum Hispaniæ regibus cæptum esse, tentaram cum Maximiliano pacem, impeditam, nec se multas ob causas Venetis fidere posse animaduerteret, vereri cæpit ne Hetruriæ motus occulto aliorum cõsilio, maiores in se fines habiturus esset: quam suspicionem, Caroli Amboisij Ciamontij domini, Rotomagensis cardinalis nepotis, regijq; in Insubria vicarij, qui ex hoc nouo motu suspicione capta, vt proprio periculo solicite obuiã iret hortabatur, literæ vehementer confirmarunt: quocirca in Italiam quamprimùm transire, & in Florentinorum rebus defendendis, moram nullam interponere statuit: eidemq; Ciamontio, vti statim illis quadringentos cataphractos auxilio mitteret imperauit, ac Normandiam fœcialem suum celérrimè mutatis equis, qui Vitellotiũ, Ioannempaulum, Pandolfum & Vrsinos, atq; vnà Valentinum ducem, à Florentinorũ iniurijs desistere iuberet: misit,

& ipſemet cum pontificio oratore vehemẽter ea de re egit, Iulianoq; Mediceo Pandolfiq; ac Vitellotij procuratoribus qui in ipſius aula erant admodum contumelioſis verbis minatus eſſet. Intereà verò Valentinus, qui poſt Aretij tumultum, Camerini expugnationi quo prius Grauinæ ducem, & Liuerotum Firmanum cum copiarum parte, ad agros vaſtandos, & ciuitatem obſidendam miſerat, ſe velle operam dare ſimulans, re autem vera, Vrbinati imperio inſidijs occupando intentus, cum exercitu Roma egreſſus erat: reliqua copiarum parte in Peruſini agri finibus collecta, à Guidobaldo Vrbinatiũ duce, tormenta, & militum auxilium petijt. quia verò principi qui tam propinqua arma haberet denegare minimè tutum erat: & quia controuerſia quædam quam de tributis cum pontifice habebat, fuerat iam ante compoſita, timendi cauſſam non habebat, eius petitioni facilè annuit: ſicq; viribus illi ad defenſionẽ ademptis, repentè Nuceria tanta celeritate profectus, vt ne cibi ſumendi quidem militibus ſuis in itinere ſpacium cõceſſerit: eodem die copias Callium, quæ ciuitas in Vrbinati imperio eſt, duxit: qui repentinus illius aduentus, illos omnes imparatos ita terruit, vt dux cũ Frãciſcomaria Ruuereo vrbis præfecto ſuo nepote, vix euadendi facultate habita, ſic in fugam coniecti fuerint, vt prẽter ſancti Lei, & Maioli arces, Valentinus, ingenti Pandulfi Petrucij, Vitellotij, & Vrſinorum, qui ex aliorum malis proprium periculum cernere incipiebant, cum dolore atq; terrore, paucarum horarum ſpacio totum illud regnum in poteſtatem ſuam redegerit. Vrbinati regno occupato, varia fuerunt eius conſilia, an ad Camertinum bellum conficiendum ſe cõuerteret, an verò palàm Florentinos inuaderet, ad quod quidẽ toto animo propenſus fuiſſet, niſi iam ab rege acceptum mandatum, & quod illum, Pontificis ne ſe his motibus opponeret præcibus poſthabitis prorſus animo ad illorum defenſionem obfirmato cataphractos illis auxilio mittere ſciret, & quod magis illum mouebat, quia ipſummet regem in Italiam venire audiebat, obſtitiſſet. Quę dum ſecum animi dubius voluit, Vrbiniq́ue ex rerum euentu conſilium capturus, moratur, varia eodem tempore à Pontifice & ipſo cum Florentinis, quos aliqua ex parte in ſua vota pertrahi poſſe ſperabant, agebantur: & ſimul ſuos milites ſemper in Vitellotij caſtra ire patiebatur, qui octingentis equitibus & tribus peditum millibus collectis, & quo maiorem rebus autoritatem cõciliaret, copias ſuas Pontificium exercitum appellans poſt Aretinæ arcis deditionem, montem Sanſouinum, Caſtellionẽm aretinum, & Crotonem ciuitatem, cum ceteris omnibus Glanicæ vallis oppidis atque caſtellis occupauerat: quorum nullum, quòd Florentinorum parata auxilia non viderent, quodq́ue meſſis tempore inſtante fructus nollent amittere, oppugnationem expectauit: ſeq; non ideò à Florentinis, quum in caſtris eſſet Petrus Medices pro cuius reſtitutione ea geri dicerẽtur deficere excuſantes, aiebant. Nec dubium eſt quin ſi Croton capta, Vitellotius extemplo Caſentinum agrum ingreſſus eſſet, ad Florentiæ mœnia vſq; progrediendi facultatem, quum nundum Galliæ copiæ aduentaſſent, & maxima Florentinorum peditatus pars, ſingulis quòd ex captis ab hoſtibus locis pene omnes eſſent ad propria domicilia reuerſis, diſſipata eſſet habiturum: ſed Sanſepulcri Burgum Ciuitatecaſtelli propinquum occupandi cupiditas, quamuis eius tegendæ gratia, nullum hoſtilem locum à tergo relinquendum diceret, melius conſilium impediuit: quare Anglarium conuerſus quod oppidum in hac conſtantia ſolum, quum tamdiu donec tormenta collocata eſſent expectaſſet, nullare ad defenſionem comparatum, cum aliquot militibus abſq; vlla exceptione victoris arbitrio ſe dedidit. Anglario capto, mox Sanſepulcri Burgum pactione accepit: deinde Caſentinum verſus redijt, & caſtris ad Raſſanam villam poſitis, per præconem Poppiũ oppidum ſibi dedi poſtulauit: in quo natura munito, pauci milites erant: ſed Gallicorum armorum exiſtimatio, id effecit, quod illorum vires nundũ efficere potuiſſent: nam quum iam ducenti cataphracti Imbaltio duce, prope Florentiam veniſſent, nec, quia peditatu carebant, hoſtibus appropinquare auderent, ad Sanioannem in Arni valle, vt eo in loco omnes copiæ cõiungerentur, caſtra poſuerant: Vitellotius autem illorum in Arni vallem cognita profectione, Aretij rebus ſe abſente metuens, ſumma celeritate, ex Vernia, in Cecilianum collem duobus à Quarata paſſuum millibus diſtantem ſe recepit: deinde, vt animum oſtenderet, Rondinemq́; & alia vicina loca confirmaret, tria milliaria progreſſus, aliquot peditibus ad Gargonſæ & Ciuitellæ, qui erant aditus quibus

Floren-

Florentinus exercitus eam regionem ingredi poterat, custodiam relictis, prope Rondinem tuto in loco castra locauit: Florentinorum autem copiæ, quum iam alij ducenti cataphracti Lanireo duce veniſſent, inter Montemuarchium & Laterinam, vt quamprimùm tria peditum millia collegiſſent, in aliquo eminenti colle propè Vitellotium castra metarent, congregabantur: quod quum ipſe expectare nollet, quia pòſt nec manere, nec ſine maximo periculo abire potuiſſet, ad Aretij mœnia regreſſus eſt. Sed Gallis cũ toto exercitu in aciem progreſſis, & in Quaratæ fronte poſitis, Aretium ingreſſus eſt: & quamuis ſe in ea vrbe defendenda memoria dignã operã nauare velle ſemper dixiſſet, tamen nouis caſibus ingruentib. noua conſilia ſequi coactus eſt: quoniã Ioannes paulus Ballio, Vrbiniatium rerũ exemplo proprijs rebus metuens cum ſuis militib. Peruſiam ſe cõtulerat: quo etiã exemplo, nõ minus Camertinarũ rerum ſucceſſu, Vitellotij, Pandulfi Petrucij & Vrſinorũ animi valde erant perturbati: quoniã Valentinus, dum de pactione cum Iulio Varano Camertiũ principe agit, vrbe fraude capta, Iuliũ cũ duob. liberis qui in eius poteſtatẽ venerant, eadem immanitate qua in ceteros vtebatur, ſtrangulari curauit. Id autem Vitellotio maiorẽ incutiebat terrorẽ, quod Galliæ rex qui iam Aſtam peruenerat, Ludouicum Tramolliam, cum ducentis cataphractis, & plurimis tormentis in Hetruriã mittebat: isq; Parmæ tria Heluetiorum millia, quæ ab rege ad Aretij recuperationem Florentinorũ ære mittebantur expectabat: quia rex mirum in modum Pontifici iratus, Valentinũ Flaminia Aemiliaq; & alijs locis quæ occupauerat, ſpoliare in animo habebat: hancq; ob cauſſam, ijs omnibus, qui vel eius potentiam metuebant, vel ab illo læſi fuerant, accerſitis, ſe ad id bellũ contendere velle aſſeuerabat: & palã maximo ardore, id bellũ tam pium, tãq; ſanctum eſſe, vt nec magis piũ, nec ſanctius, aduerſus Turcas bellum eſſet futurũ, aiebat, ſimulq; Pandulfum Petruciũ, quòd Ludouicũ Sfortiã, quũ Mediolanũ rediit pecunia iuuiſſet, & poſt ſemper Cæſaris partes eſſet profeſſus, Senis pellere in animo habebat: at Põtifex & Valentin⁹, quũ ſe tã grauẽ tempeſtatẽ ſuſtinere non poſſe cognoſcerent, artibus ſuis vſi, Aretinum tumultũ à Vitellotio, ipſis inſcijs concitatũ affirmabant: ne ſe tanta autoritate fuiſſe vt illũ remouere, vel ne Vrſini & Ioannes paulus Ballio quãuis ſuis ſtipendijs militarẽt, priuatis de cauſſis ei auxiliũ darẽt, poſſent efficere: quin etiã quò regis animũ magis placaret Valentinus, Vitellotio miſit qui ni ſtatim Aretium & reliqua Florẽtinorũ oppida deſereret, ſe exercitũ ſuum aduerſus illum ducturũ minaretur: quibus rebus territus Vitellotius, ac ne (vt plerũq; fit) potentioribus inter ſe cõciliatis, regis ira in ſe minus potentem verteretur veritus, cum Imbaltio duce Aretium accerſito, Florentinis, qui capta loca ſtatim ſibi liberè reſtitui volebant, fruſtrà repugnãtibus, pactus eſt vt ipſe ſtatim cũ ſuis copijs diſcedens, Aretiũ & omnia reliqua oppida Gallorũ ducum poteſtati regis nomine tandiu cuſtodienda, donec Vrſinus cardinalis qui in Galliã proficiſcebatur regẽ eſſet alloquut⁹, traderet: interea verò tẽporis nulli milites, præter vnũ ex Gallis ducib. cum 40. equitib. Aretiũ ingrederentur, ad cuius ſecuritatẽ, & promiſſorum ſeruandorũ cautionẽ, Vitellotius duos nepotes ſuos Imbaltio obſides daret: hoc facto ſtatim cũ omnib. copijs & tormẽtis quę Aretij erãt, omnibus oppidis in Gallorũ poteſtate relictis, diſceſſit: quæ regis iuſſu quãprimùm Florentinis reſtituta fuerũt: ſicq;, quod, dum de pace ageretur, Imbaltius nõ abſq; irriſione illorum querelis reſponderat, ſe vbi Florentinorũ tam celebre ingeniũ eſſet nõ videre: qui ad victoriã ſtatim ſine periculo & ſumptu adipiſcẽdã, & ad perturbationũ pericula, quæ Gallorũ natura, à cõmeatus inopia, alijs ue de cauſſis oriri poſſent, vitanda, Aretium in regis manus quouis modo peruenire, qui ea quæ ſui duces Vitellotio promiſiſſent, niſi quatenus videretur rata nõ eſſet habiturus, optandũ eſſe nõ animaduerterẽt: Florentini in hũc modũ facillimè, quãuis nõ paruo ſumptu, tã graui ac repẽtino periculo liberati, ad reip. formã ſtatumq; corrigendũ, animũ cõuerterunt, ex cuius vitio & perturbatione tantũ periculũ profectũ, iam vel ipſi multitudini experientia notum erat: quoniã ob crebram magiſtratuum mutationẽ, & quòd paucorum nomen populi ſuſpectum eſſet, nec publici magiſtratus, nec priuati homines erant, qui perpetua rerum curam haberent, ſed quia ciuitas ferè vniuerſa tyrrannidem deteſtabatur, & optimatum autoritas multitudini erat ſuſpectiſſima, nec perfecta reip. forma, quum imperiti homines ſolis rationib. conuinci non poſſent, vnica deliberatione conſtitui poterat: quare tunc, vnam tantum-

modo nouam legem ferre decretum fuit,nimirum, vt Iustitiæ Vexillifer, Senatus princeps, quiq; cum eo in duos tantùm menses creabatur, in posterum,toto vitæ suæ tempore eum magistratum gereret, vt perpetuis cogitationibus reip.inuigilaret, & publicum bonum procuraret,ne respub.neglecta deinceps in tot pericula rueret:ac sperabatur eum tum suis virtutibus, tum quòd in tanta dignitate perpetuò esset futurus,tantam sibi apud populum fidem conciliaturum,vt paulatim,reliquas reip.partes facilè constituere, & dignioribus ciuibus in honesto aliquo gradu collocatis, medium inter se & multitudinem inuenturũ,quo populari imperitia atq; licẽtia temperata, ijsq; qui illi in ea dignitate succeſſuri essent si nimiũ sibi arrogare vellent fræno constrictis administratio prudens,& multis ad concordiam in ciuitate conseruandam rebus oportunis, exornata firmaretur:qua lege lata in maioribus comitijs,Petrus Soderinus,vir ætate matura satis amplis opibus,nobili genere, integritatis & cõtinentiæ fama celebris,quiq; in publicis rebus plurimum laboris insumpserat, & quod ad ambitionis occasionem vitandam magni erat momenti,liberis carens,magno ciuium cõcursu atq; consensu Vexillifer creatus est. Sed vt ad res communes reuertamur,ad Galliæ regem, quamprimùm Astam venit,ex more,omnes Italiæ principes,& liberæ ciuitates,alij ipsimet, alij per legatos concurrerunt: inter quos fuere Ferrarienſium dux,& Mantuæ marchio:quamuis hic nec fidẽs, nec gratus aduenerit:& Baptista Vrsinus cardinalis inuito Pontifice vt suis ac Vitellotio de Aretinis rebus obiecta crimina dilueret:& regem aduersus Pontificem ac Valentinum concitaret profectus: in quos, pro regis pristino ardore, Gallica arma motum iri, summo totius Italiæ desiderio expectabatur. Verùm quæ à multis optantur rarò euenire, res ipsa verissimum esse docet:nam quum humanarum actionum fines, plerumq; ex paucorũ pendeant voluntate,horumque mens & fines,ferè semper à multorum mentibus atq; finibus diuersi sint,vix res secus quàm ex autorum ipsorum mente geri possunt:sic & in hoc negocio accidit,in quo propriæ cauſlæ & fines,regem ad contrarium communi omnium desiderio consilium sequendum impulerunt. Regem non tam Pontificis,qui nunquam proprijs hominibus missis,vt eius animum placaret conari destitit, diligentia mouit: quàm Rotamagensis cardinalis,tunc vt semper fuerat amicitiæ inter Pontificem & Galliæ regem, non modò propter regiam, verùm etiam propter suam vtilitatem, conseruandæ cupidi consilium: nam & à Pontifice, Gallica legatio in decem & octo menses ei prorogata fuit: & quia sibi ad Põtificatum fundamenta sollicitè parabat,propinquos & clientes,ad purpurei Galeri dignitatem,ab illo promoueri impetrare volebat: sibiq; Pontificij imperij amantis & defensoris famam,ad idem profuturam censebat. Præsentium quoq; temporum status, ad regem in hanc sententiam facilius pertrahendum, accedebat: quia & de Cæsare,qui animo minimè pacato, denuò multos equites & certum peditum numerum Tridentum miserat,& multa Pontifici vt ab illo,ipsius in Italiam, ad imperij coronam capiendam trãsitus iuuaretur promittebat,suspicabatur:& eo maioris omnes Cæsaris motus faciendi erant,quòd rex Insubriam & Neapolitanum regnum in sua potestate esse, Venetis molestum sciret:accedebat etiam cum quatuor Heluetiorum pagis dissidium, qui Bellizone iura sibi cedi, Turrenam vallem,Scafusiam, aliaq; immoderata,tradi postulabãt:quod ni faceret,cum Maximiliano fœdus inire minabantur, hasce difficultates augebat, quòd omni pacis cum Hispaniæ rege spe excluſus erat:nam etsi rex ille,Federici,in regnum restitutionem proposuisset, ideoq; ipse illum secum in Italiam adduxisset:de inducijs quoque ad certum tempus singulis quæ possiderent retinentibus faciendis agitatũ esset,tamen vtrumque negocium tot habuit impedimenta, vt Galliæ rex, vehementer indignatus,Hispanos oratores ab aula sua dimiserit:quas ob causſas,quem Pontifex nouissimè,per Trocesium, fidissimum cubicularium suum, ad illum missum,se & Valentinum,ipsi totis viribus in Neapolitano bello affuturos promisisset, in Pontificis amicitia permanere statuit:idcirco quamprimùm Trocesius Romam redijt, Valentinus illius responso fretus, clàm permutatis equis,ad regem qui Mediolanum venerat contendit:à quo contra expectationem grauissimoq; omnium mœrore,humanissimè, ingentiq; honore acceptus fuit:quare,quum milite in Hetruria non iam opus haberet,Senensibus & Pandulfo Petrucio, ea lege vt partim statim, partim certis temporibus quadraginta aureorum nu-

mũm

mûm millia ſoluerent,in clientelam acceptis, in Inſubriam copias illas reuocauit. Deferbuerunt deinde mox Maximiliani motus, adeò vt regi penè neapolitanarum rerum cura tantummodo relinqueretur : quæ tunc ſatis feliciter ſuccedere videbantur , maiorque in poſterum felicitas ſperabatur, quoniam rex quamprimùm in Italiam peruenit, duo Heluetiorum millia & totidem vel plures Vaſconum , mari miſerat , quibus proregi,qui præter Manfredoniam,& Santangelum, vniuerſum Capitanatum imperio ſuo ſubiecerat, coniunctis, ad Canuſium in quo erat Petrus Nauarrus cum ſexcentis Hiſpanis peditibus caſtra poſuit:quod oppidum vbi aliquot dies egregiè ſe defendiſſet, Conſalui,qui ne illorum militum iactura fieret,vt extrema pericula non expectaret imperarat, mandato, Nauarrus, hominibus ac fortunis ſaluis Gallis dedidit : quocirca quum Hiſpani, neque in Apulia, neque in Calabria, neque in Capitanatu vllum oppidum,præter ſupradicta, & Barlettam,Andriam,Gallipolim,Tarentum , Coſentiam, Hieracem , Semenariam, & pauca alia mari proxima poſſiderent, & Conſaluus copiarum numero longè inferior eſſet, cum exercitu ſine pecunijs,exiguo commeatu,& tormentarij pulueris inopia,Barlettam ſe contulit:puluere tamen Veneti Senatus, qui magnam nitri copiam Venetijs Conſalui nomine coemi minimè vetuit,tacito conſenſu adiutus eſt: qua de re quum Galliæ rex queſtus eſſet, ſe inſcijs à priuatis mercatoribus id factum,Venetijs autem,tanquam in libera ciuitate,nulli vnquam quo minus negotiationes & commercia ſua exerceret interdictum fuiſſe reſponderunt. Canuſio capto,Galli duces quòd multas ob cauſſas & præcipuè aquæ penuriam,omnes copias circa Barlettam hærere non poſſe dicerent, quamuis (vt multi aiunt) contra Obignini ſententiam atteſtationemq;,copiarum,in quibus fama erat,mille ducentos cataphractos,& partim Italorum , partim tranſalpinorum militum decem millia eſſe,parte, circa Barlettam ad diuturnam obſidionẽ relicta , reliquos ceteris regni locis recipiendis operam dare ſtatuerunt:quæ res,vt multi crediderunt, Gallorum addita negligentiæ,rebus illorum maximum attulit detrimentum.Hoc ergo conſilium ſequutus prorex,totam Apuliam,præter Tarentum, Hidruntum & Gallipolim,in poteſtatem ſuam redegit:deinde ad Barlettæ obſidionẽ redijt: eodemq; tempore,Obigninus cum altera exercitus parte Calabriã ingreſſus,Coſentiam , Hiſpanis arcem tuentibus cepit,atq; diripuit: deinde cum omnibus Hiſpanis qui in ea prouincia erant,& alijs copijs quæ ex Sicilia venerant ſimul coniunctis cõgreſſus,eos debellauit. Hæc omnia dum rex eſſet in Italia vel iam feliciter geſta,vel in ipſo curſu poſita,non modò illum, ad neceſſarios apparatus in quibus perficiendis ſi diligenter perſeueraſſet , hoſtes facilè toto regno expuliſſet,negligentem fecerunt , verùm etiam omnem ſui in Galliam reditus ambiguitatẽ ſuſtulerunt: idq; eò magis,quia iam ab Romanorum rege quas paulo pòſt impetrauit diuturnas inducias ſperabat:ſed in eius ex Italia diſceſſu, magna omnium admiratione quid cum Valentino duce egiſſet eluſcerere cæpit:quem Aretinarum rerum excuſatione admiſſa,non modò in gratiam ſuam receperat,verùm etiam à Pontifice & ipſo, auxilij ſi opus foret ad neapolitanum bellum ferendi promiſſione & fide accepta , viciſſim ei, ad Bononiã Pontificio imperio adijciendam,& Ioannempaulum Ballionem, ac Vitellotium opprimẽdos,trecentos cataphractos promiſerat:ad Pontificis potentiam,tam immoderatè promouendam , vel quòd illum tot beneficijs deuinctum ſibi ex animo amicum fore,eaq;neceſſitudine ſtante, neminẽ in Italia res nouas in ſe moliri auſurum,imprudenter exiſtimaret: vel quòd non tam illius amicitiæ fideret quàm inimicitiam metueret impulſus : huc accedebat peculiare,in Ioannempaulum, Vitellotium & Vrſinos,quòd omnes ſua iuſſa vt à Florentinis infeſtandis deſiſterent neglexerant,odium:& præſertim Vitellotius qui tormenta Aretij capta reſtituere recuſauerat: & ad regẽ tutò veniendi fide petita,acceptaque,poſtea cõtempſerat:neq; rex Italos duces opprimi,rebus ſuis inutile ducebat:præterea ſiue Pontificis & Valentini aſtu, ſiue aliorum ſuaſionibus,ne hi cum Vrſinis tandẽ Hiſpaniæ regi auſpicia ſtipendiaq; ſequerentur vereri incęperat.Valentinus igitur Aſtæ ab rege,quamuis antea ijs qui illum metuebant ſe communis tranquillitatis gratia eum in Galliã ſecum ducturum ſpem feciſſet,dimiſſus, in Aemiliã Flaminiamq; redijt. Quæ res non modò illorum qui primùm illius impetum expectabant,ſed multorum aliorum animos cõmouit: quia Pandulfus Petrucius & Vrſini , in eadem cum Vitellotio,& Bal-

lione cauſſa coniuncti,in eodem metu erant:& Ferrarienſium ducem magis eius & Patris perfidia & ambitio terrebant,quàm affinitas ſolaretur:Florentini autem etſi oppida regis ope receperant,quia equitatu nõ ſatis erãt inſtructi, in magno timore verſabãtur, quoniã rex Mantuano,propterea quòd eius arma metuens,Cęſarem reſpexerat,quãuis Mediolani eum in gratiam recepiſſet,parũ fidens,vt illum copijs ſuis præficerẽt minimè conſenſerat: & illos eodẽ ſemper in ſe animo eſſe, multis ſignis agnoſcebat: præſertim verò,quia vt Florẽtini in perpetua ſuſpitione eſſent, omnes qui Aretio vel alijs oppidis exularent,in proximis locis recipiebant.Horum omniũ formidinem augebat cogitatio, quantum hi hoſtes armis, pecunia,& autoritate poſſent:quàm fortuna ſe illis omnib.in rebus propitiam exhiberet:quòdq; tot rebus partis,illorũ cupiditas nulla ex parte eſſet diminuta:quin potius perinde ac ſi igni noua ſemper alimenta ſubminiſtrarẽtur,immodicam infinitamq; factam: verebantur ne illi quantũ ſibi ab Galliæ rege condonaretur animaduertentes, quiduis etiam contra regis voluntatem eſſent auſuri: iamq; pater & filius palam dicebãt pœnitere ſe quòd nimiũ religioſi in Aretinis rebus fuiſſent,nimisq; hæſitaſſent,affirmantes regem, prout eſt Gallorum natura,propter magna quorundã in regis aula erga ſe ſtudia,ſemper quæ facta eſſent quamuis moleſta,laturũ.Nec aliquem horum qui in metu erant,ab rege promiſſum patrociniũ tutum reddebat:erant enim recentia exempla,quòd Plumbini regulũ quem defendendum ſuſcepiſſet,regno ſpoliari paſſus erat:nec idem Vrbinatiũ duci, quem quum exercitũ Neapolim miſit,quia quinquaginta grauis armaturę equites tradiderat in clientelam acceperat,factum vlciſcebatur. Sed recentius magisq; formidandum erat Ioannis Bentiuoli exemplum: nam etſi rex proximis annis,fœdus quod cum Pontifice habebat,ad ea tandummodo iura autoritatemq; qua Pontificatus eo tempore quo fœdus ictũ eſt poſſidebat,extendi aſſerẽs, Valentino ne Bononiam infeſtaret mandarat,tamen hoc tempore, Bentiuolo contra ea arma quæ in ſe comparabantur auxilium flagitante,verborum interpretatione,pro ſuorum conſiliorum varietate mutata: & fœderis conditiones magis iuriſconſultorum, quàm regio more expoſitis, patrocinium quo eum defendendum ſuſceperat,Pontificis cauſſam,niſi priuatim ipſe eiusq; priuata bona, in diſcrimen vocarentur,non impedire reſpondit: quoniam etſi verba generatim & vniuerſè ſcripta ſint,adiecta tamẽ eſſet exceptio, id fœdus in Pontificij imperij fraudem non eſſe intelligendum,ad quod Bononiam pertinere,nemo negaret:tum etiam illud addebat,in fœdere quod cum Pontifice omnibus Italiæ antiquius iciſſet, ſe quibuſcunq; fœderibus icturus eſſet,illã exceptionem additurum promiſiſſe,ne quid iuri & imperio Pontificis derogaret:Itaq; in ea ſententia adeò impudẽter permanſit,vt Rotomagenſi ſuadente, reliquis omnibus in regio conſilio repugnantibus, Bononiam certum hominem miſerit,qui denunciaret: quum ea ciuitas ad Pontificem pertineret,ſe,quin eius expeditionem promoueret,facere non poſſe,licere tamẽ Bentiuolis regis clientelæ nomine,priuatim Bononię habitare,bonaque ſua poſſidere.Nec verò his tantummodo tanta Valentini felicitas ſuſpecta eſſe incipiebat, verùm etiam Venetis,indignatis quoque quòd ante paucos menſes, illius Senatus autoritatem parui ſe facere oſtendens, Ioannis Baptiſtæ Carracioli, qui illorum peditatui imperabat, coniugem, Vrbino ad maritum per Flaminiam iter facientem,rapi curauerat: ideò vt regi cauſſam qua illi moderatius faueret præberent, ſe tanquam amicos, & ipſius honoris cupidos moueri oſtendentes,oratione tantæ reipub.grauitate digna, per oratores ſuos monuerunt,cogitaret quantæ ignominiæ eſſet,tantum fauoris Valentino præſtare, & quàm parum Francorum ſtirpis ſplendorem, Chriſtianiſſimiq; regis tam illuſtre cognomen,talem tyrannum,populorum,prouinciarumq; vaſtatorem, humanum ſanguinem immoderatè ſitientem, & vniuerſo orbi horrendæ immanitatis perfidiæq; exemplum,à quo velut à publico latrone,tot nobiles & principes viri contra datam fidem crudeliſſimè interfecti fuiſſent: quique nec fratrum ac conſanguineorum ſanguini parcens, nunc ferro, nunc veneno, in ætatem vel Turcicæ immanitati miſerabilem ſæuijſſet, fouere deceret: ad quæ rex fortè Venetorum interceſſione magis in ſententia ſua confirmatus, ſe Pontificem quo minus de ijs locis quæ ad Pontificium imperium ſpectarent, quicquid libitum eſſet faceret, impedire nec velle, nec debere reſpondebat,itaq; quum reliqui eius cauſſa,à Valentini armis impediẽdis abſti-

nerent

nerent, qui iam incendio propinqui erant, sibi ipsis consulere statuerunt: quare Vrsini, Vitellotius, Ioannespaulus Ballio, & Liuerottus Firmanus, quamuis tanquam Valentini, qui se tantummodo Bononiensibus bellum inferre velle simulabat, milites, recenter ab illo pecunias accepissent, vt ad communem defensionem simul coniungerentur, suos singuli copias in tuta loca reduxerunt: quam rem vt acceleraret, Sancti Lei arcis iactura impulit, quæ cuiusdam eius regionis incolæ, qui ad quandam muri partem custodiendam positus fuerat, opera, in Guidobaldi Vrbini ducis potestatem redijt: hoc ille initio, penè omnibus eius regni populis reuocantibus, Venetijs quò confugerat mari Senogalliam profectus, repentè, arcibus exceptis, suum omne regnum recepit. Itaque Cardinalis Vrsinus, qui post regis discessum, Romam redire minimè ausus, ad Montemrotundum constiterat, Paulus Vrsinus, Vitellotius, Ioannespaulus Ballio, Liuerottus Firmanus, pro Ioanne Bentiuolo Hermes filius, & Senensium nomine Antonius Venafranus, Pandolfi Petrucij fidissimus minister, ad Mansionem in Perusino agro conuenerunt, vbi apertissimis periculis suis ponderatis, & opportunitate ex Vrbinatis imperij defectione oblata, tum quia Valentino ab ipsis deserto pauciſſimi milites relinquebantur, fœdus ad communem & Vrbinatis defensionem aduersus Valentinum percusserunt, ea conditione, vt omnes simul septingentos grauis armaturæ equites, & nouem peditum millia conscriberent: & Bentiuolus, in Imolensi agro bellum moueret: & reliqui maiori conatu, Ariminum & Pisaurum versus ducerent: quo in fœdere, quum ne Galliæ regis animum irritarent maximam rationem haberent, eique fortè Valentinum aliorum armis infestari, minimè molestum fore sperarent, se quotiescunque rex posceret, exercitum, in quemuis promptè ducturos expresserunt: eandemque ob causſam Columnios quamuis tantos Pontificis hostes, atq; ita ab illo vexati, in hoc fœdus non admiserunt: præterea Venetorum ac Florentinorum fauorem postularunt, his Pisarum restitutionem, quam in Pandulfi Petrucij, propter illius apud Pisanos autoritatem potestate esse dicebãt deferentes: sed Veneti, Galliæ regis propensionem expectantes dubij hæserunt: Florentini verò, cum eandem ob causſam, tum quia quum vtramq; partẽ sibi aduersam existimarent, vtriusuis victoriam metuebant. hic repentinus casus Valentinum eo tempore, quo totus alienis regnis occupãdis intentus, nihil minus quàm vt suum regnum inuaderetur expectabat obruit: sed nec animo nec consilio ob periculi magnitudinem amisso, & vt aiebat, secunda fortuna sua magnopere fretus, summa industria atque prudentia opportunis remedijs incubuit: præsertim cum penè inermis esset, sine vlla mora, ab Galliæ rege auxilium, quantum ei quouis euentu magis Pontificis & sua opera, quàm hostium suorum, vsui esset futura, quamque parum Vitellotio & Pandulfo, qui reliquorum omnium præcipuum caput atque consultor esset, quique prius Mediolanensium ducem iuuisset, deinde semper in Romanorum regis fide fuisset, posset fidere commemorans implorauit: & nihilominus, nouis copijs comparandis, non tamen ipseque paterque insidiarum doliqué obliti diligenter operam dabat: Pontifex namque nunc res apertas excusans, nunc dubias negans, Cardinalis Vrsini animum per Iulium eius fratrem diligentissimè placare nitebatur: & Valentinus varijs blanditijs & promissis modò hunc, modò illum mitigare, securumque reddere conabatur, cum vt illos in apparatibus negligentiores efficeret, tum, quòd hæc separata consilia inter ipsos suspitionem atque dissidium paritura speraret: ac donec validum exercitum haberet, Imola non discedere, sed nullo ad Vrbinates res auxilio misso, ei cum reliquis Aemiliæ Flaminiæque ciuitatibus custodiendis operam nauare statuerat: quocirca Vgonem Cardonium, & Michaëlem suos homines, qui in eius regionis finibus cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, & quingentis peditib. erant, Ariminum se recipere iussit: cui illi, Pergulæ, & Forisempronij ab arcium præfectis recipiendi, diripiendique occasione oblata, minimè paruerunt: at quanto vtilius fuisset ducis imperium sequi, exitus ostendit: nam cum Callium versus contenderent, prope Forumsempronij Paulum & Grauinæ ducem, ambos ex Vrsina familia cum sexcentis Vitellotij peditibus, obuios habuerunt: cum quibus congressi, Valentiniani multis ex suis cæsis, multis captis, fusi fuerunt: inter quos occubuit Barptolomæus Capranicanus septuaginta grauis arma-

turæ equitum dux,& Vgo Cardonius captus fuit:Michaël Fanum confugit,vnde Valentini iussu,Fano tanquam magis fideli ciuitate,quòd tantas vires non haberet vt vtramq; tueri posset,in populi potestate relicta, Pisaurum se recepit:ijsdem quoque diebus Bononiensium copiæ quæ ad Castellũ sancti Petri castra habebant ad Doccià locum Imolæ propinquum excurrerunt: & certè, si fœderati maiori in eo persequendo celeritate essent vsi, Valentini res in magnum discrimẽ adduxissent: sed dum illi siue quòd copijs in ipsorum conuentu decretis nondum essent instructi, siue pacis consilijs suspensi, se inuicem intuentur,occasio quę prius propitiam se ostenderat,elabi cæpit:quoniam rex Galliæ Ciamontio vti quadringentos cataphractos Valentino mitteret,omniq; ratione rebus illius autoritatem adiungere niteretur imperauit:quo audito fœderati magnopere perturbati, singulis de proprijs rebus soliciti esse cæperunt : quare Vrsinus Cardinalis negocia cum Pontifice cœpta pertractabat, & Antonius Venafrius à Pandulfo Petrucio Imolam missus cum Valentino de pace agebat,cum quo pariter & Ioannes Bentiuolus,eodem tempore Carolo Ingrato oratore suo ad Pontificem misso,rebusque ad Docciam direptis restitutis,agebat : quæ consilia ab Valentino summo artificio fouebantur adiuuabanturque:cumque Paulum Vrsinum,ad reliquos flectendos aptum fore censeret, plurimum ei fidere fingens,illum Imolam accersiuit:ad cuius securitatem, Cardinalis Borgia in Vrsinorum oppida profectus est : cum Paulo Valentinus suauissimis verbis vsus est,nec tam illum & reliquos, qui quum ad eum vsque diem tanta fide sibi militassent, vana suspitione ab se tam leuiter alienati fuissent, quàm propriam imprudentiam, quòd non ita se erga illos gerere sciuisset, vt has vanas suspitiones, admittendi caussam ademisset, accusabat : sperare autem, se hanc contentionem nullã prorsus de caussa ortam, pro inimicitia inter se & illos perpetuam & nunquam dissoluendam necessitudinem parituram : ipsos autem, se ad cuius potentiam tuendam Galliæ rex ita paratus esset, opprimere minimè posse , debere iam animaduertere, se quoque vicissim huiusce motus experientia edoctum, ex ipsorum consilijs armorumque robore felicitatem existimationemque suam proueniisse, ingenuè fateri, atque ideò pristinæ in illos fidei redintegrandæ cupidissimum , quacumque ratione vellent ipsos securos reddere , illorumque arbitrio modò cum aliqua sua dignitate, Bononiensem controuersiam componere paratum esse. Huic orationi quæ ad omnes pertinebat , summæ in Paulum fidei testificationem adiunxit , eumque peculiari spe & promissis impleuit: tantoque artificio id egit, vt facilè omnia quæ dicebat persuaserit: erat enim natura in verbis efficax,& ingenio promptus. Hæc dum aguntur, Camerinates, Ioannem Mariam Varanum superioris principis filium qui Aquilæ erat reuocarunt: & Vitellotius ipsius, & Pauli Vrsini graui cum expostulatione, Forisempronij arcem cepit: cumque Vrbini pariter , deinde Callij, atque Eugubij arces essent amissæ, nihil in illo regno aliud præter Santagatam ei relinquebatur , præterquàm quòd etiam Fanensem ditionem omnem amisisset: & tamen Paulo in cæpto negocio perseuerante, quum sæpius, vt Bentiuolorum affinium suorum res componeret (eius enim filia Hermeti Ioannis filio nupta erant) Imola Bononiam vltro citroque commeasset, in hanc sententiam, ea tamen lege, si Vrsino Cardinali cuius autoritatem reliqui ferè omnes sequebantur, probaretur cum eo reconciliatio facta: vt concepta odia & præteritarum iniuriarum memoria delerentur: fœderatis pristina stipendia confirmarentur: ipsi verò tanquam Valentini milites,ad Vrbini regnum, & reliqua quæ rebellauerant recuperanda proficisci tenerentur: sed illorum securitatis gratia nõ ipsimet omnes vnà , sed singuli ei militarent : neque Vrsinus Cardinalis in Romana aula manere cogeretur: Bononienses res, liberè Valentini ducis,Cardinalis Vrsini,& Pandulfi Petrucij arbitrio commiterẽtur:his transactis quum Paulus Vrsinus, indies de Valentini bono animo certiore facto, ad reliquos,vt ad pacem confirmandam illos flecteret profecto, Bentiuolus res suas aliorum arbitrio committi, nec tutum, nec decens, nec æquum ratus,filio suo Protonotario , acceptis vicissim ab Valentino hominibus Imolam misso , pacem cum Pontifice & ipso fecit :cui illi,quòd Galliæ regem , siue rei indignitate motum , siue quantum interesset Bononiam in eorum potestate esse diligentius perpendentem, reiecta priore sententia, Pontificios ea ciuitate potiri non

amplius

amplius permiſſurum animaduerterent, facilè aſſenſi ſunt: pacis hæ fuerunt leges, inter Valentinum ab vna parte, & Bentiuolos cum Bononienſi populo perpetuam fœdus eſto: Bononienſes Valentinum ſuis ſtipendijs cum centum grauis armaturæ equitibus in annos octo conducunto: duodecim aureorum numûm millia quotannis ea de cauſſa danto: ijdem in annum vnum duntaxat proximum, ei centum cataphractos & totidem hyppotoxotas cõmodanto: Galliæ rex & Florentini, pro vtraq; parte de his omnib. fide iubento: ad maius pacis firmamentũ, Lunenſis epiſcopi, Põtificis nepotis ſoror Annibalis Bentiuoli filio nubito. Nec tamẽ interea Valentinus Gallicarum copiarum, & trium millium Heluetiorum ære ſuo conſcriptorum aduentum vrgere deſinebat: id autem eo colore quaſi ijs non aduerſus ſocios, ſed ad Vrbini, & Camerini imperia recuperanda vti vellet: quoniam ſocij Vrſino cardinale qui ad Hoſpitaletũ in Senenſi agro erat Pauli ſuaſionibus, & Pandulfi Petrucij hortatu, in hanc ſententiam pertracto, compoſitionem factam ratam habere iam decreuerant: cui Vitellotius quoque & Ioannespaulus Ballio, quibus Valentini fides erat ſuſpectiſſima, vbi diu repugnaſſent conſenſerant: poſt quorum approbationẽ, quum Pontifex quoq; cõprobaſſet, Vrbinatium dux, quamuis à populo, qui pro ipſius ſalute vitam impendere ſe velle pollicebatur, vt non diſcederet rogaretur, tamen magis militaria arma veritus, quàm popularibus verbis confiſus, omnibus eius imperij munitionibus, præter Sanctilei & Maioli arces dirutis, Venetias reuerſus, hoſtium furori ceſſit: quare Vrbinates, Antonio Sanſouino, qui poſtea fuit cardinalis, Valentini iuſſu, cum veniæ eis concedendæ facultate eò profecto, ſub eius iugum pacati redierunt: idem & Camerinates principe ſuo, quia Vitellotius & reliqui, copijs ex Fanenſi agro deductis, vt eò tanquam Valentini milites contenderent ſe comparabant territo, & in regnum neapolitanum fuga profecto, fecerunt. Quo tempore Pontifex, exercitum ad Palumbariam, à Sabellis horum motuum occaſione, vnà cum Senzano & alijs illorum caſtellis recuperatam, miſit: at Valentinus ſua occulta conſilia exequi cupiens, Imola Ceſenam petijt, quò quamprimùm peruenit, Galli cataphracti, qui ante non multos dies venerant, à Ciamontio, non quidem regis iuſſu, ſed vt ferebatur vel priuato inter ipſum & Valentinum odio: vel quòd ipſe quo minus formidabilis eſſet, ijs quos maximè ſecuros reddere cupiebat, ſic procuraſſet, reuocati repente ab illo diſceſſerunt. Ipſe Ceſenæ copijs ſuis quarum numerus famam ſuperabat, (etenim de induſtria paucas legiones, ſed multos equites nobilesq; priuatim conſcripſerat, quotidieq; conſcribebat) inſtruendis operam dabat: eodemq; tempore Vitellotius & Vrſini, eius mandato caſtris Senogalliæ admotis, oppido & arce potiti ſunt: quo ex loco vrbis præfecti vxor, Vrbinatium ducis ſoror, omni ope ſpoliata aufugit, quamuis pupillus filius in Galliæ regis fide eſſet, ſed rex ſe illi ideo opem non ferre excuſabat, quòd fœderi, ad Manſionem facto adhæſiſſet. Senogallia capta Valentinus Fanum petijt, vbi aliquot dies, vt omnes copias ſuas colligeret moratus, Vitellotio atq; Vrſinis, ſe poſtero die Senogalliam ingredi velle indicauit: quocirca milites ſuos qui in ciuitate caſtra habebant, educerent, quod illi ſtatim, peditibus in ſuburbijs, & equitibus per agrum diſtributis, fecerunt. Conſtituta die Valentinus Senogalliam venit, cui Paulus Vrſinus, Grauinę dux, Vitellotius & Liuerottus Firmanus, obuiam progreſſi ſunt, ab eoq; humaniſſimè accepti, ad portam ciuitatis vſq; illum ſunt comitati, ante quam omnes Valentini copiæ inſtructa acie conſtiterant: quo in loco cum illi quòd maiores eum quàm opinati eſſent copias habere animaduerterent, iam ſuſpicari aliquid inciperent, atque ſe in caſtra ſua quæ extra ciuitatem erant recipere vellent, vt ingrederentur, ſe enim quòd cum ipſis loqueretur habere petijt: quòd cum denegare non poſſent, quamuis animo iam ferè futurum malum præſagiente, eum in eius hoſpitium ſunt ſecuti: cumq; eo cubiculum ingreſſi, poſt pauca verba, quoniam veſtium mutandarum prætextu, mox ab illis diſceſſit, à certis hominibus idem cubiculum ingreſſis, omnes quatuor capti, eodemq; tempore milites illorum caſtris exuti prædæ Valentinianis fuerunt: dieque inſequenti, qui fuit vltimus Decembris, quo in hanc tragœdiam annus M. D II. exiret, ceteris in vinculis retentis, Vitellotium & Liuerottum in quodam cubiculo ſtrangulari iuſſit: quorum alter familiæ ſuæ fatum vitare non potuit, vt videlicet violenta morte periret, quemadmodum omnes reliqui eius fratres, quum in re mlitari iam magnum & vſum &

nomen ſibi comparaſſent, alius poſt alium ætatis ordine, Ioannes tormenti globo in caſtris Innocentij Pōtificis Oſimum miſſis: Camillus dum Gallis militaret, lapide circa Circellas ictus: & Paulus Florentię ſecuri percuſſus, interierant: Sed Liuerottum nemo ſuis ſceleribus dignū exitum inueniſſe negare potuit: quid enim iuſtius quàm eum qui paulo antè Firmi, vt in ea ciuitate potens eſſet, Ioannem Frangianum patruū ſuum, cum multis alijs ſummis in ea vrbe ciuibus, in domum ſuam per ſpeciem cōuiuij perductos, crudeliſſimè trucidarat, fraude quoque perire? Hic annus nihil aliud memoria dignum habuit, niſi quod Ludouicus & Federicus Pici, Mirandulæ comites, ante ab Ioanne Frāciſco fratre pulſi, qui etſi ille natu maior eſſet, eadem tamen ad ſe iura quæ ipſe haberet, ſpectare aſſerebant, auxilijs ab Ferrarienſium duce, ex cuius ſorore notha nati erāt, & ab Ioanneiacobo Triultio, Ludouici ſocero acceptis, fratrem vi expulerunt, quæ res non tam per ſe memoria digna, quàm quia ſequentibus annis, horum fratrum contro-
1503. uerſiæ, alicuius momenti turbas ediderunt. Sequitur annus M. D. I I I. rebus memoratu dignis, grauiſſimiſq; caſibus ſupra omnes ſuperiores abundans, quibus Chriſtianæ religionis principis, quid ſibi rebusque ſuis hoc ipſo anno euenturum eſſet ignari, perfidia impietasq; initium dedere: nam quum Valentinus, quemadmodū inter eos cōuenerat, ſumma celeritate, quam felicē exitum ſuę inſidię Senogalliæ habuiſſent Pontifici ſignificaſſet, ipſe nuncio occultato, ac ne alia ratione ad alios permanare poſſet opera data, ſtatim aliorum negociorum prætextu, Vrſinum Cardinalem, qui compoſitione quæ inter eos interceſſerat, fideq; illius quem nunquam fidem habuiſſe cunctis erat mortalib. notum fretus, ſuo potius quàm ratione ductus, ante paucos dies Romam venerat, in Vaticanum vocauit: quo ille cum veniſſet, extemplo ibi captus fuit: eodemq; tempore Rinaldus Vrſinus, Florentiæ Archiepiſcopus, Protonotarius Vrſinus, Abbas Aluianus Bartolomei frater, & Iacobus Sanctacrux patricius Romanus, eiuſdē factionis principes, in ſuis ſingulis ędib. capti, atq; in Angelicam arcē perducti ſunt: quo facto Pontifex, Scylla ceum principē filium ſuum, ad Pauli & aliorū oppida occupanda, & cum eo Protonotarium & Iacobū Sanctacruciū qui poſtea eidē cuſtodiæ mandati ſunt, vt ea tradi iuberēt miſit: Pōtifex Hiſpanica argutia in filij factū luſerat, vt diceret Paulū Vrſinū & reliquos quum ad illum ſinguli tantùm ex pacto ire deberent, omnes ſimul iuiſſe: in quo quoniā primi fidē fregiſſent, nō minus ei fidē frangere licuiſſe: Cardinalis Pontifice, varias tam antiqui, ea ætate, atq; autoritate cardinalis captiuitatis cauſſas afferente, circiter viginti dies in carcere fuit, ac tandē illū ægrotare rumore ſparſo, mortuus in Vaticano eſt, venēno, vt firma fuit opinio, ſublatus: quam opinionē vt eleuaret Pontifex, quamuis infamię notas minimè curare conſueſſet, illum interdiu aperto feretro, ſua & omniū Cardinaliū familijs comitantibus ad tumulū efferri voluit: reliqui captiui non multò poſt, iudicio ſe ſiſtendi vadibus datis liberati ſunt. Valentinus verò quòd ſine præmio ſceleſtus eſſe nollet, abſq; mora Senogallia profectus Ciuitatem caſtelli petijt: qua ciuitate, ab ijs qui ex Vitelliorum gente reliqui erant, deſerta inuenta (nam Vitellotij morte audita fugæ ſe dederant) iter Peruſiam verſus direxit: vnde Ioannes Paulus aufugerat, qui quòd tardiori quidem, ſed grauiori ſupplicio deſtinatus, ceteris, quo minus Senogalliam proficiſceretur, cautior fuerat: vtranq; ciuitatem ſub Pontificatus nomine reliquit, Carolo Ballione, Oddijs, & reliquis Ioannis pauli inimicis omnibus, Peruſiam reductis: cumq; tanta occaſione oblata Senis principatum occupare, tentare vellet, aliquot eius ciuitatis exulibus ſequentibus, exercitum, cui recenter auxilia à Bentiuolo promiſſa acceſſerant, ad Plebis caſtellum duxit, vbi Vrſinum Cardinalem captum certior factus, Grauinæ ducem, & Paulum Vrſinum ſtrangulari curauit: & legatos Senas miſit vti Pandulfum Petrucium, velut hoſtem ſuum, & quietis in Hetruria turbatorem pelli poſtularent: ſeque illo pulſo cum exercitu, finibus illorum inuiolatis in Latium profecturum promitterent: & ab alia parte Pontifex & ipſe vt Pandulfus quemadmodum reliquorum in vita ſocius fuerat etiam in morte eſſet, deſiderio incredibili flagrantes, ijſdem artibus quibus reliquos conſopiuerant, breuibus epiſtolis atque literis valde humanis ad illum ſcriptis, & per proprios homines verbis beneuolentiæ & ſuauitatis plenis allocuti, & ipſum conſopire nitebantur: ſed ſuſpitio quæ populum Senenſem inuaſerat, illos de ciuitate occupanda cogitare, illorum aduerſus Pandulfum conſilia

difficiliora reddebat: quoniam multi ciues, etsi eius administratione minimè essent contenti, tamen potius vnius ciuis tyrannidem ad tempus ferre, quàm in externi hominis seruitutem ruere malebant: quare inde ab initio nullum responsum quo Pandulfi discessum sperare posset accipiebat: ipse verò semper se nihil aliud quàm id velle fingens, in eorum fines progrediebatur, iamque Pientiam & Clusium peruenerat, & reliqua proxima oppida, pactione se illi dediderant. Itaque timore Senis aucto, quum iam in populo, atque etiam inter nonnullos præcipuos ciues diuulgari incipiret, minimè æquum esse, vt vnius ciuis potentiæ tuendæ gratia, tota ciuitas in tam graue periculum conijceretur: Pandulfus, quòd ne tandem communi omnium odio, maiori periculo, & proprio detrimento facere cogeretur metuebat, omnium cum benuolentia & gratia facere statuit: quocirca eius consensu ciuitatis publico nomine Valentino significatum fuit, velle se illi in eo quod potierat, dummodo cum suis copijs ipsorum finibus excederet, satisfacere: quam conditionem, etsi Pontifex & ipse maiora animo concepissent, tamè ob eius vrbis expugnandæ quam perspiciebant difficultatem acceperunt: est enim ea vrbs ampla, loci natura munita: in qua erant Ioannespaulus Ballio, & multi milites: & populus qui si Valentinum alium præter Pandulfi discessum finem spectasse comperissent, ad vrbis defensionem conspirasset. Huc accedebat quòd Pontifici, ad propriam securitatem, filium exercitum in Latium vbi non absque alicuius motus suspicione erat reducere necessarium videbatur: quoniam Iulius & nonnulli præterea ex Vrsina gente, Pitilianum conuenerant, & Cereueteri cum multis equitibus erant Fabius & Organtinus Vrsini, & Mutius Columna, ex regno Neapolitano profectus Palumbariam, vt Sabellis qui denuò se Vrsinis animis affinitateque coniunxerant, opem ferret, ingressus erat: sed Pontifex & filius de Senis occupandis, multò magis desperarunt, quia Galliæ regi, etsi ab initio diu anceps fuisset, eam prodi-tionem molestam esse iam animaduertebatur: vt qui quamuis Vitellotium & reliquos fœderatos castigari optasset, tamen extrema illorum pernicie, cum tot prouinciarum accessione, Pontificis & Valentini potentiam nimium augeri censeret, cumque Senensis ciuitas vnà cum Pandulfo Petrucio in sua essent clientela, neque ad Pontificatum, sed ad Imperium pertineret, iure sibi eius vrbis occupationem impedire posse videbatur. Sperarũt etiam Pandulfi discessu, ciuitatem in aliqua perturbatione, qua progressu temporis consilij sui aliquo colore prætexendi occasio daretur, relictam iri: Quamobrem & Pandulfus eodem præsidio, eademq; amicis & clientibus autoritate relicta, ita vt nulla administrationis mutatio facta videretur Senis discessit: & Valentinus Romam versus, ad Vrsinorum excidium iter suscepit: qui vnà cum Sabellis Lamentani pontem occuparant, & totam regionem percurrebant: sed Valentini aduentu repressi sunt, qui statim Ioannisiordani ditionem, nihil pensi habens, eum qui se illi hostem non ostenderat, regis esse præfectum, equestri diui Michaëlis ordine donatũ, regis clientem, tuncque in regno Neapolitano ipsi regi militantem inuasit: cuius rei Pontifex apud regem eam purgationem afferebat, non moueri videlicet se eius ditionis occupandæ cupiditate: sed quum sibi cum Vrsina gente tot iniuriæ & offensiones intercederent, non posse illum tutò tam propinquum pati: ideò velle ei pro ijs Scyllaceum principatum, & alia oppida quæ horum præcium æquarent tradere: nihilominus rex his rationibus non admissis, ea de re grauiter questus est, idque non tam quòd apud eum patrocinij ratio plus consueto posset, quàm quia rebus suis in Neapolitano regno, non amplius ita feliciter succedentibus, Pontificis & Valentini, audaciam atq; insolentiã, superioris anni in Hetruriam irruptione, & quid postea contra patrocinium suum in Senensibus rebus moliti essent, in memoriam reuocatis, suspectam habere incipiebat: atq; illos quo plura ab se adepti vel deinceps adepturi essent, tãto eorum cupiditatem magis auctam fuisse, & maiorẽ futuram animaduertebat: quare acerba oratione Valentino per nuntiũ, vt ab Ioannisiordani qui per ignota itinera non sine graui periculo Braccianum peruenerat ditione infestanda abstineret imperauit: præterea Hetruriæ res cum præsertim Senis aliquod ciuilis diffidij initium apperare audiuisset, ita componere vt nulla mutatio oriri posset, necessariũ ratus, Florentinorum consilio, Pandulfi Petrucij, qui Pisis hærebat Senas reditum procurare cæpit: atque vt inter Florentinos, Senenses & Bono-

nienſes,fœdus pro communi defenſione,Montepolitano Florentinis quò omnes diffidiorum cauſſę tollerentur reſtituto,fieret: & horum vnuſquiſq; pro virili equitatum,ad mutuam defenſionem compararet,vt Pontifici ac Valentino in Hetruriam amplius veniendi facultas adimeretur. Interea Valẽtinus cum copiarum ſuarum parte,Vicouariũ, vbi erant ſexcenti Ioannisiordani pedites ceperat: ſed regio mandato accepto, magna Pontificis & ſua cum moleſtia,Bracciano relicto,ad Cere exercitum duxit,vbi cum Ioanne Vrſino eius loci domino, erat Rentius eius filius,Iulius & Franciotus ex eadem familia:eodemq; tempore pater,in vniuerſam Vrſinam gentem Ioanneiordano, & Pitiliani comite,quem Veneti tentari nolebant,exceptis,forenſi diſceptatione agebat.Cere vetuſtiſſimũ oppidum eſt,& ob locum natura munitiſſimũ valde celebratũ:eſt enim in tumulo vel potius ſaxi ſolidi faſtigio poſitum: eam ob cauſſam Romani à Gallis ad Alliam fluuium,qui hodie Caminates dicitur, fracti,de vrbe tuenda deſperantes,Veſtales virgines,& deorum arcana,auguſtioraq; ſimulacra,cum multis alijs ſacris religioſisque rebus,eò tanquam in tutiſſimum locum miſerunt:& eadem de cauſſa,ſequentibus temporibus Barbarorum ferocitate in Romani imperij inclinatione, tota Italia tanto impetu inundante, minimè violatum fuit:hanc igitur ob cauſſam, & quia fortiſſimorũ militũ copia abundaret, ea oppugnatio Valentino difficilis reddebatur, qui vt id expugnaret nec diligentiã nec induſtriam vllam prętermittebat:nam præter cõplures alias belli machinas,ad mœnium altitudinem ſuperandam vineis,quas nunc Gattos vocant,alijsque varijs ligneis inſtrumentis vtebatur: vbi dum moratur Franciſcus Narnienſis,ab Galliæ rege Senas miſſus, regis mentem eſſe vt Pandulfus, qui prius regi ſe in eius fide permanſurum,filiumq; natu maximum obſidem in Galliam miſſurum,quod adhuc ex quadraginta pactis aureorum numùm millibus debebat ſoluturum, & Montempolitianum Florentinis reſtituturũ promiſerat, rediret ſignificauit:quo nuntio Senis audito, ad regij nominis autoritatem aperto Florentinorum fauore, & ciuium eius amicorum ſtudijs accedentibus, qui armis nocte ea quæ illius aduentus diem præceſſit ſumptis eos omnes qui ſecus ſentirent repreſſerunt, haud multum de eius reditu laborandum fuit:id cum magno Pontificis cuius res alioqui ſecundis fortunæ flatibus vehebantur, dolore accidit: quoniam Palumbaria & reliquis Sabellorum oppidis deditione potitus erat: & qui Ceri erant, dies noctesq; varijs modis,crebrisq; impreſſionibus vexati, tandem ea lege oppidum dediderant,vt Ioanni oppidi domino à Pontifice certa pecuniæ ſumma numeraretur:isq; cum reliquis omnibus incolumes Pitilianum ire permitterentur:quæ præter Pontificis conſuetudinem, communemque expectationem,ſincerè obſeruata fuerunt.At Gallorum in regno Neapolitano res iam ab huius anni initio difficiles fieri cęptæ, minimè parẽ felicitatis curſum obtinebant:nã Mileti comite,cum Salernitani & Biſiniani principum copijs, ad Terranouam caſtra habente, Meſſana in Calabriam Vgo Cardonius, cum octingentis Hiſpanis peditibus,quos Valentini ſtipendia antea meritos Roma accerſiuerat, & cum centum equitibus & octingentis partim Siculis,partim Calabris militibus traiecit:cumq; Semenariam peruenisſet,Terranouam verſus, vt ei oppido opem ferret duxit:quo cognito Mileti comes Terranoua profectus illius obuiam proceſſit:Hiſpani per planitiem,monte & flumine quodam qui exiguo alueo fluit, ſed viæ aggere coniungitur intercluſam incedebant. Galli vero numero ſuperiores,infra fluuium, obuiam illos in latum locum pertrahendi cupidi gradiebantur: ſed quum denſatos agmine quadrato eos progredi animaduerterent, niſi iter ipſis præciderent incolumes ad Terranouam peruenturos veriti, flumine traiecto impetum in eos fecerunt: vbi Hiſpanorum peditum bellis aſſuetorum virtute ſuperante,& aggere Gallis vehementer incommodante, Galli victi fuerunt.Nec multo pòſt ducenti grauis armaturæ, totidem minoribus haſtis vtentes equites,& duo peditum millia,Manuello Benauida duce, cum quo tunc in Italiam venit Antonius Leua,qui poſt ex gregario milite per omnes militiæ gradus,Cæſarei exercitus ſummum imperium adeptus,multis in Italia victorijs potitus eſt:mari ex Hiſpania Meſſanam peruenerunt. Qui Meſſana Rhegium Calabriæ oppidum,nõ multò ante ab Hiſpanis Obignino in alia Calabriæ,quam pene totam obtinebat parte verſante,captum,tranſuecti,ad Loſarnum quinq; ab Callimera milliaribus caſtra poſuerunt, in quod oppidum ante biduum Ambricurtius cum

triginta

triginta cataphractis,& Mileti comes cum mille peditibus ingreſſi erãt,& ſequenti mane in aurora mœnia,quæ portas nõ habebant ſed tantummodo ſepta quædam aggreſſi, ſecunda impreſſione quamuis illi ſe ſtrenuè tuerentur, expugnarunt: vbi Spiritus centurio,cæſus,Ambricurtius captus fuit.Mileti verò comes qui in arcem confugerat,euaſit:quoniam victores,Obigninum,qui cum trecentis cataphractis tribus peregrinorum, & duobus incolarum militum millibus , aduentabat metuentes , mox Terranouam ſe contulerunt:his in hunc modum geſtis , quum Obigninus ad Polliſtrinem vicinum caſtellum conſtitiſſet,Hiſpani cõmeatu deſtituti,noctu clàm Hieracem petituri caſtra mouerunt : ſed Obignini copijs ad aſperi cuiuſdam montis aſcenſum vſq; perſequentibus, ſexaginta cataphractos & multos pedites amiſerũt:ex Gallis aũt , Grunius magni apud illos nominis vir,qui eam alã quæ Calatini comitis paulo pòſt Capuæ expugnationẽ ex aduerſa valetudine mortui fuerat,ducebat,quòd nimiũ progreſſus eſſet, occubuit.Hoc ipſo tẽpore alia claſſis qua ducẽti graues,totidemq; leues equites,& duo peditũ millia, quibus Portus Carrera præfuerat: ſed eo Rhegij quò cũ exercitu iter faciebat defuncto cura ad Ferrandũ ab Andrada eius vicarium deuenerat,vehebantur, ex Hiſpania ad Siciliam appulſa eſt , quorũ aduentu Hiſpani qui Hieraciũ ſe receperãt,audaciores facti, ad Terranouã reuerſi, in ea oppidi parte quæ arcẽ quam ipſi obtinebant attingit,ſe munierũt:quæ pars ad caput vallis,cui reliquũ oppidũ coniungitur eſt, nõ fruſtra Obignini aduentũ metuentes,is enim ſtatim Polliſtrine profectus , in ea parte quã Hiſpani vacuã relinquebãt caſtra locauit, ſicq; vterq; ſuam partẽ cùm alijs rebus,tum ſeptis oppoſitis, cõmuniuit:Obigninus aũt poſtea, Hiſpanos qui Rhegium claſſe appulerant, vt reliquis coniungerentur aduentare certior factus , Loſarnũ conceſſit:& hoſtes cõmeatus oportunitatem ſequuti,omnes vnà Semenarię conſederunt.Dum hęc ita in Calabria geruntur, Gallus prorex Barlettã reuerſus in id incumbens vt cõmeatũ impediret, & propter peſtẽ atq; annonæ caritatem,quibus Barletta infeſtabatur,Hiſpanos minimè diutius ibi permanere, vt Traniũ vbi eadẽ obuerſebantur incõmoda,ſe conferre poſſe ratus,Materæ caſtrametatus,milites per circũpoſita loca diſtribuerat.Sed admirabilis erat illorũ in tantis incõmodis atq; periculis perſeuerantia,Conſalui virtute diligentiaq; confirmata: qui modò bis mille Germanorũ peditum , ad quos conſcribendos Octauianũ Columnam in Germaniã miſerat,aduentus,modò aliorum auxiliorũ ſpem faciens,modò mari Tarentum ſe recipere velle,fama diuulgata,ſed multò magis ſuo ipſius exẽplo,qui omnes labores,omnẽ victus ac neceſſariarum rerum inopiam,hilari animo perferens,illos ſuſtinebat. Bellicis rebus in hunc ſtatum redactis , Gallorũ negligentia , & petulantia, qui ad eam vſq; diem inferiores fuerant , ſuperiores eſſe incæperunt:nam Caſtellanetæ (quod oppidum prope Barlettam eſt)homines,detrimẽtis atq; iniurijs,quas à quinquaginta Gallis cataphractis qui illic caſtra habebant patiebantur , perciti , armis conſternatione ſumptis,illos ſpoliarunt:& poſt paucos dies,Conſaluus,Paliſſam qui cum centum cataphractis & trecentis peditibus,Ruboſij oppido,duodecim à Barletta milliaribus caſtra habebat negligentes habere excubias , certior factus , nocte Barletta egreſſus,Ruboſiumque profectus, & tormentis quæ quòd planum iter eſſet facilè ſecum duxerat , ſumma celeritate diſpoſitis , tanto impetu inuaſit , vt Galli qui quiduis aliud expectabant,repentino impetu territi , leui facta defenſione , Paliſſa cum reliquis capto, victi fuerint : eodemque die Conſaluus, nullius à Nemurio , qui ante paucos dies Canuſium venerat periculi metu Barlettam redijt : quoniam Nemurij copiæ, vt Barlettam ex pluribus lateribus obſeſſam tenerent, & fortè maioris commoditatis gratia,in varia loca diſtributæ , tempeſtiue conuenire non poterant : huc acceſſit quod quinquaginta Galli cataphracti,ad quandam pecuniam quæ Tranio Barlettam ferebatur intercipiendam miſſi,à militibus quos Conſaluus ad pecuniæ præſidium miſerat fuſi fuere.Hæc omnia,alius caſus , qui Gallorum audaciam magnopere depreſſit,inſequutus eſt:neq; enim poterant,id quod proprium virtutis opus fuerat fortunæ malignitati tribuere: nam quum de nonnullis militibus qui Ruboſij capti fuerant redimendis, præco Barlettã veniſſet, à nonnullis Italis grauis armaturæ equitibus, quædam in Gallos dicta fuere,quæ à præcone,in Gallorũ caſtris relata, viciſſimq; ab illis reſpõſum Italis eſſet,ſic vtriq; accenſi fuere,vt ad ſuæ vtriusq; gentis honorẽ tuẽdum,tredecim Galli,totidẽ Itali grauis

armaturę equites,tuto in loco,ad extremum vſq; ſpiritum inter ſe ferro decernant,conuentum ſit:locus ad pugnæ in loco plano ac patenti, inter Barletam, Andriam & Quadratum conſtitutus: quem ad locum certo militum numero vtriq; comitati venirent: tamen vt inſidiæ abeſſent vtriuſq; partis Imperator, cum maxima exercitus parte ſuos ad medium iter deduxit:atq; dum proficiſcuntur, hortatur, vt quum ex omni exercitu ſelecti eſſent, animo & factis conceptæ expectationi,quæ talis eſſet, vt in eorum manibus & virtute,cõmuni omnium conſenſu, nobiliſſimarũ nationum honos poſituseſſet, reſponderent.Gallus prorex ſuos monebat,hos eoſdem illos Italos eſſe,qui Gallicum nomen ſuſtinere non auſi, quotieſcunq; ab alpibus, ad extremam vſq; Italiæ oram cucurriſſent,nullo vnquam ſuæ virtutis facto periculo, ſemper ipſis ceſſiſſent,quos ne nũc quidem noua animi generoſi magnitudo, aut virtus excitaret, ſed quum Hiſpanorum ſtipendijs militarent,eorumq; imperijs ſubiecti eſſent, illorum voluntati repugnare nõ potuiſſe:qui non virtute,ſed fraude & inſidijs pugnare aſſueti,libenter alienorum periculorum otioſi ſpectatores eſſent: ſed quamprimùm Itali in arenam adducti eſſent,eorum à quibus ſemper percuſſi fuerant, armis & ferocitate ex aduerſo conſpectis,quum aduerſus victorum ferrum, Hiſpanorum vanis iactabundisq; verbis nixum fundamentum minimè idoneus clypeus ſit,ad timorem conſuetum reuerſos, vel pugnare non auſuros,vel timidè pugnantes facilem ipſis prædam futuros.Italos viciſſim Conſaluus,nõ minus pungentibus aculeis incitabat priſtinos gentis honores, & armorum gloriam, quibus olim orbem terrarum domuiſſent, commemorans,nunc in horum paucorum, qui à maiorum ſuorũ virtute minimè degeneres eſſent poteſtate poſitum, cunctis mortalibus patefacere:ſi Italia cunctarum gentium victrix,à paucis annis externorum incurſiones paſſa erat,eius rei non aliam quàm ſuorum principum imprudentiam qui ambitione inter ſe diſſidentes,vt ſe inuicẽ deprimerent externa arma accerſiuerant,cauſſam fuiſſe.Gallos nullam in Italia victoriam vera virtute adeptos, ſed vel Italorum conſilio, vel armis adiutos, vel tormentorum fulminibus ceſſum fuiſſe,quorum terrore quòd ea res noua in Italia eſſet, non illorum virtutis metu,viam illis patefactam fuiſſe:iam oblatam eſſe occaſionem coràm prȩcipuis Chriſtiani orbis gentibus,totq; ſuæ nationis nobiliſſimis viris, qui ab vtraq; parte, ſummopere ipſorum victoriam exoptarent ad tam illuſtre ſpectaculum animis oculisq; conuerſis ferro & propria virtute dimicandi meminiſſent, ſe omnes apud totius Italiæ celeberrimos duces educatos,perpetuoq; in armis vixiſſe,& varijs in locis ſingulos præclara virtutis documenta dediſſe. Itaq; aut ipſis palmam Itali nominis in eam gloriam,in qua non modò maiorum ſuorum temporibus fuerunt, verumetiam ipſimet vidiſſent, reponendi à dijs immortalibus datam,aut tantum decus iſtis manibus obtineri non poſſet, Italiam alio in ſtatu quàm ignominioſæ perpetuæq; ſeruitutis futuram, deſperandum penitùs eſſe. Nec minus vehementes erant reliquorum vtriuſq; exercitus ducum, ac militum ſtimuli,quibus vt ſibi ipſi ſimiles eſſent,& propria virtute gentis ſuæ gloriam & ſplendorem extollerent,ſingulos accendebant. his adhortãtium vocibus in campum deducti,animo ardoreq; pleni, in diuerſa ſepti parte, vtriq; conſtitere: datur ſignum:infeſtis haſtis velut acies, ternideni equites concurrunt: quo in cõcurſu,cum nullus ſuperior extitiſſet, magno animo atque impetu alijs ſumptis armis,ſinguli virtutem ſuam, omnibus ſpectatoribus, ex vtroque exercitu tacitè confitentibus, ad tam illuſtre certamen, nec magis ſtrenuos, nec magis dignos milites eligi potuiſſe, egregiè oſtenderunt:ſed quũ iam minimè paruo temporis interuallo pugnatum,& ſolum multis armorum fruſtis plurimoq; vtrinq; vulneratorum ſanguine tectum, & adhuc anceps prælij euentus eſſet, ſpectatoribus magno ſilentio, nec ferè minore quàm ipſimet,animi angore atq; ſolicitudine intuentibus,accidit vt Guliel mus Albimontius Italus, ab vno Gallorum equo deijceretur, dumq; Gallus ferociter vteum interficiat,equo in eum incurrit, Franciſcus Salomonius,ad ſocij periculum accurrens, Gallum, qui ad Albimontium opprimendum intentus ſibi ipſe ab illo non cauebat,ingenti vulnere interfecit:mox vnà cum Albimontio,& Miale,qui ſaucius humiiacebat,erectis,venabulis quę in hunc finem attulerant correptis,plerosque hoſtium equos confodere:quare Galli iam inferiores facti, ſingulis à ſingulis omnes ab Italis capti fuerant,qui magno à ſuis lætitia recepti, poſtea Conſaluum qui illos ad medium itineris

neris ſpacium expectabat obuium habuerunt, à quo incredibili plauſu atque honore cunctis illis tanquam Italicæ gloriæ aſſertoribus gratias agentibus, accepti, ac Triumphantium more captiuos præ ſe ducentes, tubarum atq; tympanorum ſonitu, tormentorum tonitruis, militaribusq; acclamationib. ac gratulationibus, cælo reboante Barletam ingreſſi ſunt: verè digni viri, quorum nomina ab Italis omnibus poſterorum memoriæ literarum monumentis cõmendentur. Fuerunt autem hi, Hector Feramuſca Capuanus, Ioannes Capoccius, Ioannes Bracalo, & Hector Iuuenalis Romani, Marcus Carelarius Neapolitanus, Marianus Sarnẽſis, Romanellus Foroliuienſis, Ludouicus Aminalis Ternienſis, Frãciſcus Salamonius, & Gulielmus Albimõtius Siculi, Mialis Troianus & Ricius atq; Tanfulla Parmenſes, omnes in armis, aut ſub Aragonijs regibus, aut ſub Columnijs educati: eſt autem incredibile, quantum hic conflictus Gallici exercitus animum depreſſerit, & contrà Hiſpanici auxerit, dum vtriq;, ex hoc paucorum experimẽto totius belli fortunã exitumq; præſagiunt. Hoc ipſo tempore, Heluetij Galliæ regi in Inſubria negocium faceſſebant, initio non ab vniuerſa gente, ſed à tribus qui Bellizonã occuparant pagis facto: qui vt eum ad id oppidum ipſis velut propriũ concedendũ cogerent, in Locarnum, & Muratam, vbi murus eſt inſigni longitudine, ad Verbanũ Lacum prope Locarnũ ductus, quo deſcenſus ex illis montibus in planitiẽ, niſi per portã quæ in muro vnica eſt prohibetur, impetũ fecerunt: & quamuis propter Gallorũ præſidium ab initio potiri nequiuerint, & Ciamontius, qui cũ octingẽtis cataphractis & trib. peditum millibus Vareſij & Galerati caſtra habebat, eũ locũ tueri poſſe ſperaret, tamẽ Heluetij poſtea numero aucti, quoniã à Rhetis auxilia acceperãt, poſt multas impreſſiones fruſtra factas, pars eorũ, aſpero monte, qui muratæ imminet conſcenſo, cuſtodes diſcedere coẽgerũt: deinde Locarno excepta arce, capto, indies creſcebant: quia reliqui nouem pagi, & ſi initio regi fœdere quod cum illo habebant, milites obtulerant, tribus pagis, quòd ſocios ſuos deſtituere ſe minimè poſſe dicerent, quib. antiquis inter ſe fœderibus, quæ omnia cum alijs fœdera antecedunt tenerentur, auxilia mittere incæperunt: cumq; iam circiter quindecim millia circa arcem conueniſſent, & Galli ob itinerũ anguſtiam, & illorũ in ijs cuſtodiendis diligentiã ſuis auxiliũ ferre nõ poſſent, per circumiectam regionẽ prædabantur, indignatiq; quòd Meſauciacæ arcis præfectus, quæ Io. Iacobo Triultio parebat, torméta ad Locarni arcẽ oppugnandã, accõmodare nollet, Meſauci arce, quòd inexpugnabilis eſſet nõ tentata, oppidum diripuerunt. Galli aũt hunc motũ minimè parui faciẽtes, omnib. quas in Inſubria habebãt virib. collectis, auxilijsq; Bononia, Ferraria, & Mantua accerſitis, à Venetis quoq; ad Inſubriæ defenſionẽ debita auxilia quæ ab illis prõptè promiſſa, tam ſerò expedita ſunt, vt neceſſaria nõ fuerint. Ciamontius montanis arcibus, & proq; pugnaculis reb. oportunis optimè inſtructis Heluetios, qui quòd neq; equites neq; torméta haberent, in aperta loca deſcendere nõ audebant, cõmeatus, & pecuniæ inopia, & quia vllius magnæ rei gerendæ ſpe carebant, defatigatum iri ſperans, exercitũ in planitie detinebat: quo in ſtatu quũ Heluetij multos dies verſati eſſent, & quia Galli multis nauagijs armatis, multas naues quæ cõmeatũ ad Heluetios ferebant ſubmerſerant, & quo minus per lacũ adueheretur prohibebant, cõmeatus penuria ſubinde augeſcẽte, quodq; ea res ad eos tãtũ pagos qui Bellizonã poſſidebant ſpectabat, diſſenſione inter eos gliſcẽte, præfectis quoq; Gallica pecunia corruptis, tandẽ omnibus quæ hoc bello occuparant Meſauco, vtpote quod ad regem non pertineret, excepto, reſtituris: & viciſſim ab rege Bellizonæ ad certum tempus non infeſtandæ, fide accepta, receſſerunt: adeò erant Galli ab Heluetiorum inimicitia alieni, vt eos, non modò hoc tempore, quo cum Hiſpaniæ regibus bella gerebant, Romanorũ regem metuebant, & Venetos ſuſpectos habebant, verùm etiam quouis alio annuis publicè ac priuatim penſionibus illorum amicitiam mercari, indigniſque legibus paciſci non puderet: ad quod quidem præter quàm quòd peditum Gallorum virtuti parum fidebant, illa quoque eos mouebant, quòd magno incommodo cum ijs, qui quod amittant non habent, bellum geri animaduerterent: ſic Galliæ rex Heluetico tumultu liberatus, haud minus ſe eodem tempore ex neapolitano bello extricare ſperabat: nam poſt multa pacis conſilia ſerio inter vtrumque regem agitata, quum Philippus Auſtrius ex Hiſpania in Flandriam redire vellet, contra multas vtriusque ſoceri preces

terreſtri itinere reuerti ſtatuit,à quibus amplam pacis cum Galliæ rege conficiendæ,in quam dum in Hiſpania fuit vehementer incubuerat, facultatem liberamq; poteſtatem obtinuit:verùm duobus illorum regum legatis ei adiunctis, ſine quorum conſilio,nihil vel agi vel confici volebant. Incredibile eſt quanta magnificentia & honore regis iuſſu per vniuerſum Galliæ regnum acceptus fuerit,non modò vt eum ſibi in pacis negocio propitium redderet, ſed etiam vt eius principis,qui & iuuenis erat,& in ſummæ potentiæ expectatione (erat enim Romani imperij ſucceſſioni proximus, & Hiſpaniæ regnorum cum omnibus ad ea regna pertinentibus hæres)animum ſibi in perpetuum deuinciret:pari liberalitate qui plurimum apud eum poterant accepti:multa ijs munera data: quibus rebus regia animi magnitudine reſpondit Philippus : nam quum rex præter fidem publicam qua per totum Galliæ regnum iter faciens tutus eſſet , nonnullos ex ſummis regni proceribus, tanquam obſides in Flandriam, vt ibi tamdiu donec ipſe iter confeciſſet manerent miſiſſet, Philippus quamprimùm Galliam attigit,vt ſe penitùs eius fidei committere oſtenderet, obſides liberari iuſſit: nec verò hæc tanta amicitiæ ſigna,quantum in ipſis fuit, minores fructus conſecuti ſunt: quoniam Bleſiaci collocuti, pòſtaliquot dierum deliberationem, pacẽ his legibus Sanxerunt: Vti regnum neapolitanum, prouincijs de quibus ad arma ventum erat, Philippo depoſiti loco traditis,ex primę diuiſionis conſtituto poſſideretur:& nunc ſtatim Carolus Philippi filius,& Claudia regis filia, inter quos connubium ſuperioribus temporibus inchoatum, confirmabatur, neapolitani reges,Apuliæ & Calabriæ duces nuncuparentur:parti quæ Hiſpaniæ regis erat, Archidux in poſterum præeſſet:ei verò quæ ad Galliæ regem ſpectabat,quẽcunq; rex voluiſſet: ita tamen vt vtraq; duorum infantium nomine gubernaretur: quibus quamprimùm Hymenæi ſacra peregiſſent, rex in filiæ dotem, partem ſuam traderet:quæ pax in Bleſiaci auguſtiſſimo templo ſolenni ritu promulgata,& regis ac Philippi tanquam regum procuratoris,ſacramento confirmata fuit:quæ pax certè,ſi firma permanſiſſet,maximi extitiſſet momenti: quoniam non modò inter tam potentes reges arma quieuiſſent,ſed hanc inter Romanorum & Galliæ reges pax, quoq; eſſet conſecuta: ex quo noua aduerſus Venetos conſilia orta eſſent : & Pontifex omnibus ſuſpectus, & infamis,conciliorum aliorumq; ipſius autoritatis deprimendæ inſtrumentorum metu non caruiſſet: ſed quum rex & Philippus, ad pacem in regno neapolitano nuntiandam, & ducibus, vt donec Hiſpaniæ regũ confirmatio afferretur,ea quæ habebant poſſidentes,ab iniurijs abſtinerent, imperatum miſiſſent: Gallus quidem præfectus ſe regi ſuo pariturum dixit, ſed Hiſpanus,ſiue quod magis de victoria ſperaret: ſiue quòd ſola Philippi autoritas illi non eſſet ſatis, ſe donec idem ab regibus ſuis mandatum acciperet, bello abſtinere non poſſe reſpondit : ad quod magis accendebatur quia Galliæ rex,prius pacis agitationibus, deinde ipſa pace perfecta fretus,idq; quod adhuc incertum erat, certum eſſe ratus non modò reliquos apparatus prætermiſerat, verùm etiam ter mille pedites, quos antea Genuæ nauibus imponi iuſſerat, & trecentos cataphractos Perſiuo duce,ad id bellum deſtinatos,remoratus erat:& contrà,Barlettam bis mille Germanorum pedites peruenerant, qui Romanorum regis conſenſu conſcripti,nauibus Tergeſti cõſcenſis, Galliæ rege grauiter expoſtulante,per ſinum Venetorum tutò enauigarant:quare Nemurius,quum ſibi inducias polliceri non poſſet,& cladibus paulò antè acceptis debilitatus, vt ſi forte occaſio daretur,vel neceſſitate cum hoſtibus confligere cogeretur paratus eſſet, omnes Gallicas copias, quæ per varia loca erant diſtributæ (ijs exceptis quæ Obignino in Calabria militabant)omniaq; regni procerum auxilia euocauit: verùm in ijs colligendis fortunam parum habuit proſperam : nam cum Atriæ dux,& Ludouicus Arſius Gallus,militum præfectus,qui copias ſuas per Hydruntinum agrum diſſipatas habebant, quia Petrum Nauarrum, cum Hiſpanicis peditum copijs, eo loco eſſe vnde, ſi diſiuncti iuiſſent,ipſos lædere potuiſſet cognouerant, vnà ad proregem contendere ſtatuiſſent, accidit vt Ludouicus Arſius, oportunitatem qua ſolus tutò proficiſci poſſet, nactus,Atriæ ducis periculo neglecto diſceſſerit,Atrius verò Petrum Nauarrum, Materam verſus vt ad Canſaluum contenderet, caſtra mouiſſe certior factus,& ipſe cum ſuis copijs itineri ſe dedit.Sed humana conſilia aduerſus fortunam non ſatis habent virium: nam cum Rutilianenſes (quod oppidum, in Barenſi agro eſt)

gro est) qui ijsdem diebus à Gallis defecerant, Petrum Nauarrum accersiuissent, ille ab cæpto Materensi itinere Rutilianum deflectens, Atriæ ducem obuium habuit: qui hoc casu perterritus, quid sibi agendum esset dubitauit: tamen cum fuga non satis tuta esset: & quamuis peditum numero inferior, plures se equites habere animaduertens, atque Hispanicum peditatum quòd ea nocte longum iter confeciſſet, defatigatum ratus, prælium inijt: in quo quum vtrinque fortiter pugnatum esset, tandem eius milites succubuerũt: Ioannes Antonius patruus eius cæsus, ipse verò captus, ac quemadmodum plerunque accidere videtur, vt aduersæ res solæ non veniant, quatuor Gallicæ triremes, quibus præerat Preiannes ex Prouincia, eques Rhodius, Veneto magistratu, qui se illas ab Hispanica classe, quæ Villamarina duce proxima loca circumibat, vexari non passurum promisit, permittente, Hydruntinum portum inuectæ sunt: sed classe paulo pòst eundem portum ingressa, Preiannes viribus inferior, ne se inuaderent veritus, vt saltem clades sua hostibus nullum adferret emolumentum, turma nauali liberata, triremibusque submersis, ipse cum suis terrestri itinere euasit. Galliæ rex ducibus suis, vt defensioni incumbentes, pugnam euitarent, mox enim vel pacis confirmationem, vel magna auxilia habituros significarat. Sed cum exercitus vtrinque validi essent & propinqui, Gallorum ardorem temperare, & vt bellum produci paterentur efficere difficile erat: imò fatis, vt de rerum summa nulla amplius interposita mora decerneretur trahebantur: cuius rei in Calabria initium fuit: Hispanis enim Semenariæ coniunctis, Obigninus omnibus suis & principum qui Gallicam factionem sequebantur copijs collectis, peditatum in Gioia oppido quod tribus à Semenaria miliaribus distat, & equitatum, Losarni totidem à Gioia millaribus, castra metari iussit: & quatuor tormentis in fluminis ripa, ad quam sita est Gioia collocatis, vt se hostibus, si flumen transire tentarent opponeret, paratus erat. Hispani autem aliud consilium sequuti, eo die quo transire statuerunt, primùm agmen, cui Manuel Benauida præerat recto itinere ad flumen duxerunt: isque quum ad ripam peruenisset, cum Obignino qui omnem exercitum suum ad oppositam ripam duxerat, loqui cæpit, atque interea nouissimum agmen Hispanorum quod media acies subsequebatur, alio itinere ad fluuium mille & quingentos supra Gioiam passus traijciendum conuersum est: quòd animaduertens Obigninus, celerrimè, & vt eos antequam omnes traiecissent offenderet, absque tormentis eò contendit: at iam omnes trans flumen quamuis tormentis carerent, acie ad pugnam instructa atque densata constiterant: quo facto in Gallos longè minore (vt quidam aiunt) peditum numero, nullo ordine procurrentes impetum fecerunt: sicque citò antequam prima acies flumen transiret, eos debellarunt: quo in conflictu, Ambricurtius cum aliquot alijs Gallis ducibus, & Sommæ princeps cum multis regni proceribus capti fuerunt: & Obigninus quamuis in Angitolæ arcem confugisset, in ea inclusus sese dedere fuit coactus, in ijsdem locis debellatus & captus, in quibus paucis annis antè tanta cum laude Ferdinandum regem & Consaluum superauerat: vsq; adeò mobilis est fortunæ blandientis aura. Nec ei viro qui fuit ex præstantissimis ducibus quos Carolus in Italiam duxerit, liberoque & nobili ingenio, aliud quidquam obfuit, quàm nimio impetu ad victoriæ spem properare: quæ res & proregi in Apulia nocuit: qui fortasse etiam cladis in Calabria acceptæ nuncio magis accensus est: quoniam Consaluus suorum victoriam ignorans, quum fame atque peste pressus vltra Barlettæ morari non posset, paruo præsidio relicto discessit, & ad Ciriniolam, decem milliaribus procul, & penè inter Canusium, vbi erat prorex atque Barlettam trianguli figura positam, exercitum duxit. Antea in proregis concilio, vtrum prælij occasio quærenda, an fugienda esset disceptatum fuerat, multique duces in hac sententia fuerant: cum Hispani militũ numero aucti essent, ipsi verò imminuti, & propter ea quæ prius Rubosij & Castellanetæ, deinde in Hydruntino agro, & postremò in Calabria acciderant, timidiores fieri cæpissent, non esse perclitandam fortunam, sed Melfium vel aliam amplam, & commeatu affluentem ciuitatem ingrediendam: ibique vel noua ex Gallia auxilia, vel pacis certum nuntium expectandum: & ad huiusmodi cunctationem se etiam recenti regis imperio cogi: sed habuit hæc sententia contradicentes multos, quibus donec Calabriæ victor exercitus Consaluo coniungeretur, vel ad aliquam ma-

gni momenti rem, vbi aduersarium non esset inuenturus gerendam conuerteretur, expectare, periculosum videbatur. Quem fructum Mompensierij exercitus qui se oppidis potius continere quàm dimicare voluerat, attulisset commemorantes, præterita exempla, quid de longis atque incertis Galliæ auxilijs sperare possent, admonere: quòd si rebus adhuc ambiguis, nec Consaluus ab iniurijs abstinere voluerat, nec Hispaniæ reges pacem comprobarant, eo minus nunc facturos cum tantam victoriæ spem haberent. Habere se exercitum robore ac virtute hostibus minimè inferiorem, neque clades propria negligentia acceptas, cum eo experimento quod ferro atque animi fortitudine, non autem astu & fraudibus, aperto marte caperetur comparandas: rem esse ad securitatem & gloriam aptiorem saltem æqua spe fortunam experiri, quàm ea vitata suisque viribus paulatim attritis, victoriam hosti sine sanguine & periculo concedere; & regis qui procul esset iussa, potius pro monitis quàm præceptis accipienda: quæ si ab Obignino seruata fuissent, prudenter data erant, sed belli conditione eo errore immutata deliberationes quoque mutandas esse. Hæc sententia in concilio superauit: ideò quamprimùm Hispanos aut omnes aut partem Barlettam egressos per exploratores cõpererunt, Nemurius quoq; Ciriniolam versus progressus est, quod iter vtrique exercitui valde incommodum erat: est enim ea regio siccissima, & aquis indigens: æstas autem initio Maij, longè citius quàm soleat aduenerat. Fama est eo die multos vtrinque siti perijsse; & Galli num totus exercitus an verò pars tantùm egressa esset ignorabant: quoniam Fabritius Columna cum expeditis equitibus nullam ad illos eius rei notitiam peruenire permittebat: & cataphractorum erectæ hastæ, atque fœniculum quod ea in regione ad maximam altitudinem crescit, visum eis adimebant. Hispani primi Ciriniolam, quàm Galli obtinebant, peruenerunt, & in quibusdam vinetis castrametati, Prosperi Columnæ consilio fossam quæ in castrorum fronte erat dilatarunt: dum verò castra muniebantur, Galli superuenerunt, & nocte iam ingruente, vtrum statim prælium esset ineundum, an in crastinum differendum dubitarunt: Iuo autem Allegrius, & Malfianus princeps in sequentem diem differri suadebant, quo die Hispanos commeatus inopia coactos castra moturos sperabant; quo fieret, vt præter noctis vicinitatem, illos in proprijs castris, quorum præsertim situs ignoraretur, inuadendi, incommodum euitaretur: sed Nemurio magis salutare consilium vehementer contemnente, Hispanos magno impetu Heluetijs eadem ferocitate pugnantibus, adorti sunt, cumq; Hispanorum tormentarius puluis, siue casu, siue alia quauis ratione accensus esset, Consaluus omen forti animo amplexus, vicimus, Deus nobis apertè victoriam pollicetur, exclamauit: hoc enim signo tormentis nihil iam opus fore demonstrat. Varia est huius pugnæ fama: Galli, suos primo congressu Hispanorum peditatum fudisse, atq; ad tormenta vsq; progressos, puluerem incendisse, & tormentis potitos; sed nocte adueniente, cataphractos errore in proprium peditatũ impetum fecisse; hoc errore Hispanos vires resumpsisse diuulgarunt. Alij Gallos fossæ transeundæ difficultate, perturbari, nec ordines seruare cæpisse; sicq; præcipuè Nemurij, qui dum inter primos ferociter pugnat, suosq; ad fossam transeundã accendit scloppetti glande ictus cecidit, morte territos, non minus ordinum suorũ perturbatione quàm hostium virtute in fugã coniectos fuisse dixerunt. Alij verò diligentius edocti, affirmant, Nemurium fossæ superandæ spe deiectũ, cum copias ad castrorum latus, vt ab ea parte experiretur, cõuertere vellet, retrocederent, proclamari iussisse; quæ vox causſam ignorantibus fugæ signũ dabat: quam ipsius qui in prima acie erat mors statim sequuta', vniuersum exercitum in apertam fugam conuertit. Nonnulli, pugnæ contra reliquorum sententiã initæ notam à prorege remouent, & in Allegriũ transferunt: quẽ aiunt, timiditate proregi qui eo die pugnare nolebat obiecta, in contrariã sententiam traxisse. Paruo admodũ spacio pugnatum est: & quãuis Hispani fossa superata eos persequuti fuerint, tamen quòd iam obscura nox esset pauci præsertim equites capti vel cæsi fuerũt: inter quos interfectus fuit Ciandeus; reliqui impedimentis tormẽtisq; amissis, ducibus passim atq; militibus in varias partes dissipatis fuga elapsi sunt. Fama est hostibus vndiq; pulsis, Consaluo cum nusquã Prosperum Columnã videret, ne in pugna occubuisset verenti, diligenterq; de eo percunctanti, Fabritium, quòd illum timiditatis arguere vellet, subridentẽ respondisse: ne peri-

periculum aliquod adijſſet, verendum non eſſe. Parta fuit hæc victoria octauo poſt Obignini cladem, eoque vtraque die qui à Venere appellatur: quem diem Hiſpani ſibi fauſtum ſæpe fuiſſe obſeruarunt. Galli vbi ex fuga vnum in locum conuenerunt, varia conſilia ceperunt, aut cum exercitus reliquijs in aliquem ſe locum, ad victores neapolitano itinere prohibendos oportunum, conferre: aut in Neapolis defenſione hærere: tamen quemadmodum in rebus aduerſis metus & eorum qui victi ſunt difficultates indies augentur, neutrum horum fecerunt: nam & alibi conſiſtere difficile erat, & Neapolim propter commeatus inopiam defendi non poſſe cenſebant: cui vt prouiderent Galli antea, magnam frumenti copiam Romæ coemi curarant: ſed populus Romanus, ſiue vt ſibi conſeruaret, ſiue vt multi crediderunt, occulto Pontificis conſilio, aſportari prohibuit. Quare Allegrius, princeps Salernitanus, & multi alij proceres, inter Caietam & Traiectum, quo maxima exercitus reliquiarum pars, illorum nomen ſequuta conueniſſet caſtra poſuerunt. Conſaluus tantam victoriam adeptus ſecundæ fortunæ curſum ſequutus, Neapolim verſus exercitum duxit: & præter Melfiam iter faciens, principi ſi Hiſpanorum partes ſequi vellet, imperij ſui retinendi facultatem obtulit: qui potius cum coniuge ac liberis diſcedendi facultate arrepta, ad Ludouicum Arſium qui Venuſiæ conſederat, contendit. Malfia capta Conſaluus Neapolim verſus iter eſt ſequutus, quò vt appropinquare cæpit, Galli qui ibi erant in arcem nouam ſe receperunt: & Neapolitani deſerti, quarta decima Maij Conſaluum admiſerunt: quod eodem tempore & Auerſani & Capuani fecerunt.

QVINTI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE, LIBER SEXTVS.

Galliæ regis ad Italicum bellum apparatus: Hiſpanorum in Neapolitano regno progreſſus: Alexandri Pontificis obitus: Iulij Secundi ad pontificatum electio: eiuſdem belli Venetis inferendi conſilia: & eorundem in Aemilia atq; Flaminia progreſſus: inter Hiſpanos & Gallos ad Garillianum pugna: Petri Medices obitus: de noua ad Indos nauigatione: Valentini ducis captiuitas: inter Hiſpanos & Gallos induciæ: Florentinorum in Piſanos res geſtæ: Federici Arogonij interitus: Florentinorum ad Oſolem clades: Hippolyti Eſtenſis Cardinalis in fratrem ſuum immanitas.

GALLIAE rex, tantæ cladis nuntijs, eo tempore quo magis pacis ſpei quàm bellicis cogitationibus deditus erat acceptis, tam nobilis regni iactura, ſuorum exercituum, in quibus tot nobiles, totq; fortiſſimi viri errant calamitate, & periculis quæ reliquis rebus quas in Italia poſſidebat imminebant: nec minus, quia turpiſſimum ſibi ducebat, ab Hiſpaniæ regibus, proculdubio potētia inferioribus vinci, grauiſſimè cōmotus, ſeq; pacis ſpe deceptum fuiſſe vehementer indignatus, vt amiſſam gloriā regnumq; recuperaret, & tantā iniuriā armis vlciſceretur, totis viribus niti ſtatuebat: ſed antequàm quidquam aliud ageret, cum Archiduce qui nondum Bleſiaco diſceſſerat grauiſſimè queſtus eſt: petijtq; vt ſi fidem honoremq; ſuum tueri vellet, quemadmodum decebat prouideret: qui quum culpa vacaret, apud ſoceros, hæc tanto cum ſuo dedecore in omniū mortalium oculis in hunc modum geſta fuiſſe ſupra modum queſtus magnopere rogabat, vti facta corrigerent: illi autem ante victoriam, nunc ſe non ambos quemadmodum neceſſe erat vno in loco eſſe, nunc alijs negotijs valde occupatos afferentes, vt quibus pax, ſiue quòd gener ipſorum mandata exceſſiſſet, ſiue quòd poſt illius ex Hiſpania diſceſſum maiorem de belli euentu ſpem concepiſſent, ſiue quòd illum abſque vlla filij matrimonij propter vtriusq; tam teneram ætatem perficiendi certa ſpe, regni partē in ſe conuertiſſe ægre tuliſſent, non ſatisfaceret, varijs excuſationibus pacis confirmationem diſtulerant; ſicq; nō negantes ſed ſemper ſpem facientes & differentes, quàm diutiſſimè poterant, conſilij ex rerum euentu capiendi liberam ſibi facultatem reſeruarant: ſuorum autem victoria audita, ſuam tamē mentem nondum Archiduci declarabant, vt quò diutius Gallię rex anceps eſſet, eò ſerius auxilia ad Caietā & alia oppida quæ Galli retinebant, tuenda, cōpararet: ſed tandē à genero, qui alioqui Bleſiaco diſcedere minimè vellet, coacti, nouos legatos miſerunt, qui poſt aliquot dierū colloquia, ad extremū regibus ſuis eam pacem, quæ ita erat facta, vt ipſis nec honeſta nec tuta eſſet, cōprobare in animo non eſſe declararunt; & controuerſia inter illos & archiducē orta, dixerunt ei, ſoceros magnopere miratos eſſe, quòd ipſe in pacis capitib. illorū voluntatē eſſet trāſgreſſus: nā etſi honoris cauſſa poteſtas libera ampliſſimaq; ei data fuiſſet, debuiſſe tamē ipſum libellos in quib. ipſorū eſſet expreſſa voluntas, & mādati amplitudo limitata, intueri: ad quę Philippus, libellos haud minus liberos fuiſſe quàm mandatum reſpondebat, imò vtrunq; ſocerū ſibi in diſceſſu, ſe pacē eius opera fieri optare & velle, efficaciſſimis verbis dixiſſe, & omnia quæ ipſe ſpopondiſſet, rata habituros, ſacro Euāgelij libro, & Chriſti crucifixi imagine tactis aſſeueraſſe; nec tamē ſe tam ampla tāq; libera facultate, abſq; duorū hominū quos ſecū miſerant, cōſenſu & approbatione vti voluiſſe. Oratores ijſdē artib. ſe ad regnū Federico reſtituendū propenſos oſtendentes, nouas cōcordiæ rationes propoſuerunt: quæ quū non modò vana verùm etiā inſidioſa, quia ad Philippi, qui id regnum filio parare nitebatur, animū ab Galliæ rege alienandū ſpectabant eſſe animaduerterentur, ipſemet rex in publico cōſeſſu, ſe nullo modo, antequam pacem factam cōprobaſſent, & ſibi ea quæ geſta erant diſplicere ſignis declaraſſent, noua collo-

colloquia audire velle, respondit: sibiq́ue eos reges qui Catholicorum nomine tantopere gloriarentur, proprium honorem, fidem, & religionem tam parui facere: neque Archiducis, tanta amplitudine, nobilitate & virtute principis, filij atq; hæredis vllam rationem habere, non modò mirum sed etiam detestandum execrandumq; videri: quo responso illis eodem die aula discedere iussis, toto animo ad belli apparatus, quos terra mariq; maiores, quàm ab quoquam eius regni rege, à multis annis facti fuissent adornare cogitabat, se conuertit. Itaq; maximum exercitum, & validissimam classem in neapolitanum regnum mittere, & ne interea Caieta atq; neapolitanæ arces caperentur, quàm celerrimè mari nouas copias resq; necessarias submini strare, & vt ex Hispania auxilia, quæ omnium malorum causſa fuerant mitti prohiberet, duobus terrestribus exercitibus, quorũ alterum in Russinonensem agrum qui mediterraneo mari adiacet, alterum verò, Fonterabiam versus & ad circumiecta loca, ad Oceanum sita mitteret, Hispaniæ regnum inuadere, eodemq; tempore valida classe Cataloniæ & Valentiæ oram infestare statuit: quæ dum ingenti ardore comparantur, Consaluus neapolitanarum arcium expugnationi intentus, tormenta contra arcem nouam, ad Sammartini montis radices posuit, vnde ex edito loco, Citadellæ murus verberabatur, quæ dictum montem versus sita, muros habebat vetustos, fundamentisq; iam penè suprà solum extantibus: eodemq; tempore Petrus Nauarrus cuniculum, ad Citadellæ murum euertendum agebat, & arcis muri, ex Vincentij turri, quam ante paucos dies Cõsaluus ceperat, pulsabãtur. Arx noua, siue vt nunc appellant, Castelnouum, tunc alia quàm nunc forma erat: quoniã nũc Citadella diruta vbi eius muri erant, nouus murorum ambitus, qui per arcis areà ad mare protenditur, incipit: hic ambitus à Federico incæptus, & ab eodẽ ad coronamentũ vsq; erectus, solida ex materia comstructus, beneq; fundatus est: ac, quòd vbiq; cuniculis, hostiũ cuniculos excipiat, quodq; aquę extremitas terrę penè extremitatem attingat, cuniculis euerti difficulter admodum potest: erat aũt Consalui consilium, vbi Citadellã cepisset, arcis muri substructioni appropinquare, conariq; eam nouis cuniculis euertere: sed Gallorum vel temeritate, vel aduersa fortuna, maior illi occasio oblata est: nam cuniculo iam perfecto quum Petrus Nauarrus ignem applicari curasset, pulueris impetus Citadellæ murum aperuit: quo facto statim Hispani pedites, qui instructa acie hoc expectabant, pars per muri hiatum, pars scalis ex pluribus partibus cõscendentes, ingredi: Galli contrà arce egrdi, ac ne illos in Citadella cõsistere permitterent, illis obuiam ire: quorum viribus breui tempore superati, dum se in propugnaculũ recipiunt, Hispani illis permixti eundem locum subire, eodemq; impetu portam petere: vbi noua illa ingensque turris quam postea ædificanit Consaluus, nondum erat: quo facto Gallos iam animo fractos tantus terror inuasit, vt ante semihoræ spacium animo prorsus consternati, arcem cum omni supellectile, cuius ingens copia eò ab alijs vt seruaretur, importata fuerat, & hominibus ipsis, hostiũ arbitrio tradiderint: vbi Montorij comes alijque multi principes viri capti fuerunt. Eoque magis hæc res eò opportunior accidit, quia postero die classis in qua sex grandes onerariæ naues erant, multa præterea minora nauigia, commeatu, armis, & tormentario puluere onusta, cum duobus peditum millibus Genua, arci opem latura conspecta est: quæ dum appropinquat, Hispanica classis quæ in neapolitano portu erat, Ischiam concessit: quò illam Gallica classis arcis nouæ deditione audita sequuta est: sed quum Hispani ne pugnare cogerentur, nonnullas naues ante se submersissent, vbi se inuicem aliquot tormentorum globis petiuissent, altera classis Caietam se contulit: altera verò illius discessu secura in neapolitanum portum redijt. Consaluus arce noua potitus, totius regni occupationi intentus Calabriæ exercitu, qui vt omnia progressus impedimenta tolleret, ad Ariani vallem occupandam hæserat, minimè expectato, Prosperum Columnam in Aprutium misit: & ipse Petro Nauarro ad Ouatæ arcis oppugnationem relicto, cum reliquo exercitu Caietam versus contendit, in cuius expugnatione belli summa erat sita: quoniam Gallorum spes, atq; desperatio, penitùs ex eius munitissimæ vrbis maritimæ, quæq; portum habet tam amplum, & classibus quæ Genua atq; ex Prouincia mittuntur, tam opportunum, defensione, amissioneue pendebat. Nec tamen Galli Caietam solum, sed præter circumiecta loca in Aprutio Aquilam, Euandri arcem, & pleraq; alia oppida obtinebant: & Ludo-

uicus Arsius,multis equitib.atq; peditibus collectis,cum Amalfitano principe, Venusiam munierat,& totam vicinam regionem infestabat, & Russanum, Atalona, multaq; præterea munita oppida, quæ Aniouinæ factionis principũ erant, constanter in Galliæ regis fide permanebant.Interea Nauarrus aliquot tectas naues faciebat,quibus arci Ouatæ muro tutius succedens, cuniculum ijs qui intus erant minimè sentientibus,ab ea parte quæ Picifalconem respicit, egit: cui igni iniecto, muri pars vnà cum hominibus qui supra erant magno impetu in altum exilijt:quo casu reliquis territis,statim arx capta fuit,tanta cum Nauarri laude, tantoque hominum terrore, vt,quemadmodum nouæ lædendi rationes, quia nondum defensionum modi excogitati sunt,magis terrent,opinio fuerit eius ab cuniculis, nullum amplius murum munitionémue tutam fore: & erat certè admodum horrendum, tormentarij pulueris in cuniculum positi vi,ingentes muros euerti: quo expugnationis genere primi omnium in Italia Genuenses vsi sunt, quibus vt quidam aiunt,tunc tanquam gregarius miles Nauarrus militabat, quum anno M. CCCC. LXXXVII. ad Seresanelli arcem, quam Florentini possidebant castra posuerunt: vbi cuniculo simili ratione acto,muri partem aperuerunt: sed arce quia cuniculũ quantum necesse fuisset muri fundamenta non subierat,minimè capta, tunc eius rei exemplum nemo est secutus. Sed Consaluo Caietæ appropinquante, Allegrius qui quadringentos cataphractos & quatuor millia peditum, ex ijs qui ex prælio incolumes superfuerant in Caietam,Fundos,Itrium,Traiectum, & Gulielmiam arcem distribuerat, omnes Caietam coegit,quò vnà ingressi sunt Salernitanus & Bisinianus principes,Traiecti dux, & multi regni proceres,qui antè se illi adiunxerant. Quo ab illis facto, Consaluus,omnibus ijs oppidis & Sangermani arce potitus, castra in Caietæ suburbio posuit: tormentisque collocatis, magno impetu mœnia quà portum, quaque montem quem vulgo Orlandi vocant,qui vrbi proximus imminet, quique ab eo pòst muro cinctus, tunc à Gallis vallo atque aggeribus munitus fuit, respiciunt verberauit: bisque frustrà(acie tamen non instructa)impressione facta,tandem propter defensorum numerum & virtutem expugnationem difficilem fore ratus, animaduertens quoque quòd & si sui milites vi in montem irrupissent, tamen in maiori adhuc periculo versabantur, quia tormentis, è cœnobio atque alijs editioribus eius montis locis fulminantibus,expositi fuissent, ab instituta oppugnatione eo die quo statuerat abstinuit: sed tamen, vrbem, mari quoque obsessam(nam ante portum erant decem & octo Hispanicæ triremes, quibus Raimundus Cardonius imperabat) quatere, atque affligere non desinebat.Sed post paucos dies classis quæ sex magnas naues onerarias Genuenses quas Caraccas vocant, totidem alias naues, & septem triremes habebat,commeatu & magno peditum numero referta missa est, qua vehebatur Salutiarum marchio, Nemurio defuncto ab Galliæ rege,quàm maximè fieri posset, de Caietæ defensione solicito, quiq; eam ob caussam, cum his nauibus,tum alijs quæ non multo pòst venerunt, paucorum dierum spatio mille Corsos pedites,& tria Vasconũ millia misit, in regni exercituumq; administratione suffectus:huius aduentu,Hispanorum classis Neapolim se recipere coacta fuit: & Consaluus vllius fructus reportandi spe amissa,copias ad Molam Caietani agri castellum & Castellonem, contraxit: vnde Caietam quasi lata obsidione cingebat multis hominibus cum in leuibus prælijs, tum in discessu amissis,inter quos Vgo Cardonius ab ijs qui in vrbe erãt tormẽti glande ictus cecidit: sed interea omnia reliqua in regno feliciter illi succedebant:Prosper namq; Columna, Euandri arcẽ ceperat, & Aquilam cum omnibus reliquis Aprutij oppidis, Hispanorũ imperio subiecerat,& Calabria penè tota,Capacij comitis recẽti pactione,eidẽ imperio accesserat, neq; quidquã aliud præter Russanum, cum Sanctaseuerina vbi Russani princeps obsessus erat, relinquebatur. Quo tẽpore ceteræ Italiæ partes,à metu & laboribus minimè erant immunes:quoniam Florentini, iam ante Gallorum in regno neapolitano clades,Pontificis & Valentini vires atq; insidias veriti, præter alios bellicos apparatus,Camẽsem præfectum,magni in bello nominis ducẽ, cum quinquaginta Gallis cataphractis,vt omnibus suis copijs,excepto appellationis honore, imperaret,eos quos ipsi metuebãt,propterea quod is Gallię regis minister esset,& 50.cataphractos sibi ab rege traditos, ex regis voluntate duceret,timidius progressuros: prętera regia auxilia si quando esset opus promptiora

fore

fore rati, ſuis ſtipendijs conduxerunt: in cuius aduentu, omnibus copijs collectis, Piſanorum agros iterum depopulati ſunt: nec tamen omnes quoniã Sereſanæ vallis ingreſſus, quòd ea vallis inter montes & aquas, medio Lucam inter & Piſas itinere ſita ſit, periculo nõ carebat. Depopulatis agris, exercitus ad Vicopiſanum contendit, quo ſine labore potiti ſunt: quia præfectus, centum Gallis peditibus qui intus erant, tanquã regijs hoſtibus pœnã interminatus, & ſi egrederẽtur menſtruo ſtipendio promiſſo, vt diſcederent effecit, quorum diſceſſu: oppidani liberam deditionem facere coacti ſunt. Vico capto, ſtatim Verruculam vbi pauci milites erãt, ne alij ingrederentur obſederunt: deinde tormentis per aſperos illorũ montium tramites ſummo labore aduectis, qui intus erant paucis petiti globis vita & fortunis conſeruatis deditionẽ fecerunt. Verrucolæ ſitus, quæ parua arx eſt, in editiſſimo mõte, in diuturnis bellis quæ in Piſano agro geſta ſunt extructa, magni momenti eſt: nã cum quinq; tantummodo paſſuũ milibus Piſis diſtet nõ modò ad circumpoſitã regionem, ad eius vrbis portas vſq; infeſtandam, verùm etiam ad omnem equitatũ, & eos qui Piſis egrediantur ſpeculandos oportuna eſt: & hoc in bello à Paulo Vitellio & alijs ſæpius fruſtra tentata fuerat: ſed Piſanorũ, Vicipiſani quo non capto Florentini Verrucolæ caſtra admouere minimè poterant, defendendi ſpes, vt nõ ſatis eam munierint in cauſſa fuit. Piſanos Verrucolę iactura magnopere terruit: & tamen, quamuis tanta detrimenta accepiſſent, paucos admodum exteros milites haberent, pecuniæ inopia, & cõmeatus penuria laborarent, vt ſub Florentinorum imperium redire vellent, veniæ, iniuriarum, quas grauiſſimas Florentinis intulerant, conſcientia, impetrandæ deſperatione præſertim adducti, non flectebantur: quam affectionem, eos qui ſummæ in repub. autoritatis erant, maxima cura & infinitis artibus tueri, & conſeruare neceſſe erat: agricolis enim, ſine quibus ſe tueri non poterant, meſſes ſuas amittere graue videbatur, idcirco varia ſpe eos fouere ſtudebant, & ſimul etiam plebeios homines, qui magis pacis, quàm belli artibus alebantur, fictis literis varijsque artibus fallendo, & falſis vera miſcendo, & ſi quid noui in Italia accidiſſet, interpretatione ad ſuum propoſitum accommodando, modò hunc, modò illum principem ipſis auxilio venturum, mentiendo retinebant. Nec tamen in hiſce anguſtijs aliquo Genuenſium & Lucenſium Florentini nominis antiquorum hoſtium, atque Pandulfi Petrucij, acceptorum beneficiorum parum memoris, auxilio penitùs deſtituebantur: & quod maioris erat ponderis, aliqua etiam occulta ope, ſed longe maiore ſpe à Valentino fouebantur: qui quum diu ea vrbe, ab ipſismet Piſanis ſibi oblata potiri exoptaſſet, ſed ne Galliæ regis animum læderet abſtinuiſſet, nunc ex illius in regno neapolitano calamitatibus audacior factus, patris conſenſu cum Piſanorum ad id Romam miſſis legatis, de accipiendo dominatu agebat: hoc animo, vt totius Hetruriæ imperium occuparet: quod etſi Florentini & Senenſes maximè ſuſpicarentur, tamen priuatis cauſſis, publicum bonum impedientibus, fœdus ab Galliæ rege inter Florentinos, Bononienſes & Senẽſes propoſitũ, non progrediebatur: quoniã Florentini, niſi Monſpolitianus quẽadmodũ ab initio actũ promiſſumq; fuerat reſtitueretur ſocietatẽ inire nolebant, & Pandulfus Petruccius, animo ab ea re, quãuis verba contrariũ ſonum ederent, alienus, eius reſtitutione tantũ in ſe Senenſis populi odium concitatum iri aiebat, vt denuò vrbe excedere cogeretur, ideò vtilius omnibus forè, quò meliori occaſione fieret, aliquantulum differre, quàm eo nũc reſtituto, Senarum occupationẽ Valentino faciliorẽ reddere, ſicq; nihil denegando, ſed prolatando, Florentinis vt ſpem pro facto acciperent perſuadere nitebatur: quæ excuſationes ab ipſis reiectæ, Franciſci Narnienſis, qui regis iuſſu Senis morabatur opera, in Gallica aula admittebantur & credebantur. Sed Pontifici & Valentino, id negociũ, niſi quatenus exercitus qui à Galliæ rege parabatur progreſſus ſuaderent, & prout magis vni quàm alteri regi adhærere ſtatuiſſent, alicui cõmittere non erat in animo: cuius rei varia erant illorum hoc tempore conſilia ac quantũ poterant animi ſenſum minimè in regẽ Galliæ niſi timore coacti propenſum, occultãtes: Bononienſiũ enim Hetruſcarũq; rerum experientia, eius fauore plura adipiſcendi ſpẽ adimebat: ideo iã ante Hiſpanorũ victoriam, indies magis animo ab illo alienari cæperant: & poſt victoriã audaciores facti, conſuetã eius voluntatis autoritatisq; rationẽ nõ amplius habebant: & quamuis ſtatim poſt Gallorũ clades, ſe Galliæ regis partes ſequuturos aſſeueraſſent, & milites quos

in regnum neapolitanum mitterent conſcribere oſtendiſſent,nihilominus nouarum rerum cupiditate tracti, quum neq; oculos,neq; animum ab Hetruria remouere poſſent, regi vt ſe ſuarum partiũ apertè profiterentur poſtulanti, Pontifex tam ambigua reſponſa dabat, vt ipſe & filius indies ſuſpectiores fierent:quorum ſimulatio atq; diſſimulatio in Romana curia adeò nota erat, vt commune prouerbium inde ortum eſſet: Pontificem nunquam quod diceret facere: Valentinum verò nunquam quod faceret, dicere: neq; illorum cum Ioanneiordano controuerſia adhuc finem habebat: nam etſi Valentinus regis iram veritus, quum illius mandatum accepit,ab moleſtijs ei afferendis abſtinuiſſet,tamen Pontifex ſummam ex eo moleſtiam præ ſe ferens,nunquam regi aut vt armis omnem Ioannisiordani ditionem poſſe occupare ſibi concederet, aut illum ad permutationem faciendam cogeret, inſtare deſierat: ſed ad id non ambitione, ſed iuſtiſſimo eius vicinitatis metu moueri oſtendens: nam quum in Cardinalis Vrſini ſcriptis vacuum folium Ioannisiordani propria manu ſubſcriptum eſſet inuentum, id arguere, illum, in rebus ad Manſionem tractatis,eadem in ſe voluntate, eorundemq; cum Vrſinis conſiliorum participem fuiſſe. Qua in re,rex vtilitatis maiore quàm honeſtatis habita ratione, variè pro temporum diuerſitate ſe geſſerat, nunc ſe vt antè Ioanniiordano fauere, nunc aliquo modo Pontifici ſatisfacere velle oſtendens:quare quum Ioannesiordanus, Braccianum, in regij oratoris qui Romæ agebat manibus deponere recuſaſſet, rex hanc controuerſiam ſibi ea lege vt Ioannesiordanus, intra duos menſes ſe in Galliam conferret, nec ante ſententiam ab ſe latam quicquam innouaretur, permitti poſtulauit: cui Ioannesiordanus qui tum paternis,tum ſuis in regem meritis,ſe omnino hac moleſtia liberatum iri ſperauerat,neceſſitate coactus:& Pontifex,petitione eo tempore facta, quo Archidux Hiſpaniæ regum nomine pacẽ cofecerat,potius metu quàm alia de cauſſa aſſenſi erant: ſed rerum ſtatu Hiſpanorum victoria immutato, Pontifex quantum rex ſua opera indigeret animaduertens, omnem illius ditionem,ea permutatione quam rex declaraſſet petebat:rex autem eandem ob cauſſam Ioannemiordanum, quamuis inuitum,ad conſentiendum induxerat, effeceratq; vt ſuæ fidei de eo quòd rex pronuntiaſſet filium obſidem daret: erat enim regi in animo, eam ditionem Pontifici, niſi eodem tempore ſe in neapolitano bello ſecum facere apertè declararet,non tradere:ſed cum Pitilianenſes vbi filius erat, Tranſiuo regio oratori qui ad Portum Herculis eius recipiendi gratia venerat, cum tradere recuſaſſent, ipſemet Ioannesiordanus qui redierat,Portum Herculis petijt, ſeq; ipſum oratori obtulit,qui illo imprudenter accepto,naui impoſuit: quod quamprimum rex cognouit eum liberari iuſſit. Interea apparatus bellici quibus cis & trans alpes vti conſtitutum erat, accelerabantur, quoniam Alibrettus & Gienſis Tribunus,cum quadringentis cataphractis,& quinq; partim Heluetiorum,partim Vaſconum peditum millibus,in Ghiennæ regionem,vt Fomterabiam verſus bellum mouerent, profecti erant,& in Linguadoccam,Ruiſius Britto Tribunus, Ruſſinonenſem agrum infeſtaturus,octingentos cataphractos,& octo Heluetiorum,atque Gallorum peditum millia duxerat: eodemq; tempore claſſis quæ Cataloniæ,& Valentini regni oram infeſtam redderet ſoluebat: & in Italia rex Tramuliam,cui tũc communi omnium conſenſu,primus in re bellica totius Gallici regni locus tribuebatur,exercitus imperatorem deſtinarat:& Diuionenſem præfectum,ad octo Heluetiorum millia adducenda miſerat: cataphracti autem & reliquus peditatus iter accelerabant: nec tamen tantæ erant copiæ, quantæ initio fuerant decretæ: id autem fecit rex non quòd facultas deeſſet, aut vt ſumptus minores faceret,ſed tum,vt,quemadmodum valdè vtile cenſebatur, citius in regnum neapolitanum ducerentur: tum etiam quia Allegrius, quum rerum quæ illic gerebãtur ſtatum indicaret, exercitus reliquias validiores & oppida, atq; principes qui adhuc in eius fide permanebant firmiores eſſe quàm reuera eſſent affirmauerat:ac deniq;, quod ab omnib.ijs qui ſuarum in Italia partium eſſent, auxilia poſtularat: quare Florentini Camenſem præfectum cum quinquaginta cataphractis & centum quinquaginta alijs, ſuo ære ei conceſſerunt. Ferrarienſium dux,Bononienſes & Mantuanus,qui regis accitu,ipſemet ad id bellum proficiſcebatur, ſinguli centum grauis armaturæ equites, & Senenſes totidem tradiderunt: quæ copiæ octingentis cataphractis,& quinq; Vaſconum,quos Tramulia in Italiam ducebat, & octo Heluetio-

rum

rum millibus qui expectabantur,ijsq; militibus qui Caietæ erant,additæ,mille & octingentorum, partim Gallorum partim Italorum numerum,& insuper decem octo peditũ millia cõstituebant:præter quos,terrestres apparatus,& validissima classis soluerat,adeò vt omnes ab nullo Galliæ rege, viribus terra mariq; cis atq; trãsalpes collectis maiores potentioresue apparatus factos memoriæ traditum fuisse faterentur. Sed regium exercitum ante quàm regi ab Pontifice & Valentino cautum esset Romam pertransire minimè tutum cẽsebatur,cum præsertim multas ob caussas plurimaq; inditia, & quia Valentini ad Consaluum multo ante interceptis literis,inter eos,vt si Consaluus Caietam expugnasset,regni rebus in tuto collocatis,cum exercitu progrederetur,Valentinus Pisas occuparet, & Consaluo coniunctus Hetruriã ambo inuaderent, tractatũ fuisse animaduertebatur, suspicandi iustissimam caussam haberet: idcirco rex exercitum iam in Insubriam traducto,vt tandem animum suum declararent summopere vrgebat; qui etsi audirent,& cum omnibus agerent,tamen ex aliorum molestijs quæstum facere & mercaturã exercere commodum tempus adesse rati, magis in Hispanos propensi erant,sed manifesto cũ periculo, ne Gallicus exercitus imperiũ suum inuaderet: sicq; vnde præmia,& dignitates consequi speràssent, dãna & molestias perciperent,retinebãtur. Qua in dubitatione, sententiam suam quoad fieri posset, sustinentes,vtramq; partẽ,palã milites Romæ conscribere patiebantur:sed tandem rege acrius instante, Valentinum,cum quingentis grauis armaturę equitibus,& duobus peditum millibus,si rex illi non modò Ioannisiordani ditionem, verum etiam vt Senas occupare posset concederet,regia castra sequuturum promittebant:tamen cum ad transactionem ipsam deueniendũ erat,vt qui quo ex rerum euentu suo more consilium capere possent, ab ijs quæ inter eos tractata fuerant, nouis introductis difficultatibus variare,suamq; denuò mentem occultare,ideò alia ratio inuenta fuit, qua Pontifex, vt cõmunis omnium pater maneret,neutri parti se fauturum, sed Gallico exercitui per pontificiũ imperiũ iter cõcessurum; & bello in regno neapolitano durante,nec Florentinis,nec Senẽsibus,nec Bononiensibus, molestum futurũ promittebat:quas conditiones rex tandẽ,quamuis parũ decoras,neq; sibi neq; ijs quos in Italia in fide sua haberet tutas agnosceret,vt exercitus sine lõgiori mora in regnũ transiret,admisisset; verùm quoniã certus non erat,si quid suis in regno accidisset,Pontificẽ & Valentinum se se ipsius hostes nõ declaraturos,præterea nec satis securus erat quo minus copijs suis Latio digressis, ipsi fide neglecta,Hetruriã,quæ proprijs dissidijs & ob auxilia regi data debilis ac penè inermis relinquebatur aggrederẽtur:verisimile enim erat,quũ sibi ex tantis occasionib.immoderatos quęstus proposuissent,eã rem vel quãuis aliã aggressuros. Sed ecce tibi in summo maioris spei fastigio, vt inania & fallacia sunt hominũ cõsilia,Pontifex repente,ex vinea prope Vaticanũ,quo sui ab æstu recreãdi gratia ad cœnam se cõtulerat, penè exanimis in regiã suam, ac paulo pòst eius quoq; filius eodẽ modo fertur:sed Pontifex postero die, qui fuit XVIII Augusti,mortuus Pontificio ritu,in diui Petri ędẽ,niger,tumefactus,totusq; deformatus,quæ apertissima sunt veneni inditia elatus fuit:sed Valẽtinus ætatis vigore,optimis statim atq; ei veneno accomodatis remedijs vsus, longa & graui ægritudine oppressus, vitã tamen conseruauit.Huius casus venenũ caussam fuisse cõstans opinio fuit: & communi fama,res in hũc est acta modum:Valentinus,qui eidem cœnę interfuturus erat,Adrianum Corneti Cardinalem,in cuius vinea cænaturi erant,veneno tollere constituerat: neq; enim ignotum est, hanc fuisse patris & ipsius frequentem consuetudinem, vt veneno non modò aduersus hostes vltionis,vel metus gratia vterẽtur,verùm etiam nefaria, diuitum proprijs facultatibus spoliandi cupiditate, in Cardinales & alios aulicos, etiamsi nullam vnquã ab illis iniuriã accepissent,cuiusmodi fuit ditissimus ille S.Angeli Cardinalis:quin etiam amicissimos coniunctissimosq; eodẽ modo acceperũt:vt Capuanum & Mutinẽsem Cardinales, qui eis vtilissimi fidissimiq; ministri fuerant.Valentinus igitur suũ secutus morẽ quum lagenas quasdã vino venenato plenas pręmisisset,easq; ministro cuidã rei minimè conscio,cũ mandato ne cuiquã daret tradidisset, fortè fortuna Pontifex ante cœnæ tempus eò venit,qui siti,ex ingẽtiq;,vt tunc erat ęstu victus,potũ petiuit:sed quia nondũ ex Vaticano ea quę ad cœnã erant necessaria allata fuerãt, minister is,qui id vinũ velut præstãtius cõseruari crederet,ex eis lagenis, quas Valẽtinus pręmiserat,Põtifici infudit;

Valentinus patre bibente eò ſuperuenit, atq; ex eodem vino bibit. Ad defuncti Alexandri ſpectandum corpus, in diui Petri templum vrbs tota incredibili lætitia accurrit: nec cuiuſquam oculi Draconem illum, qui immoderata ambitione, & peſtifera perfidia, omnibus q; horrendæ crudelitatis, monſtruoſæ libidinis, & inauditæ auaritię exemplis, ſacris atq; profanis rebus abs q; diſcrimine venditis vniuerſum orbem venenis infecerat, extinctum ſpectando expleri poterant: qui nihilominus ab ineunte ætate, ad extremũ vſq; vitæ ſuæ diem, ſingulari ac penè perpetua felicitate, maxima q; ſemper appetens, & plura quàm optaret perpetuò adipiſcens elatus fuerat: quod exemplum, ad illorum, qui humanorum oculorum imbecillitate diuinorum iudiciorum arcana ſe videre arbitrantes, quicquid mortalibus vel fauſti vel aduerſi accidit, ex bene maléue factorum cauſſis manare aiunt, arrogantiam retundendam potentiſſimum eſt: quaſi non quotidie multos bonos iniuſtè vexari, & contrà, plerosq; improbos ad non meritos honores euehi, cerneremus: quaſi ſecus interpretando, de Dei iuſticia potentiáue detraheretur, cuius amplitudo, breuibus ac præſentibus terminis minimè incluſa, alio tempore & loco, larga manu æternis præmijs atq; ſupplicijs, iuſtos ab iniuſtis diſcernit. Sed Valentinus in palatio grauiter decumbens, omnes copias ſuas circa ſe contraxit: & cum antea ſemper in patris obitu partim armorum ſuorum terrore, partim Hiſpanorum Cardinalium qui vndecim erant, ſuffragijs Pontificẽ ex arbitrio ſuo eligere cogitaſſet, tunc temporis, propter grauiſſimam ægritudinem, & hoc, & reliqua omnia longe difficiliora quàm prius cogitaſſet inueniebat: quare vehemẽter indignatus, querebatur, quòd cum aliàs ſæpius omnia quæ in parentis morte accidere poſſent cogitaſſet, omnibus q; remedia inueniſſet, ſibi, vt & ipſe eodem tempore tam periculoſo morbo detineretur fieri poſſe, nunquam in mentem veniſſet: ideò cum conſilia non ad ea quæ antè cogitarat, ſed ad præſentem neceſſitatem accommodanda eſſent, ſe eodem tempore Columniorum & Vrſinorum odium ſuſtinere non poſſe ratus, & ne in ſe conſpirarent veritus, ijs potius quos in fortunis tantùm, quàm ijs quos in fortunis & ſanguine læſerat fidere ſtatuit: quapropter Columnijs & Vallenſi familiæ quæ eandem factionem ſequebatur ſtatim reconciliatus, ijs vt in propria regna redirent inuitatis, arces quas magno ſumptu Alexander munierat, auxeratq; reſtituit. Sed hæc neq; ad eius ſecuritatem, neq; ad Romanæ vrbis, vbi omnia timore, & tumultu erant plena, tranquillitatem ſatis habebant momenti: quoniam Proſper Columna in Vrbem venerat, & tota Columniorum factio arma ceperat: & Fabius Vrſinus, ſuæ familiæ ædes in Monteiordano ingreſſus, cum magna Vrſinæ factionis turba aliquot tabernas, & mercatorum, atq; Hiſpanorum aulicorum domos incenderat: in cuius gentis nomen propter tyrannidis in Alexandri pontificatu ab illis vſurpatę memoriam, ferè omniũ animi erant concitati: & Valentini ſanguinem ſitiens, multos peregrinos milites conſcribebat: & Bartholomeum Aluianum, qui tunc Venetis militabat, vt cum reliquis Vrſinis ſuis ad tot iniurias vlciſcendas properaret vrgebat. Suburbium & Quintiana prata Valentini copijs erant referta: & Cardinales ſe non tutò in Vaticanum conuenire poſſe rati, ad Mineruæ conueniebant: quo in loco, præter antiquum morem, Alexandri exequias, ſed ſerius conſueto celebrare inceperunt. Conſalui Romam aduentus timebatur, præſertim quia Proſper Columna certum Hiſpanorum militum numerum Marini reliquerat, & quia Valentini cum Columnijs reconciliatione, Hiſpanicam factionem ſe ſequuturum promiſiſſe credebatur. Sed multò magis Gallici exercitus aduentus formidabatur, qui ad eum vſq; diem lentè proceſſerat, quia publica Heluetiorum concilia, infauſtis eius gentis in regno neapolitano ſucceſſibus territa, ante quàm regijs miniſtris pedites apud ſe conſcribendi facultatem dediſſent diu dubitarant: & ferè omnibus ducibus & delectis peditibus eadem de cauſſa ire recuſantibus, ſerius conſcripti, & in itinere lenti fuerant. Sed Pontificis morte, exercitus, cui Mantuanus velut regis vicarius, & cum eo, & ſi non nomine, re tamen ipſa Camenſis præfectus, & Sandricurtius præerant: quoniam Tramulia æger Parmæ hæſerat, Heluetijs minimè expectatis, in Senenſem agrum, vt Romam contenderent venerant, ſic enim rex imperauerat, atq; etiam Gallicam claſſem quæ Caietæ erat, Hoſtiam, vt Conſaluum ſi fortè, quemadmodum ferebatur, exercitum Romam quo Cardinales ad libitum ſuum Pontificem eligere cogeret, ducere voluiſſet impediret, petere iuſſerat: ta-

rat:tamen quia mercatores, in literis quibus pecunia ex Gallia repreſentari iubebatur, recipiendis propter Romanarũ rerum perturbationẽ ſe difficiles exhibuerant:& Heluetij qui iam in Senenſem agrũ peruenerant,niſi prius ſtipendia accepiſſent,vlterius progredi recuſabãt;aliquot dies inter Bonconuentũ & Viterbiũ morati ſunt. Quo tempore nõ minores erant in Latio, & in plerisq; alijs Põtificij regni & Valentini locis tumultus: quoniã Vrſini,& omnes Romani principes,in ſuas quiſq; fortunas redibãt. Vitellij Ciuitatemcaſtellũ redierant,& Ioannespaulus Ballio,coniuratione fretus,Perusiã oppugnauerat:& quamuis ab hoſtib. fugatus recedere coactus ſit,tamẽ cum multis copijs & publicis Florẽtinorũ auxilijs denuò reuerſus,valida impreſſione facta,nõ ſine aliqua hoſtiũ & ſuorũ cæde ingreſſus eſt. Plumbinates quoq; arma ceperãt; & quãuis Senẽſes id oppidũ occupare conati ſint,tamẽ Florẽtinorũ ope prior dominus redijt: idẽ in ſuis regnis Vrbinatiũ dux,Piſauri,Camerini,& Senogalliæ principes faciebãt:ſola Aemilia, etſi Venetorũ, qui Rauennæ magnas copias cõparabant metu,nõ careret,in Valentini fide pacata permanebat:quòd reipſa quanto ei regioni tolerabilius fuiſſet vni tantùm principi eiq; potenti parere, quàm cũ ſingulæ ciuitates propriũ principẽ habebant,qui nec propter imbecillitatẽ eos tueri, nec propter inopiã beneficijs afficere poterat: quin potius cum ſe paruis vectigalibus quæ haberet alere non poſſet,illos opprimere cogebatur:illud etiam homines in memoriã reuocabant, propter illius autoritatẽ atq; potentiam,& ſinceram iuris adminiſtrationẽ,eam regionẽ à factionum tumultib, quib. antea ſemper crebris hominũ cædibus vexari ſolebat,immunẽ fuiſſe;quibus rebus & beneficijs quoque in multos illorũ collatis,in militares homines ſtipendijs;in togatos,ſui & Pontificij imperij magiſtratibus diſtribuendis;& ſacerdotibus,apud patrẽ ad ſacra beneficia obtinenda,cõmendãdis, populorum animos ſibi deuinxerat:quare nec aliorũ exempla qui omnes rebellabant,nec veterum principum memoria,eos à Valentino alienabat;quem vel tot anguſtijs oppreſſum, tamen & Hiſpani & Galli, amplis promiſſis ſibi adiungere ſummopere nitebanrur:nam præter ipſius copiarũ vſum,Hiſpanorum cardinaliũ ſuffragia ad futurã pontificis electionem adipiſci ſperabant. Ipſe verò etſi propter Columnio rum recõciliationẽ,illum Hiſpanis adhęſiſſe opinio fuerit, nihilominus cũ nulla alia re quàm metu ne Vrſinis cõiungerentur ad id eſſet impulſus: tunc verò quemadmodũ aiebat,ſe ad nullã rem in Galliæ regem tentandã teneri velle declaraſſet,quia & Romæ vbi Galli tam propinquum exercitũ habebant, & in alijs ſuis fortunis,magis ei & nocere & prodeſſe poterant quã Hiſpani,Galliæ regis partes ſequi cõſtituit:id circo primo Septẽbris die cum Sanſeuerinati cardinale, & Tranſiuo regio legato,pro rege ſtipulantibus, cõuenit,copias ſuas ad neapolitanum & quoduis aliud bellum in quemcunq;, excepto Põtificis imperio gereretur,promittens;& viciſſim regij procuratores,regẽ ad eius cum omni ditione quam poſſidebat defenſionẽ, & ad auxilia quib. ea quæ amiſerat recuperare poſſet ſubminiſtrandã obligarunt. Præterea Valentinus,ſe plurimorũ Hiſpanorum cardinaliũ ſuffragia,pro cardinale Rotomagenſi captaturũ ſpem faciebat;qui Pontificatus ſui regis autoritate,opibus,& armis adipiſcẽdi ſpei plenus,ſtatim poſt Põtificis obitum,ex Gallia vt Romã contenderet profectus erat;ſecumq; præter Aragoniũ cardinalem,Aſcanium quoq; adducebat; qui ante bienniũ è Bituricẽſi turri liberatus,poſtea in aula,in honore habitus,& ab Rotomagẽſi valde humaniter acceptus fuerat,quòd veterem eius autoritatẽ qua in Romana curia pollere ſolebat,& maximas amicitias atq; clientelas,ſibi primo pontificatus interregno profutura ſperaret:quæ fundamenta nõ admodum firma erant,quia nec Valẽtinus ſibi de Hiſpanis cardinalibus, qui magis hominum more propriæ vtilitatis,quàm gratiæ ob beneficia tum ã patre tum ab ipſo accepta referendæ ſtudioſi erant: & quia pleriq; illorũ,regum ſuorum animos offendere nolentes,nũquam id cõmiſiſſent,vt Gallum cardinalẽ pontificẽ crearent:nec Aſcanius ſi maximè potuiſſet,vt Rotomagenſis ad ſpes omnes quæ ſibi & familiæ ſuæ relinquebantur deprimendas,& extinguendas ad pontificatũ aſcenderet,aſſenſus eſſet. Noui Põtificis creatio cũ quia defuncti exequię,ante quarũ finẽ(ſunt aũt nouendiales)Cardinales,ex veteri more locũ ſuffragijs ferendis deſtinatũ,quem ipſi cõclaue vocant,nõ ingrediuntur:tũ ꝙ ad ſeditionis,in tãta rerũ pturbatione, & tã graui principũ diſſenſione,occaſiones & pericula vitanda, Cardinales qui pręſentes aderant, abſentib.cardinalib.veniẽdi

tempus concedi voluerant, qui cum veniſſent, Senatus, propter Valentini copias, & quia Gallicus exercitus, tandem totus inter Nepet atque Inſulam collectus, quiq; Romam vſq; caſtra extẽdere cogitabat: ſiue quòd ne aduerſa factio Collegium ad libitum ſuum facere cogeret, vererentur, ſiue quòd Rotomagenſis ad maiorem ſui ſecuritatem, vtq; eis copijs Pontificatum conſequendum ſe vſurum ſperaret, Tiberim antequam nouus pontifex creatus eſſet, tranſire recuſabat, electionem minimè liberam fore verebatur: quæ tandem poſt multas cõtentiones collegio, ſe alioqui conclaue ingreſſurum negante, hac ratione ſunt compoſita, quòd Rotomagenſis pontificum collegio, Gallicum exercitum Nepetis atq; Inſulæ fines minimè exceſſurum, fidẽ ſuam obſtrinxit, & Valentinus Nepet profectus eſt: deinde, ducentis grauis & trecentis leuis armaturæ equitibus, Ludouico Mirandulano, & Alexandro Triultio ducibus in Gallica caſtra miſſis ad Ciuitatem caſtellanam ſe contulit: & collegium multis militibus ad vrbis præſidium cõſcriptis, & tribus antiſtitibus conclauis cuſtodiæ præfectis, ſi quem tumultum percipe-rent, eius aperiendi autoritatem dedit, vt ſingulis Cardinalibus liberam quocunq; vellent proficiſcendi facultatem habentibus, omnes eos cogendi ſpem amitterent. Cardinales tandẽ numero triginta octo, Conclaue ingreſſi ſunt, vbi diſſidium quod alijs temporibus moram afferre ſolebat, in cauſſa fuit vt intra paucos dies nouum pontificem crearint: nam propter alias ſingulorum cupiditates, & præcipuè propter contentionem quæ Gallicæ factionis Cardinalibus cum Hiſpanis vel Hiſpaniæ regibus fauentibus erat, non de homine cõuenientes, ſed proprio periculo, cum res Romana in tanto metu, atq; tumultu eſſet, & caſuum qui tam difficilibus temporibus, interregno in Pontificatu exiſtente, accidere poſſent cogitatione territi, Rotomagenſi quoq; Cardinale, in quo indies magis eius adipiſcendi ſpes minuebatur conſentiente, Franciſcum Picolhomineum, Senenſem cardinalem, quem quia ſenex erat, & tunc temporis infirma valetudine, omnes breuiſſimo tempore ſupremum diem obiturum exiſtimabant, Pontificem crearunt: qui Cardinalis certè erat integræ famæ, alijśque dotibus tanto gradu minimè indignus cenſebatur: hic vt Pij Secundi, patrui ſui, à quo in Pontificum collegium cooptatus fuerat, memoriam renouaret, Pius tertius nuncupari voluit. Pontifice creato, Gallicus exercitus, cum nullam vltra moræ cauſſam haberet, antea deſtinatum iter ingreſſus, ſtatim Tiberim traiecit: & tamen nec Pontificis electione, nec exercitus diſceſſu, Romani motus ſedabantur: Aluianus enim & Ioannespaulus Ballio qui coniuncti in Peruſino agro milites conſcribebant, expectabantur: & Valentinus graui adhuc valetudine oppreſſus, illorum aduentum metuens, cum ducentis & quinquaginta grauis armaturæ, & totidẽ expeditis equitibus, & octingentis militibus, fide à Pontifice, res ſe aliqua pactione ſedare melius poſſe ſperante accepta, Romam venit. Sed cum Valentinus, & Vrſini iuſtiſſima eius ſanguinis ſiti accenſi, quiq; nouas perpetuò copias conſcribebant, intra eadem mœnia eſſent, hiq; à Pontifice, pontificumq; collegio, ius ſibi citò adminiſtrari poſtulaſſent, præcipuum tamen vltionis fundamentum in armis ſaltem quamprimùm Ioannespaulus Ballio & Aluianus adueniſſent, ponebant: ex quo Vrbs & ſuburbium in quo Valentinus caſtra habebat, perpetuò ferè tumultuabantur: quæ contentio, non modò populum Romanum & curiam perturbabat, ſed, vt creditur, Gallorum rebus plurimum obfuit: nam cum Vrſini ſe vt Valentini rebus confectis, ad Galliæ aut Hiſpaniæ regis ſtipendia proficiſcerentur adornarent, & illorum arma, ad belli victoriam non parui momenti fore exiſtimarentur, ab vtraque parte amplis conditionibus inuitabantur: ſed cum ſua natura magis Gallici nominis ſtudioſi eſſent, Rotomagenſis Cardinalis cum Iulio Vrſino, qui totius familiæ nomine, Aluiano, cui locus honeſtus relictus fuit, excepto agebat, pactus eſt: Sed Aluiani aduẽtu omnia ſunt turbata: nam etſi initiò cum eodem Cardinale ferè conueniſſet, tamen temporis fermè momento cum Hiſpano oratore loquutus, ſe cum vniuerſa Vrſina familia, Ioanneiordano excepto, cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & ſexaginta in ſingulos annos aureorum numũm millibus Hiſpanis addixit: in quam ſententiam, vt ipſe conſtanter aſſerebat præcipuè fuerat impulſus, quòd indignè ferret, Rotomagenſem Pontificatus cupiditate etiam tum flagrantem, Valentino quòd eius opera Hiſpanorum Cardinalium ſuffragia maxima ex parte conſequi ſperaret, fauere: quamuis Cardinalis culpã quæ ipſi aſcribe-

ascribebatur in alios transferens, Venetos eius rei autores fuisse, sibi persuasum esse præse ferret, qui, quòd Galliæ regem neapolitano regno excludi cuperent, non modò in hunc finem illum à suis stipendijs discedere, se eundem illi, vt ferebatur, locum seruaturos promittentes, passi essent: verùm etiam vt prima stipendia promptiora essent, Hispano oratori quindecim aureorum numûm millia mutuò dedissent; quod etsi non penitùs certum esset, tamen Venetum legatum, huic negocio se apertè immiscuisse negari non poterat. Alij ampliores ab Hispanis conditiones propositas in caussa fuisse aiebant; quia ipsis & reliquis ex eadem familia, oppidorum in regno neapolitano quorundam ius, & fratri, opima sacerdotia se daturos, ac, quod ille magni faciebat, bello confecto, duo Hispanorum peditum millia, ad bellum quod contra Florentinos, in Petri Medices gratiam gerere in animo habebat auxilio missuros promiserant. Opinio fuit Ioannempaulum Ballionem, qui vnà cum Aluiano Romam venerat quemadmodum eius exemplo, eodem tempore cum Gallis & cum Hispanis agebat, similiter in conditione capienda sequuturum. Sed Rotomagensis Cardinalis Vrsinorum alienatione, qua spes Gallorum antea ferè certæ in dubium reuocatæ esse animaduertebantur, permotus, statim omnibus quæ petijt concessis ad regis sui stipendia, cum centum & quinquaginta grauis armaturæ equitibus, quamuis sub Florentinorum nomine, sic enim voluit Ioannespaulus vt certior esset, stipendia quæ ex ea summa quam illi ex fœdere regi debebant deducenda erant, se debitis temporibus accepturum, pertraxit: & tamen Ioannespaulus Perusiam ad militem conscribendum reuersus, & centum quadraginta auri libris acceptis, magis ex communi rerum euentu agens, suaque studia & commoda, quàm honesti, & militaris fidei rationem sequutus, nec non varijs coloribus profectionẽ ad exercitum suam protrahens, Perusia pedem non mouit: quod Rotomagensis cardinalis ideò fieri censuit, quòd Ioannespaulus, eius tẽporis Italiæ dux cum parum integram fidẽ imitatus, iam tum cum secũ pactus est, Bartolomęo Aluiano & Hispanis se sic facturum promisisset. Vrsinorum conuentioni coniuncta fuit pax inter illos & Columnios, eadem hora in Hispani oratoris domo confecta; quem vnà cum Veneto, vno animo, suarum cõtrouersiarũ arbitros fecerunt: quorum coniunctione territus Valentinus, quum Roma discedere statuisset, & iam iam Braccianum, quia Ioãnes iordanus se illum inuiolatum eò perducturũ Rotemagensi fidẽ dederat, iturus esset, Ioannespaulus, & Vrsini, qui illum adoriri statuerant, cum per Angelicæ arcis pontẽ subur bium ingredi nõ potuissent, Roma egressi, & longo circuitu ad portã quæ Turrionis dicitur, quæ tum clausa erat, profecti, eam incendunt, ingressiq;, cum nonnullis Valentini equitibus pugnam ineunt; & quamuis multi Galli milites qui nondũ Roma discesserant, ei auxilio venerint, tamen cum hostium vires maiores essent & ingens impetus, milites autem ipsius quorũ numerus iam antea valde imminutus erat, fugæ signum darent, vnà cum Scyllaceo principe, & aliquot Hispanis purpuratis in Vaticanũ confugere coactus est, vnde statim in Angelicam arcem pontificis consensu ab arcis præfecto, qui adhuc idem erat qui superioris pontificis tempore fuerat, quandocunq; discedere vellet in sua potestate fore fide accepta, se recepit: eius autem copiæ dissipatæ sunt. In hoc tumultu Camensis præfectus leuiter vulneratus fuit: & Rotomagensis Cardinalis, eo die magno in metu fuit: offensionum caussa hoc facto remota, & tumultus pariter Romæ sedatus, adeò vt pacatè noui Pontificis electioni operam dare cæperint, quoniam Pius, cardinalibus spe in sua creatione concepta minimè fraudatis, vigesimo sexto pòst die, quàm erat ad pontificatum assumptus, ex hac vita migrarat. Post cuius obitum, cum pontificũ collegium aliquot dies Conclauis ingressum distuliisset, (voluerunt enim Vrsinos qui vt legionis suæ numerũ explerent, ibi manserant, prius Roma discedere) electio extra conclaue decreta fuit: nam Hostiẽsis, qui sancti Petri in vincula cardinalis apellabatur amicis, autoritate, & opibus potens, tot suffragia sibi obstrinxerat, vt ijs qui cõtra sentirent se opponere non audentibus, iam certus & decretus Pontifex conclaue ingressus, nouo atq; hominũ memoriæ antea inaudito exemplo, ante quàm conclaue clauderetur, eadẽ nocte, quæ fuit postrema Octobris, ad pontificatum assumptus fuerit: qui vel primùm suum Iuliani nomen intuitus, vel vt fama fuit, quo cogitationum suarum magnitudinem indicaret, vel ne etiam nominis præstantia Alexandro cederet, Iulius, eius nominis inter

omnes quotquot fuerant pontifices Secundus appellari voluit, Magna certè fuit omnium mortalium admiratio; Pontificatum tanto consensu, Cardinali, quem difficili admodum natura esse, cunctis formidandum, & omni tempore inquietum, notissimũ erat, quiq; ætatẽ in continuis molestijs cõsumpserat, necessitate coactus multos læserat, odia & simultates cum multis magnis viris exercuerat, delatum fuisse: sed mox singula perpendenti, caussæ, quibus, omnibus impedimentis superatis ad tantum gradum euectus fuisset, apparebant: cum enim diu Cardinalis admodũ potens fuisset, magnificentia qua reliquos omnes superauerat, & animi magnitudine non modò amicorum multitudine, verùm etiã inueterata admodũ in curia autoritate pollebat: prẽterea põtificię dignitatis libertatisq; defensor princeps habebatur; sed multò magis illũ promouerũt immodica atq; infinita promissa quæ cardinalibus, principibus, nobiliũ primoribus, & ijs qui sibi hac in re adiumẽto esse possent, in omnib. quæ petere potuerunt facta: adhęc, pecunias, multa sacerdotia, & dignitates, tam ex suis, quã ex alienis distribuendi facultatem; quia pmulti eius liberalitatis fama permoti accurrere, spõte ei pecunias, nomẽ, officia & beneficia, quibus ad suam voluntatẽ vteretur, certatim offerre: nec fuit aliquis qui cogitaret eius promissa longè maiora esse quàm vt ea Põtifex factus præstare posse, aut debere videretur: diu enim liberi ac veracis famã obtinuerat, ita vt Alexander VI. eius tam cerbus inimicus, in reliquis illum carpens, veridicũ hominẽ esse fatebatur; quam laudẽ ille, cum sciret à nullo homines facilius decipi quàm ab eo qui decipere nunquã solitus fuit, vel huiusmodi nomẽ habuit, vt pontificatũ adipisceretur, parui fecit. Huic electioni assensus est Rotomagensis cardinalis, quia cum se pontificatum adipisci non posse animaduerteret, hunc quemadmodum hactenus fuisse existimabatur, sic in posterum sui regis amicum fore sperauit. Ascanius quoq; cardinalis, prius illi, veterum contentionũ, cum vterq; purpuratus ante Alexandri põtificatum, Romanam curiam sequebatur, memoria deposita, reconciliatus, assensus est; quia cũ eius naturã melius quàm Rotomagensis agnosceret, illũ pontificẽ factum perinde, ac multò etiã magis quàm in minori fortuna, inquietum fore, eaq; consilia quę sibi ad Insubriæ imperiũ recuperandũ viam aperire possent, habiturum sperauit: Hispani quoq; etsi primùm animo essent alieniissimo, tot tamẽ alia suffragia concurrere animaduertentes, ideoq; se eius dignitatis impediendæ impares rati, assentiendo mitigare, quàm repugnando irritare tutius existimarunt: & aliqua ex parte ingentibus ipsius promissis, freti, & Valentini suasionibus precibusq; permoti, consenserunt: qui ad tantam calamitatem redactus erat, vt quoduis periculosum consilium sequi cogeretur, non minus quàm ceteri spe frustratus: eius namq; filiã, Franciscomariæ Ruuereo vrbis præfecto suo nepoti se matrimonio iuncturũ, Põtificatus copiarum imperiũ confirmaturũ; & quod maioris erat momenti, ad Aemiliæ, Flaminiæq; possessionẽ quæ arcibus exceptis iam ab eius imperio defecerant, recuperanda, auxilia daturum promisit: quarum prouinciarũ res, nouis rebus, & cõmutationibus plenæ, Pontificis, qui se tunc imparem ad eas ex arbitrio suo constituendas perspiceret; & Venetorum imperium in ea Italiæ parte dilatari vix ferre posset, animum varijs cogitationibus angebant: quamprimùm enim Valentini in Angelicã arcẽ fuga, & copias quę cum illo erant, dissipatas, in Amilia cognitum fuit, ciuitates quæ antea illũ constanter expectauerant, spe amissa diuersas rationes inire cæperunt: Cesenates, ad pristinam pontificij imperij fidem redierant. Imolenses, arcis præfecto, nonnullorũ ciuitatis principum opera interfecto, alijs pontificium, alijs Riariorũ, veterũ dominorum dominatum exoptantib. ancipites erant: Foroliuienses qui diu, antequam Xysti põtificis diplomate Riarijs subijcerentur, Ordelaffis paruerant, Antonium Riarium reuocauerant, qui prius Venetorum ope redire conatus, deinde ne illi, vt ea vrbe ipsi potirentur suo nomine abuterentur veritus, ad Florentinos conuersus illorum auxilio redierat. Pisaurum Ioannes Sfortia, Ariminum Pandulfus Malatesta, vterque à populo vocatus redierant. Sed Dionysius Naldius veteranus Valentini miles, ab Ariminensis arcis prẽfecto accitus, ei opem laturus eò se contulit: idcirco Pandulfo eiecto, ciuitas sub Valentini dominatum redijt: soli Fauentini diutius in eius fide permanserant; sed tandem illius reditus spe deiecti, ad Manfredorum veterum dominorum reliquias conuersi, Astorrem iuuenem ex ea familia, sed nothum, quia nullus erat ex legitimo toro natus, accersiuerunt. Veneti ad

totius

totius Aemiliæ imperium aſpirantes, ſtatim poſt Alexandri obitum multos milites Rauennam miſerant, cum quibus noctu ex tempore Ceſenam adorti ſunt: at populo fortiter vrbem tuente, ipſi qui ſine tormentis, & magis inſidijs quàm viribus freti venerant, in Rauennatem agrum redierunt, in omnia quæ imperij in ea prouincia augendi occaſionem dare poſſent, intenti; quam mox Dionyſij Naldij cum Fauentinis diſſenſio aperuit: nam cum Dionyſio Fauentinos ſub Manfredorum à quibus cum Valentinus eam vrbem oppugnauit defecerat, imperium redire moleſtiſſimum eſſet, Venetis acceſſitis vallis Lamonis arces quibus ipſe præerat eis tradidit: qui paulo pòſt Fauentinæ arcis præfecto pecunia corrupto, trecentos pedites in eam miſerunt: eodem quoque tempore Foripopilij arcem, & pleraque alia Aemiliæ caſtella occuparunt; & copiarum partem ad Fanum fortunæ oppugnandum miſerunt; ſed populus ſe Pontificis nomine conſtanter defendit. Ariminum quoq; populi conſenſu, antea cum Pandulfo Malateſta ſe illi Citadellam Patauini agri oppidum, annuum ſtipendium, & grauis armaturæ equitum turmam in perpetuum daturos pacti, intromiſſi ſunt: mox ſummo ſtudio ad Fauentiæ oppugnationem conuerſi ſunt: Fauentini enim arcis, quæ quòd in depreſſo loco ſita eſt, & ipſi eam ſtatim profunda foſſa à ciuitate ſeparaſſent, parum illis obeſſe poterat, iactura minimè territi, & bene in Manfredorum nomen affecti, atq; Fauentiæ dominatum, ab Lamonis vallis incolis, alijs promitti ægrè ferentes, ſtrenuè ſe tuebantur: ſed cum vires ad defenſionem deficerent, quia Veneti Chriſtophoro Mauro legato exercitum & tormenta vrbi admouerant, & optima quæq; agri loca occuparant, ab Iulio iam Pontifice, cui hæc audacia moleſtiſſima erat, opem flagitabant: cum autem is in ea ſede nouus eſſet, opibusq; & virib. careret, nec ab Galliæ aut Hiſpaniæ regibus tum grauioribus rebus occupatis, tum quia neutri illorũ adhærere volebat, auxilia ſperaret, nulla alia ratione quàm pontificij nominis autoritate, proſpicere eis poterat: quæ vt quanti vnà cum amicitiæ, qua diu ei reip. coniunctus fuerat ratione, apud Senatũ Venetum eſſet experiretur, Tiburtinum epiſcopũ Venetias, quòd cum Fauentia in Pontificatus iure eſſet, ipſi ab hac iniuria pontifici, qui antequã ad eum gradũ aſcenderet, ſemper ipſorũ reip. coniunctiſſimus fuerit, & à quo nunc ad ampliorem fortunã euecto, veteris beneuolentiæ vberrimos fructus ſperare poſſent, inferenda, nõ abſtinerent, expoſtulatũ miſit. Credibile eſt eos ipſos qui antea vt ſe Piſanis reb. nõ immiſcerent, regni neapolitani portus pignori ne acciperent, Inſubriã cum Galliæ rege ne diuiderent ſuaſerãt, in Senatu fuiſſe: qui, ſi indies multis magis odioſi atq; ſuſpecti fierent, & reliquorũ odijs pontificũ quoq; inimicitiã adiungerent, quid tandẽ inde futurum eſſet, cogitarẽt: ſed cũ ambitioſa cõſilia tam felices exitus habuiſſent, omnib. velis tam propitio fortunę vento datis, eorũ qui contrariũ ſuadebant, verba non audiebantur: ideò ſummo cõſenſũ pontificio legato tale reſponſum datũ eſt: eum Senatũ ſemper S. Petri in vincula cardinalẽ, propter diuturnam amicitiam, innumeris, mutuis vtrinq; officijs atq; beneficijs confirmatam, ad Põtificatũ euehi ſummopere exoptaſſe: neq; vllo pacto dubitandũ eſſe, quin quem Cardinalem ita obſeruaſſent, eundẽ, nunc multò magis Pontificẽ obſeruaturi eſſent: verùm ſe qua in re, ſi oblatã Fauentiæ adipiſcendæ occaſionẽ amplecterentur, eius dignitatẽ læderent non animaduertere: quòd ea ciuitas nõ modò nõ pontificũ nomine poſſideretur, ſed etiã ipſimet Pontifices ſe eius omni iure ſpoliaſſent: atq; in ſacro collegio ac ſenatu, omnem dominatũ in Valentinum ducem plenè tranſtuliſſent: illud quoq; in memoriã reuocabant, ne ante quidẽ eam cõceſſionẽ, pontifices poſt hominũ memoriã vnquam Fauentiam poſſediſſe; ſed nouis ſemper vicarijs, nullũ aliud prẽter cenſum, quendam quem ipſi quoq; ſi quidem tenerentur, pendere promittebãt, imperij ſignum agnoſcentes, conceſſiſſe: nec Fauentinos Pontificũ dominatũ exoptare; imò ab eo abhorrentes, Valentini nomen ad extremũ vſq; coluiſſe; & eius omni ſpe ſublata, ad Manfredæ familiæ nothos accerſendos præcipites ruiſſe: ad extremũ rogare, vt Pontifex eandem in Senatum Venetum, qua Cardinalis eum proſecutus erat, beneuolentiam cõſeruare vellet. Pontifex de Venetorum animo certior factus, Valentinũ ducem, qui ab illo quamprimùm ad Pontificatũ aſcendit, magno honore & magna beneuolentiæ ſignificatione acceptus, in Vaticano cum pontifice habitabat, in Aemiliam miſiſſet; ſed ne eius profectio quæ ab initio omnibus populis grata fuiſſet, nunc cum omnes iam ab illo de-

fecerant valde inuisa esset veritus, id nõ fecit. Fauentinis igitur vnica in Florentinis spes reliqua erat: qui tam propinquam ciuitatem, in Venetorum potestatẽ venire ægrè ferentes, initio ducentos pedites eò miserant; & vt eos ad se donec Põtifex auxilium mittere posset tuendos accenderent, aliarum copiarum mittendarum spe fouerant. sed Pontificem ad arma capienda promptum non esse, nec Galliæ regis, qui Venetos vt Valentini ditionẽ non attingerent hortatus erat autoritatẽ eos cohibere posse animaduertentes; quum ipsi soli se bello cum pontenti hoste implicare nollent, auxilia mittere desierunt: quocirca Fauentini omni spe excluſi, cum Venetus exercitus, qui ad Obseruãtiæ fanum castra habebat, iam vrbis mœnia tormentis quatere incepisset, coniuratione etiã in vrbe detecta, & aliquot qui vt Venetos introducerent cõspirarãt captis, cõmoti, vrbẽ eis dediderũt: Veneti aũt, Astorri aliquod quãuis exiguum ad vitã tuendã subsidium promiserunt. Fauentia capta, facilè Imola, & Foroliuij potiti essent, sed ne pontificẽ qui mirũ in modũ querebatur magis irritarent, militibus dimissis, tunc tẽporis, cum in Aemilia, præter Fauentiam & Ariminum cum suis appendicibus, Montesflorẽ quoq; Santarchangelum, Verrucium, Catteriã, Sauinianum, Metulã, Cesenatium portum: & in Imolensi ditione Tussinianũ, Solariolum, & Montebatalliam occupassent, vlterius progredi destiterunt. Valentini nomine in Aemilia, tantummodo Foriliuij, Cesenæ, Foripopilij, & Bertinori arces tenebantur; quas ille quamuis in Aemiliam proficisci summopere cuperet, ne in Venetorũ potestatẽ peruenirent, Põtifici ea lege vt eas pòst pacatas reciperet custodiendas tradidisset: sed Pontifex veteri candore nondum dominandi libidine superato, cum diceret se occasiones quæ ad fidem fallendam allicerent, sponte arripere nolle, recusarat; tandẽ vt aliqua ratione tamẽ Venetorũ progressus, sibi propter põtificij imperij periculũ molestissimos impediret; Valentinũ præterea Roma discedere cupiens, cum eo suo & põtificij collegij nomine egit, vt mari Spediã, & inde terrestri itinere Ferrariã, deinde Imolam contenderet, quo etiã ducerentur centum grauis, & 150. leuis armaturæ equites, qui adhuc eius signa sequebantur: quo cõsilio cum Valentinus Hostiã. vt naues cõscenderet esset profectus, Pontifex, cum arces nõ accepisse pęniteret, & iam mutata sententia quacumq; ratione ijs potiri posset, retinere statuisset, Volaterranum & Surrentinũ cardinales, qui ei persuaderẽt vt ne illa oppida in Venetorũ manus perueni rent, eadẽ conditione qua Romæ tractatũ fuerat, ipsi traderet, misit: quod cũ Valentinus facere nollet, Pontifex iratus, in triremibus quas iam conscenderat eũ capi, deinde honestè in Mallianũ duci iussit, vnde, vniuersa aula, & tota vrbe ob eius captiuitatẽ lætitia exultãte, in Vaticanũ ductus est: & quãuis diligẽter custoditus, honorificè tamẽ atq; humaniter acceptus fuit: verùm quia Pontifex ne arciũ præfecti, de sua salute desperantes, arces Venetis venderẽt veritus, humanitate atq; blãditijs tesseras ab illo accipere nitebatur. Sic Valentini potentia, non minus crudelitate & fraudibus, quã pontificij imperij armis & potentia, ferè repente euecta, ipso in se eas insidias quibus pater & ipse tot alios vexauerant experto, magis repentina clade corruit. Nec verò eius milites meliorem fortunam habuerunt: qui cum in Perusinum agrum à Florentinis & alijs publicam fidem sperantes perueniissent, Ballionum, Vitelliorum, & Senensium copijs à tergo conspectis vt euaderent Florentinorũ ditionẽ confugerunt: vbi cũ inter Castellionẽ & Crotonam, numero quadringenti equites cum paucis militib. constitissent, Florentinorum iussu omnib. rebus exuti sunt: & Michael illorũ dux captus, quẽ illi postea pontifici, qui cum omnes eius pontificatus ministros odisset tum maximè illũ, quòd omniũ Valentini scelerũ fidissimus minister & perfector fuisset, vehementer petenti concesserũt: quamuis, vt natura erga eos, in quos sęuire in sua potestate esset, mitis erat, nõ multo pòst eum dimiserit. Hoc tempore Rotomagensis Gallicę legationis cõfirmatione, ab Iulio potius quia negare nõ ausus erat quã libera voluntate impetrata, vt in Galliã rediret Roma discessit; at Ascanius, quamuis cum ex Gallia discederet regi se rediturũ sacramento quo ab pontifice clàm liberatus est, confirmasset, illũ nõ est sequutus. Nec tamen suæ credulitatis ab Ascanio delusæ exemplum, Rotomagensem, in Pandulfi Petrucij rebus cautiorem effecit: qui eo Senis magno honore accepto, miroque astu artificiosisque consilijs sibi conciliato, & se Montempolitianum Florentinis restituturum promittens, tantum effecit, vt Cardinalis in Galliam reuersus, se nullum in vniuersa Italia Pandulfo sapien-

ſapientiorem virum reperiſſe aſſerens, apud regem egerit vt Borgheſius eius filius, ad paternæ fidei in Gallia obſes, Senas redire permitteretur. Hæ fuerunt in Italia ob Pontificis mortem factæ mutationes. Eadem verò tempeſtate bella ab Galliæ rege tanta ſpe trans alpes cępta, ad magnas difficultates redacta erant: quoniam exercitus in Aquitaniæ fines miſſus, pecuniæ defectu, & eorum qui præerant incuria, citò diſſolutus fuerat: & claſſis, Hiſpaniæ oram exiguo fructu præteruecta, in Maſſilienſem portum redierat: exercitus verò Perpenianum verſus profectus, de cuius progreſſu, quòd omnibus neceſſarijs rebus optimè eſſet inſtructus, rex ſibi plurimum pollicebatur, ad Salſium, locum munitum prope Narbonem ad Pirenei radices, in Ruſſinonis ditione ſitum caſtra poſuerat: quod oppidum quum optimos defenſores haberet, ſtrenuè reſiſtebat: & quamuis Galli fortiter oppugnarent, & omni ſtudio mœnia tormentis concutere, & cuniculis euertere niterentur, nunquam tamen potiri potuerunt: imò maximo exercitu ex omnibus Hiſpaniæ regnis vt obſeſſis opem ferrent Perpiniani, quò rex ipſe venerat congregato, & propter Gallorum qui Fonterabiam verſus miſſi fuerant, diſſolutionem, copijs quæ ad eos fines tuendos iuerant, huic exercitui coniunctis, omnesq; vnà aduerſus Gallos venirent, duces ſe impares viribus eſſe animaduertentes, cum iam circiter quadraginta dies Salſium obſediſſent, Narbonem verſus copias reduxerunt: quos ſequuti Hiſpani, Galliæ regis fines ingreſſi ſunt, & aliquot parui momenti oppidis captis cum Galli Narbonæ conſtitiſſent, paucos dies commorati, regis ſui iuſſu, qui eius qui inuaditur proprium finem aſſecutus, præſertim cum ipſius regna ad vim Gallorum repellendam potentiſſima, ad inferendam eſſent imbecilla, non libenter bellum vltra montes fouebat, in ſuos ſe fines receperunt. Haud multos dies pòſt Federico rege intercedente, quinq; menſium inducias ſolummodo de tranſalpinis rebus pacti ſunt: nam Federicus, ſpe ſibi ab Hiſpanię rege de neapolitani regni reſtitutione facta, idemq; Galliæ regem, apud quem miſericordia cõmota Galliæ regina pro eo vehementer laborabat, facturum ſperaret, pacis tractationem inter eos ſeruerat: quamobrem dum bellum in Italia arderet, Hiſpaniæ regis legati in Galliam venerunt, qui tanto artificio agebant, vt Federicus, ſuæ reſtitutionis, cui Aniouinæ factionis principes magnopere repugnabant, difficultatem præcipuè ex Galliæ rege manare ſibi perſuaderet. Omnibus igitur duorum regum bellis in regnum neapolitanum conuerſis, omnium oculi & cogitationes in eam partem intendebant: Galli etenim Roma profecti, per Valmontonis & Columniorum loca, in quibus commeatus illis ſponte datus eſt, itinere facto, per pontificiam ditionem Sangermanum verſus contendebant, vbi Conſaluus, Roccaſecca, & Montecaſſino præſidio munitis; non quidem vt fortunam experiretur, ſed vt vlterius progredi prohiberet, quòd propter loci qui natura munitus eſt opportunitatem, facilè ſe facturum ſperabat, caſtra poſuerat. Gallis ad Pontecoruũ & Ceperanum caſtra metatis, Salutius marchio, cum copijs quæ Caietæ erant, antea Traiectenſi ducatu, & Fundano comitatu ad Garilianum fluuium vſq: Conſalui diſceſſus occaſione recuperatis, adiunctus eſt. Primus Gallici exercitus labor fuit, Roccaſeccana oppugnatio, qua fruſtrà tentata, in tantum contemptum adducti, vt in Hiſpanorum caſtris, eum diem neapolitanum regnum ab Gallis ſecurum reddidiſſe palàm affirmaretur, abierunt: eamq; ob cauſſam ſe hoſtes Sangermanno pellere poſſe diffiſi, ad maritimum iter deflectere ſtatuerunt: quare Aquini, quod ipſi ceperant, biduum commorati, ſeptingentis peditibus, in Gulielmia arce relictis, Põtecoruum regreſſi, Fundano itinere, ad turrim quæ in Gariliani fluminis tranſitu poſita eſt, caſtra locarunt; quo in loco fama eſt olim Minturnas vetuſtiſſimã vrbem fuiſſe: qui locus non modò ad pontem iaciendum, & fluuium traijciendum, vt illis erat in animo, verùm etiam, ſi fortè ibi hærere coacti fuiſſent, cum Caietam & claſſem à tergo Traiectum, Itrium, Fundos, & omnem regionem ad Garilianum uſq; amicam haberent, oportunus erat. Si Galli fluuium traieciſſent, quòd Conſaluus tanto inferior viribus eſſet, vt ſe aperto in loco opponere non poſſet, Gallis Neapolim vſq;, quo & claſſis quę nullum mari impedimentum habebat veniſſet, liberum iter relinquebatur, plurimum ad victoriam referre exiſtimabatur: ideò Conſaluus Sangermano profectus, ad alteram Gariliani partem, vt Gallos totis viribus tranſitu prohiberet, venit; ſe id, propter incommodum & laborem in quo exercitus, in fluminibus quæ vado

ſuperari nequeunt,cum hoſtes ſe opponunt ſuperandis verſantur, facilè facturum ſperans:ſed vt ſæpe accidit,quod prius difficillimũ exiſtimabatur id facillimum fuit,& contrà,quòd omnes facillimum cenſebant,difficilius:Galli namq; etiã ſi Hiſpani prohibere conati ſint,ponte facto,tormentis partim in ea ripa in qua caſtra habebant,quæ oppoſita nonnihil altior erat, partim in nauibus quas ex claſſe aduerſo flumine ſubuexerant, collocatis,fluminis tranſitũ ſibi vendicarunt:ſed cum poſtero die tranſire cæpiſſent,Hiſpani ſe oppoſuerunt; & in eos qui iam tranſierant impreſſione facta,magno animo ad medium pontẽ vſq; repulerũt:& niſi tormentorũ vi retrocedere coacti fuiſſent,vlterius eos eſſent perſequuti. In hoc conflictu ex parte Gallorũ,Diuionenſis præfecti vicarius cecidit:ex altera parte Fabius, Pauli Vrſini filius,iuuenis nõ paruæ inter Italos milites, expectationis. Fama fuit Gallos,ſi cum tranſire cæperũt,fortiter progreſſi eſſent,eo die victoria potituros:ſed dum lentè & cum timoris ſignificatione procedũt,nõ modò eius diei victoriæ occaſionẽ amiſerunt,ſed etiã magna ex parte futurę ſpem debilitarunt: nã poſt eam diem res illorũ parum feliciter ſucceſſerunt: iamq; inter duces potius erat perturbatio quàm concordia,proq; Gallorũ militũ erga Italos duces cõſuetudine,Mantua nõ regio legato,parum erant obſequẽtes, adeò vt ille vel hac de cauſſa,vel quòd reuera,vt aiebat,ægrotaret,vel quòd periculo prius ad Roccaſeccã,deinde,quo die pontem tranſire tentarunt,facto,de victoria deſperaret,ab exercitu maiore apud Galliæ regẽ,fidei quã fortitudinis vel militaris in exercitu adminiſtrando peritię,opinione relicta diſceſſit.Poſt cuius diſceſſum Galli duces,quorũ præcipui erãt,Saluciarũ marchio,Camẽſis præfectus,& Sãdricurtius,pontis capite ex altera fluminis parte, prius carris munito, vallum multorũ hominũ capax,cuius ope ab hoſtibus,pontẽ tranſeuntes haud amplius inuadi poterant,extruxerunt:ſed alia impedimẽta,partim ipſorũ culpa,partim ex hoſtiũ virtute & tolerantia,partim ex fortunæ iniquitate orta,quo minus vlterius progrederẽtur eos remorabantur: quia Conſaluus,qui magis,vt eos hyemis,& regionis ſitus occaſione,quàm virib.impediret operã dabat,ad Cinturã vicũ,editiore loco ſitũ,paulò plus mille paſſibus ab flumine diſtantẽ,peditatu & reliquis copijs circũcirca diſpoſitis,caſtra locarat:idq; magno incõmodo:nam cũ deſerto in loco,vbi,agricolarũ caſę,& paſtorum tuguria rariſſima ſunt,caſtra haberent,vix tectũ aliquod inueniebãt:planiciesq; ipſa natura depreſſa,atq; ob anni tẽpus,pluuijs obnoxia aqua & luto redundabat:idcirco milites qui vbi cõſiſterent non habebant, magnũ faſciculorũ numerũ in editiora loca comportantes,ſolũ ijs ſternere conabantur:quas ob res tũ quod militi ſtipendia nõ dabãtur, tum etiã quia Galli fluminis tranſitũ prorſus ſibi liberũ fecerant, vt milites minus incõmodi perciperent,vtq; periculũ in quo militũ numero hoſtib. inferiores, perpetuo verſari videbantur,vitarẽt,Capuã eſſe recedendũ præfectorũ quorundã ſententia fuit; quã Cõſaluus his æterna memoria dignis verbis,magno animo reiecit;cũ diceret, optare ſe potius ſepulcrũ ſuũ eadẽ hora pedẽ vnum vlterius habere,quã paucos cubitos retrocedendo,vitę ſuæ ſpacio centũ annos addere:ſicq; res aduerſas animi cõſtantia pferens,& caſtrorũ frõte alta foſſa, & binis vallis munita,ſe Gallis obiectus tuebatur,qui etſi vallũ & ipſi feciſſent nõ tamẽ caſtra mouere tentabãt;nã cũ regio vniuerſa imbribus,& fluminis aquis redũdaret(hũc locũ T.Liuius, ob Sinueſſæ vicinitatẽ,Sinueſſanas aquas apellat; & fortaſſe ſunt Minturnæ paludes,in quib. C. Marius, Syllã fugiẽs ſe occultauit)niſi anguſto,ac bene lutulento ſtagnantib.vbiq; aquis,itinere,nec ſine periculo ne ab Hiſpanorũ expedito peditatu, qui admodũ prope caſtra habebat,à latere inuaderentur,progredi poterãt; & forte fortuna ea hyeme tẽpeſtas erat frigidiſſima, atq; aſperrima,& ſupra eius regionis cõſuetudinẽ,niuib.& pluuijs abundãs, vt fortunaq; cœlũq; in Gallos cõſpiraſſe viderentur;qui cunctando,nõ modò tẽpus inutiliter terebant,verùm etiã ob ſuam naturã,ferè idẽ detrimentũ ex mora percipiebant, quòd ex veneno paulatim erodente capiunt humana corpora:nam etſi minore incõmodo,quàm Hiſpani in illis locis erant,propterea quòd antiqui cuiuſdã theatri reliquiæ, quib. multa lignea tecta adiunxerant,& vicinæ ædes atq; diuerſoria militũ partẽ tegebãt; & locus circa turrim nõnihil Sinueſſana planitie altior,minus aquarum iniuriã ſentiebat; & maxima pars equitatus, Traiectũ atq; in alia vicina oppida ſe cõtulerat:nihilominus quia Gallorũ & Heluetiorũ corpora diuturnos labores & incõmoda,nõ tam facilè quã Hiſpani perferunt,animorũ

impetus

impetus atq; ardor in eis indies deferuescebat magis: quæ difficultates, eorũ qui ab rege cõmeatui, & stipendiotũ solutioni prẹfecti erant, auaritia augebantur; qui, pprio quẹstui intenti, nec vllũ fraudis genus prætermittentes militũ numerũ imminui patiebãtur; neq; vt cõmeatu exercitus abundaret curabãt: quas ob causas multę ægritudines exercitũ inuadebant; & militũ numerus, quãuis ad stipendia accipienda ferè idẽ esset, re ipsa tamẽ longè minor erat: Italis etiã militib. sua sponte ex parte dilapsis; quas perturbationes præfectorũ dissensio augebat, qua fiebat vt exercitus nec ordine, nec decenti disciplina regeretur: hac ratione Galli, hyberni tẽporis asperitate detenti in Gariliani ripa otiosè hærebant; nulla re, præter leuiora quędã certamina, ad rẽ summã parũ cõducẽtia, memorabili gesta, nisi quòd Hispani semper è certamine superiores discedere videbantur: his quoq; dieb. accidit, vt pedites qui à Gallis ad Gulielmiæ arcis præsidiũ relicti erant, quũ molestias quæ ab ijs qui in Roccasecca atq; alijs circa ea loca præsidio erant, ipsis ppetuò inferebãtur, sustinere nõ possent, ideoq; ad castra redirent, in itinere ab illis funderentur: Sed cũ res permultos dies hoc in statu fuissent, Bartolomęus Aluianus, & ceteri Vrsini, cũ suis copijs in Hispanorũ castra superuenerunt, quorũ aduentu Cõsaluus virib. ita auctus noningentos grauis, mille leuis armaturæ equites, & 9. militũ Hispanorũ millia in castris haberet, iam nõ de defensione, sed de hostib. lacessendis cogitare cępit: ad quod eo magis accẽdebatur, quòd sciret Gallos equitatu quidẽ superiores, peditatu verò inferiores, per vicina oppida ita dissipatos esse, vt eorum castra paulò minus decem millib. passuũ paterent; adeo vt circa Gariliani turrim Salutius prorex, & reliqui præcipui duces cum minore tantũ exercitus parte mansissent, eaq; etsi cõmeatus copia superueniisset, morbis tamen, quib. multi, & inter reliquos Camensis præfectus interierant, indies magis crescentib. quotidie minueretur: idcirco fluuiũ furtim si posset, transire cum statuisset; quod si succederet de victoria minimè ambigebatur, Aluiano eius cõfilij, vt aliqui aiunt, autori, pontẽ clàm faciendũ curaret cõmisit: cuius opera, cũ in quodã vico prope Sinuessam naualis pons magno silentio factus esset, eo ad Garilianũ noctu vecto, & ad Suuij vadũ quatuor milliarib. supra Gallorũ pontẽ posito, vbi illi nullũ præsidiũ habebãt quãprimùm pons positus fuit, quod factũ est die XXVII. Decẽb. totus exercitus & cũ eo Consaluus ipse traiecit, eadẽq; nocte Suuij quod oppidũ ad fluminis ripã positũ est, à primis trãseuntib. occupatũ castra locauit; maneq; sequẽti, qui erat dies veneris Hispanis fastus, Cõsaluus cũ nouissimũ agmẽ, quod inter Mondragonis arcem & Carinulã, quatuor passuũ millia infra Gallorũ pontẽ castra habebat, ad pontẽ illorũ oppugnandũ contendere imperasset, ipse cũ prima acie cui Aluianus præerat, & media, quæ vnà cũ ipso flumẽ traiecerat, vt Gallos insequeretur, qui eadẽ nocte Hispanos põte iacto copias iam traducere certiores facti, vt qui antequàm mitiora tẽpora adessent, nihil amplius moliri statuissent: existimarentq; eandẽ hostib. negligentiã atq; ignauiã inesse, ingenti terrore occupati; & hac audacia atq; repentino motu, eo magis perturbati sunt, progressus est: quamobrẽ prorex ad quẽ mulri Traiecto & ex vicinis locis per quæ dissipati erant, conueniebant trepidans potius (vt in repentinis casib. fieri solet) quàm in mediũ cõsulens aut deliberãs, etsi Allegriũ cum aliquot peditib. equitibusq; Suuiũ versus ad hostes transitu prohibẽdos ire iussisset, vbi tamẽ serò hæc fieri secũ reputaret, metuq; in omni eorũ cõsilio & deliberatione superãte, media nocte à Gariliani Turri, vt se Caietã recpierent, castra rerũ Castrensiũ tumultuãtes, magna parte, nouẽq; magnis tormentis, & vulneratis cũ magno ægrotorũ numero ibi relictis, mouerunt. At Consaluus illorũ cognita fuga, cũ exercitu eos persequens Prosperũ Columnã cum expeditis equitibus, vt ab illis infestati tardius incederẽt, pmisit: qui cũ ad Scandiũ eos essent assecuti, Gallis semper incedẽtibus, sed tamẽ sępe ad põtes, & angusta itnera, ne ordines perturbarẽt hęrentibus, leuib. prælijs simul dimicare cęperũt, ex quib. Galli semper vbi aliquã tisper impressionẽ sustinuissent, aliqua clade accepta recedebant: hic aũt erat illorũ progressus ordo, tormẽta prẹcedebãt, q̃ pedites sequebãtur, vltimo aũt loco equites, quorũ postremi ppetuo cũ hostib. pugnabant: cũ hac ratione modò hęrẽtes, modò leuiter pugnãtes, ad pontẽ vsq; qui ante Caietę Molã est, pgressi essent, necessitas proregẽ, vt equiratus partẽ in loco quo tormẽtis suis, quæ cũ ea celeritate qua milites, iter cõficere non possent, iam ipsis permiscebantur præcedendi spacium cõcederet, sisteret coëgit, quare

acri eo in loco inita pugna, paulo pòſt, poſtremum Hiſpanorum agmen, flumine abſq; vllo impedimento ijſdem nauibus, quæ ad pontẽ ab Gallis fractum erat traiecto, recto itinere Caietam petebat, Conſaluo cum reliquo exercitu ſemper cliuum tenente. Ad Molanum pontẽ, Gallis loci muniti beneficio præſertim, etſi plurimo timore pleni pugnam ſuſtinentibus, & Hiſpanis qui ſibi iam victoria potiri videbantur, magno impetu in eos irruentibus, aliquandiu ferociter pugnatum eſt: ſed tandem Galli, cum hoſtes iam ſuſtinere nõ poſſent, & ne ab hoſtilis exercitus parte, quam Conſaluus per cliuoſa loca ad id miſerat, iter ipſis impediretur veriti, ordinibus perturbatis retrocedere inceperunt; hoſtibus autem continuò perſequentibus, cum ad biuij caput, cuius pars vna Itrium, altera Caietam ducit peruenisſent, tormentis cum omnibus equis à quibus trahebantur relictis, multis mortalibus cæſis, inter quos fuit Bernardinus Adurnius qui cataphractos quinquaginta pro alio ducebat, & plurimis captis; reliquos ad Caietæ portas vſq; fugientes ſunt victores perſecuti. Eodem tempore Fabritius Columna, à Conſaluo miſſus, cum quingentis equitibus & mille peditibus, flumine tranſmiſſo, circa Põtecoruum, & Fracias, plurimis caſtellis, & regionis incolis operam nauantibus, Ludouici Mirandulani, & Alexandri Triultij turmas debellauit: multi præterea eorũ qui Fundis, Itrij, alijs item propinquis locis caſtra habebant, & cum pontem ab Hiſpanis iactum audiuiſſent, ad Gariliani Turrim vt cum ſuis coniungerentur, non contenderant, ſed quo ſibi conſulerent, diſſipati, ac trepidantes varia loca diuerſis itineribus petebant, capti, ſpoliatiq; ſunt. Maius infortunium habuerunt Petrus Medices, & aliquot alij nobiles Gallorum caſtra ſequentes: qui gallicis copijs ab Gariliano diſcedentibus, cum quatuor tormentis quæ Caietam veherent nauigio non magno conſcenſo, tum nimio pondere, tum quia in fluminis oſtio ventos aduerſos habuerunt, cum naui omnes ſubmerſi ſunt. Sequenti nocte Conſaluus cum exercitu, ad Caſtellonem & Molam caſtra habuit: & poſtero die Caietæ quo præter Gallos duces, Salernitanus & Biſinianus principes confugerant, appropinquauit, ſuburbiumq; & montem à Gallis derelictum occupauit: qui, etſi ciuitas militibus & commeatu ſatis ad defenſionem eſſet inſtructa, & locus huiuſmodi qui facilè maritima auxilia accipere poſſet, tamen conſternati, nec ad incerta ſubſidia expectationis moleſtiam ferre parati, ſtatim animum ad deditionem conuerterunt: & ideò Diuionenſis præfectus, Sanctacolumba, & Theodorus Triultius, de reliquorum conſenſu ad Conſaluum profecti, die prima anni milleſimi quingenteſimi
1504. quarti, Conſaluo Caietam cum arce, terra mariq; è regno neapolitano cum omnibus rebus ſuis, tutò abeundi accepta facultate; & vt Obigninus, cæteriq; captiui vtrinq; dimitterentur, tradiderunt: Sed hoc non tam perſpicuè expreſſum fuit, quin Conſaluus, huius pactionis vi regni neapolitani proceres liberati minimè intelligerentur, cauillandi anſam habuerit. Hæc eſt illa ab Galliæ regis exercitu ad Garilianum fluuium, ad cuius ripam quinquaginta dies moratus erat, accepta clades; non minus ex proprijs erroribus peruerſaq; diſciplina, quàm ex hoſtium virtute profecta: quæ ſanè memorabilis vel ob illud eſt, quia tam nobilis tamq; opulenti regni integra amiſſio & Hiſpani imperij firmamentum ſequutum eſt: magis autem quòd cum Galli, hoſtibus potentia longè ſuperiores, & omnibus terreſtribus maritimisq; ad bellum neceſſarijs apparatibus inſtructi in regnum inuaſiſſent, tam facilè & ſine ſanguine victorumq; periculo debellati ſint: & quia quamuis pauci hoſtili manu perierint, tamen ex tanto exercitu varijs caſibus, pauciſſimi euaſerunt: ex peditibus enim qui fuga elapſi ſe conſeruarunt, & ex ijs qui deditione facta, terreſtri itinere Caieta diſceſſerunt, pars in itinere frigoribus & morbis conſumpta eſt: & qui viui Romam peruenerunt, pleriq; nudi ac miſerabiles, pars in publicis pauperum hoſpitijs: pars noctu frigore & fame in foris & vijs perierunt: huius autem rei, ſiue fata Gallis aduerſa, nec minus nobiliati quàm plebi contraria, ſiue morbi ex incommodis ad Garilianum paſſis, contracti, cauſſam præbuerint, pleriq; eorum qui deditione facta nauibus Caieta vbi maximam equorum partem reliquerunt diſceſſerant, vel in itinere vel quamprimùm in Galliam peruenisſent, interierunt: inter quos Salutiarum marchio, Sandricurtius, & Montis præfectus, multiq; alij magnæ nobilitatis viri fuerunt. Præter id autem quod diſcordiæ, ducumq; ſocordiæ, temporum acerbitati, atq; Gallorum Heluetiorumq; naturæ, ad cunctationis moleſtias animo, & labores atq; incommoda

commoda corpore non ita vt Hiſpani perferenda aptæ tribui poterat,duo in primis regi victoriã intercepiſſe,exiſtimatũ eſt:nempe exercitus propter pontificis mortẽ longa circa Romã mora:qua factũ eſt vt Hyems ante ſuperuenerit, & Conſaluus Vrſinos ad ſtipẽdia ſua,quàm ipſi regni fines ingrederentur, adſciuerit:neq; enim ambigitur,quin ſi ipſi dũ tractabile miteq; cœlũ fuit,ingreſſi eſſent,Cõſaluus tunc viribus longè inferior, nec tẽpeſtatis acerbitate adiutus,maxima regni parte deſerta, in pauca munita loca ſe recepturus fuiſſet:alterũ fuit regiorũ quęſtorũ rapacitas, qui regẽ in militũ ſtipẽdijs fraudãtes, & eandẽ ob cauſſam cõmeatũ impedientes non parũ eũ exercitũ minuerunt:rex etenim ſumma celeritate talẽ omnium neceſſariarũ rerum apparatum fecerat,vt certũ ſit, eo tempore quo pugna cõmiſſa eſt, magnã pecuniæ vim & ingentẽ cõmeatus copiã,ab ipſo miſſam,Romæ fuiſſe; & quãuis poſtremò,ob innumeras ducum & totius exercitus querelas vberior eſſet cõmeatus copia,tamẽ tanta antea fuerat penuria,vt ea ceteris incõmodis addita,tot ęgritudinũ,& multorum militum diſceſſus,vtq; cõplures per vicina loca diſſiparentur,cauſſa fuerit, quibus ex rebus tanta miſeri exercitus clades manauit: nam vt ad corpus tuendũ non ſatis eſt ſi caput ſanũ ſit,ſed & cetera membra munere ſuo fungi neceſſe eſt:ſic non eſt ſatis principẽ ipſum culpa vacare,niſi in miniſtris debita diligentia & virtus proportione reſpondeant.Eodẽ anno quo hæc tam grauia in Italia geſta ſunt, pax inter Baiſettum Otomannũ, & Venetos confecta eſt,quam vtraq; pars cupidè amplexa eſt:quoniã Baiſettus princeps manſueto ingenio & à patris ferocitate admodum alienus,literis quoq; ac religionis ſuæ ſtudijs deditus,natura ab armis erat alieniſſimus:idcirco bellũ potentiſſimis terreſtribus atq; maritimis apparatib.cæptum, quo primo biennio Naupactũ,qui hodie Lepantus dicitur,Methonẽ,Coronẽ,& Iuncum in Peloponneſo,quæ nũc Morea dicitur,occuparat, ſiue ocij ſtudio motus ,ſiue ne vel ꝓpria pericula,vel religionis amor,Chriſtianos principes in ſe concitaret veritus,non eadẽ vehemẽtia poſtea geſſerat: nam & Alexander Põtifex,aliquot longas naues Venetis auxilio miſerat; & vnà cum ipſis Vladiſlaũ Bohemiæ atq; Pannoniæ regem,ad bellum in Turcarum finibus mouendũ pecunia concitarat: & Galliæ atq; Hiſpaniæ reges, ſinguli ſuas claſſes,ſed non eodẽ tempore,ad Venetorũ claſſem adiunxerãt.Sed maiori ſtudio Veneti,quib.maximo reip.& priuatorũ detrimento,negotiationũ quas homines ipſorũ in multis orientis partibus exercebant,cõmertium bello impediebatur,pacem amplexi ſunt:nam cum Veneta reſp.ſingulis annis maximam frumenti copiã ex ijs regionib.quæ Turcarum faſces agnoſcunt, accipere ſoleret, ea oportunitate priuari, illis non paruas difficultates afferebat:ſed multò magis,quia cum imperiũ ſuum in bellis cum alijs principibus augere conſueſſent, nihil magis horrebant quàm Otomannorum potentiam,à quibus quotieſcunq; bella cum illis geſſerant, cladibus affecti fuerant:nam & Amurates Baiſetti auus, Theſſalonicam vrbem quæ hodie Salonich nuncupatur,Veneto imperio ſubiectam occuparat:deinde Maumetes eius pater,ſedecim continuos annos bello cum illis geſto Negropontum inſulam,magnã item Peloponnenſi partem,Scodram,& multa præterea oppida in Macedonia & Albania eorum imperio ademerat: itaq; cum Turcicum bellũ magno incõmodo,ingẽti ſumptu,& ſine fructus alicuius ſpe gereretur; ad hæc veriti ne interea à Chriſtianis principibus inuaderentur, ſemper pacis cum illis ſanciendæ erant cupidiſſimi: Baiſetto, pacis legibus, omnia quæ occuparat retinęre licuit: & Veneti, Cefalonia Inſula,quam veteres Leucadem appellabant,retenta,Neritũ, quæ hodiæ Sanctæ Mauræ inſula vocatur, ei tradiderunt. Sed non tam moleſtum fuit Venetis Turcicum bellum, quàm ab Luſitaniæ rege, aromatum quæ ipſorum mercatores & naues, Alexandria nobiliſſima Aegypti vrbe, Venetias vehentes,magno quæſtu per omnes Chriſtiani orbis prouincias diffundebant, commertium interceptum graue & pernicioſum fuit: quæ res cum omnium quæ à multis ſeculis acciderint, memoria ſit digniſſima, atque ob detrimentum ab Veneta vrbe acceptum, aliquo modò Italiæ rebus coniungatur, non prorſus ab re alienum fuerit, aliquanto fuſius eam explicare. Qui ingenio & miris cogitationibus, cœli motum & deſcriptionem cõtemplantes,poſteris ea nota fecerunt,in cœli ambitu,ab ortu in occaſum,lineam,vbiq; & in omni parte ab auſtrali & ſeptentrionali vertice æquè diſtantem deſcripſerunt: eamq; quòd dies cum ſol ſub illam venerit, noctibus æquales ſint, Aequinoctialem appellarunt; cuius

longitudinem,in trecentas & ſexaginta partes quas gradus vocitarunt cogitatione partiti ſunt: quemadmodum & alter cœli per vertices ambitus quoq; todidem partes patet. Horum normam ſequuti Coſmographi,terram metientes & partientes,in ea quoq; æquinoctialem lineam,quæ ad perpendiculum,cœleſti lineæ ab Aſtronomis deſcriptæ, reſpondet finxerunt:eam pariter cum terræ circuitu linea directè ſub verticibus poſita, in latitudinem trecentorum & ſexaginta partium diuidentes, ita vt à noſtro vertice ad auſtralem, centum & octuaginta, & ab vtroq; vertice ad æquinoctialem lineam nonaginta graduum interuallum cõſtituerint. Hæc à Coſmographis generatim tradita ſunt; ſed quod ad terræ quæ incolitur peculiarem deſcriptionem attinet, ea vnius terræ partis quæ in noſtro orbe eſt cognitione, quam habebant poſteris tradita,eam partem quæ ſub torrida plaga quam aſtronomi in cœlo deſcribunt, in qua æquinoctialis linea continetur,eſt,velut ſoli proximam æſtu inhabitabilem,neq; ex noſtro ad eas regiones quę ſub torrida plaga, vel vltra illam Auſtralem verticem verſus ſunt, quas Ptolemeus omnium conſenſu Coſmographorum princeps, ignotas terras & maria appellabat, tranſitum patere crediderunt:quare & ipſe & reliqui,ijs qui ex noſtro orbe,ad Arabicum Perſicumq; ſinum, vel ad eas Indiæ partes quas Alexandri magni victoriæ primùm noſtris hominibus notas fecerunt, ire vellent; aut terreſtri itinere, aut vbi per mare noſtrum quantum poſſent progreſſi fuiſſent,reliquum iter pedibus conficiendum exiſtimarunt. Has opiniones atq; ſententias falſas fuiſſe, noſtro æuo Luſitanorum nauigatio declarauit:quoniam Luſitaniæ reges,iam à multis annis,quæſtus cupiditate,Africæ litora peragrare cæperunt: ac paulatim ad Capitisuiridi inſulas vſq; à veteribus, vt pleriq; exiſtimant Heſperides appellatas quæ quatuordecim gradibus citra æquinoctialem, ſeptentriones verſus ſunt, progreſſi, & indies audentiores facti longo circuitu,meridiem verſus nauigantes,ad Bonæ ſpei promontorium, quo nullum in Africa magis ab æquinoctiali remotum eſt,cum triginta octo gradibus ab eo diſtet,ab eoq; in Ortum flectentes, per Oceanum, ad Arabicum & Perſicum ſinum vſq; peruenerunt: quibus in locis Alexandrini mercatores,aromata,partim ibi nata,partim ex Moluchijs inſulis alijsq; Indiæ partibus allata, emere; deinde terreſtri,longo,incommodo, & maximis ſumptibus itinere,Alexandriam ferre; ibiq; Venetis mercatoribus,qui ea Venetias aduecta, ingenti quęſtu per vniuerſam Europam diffundebant, vendere ſolebant: nam cum ſoli aromata in manibus Veneti haberent, pretia ex arbitrio ſuo conſtituebant: & ijſdem nauibus quibus ex Alexandria aſportabãt,multas merces eò ferebant,eædemq; naues,quę aromata in Galliam, Flandriam,Angliam,& alia loca vehebant,Venetias pariter alijs mercibus refertæ redibant: quæ res reip. quoque opes ex vectigalibus & portorijs mirũ in modum augebat. At Luſitani,Lisbona regia vrbe mari ad remotas illas partes profecti, & cum Calicutio & aliorum locorum regibus in Indico mari ſocietate contracta,deinde paulatim ad interiora loca penetrantes,arcibusq; temporis progreſſu in opportunis locis extructis, & nonnullis eius regionis ciuitatibus ſibi fœdere coniunctis, alijs verò armis imperio ſuo parere coactis, aromatum quæ antea Alexandrini mercatores habere ſolebant negociationẽ in ſe rranſtulerunt; eaque mari in Luſitaniã vehentes,ad eadem loca ad quę Veneti mittere ſolebant,nauibus ipſi ſuis mittunt. Quæ nauigatio ſanè mira eſt, in ſex & decem milliarium millia protenſa per maria penitus ignota,ſub alijs ſideribus, alio cœlo,alijsque inſtrumentis peragenda:nam vbi æquinoctialem lineam tranſgreſſi ſunt, noſtram arcton non amplius ducem ſequuntur:& magnetis vſu priuantur,tantoq; itinere,nullas terras niſi ignotas,lingua,religione, & morib. diuerſas,prorſus barbaras, & peregrinis infenſiſſimas attingere poſſunt:nihilominus tanta difficultate minimè impediti,temporis progreſſu, hanc nauigationem ſibi tam familiarem fecerunt,vt quò prius decem menſibus perueniebant,nunc longè minori periculo,ſex menſium ſpacio nauigent.Sed magis etiam miranda fuit Hiſpanorum nauigatio,anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo,Chriſtophoro Columbo autore cæpta.is cum ſæpius per Oceanum nauigaſſet, & quorundam ventorum obſeruatione, id quod poſtea reuera ſucceſſit,coniectaſſet, aliquot nauibus ab Hiſpaniæ regibus impetratis,& Occaſum verſus nauigans,triginta trium dierũ ſpatio, in vltimis orbis noſtri finibus, aliquas inſulas, quarum prius nulla cognitio habebatur repperit, cœli temperie,ſoli vbertate

bea-

beatas: nam quibuſdam immaniſſimis populis, qui humanis carnibus veſcuntur excepti, ferè omnes incolæ, moribus ſimpliciſſimi, & ijs quæ naturæ benignitas fert contenti, neque auaritia, neque ambitione cruciantur: ſed quia, cum homines illi neque certam religionem, neq; literarum ſcientiam, non artium peritiam, non arma, non militarem diſciplinam, non ſcientiam, nullum deniq; rerum vſum habeant, non ſecus atque manſueta pecora omnium qui eas inuaſerint facillima præda fiunt, infeliciſſimas: quapropter Hiſpani occupandi facilitate, & prædæ opulentia allecti, in illis enim copioſiſſimæ auri venæ ſecturæque ſunt inuentæ, multi eas veluti propria domicilia incolere cæperunt: vlteriusque progreſſus Chriſtophorus Columbus, & poſt illum Americus Veſpucius Florentinus, deincepsque multi alij, alias inſulas & ampliſſimas continentis regiones, & in nonnullis, etſi in pleriſque ſecus, in publicis ac priuatis ædificijs, in veſtitu, & commercio, mores, & ciuilem cultum, ſed omnes imbelles, atque omnium prædæ facilè expoſitas gentes inueſtigarunt: tanta autem eſt noui huius orbis vaſtitas, vt hoc noſtro habitabili, antea noto, infinito latius pateat. Ad has igitur oras cum nouis copijs nouisque itineribus aſpirantes Hiſpani, & modò aurum atque argentum, ex fodinis quæ pluribus in locis ſunt, & fluuiorum arenis eruentes: modò rerum viliſſimarum permutatione ab incolis ementes; modò iam collectum rapientes, multi priuatis nauigationibus & proprijs ſumptibus, ab rege tamen accepta poteſtate, & quinta eidem appenſa eius quod aut eruiſſent, aut alia quauis ratione in eorum manus peruenisſet, portione, ingentem copiam in Hiſpaniam attulerunt: quin eo vſque progreſſa eſt Hiſpanorum audacia, vt aliquæ naues auſtralem polum verſus per tres & quinquaginta gradus, ſemper continentis oram legentes progreſſæ, deinde, fretum quoddã ingreſſę, & ab eo per ampliſſimum pelagus in orientẽ velificantes, atq; inde per Luſitanorũ nauigationẽ redeuntes, vt res ipſa docet vniuerſum terrarũ orbem circuniuerint: vtriq; videlicet, Luſitani atq; Hiſpani, & præſertim Columbus huius magis admirandæ, magisque periculoſæ nauigationis inuẽtor, digni ſunt, quorũ peritia, induſtria, magnanimitas, vigilantia, & labores, quibus tantarum, tamq; ignotarum rerum cognitio noſtro æuo patefacta eſt, ſempiternis laudibus celebrentur: verùm laude digni maiore ſi eos ad tanta pericula tantosq; labores ſubeundos non auri & diuitiarum ſitis immoderata, ſed vel huius cognitionis ſibi ipſis adipiſcendę & alijs tradendæ, vel Chriſtianæ religionis ppagandę ſtudium, impuliſſet: quamquã & hoc aliqua ex parte pòſt conſequutum ſit; plurimis enim in locis homines illi noſtram ſunt amplexi religionem. His nauigationibus veteres in terræ cognitione, pluribus in rebus deceptos fuiſſe eſt cognitum, vltra æquinoctialem aditum patere, ſub torrida zona habitari: quemadmodum & aliorum nauigationibus, etiam contra eorundem opinionem, terras polis proximas quas immoderatis frigoribus, propter cœli ſitum ab Solis curſu ita remotum, inhabitabiles eſſe aiebant, incoli repertum eſt. Patuit etiã id quod veterũ aliqui crediderunt, alij verò reprehendebant, ſub pedib. noſtris alios homines eſſe, quos illi, Antipodas apellabãt. Sed vt ad narrationem noſtrã, & res quæ poſt Caietã Hiſpanis deditã, anno M.D.IIII. geſta ſunt reuertamur. Cladis ad Garilianũ acceptæ, totq; calamitatũ quæ pòſt ſequutæ ſunt nuntij, ob eorum perierãt multitudinẽ, & præcipuè ob tot nobiliũ virorum amiſſionem, totũ Galliæ regnũ lacrymis & planctibus repleuerunt: ex quo regia vniuerſa ex veſtitu, & multis alijs doloris ſignis, mœrore, & afflictatione plena cõſpiciebatur, & per totum regnum, virorum ac mulierum, eũ diem, quo primùm infauſta imperij in Italia adipiſcendi cupiditas, regum ſuorum quaſi tanto imperio quod poſſidebant, contenti non eſſent, animos inuaſit, execrantiũ voces audiebãtur: in primis verò regis animus tam nobilis regni vnquam recuperandi deſperatione, & tantam exiſtimationis autoritatisq; ſuæ diminutione vehementer angebatur: magnifica verba toties in Hiſpaniæ regem iactata, & vanæ tantorum ad eum vndiq; oppugnandũ apparatuum perſuaſiones in mentem veniebant: eius quoq; dolorẽ atq; indignationẽ augebat cogitatio, quòd cum ipſe ſumma diligentia, nulli prorſus rei parcens, tantos apparatus feciſſet, & cum pauperrimis, omniumq; rerũ egenis hoſtibus bellũ gereret, miniſtrorũ ſuorũ auaritia & fraudibus, tam turpiter ſuperatus eſſet: quare vociferationib. cœlum implens, efficaciſſimo etiã ſacramento addito, ſe poſtquã ſuorum met tam negligentem & perfidam operam eſſet expertus,

nullum amplius bellum ducibus suis commissurum, sed se ipsum ad omnia præsentem futurum, confirmabat. Sed magis etiam eum angebat discruciabatq; quia quantum vires suæ tanti exercitus clade, & tot ducum totq; illustrium virorum interitu, imminutæ essent, animaduertebat: ita vt si vel Maximilianus aliquem motum in Insubria excitasset, vel Hispani regno neapolitano egressi, vlterius processissent, ipsemet de eo imperio defendendo maximè dissideret: præsertim, si cui horum Ascanius Sfortia, cuius dominatus ab omnibus populis vehementer expetebatur adhæsisset. Romanorum verò regem tanta opportunitate non excitari, cum eius esset inueterati moris, sæpissimè tempora & occasiones permutare, nemo miratus est: at de Consaluo omnes cõtrarium existimabant; quo fiebat, vt quicunq; in Italia Gallis fauerent, in magno terrore versarentur, ne ille, victori pecunias occasionésue nõ defuturas sperans, nulla interposita mora, ad Insubriæ imperium euertendum, & Hetrurię statum ex itinere mutandum, victoriam sequeretur: quod si fecisset, Galliæ regem pecunia exhaustum, & animo deiectum, præsertim cum suorum animi ab transitu in Italiam essent alienissimi: & qui Caieta redibant regijs mandatis quæ Genuæ acceperant contemptis, alpes transissent; ei tempestati sine vlla defensione cessurum fuisse, certò credebatur: Illud quoq; palàm cernebatur, regẽ omnibus belli cogitationibus omissis, totum in concordia cum Maximiliano tractandæ versari: nec minus pacis negotio cum Hispaniæ regibus intentũ, cuius rei gratia, in belli ardore nõ intermissæ, Hispani oratores apud eum semper & fuerant & etiam tum erant. Sed Consaluus, quem deinceps postquam cognomen sibi ab Hispanica iactantia tributum, tam illustribus victorijs confirmauit, sæpius magnum apellabimus, siue quod cum prorsus pecunia careret, & plurima stipendia militibus suis deberet, eos qui stipendia & statiua petebant, futuri lucri, aut stipendiorum post longum tempus spe, mouere nullo modò posset; siue quòd ex regum suorum voluntate progredi cogeretur; siue quòd antequã hostes toto regno pelleret exercitum educere non satis tutum censeret, tanta occasione non est vsus, quia Ludouicus Arsius vnus ex Gallis ducibus, qui post pugnam Ciriniolanam cum huiusmodi debellati exercitus reliquijs, quæ non penitùs erant contemnendæ, Venusiæ consederat: quiq; dum exercitus in Gariliani ripa hærebant, Troiam, & Sanseuerum occuparat, totam Apuliam suspẽsam retinebat: & aliquot Andiouinæ factionis principes, Galliæ regis nomen apertè sequentes, loca sua tuebantur: his omnibus accessit magni imperatoris grauis paulò post victoriam, ægritudo; qua factum est, vt cum nulli rei gerendæ interesse ipse posset, Aluianum cum copiarum parte ad Ludouicum Arsium debellandum mitteret. Hac eius victoriæ extra neapolitanũ regnum eo tempore non sequendæ, siue deliberatione, siue necessitate, reliquæ Italiæ res potius in metu quàm periculo relinquebantur: nam Veneti more suo, suspensi rerum exitum expectabant; & Florentini satis sibi feciſſe videbantur, si quo tempore nullum penitùs ab Galliæ rege auxilium expectabant, à Magno Consaluo non oppugnarentur: & Pontifex vastis consilijs suis in aliud tempus dilatis, id vnum efficere nitebatur, vt sibi ab Valentino, Foriliuij, Cesenæ, & Bertinorij arces quas solas in Aemilia possidebat concederentur: quoniam Antonius Ordelaffius, ante paucos dies Foripopilij arcem præfecto prætio corrupto, in potestatem suam redegerat: Valentinus Cesenæ arcis tesseram Pontifici dedit, cum qua profectus Petrus Douiedus Hispanus, vt eius possessionem Pontificis nomine acciperet, præfecto, domino suo, dum esset captiuus, parêre sibi turpe videri: eumq; qui talia petere ausus esset supplicio dignum esse dicente, ab eo suspensus fuit: quare Pontifex, illarum absq; Valentini libertate adipiscendarum spe frustratus, cum eo pactus est, eiusq; pactionis, quo firmior esset, diploma in pontificum collegio confectum fuit: vt Valentinus in Ostiensi arce, in Bernardini Caruaialis Hispani, Cardinalis Sanctæcrucis, absoluta eum liberandi potestate, quamprimùm Cesenæ, & Bertinorij arces Põtifici restituisset, eidemq; Foroliuianæ arcis tesseram, & pro quindecim aureorum numûm millibus Romæ numularios fideiussores dedisset, constitueretur: eius namq; arcis præfectus, statim vbi tesseram, cum ea pecuniæ summa, in sumptus quos se feciſſe asserebat accepisset, se eam restituturum promittebat. Sed alia erat pontificis mens, qui etsi datam fidem palàm violare nollet, tamen siue metueret, ne liberatus efficeret vt Foroliuianæ arcis præfectus eam dedere recusaret: siue iniuriarum

à patre

à patre & ab ipso acceptarum memoria, siue odio quo illum meritò omnes prosequebantur, eius liberationem differre in animo habebat: quod Valentinus suspicatus, clàm à Magno Consaluo tuto Neapolim eundi fidem publicam, & duas triremes quibus eò veheretur petijt: quibus à Consaluo concessis Cardinalis Sanctæcrucis, qui idem suspicabatur, quamprimùm, in eam summam fideiussores Romæ datos, & Cesenæ atque Bertinorij arces à præfectis traditas intellexit, inscio Pontifice ei abeundi facultatem dedit: qui triremibus quæ à Magno mitti debebant minimè expectatis, clàm Neptunum pedibus contendit: vnde parua naui ad Mondraconis arcem, & inde terrestri itinere Neapolim peruenit, vbi à Consaluo hilari fronte & magno honore acceptus fuit. Neapoli dum crebrò arcana colloquia cum Magno Consaluo haberet, sibi Pisas eundi facultatem dari postulauit: quoniam si in ea vrbe sedem posuisset, regum suorum rebus magna inde commoda esse peruentura: quod dum Consaluus se probare fingit, & triremes quæ ipsum vehant offert, militumque quos secum ducere volebat, in regno conscribendorum potestatem facit, & quotidie de Pisanis atque Hetruriæ rebus cum eo colloquia habet, & Aluianus, ob Mediceorum in patriam restituendorum desiderium, se eodem tempore Florentinis bellum illaturum pollicetur, tandiu illum hac spe fouit, donec responsum ab regibus suis, cum eo quod ipse facere in animo habebat consentiens, accepit. Itaque cum iam triremes & milites, vt sequenti die soluerent, paratæ essent, Valentinus vesperi diu cum Consaluo loquutus, & ab illo cum magna amoris significatione dimissus, & in discessu amplexus fuisset, eadem simulatione qua Ferdinandus Aragonius senior, in Iacobum Piciniuum vsus dicebatur, quamprimùm cubiculo egressus est, eius iussu in arce retentus fuit; eademque hora, qui fidem ei antequam ostia discederet scripto datam auferrent, ad eius hospitium missi: Consaluus autem sic factum excusabat: sibi vt eum custodiæ traderet, à suis regibus imperatum; illorum præceptum suo priuilegio potiorem esse: quòd fides à ministro propria autoritate data, non pluris sit facienda, quàm domini voluntas: præterea necessarium fuisse eum sic retineri, qui tot sceleribus hactenus perpetratis minimè contentus, aliorum quietem in posterum turbare, res nouas moliri, offensiones & discordias serere, ac pernicioſa incendia in Italia excitare cogitaret: & paulo pòst naui longa impositum nullo suorum præter puerum vnum qui ei ministraret adhibito, captiuum in Hispaniam misit: vbi in Medinæ Campensis arcem custodiæ traditus fuit. Circa hæc ipsa tempora, inducíæ, terra marique, tam de Italiæ quàm de transalpinis rebus, inter Galliæ & Hispaniæ reges factæ sunt; quas ab Galliæ rege valde exoptatas, Hispaniæ reges, res partas hac ratione tutius pacatiusque quàm nouis bellis, quæ molestiarum sumptuumque plena, sæpe diuersum à spe concepta finem sortiuntur, confirmare satius esse rati, libenter concesserunt. Capita fuerunt, vt vnusquisque quæ possidebat retineret: eorum hominibus in omnibus vtriusque partis regnis ac Prouincijs liberum commercium, præterquam in regno neapolitano esset: qua exceptione Magnus Consaluus obliquè id assequutus est, quod ei directò prohibebatur; quoniam in locorum quibus Galli potiebantur finibus; erant autem hæc tantùm loca, in Calabria Russanum; in Hydruntino tractu, Orea; in Apuliæ Venusia, Conuersanum, & Castellummontis: præsidia, quæ illarum regionum milites vel incolas in Hispanorum locis commertia habere prohiberent, posuit: quæ res breui eos ad tantam angustiam redegit, vt cum Ludouicus Arsius, & reliqui eorum oppidorum milites ac reguli, homines ne tanta incommoda ferre cogerentur, sese Hispanis dedere statuisse animaduerterent, discesserint. Et nihilominus regnum neapolitanum, quamuis hostes vndique pulsi essent pacis fructibus minimè fruebatur; quoniam Hispani milites, quibus iam plusquam vnius anni stipendia debebantur, à Magno, vt se donec pecunias comparasset, alere possent, in varia loca in quibus populorum sumptibus, ijsque immoderatissimè ad arbitrium suum abutentes (quod hospitij genus milites arbitrarium siue immune appellarunt) distributi, non contenti, ruptis disciplinæ frænis, ingenti Magni dolore Capuam & Castellomarinum ingressi erant, vnde se antequam debita stipendia numerata essent, discessuros negabant, neque huic rei quòd in ingentem pecuniæ summam creuisset, nisi immenso regni iam diuturnis bellis exhausti, Hispanorum more

atque consumpti, incommodo prospici posset; propterea quòd haud minus grauis esset medicina quàm morbus, cuius cura quærebatur, misera erat hominum conditio; quæ quo magis noua, & præter superiorum temporum exempla, eo erant molestiora. Nam etsi post prisca illa tempora quibus militaris disciplina seuerè conseruabatur, milites semper insolentes & populis graues fuerant, tamen rebus nondum penitùs deprauatis, magna ex parte proprio ære victum sibi comparabant; neque eorum licentia, ad non ferendos terminos procedebat: sed Hispani primi omnium in Italia, prorsus ex populorum fortunis, stipendijs ab suis regibus propter inopiam nō solutis, tantæ licentiæ causſam necessitatemque præbentibus, viuere cæperunt: ex quo initio, quia mali imitatio semper exemplum superat, quemadmodum contrà, boni imitatio semper est inferior, aucta corruptela, postea ijdem Hispani nec minus Itali, siue stipendia numerentur, siue non, idem facere instituerunt: adeò vt summo cum huius ævi militiæ dedecore, amicorum fortunæ non magis quàm hostium, à militum scelere tutæ sint. Inducię inter Galliæ & Hispaniæ reges, cum pacis non multo pòst sequuturæ opinione factæ, & aliqua ex parte Valentini casus, Aemiliæ res prorsus sedarunt: nam cum primùm Imola, eius ciuitatis principum voluntate, nec sine Cardinalis Sanctigeorgij, quem ipse eius vrbis ipsius nepotibus restituendæ vana spe fouebat consensu, in Pontificis potestatem venisset: ijsdemque diebus cum Antonij Ordelaffij obitu, Ludouicus eius frater nothus Forumliuij ingressus esset, ea ciuitas in Venetorum quibus Ludouicus, quòd sibi ad tuendum vires non adesse perspiceret eam offerebat, manus peruenisset, sed temporum status illos ab ea accipienda ne Pontificis ira magis accenderetur, deterruit; qui cum neminem qui se opponeret haberet, Ludouico elapso ciuitate, & pariter quindecim aureorum numûm millibus solutis citadella potitus est, quam præfectus Valentino fidus nunquam tradere voluit, donec per proprios homines Neapolim missos de eius calamitate certior factus est. In hunc igitur modum bellis in omnibus alijs Italiæ partibus quiescentibus, tamen Florentinorum in Pisanos arma, eius æstatis initio de more, non quieuerunt: qui Ioannepaulo Ballione, & alijs Columnijs atque Sabellis ducibus, ad stipendia sua adscitis, viribusque consueto maioribus collectis, ad Pisanorum agros depopulandos miserunt; id autem eo maiore animo faciebant, quia ab Hispanis se impeditum iri non metuebant: non solùm quòd Pisani ab Hispaniæ regibus in inducijs quibus vtrique parti amicos & clientes nominare licuerat, non essent nominati; verùm etiam quia Magnus Consaluus, post victoriam aduersus Gallos partam, etsi antea magnam spem Pisanis feciſſet, humaniter se cum Florentinis gesserat, se fortè eos his artibus ab Galliæ regis amicitia seperaturum sperans; & quamuis postea hac spe frustratus esset, tamen quia eos ita prouocare nolebat, vt omnibus in rebus magis in Galliæ regis voluntatem præcipites ruerent, Prosperi Columnæ opera, puris tamen verbis, quodammodo tacitum fœdus cum eis contraxerat, vt si contingeret Galliæ regem denuò regnum neapolitanum inuadere, nulla re illum iuuarent: & ipse vicissim Pisanis, nisi Florentini exercitum cum tormentis ad eam vrbē expugnandam misissent, qua illos dum Galliæ regis amicitiam sequebantur non potiri cupiebat, nullum auxilium ferret. Florentinorum exercitus non modò ad eas Pisani agri partes, in quibus hactenus quoque fuerant depopulandas, verùm etiam, ad Sanrossorem, & Barbericinam, pòst in Serchij, & Dosoli valles, loca vrbi coniuncta: quæ cum exercitus minus erat firmus, sine periculo adiri non potuere, progressus est: quo facto, castris circa Librafactam, vbi paruum erat præsidium positis, paucorum dierum spatio eos qui intus erant ad liberam deditionem coëgerunt: neque dubium fuit quin Pisani eo anno, nisi à vicinis & præsertim Genuensibus atque Lucensibus adiuti fuissent, Florentinorum iugum subire coacti essent: quoniam Pandulfus Petrucius ad alios cohortandos promptissimus, & qui se sumptuum participem fore facillimè promittebat, ad facta tardissimus erat: quorum ære Rainerius Sassetanus, Magni Cansalui miles, & nonnulli alij duces venia ab illo accepta ducentos equites, mari Pisas duxerunt: & Genuenses legatum vnum cum mille peditibus miserunt: præter quæ auxilia, Bardella ex Portu Veneris, Tirhreni maris celeber pirata, quique à Pisanis

sanis stipendium & ducis nomẽ obtinebat magna naui quam Galeonem apellant,& alijs biremibus, assiduè commeatum Pisas importabat: quare Florentini, præter molestias quæ illis terra afferebantur, maris quoq; vsum adimere necessarium existimantes, tres Federici regis naues longas quæ in Prouincia erant,cõduxerunt:cum quibus quam primùm Dimas Ricarensius, illarum præfectus, Liburni appropinquauit, Bardella, quamuis aliquando ventorum oportunitate arrepta, aliquas naues commeatu plenas ad Arni ostium,vnde facilè Pisas ingrediebantur appelleret,longius recessit:Pisani verò interea magnas molestias à terrestri parte patiebantur: quia Florentinus exercitus, Librafacta capta,in plures eius agri partes distributus,agrorum in proximum annum tultum & commeatum ne Luca mariue importaretur, prohibere nitebatur: præterea sub æstatis finem,milij, atq; huiusmodi aliarum frugum quibus ea regio abundat,agros depopulati sunt. Neque tantis sumptibus fatigati Florentini, nihilq; quod exoptati fines assequendi spem faceret, fieri nõ posse existimantes,nouam Pisanis nocendi rationem excogitarunt: Arnum fluuium, qui Pisas interluit,à Fagiana turri, quæ ad quintum ab vrbe lapidem sita est, nouo alueo in stagnum, quod inter Pisas & Ligurnum est,ducere conantes; quo fiebat vt nihil ex mari per Arnum amnem Pisas vehi posset: & cum pluuiæ aquæ,in depressa regione exitũ quo in mare exonerarentur,haberent,vrbs quasi in paludis alicuius medio relinquebatur:neq; ob Arni traijciendi difficultatem Pisani deinceps excursionibus per colles, commertium inter Ligurnum & Florentiam impedire potuissent: præterea eam vrbis partem qua fluuius ingrediebatur egrediebaturque,ne hostium iniurijs pateret,Pisani munire fuissent compulsi. Hoc autem opus maxima spe inchoatum, & longè maiori sumptu aliquousque perductum vanum extitit:nam vt plerunque accidit, huiusmodi res quamuis mensuris ferè ad tactum demonstrentur,tamen experientia fallaces inueniuntur (quod certissimum nobis, quantum designatio ab ipso opere distet, exemplum præbet) nam præter alia complura,prius non animaduersa impedimenta,ex fluminis decursu manantia,& quia dum coarctare eũ voluissent, erodendo ipse suum sibi alueum deprimebat: stagniq; in quod fluere debebat, alueus, contra id quod multi architecti aquæq; ducendæ periti promiserant, Arni alueo altior inuentus est:& insuper fortuna, præter vehementẽ eius vrbis adipiscendæ expectationem,se Florentinis aduersam ostẽdente,cũ ipsi longas naues quas diximus Villafranca conductas, ad Pisanorum nauem quæ frumentum ferebat intercipiendam misissent,in reditu ventorum impetu agitatę prope Rapallem,vix duce cum nautis seruato,nafragiũ fecerant. Florentini ne quid intentatum relinquerent, armorum terroris asperitati,benignitatis & gratiæ lenitatẽ addiderunt: noua enim lege sanxerunt,vt quicunq; Pisanus siue ciuis siue colonus,intra certũ tempus se ad sua prędia,domiciliáue incolenda contulisset, omnium quæ hactenus perpetrasset veniam & bonorum suorum restitutionem consequeretur: cuius tamen legis gratia sincero animo Pisis egrediebantur: sed multi,hiq; ferè inutiles reliquorum consensu,simul & annonæ penuriã qua ciuitas premebatur,minuentes; & facultatem qua in posterũ, ijs fructibus,eos qui in vrbe manserant,quemadmodũ clàm faciebant,iuuare possent, adepti discedebant. His rebus Pisanorũ egestas,aliqua ex parte est imminuta,sed non tantùm quin summa paupertate,& annonæ caritate, in maximis angustijs versarentur; sed cùm nihil æquè ac Florentinorum nomẽ horrerent, quamuis interdum agricolarũ animi titubarent, tamẽ extrema omnia ante quàm se dederent,experiri statuerunt;ideò se Genuensibus,cum quibus toties de imperio & salute dimicarant,& à quibus olim ipsorũ potentia afflicta fuerat, dedere voluerunt. Id Lucenses & Pandulfus Petrucius, qui vt assiduos sumptus & molestias vitarent, Genuenses ad Pisas defendendas obstringere cupiebãt,quoq; facilius assentirentur,per triennium aliqua sumptuũ parte se eos leuaturos proponebant:cui rei etsi multi Genuæ repugnarent,& præsertim Ioannes Ludouicus Fliscus,tamẽ ciuitate approbante,apud Galliæ regem, sine cuius consensu ea de re statuere in illorum potestate non erat,vt id concederet, quampericulosum esset ne Pisani hac ferè vnica spe excluſi,Hispaniæ regibus se dederent, vnde maximo eius incommodo,& Genua in perpetuis molestijs periculisq; foret,& Hetruria penè vniuersa Hispaniæ partes sequi cogeretur,ostendentes egerunt;quæ rationes etsi ab initio regem ita mouerint,vt ferè illorum petitioni

cederet,tamẽ cũ poſtea in eius Senatu põderaretur,ſi Genuenſes,per ſe bellis & fœderibus cum alijs principibus ſeſe immiſcere,& imperio augendo ſtudere inciperent,futurum eſſe vt indies cogitationib.ad maiora elati,pòſt non multũ tẽpus ad abſolutã libertatem aſpirarent, Piſanũ dominatũ accipere eis diſertè prohibuit: ſed tamẽ grauiſſimis Florentinorũ querelis poſthabitis,vt in eis iuuãdis perſeuerarẽt,pmiſit.Hoc ipſo tẽpore de pace inter Gallię & Hiſpanię reges vehemẽter agebatur:hi verò fictè,vt regnũ Federico autCalabrię duci eius filio reſtitueretur,quib.Gallię rex iura ſua cõcederet,& duci vidua regina,eius regis neptis,quę iã Ferdinandi Aragonij iunioris vxor fuerat nuberet, proponebant.Nec dubiũ erat quin Galliæ rex à regni neapolitani rebus ita animo eſſet alienus, vt quod ad ipſum attinebat quaſuis pacis leges admiſſurus eſſet:ſed in propoſita conditione duæ illũ difficultates morabantur:vna leuior,quod principes,qui quòd eius factionẽ ſecuti eſſent, regnis ſuis ſpoliati erant,quib.duræ ac difficiles leges proponebãtur,ipſum deſerere pudebat:altera,qua magis mouebatur erat,quòd vereretur ne ſi Hiſpanię reges,aliud in animo habentes,cõſuetis artibus id in aliquem finẽ proponerent, etiã ſi conſenſiſſet res nõ perficeretur: & ſic tamẽ Archiducis,qui regnũ neapolitanũ filio cõparare cupiens, vt pax aliàs ab ſe cõfecta procederet inſtabat,animũ à ſe alienaret:idcirco generatim pacẽ ſe quidẽ optare, ſed ſua in id regnũ iura Aragoniæ gentis homini cedere,ſibi dedecori fore reſpondebat;interea, vetera negotia cum Romanorũ rege,& Archiduce tractabat; quæ vt exitũ habitura propemodũ certus fuit,ne ea incerto Hiſpanię regũ negotio impediret,honoris ſui gratia,ob neapolitanorũ principũ cauſſam ſe moueri oſtendẽs,Hiſpanis oratorib. ad ſe vocatis,in regia ſede,corã vniuerſa aula ſedens,ſolemnibus,quęq; raro adhibeãtur ceremonijs,eos reges verbis pacis, à qua animo eſſent alieniſſimi deſideriũ præ ſe ferre, queſtus eſt:eãq; ob cauſſam cũ vanis negotijs tẽpus terere rege indignũ eſſet,vt è Galliæ regno diſcederent,magis decere.Poſt horũ diſceſſum,Maximiliani & Archiducis oratores, vt agi cæpta perficerent venerunt, quib.cõſilijs quia maiores fines ſpectabant,Siſteronenſis epiſcopus Pontificis apud regẽ certus internuntius, & Finarienſis marchio à Ponifice, huius negotij cauſſa propriè miſſus intererãt:quod fœdus aliàs ſæpe agitatũ omnibusq; his principibus magna vtilitate demonſtrata,facilè in hunc modũ confectũ eſt:vt Claudię Galliæ regis filiæ,cũ Carolo Archiducis filio natu maximo, antea tractatũ matrimoniũ ad exitũ perduceretur; & ad maiorẽ eius rei fidẽ,Galliæ regis ſacramento,& ſubſcriptione; itemq; Frãciſci Angoliſmenſiũ domini; qui ſi regi mares filij nõ naſcerentur, tanquam ſanguine proximus ei erat ſucceſſurus; & multorũ præterea Galliæ regni procerũ ſubſcriptione confirmaretur:Maximilianus,iuſtis & honeſtis de cauſſis, omnib.Mediolanenſis imperij diplomatis ad eum vſq; diẽ cõceſſis, reſciſſis,Gallię regi pro ſe,& liberis maribus,ſi qui naſcerẽtur:ſin mares nõ ſuſciperet,matrimonij iã dicti gratia,Claudiæ & Carolo:quod ſi Carolus ante matrimonium perfectum decederet è vita,Claudię atq; vnà Archiducis nato;ſi quidẽ illæ ei nupſiſſet,Inſubrici imperij diploma cõcederet: inter Põtificẽ verò,Romanorũ,Gallię item regẽ,& Archiducẽ,fœdus ad cõmunẽ defenſionẽ & cõtra Venetos,vt ea quę ſingulis horũ illi occupabant recuperarentur,percuſſum intelligeretur:Cæſar in Italiã aduerſus Venetos tranſiret, deinde Romã ad Imperij accipiendam coronã pergere poſſet:Galliæ rex pro diplomate quamprimùm id cõſcriptũ & confectum eſſet, ſexaginta Rhenenſiũ aureorum numũm millia; & poſt ſex menſes totidẽ Cęſari perſolueret; & ſingulis annis,Domini noſtri natali ſacro die, bina aurea calcaria eidem daret: Hiſpaniæ regibus quatuor menſes in hoc fœdere locus relinqueretur; illud autẽ expreſſum non fuit: ſi forte illi fœderi non adiungerentur, vtrum Galliæ regi neapolitanum regnum inuadere liceret,nec ne: Galliæ rex, Comitem Palatinum qui ab illo incitatus & eius auxiliorum ſpe fretus, cum Romanorum rege graue bellum gerebat, non amplius iuuaret: Veneti, quamuis illorum oratores ſemper ab rege admodum humaniter audirentur, & Rotomagenſis, vt eos ſuſpitione liberaret, regem nunquam fœdus quod cum illis iciſſet violaturũ, ſemper efficaci oratione, & iureiurando promitteret,excluſi fuerunt. Hæc ſcriptis ſtipulatis continebantur: præter quæ actum fuit vt Cæſar & rex in locum aliquem de quo alio tempore decerneretur,conuenirent: promiſitque rex ſe Ludouicum Sfortiam è carcere exempturum: eiq; vt honeſtè in Galliæ regno viuere poſſet,

posset,prospecturum: cuius salutem non procurare Cæsarem, vt qui illum ob sua promissa, & spem frustra in se collocatam, eius euersionẽ acceleratam fuisse recordaretur, nonnihil pudebat: idcirco & cum Rotomagensis eum Tridenti conuenit, de angustia, in qua prius custodiebatur multùm remitti curauerat: & nunc vt liberè in regia aula, vel in ea Galliæ parte in qua rex maluisset versaretur, instabat: rex etiam in eius gratiam Insubriæ exulum in patriam restitutionem, quæ in Tridentino colloquio multum negotij fecerat, repromisit: Hoc fœdus Maximiliano & Archiduci adeò vtile, quia Pontifex eo comprehendebatur, & Galliæ regis non tam quòd tunc nouarum rerum cupidus esset, quàm quia Mediolanensis imperij diploma obtineret, & se ab Cæsaris & filij iniurijs securum reddere cupiebat, gratum erat, crebris Maximiliani mutationibus minimè obstantibus, progressum habiturũ credebatur. Iisdem ferè diebus, Federicus rex, omni regni neapolitani compositione recuperandi spe penitùs deiectus, obijt; quamuis antea, (vt hominum natura fert) desiderio deceptus, Hispaniæ reges, magis quàm Galliæ regẽ, ad id propensos esse persuasum habuisset; parũ considerans, tanti regni adeò magnificã restitutionem, cuius etiam priscis temporibus, quæ ad præclara & generosa virtutis facinora nostris longè magis propensa erant, tam rara extent exempla, nostro hoc æuo sperare vanum esse: & eos qui tot insidijs mediam partẽ occupassent, cum toto potirentur eo priuari velle, ab omni verisimili ratione prorsus abhorrere; sed deniq; ex rerũ vsu, nõ minorem in vno quàm in altero difficultatem positam, imò minus sperandum esse vt qui possidebat restitueret, quàm vt qui non possidebat assentiretur, animaduerterat. In eiusdem anni fine obijt Elisabeta Hispaniæ regina, honestissimis morib. fœmina, quæq; magnum in suis regnis magnanimitatis & prudentiæ nomen obtinebat, ad quam iure spectabat Castellæ regnum, longè maxima & potentissima Hispaniæ pars, cuius illa ob Henrici fratris sui mortem hæres fuerat, sed non sine sanguine & bello: nam etsi diu, Henricum natura ad procreandos liberos ineptum esse, ideoque Beltramigiam, ex eius vxore natam, & ab illo multos annos pro filia educatam eius filiam esse non posse, opinio fuisset; & hanc ob caussam Elisabeta Henrico adhuc viuente Castellæ princeps, qui titulus proximo hæredi dari solet, salutaretur; nihilominus multis Castellæ principibus, in regis morte Beltramigiæ fauentibus, & Lusitaniæ rege, ei coniuncto armis illam iuuante, partibus tandem ad pugnam perductis, Elisabetæ caussa, prælij euentu potior est declarata, Ferdinando Aragonio eius viro exercitum ducente, qui & ipse ex castellæ regum stirpe natus, & Elisabetę tertio consanguinitatis gradu iunctus erat: quique cùm postea Ioanni patri suo defuncto, in Aragoniæ regno successisset, se Hispaniæ regem, illa reginam appellabant: nam cum Aragoniæ regno, Valentiæ quoq; regnum, & Cathaloniæ comitatus coniunctus esset, vniuersa Hispaniæ prouincia, quæ Pireneis montibus Oceano, & Mediterraneo mari continetur, cuius apellatione, quòd in ea olim multi Mauri reges regnarint, quemadmodum singuli illorum suum sibi nomen tribuebant, multorum regnorum nomina comprehenduntur: Granatę tamen regno, quod tunc Mauri obtinebãt, quibus postea ab illis magna cum gloria pulsis, sub Castellæ imperium redactum est, & paruo Lusitaniæ regno, & quod longe minus est Nauarræ, quæ regna proprios habebant reges exceptis, illorum imperio parebat. Sed Aragoniæ regnum, cum Sicilia, Sardinia & alijs insulis ad id spectantibus, quia Ferdinandi propriũ erat, illi soli, reginæ nomine autoritatéue nõ immixta, parebat: secus autem in Castellæ regno: nam cum id regnum, Elisabetæ hæreditarium & Ferdinandi dotale esset, communi vtriusq; nomine, signis, & factis administrabatur; nec quicquam gerebatur, quod non vtroq; deliberatum, constitutum, & subscriptum esset: Hispanię regni nomen commune erat; communi nomine legationes expediebantur; in commune exercitus comparabantur; bella communibus auspicijs gerebantur; & neuter altero maiorem sibi autoritatẽ, administrationémue in eo regno vindicabat. At Elisabeta absq; masscula prole mortua, eius regni legibus, quæ maiore ꝓpinquitatis quàm sexus habita ratione, fœminas nõ excludunt, Castellæ successio, ad Ioannam communem Ferdinandi & Elisabetę filiam, Archiducis coniugem pertinebat: quoniam & maxima natu filia, quæ Emanueli Lusitaniæ regi nupserat, paruus infans ex ea natus multò ante ex hac vita migrauerant: quare Ferdinando cum regni administratio non amplius ad eum spectaret, in paruum

Aragoniæ regnum redeundum erat: paruum inquam, si cum Castellæ regno cõparatur, tum ob regionis & vectigalium paruitatẽ, tum quia Aragoniç reges, non in omnibus rebus liberam & regiam habent autoritatem, sed in multis eius prouinciæ legib. moribus, quæ regiam potestatẽ valde coarctant, subijciuntur. Sed Elisabeta iam morti propinqua Ferdinando quamdiu viueret Castellani regni administrationẽ testamẽto reliquit: siue quòd semper cũ eo coniunctissimè vixisset, eum in pristina dignitatis magnitudine conseruari cuperet; siue quòd vt aiebat, Ferdinandi prudentia diutius gubernari, populis suis vtilius fore censeret: nec minus genero & filiæ, qui Ferdinando nihilominus successuri essent, cõmodum fore, vt omnia regna tandiu donec Philippus in Flandria vbi res secus administrantur natus & educatus, ad maturiorem ætatem, maioremq; Hispaniæ legum, & morum cognitionem peruenisset, ipsis pacata & bene constituta administratione custodirentur: atq; interea Castellæ & Aragoniæ regna velut vnum corpus regerentur: reginæ mors nouos motus in Hispania peperit, sed Italiæ rebus, vt infra dicetur, nouę pacis tranquilliorẽ propensionem attulit. Annus M. D. V. eandem tranquilitatẽ, quæ anno superiore fuerat habuit, sic vt nisi casus propter Florentinos & Pisanos orti, eam nonnihil turbassent, cum principũ vna pars pacem expeteret; illi verò qui magis ad bellum propensi erant varijs de caussis impedirentur, hoc anno prorsus ab armorũ motibus cessatũ esset: quoniã Hispaniæ regi (hanc enim appellationem retinere perseverabat) cogitationibus quæ ex reginæ morte successerant occupato, satis erat si induciarũ vi regnũ neapolitanum retineret: & Galliæ rex, quia Cæsar, in hoc vt in alijs rebus naturam suam secutus, pacem nunquã cõfirmarat, animo valde dubius erat: & Pontifex nouarum rerũ cupidus, nisi magnorũ principũ armis adiutus, motum facere, nec audebat nec poterat: & Veneti non parum sibi assecuti videbantur, si in tantis contra ipsos rebus agitatis, & in tanto Pontificis odio, ab alijs non vexarentur: ad cuius animũ placandum, ante aliquot menses Ariminũ ei, & omnia quæcunq; post Alexandri Pontificis obitũ in Aemilia occupassent, modò Fauentia cũ suo agro ipsos potiri pateretur obtulerãt; id aũt tum Galliæ regis metu, tũ quia Cæsar, Iulij postulata per legatũ Venetias missum, vt Põtificij imperij ciuitates restituerent, hortatus erat: sed cũ Pontifex pro animi sui constantia, liberaq; mentis suæ aperiendæ natura, se vt vel minimã quidẽ turrim retinerent passũrum non esse, quin etiã de Rauenna & Ceruia, quas vrbes nõ minus iniustè quàm Fauentiam possidebant, ante obitũ suum recuperandis spẽ habere, respondisset, nihil amplius actum fuerat: sed huius anni initio timore aucto Vrbinatium ducem cõmunem amicũ, omnia quæ occupassent ad Fauentiæ, vel Arimini ditionem nõ spectantia, dum modò Pontifex, qui nunquam ipsorũ oratores ad obedientiã præstandam admittere voluerat, eos nunc admitteret, obtulerunt: cui petitioni Pontifex, quãuis quòd à dignitate sua, & tot querelis atq; minis ab se factis aliena videretur, nõnihil difficilem se præberet, tamẽ Imolensiũ, Foroliuiensiũ, & Cesenatiũ, qui maxima agrorũ suorum parte spoliati magna incõmoda patiebantur, molestijs, cum aliud propinquũ remediũ nullũ cerneret, postquam Cæsaris & Galliæ regis res tam tardè procedebant, tandẽ ei rei in qua re ipsa lucrum absq; iactura erat, cũ nec verbo nec scripto vlli se rei obligaret, assensus est. oppidis itaq; prius restitutis, octo legati, ex præcipuis senatoribus, iam ab initio eius Pontificatus destinati, qui numerus maior erat, quàm ea resp. ad vllũ vnquam Põtificẽ qui Venetus non esset, misissent, profecti sunt: qui obedientia cõsueto ritu præstita, nullũ tamẽ, aut maioris facilitatis, aut mitioris in Pontifice animi signũ Venetias retulerunt. Hac tẽpestate Galliæ rex, fœderis perficiendi cupidus, Rotomagensem, Agnoã inferioris Germaniæ ciuitatẽ, in qua recenter Palatino comiti adempta, à Cæsare & Archiduce expectabatur, misit: cuius aduentu fœdus promulgatũ & sollenni sacramento sancitũ est; & Cardinalis pecuniæ promissæ dimidiũ dedit; alterã partẽ, quamprimùm Cæsar exercitũ in Italiã traduxisset accipere debebat; nihilominus & tunc se eo animo propter occupationes quas in Germania habebat transire nõ posse innuebat, & paulo post declarauit. Hac igitur de caussa, quia Galliæ rex nihil noui absq; Romanorũ rege moliri in animo habebat, eo magis belli suspiciones desinebant: solummodo ferè perpetuo inter Florẽtinos & Pisanos bellũ in Italia reliquũ exardescebat: quod dum lentè, nec certa aliqua expeditione definitũ, sed ex occasionibus, quæ modo huic, modò illi parti ostendebantur,

1505.

tur,geritur,accidit vt Lucas Sabellus & nonnulli alij duces ac præfecti Florentinorum, cum 400. equitib. & multis peditibus,Caſcina in quo oppido Florentini belli ſedē collocarant,vt cōmeatum Librafactam ducerent,& quædam Piſanorū armenta,quæ trans Serchiū amnem in Lucenſi agro erant,diriperent,idq; nō tam prædæ cupiditate,quàm Piſanos ad pugnā eliciendi ſtudio,ſe quòd in campo illis fortiores eſſent,eos debellaturos ſperantes,egrederētur:cūq; cōmeatu Librafactā importato,& præda vt erat cōſtitutū ab acta, vt Piſanis ad ſe adoriendos ſpacium præberent,eadē via lentè reuerterentur, Tarlatinus Piſanorū militū prętectus,ſtatim huius rei nuntio accepto ſecū nō pluribus q̄ 15.grauis armaturæ,40. expeditis equitibus,& 60. militibus, quod opus eſſet celeritate ſumptis relquisq; ſequi iuſſis Piſis egreſſus eſt:cūq; aliquot Florentinorū equites, ad Iacobi fanū vſq; prope Piſas progreſſus cōperiſſet,eis obuiā proceſſit;quuib.vt ſe reliquis copijs,quæ ad Capelleſiū pontē,ſupra Oſolium fluuiū,ad tertiū ab Piſis lapidē,conſtiterant,ibiq; pecora, & mulos quib.cōmeatū intulerant,expectarent,retrocedētibus,cūq; omnes trans pontē eſſent quē primi pedites occuparāt,& aggeres atq; foſſas munierāt, Tarlatin⁹ eos ad pontē vſq; perſequutus;nec ante omnes hoſtiū copias eo in loco caſtra poſuiſſe animaduertit,quā eò progreſſus eſſet,vt ſine manifeſto periculo recedere non poſſet:quocirca pontē oppugnare ſtatuit: ſuisq; id ad quod neceſſitate coacti eſſent,nō absq; victoriæ ſpe eſſe oſtendit,quòd in loco anguſto,vbi pauci pugnare poterāt hoſtiū maior numerus nihil obeſſe:adeo vt etſi pontem tranſire nō poſſent,tamē facilè tandiu hoſtiū impetū ſuſtinerēt, vt Piſanus populus ad cuius aduentū accelerandū miſerat,auxilij ferendi tēpus haberet:ſi verò pontē tranſirent,victoriā facillimā fore:cum enim via trans fluuiū inter pontē & montē anguſta ſit, hoſtiū multitudinē,iumentis & raptis pecoribus implicatā, loco & ad pugnā & ad fugā impedito,facilè ſe ipſam perturbaturā:exitus verba cōprobauit:ipſe primus equo acriter ſtimulato,pontē inuaſit;ſed ipſo recedere coacto alius idē fecit, quē tertius ſequutus eſt, cui cū equus vulneratus eſſet,dux ingenti impetu ad illū iuuandū reuerſus,armorū vi,& equi ferocitate pontē eius cuſtodibus cedentib.tranſiuit: idem & quatuor alij eius equites fecerūt;quib.omnib.cū hoſtiū peditatu,trans pontē in anguſto prato pugnantibus,aliquot Piſani pedites aqua ad humeros vſq; pertingente,equitib. pontē iā derelictū, absq; impedimento tranſeuntibus, fluuiū traiecerūt; & reliquis copijs quæ diſſipatæ & nullo ordine Piſis veniebāt,iam appropinquantibus, Florentini milites in anguſtū locum redacti,ordinib.perturbatis maximoq; pauore & maiore cataphracti quā pedites,cum cōſternati,nec ducē alicuius autoritatis,qui eos vel ſiſteret,vel in ordinē redigeret,haberēt, qui virib.longè præſtabāt, atq; inſtructa acie incedebant, victoria ijs relicta,qui paruo admodū numero diſſipati, potius vt ſe oſtentarent,quā vt pugnarēt venerant,multis centurionib. & claris viris cęſis,captis,& vulneratis relictis,in manifeſtā fugam coniecti ſunt:& qui aufugerunt maxima ex parte in fuga ab Lucenſis agri colonis ſpoliati fuerunt.Hac clade Florentinorum res in Piſano agro valde perturbatę fuerūt: cum enim pauci equites Caſcinæ remanſiſſent,per multos dies,quin Piſani victoria elati,totā regionē percurrerēt & prædarentur prohibere nō potuerunt:& quod maioris fuit momēti, Pandulfus petrucius Florētinos quo minus ea ęſtate Piſanorū qui cōſuetis difficultatib.preſſi à Genuenſib.ac Lucenſib. quamuis parcè,iuuabantur (Senenſes enim potius cōſilia, quàm pecunias aut cōmeatū dabant)agros depopularētur,impediri poſſe,ex hoc caſu ſpe cōcepta, curauit vt Ioannespaulus Ballio,in quo Florentini, quia eius Peruſiā reditus præcipui autores fuerāt, plurimū ſpei collocabant,præfecturæ ſuæ tēpore nondū exacto,ſe ſe ab eorū ſtipendijs remoueret;eo prętextu, q̄ cum M.Antonius & Mutius Columnij,& Lucas atq; Iacobus Sabelli,qui omnes ſimul cōiuncti,maiores quàm ipſe copias habebant,ijsdē ſtipendijs militarent,ſe propter factionū diuerſitatē, ſine periculo ibi nō eſſe; atq; vt eis minus tēporis quo rebus ſuis cōſulerēt relinqueretur, prius quàm ſentētiā ſuā penitùs aperiret, quantū potuit diſtulit: quoq; maiorē res fidem inueniret,Florentinis ſe arma aduerſus illos non ſumpturum promiſit:qua de re,vt minus illi dubitarent,Malateſtam filium ſuū teneræ admodū ætatis, cum quindecim grauis armaturæ equitibus tanquam obſidē in eorum ſtipendijs reliquit; ipſe ne prorſus ſtipendio careret cum ſeptuaginta grauis armaturæ equitibus à Senenſibus ſtipendium accepit: & quoniam illi tantis ſumptibus

impares erant,Lucenſes huius conſilij participes, Troilum Sabellum,qui antea Senenſibus militabat,cum totidem equitibus ad ſua ſtipendia adſciuerunt. Florentini eo anno propter repentinum Ioannispauli diſceſſum, & cladem ad Capellenſium pontem acceptam cum paruis copijs relicti, Piſanum agrum minimè vaſtarunt, quin potius ad maiora pericula remedia comparanda cogitare cogebantur; nam cum in Pandulfo & Ioannepaulo antiqua cupiditas excitata eſſet,cum Mediceo Cardinale de Florentinorum ſtatu turbando occulta conſilia agitabant: præcipuum ſpei fundamentum,in Barptolomæo Aluiano,qui ſe ab Magno Conſaluo alienatum præ ſe ferens,in Latium profectus,plurimos milites varia ſpe atque promiſſis ad ſe pertrahebat,collocantes: quorum conſiliorum Aſcanius quoque Cardinalis conſcius eſſe putabatur;vt videlicet rebus in Hetruria feliciter ſuccedentibus,Florentinorum & aliorum qui eum motum probarent coniunctis viribus, Inſubriam inuaderent,rati eam, ſi quis impetus fieret, quòd pauci Galli equites adeſſent,multi nobiles exularent,populi in Sfortianum nomen propenſi eſſent:& Galliæ rex graui morbo correptus ita ad extremum redactus fuerat,vt per multas horas de eius ſalute deſperaretur; qui quamuis poſtea nonnihil ab extremo mortis limine receſſiſſet,tamen ita affectus videbatur,vt parua eius vitæ ſpes eſſet,facilè mutationem facturam:qui verò diligentius res ponderabãt, Aſcanium qui hoc tempore Romæ ab Veneto oratore frequentaretur,non modò cum Magno Conſaluo,verùm etiam cum Venetis,qui tunc,quia Gallię rex nouis ſuſpitionibus conceptis Romanorum regi, & filio minimè fidebat, & Archiducis potentia quanta eſſet futura poſt Hiſpaniæ reginę mortem,animaduerſa,apertè ab illis alienatus,Gheldrenſium duci acerrimo Archiducis hoſti, contra illum auxilia ſuppeditabat: atq; ſuis conſilijs cum Hiſpaniæ rege ſeorſim coniungendis,cogitabat:ad Gallos laceſſendos promptiores quàm antea,& maiore animo fuiſſent,occulta conſilia habere ſuſpicabantur,ſed quàm ſunt fallacia conſilia & fluxæ hominum ſpes:dum hæc aguntur, Galliæ rex cuius ſalus ferè erat deſperata,indies conualeſcebat;& Aſcanius repentè Romæ peſtilentia interijt;cuius morte Inſubrię pericũlo ſũblato, non tamen Florentinorum vexandorum conſilia prorſus impedita ſunt; cuius rei gratia Pandulfus Petrucius,Ioannespaulus Ballio,& Barptolomæus Aluianus, non quo ſe amplius Mediceos Florentiam reducere poſſe ſperarent, ſed vt Aluianus Piſanorũ voluntate Piſas ingreſſus,pro eius vrbis ſecuritate,Florentinorum finibus eſſet infeſtus:& prout ſibi occaſiones darentur,vlterius progrederetur:quib.rebus pateſcere incipientibus, Florentini de Magni Conſalui voluntate,tum quia Aluianum Hiſpaniæ regis ſtipendia ad proximum Nouembrem vſq; facturum ſciebant: tum quia Pandulfus Petruccius,qui pecunia quam Galliæ regi promiſerat nunquam ſoluta,eoq; ſæpe varijs artibus deluſo, ab Hiſpaniæ rege penitùs pendebat,abſq; cuius cõſenſu res nouas aggreſſurus nõ credebatur,dubitabant:auxit etiam Florentinorum ſuſpicionem, quòd quia Plumbini regulus, qui in Hiſpaniæ regis fide erat, ſibi ab Genuenſibus metuebat, Conſaluus ad eius ſecuritatem mille Hiſpanos pedites,Nunio Campenſi duce Plumbinum, & in eum maris ſinum, tres onerarias, duas longas naues,& aliquot alia nauigia miſerat:quæ copię Florentinis tam propinquæ,ne Aluiano,quemadmodum ille ſibi promiſſum fuiſſe aiebat,coniungerentur, metuendi cauſſam præbebant.Res autem ita ſe habebat, quòd quum Hiſpaniæ rex,poſt inducias cum Galliæ rege factas, vt ſumptus minueret, vnà cum aliorum ſtipendiorum diminutione, Aluiani quoq; ſtipendium ad centum cataphractos redigi imperaſſet, ipſe indignatus, non modò nouo ſacramento obligari recuſabat, ſed etiam quia debita ſtipendia non ſoluebantur,& quia Magnus Conſaluus duo peditum millia quæ ſe ei poſt regni neapolitani victoriam,quibus pro Mediceis aduerſus Florentinos vteretur, daturũ promiſerat, denegabat,priori ſe ſolutum ſacramento aſſerebat: erat autem Aluiani ingenium natura rerum nouarum cupidum,& quietis impatiens. Florentini vt hunc impetum propulſarent,ab Galliæ rege qui ex fœdere ipſos quadringentis cataphractis iuuare debebat, vt ducentos in auxilium mitteret petierunt,qui magis pecuniæ cupiditate, quàm veterum fœderatorum precibus aut miſericordia motus,ſe nullum illis auxilium ante quàm triginta aureorum numũm millia quæ ex fœdere illi debebant numeraſſent, daturum reſpondit:& quamuis Florentini, quòd ſe infinitis ſumptibus ad defenſionem ſuam neceſſarijs premi dicerent,

cerent, vt nonnihil differret ſupplices rogarent, ille tamẽ pertinaciter in eadẽ ſententia permanſit: adeò vt plus adiumenti illorũ ſaluti attulerit qui ſuſpectus erat, quàm cui fidebant, & beneficijs affectus erat: Magnus etenim Cõſaluus, ſiue ne pacis cõſilia denuò inter duos reges agitari cæpta impedirentur: ſiue quòd iam Reginæ mortuæ & futuræ inter ſocerum atq; generum diſſenſionis occaſione aliquid de regno neapolitano ſibi vendicando cogitaret, Italiæ tranquillitatis cupidus, nõ modò vt Aluianũ qui mandato à Põtifice vt vel copias dimitteret, vel Pontificij imperij terris excederet accepto, Pitilianum venerat, ſibi denuò adiungeret, omnẽ operam dabat, verùm etiam illi velut regis ſui beneficiario eiusq; militi, vt in omnibus quæ in regno habebat ex quibus ſeptua ginta auri põdo quotannis percipiebat, priuari vellet, vlterius ne progrederetur edixit: ſimulq; Piſanis nõ multò antè ab ſe in regis ſui fidẽ clàm acceptis, nec nõ Plumbini regulo, ne eum admitterẽt ſignificarat, Florentinis verò vt peditibus ſuis qui Plumbini erant, quos Marco Antonio Columnæ qui ipſorũ milites ducebat parere volebat ad defenſionẽ ſuam ſi vellent vterentur, permiſit: petijt quoq; à Pãdulfo Petrucio vt Aluianũ nõ foueret: & Ludouico, Pitiliani comitis filio, Franciſco item Vrſino, Ioanniq; Ceriti, ſuis militibus, ne illũ ſequerentur edixit: & nihilominus Aluianus, cum quo erant Ioannesludouicus Vitellius, & Ioannesconradus Vrſinus, trecenti grauis armaturæ equites, & quingenti voluntarij pedites, cõmeatu à Senenſibus accepto, per Senenſium maritimam oram, in Scarlini, quod oppidum in Plumbinati agro, parui diei itinere ab Florentinorũ finibus diſtat, planitiem, paulatim peruenerat, cum nuntius à Magno, cum nouis mandatis, ne Piſas cõtenderet, neu Florentinos læderet miſſus cum offendit; cui cum ſe quando Magnus promiſſis non ſtetiſſet, ſui iuris eſſe reſpondiſſet, ad Campiliã Florentinorum oppidũ caſtra promouit: vbi leue inter ipſum & Florentinorũ copias, quæ Bibbonæ colligebãtur, certamen cõmiſſum eſt: deinde ad Corniam, in Florentinorũ & Sugereñ finibus, ſpe atq; cõſilijs admodũ incertis, maioribus ſemper difficultatibus occurrentibus, venit; quia neq; Plumbino amplius cõmeatũ accipiebat, neq; Ioannespaulus Ballio & Vitellij, quorũ cõſilia plerũq; ex rerum euentu pendebãt, pedites, quẽadmodũ promiſerant, mittebant: Pandulfũ Petruciũ, à reb. ſuis vt antea faciebat adiuuandis abſtinere videbat; nec ſe à Piſanis admittẽdũ eſſe, ne Magno minus obtẽperaſſe videretur, ſatis certus erat: quas ob cauſſas, & quia ſemper de ſe denuò cõducendo inter ipſum & Hiſpaniæ regẽ, & quidẽ maiore ſpe quã antea (neq; enim ſe centũ cataphractis cõtentũ fore iã negabat) agebatur, ſe reſponſum poſtremũ Neapoli expectare præ ſe ferens Vineale Plũbini reguli oppidũ cõceſſit. Interea verò Piſanorũ, de ſe in vrbẽ admittendo, accepto cõſenſu, Vineale, vbi decem dies cõfederat profectus, mane 17. Auguſti die, ad Caldanas, mille paſſus infra Campiliã, eo animo vt cũ Florẽtino exercitu, qui pridie eius diei in eum locũ venerat, prælio decertaret, acie inſtructa ſe oſtendit: ſed Florentini eius motu ab exploratorib. qui ex Aluiani caſtris venerãt, cognito, eadẽ nocte, ad Campiliæ mœnia ſe receperant; vbi cum ſe Aluianus abſq; magno incõmodo pugnare non poſſe animaduerteret, via quæ à Vincentij turri nomẽ habet, quæ quinq; milliarib. Cãpilia diſtat, Piſas verſus contendit. At Florentinorũ copiæ, quibus Hercules Bentiuolus præerat, qui vt erat regionis peritiſſimus, propter loci opportunitatẽ, aliud nihil quã eo in loco præliũ cõmittere cupiebat, via quæ Campilia ad eandẽ Vincentij turrim ducit, expeditis equitib. in duas partes diſtributis, quarũ vna, nouiſſimũ eius agmen perpetuò laceſſens Aluiani exercitũ ſequebatur: altera eodẽ itinere quo reliquus Florẽtinus exercitus ſequebatur, vt hoſtib. obuiã iret præcedebat, eò cõtenderunt; & hi cum ad turrim ante Aluiani copias perueniſſent, cum primis cõgreſſi ab ijsq; facilè repulſi, paulatim ad exercitũ, qui iã nõ longius quingentis paſſib. inde aberat, retrocedentes, maximã hoſtiũ partẽ turrim iam præterijſſe retulerunt: quare Hercules lentè incedens, ad nouiſſimũ illorũ agmẽ, in Vicentinis ruinis, vbi illorũ cataphracti & pedites globũ fecerãt peruenit: vtq; in tranſitus planitie fuit, cum dimidia copiarũ parte in eorũ latus validã impreſſionem fecit, vbi cum aliquãdiu ſtrenuè pugnaſſet, Aluiani acies cæpit inclinare: ac mox eius peditatus ita fuſus, atq; ad mare vſq; pulſus fuit, vt poſt nullo modo pugnã redintegrare auſus ſit: ſed equitatus qui ad arcus iactũ, vltra Vicentij foſſam Bibbonã verſus retroceſſerat cum ſe acie redintegrata cõglobaſſet, Florentinorũ exercitũ magno impetu

adortus est,ferociterq; ad fossam vsq; repulit: tunc Hercules reliquis copijs productis, & toto exercitus robore vtrinq; huc collecto, diu ancipiti atrociq; marte pugnatum est; Aluiano, qui dum non minus militis quàm ducis munere fungitur equestri grauiq; gladio duo vulnera in facie acceperat, hostes ex eo loco deturbare conante; quod si successisset victoria potitus esset:Hercules autem,qui ante multos dies,si prælium eo in loco committeretur, se industria, & sine periculo victoria potiturum prædixerat, in fossa quæ circa turrim erat margina, sex minora tormenta,falconetos vocant,quæ secum vehebat collocari iussit: quibus in hostes iam displodi cæptis,cum eos iam tormentorum impetu dissipari atque perturbari cerneret, huic occasioni ex qua sibi semper victoriam promiserat intentus,totius exercitus viribus,id est expeditis equitibus ad maritima ora, cataphractis regia via,& peditatu ab superiore latere per siluam, magno se in eos impetu intulit:quo illos facilè fudit fugauitq; :Aluiano cum pauciſſimis equitibus ad cursum expeditis vix euadente:cum quibus Monterotundum in Senensi agro confugit:reliquę eius copiæ ferè omnes à Vincentij turri ad Cecinnæ fluuium signis omnibus amissis & valdè paucis equitibus saluis captæ & spoliatæ fuerunt. Hunc exitum habuit Barptolomæi Aluiani motus diuturnis deliberationibus,verborum iactantia,& ferocitate minarum in hominum oculis,quàm viribus aut expeditionis stabili firmamento,maior.Hac victoria elati Hercules Bentiuolus,& Antonius Iacominus Florentinorum legatus,vehementibus literis & crebris nuntijs,Florentinos hortati sunt,vt victor exercitus,rebus antea ad expugnationem necessarijs, quàmmaxima celeritate fieri posset comparatis, ad Pisana mœnia admoueretur: se sperare eam vrbem,quòd ad multas angustias redacta esset, & Aluiani aduentus spes sublata,&,vt omnia victoriæ existimationi cedere videntur,haud difficulter obtineri posse:quam spem vehementer fouebant nonnulla cum aliquibus Pisis occulta consilia. Sed Florentiæ Decemuiris qui bellicis rebus præsunt, illorum ciuium, cum quibus de rebus grauibus deliberare consuerant,ea de re sententiam rogantibus, ab omnibus vno ore hæc sententia reiecta fuit: existimabant enim in Pisanis eandem pertinaciam esse:cumq; tot annos bellis experti essent,victoriæ aduersus alios partæ quàm illorum vires nulla ex parte essent imminutæ, nomen existimationemque ad illos superandos minimè sufficere; sed nunc quoq; vt aliàs semper viribus, quas solas militares viri metuunt,vincendos;idq; plurimis difficultatibus plenum videri:cum enim Pisarum vrbs firmissimis mœnibus, si qua alia Italiæ vrbs septa sit, nouisq; operibus probè munita, fortibus item atq; obstinatis viris defensa, eam expugnari nisi magnis copijs & militibus, qui virtute & fortitudine illis minimè cedant,posse,sperandum nõ esse; ac ne sic quidẽ,impressione aut breui oppugnatione capi posse, sed multos dies quo tutius accedatur, oppugnando,& occasiones arripiendo, potius eos defatigare, quàm impetu cogere necessarium fore: his autem rebus anni tempus obstare: neq; enim tam repentè aliud, quàm tumultuarium & collectum peditatum cogi posse; neque propter cœli maritimis ventis,qui stagnis & paludibus exhalantibus pestiferi fiunt,inclementiã,exercitibus, vt Paulo Vitellio obsidenti accidit,pernitiosam; tum quia Pisanus ager, mense Septembri iam pluuijs obnoxius esse incipit: quibus ob situs humilitatem,inundatur, eo tempore citra perniciem obsideri posse:neq; in tanta omnium pertinacia, priuatorum occultis consilijs coniurationibúsue nitendum; aut enim res fictas insidiosasq; futuras, aut ab eiusmodi hominibus tractari, qui quod promisissent, perficere non possint:huc accedere, quòd etsi Magno Consaluo fides publica data non esset, tamen Prosperum Columnam, quamuis velut suo iure,quasi tacito ipsorum consensu, hoc anno cum tormentis ipsos Pisarum mœnia non accessuros ei spem dedisse; quare id certò credẽdum, illum cùm hac re indignatum,tum propter ea quæ sæpius Pisanis promiserat, tum quia hic Florentinorum successus rebus suis parum conduceret, eam rem impediturum: ad id verò facultatem ei non deesse, qui paucarum horarum spacio eos pedites Hispanos qui Plumbini essent,quemadmodum se, si eius vrbis expugnatio tentaretur,facturum sæpè asseruerat,Pisas mittere posset:præstare victoriæ occasione eo loco vti,vbi etsi fructus minor esset,facilitate tamen,nec sine insigni emolumẽto, superaret: neminem magis ipsorum consilijs vnquam obstitisse atq; etiam num obstare, neminem magis Pisarum recuperationem impediuisse; neminem deniq; magis

quàm

quàm Pandulfus Petrucius præsentis ſtatus mutationem procuraſſe: illum Valentinum vt armatus Florentini imperij fines ingrederetur hortatum eſſe: illum Vitellotij irruptionis & Aretinę defectionis præcipuũ autorẽ ducemq; fuiſſe; eius cõſilio Genuenſes atq; Lucenſes cum Senenſibus ad Piſanorũ defenſionem cõſpiraſſe: ab eodẽ Conſaluũ vt Plumbini patrocinium ſuſciperet & Piſanis ſe atq; Hetruriæ rebus immiſceret impulſum fuiſſe: quem verò alium huius Aluiani motus, autorẽ, impulſorẽ, adiutorẽq; fuiſſe? itaq; exercitum in eum conuertendũ: Senenſem agrum vbi nullum inueniretur impedimentum, totũ percurrendũ, atq; diripiendũ; horum exiſtimatione armorũ aliquem motum in ciuitate, in qua multos inimicos haberet, aduerſus illum exoriri poſſe; ſaltem alicuius vtilis caſtelli, quẽ pro Montepolitiano, permutationis aut pignoris loco tenerẽt, in eo tractu occupandi occaſionẽ non defuturam; & quod beneficijs nõ erant aſſecuti, vt videlicet eum in poſterũ ad ſe laceſſendos cautiorem redirent, id hac ratione effici poſſe ſperandũ eſſe. eodẽq; poſtea modò, Lucenſiũ, quibus tot res condonare pernicioſum fuiſſet, agros percurrendos; ſic ex parta victoria honorẽ & fructum ſperari poſſe; ex Piſana verò oppugnatione, ſeſe oſtendere aliud nihil, quàm ſumptũ cum ignominia cõiunctũ. Hæ rationes omniũ conſenſu allatæ, populi, qui ſæpe magis voluntatẽ quàm rationẽ ducẽ ſequitur, illa quoq; inueterata opinione occœcati nimirum multis ciuitatis principibus ambitioſa ſpectantibus, Piſas recuperari nõ placere, ardorẽ quo minus decerneret, vt exercitus eò duceretur, nõ reſtrinxerunt: qua in ſententia Petrus Soderinus vexillifer nõ minus ceteris omnib. vehemens, populi comitijs ad quæ huiuſmodi deliberationes referri nõ ſolebant, cõuocatis, iuberent nè exercitũ Piſas duci, interrogauit; vbi cum penè omniũ ſuffragia duci iuſſiſſent, temeritate prudentiã ſuperante, melioris partis autoritatẽ, maioris voluntati cedere neceſſe fuit: itaq; cũ nõ minus Magni auxilia, quã imbriũ pericula anteuertere cuperẽt, incredibili celeritate reb. neceſſarijs cõparãdis incubuerũt: quapropter, ſexta Septemb. die, exercitus in quo erant 600. grauis armaturæ equites, 7. peditũ millia, 16. maiora, & multa alia minora tormẽta, Piſarũ mœnibus appropinquauit: & caſtra inter Crucis & Michaelis, eodẽ quo olim Galli loco, collocarunt; tormẽtisq; ſequẽti nocte celerrimè diſpoſitis, proximo die, ab Calcia porta ad Frãciſci turrim, vbi mœnia in angulũ intus inflectuntur magno impetu cõcuſſerũt, cũq; ab ortu ſolis, quo tẽpore tormẽta diſplodere cęperant, ad tertiã ante eiuſdẽ occaſum horã ſupra triginta muri vlnis dirutis in eã partẽ grauis impreſſio, ſed fructu perexiguo, quia nõ tantũ muri ſpatiũ, quatũ ad ciuitatẽ in qua homines cõſueto animo & virtute ſeſe obiecerant, expugnãdã neceſſariũ fuiſſet, diſiectũ erat, facta eſt: idcirco, poſtridie eius diei mane: quo maiorẽ ſibi ad irrumpendũ aditũ patefacerent alium locũ parũ ab eo diſtantẽ, ea mœniũ parte, quã Galli verberarãt interiecta, tormẽtorũ globis quatere cęperũt; vbi cũ tantũ muri quantũ ſatis eſſe videbatur diruiſſent, Hercules peditatũ qui in acie inſtructa ſtabat, ad vtrãq; diruti muri partẽ vbi Piſani mulierib. de more nõ minore, quàm viri animo operã nauantib. dũ quateretur, aggerẽ cũ foſſa duxerãt, fortiter oppugnãdã impellere voluit. At in Italico peditatu, raptim collecto, nõ is animº eaq; virtus erat, quę ad tantã rẽ eſſet idonea: quare cum ea peditũ legio, cuius ſorte inter eos iacta, prima impreſſio erat, ꝓpter animi imbecillitatẽ mœnia accedere recuſaret, neq; imperatoris & Florẽtini legati autoritas & preces, neq; proprij vel cõmunis Italicæ militiæ honoris ratio progredi vellent, efficere potuerunt: quorũ exemplũ ſequuti quibus ſecundus locus obtigerat, copiæ, nulla re geſta, niſi quòd Itali pedites maxima infamia per vniuerſam Europam parta, victoriæ in Aluianum felicitate corrupta, imperatoris legatiq; exiſtimatione conculcata: quæ apud Florentinos, ſiquidem parta gloria contenti, propriæ fortunæ moderari nouiſſent maxima erat, militem in caſtra reduxerunt: quo facto, quin vaſa colligenda eſſent, præſertim cum eodẽ die Magni Conſalui iuſſu, ſexcenti Hiſpani pedites ex his qui Plumbini erant Piſas veniſſent, minimè dubitatũ fuit: quare poſtero die, Florentinus exercitus, magno cũ dedecore Caſcinã cõceſſit; pòſt paucos verò dies mille præterea & quingenti Hiſpani pedites Piſas ingreſſi ſunt: qui cum illorum præſidium neceſſariũ non eſſet, Bientinę oppidi Piſanorũ hortatu oppugnatione fruſtra tentata, in Hiſpaniã quo à Magno mittebantur, nauigarũt; iam enim inter Gallię regẽ & Ferdinandũ Hiſpanię pax erat facta; ad quã difficultatib. q̃ prius impedimento fuerãt, id eſt Galliæ regis honoris ratione, & Archiducis ab ſe alienãdi metu, remotis, Hiſpaniæ reginæ

obitus facilem viam aperuerat: nam & Galliæ rex nimiam eius potentiam ægerrimè ferens, eius consilia infringere cupiebat; & Hispaniæ rex, cum Archiducem socrus contempto testamento de se Castellæ regno pellendo cogitare cõpertum haberet, nouarũ societatum fundamenta iacere cogebatur: idcirco connubium inter ipsum & Germanã Foisseiam, Galliæ regis sororis filiã, ea lege, vt ille rex Galliæ, regni neapolitani partem quæ ad se spectabat dotis nomine daret; & Hispaniæ rex vicissim illi decem annorũ spatio, septies centena aureorum numûm millia, pro sumptibus resarciendis persolueret: & nouæ nuptæ doti tria millia auri pondo adderet, contractum est: cui matrimonio cum pax coniuncta esset, conuentum est vt Aniouinis regulis, illisq; omnibus qui Gallicam factionem sequuti erant, gratis libertas, patria, imperia, dignitates, & bona, eodem statu, quo ea die qua bellum inter Gallos atq; Hispanos primùm cæptum fuit, erant, restituerentur; quem diem eam esse, quo Galli ad Tripaldam excurrerunt, declaratum fuit: omnes bononrum publicationes ab Hispaniæ rege & Federico factæ tollerentur: Russanus princeps, Birontij & Gesualdi Marchiones, Alphõsus & Honoratus Sanseuerinates, omnesq; reliqui proceres Hispanorum in regno neapolitano captiui liberi dimitterentur: Galliæ rex, Hierosolymorum & Neapolitanorum rex deinceps ne appellaretur: panagia & procerum recognitiones conditionibus fœderis suprà dictis responderent; eademq; ratione diploma ab Pontifice peteretur: si regina Germana marito viuente sine liberis decederet, eius dotalis pars Ferdinando cederet: quod si illa eo mortuo superstes esset, ad Galliæ regnum rediret. Ferdinandus rex, Gastonem Foissei comitem, nouę coniugis fratrem, ad regnum Nauarræ, cuius eum Catharina Foisseia, & Ioannes Alibretti filius eius maritus, reges appellarent, ad se spectare asserebat recipiendum, iuuare teneretur: Galliæ rex, Federici regis viduam coniugem, cum duobus liberis quos apud se habebat, in Hispaniam, vbi facultates quibus honestè possent viuere, eis assignarentur, proficisci cogeret: quæ si renueret, nulla ipsi eiúsue liberis amplius pẽsione subsidióue dato, eam Galliæ regno excedere iuberet: neutri quidquam contra eos qui ab vtrouis illorum nominati essent moliri liceret: nominarunt autem ambo in Italia Pontificem; & Galliæ rex Florentinos: ad pacis autem firmamentum æternum inter eos fœdus ad regnorum defensionẽ ictum esse intelligeretur: Galliæ rex Hispanum mille cataphractis & sex peditum millibus; vicissim Ferdinandus Galliæ regem, trecentis cataphractis, duobus equitum, quos Iannettarios vocant, minoribus hastis vtentium, & sex peditum millibus iuuare teneretur. Hac pace hunc in modum confecta, cuius, vtriusq; partis nomine sponsor fuit Angliæ rex, Aniouini proceres qui in Gallia erant, abeundi facultate ab rege, qui pro sua innata tenacitate perquam exigna illis in discessu grati animi signa ostendit, impetrata, ferè omnes cum Germana regina in Hispaniam contenderunt: & Isabella, Federici olim vxor, quia filios suos catholici regis fidei committere noluit; ab Galliæ rege, regno excedere iussa se Ferrariam contulit: qua in vrbe Hercule Estensi paulo antè defuncto, Alphonsoq; eius filio succedẽte, sub anni finem tragicum quiddam, veterum Thebanorum casibus, sed leuiori de caussa, si modò effrenatus amoris impetus, ardenti regnandi ambitione leuior est, simile accidit: nam cum Hippolytus Estensis cardinalis, vehementi iuuenculæ sibi sanguine coniunctæ arderet amore, quæ non minori ardore Iulium Hippolyti ex cõcubina genitum fratrem, amabat; cumq; ipsa met se ad tantum amorem præcipuè Iulij oculorum pulchritudine accendi, Hippolyto fassa esset, Cardinalis furore correptus, temporis opportunitate captata, cum Iulius in venatione extra vrbẽ esset, in agris eum sepsit, equoq; descẽdere iusso, per aliquos suos à pedibus seruos, animo à tanti sceleris immanitatem spectare ausus, oculos ei velut amoris sui æmulos, erui iussit: ex quo postea inter fratres grauissimæ offensiones sunt consecutæ. Hunc finem annus quintus supra millesimum quingentesimum habuit.

SEXTI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER SEPTIMVS.

Multorum Christianorum principum contra Venetos apparatus: Philippi regis classis naufragium: Castellæ regis Neapolim aduentus: Pontificis cum Galliæ rege fœdus: Ioannis Bentiuoli Bononia fuga: Genuense bellum: Galliæ regis in Italiam ob Genuensium res aduentus, & eiusdem contra Genuenses victoria: Aragoniæ regis cum Galliæ rege congressus Sauonæ habitus: conuentus imperij Constantiæ habitus: Maximiliani Cæsaris in Italiam aduersus Venetos aduentus: eius in Carnis progressus: ac eorundem cum Cæsare inducię.

HAEC anno millesimo quingentesimo quinto gesta fuerant, qui annus & si Italiæ pacem, bellis quæ de regno neapolitano erant exorta extinctis stabilem futuram, spem reliquisset, tamen ab alia parte minimè parua imminentium incendiorum semina apparebant: quoniam Philippus qui se iam Castellæ regem nuncupabat, id regnum ab socero administrari non cõtentus, & à multis proceribus incitatus, leges ad regni administrationem post mortem suam seruandas præscribere in defunctæ reginæ potestate non fuisse, vt verissimum erat, asserens, iter in Hispaniam illo inuito adornabat: & Romanorum rex filij potentia elatus, in Italiam transcendere cogitabat: Galliæ vero rex, quamuis superiore anno Pontifici, quòd se ne appellato quidem, sacra beneficia, quæ Ascanij Cardinalis & aliorum morte in Insubria possessoribus vacua fuerant relicta, alijs contulerat: quòdque cum multos sacræ purpuræ dignitate donasset, Ausensem & Baiucensem episcopos, hunc Tramoliæ, illum Rotomagensis cardinalis nepotem, quorum nomine ipse vehementissimè flagitarat, vnà cum alijs cooptare noluerat, iratus fuisset, eamque ob caussam sacrorum beneficiorum quæ Sancti Petri in Vincula Cardinalis, alijque Pontifici grati Antistites in Insubria possidebant, fructus retineri imperasset, tamen cum sibi ab Cæsare & filio metuere inciperet, ideoque Pontificis amicitiam cuperet, fructibus dari permissis, huius anni initio Sisteronensem episcopum pontificium apud se nuntium, qui ei varia consilia proponeret, & multa aduersus Venetos in quos eius vehemens odium propter Aemiliæ locorum recuperandorum cupiditatem, permanere sciebat, polliceretur misit; quamuis Pontifex ad eam vsq; diem omnibus in rebus tam moderatè se gessisset, vt admirationem minimè mediocrem in hominum mentibus excitasset, quod is qui Cardinalis cum esset, semper vastis immoderatisq; cogitationibus turgidus extitisset: Xysti quoq; Innocentij, & demum Alexandri Põtificis temporibus, sæpius Italiæ turbandæ instrumentum fuerat, nunc ad pontificatum qui plerunque ambitione, & malè pacatis consilijs administratur, promotus, hos tam ardentes spiritus deposuisset; & animi magnitudinis, quàm semper ambitiosè ostentarat oblitus, nullum ne iniuriarum quidem vlciscendarum, seque sui similem esse signum ederet. At in Iulio longè alia mens erat, & in hominum de se expectatione superanda animo fixus, contra pristinam magnanimitatis suæ consuetudinem, vt ingentem pecuniæ vim cumularet omni studio operam dederat, dabatque, quo belli accendendi cupiditati qua flagrabat, eius sustinendi facultas & neruus accederet; cumque hoc tempore iam auro non parum abundaret, consilia sua res maximas spectantia, aperire incipiebat: quare Sisteronensem episcopum, hilari fronte acceptum & auditum, magna celeritate ad nouam inter ipsos necessitudinem contrahendam remiserat: ad quod vt regis ac Rotomagensis animos propensiores haberet, breui epistola quam idem Sisteronensis ferebat, Ausensi & Baiucensi episcopis sacram purpuram promisit; & tamen in tanto ardore, eius animus in varios scrupulos difficultatesque distrahebatur, quoniam siue odio occulto in regem eo tempore quo Alexandri insidias fugiens in Gallia egerat concepto; siue quòd se regis potentia

1505

atque importunitate Rotomogensi Galliæ legationem relinquere penè cogi summopere ei displiceret: siue quòd vereretur ne idem Cardinalis, cuius consilia manifestè ad Pontificatum dirigebantur, mortis suæ expectandę impatiens, vijs extra ordinarijs eum adipisci conaretur, Gallię regi, absque cuius coniunctione, sibi tunc temporis nullam alicuius momenti rem succedere ex sententia posse animaduertebat, adhærere nō penitùs statuerat: idcirco alia via, Baldassarem Biascià Genuensem, suæ classis præfectū, Pisas ad duas triremes, quas Alexander Pontifex ibi fieri mandarat instruendas, vt si fortè rex Galliæ, quemadmodum credebatur, morbi reliquijs non parum grauatus expirasset, ad Genuam Gallorum dominatu liberandam paratior esset, miserat. In
1506. hoc igitur statu tantaque rerum ambiguitate, primus anni M. D. VI. motus fuit, Philippi regis, vt magna classe in Hispaniam transiret, ex Flandria profectio; quam vt sibi faciliorem redderet, ne socer Galliæ regis auxilijs, impediret veritus, Hispanis artibus vsus, se maximam rerum omnium partem ex eius voluntate administraturum promittens, cum illo conuenerat: Hispaniæ regni apellatio quemadmodum regi cum defuncta regina fuerat, sic & ipsis communis esset: regni vectigalia certa ratione diuiderentur: qua pactione fretus socer, quamuis illum ea seruaturum non satis certum haberet, multas naues quibus veheretur ad eum in Flandriam miserat; itaque cum vxore & Ferdinando, secundo filio suo, nauibus cōscensis prosperis ventis Hispaniā versus nauigauit; quibus post bidui nauigationē in aduersissimos conuersis, eius classis ingenti tempestate iactata, vbi diu maris furori restitisset, per varias Angliæ atq; citerioris Britāniæ oras dissipata est; ipse quoq; cum duabus vel tribus nauibus maximo periculo, in Angliæ portum qui Antona dicitur eiectus est: qua re cognita Henricus septimus eius insulę rex qui Londini erat, multis statim principibus viris, qui eum maximo honore acciperent missis, vt Londinum veniret petijt, quod quidem negare, in Philippi, qui penè solus esset, & nauibus careret, potestate minimè erat: hæsit autem apud illum tamdiu, donec classis iterum colligeretur, instrueturque: interea verò nouum inter illos fœdus ictum est: quo in loco Philippus cetera in regio honore habitus, vna tantum in re veluti captiuus fuit; videlicet quòd Suffolciæ ducem, quem ipse in Namurij arce habebat, tradere fuit coactus: eum enim quòd in Angliæ regnum ius aliquod sibi arrogabat, Henricus summoperè in sua potestate habere cupiebat; se tamen eum vita non priuaturū fidem dedit: quare in carcere dum Henricus vixit custoditus, postea filij iussu securi percussus fuit. Philippus deinde secundioribus in Hispaniam nauigauit: vbi cum proceres ferè omnes ad eum accurrerent, Socer, qui quòd proprijs viribus ei resistere non posset, & Gallorum promissis niti non satis tutum existimaret, penè ab omnibus desertus, quique Generum nisi magna molestia ac difficultate videre potuit, nihil vnquam aliud quàm de pace cogitauit, eas leges, quæ priori pactione contempta ipsi proponebantur, accipere coactus fuit: quamuis hac in re propter Philippi naturæ insitam benignitatem, & & multo magis propter eorum, qui se acerbissimos Ferdinandi inimicos declarauerāt, suasiones, nihil durius actum sit: illi namq; , ne Ferdinandus sua prudentia & autoritate fidem apud generum inueniret metuentes, semper quantū poterant eius ex Castellę regno discessum vrgebant. In hunc igitur modum conuentum est: vt Ferdinandus regni Castellæ administratione coniugis testamento sibi relicta, omnique iure quod in id regnum habere posset cederet, statimque ab eo regno discederet, seq; non amplius reuersurum promitteret: neapolitanū regnum idem Ferdinandus sibi propriū haberet: quamuis non deesset qui eodem iure, quo ipse Ferdinandus sibi vendicare solebat nimirum id regnum Aragoniæ armis viribusq; partum esse, ac fortasse æquius cùm Castellæ armis atque potentia partum fuisset, ad Philippum spectare dicerent; eidem Indiæ insularum vectigalia dum viueret, tres item sacri equitum magistratus, videlicet diui Iacobi, Alicantaræ, & Calatrauæ, sunt attributi: ac denique ex Castellano regno, vingentiquinque aureorum numum millia quotannis haberet. Quo facto Ferdinandus quem deinceps vel Catholicum, vel Aragoniæ regem appellabimus, statim in Aragoniam, eo animo, vt quamprimùm Neapolim nauigaret, concessit: non tam eius regni videndi atque componendi cupiditate, quàm vt Magnum Consaluum quem de eo regno sibi vendicando, vel potius Philippo tradendo, cogitare sæpius post reginæ

obitum

obitum ſuſpicatus erat,cumq; eum in Hiſpaniam fruſtra reuocaſſet,ipſe varijs excuſatio nibus impedimentisq; profectionē protrahebat,inde amoueret:verebatur enim ne niſi ipſemet eò proficiſceretur,quamuis pace facta Philippus debere illū prorſus Aragonię regi parere ei ſignificaſſet,difficulter eum poſſe ab eius regni adminiſtratione remoueri.Interea in Galliæ regis ex morbo conualeſcentis pectore,varię,imò inter ſe contrarię cogitationes verſabātur. Hinc enim in Venetos,propter tum odium bello neapolitano conceptū, tum eorum quæ in veteri Mediolanenſis imperij iure ſunt,recuperandorum cupiditatē;tum quòd illorum potentiā, varijs caſibus ſibi periculū creare poſſe cēſeret, mouebatur:quę res eum fœdus cum Romanorū rege & Philippo eius filio ineundū potiſſimū impulerat: illinc eiuſdem regis in Italiam,quo iam vt magnis viribus tranſiret ſe comparare audiebātur, profectio, illi minimè erat grata; ob Philippi namq; potentiam quæ tot regnorum ſucceſſione creſcebat:& quia illum cum in Anglia fuit nouo fœderis neceſſitudinisq; vinculo ſibi eum regē coniunxiſſe ſuſpicabatur: quodq; pace cum Hiſpano rege,qua regni neapolitani cogitationes depoſuerat facta,vna ex pręcipuis cauſſis quarū gratia cum illis fœdus inierat,ſublata eſſet, plus conſueto ſibi metuebat.Dum igitur in hac cogitationū conſiliorumq; varietate & fluctuatione verſatur, Maximiliani legati, qui eum in Italiam exercitum traducere ſtatuiſſe ſignificarent, & vt quingentos cataphractos quos ſe illi auxilio miſſurum promiſerat compararet,Inſubriæque exules prout pollicitus fuerat in patriam reſtitui, peterent: atque vt pecuniam quæ intra paucos menſes ei debebatur, nunc numerare vellet, rogarent,mittebantur, ad eum venerunt: quæ etſi rex minimè præſtare in animo haberet,ſecus tamen præ ſe tulit: de ijs dico quæ tunc nihil aliud quàm verba exigebant: ſe namque conuenta perfici vehementer cupere oſtendit, & ad ea omnia ad quæ obſtrictus erat ſuo tempore perficienda paratum eſſe, confirmauit; ſed de pecunia ante tempus numeranda varijs excuſationibus allatis denegauit. At viciſſim Romanorum rex, qui non melius de Galliæ regis animo, quàm ille de ſuo ſperaret, & Romam proficiſci præſertim vt Imperij coronam caperet, quo poſtea filium Romanorum regem eligi procuraret, vehementer cuperet, eodem tempore alijs quoque inſtrumentis vt finem ſuum adipiſceretur tentaba: ideo & Heluetios ſibi adiungere nitebatur, qui poſt multas vltro citroque diſputationes fœdus quod cum Galliæ rege habebant, biennium duraturum conſeruare ſtatuerunt; & ab Venetis per eorum fines itineris faciendi facultatem petierat; quibus quum eius cum tam potenti exercitu in Italiam aduentus moleſtiſſimus eſſet, Galliæ regis qui eos vt ſe illi vnà ſecum opponerent hortatus eſt, promiſſa, ad ambiguum reſponſum dandum, animum addiderunt: iamque rex ab fœdere cum illo & cum Philippo facto, ſe aperte alienum oſtendens,Claudiam filiam ſuam Franciſco Angoliſmenſium principi, ad quem poſt ſuum abſque liberis maſculis obitum, regnum ſpectabat, deſpondit: ſe tamen id ſuorum precibus facere ſimulans, cum hanc ob cauſſam antea ab omnibus Galliæ concilijs & precipuis ciuitatibus legatos, qui id ad ſe velut regno vtiliſſimum, poſtquam in illo indies maſculæ prolis ſpes magis deficeret, ſupplices peterent,mitti curaſſet: quod ſtatim per proprios legatos, ſe tam vehementi totius regni & omnium populorum ſuorum deſiderio repugnare non potuiſſe, Philippo regi ſignificauit: Gheldrenſium quoque duci aduerſus Philippum auxilia, vt Maximilianum qui iam per ſe hæc conſilia depoſuerat, Italia auerteret, miſit: nam cum Maximilianus Vladislaum Vngariæ regem grauiſſimo morbo laborare cognouiſſet, antiquam patris ſuamque eius regni, propter iura quæ ſe habere aiebant, adipiſcendi cupiditatem ſequutus, ad eius fines acceſſerat. Vladislao enim Vngariæ atque Bohemiæ regi, Alberti qui Federici imperatoris frater fuerat filio, abſque liberis ante multos annos defuncto, Vngari rege ſuo ſine liberis mortuo,cognatione proximorum ſucceſſionem locum non habere, ſed noui regis eligendi ius in ſua poteſtate eſſe rati, paternæ virtutis memoria ducti, Mathiam illum, qui poſt tanta cum tam parui regni gloria potentiſſimum Turcarum imperium toties afflixit, ſibi regem crearant; qui vt regni ſui initio bellum cum Federico vitaret, ſe vt poſt ſuum obitum id regnum ad Federicum eiuſue filios peruenire, vxorem non ducturum promiſit; quod etſi minus ſeruarit, ni-

hilominus ſine liberis ex hac vita migrauit;nec tamen Federicus voti compos fuit, quia Vngari Vladislaum Poloniæ regem aſſumpſerunt:ex quo nouis bellis ab Federico & Maximiliano cum illis geri cæptis tandem conuenerant,idque regni proceres ſolemni iureiurando cõfirmarant,vt quandocunq; Vladislaus ſine liberis moreretur,Maximilianum ſibi regẽ aſciſcerent; itaq; is ad eam ſucceſſionem aſpirans Vladislai cognita ægritudine, in Italiam profectionis cogitatione ad tempus depoſita, Vngariæ finibus appropinquauit, quæ dum tanta varietate inter principes tranſalpinos agitantur, Pontifex cum ſe ad Venetos abs que Galliæ regis ope inuadendos non ſatis potentem animaduerteret, nec pontificatus ſui annos diutius inglorius terere poſſet, ab rege petiuit, vt ſe ab Bononiam atque Peruſiam pontificio imperio ſubijciendas iuuaret: quæ cum veteri iure ad pontificatum pertinerent, altera Ioannispauli Ballionis, Ioannis Bentiuoli tyrannide altera præmebatur: quorum maiores ex priuatis ciuibus, in ciuilibus diſſenſionibus factionis vnius duces facti,aduerſarijs que partim pulſis,partim cęſis ſuarum ciuitatũ prorſus domini euaſerant:nec ab legitimi principis nomine aſſumendo,aliud quàm pontificũ reuerentia eos cohibuerat: pontifices enim in vtraq; ciuitate paulò plus quàm nudũ imperij nomẽ obtinebant, certãq; portionẽ eamq; perexiguam vectigaliũ accipiebant, & põtificat⁹ nomine præfectos in eis habebãt:qui, cum potẽtia, omniũq; grauiũ rerũ deliberatio penes ipſos eſſent,ferè potius ad vmbrã & oſtentationẽ,quã ad aliquod munus obeundũ ibi erant.Peruſia verò ſiue ppter Vrbis propinquitatẽ,ſiue alias ob cauſſas,longè diutius pontificio imperio paruerat:quoniã Bononienſes pontificũ aduerſis temporibus,crebras mutationes fecerãt,modò libertatis nomine remp.gerentes, modò ciuiũ ſuorũ tyrannidẽ patientes,modò externis principib.parentes,modò ad vnã pontificũ obedientiã reuocati;ac demũ,Nicolai V.pontificis tẽpeſtate ſub pontificiũ imperiũ huiuſmodi tamẽ additis limitib. autoritatisq; inter pontifices & ipſos cõmunione redierant,ita vt progreſſu tẽporis,nomine & inanib.ſignis pontificib. relictis,rerũ ſumma in Bentiuolorũ poeſtatẽ peruenęrit:ex quib.qui tum tẽporis regnabat Ioannes,reb.omnib.paulatim ſibi attributis,ijsq; familijs potentioribus, quę maioribus ſuis & ſibi, in tyrannide fundanda atq; firmanda aduerſæ fuerant, depreſſis,quatuor quoq; liberis, quorũ petulantia & ſumptus ferri iam nõ poſſent grauis,ideoq; ferè omnib.inuiſus,exiguo manſuetudini atq; clemẽtiæ loco relicto,potentiã ſuã magis crudelitate & armis,quàm manſuetudine & benignitate tuebatur.Pontificẽ ad has res gerẽdas præcipuè glorię deſideriũ incitabat,cuius gratia, ambitione ſua pietatis colore & religionis amore tecta, pontificũ imperio ea omnia,quæ quouis modo ei adẽpta fuiſſe dicerentur,reſtituere in animo habebat; ad Bononiã verò recuperãdã magis etiã recẽti in Ioannẽ Bentiuolũ odio mouebatur:nam cũ eo tẽpore quo Romę verſari nõ audebat, Centij, quòd in Bononienſi ditione ſui epiſcopatus oppidũ eſt,hæſiſſet,nuntio ſeu vero ſeu falſo accepto,Ioannẽ Alexandri pontificis mãdato,eũ capere imperaſſe,fugę ſe noctu tradere fuit coactus. Hæc pontificis petitio regi grata fuit, q; ſibi eius beneuolentiæ cõſeruãdæ occaſionẽ nactus videretur: quũ enim ſuã cũ Venetis ſocietatẽ ei valde moleſtã eſſe ſciret,ne quid ille in ſe breui moliretur,nõ parũ metuere iucipiebat; iãq; quãdam coſpirationem de ſe Genuenſi imperio deturbando ab Octauiano Fregoſio pontificis cõſenſu factam,ſuſpitione minimè carebat: Bentiuolũ præterea quamuis in fide ſua eſſet,magis Cęſari quã ſibi fauere exiſtimabat. Huc accedebat in Ioannempaulum Ballionem odium quòd 14.aureorũ numũm millibus acceptis, ſuis ſe ad Garilianũ fluuium cõiungere noluiſſet, & Pandulfi Petrucij offendendi,exercitus qui in Hetruriam mitteretur occaſione, deſiderium,quòd toties promiſſam pecuniam nunquam repræſentarat,ſeq; Hiſpanorũ fortunę prorſus coniunxerat: has igitur ob cauſſas pontifici auxilia alacriter obtulit: & Pontifex viciſſim purpureum galerum Auſenſi atq; Baiucenſi, atq; vnà ſacra beneficia per totam Inſubriam conferendi regi poteſtatem,qualem olim habuerat Franciſcus Sfortia,breuibus de more literis:quibus rebus per Siſteronenſem epiſcopum qui recens ad Aquarum feſtiarum Archiepiſcopatum promotus erat, quique hanc ob cauſſam vtrumq; illorum ſæpius adierat,confectis; earum rerum effectus tardiores extiterunt: nam cum Pontifex expeditionem ad aliquot menſes diſtuliſſet,

acci-

accidit vt Maximilianus, qui bello Vngariæ regi illato, ſuæ in Italiam profectionis cogitationem intermiſerat, ſucceſſionis cõpoſitione redintegrata, denuò cum illo reconciliaretur, in Auſtriamq; rediret; vnde ſe in Italiam velle tranſire ſignis & apparatu demonſtrabat: ſed cum Venetos infeſtos habere minimè cuperet, quatuor oratores, qui ſuæ Romam ad imperij coronam accipiendam profectionis voluntatem indicarent miſit; poſtularentq; ſibi & exercitui ſuo iter liberum per ſuos fines permitterẽt; ſe ſine maleficio iter facturum, eiusq; rei idoneam cautionem daturum: ſe cum ea rep. ſocietatis, cuius facilè ratio, non modò vtriq; parti tuta, verùm etiam vtilis & glorioſa eſſet futura, inueniri poſſet, ineundæ cupidum eſſe oſtenderent; illud tacitè innuens, vtrisq; vtile forè, ſi aduerſus Gallię regem coniungerentur. Huic orationi poſt multam deliberationem, gratiſſimis verbis reſponſum eſt; oſtenſumq; quantum Veneti ſenatus, voluntati ipſius obſequendi, atq; in omnibus, quæ quidem citra ſuum inſigne aliquod detrimentum poſſent, ſatisfaciendi, deſiderium eſſet: nullum autem maius manifeſtiusq; periculum hoc quod ab illo proponeretur, imminere poſſe, cum Italia vniuerſa tot calamitatibus vehementer exacerbata, atque ad eius cum potenti exercitu aduentus famam, admodum ſuſpẽſa, ne viam nouis moleſtijs aperiri pateretur, arma capere cogitaret. quod & rex Galliæ vt Inſubriæ imperium tueretur facturus eſſet. Itaq; eum armatum copijsq; munitum, in Italiam venire, nihil aliud eſſe, quàm magno ipſorum periculo aduerſus quos ſi ei iter concederent, vniuerſa Italia vnà cum illo rege, veluti in eos qui propria commoda communi vtilitati antepoſuiſſent, concitaretur, potentiſſima ſibi obſtacula comparare: rem longè cum omnibus tutiorem, tum ipſi quoq; honeſtiorem fore, ſi cum ad pacificam rem omnibusq; gratioſam veniret, in Italiam pacatus tranſiret, vbi imperij maieſtate non minus benigna quàm potenti demonſtrata, maximam gratiam ſibi apud omnes conciliaret, Italicæq; tranquillitatis conſeruator ſumma cum gloria eſſet, ſi eodem modo ad coronam capiendam quo ante eum ipſius pater, multiq; ex eius maioribus, deſcenderet: quod ſi faceret, ſenatum Venetum omnibus eum officijs atq; honoribus, quæ ipſemet exoptare poſſet, proſequuturum. Hi bellici apparatus & hæc negotia quæ à Cæſare tractabantur, in cauſſa fuerunt, vt Pontifex, qui tunc Bononienſem expeditionem ſuſcipere decreuerat, ab rege promiſſa auxilia poſtularet; ipſe verò cum tempus ad huiuſmodi motus minimè opportunum videretur, eum amicè vt ad tempus differret hortabatur, ne ob eam cauſſam tota Italia concitaretur: ad quod quidem etiam ſuſpicione mouebatur, ne Veneti, qui ſe ad Bononiæ defenſionẽ, niſi prius Põtifex ipſis iura quæ pontifices in Fauentiam haberent, concederet, arma ſumpturos ei ſignificarant, irritarentur: ſed pontificis impatiens, præcepsq; natura, contra omnes difficultates omniaq; obſtacula magno impetu, voti ſui compos fieri conata eſt: quare, collegio pontificum conuocato, ibiq; cauſſa, qua vt Bononiam atq; Peruſiam tanta tamq; nobilia eius ſedis membra, à tyrannorum iugo liberare cuperet mouebatur allata, ſemet ad eas vrbes venturum ſignificauit: ſeq; præter ſuas copias ab Galliæ rege, Florentinis multisque alijs Italiæ potentatibus auxilia habiturum, neq; Deum iuſtum vindicem, eum qui cauſſam ſuam iuuaret, deſerturũ affirmauit: quare in Gallia nunciata, Pontificem, abſq; regis certo reſponſo ſibi copiarum ſuarum opem polliceri, regi tam ridiculũ eſt viſum, vt cum riſu in menſa eius ebrietatem omnibus iam notam, taxare volens, Pontificem priore nocte vino nimium incaluiſſe diceret: nondum enim ſe hac præcipiti deliberatione, vt vel cum eo in apertam contentionem veniret, vel etiam inuitus illi ſuas copias concederet, cogi animaduertebat. At Põtifex nullo alio reſponſo expectato, cum quingentis grauis armaturæ equitibus Roma egreſſus erat: & Antonio Montano, qui Bononienſibus ſuum aduentum ſignificaret, miſſo, & vti ſe ad eum accipiendum, & quingentas Gallicas lanceas in agrum admittendas pararent, imperaret, ipſe lentè procedebat: nam niſi prius de Gallicis auxilijs aduentantibus certior eſſet factus, vltra Peruſiã progredi, in animo non habebat: cuius aduentum metuens Ioannespaulus Ballio, Vrbinatium ducis & aliorum amicorum hortatu, & fide ab illis accepta Oruietum ei obuiam proceſſit, vbi cum ſe penitùs eius voluntati commiſiſſet, & eum cum centum & quinquaginta grauis armaturæ equitibus comitari, Peruſiæ eiusq; agri arces munitionesq; & vrbis cuſtodiam eius poteſtati tradere, promiſiſſet, duosq; filios Vrbinatiũ ducis obſi-

des dedisset, in gratiam redijt: quo facto Pontifex Perusiam inermis ingressus est, adeò vt in Ioannispauli potestate fuerit, si eam perfidiam quæ eius nomen in tanto minoribus rebus fœdauerat, in tanta re per vniuersum orbem celebrem facere nouisset, eum cum tota aula captiuum facere. Perusiæ Narbonensem Cardinalem ab Galliæ rege, vt ei rem in aliud tempus differri suaderet, & regem, quamuis auxilia mittere cuperet, tamen ob Cæsaris metum Insubriam spoliare non posse excusaret, missum audiuit; qua legatione mirum in modum commotus, nec tamen se sententiam velle mutare ostendens, nouos pedites conscribere, omnesque apparatus augere cæpit: & nihilominus multorum opinio fuit, si Bentiuolus, qui per legatos se omnes filios suos qui quatuor erant missurum obtulerat, ipsemet quemadmodum Ioannespaulus fecerat ad eum venisset, aliquam rebus suis tolerabilem rationem inuenturum fuisse: in quo dum nihil certi per se statuit, aut, vt aliqui aiunt, dum coniuge repugnante dubius hæret, Galliæ regem Ciamontio vt cum quingentis cataphractis ad pontificem iuuandum contenderet mandasse, certior fit: nam & si rex Rotomagensi Cardinale tunc absente, non concedere in animo habuerit, tamen Rotomagensi postea secus suadente, & quantum Pontifex molestè laturus esset, si id quod ei non modò ab initio promiserat, verùm etiam vt eo vti vellet incitarat, nunc denegaret, cogitans, sententiam mutauit; ad id etiam facilius impulsus, quia Maximiliani res pro eius consuetudine iam deferuescere incipiebant: & Pontifex vt regi aliqua ex parte satisfaceret, non quidem scripto sed puris verbis, se nunquam Aemiliæ oppidorum caussa Venetis molestum fore promiserat, tamen cum intimum animi sui sensum dissimulare nollet, Perusia Cesenam proficiscens, qui si per planitiem iuisset, Ariminensem agrum quem Veneti occupabant vitare non potuisset, per montes iter tenuit. Cesenæ Bentiuolum, grauissimis dirarum minis, pœnisque diuinis & humanis propositis, Bononia discederet, admonuit: quam etiam pœnam in eos qui illi adhærerent, vel cum eo versarentur irrogauit: quo in loco cum Ciamontium cum sexcentis cataphractis, & tribus peditum millibus, quibus ab Pontifice stipendia numerabantur, in itinere esse, accepisset, maiore animo plenus absque mora iter suum sequutus est: & eandem ob caussam propter quam Ariminum vitarat, Fauentino agro euitato, montano itinere quamuis difficili & incommodo, per Florentinorum trans apenninum posita, oppida, Imolam vbi ipsius exercitus colligebatur venit: in quo præter multos pedites quos conscripserat, ipsius stipendijs quadringenti grauis armaturæ equites militabant: Ioannespaulus Ballio cum centum & quinquaginta, centum à Florentinis sub Marcoantonio Columna, totidem ab Ferrariensium duce mutuo accepti: multi præterea Græci in regno neapolitano conscripti, & ducenti expediti equites à Mantuano marchione copiarum vicario destinato adducti. Bononiæ verò Bentiuoli multos apparatus facere non cessarant, à Gallis si non defenderentur, saltem nullum incommodum sperantes: nam cum opem ab rege suscepti eorum patrocinij iure implorassent, is se Pontificis negotium armis impedire non posse, sed nec copias, nec auxilia aduersus ipsos daturum responderat, ex quo se facilè Pontificium exercitum sustinere posse sperabant: sed Ciamontij aduentu omni spe frustrati sunt; qui etsi in itinere hominibus illorum varia responsa dedisset, nihilominus eo die quo Castelfrancum in Bononiensi agro peruenit, quod fuit eodem die quo Mantuanus Pontificijs copijs Castellum Sanctipetri occupauit, Ioanni Bentiuolo, regem qui ei in ijs ad quæ patrocinij suscepti iure tenebatur deesse nollet, bona ipsi sua conseruari velle: & vt Ciuitatis administratione Pontificio imperio relicta, suis bonis retentis vnà cum liberis Bononiæ tuto habitare posset: dummodò intra triduum pontificis iussa fecisset, curare velle significauit. Hoc nuncio accepto Bentiuolus & filij, qui antea pleno ore minitantes se suam dignitatem fortissimè propugnaturos passim iactauerant, penitùs animo fracti, oblitique quo pacto Petrum Medicem, qui nullo sanguine effuso Florentia aufugerat increpassent, velle sese prorsus eius arbitrio committere, id vnum saltem vt tolerabiles leges sibi imponi curaret supplices rogantes, responderunt: ipse igitur qui iam ad Rheni pontem, ad tertium à Bononia lapidem venerat, cum Pontifice vt Ioanni Bētiuolo cum liberis & vxore Geneura Sfortia, tutò Bononia abire, & in quo-

uis

uis Mediolanensis imperij loco manere liceret, omnem suam supellectilem vendere aut abducere possent: neq; ob reliqua bona quæ iusto titulo possidebant, molestia vlla afficerentur egit: quibus transactis, statim fide publica eaque ampliſſima à Cyamontio cui duodecim aureorum numûm millia dederunt, quique etiam scripto se omnia ad quæ rex eorum patrocinij causſa tenebatur præstare curaturum promisit, atq; vt in Mediolanensi imperio liberè degendi facultatem dedit, accepta, Bononia discesserunt. Bentiuolis Bononia profectis populus Bononiensis, statim oratores qui ciuitatem Pontifici liberè dederent misit: illud modò petentes, dirarum decreta tolleret: & ne Galli Bononiam ingrederentur rogarent: qui disciplinæ impatientes cum ad muros accessissent ingredi sunt conati, sed à populo repulsi, prope mœnia, inter Felicis & Saragotiæ portas, iuxta riuum, qui ab Rheno flumine deductus Bononiam perfluens, naues Ferrariam versus ducit, castra posuerunt, ignari in Bononiensium potestate esse eo in loco vbi riuus vrbem ingreditur, ferrea cataracta demissa, totam circumiectam regionem inundare: quod cum fecissent riuus repletus atque tumefactus, depressum locum, in quo Galli castra habebant, inundauit: illi verò tormentis plurimisque impedimentis in luto relictis, tumultuantes se ad Rheni pontem contulerunt: vbi donec Pontifex Bononiam ingrederetur hæserunt, qui maxima pompa, omnibusq; pontificalibus cerimonijs, diuo Martino sacro die insignem ingressum fecit: sic maxima Bononiensium felicitate, Bononia in Pontificum potestatem venit: quæ ciuitas, populi frequentia, agri vbertate, & situs opportunitate, meritò inter nobiliſſimas Italiæ vrbes numeratur: in qua etsi Pontifex nouis magistratibus veterum exemplo constitutis, multis in rebus libertatis signa atque imaginem reliquerit, re tamen ipsa eam prorsus Pontificio imperio subiecit: in hoc aût liberaliſſimus extitit, quòd multis immunitatibus conceſſis, vt & in alijs ciuitatibus fecit, populum Pontificij dominatus amantem reddere conatus est. Ciamontio qui illicò in Insubriam redijt, Pontifex octo aureorum millia, decem item millia militi dono dedit, ac de Albiensi episcopo eius fratre in pontificum collegium cooptandi prius factam promiſſionem, scripto confirmauit: & nihilominus toto animo, ad Venetos infestandos conuersus, quo plures aculeos regi & Rotomagensi ad se iuuandum relinqueret, Ausensem atque Baiucensem, quemadmodum rogabatur, & ipse literis promiserat, tunc cardinales nuncupare noluit. Hoc tẽpore Aragoniæ rex mari in Italiam traiecit: ad quam antequã Barcellonæ naues cõscenderet, ab Magno Cõsaluo nuntius, qui eum ad ipsum accipiendũ, & eius dicto parendũ præsto esse polliceretur venit: cui rex, nõ modò Sanctiangeli ducatũ quem iam illi dono dederat Federicus rex, sed & omnia quę, vnde supra viginti aureorũ numûm millia perciperet, in regno neapolitano possidebat, & eiusdẽ regni Magistri equitũ, munus cõfirmauit: scripto item propria confecto manu diui Iacobi equestris ordinis prefecturã, quam Maestralgũ vocant, ei promisit: ideoq; maiori spe nauibus Barcelonæ cõscensis, & Galliæ regis mandato vnà cum vxore in omnibus Prouinciæ portubus honorificè acceptus, eodem honore in Genuensi portu, vbi eum Magnus Consaluus non sine multorũ admiratione obuiam profectus expectabat, affectus fuit: neq; enim plebei homines tantùm, sed & Pontifex ipse, illum præteritæ cõtumaciæ, & suspitionũ ab rege fortasse nõ leuibus de causſis de se concepta rum cõscium, metu eius conspectũ vitantem in Hispaniã traiecturum existimarant. Genua profectus quia triremib. ab littore recedere nollet, quod prosperos ventos nõ haberet, multos dies in Delphinio portu hęsit, vbi dum morã trahit, ecce tibi rex Philippus eius gener, iuuenis, firmiſſimo corpore, optimeq; affecto, in ętatis flore, in tanta felicitate cõstitutus, vt fortunę viciſſitudine sæpe mirandam se ostendente paucorũ dierum febri, Burgij ex hac vita migrasse nunciatur: nihilominus rex, quẽ multi Castellæ administrationis arripiendæ cupiditate, illicò proras Barcelonã versus directurum credebant, cæptũ iter sequutus, eodẽ die quo Pontifex Bononiam proficiscens Imolam peruenit, Caietæ portũ est inuectus: vnde neapolim prouectus, in ea vrbe Aragonijs regibus conspiciendis assueta, regali apparatu atq; honore, longeq; maiore quàm alijs omnes, desiderio & expectatione acceptus fuit: omnib. enim regis tot victorijs aduersus sacrosanctæ religionis hostes, nec non aduersus Christianos partis celebris, prudentię opinionẽ suscipiendi, & quem regna sua singulari iustitia, & tranquillitate moderatum esse fama

clariſſima perſonabat, opera & manu regnum neapolitanum, extantis moleſtijs & oppreſſionibus inſtaurandum, & in pacatum felicemq; ſtatum redigendum eſſe, & portus quos Veneti minimè paruo totius regni dolore in eo poſſidebant recuperandos, perſuaſum erat. Neapolim mox totius Italiæ oratores, non modò vt tanto principi gratularentur, eumq; honore afficerent, verùm etiam ob varia negotia & cauſſas, accurrerũt: quia omnes illum ſua autoritate atq; prudentia, multas res in ordinem æqualitatẽq; redacturum exiſtimabant. Nam & Pontifex quamuis ſibi male ab illo, quia nunquam, vt moris eſt, legatos ad obedientiam præſtandam miſerat, eſſet ſatisfactum, cum vt Apuliæ portus recuperaret ipſorum depreſſionis cupidum ratus, in Venetos concitare nitebatur, contrà Veneti eum ſibi amicum conſeruare conabantur: Florentini verò ac reliqui Hetruriæ populi propter Piſanas res hoc anno à Florentinorum armis conſueto minus afflictas, varia cum illo tractabant. Florentini enim ſiue ſumptibus exhauſti, ſiue quòd ſuperiorum annorum experientia docti eam rem vanam ducerent, cum præſertim Genueuſes atque Lucenſes vnà ad eam vrbẽ in annum certo ac determinato ſumptu tuendam conueniſſe ſcirent, ad quod eos Pandulfus Petrucius Senenſes idem facturos pollicitus, primùm hortatus fuerat: ſed ab alia parte illorum conſilijs conſuetis artibus vſus Florentinis quæ agerentur, patefaciendo, ab illis, vt ab alijs diſiungeretur, inducię quæ inter Florentinos & Senenſes erant in triennium ea lege proregarentur, vt Senenſibus Pandulfoq; Piſanos nulla re iuuare fas eſſet, impetrauit: qua excuſatione à ſumptibus pro illis faciendis abſtinebat: nec tamen eos alijs in rebus cõſilio & fauore pro ſua virili iuuare deſinebat, meſſem illorum minimè impediuerant. Hoc ipſo anno ex tragędia ſuperiore anno Ferrariæ cæpta nouus & grauis extitit caſus. Ferdinandus enim Alphonſi ducis frater, & Iulius cui ab Cardinale oculi eruti, ſed celeri & diligẽti medicorũ cura, abſque luminis iactura in locum ſuum repoſiti fuerant, in ducis necem conſpirarant; & Ferdinandus quidem natu ſecundus, eius imperij occupandi cupiditate: Iulius autem tum quòd Alphonſus iniurias ſuas minimè vltus erat, tum quia nulla alia ratione ſe iniuriam ab Cardinale illatam vlciſci poſſe ſperabat, mouebantur: quorum conſiliorum particeps erat Comes Albertinus Buſchettus Mutinenſis; cumq; nõnullos abiectæ ſortis homines, qui voluptatum cauſſa cum Alphonſo erãt aſſidui, corrupiſſent; ſæpius maximam eius interficiendi opportunitatem habuerunt: ſed fatali quodam metu retenti, ſemper occaſiones elabi permiſerunt: adeò vt quemadmodum plerumq; vbi res in coniuratione cõſtitutæ protrahuntur accidere ſolet, re in lucem prolata, Ferdinandus cum reliquis ſceleris cõſcijs in carcerem coniecti fuerunt: & Iulius qui re cognita Mantuam ad ſororem confugerat, Marchionis iuſſu, eius vitæ conſeruandæ fide ab illo accepta, captiuus ad Alphonſum miſſus eſt: & paulo pòſt Albertino, & reliquis coniuratis in partes quatuor diſcerptis, fratres ambo æternis vinculis, in arce noua Ferrarienſi cuſtodiæque mandati ſunt. Nec verò Valentini audacia atq; induſtria ſilentio eſt prætereunda, qui his ipſis temporibus ſubtili artificio è Medinę campeſtris arce fune delapſus, in Nauarræ regnum ad Ioannem regem coniugis ſuæ fratrem confugit: vbi, ne eius vlla deinceps mentio facienda ſit, aliquot annos in ſorte ſatis humili, quia Galliæ rex, qui prius Valentiæ ducatum fiſco ſuo addixerat, eumque viginti millium Francicorum penſione quam ei ad promiſſæ penſionis ſupplementum deſtinauerat, priuarat; ne Aragoniæ regi rem ingratam faceret, in Galliam ire non eſt paſſus, commoratus; tandem dum cum regis Nauarræ copijs quæ ad Vianam eius regni ignobile caſtellum, caſtra habebant eſſet, cum hoſtibus qui ex inſidijs prodierant pugnans, haſtæ ictu occiſus fuit. Sub huius anni finem, ne nouus annus, abſq; nouorum bellorum cauſſa initium haberet, ſequuta eſt Genuenſium ab Galliæ regis fide defectio, non ab alijs quàm ab ipſismet concitata; nec ex defectionis ſtudio orta, ſed ex ciuilibus diſcordijs, quæ homines vlterius quã primò conſtituiſſent, traxerunt. Genua vrbs equidem eo in loco ad maris imperium obtinendum, niſi tanta oportunitas peſtilenti ciuilium diſcordiarum veneno impediretur, ædificata, non vt multæ aliæ Italiæ vrbes, vni tantùm diuiſioni eſt obnoxia, ſed in plures factiones diuiſa; in ea enim adhuc veterum in Guelfos atq; Gibellinos factionũ reliquiæ ſuperſunt: viget inter patritios & populares diſſenſio, quæ multas iam vrbes in Italia & præcipuè in Hetruria concuſſit: populares etenim, cum patritiorum arrogan-

tiam

tiam ferre nollent, multis ſeueriſſimis aſperrimisq; legibus illorum potentiam refræna-
runt:atq; inter cetera ferè in omniũ reliquorũ magiſtratuum atq; honorum certa portio
ne eis relicta, ab ducis dignitate qui magiſtratus omnium ſupremus cuicunq; obtige-
rat, cum eius vita, quamuis ob eius ciuitatis varietatem, nemini fortaſſe vel admodum
paucis, in tanto honore ad extremum vſq; perſeuerare datum fuerit, vnà terminabatur;
eos expreſſè excluſerunt. Nec Adurniorum Fregoſiorumq; factio minus eſt potens, qui
ex plebe ad patritiorum ordinem (tales Genuæ qui ad magnam potentiam peruenerũt
Capellaccij apellantur) tranſierunt, de principatu, qui per multos annos ſemper in alte
rutra harum fuit ſimul contendunt: quoniam Guelfæ atq; Gibellinæ factionis nobiles
cum legibus ab eo honore arcerentur, ad ſuæ vtriq; factionis populares deferri procu-
rabant; dumque Gibellini Adurnijs, & Guelfi Fregoſijs fauent, temporis progreſſu hæ
duæ familiæ, illis quorum nomen autoritatemq; prius ſequi ſolebant illuſtriores ac po-
tentiores euaſerunt: hæ autem factiones ita permiſcentur atq; perturbantur, vt ſæpe qui
alteri contrariam factionem ſequuntur, in varias & ipſi factiones abierint: & contrà in
vnam factionẽ, cum ijs qui alteram ſequuntur coierint. Hoc autem anno inter nobiles
& plebeios altercatio accendi cæpit, quæ ex nonnullorum nobilium inſolentia orta,
cum vtriusque partis animos vt conſueuerant malè affectos reperiſſet, mox ex priua-
ta contentione, in publicas diſſenſiones, quæ huiuſmodi in vrbibus qualis tũc erat Ge-
nua, diuitijs valde affluentibus, facillimè gignuntur, eſt conuerſa: quæ eò vſq; progreſ-
ſæ ſunt, vt populus per tumultum ad arma concitatus, & vno ex Auria familia interfe-
cto, aliquotque nobilibus vulneratis vi potius, quàm libero ciuium conſenſu obti-
nuerit, vt in publicis conſilijs in quibus pauci ex nobilitate interfuerunt, ſequenti die
conſtitueretur, vt ex magiſtratibus qui antea inter nobiles plebeiosq; æquè diuideban-
tur, deinceps plebi duæ portiones cederent, nobilitati vna relinqueretur: cui ſententiæ
Roccalbertinus qui pro Philippo Raueſtenio regio præfecto tunc abſente, vrbi præe-
rat, ne maior tumultus oriretur veritus aſſenſus eſt: nihilominus plebei, hoc minimè cõ-
tenti, nouo tumultu intra paucos dies excitato, nobiliũ domos diripuerunt: quare ma-
xima nobilium pars quod ſibi non amplius in patria vitã degere tutum eſſe duceret, di-
ſceſſit: Præfectus his rebus cognitis celerrimè ex Gallia cum centũ & quinquaginta e-
quitib. ac ſeptingentis peditibus Genuam redijt: ſed neq; autoritate, neq; ſuaſionibus,
neq; viribus, res vlla ex parte ad meliorẽ ſtatum reuocari potuit: imò ſæpe plebis volun
tatem ſequi coactus, nonnullas alias copias quę illum ſequebantur regredi iuſſit. Ex qui
bus initijs cum multitudo indies inſolentior fieret, & vt plerumq; in ſeditioſis ciuitati-
bus ſolet, adminiſtratio, contra multorum è populo honeſtiorũ voluntatem, ferè tota
in plebis fecẽ cecidiſſet, ac per ſe ipſa vt furoris ſui caput haberet, nouum octo plebeio-
rum hominũ magiſtratũ ampliſſima cum autoritate creauerat; quos, vt ipſo nomine ad
maiorem inſaniã concitarentur, tribunos plebis appellabant, Spediã, & reliqua orienta
lis littoris oppida, quibus regis nomine Ioannesludouicus Fliſcus præerat occuparunt.
His de rebus & totius patricij ordinis nomine, & propria de cauſſa, Ioannesludouicus
apud regem manifeſto, Genuenſis imperij amittendi, quando quidẽ multitudo eo vſq;
temeritatis deuenerat, vt pręter tot alia delicta aduerſus regiam maieſtatẽ maritima op-
pida occupare auſa eſſet, periculo demonſtrato quæſtus eſt: cui furori ſi apta remedia
citò adhiberentur, facilè dum nullum adhuc ab vllo auxilium opémue haberent, oc-
curri poſſe; ſin verò cunctanter proſpiceretur, malum maiores indies radices acturum:
Genuæ namq; terra mariq; opportunitatem eam eſſe, vt facilè aliquem principem ad
id incendium eius imperio tam pernitioſum fouendum allectura ſit, & plebem vbi eam
quæ fortaſſe ab initio ſeditio fuerat, in rebellionẽ cõmutatam eſſe animaduertiſſet, cui-
uis qui modò defendendi ſpem faceret adhæſurã. Ab alia verò parte oratores ab Genu-
enſi populo ad regẽ miſſi, cauſſam ſuam æquam oſtendere ſtudebant: aiebant enim ſola
nobilium ſuperbia populum fuiſſe cõmotum, qui honoribus nobilitati cõuenientibus
non contenti, tanquam vrbis domini haberi vellent; populũ diu illorũ inſolentiam per-
tuliſſe; ſed tandem non modo in fortunis, verùm etiam in proprijs corporibus iniurijs
affectos, ſeſe continere diutius non potuiſſe: & tamen nihil aliud, quàm id quod ni

feciſſent, libertas ipſis tuta non fuiſſet, egiſſe : dum enim nobiles in magiſtratibus æquam portionem habuiſſent, illorum tyrannidi magiſtratuum & iudiciorum ope obſiſti non potuiſſe : & Ioanneludouico maritima loca, ſine quorum commertio Genua veluti obſeſſa erat, obtinente, quonam pacto plebei tuto ibi verſari, & agere poſſent? Populum ſemper regiæ maieſtati obſeruantiſſimum fideliſſimumq; fuiſſe, & Genuæ mutationes omni tempore magis à nobilitate quàm à plebe ortas eſſe; ſupplices regem rogare, vt ijs delictis quæ contra communem voluntatem, in contentionum ardore, ab aliquibus priuatis commiſſa erant condonatis, legem de magiſtratuum diſtributione latam confirmaret, & maritima oppida publico nomine gubernari permitteret; hac ratione patritijs honorificè gradus & dignitates ſuas obtinentibus, populum decenti libertate ſecuritateque qua nulli fraus fieret fruiturum eſſe, eiusq; autoritate, hanc tranquillitatem adeptos, regis clementiam, bonitatem atq; iuſticiam in perpetuum obſeruaturos. Regi hi tumultus, ſiue quòd ei multitudinis licentia eſſet ſuſpecta, ſiue ob communem Gallorum in nobilitatis nomen propenſionem, valde moleſti fuerant: ideoq; libenter harum rerum autores puniuiſſet, resque in priſtinum ſtatum redegiſſet: ſed veritus ne ſi aſpera remedia adhibuiſſet, Genuenſes ab Cæſare quem filio nundum defuncto, magnopere metuebat, auxiliū implorarent, humaniter eos tractare ſtatuit: quocirca dummodo maritima oppida quæ occuparant, ſuæ poteſtati traderent, omnia delicta condonabat; & nouam de magiſtratibus legem confirmabat: ac quo populo facilius hæc perſuaderet, Michaëlem Riccium iuriſperitum, neapolitanū exulem, qui eos vt benignitatis ſuæ occaſione vti potius quàm contumacia erroribusq; multiplicatis, ſe ad imperij ſeueritatem adhibendam cogere vellent, hortaretur, Genuam miſit: ſed in animis, immoderatis cupiditatibus occæcatis, prudentia à temeritate oppreſſa locum nullum habebat: itaq; plebs & tribuni, quamuis legitimi magiſtratus ſecus ſentirent, non modò regis manſuetudine neglecta, oppida reſtituere recuſarunt, ſed inſuper ad deteriora aſſidùè ruentes, Monœcum caſtellum ab Luciano Grimaldo poſſeſſum, ſiue communi in omnes Genuenſes patritios odio, ſiue quòd maritimis rebus admodum opportuno loco ſitum, magni ad res Genuenſes momenti ſit, ſiue priuato odio, quia qui eo loco potitur, loci opportunitate maximè allectus, vix à maritimis rapinis abſtinere ſolet; ſiue quòd vt aiebant, iure ad rempublicam ſpectet, expugnare decreuerunt: ideoq; præfecto fruſtra repugnante, multas copias terra mariq; ad id obſidendum miſerunt: quare Philippus Raueſtenius ſe inutiliter, & propter caſus qui exoriri poterant, nō ſine periculo, ibi morari animaduertens, Roccalbertino, ſuo in loco relicto, diſceſſit: rex autē rerum in meliorem formam redigendarum ſpe amiſſa, eas verò ita relinquere, nec dignitatis nec ſecuritatis ſuæ, & ſi vlterius excurrere permitterentur maius periculum fore ratus, terreſtres ac maritimas vires vt Genuenſes iterum imperio ſuo ſubijceret palàm apparare cæpit: quæ res conſilia quæ inter pontificem & ipſum aduerſus Venetos agitabantur, valde ab rege Philippi morte armorum Maximiliani ſuſpitione liberato expetita, ſed multo magis à Pontifice, tum ob Aemiliæ oppida ab illis occupata, tum quia nulla Ponficiæ autoritatis habita ratione Veneti imperij epiſcopatus diſtribuebant, multaque ad pontificium ius ſpectantia vſurpabant, vehementer irato, impediuit: eas enim ob cauſſas Pontifex prorſus ad regis amicitiam conuerſus, præter id quod Auſenſem, & Baiucenſem epiſcopos, cardinales, vt antea vehementer poſtulatum fuerat pronuntiauit, ab rege vt in Italiam ſecumq; ad colloquium veniret petierat, idq; rex ſe facturum annuerat: ſed poſtea Pontifex regem, pro patritijs aduerſus populum Genuenſem arma ſumere ſtatuiſſe certior factus, cum veteri propenſione contra patritios populo faueret, maximam inde moleſtiam ſenſit: egitq; cum rege vt populari ſtatu non immutato eius vrbis imperio contentus eſſet: vtq; ab armis, cum multas alias ob cauſſas tum præcipuè, ne aliquo incendio in Italia hoc motu excitato, conſtitutum in Venetos bellum impediretur, abſtineret magnopere eſt eum hortatus: quibus rationibus cum regem non aſſentiri animaduerteret, ſeu indignatione ac dolore ſuperatus, ſeu antiqua Rotomagenſis cupiditatis ſuſpitione, ſiue per ſe, ſiue ſubtili aliorum artificio excitata, ideoq; ne forte ſi in congreſſum veniſſent, ab rege captiuus retineretur veritus, & fortaſſe vtraque

cauſſa

cauſſa concurrente, repente initio anni M.D. VII. contra omnium expectationem, nulla alia de cauſſa, niſi Bononienſis cœli cõſtitutionẽ ſaluti ſuæ pernicioſam eſſe, ſeq; ab vrbe abeſſe, minimè paruum ſuis emolumentis detrimentũ afferre, ſe Romã redire velle diuulgauit. Hæc res omnibus atq; in primis regi ipſi, quòd ſine vlla cauſſa negotia quæ tãtoperè expetiuerat, colloquio cuius ipſemet hortator & flagitator fuerat impedito inchoata relinqueret, multum admirationis attulit: eaq; vehemẽter cõmotus rex, nihil vt eũ ab hac noua cogitatione reuocaret prætermiſit: verùm eius ea in re opera noxia potius quàm vana erat: quoniã Pontifex in maiorem ex regis ſolicitudine ſuſpicionẽ coniectus, eo magis in ſententia ſua cõfirmabatur: in qua pertinaciter inſiſtens, cum odium in regẽ conceptum diſſimulare minimè poſſet, ſub Februarij finẽ Bononia diſceſſit. Sed antequã ex ea vrbe abiret, prima arcis quæ eius iuſſu infelicibus auſpicijs prope Galeriæ portam qua Ferrariam itur, eodem in loco vbi olim ijſdem auſpicijs alia arx à Philippomaria Vicecomite Mediolanenſium duce extructa fuerat, erigebatur, fundamenta iecit: & antiquo in Venetos odio, recenti in Galliæ regem indignatione nonnihil mitigato, cum ab recto itinere deflectere nollet, Fauentia iter fecit, nouis ſubinde altercationibus inter ipſum & Galliæ regem gliſcentibus: nam etſi Bentiuolis ipſius conſenſu, in Inſubria degendi facultas conceſſa fuerat, eos tamen inde pelli poſtulauerat: neque Protonotario Ioannis filio, ſuorum ſacrorum beneficiorum poſſeſſionẽ eadem pactione atq; conſenſu promiſſam reſtituere voluerat: tam ſæpe plus in eo animi impotentia quàm ratio poterat: quam Galliæ rex nulla arte diligentiáue mitigare tentabat, ſed tanta varietate indignatus, & illum, vt res erat, clàm Genuenſem populum concitare ſuſpitione concepta, ei generis obſcuritatẽ qua pontificẽ obſcuriſſimo loco natum per multos annos in abiectiſſimo ſtatu educatũ fuiſſe nemini dubiũ erat, contumelioſe obijciẽs, ab apertis minis minimè abſtinebat: imò tanto magis in priore, quod ad Genuenſes res attinebat, ſententia confirmatus, quantũ intereſſet vtrum ipſemet bellũ præſens gereret an ducibus cõmitteret, rerum neapolitanarum experientia edoctus, ſumma diligentia exercitũ quem ipſemet duceret comparabat. Hi apparatus tamen Genuenſes Monæci oppugnationi intentos, vbi multas naues, legionemq; vnam ex plebe & ex agro raptim collectam habebant, quibus Tarlatinus Piſanarũ copiarum quæ ab illis vna cum Petro Gambacurta, & nonnullis alijs militibus, Genuenſib. auxilio miſſi fuerant, minimè mouebãt: & Genuæ dum in erroribus perſiſtunt eosq; ſubinde augent, arcis quę Caſtelletũ dicitur præfectus, qui ad eam vſq; horam pacatiſſimus fuerat, neq; vllã moleſtiã à populo acceperat, aut regis iuſſu, aut prædę cupiditate, repentè multos ex populo captiuos fecit, atq; tormentis portũ & ciuitatem infeſtare cæpit: quare Roccalbertinus ſibi metuens abijt: qui in prætorij præſidio erant, in Caſtellettũ confugerunt: paulo pòſt obſidio quæ multos menſes Monæcum cinxerat, finem habuit: nam cum qui obſidebant, Iuonẽ Allegriũ, pręcipuos patritios, cum tribus peditũ millibus ab ipſis conſcriptis, & alijs copijs ab Allobrogũ duce miſſis oppidanis auxilio aduẽtare cognouiſſent, eos expectare minimè auſi, abierũt: & iam fama erat vbiq; diuulgata, exercitũ ab rege deſtinatũ ſubinde in Inſubriam traduci: quare illorum qui meliorũ conſiliorum cauſſa eſſe debebant furore accenſo, multitudo quę ad eum vſque diem verbis eam defectionem, quàm re ipſa moliebatur, Galliæ regis nomine inuocato, eiusq; ſignis à publicis locis non amotis diſſimulauerat, Paulum Nonium, ſerici tinctorem infimæ plebis hominem, Ducem creauit: hac re manifeſtiſſimam defectionem oſtendens: duce namq; creato, ciuitas nullum ſe alium principem agnoſcere declarabat: quibus rebus regis animo ad maiorem indignationem incitato: tum etiam quia à Patritijs, pro ſuis Gallicis inſignibus Cæſarea poſita eſſe ei ſignificatum fuit, his acceſſit quod Cæſar, ab Genuenſibus & fortaſſe etiam clàm ab Pontifice impulſus, ne Genuæ vtpote imperij ciuitati moleſtus eſſet, eum erat hortatus, ſe cum populo vt ad æquas conditiones deueniret acturum: quibus rebus cõmotus rex, prius conſtitutos apparatus adauxit. Noui ducis & Tribunorũ audaciã, proſperi ſucceſſus in orientali littore habiti aliquandiu fouerũt: nam cum Hieronymus Iannis ludouici Fliſci filius, cum bis mille peditibus & aliquot equitibus Rapalle recupe taſſet, & noctu ad Reccũ oppugnandũ duceret, militib. qui Genua ad eum locũ tuendũ mittebãtur, obuiã factus, nulla pugna cõmiſſa eius milites absq; ordine in fugã cõiecti

1507.

ſunt

sunt: quorum fuga ad Orladinum Ioannis ludouici nepotem, qui cum alijs copijs Reccum descenderat, perlata, & ipse fugæ se dedit: quare dux & Tribuni audaciores facti, Castellatium, antiquã arcem, ab Mediolanensibus principibus in Genuæ imminentibiugis, quum ea vrbe potiebantur, vt cum necesse esset copię quas ex Insubria mitterent, Genuæ appropinquare, & Castelletto opem ferre possent, ædificatam, oppugnarũt: eoq; quia infirmum inerat præsidium facilè potiti sunt: nam pauci illi Galli qui aderant, vitæ & fortunarum incolumitatem pacti, deditionem fecerunt; sed qui fidem dederant eis cæsis, quanti apud eos ea fieret declararunt: nam qui eiusmodi scelus perpetrarant gloriantes, cruentasque manus ostentantes cum incredibili lætitia Genuam redierunt, eodemq; tempore Castelletum & Franciscifanum illi coniunctum tormentis verberare cæperunt. Sed iam rex in Italiam venerat, & exercitus subinde vt sine mora Genuam oppugnaret colligebatur: & nihilominus Genuenses, quoniam Hispanus rex, quamuis illorum salutis cupidus esset, ab Galliæ rege alienari nolens eum nauibus longis quatuor iuuarat; & Pontifex nulla alia re quàm occultis hortationibus & promissis animum suum ostendere audebat; ipsi verò cum solummodo trecentos peregrinos pedites haberent, bellicarum rerum peritis ducibus carerent, & tormentarij pulueris penuria laborarent, omni ope spoliati, itinerum angustijs, & regionis difficultate, asperitateq; se facilè hostes, quo minus Genuæ appropinquarent prohibituros sperantes, eaque vana spe freti, multorum & præsettim Finarienfis cardinalis, qui regem sequutus, crebris eos nuntijs atque literis vt se eius voluntati committerent, veniæ & æquarum legum facilè adipiscendarum spem faciens hortabatur, consilijs neglectis, pertinaciter in sententia perseuerabant: exercitu verò iam Burgifornariorũ & Serrauallensi itinere aduentante, Genuensium consilia, non ab viris rei bellicæ peritis, sed abiectæ atq; imperitæ multitudinis clamoribus iactantiaque leui, excogitata & ponderata, vana apparere cæperunt: itaq; hominum animis in præsenti periculo, ijs quæ timore procul existente sibi temerè promiserant, minimè respondentibus, sexcenti illorum pedites, qui primas angustias custodiebant, Gallis appropinquantibus turpiter aufugerunt, ex quo reliqui omnes itinerum custodes consternati itineribus in Gallorum potestate relictis, Genuam recesserunt: Gallicus verò exercitus, montium iugo iam sine impedimento superato, in Pociferam vallem ad septimum ab Genua lapidem, maxima Genuensiũ, quod contra quàm illis ineptè persuasum fuerat, in ea valle asperrimis saltibus & hostili regione vndique circumsepta, castra locare auderent, admiratione descẽderat. Quo tempore regia classis, quæ octo triremes, totidem longas naues magnas quas Galeones vocant, multas biremes & cœloces hãbebat, vbi se ante Genuam ostendisset, Genuensium classem, quæ septem triremes, & sex naues alias continebat, & cum in Genuensi portu hærere non auderet, Portumueneris & Spediã versus se receperat, ea loca petebat. Ex Pocifera valle, exercitus ad Riuarolum vicum ad alterum ab Genua lapidẽ & prope Petri Arenarij fanum quod mari alluitur, castra promouit: & quamuis in itinere multis in locis Genuensium pedites offenderint, illi tamen omnes minimè maiorem quàm alij fecissent virtutem ostendentes regressi sunt; eodemq; die rex ipse in castra peruenit; qui maxima Gallicę nobilitatis parte, innumerisq; Insubriæ proceribus, atq; Mantuano marchione, quem rex ante paucos dies diui Michaëlis equestris ordinis principem pronuntiarat, eiq; vexillum quod post Ludouici vndecimi obitum nemini vnquam traditum fuerat, dedit, comitatus, in Boschetti cœnobio è regione Riuarolij suburbij tentorium fixit. Erant in regio exercitu octingenti cataphracti, quia rex asperæ regionis habita ratione, reliquos in Insubria reliquerat: mille & octingenti leuis armaturæ equites, sena Heluetiorum millia, & totidem aliarum gentium pedites. Genuenses, ne iter quo per montes, breuiori via, quàm Petri Arenarij mari proxima, ad Castellatium, deinde Genuam itur, liberum relinquerent, in montis qui Promontorij mons nuncupatur iugo, Riuarolium inter & Petri Arenarij fanum, vallum ex quo per collis dorsum ad Castellatium ibatur, construxerant. Ad hoc propugnaculum exercitus eodem die quo Riuarolij castra metatus erat contendit: ab alia parte Genua egressa sunt octo peditum millia, quos Iacobus Corsus Tarlatini vicarius ducebat, quoniam Tarlatinus & Pisanorum milites cum exercitu Moneco discessit, Albintimilij subsistentes, cum ab Genuensibus qui Demetrij

Iustiniani

Iustiniani nauim qua veherentur miserunt,reuocati sunt, neque terrestri itin ere propter Gallorum impedimentum, neq; maritimo propter aduersos ventos redire potuerant: sed cùm Galli iam ascendere inciperēt, Genuensiũ pedites, qui vbi per collē per quem ad propugnaculũ ibatur montē cõscendissent, pòst cum bona eorũ pars alia ex parte descendisset,in quodã tumulo medio in monte posito cõglobati cõstiterant, cõspexerunt; in quos Ciamontius multos nobiles viros,& magnũ peditũ numerũ misit,quos Genuẽses ob multitudinẽ,& situs oportunitatẽ strenuè, nec paruo cum Gallorum detrimento sustinebant: Galli etenim,hostes veluti ferè omnes ex opificibus& colonis collectos,loci natura minimè expensa cupidè in eos impressionẽ faciebant:iamq; Palitia, quamuis non graue,in gutture vulnus acceperat; Ciamontius autẽ eo loco illos pellere cupiens, duo tormẽta in altum trahi iussit, quibus cum ab latere peterentur,eos montẽ versus in quo reliquæ illorũ copiæ remanserant,pedẽ referre sunt compulsi; vbi Gallis eos iustrucẽta acie persequentibus, qui ad valli custodiã erant, quamuis loci natura & munitione tuti tormentorum fulmina possent contemnere, tamẽ ne inter se & copias quæ in colle erant aliqua Gallorum pars se immiteret veriti, summo cum dedecore id deseruerunt: quocirca qui ex colle ad vallũ iam se recipiebant,cum iter sibi intercluſum animaduerterent,per deuia & tramites,perq; rupes ac præcipitia,circiter trecentis dũ retrocedunt ab hostib. cæsis, Genuam contenderunt. Quo successu ciuitas vniuersa,quæ ex infimæ plebis voluntate pendens,neq; militari consilio, neq; ciuili prudẽtia gubernabatur incredibili terrore consternata, duos oratores qui de deditione æquis legibus agerent,in castra misit: qui ad regis conspectum non admissi, ab Rotomagensi auditi fuerunt; & ab illo regem eos alia lege, nisi vt se ipsos & omnes suas fortunas liberè absque vlla pactione eius arbitrio permitterent, non accipere statuisse, responsum retulerunt: sed dum hæc cum illo tractant, plebis vnà pars quæ deditioni non consentiebat,per tumultum Genua egressa, cum multis peditibus, in tumulis & colle à Castellatio veniens conspecta est; quæ ad duo stadia propugnaculo,vt eum recuperaret appropinquauit: vbi cum Gallis qui eis obuiam ierant, per tres horas dimicassent, neutra parte alteram superante, ad Castellatium regressi sunt. Interea verò rex maiorem motum veritus, semper cum multis copijs armatus & in equo, in planitie inter Pociferum amnem & castra stetit: sed nihilominus sequenti nocte,Genuenses rerum suarum desperatione, cumq; populi præcipuos,clam cum rege quum adhuc Astæ erat conuenisse,fama esset, plebe se deceptam fuisse conquerente,dux cum multis ex ijs qui ob res perpetratas veniam desperabant,& cum ea Pisanorũ parte quæ aderat,Pisas versus est profectus: mane verò quamprimùm illuxit, ijdem legati in castra reuersi,cum bellum non plus quàm octo dies sustinuissent,maximo populorum qui eui spe & vanis consilijs nixi,cum periculum procul est feroces sunt,sed mox periculo imminente animo fracti nullam modo rationem retinent,imperitiæ confusionisq; exemplo,vrbem regis arbitrio permiserunt. Quo facto rex cum exercitu vrbi appropinquauit, & peditibus,in quibus, & præsertim Heluetijs,quominus ciuitatem direpturi ingrederentur retinendis, non parum fuit laboris, in suburbijs collocatis, Ciamontius deinde cum maxima reliquarum copiarum parte,præsidio prius Castellatio impositio,Genuam est ingressus:cui Genuenses omnia publica & priuata arma,quæ in Castellettũ lata fuerunt, & tria tormenta ab Pisanis aduecta, quæ pòst Mediolanum missa sunt, tradiderunt; & proximo die qui fuit xx ix. Aprilis,rex ipse cum omnibus cataphractis,& Hyppotoxotis stipatoribus suis Genuam est ingressus; ipse quidem pedes sub Vmbella cadidis armis totus obtectus, nudum manibus gladium tenens: cui obuiam facti sunt vrbis regionum præfecti (Antianos vocant) cum magna ciuium honestissimorum multitudine, quibus, cum multis lacrymis ad pedes eius prostratis, vbi nonnihil silentij factum est, vnus ex illis omnium nomine,sic est locutus.

Quamquam,Christianissime & clementissime rex, contentionib. cum patritijs nostris initio maior ferè populi pars interfuit, tamen earum insolentem persecutionem & multo magis in regia mandata cõtumaciam, ex infimæ plebis fęce profectam esse,affirmare possemus;cuius temeritatẽ,neq; nos neq; alij ciues mercatores, artifices q: honesti,vnquam cohibere potuimus: ideoque si pœna ciuitati vel nobis imponeretur,eam,

absq; vllo eorum qui tantorum delictorum autores participesque fuerunt detrimento, quiq; omniũ rerum egentes,& vagi, apud nos ne in hominum quidem, nedum ciuium numero habentur, neq; hanc miserã ciuitatẽ ipsi pro patria habent, innocentes affligeret. sed nõ id est nobis propositũ, verùm omnib.excusationibus omissis,tantũmodo ad tanti regis magnanimitatẽ misericordiamq; confugere;maximam in ea spem collocare, illam supplices orare, vt eo animo quo longè maiora delicta Mediolanensibus condonauit, clementibus illis oculis, Genuenses paulò antè feliciſſimos,nunc omnium miseriarum exemplũ,intueri dignetur:recordare quanta cum nominis tui gloria, clementia tua per vniuersum terrarum orbẽ tunc celebrata fuerit,quamq; præstantius sit, simili pietate eam cõfirmare,quàm acerbitate obscurare; recordare etiã à Christo totius humani generis seruatore,te Christianiſſimi cognomẽtum habere,idcirco eius exẽplo,tibi clementiam atq; misericordiam quæ dei propriæ sunt, colendas esse.Sint delicta perpetrata quantumuis magna, sint immensa, nunquã tamẽ clementiã bonitatemq; tuam superabunt:tu noster rex dignitate atq; potentia nobis instar summi Dei es (quid enim aliud quàm dij sunt reges apud suos?)quocirca tanto magis eum etiã voluntatis & factorum similitudine referre debes:in quibus nihil glorioſius, nihil gratius,nihil deniq; admirabilius misericordia est.hac si nos cõplexus fueris, te vnum in terris regem Deo immortali simillimum iudicabimus.Hæc verba sequutæ sunt omnium claræ voces,Misericordiam implorantium:rex aũt quamuis eos surgere iusserit,& gladio quẽ strictum manu tenebat depositο,animi potius ad placabilitatẽ propensi signa daret, nullo reddito respõso progressus est.Deinde ad totius vrbis augustiſſimũ templũ peruenit,vbi mulierum atq; infantiũ ingens numerus se ad eius pedes abiecti, qui omnes candidis vestibus induti, maximis clamoribus & miserandis eiulatibus, eius clementiam misericordiamq: implorabant.Hic aspectus,vt ferebant, regis animum nõ mediocriter commouit,qui etsi Genuensibus omnẽ administrationẽ autoritatemq; eripere, eosq; pecuniã quæ diui Georgij nomine ad priuatos pertinet,in regiũ ærarium inferre, & omni libertatis imagine spoliatos,ad eam seruitutẽ in qua Mediolanensis imperij oppida sunt redigere statuisset, tamen post paucos dies, quod ea ratione nõ modo multos innocentes plecti,verùm etiam omnium nobilium animos alienari,faciliusq; esse eam aliqua mansuetudine,quã desperatione in officio posse retineri cogitasset,pristinũ statũ qualis ante hanc postremã seditionẽ erat,restituit:sed ne prorsus seueritatis in tantis delictis obliuiscereturremp.mille auri libris mulctauit,quib. nõ multo pòst,bis mille libras certis tẽporibus soluendas,ad sumptus sarciendos & munitionẽ apud Codifensem turrim,quę parum ab Genua distat, & ad mare supra suburbiũ per quod in Pociferã vallem, & ad Petri Arenenarij itur sita est,ædificandã;quæ quia totũ portũ & partẽ ciuitatis verberare potest, non immerito Briglia, hoc est Frænũ nuncupatur,adiecit:voluit etiã vt præsidiũ maius cõsueto alerent, & semper in portu tres instructas triremes sibi obsequentes haberent: Castellettum, & Castellatium munirent,omnes pactiones ante id tempus inter se & illos factas aboleuit, ijsdem tamen ferè rebus iterum, sed vt tanquam priuilegia, non pacta, essent conceſſis, quo eos ad libitum suum ijs priuare posset:à Genuensibus monetis antiqua signa remouit,& suum in posterũ imprimi iussit, quo absolutũ in eos se imperium habere declararet: quibus rebus addita est Demetrij Iustiniani condemnatio,qua est capite mulctatus: qui in quæstionibus omnia Pontificis cum illis consilia & spes detexit, in quod supplicium pòst paucos menses incidit Paulus Nouius paulò antè Genuensiũ dux,qui dum Pisis Romã nauigaret, à quodã Corso qui eius miles fuerat deceptus, Gallis venditus fuit: his rebus peractis,& fidelitatis solemni sacramento ab Genuensibus accepto, omnibusque exceptis circiter sexaginta, quos iudicio tradidit, venia conceſſa,rex exercitu quamprimùm Genua potius est,dimisso, Mediolanum cõtendit: quo exercitum cum reliqui omnes imparati essent,facilè ei fuisset victoriæ cursu continuato, quoscunq; voluisset in Italia opprimere; sed idcirco eum tam citò dimisit,vt Pontifici,Romanorũ regi,& Venetis,qui in maxima suspitione versabãtur, se nullam aliam ob causſam,quàm Genuæ recuperandæ gratia in Italiam veniſſe ostenderet: sed nulla res ad Pontificis animum mitigandum erat idonea, qui omnibus rebus in deteriorem partem acceptis,denuò non mediocriter de rege conquerebatur:quasi eius

opera

opera factum esset, vt Annibal Bentiuolus, cum sexcentis peditib. in Mediolanensi imperio conscriptis, illis diebus Bononiam ingredi conatus esset: quod si successisset, illum in Pontificium imperium vlterius progressurum fuisse affirmabat: qua re indignatus, quamuis antea difficillimè Ausensem & Baiucensem episcopos in pontificum collegium cooptasset, Albiensem episcopum ab Ciamontio eius fratre, Bentiuolos in Insubria habitare permitti questus, Cardinalem pronuntiare recusabat: quod verò maioris erat momenti, non minus odio quàm suspitione incitatus, cum rex se Genuenses armis ad obedientiam reuocare velle diuulgauit, Romanorũ regi atq; Septemuiris Augustalibus per nuntios, & literas, Galliæ regem cum potentissimo exercitu, Genuensiũ tumultuum, quos sola autoritate compescere posset, sedandorũ specie, re autẽ vera Pontificij imperij opprimendi, & Cęsareę dignitatis vsurpandę gratia, iter in Italiã adornare significauit: & præter pontificẽ idem & Veneti eiusdem Galliæ regis cũ tantis copijs in Italiã aduẽtus timore impulsi nuntiarũt: quib. rebus auditis Maximilianus suaptè natura rerũ nouarum studiosissimus, eo tempore ex Flandria vbi frustra nepotis administrationem assumere tentauit, reuersus, Germaniæ principũ & liberarum ciuitatum couentũ Constatiæ indixerat (liberas ciuitates eas apellãt, quæ certo ac definito censu imperij autoritatem agnoscentes, in reliquis omnibus suis legibus, nõ imperio suo augendo, sed propriæ libertati conseruandæ operam dantes viuunt) quò totius Germaniæ nobilium primores, & principes atq; populi, fortasse promptiores ac frequentiores, quàm diu antea ad aliquẽ comitiũ conuenissent, confluxerãt: omnes enim Septemuiri Augustales ipsimet conuenerũt; omnes Germanię sacri atq; profani principes, ijs exceptis, qui aliquod iustum impedimentum habuerant, eorum tamen nomine aut filij aut fratres, alijúe ipsis coniunctissimi interfuerunt: omnes quoq; liberæ ciuitates legatos miserunt: quibus cõgregatis, Cæsar Pontificis epistolã, alias item literas, quibus varijs ex locis idem ei nuntiabatur; atq; in nonnullis expressum erat, Galliæ regis mentem esse, Rotomagensem in pontificia sede locare, & ab illo imperij coronam accipere, legi iussit: quibus nuntijs, omnium animis iam ad maximam indignationem concitatis, Cæsar vbi strepitus desijt, in hanc sententiam est loquutus:

Iam cernitis Septemuiri & principes nobilissimi, vosq; clari oratores, quid nostra patientia, qua hactenus vsi sumus effecerit; quem fructum meæ tot conuentibus cõtemptæ querelæ tulerint, iam inquam, cernitis Galliæ regem, qui antea res ad Sacrum imperium spectantes, nisi magnis occasionibus, & conspicuis coloribus tentare non audebat, apertè se non ad perduelles nostros vt aliàs fecit tuendos, nõ ad Imperij iura aliquo in loco occupanda, sed ad Germaniam imperij dignitate, ab maioribus nostris tanta virtute tantoque labore parta & conseruata spoliandam, comparare: ad tantam verò audaciam, non eum vires auctæ, non nostræ imminutæ, non quòd quanto Germania citra controuersiã Gallia potentior sit ignoret, incitãt; sed quòd nobis ipsis nos similes futuros; dissensiones aut ignauiã nostrã, maiorẽ in nobis quàm gloriæ, imò verò salutis aucleos, vim habitura sperat: nos ijsdẽ de caussis, ob quas, tanta cum ignominia Insubrię imperiũ ab illo occupari, ab illo discordias inter nos foueri, ab eodẽ deniq; imperij rebelles defendi passi sumus, imperij etiam maiestatẽ ab illo nobis eripi, & nostræ gentis ornamentum atq; splendorem in Galliã transferri permissuros. Quanto minus esset nominis nostri dedecus, quanto minore animus meus dolore afficeretur, si Germanorum potentiam Gallica inferiorẽ esse vniuerso terrarũ orbi constaret; minus enim me excruciaret detrimentũ quàm infamia; quoniam saltẽ id quod vel ex temporũ statu, vel ex fortunæ iniquitate manaret, nostræ ignauiæ imprudentiæue non ascriberetur. & quænam maior infelicitas, quæ maior calamitas inueniri potest, quã ad eum statũ redigi, in quo nobis vt non simus potentes optandũ sit? quàm ad ęternũ nominis nostri deducus ignominiamq; vitandam, maximũ detrimentũ (quãdo secus fieri nequit) nobis sit eligendũ? quamuis vestra singulorũ animi magnitudo, toties in priuatis rebus explorata: quanuis ferocitas huius gentis propria atq; præcipua; quanuis antiquæ virtutis, & à patribus nostris (qui quondã omnibus reliquis gẽtibus terrorẽ pauorẽq; & metũ incusserunt) actorum triumphorũ memoria, bellicos atq; inuictos vestros spiritus in tam graui caussa excitatũ iri mihi spem faciunt, penè certissimam. non hìc agitur de Mediolanensis imperij

iactura, non de Heluetiorum rebellione; quibus in rebus tantis tamque grauibus fuerit mea autoritas leuis propter affinitatem quæ mihi cum Ludouico Sfortia intercedebat, & propter peculiares Austriæ familiæ causſas: nunc autem quæ excusatio fingi? quo velo ignominia nostra tegi posſet? agitur nunc, num Germani, quorum arma olim fere vniuersum orbem domuerunt, quorum nomen etiam nunc omnibus Christiani orbis regnis formidabile est, Romani imperij non fortuna sed virtute possessores, tanta dignitate se turpiter spoliari permittere, infamiæ exemplum esse, qui primi & clarissimi omnium gentium sunt, ij inter omnes infimi, ridiculissimi, contemptissimi fieri debeant: & quæ causſæ, quæ detrimenta, quæ iræ vos vnquam mouebunt, si hæc vos non mouent? quæ erant illa quæ maiorum vestrorum, fortitudinis, & magnanimitatis igniculos in vobis excitabunt, si hæc non excitant? quanto cum mœrore, futuris temporibus, filij atque nepotes vestri, nominum vestrorum memoriam audient, nisi illis Germanicum nomen ea in amplitudine atque autoritate, in qua vobis à patribus vestris conseruatum fuit cõseruaueritis? Sed hortationes atq; persuasiones omittamus: neque enim me à vobis in tanto honore collocatum, verbis copiosum esse decet, sed potius facta exemplaque proponere. Ego, Cæsareæ coronæ accipiendæ prætextu (quæ pompa magis quàm re, vt vobis notum est, continetur: Cæsarea namque dignitas atque autoritas, prorsus ex voluntate vestra pendet) sed re vera vt hæc Gallorum nefanda consilia infringam, & vt quando alia ratione nos ab illorum insolentia tutos reddere non possumus, eos Mediolanensi imperio pellam, in Italiam exercitum traducere statui. Neminem vestrum, ijs subsidijs quæ imperatoribus vestris ad coronam accipiendam euntibus dari solent, mihi exhibendis difficilem fore certò scio; quibus, viribus meis adiunctis, quin omnia sim victor peruagaturus, & quin maxima Italiæ pars, alij priuilegiorum confirmandorum gratia; alij vt ab tyrannide qua opprimuntur, iusticiæ nostræ ope liberentur; alij victoris iræ deuota submissione placandæ causſa, mihi supplex obuiam sit ventura minimè dubito: rex Galliæ, solus armorum nostrorum nomine territus, cedet, cum à me adolescentulo ac penè puero, Guinægastij Ludouici regis exercitum, vera virtute magnanimitateque fusum ab debellatum recordabitur: ex quo tempore, arma nostra experiri recusſantes, nunquam Galliæ reges, nisi insidijs & fraude mecum pugnarunt. Sed quæso vos cogitate ea generositate, animique magnitudine, quæ Germanorum est propria, num famæ honorisque vestri sit in communi tamque graui periculo, tam lentè excitari: neque in tam nouo & inaudito casu, nouos etiam & inauditos apparatus facere. Nónne nominis vestri gloria & magnitudo, cuius semper proprium fuit, Romanorum pontificum dignitatem, ac sacrosanctæ potestatis autoritatem, quæ nunc pari ambitione atque impietate ab Galliæ rege sceleste violantur, postulat, vt communi totius Germaniæ decreto, arma ad id potentissimè capiantur? Hæc causſa prorsus ad vos pertinet; ego enim, cum vos promptè vt de cõmuni periculo commonefacerem conuocarim, & voluntatis meæ exemplo concitauerim, satis me munere meo functum arbitror: mihi non animi ad quæuis pericula subeunda fortitudo, non corpus assidua exercitatione ad quosuis labores ferendos habile, deerit: neq; etiam meum in rebus bellicis consilium, ob ætatem & rerum vsum, huiusmodi est, vt vobis ad hanc expeditionem omni ratione idoneus imperator deesse possit: Sed quo maiori autoritate regem vestrum ornabitis, maiori potentia, copijs eum sepietis, tanto facilius summa cum vestra laude, Romanæ ecclesiæ communis matris libertas defendetur: Cæsarea dignitas, amplitudo, splendor, vobis omnibus atq; huic potentissimæ ac ferociſſimæ nationi cõmunis, vnà cum Germanici nominis gloria, efferetur in cœlũ.

Hæc oratio omnium auditorum animos mirum in modum commouit, puduitque eos illius querelas alijs conuentibus auscultatas nõ fuisse: nec difficile fuit iam cõcitatis animis nouos iracundiæ aculeos addere: itaq; cũ in omnib. idẽ ardor esset, imperij maiestatẽ sua negligentia, ad alias gentes transferri minimè pati, magna omniũ cõsensione de ijs quæ necessaria viderentur, cœptũ est agi: omnibus, potentissimũ exercitum, quiq; etiã si rex Galliæ cum vniuersa Italia opponerentur, ad pristina Imperij in Italia iura, superiorũ Cæsarũ vel inopia vel culpa vsurpata, redintegranda atq; recuperanda idoneus esset, cõparari debere asserentibus, id Germanici nominis gloriã, id tot principum, omnium q;

niumq; liberarum ciuitatum concursum postulare; semel esse cunctis mortalibus ostendendum, Germaniam etsi per multos annos animorum studiorumq; dissensione laborasset, non tamen idcirco non eandem potentiam animiq; magnitudinem, quę maiores suos cunctis gentibus formidabiles fecerat, vnde nomini ipsorum communi maxima gloria & imperiij Maiestas, priuatim verò multis nobilibus dominatus & potentia parta erant, habuisse: nam quot illustres familiæ diu in Italia in ijs quæ propria virtute occuparant, regnarunt? quæ res tãto feruore tractari sunt cæptę, vt manifestum sit iam à multis annis nullos conuentus, ex quibus maiores motus expectarentur, peractos fuisse: omnibus præter alias rationes, sibi persuadentibus, ea spe quam ob Philippi regis filiorum teneram ætatẽ, Cæsarea dignitas quę in Alberto, Federico, & Maximiliano, qui tres ex Austria familia erant, ordine producta, tandem ad aliam aliquam familiam transiret, habebant, Septemuiros ceterosque principes promptiores futuros. Hæc igitur ad Galliæ regis aures perlata, effecerunt, vt statim Genua capta, quo huiusmodi suspicionem tolleret, exercitum dimitteret: & ipse quoq; eadem celeritate transalpes redijsset, nisi cum Aragoniæ rege colloquendi desiderio retentus fuisset: qui totus ad Castellæ administrationem iterum assumendam intentus, reditum in Hispaniam adornabat; quo niam Ioanna eius filia, non tam ob sexus imbecillitatem, quàm quia melancholia, in mariti morte patefacta, mentis compos non erat, ad tantam administrationem minimè erat idonea: neq; etiam Philippi regis, ac Ioannæ communes filij, quorum natu maximus nondum decimum attingebat annum, ad id erant apti: mouebatur pręterea etiam quòd ob regni iustè administrati, quodq́ue regna sub illius imperio diuturna pace floruissent memoriam, à multis expetebatur atq; vocabatur; hoc desiderium augebant iam inter regni proceres orta dissidia, & futurarum perturbationum ex multis partibus manifestissimè apparentia signa: sed non minus à filia expetebatur, quæ cum in alijs rebus sui ipsius minimè compos esset, in patris reditu exoptando semper constans fuit, nec vnquam etsi à multis importunè instigaretur, adduci potuit, vt vlli negotio nomen suum propria manu subscriberet; sine qua subscriptione ex illorum consuetudine regnorum negotia perfici non poterant. His de caussis Aragoniæ rex è regno neapolitano discessit: vbi non plus quàm septem menses moratus erat, neque maximæ de se conceptæ expectationi, non modò ob temporis breuitatem, & quia hominum votis plerumq; non satis consideratis, suaq; proportione dimensis, difficulter responderi potest: verùm etiã quia multæ difficultates impedimentaq; interuenerunt, satis fecit: quorũ caussa, neque ad commune Italiæ commodum quidquam laude memoriáue dignum fecit: neq; regnum neapolitanum aliqua vtilitate beneficióue affecit: nam de Italiæ rebus eum cogitare, ad Castellæ administrationem quod eius potentiæ præcipuum erat fundamentum, redeundi desiderium, non permisit: eius enim rei gratia, Romanorum & Galliæ regis amicitiam omni ratione conseruare cogebatur: ne alter quòd paruulorum defuncti regis filiorum auus esset, autoritate, alter vicina potentia, ijs qui animo ab se essent alieni, sese opponendi audaciam accendendo reditum suum impedirent: in regno autem neapolitano bene cõstituendo sibiq; deuinciendo, impedimento fuit quòd pacis cum Galliæ rege factæ capitibus, Aniouinæ factionis proceribus suas fortunas ablatas restituere tenebatur: quæ aut pactione, aut remunerationis gratia, in eos distributæ fuerant, qui eius partes erat sequuti; hos verò, nisi suosmet ab se alienare vellet, vel alia eiusdem emolumenti bona, quæ ab alijs erant emenda, ipsis condonando, vel pecunias numerando remunerari oportebat: quam ad rem cum opes eius tenuissimæ essent, non modò regia vectigalia quauis ratione excitare, & contra nouorum regum consuetudinem, nihil gratiæ condonare, nullas immunitates concedere, nullum deniq; liberalitatis genus ostendere cogebatur: verùm etiam incredibili omnium querela populos, qui vtà tantis malis leuarentur & recrearentur expectabant aggrauare; nec minores vtriusque partis procerum quærelæ exaudiebantur: ijs enim qui possidebãt, præterquã quòd non libenter possessiones relinquebant, compensationes necessariò parcæ ac definitæ fuerunt; alijs verò in omnibus rebus in quibus controuersia oriebatur, restitutionis beneficium quantum fieri poterat coarctabatur: quoniam quanto minus illis restituebatur, tanto minus alijs compensandum relinquebatur. Cum eo discessit Mangnus Con-

ſaluus: ſed incredibili beneuolentia & fama relicta, cuius præter aliorum temporum laudes, valde celebrabatur liberalitas, maximis munerib. ante ſuũ diſceſſum declarata: cuius rei gratia cum alioqui non ſatis eſſet opulentus, ne hoc honore careret, fortunarum ſuarum haud paruam partem vendidit. Nec verò Neapoli diſcedente rege inter ipſum & pontificem magna fuit beneuolentia; nam cum ab eo regni diploma petijſſet, Pontifex id niſi eo cenſu quo veteribus regibus datum fuerat concedere recuſabat: rex verò cenſum eadem diminutione qua Ferdinando patrueli ſuo, & filijs atque nepotibus conceſſum fuerat, ſibi concedi poſtulabat: & totius regni velut Alfonſi Senioris ſucceſſor, quemadmodum Neapoli panagium, & iuſiurandum acceperat, quamuis pacis cum Galliæ rege legibus, conſtitutum eſſet, vt quod ad Leborios campos, & Aprutium attineret, reginæ quoq; nomen agnoſceretur, proprio nomine diploma poſtulabat. Opinio fuit ea re factum fuiſſe, vt rex cum Pontifice, qui eodem tempore plures dies in Oſtienſi arce, quemadmodum ferebatur, quo eum tranſeuntem præſtolaretur, hæſerat, ad colloquium venire noluerit. Quæcunq; autem cauſſa fuerit, Aragoniæ rex nauigationem ſuam Sauonã, vbi cum Galliæ rege colloquium erat conſtitutum, direxit: Galliæ verò rex qui hanc ob cauſſam in Italia hæſerat, quamprimùm illũ Neapoli ſoluiſſe cognouit, ſe Mediolano eò contulit. In hoc congreſſu omnia vtrinq; libera, & rarę fiduciæ plena fuerunt; & talia, vt poſt hominum memoriam nullo in congreſſu ſimilia fuerint: quoniam ceteri principes, inter quos aut æmulatio, aut veteris iniuriæ, aut ſuſpicionis cauſſę erant, huiuſmodi ordine conueniebant, vt neuter in alterius poteſtatem veniret: hic autem omnia ſecus: nam, quamprimum Aragonia claſſis ad Sauonenſem portum appulſa eſt, Gallię rex qui ea conſpecta in portus molem deſcenderat, per ligneum pontem ad id extructum, cum paucis è ſuis, & abſque cuſtodia, in regiæ triremis puppim tranſijt, vbi incredibili lætitia ab rege & regina nepte ſua acceptus, cum aliquandiu iocundiſſimis verbis inter ſe confabulati eſſent, per eundem pontem egreſſi, pedibus, non mediocri per ingentem virorum ac mulierum, qui ex omnibus vicinis locis concurrerant, multitudinem tranſeundi difficultate, vrbem ſunt ingreſſi. Regina mirum in modum gemmis, alijsque præcioſiſſimis ornamentis ſplendidiſſima, maritum ad dexteram habebat, & patruum ad ſiniſtram: duos reges Rotomagenſis Cardinalis, & Magnus Conſaluus ſequebantur; poſt hos, multæ nobiles puellæ & adoleſcentes ex reginæ aula, omnes ſumptuoſiſſimè ornatæ, antè & pòſt duorum regum aulici, prætioſiſſimarum veſtium, & aliorum exquiſitiſſimorum ornamentorum, incredibili magnificentia & pompa incedebant: hoc commitatu Aragoniæ rex & regina ab Galliæ rege, ad arcẽ quæ illis excipiendis erat deſtinata, & exitum ad mare habet, deducti ſunt: & illorum aulicis media ciuitatis pars arci vicina attributa, & Galliæ rex in epiſcopi ædes quę è regione arcis ſunt, diuertit: ſpectaculum profectò memorabile: duos omnium Chriſtianorũ principum potentiſſimos reges, qui paulo antè acerbiſſimi hoſtes fuerant, non modò reconciliata gratia & affinitate cõiunctos videre, ſed odij & offenſionũ memoriæ ſignis penitùs depoſitis, ſimul vtrumq; propriam ſalutẽ alterius arbitrio, nõ minore fiducia ac ſi ſemper concordiſſimi fratres fuiſſent committere; quę res ſpectatoribus. vter ex duobus regibus maiorem fiduciam præſe tuliſſet, differendi occaſionem dabat: à multis magis Galliæ regis animus cõmendabatur, qui primus ſe nullo alio quàm fidei munimento tutus, alterius poteſtati credidiſſet; alter verò pudoris maiorem occaſionem quòd ipſi prius ſeruata fides fuiſſet, habebat: & erat veriſimilius Ferdinandum, quo melius regnum neapolitanum ſibi ſtabiliret, in regem Galliæ aliquid meditatum: ab alijs verò magis Ferdinandi fiducia prędicabatur, qui non ad breuiſſimum tempus vt rex Galliæ, ſed per plures dies, ſe eius poteſtati tradidiſſet: cum enim illum tali regno, tanta cum eius copiarum clade, tantaque eius nominis ignominia ſpoliaſſet, odium & vlciſcendi deſiderium, magnum eſſe vereri debebat; huc accedit, quòd vbi maius erat perfidiæ præmium, ibi maior erat ſuſpicandi cauſſa: ſi Ferdinandus Galliæ regẽ captiuũ abduxiſſet, cum regnum illud legibus & moribus ſuis ita ſit conſtitutum, vt non ideò multum regni viribus autoritatique detraheretur, minimè magnum inde fructum retuliſſet: at Ferdinando capto, cum hæredes penè infantes haberet, & regnum neapolitanũ ei nuper acceſiſſet, & Caſtellæ regnum vnà cum ceteris varijs de cauſſis conturbati fuiſſent,

sent, minimè dubium erat Galliæ regem per multos annos ab Hispanorum potentia & armis nullum impedimentum habiturum: Verùm enimuero, haud minorem hominum sermonibus ansam præbebat Magnus Consaluus, nec minus in eum hominum oculi erant conuersi, ob virtutis famam, & tot victoriarũ memoriam, quæ efficiebat, vt Galli, & si toties ab illo victi essent, eiusq; nomẽ sumoperè odisse atq; horrere solerent, nunquã eo intuendo atq; colendo explerentur: & ijs qui in regno neapolitano non fuerant cõmemorare, alius incredibilẽ eius celeritatẽ, atq; astum cũ in Calabria proceres, qui ad Lainũ castra habebant, repente adortus est: alius cũ Barletæ, in pestilẽtia & fame obsidebatur, in tantis difficultatibus atq; incõmodis perferendis animi cõstantiã, & tolerantiã; alius in hominum animis sibi deuinciendis diligentiã, & efficaciam, qua milites tandiu absq; pecunia retinuisset; quàm fortiter ad Ciriniolã pugnasset, quanta virtute atq; animi constantia, tanto viribus inferior, exercitu nullo stipendio affecto, inter innumeras difficultates ab Garilliano flumine nusquam recedere statuisset; qua militari industria, quibúsue stratagematis eam victoriam adeptus esset; quàm semper ad commoda ex hostium erroribus capienda vigilans extitisset: hominũ autem admirationẽ augebat, eius aspectus excellens maiestas, verborũ magnificentia, gestus & actio grauitate plena, mira quadã suauitate condita; præsertim verò Galliæ rex, qui illũ eadẽ mensa in qua Ferdinandus, regina, & ipse cænarunt, eum quoq; vnà cœnã sumere voluit: atq; vt Ferdinãdus eum assidere iuberet obtinuerat, veluti attonitus eum intuebatur, alloquebaturq;, adeò vt omnium iudicio, is dies Magno non minus glorioſus fuerit, quàm is quo victor & penè triumphans, cum vniuerso exercitu Neapolim est ingressus. Fuit is dies Magno celebriũ dierum postremus; post enim nunquã amplius Hispania est egressus, neq; virtutis suæ vel in bello, vel rebus in pace memoria dignis exercendæ facultatẽ habuit: hi duo reges triduum vnà fuerunt; quo tempore occultissima longissimaque colloquia, ad quæ nemo præter Cardinalẽ sanctę Praxedis Põtificiũ legatũ generatim nec admissus, nec honore affectus fuit, habuerũt: in eo colloquio ex ijs quæ partim tunc cognita sunt, partim postea in lucem prodierunt; præcipuè de perpetuæ amicitiæ consiliorũq; cõmunicatione conseruanda, mutuæ promissiones fuerunt: & vt Ferdinandus Cæsarẽ Galliæ regi conciliaret; vt omnes deinde cõiunctis viribus Venetos adorirentur; atq; vt se non minus cõmunia quàm propria curare ostenderent, de ecclesiæ statu corrigendo, & concilio ad id cõuocando egerunt: qua in re non satis candidus erat Ferdinandus, sed Rotomagensem pontificatus cupidissimũ hac spe fouere nitebatur: quib. artibus ita sibi eius animũ deuinxit, vt fortasse non paruo regis sui detrimento serò, ac pòst multa in cõtrarium signa, quàm in illo principe verba à factis essent diuersa, & quàm essent eius consilia tecta animaduerterit. Actum est etiã inter illos de Pisanorũ caussa, ab Florentinis per totum eum annũ cum vtroq; rege agitata; quoniã rex Galliæ, cum se aduersus Genuenses comparabat, illis ob auxilia quæ Genuensibus dabant iratus, & Florentinos ea vrbe potiri rebus suis oportunum ratus, exercitus Genua capta eò mittẽdi spem fecerat: quo in exercitu atq; in tota aula eandẽ ob caussam antiqua in Pisanos beneuolentia in odiũ erat cõuersa: Genuensi aũt bello confecto, easdem ob caussas ob quas exercitũ dimisit, ac ne Aragoniæ regis, qui se vt Pisani sponte sub Florentinorũ imperium redirent effecturum pollicebatur, qua ex re Galliæ rex magnã pecuniæ summã ab Florentinis sperabat, animum offenderet, sententiam mutauit. Ad eundem hunc scopum etsi diuersas ob caussas tendebat Aragoniæ regis animus, cui Florentinos Pisas nõ recipere gratius quidem fuisset; sed quum ea vrbs sine sumptu & difficultate amplius defendi non posset, ne Galliæ regis opera ea potirentur veritus, cum Neapoli esset, se Pisanis sua autoritate vt Florẽtinorũ imperium honestis legibus admitterẽt persuasurũ sperauerat; quod si faceret, Florentini se cum illo fœdus inituros, & certis temporũ interuallis centum & viginti aureorum numũm millia ei pollicebantur: sed cum in Pisanis eam propensionem cuius antea spem fecerant, nõ inuenisset, vt ne eius rei præmium totum Galliæ regis esset impediret, Florẽtinorũ oratoribus, se quouis modò absq; sua ope Pisas recuperare niterentur, manifestè obstitirũ, apertè denuntiarat: & Galliæ regi (quo illũ ab armorũ cõsilijs remoueret) nunc illos ad aliquã pactionẽ flectendi se sperare ostendebat; nũc Pisanos in fide sua esse aiebat, quamuis id falsum esset: Pisanos quidem id sæpius petijsse,

& liberum eius vrbis dominatum ei obtuliſſe negari non poteſt: verùm is ſemper quaſi eos eſſet recepturus, in ſpem erigens, & ab Magno idem liberalius fieri curans, nunquam acceperat. Sauonæ autem hac cauſſa diligentius expenſa, Piſas ſub Florentinorum imperium redire melius eſſe, ſed ita vt vterq; ipſorum præmium acciperet, ſtatuerunt. Quæ res in cauſſa fuerunt, vt Florentini ne Aragoniæ regis animum offenderent, eo anno Piſanorum agros minimè vaſtarint, qua in re magnam eius vrbis obtinendæ ſpem collocarant: erat enim ea ciuitas commeatu valdè exhauſta, & viribus ita fracta, vt Florentini milites, per totum agrum ad portas vſq; excurrerent, & ruſtici Piſis numero ciuibus potentiores, cum totius anni laborum fructus amittere illis moleſtiſſimum eſſet, de ſolita pertinacia plurimum remittere incipiebant. Neq; ad Piſanos iam conſueta vicinorum auxilia concurrebant: quia in Genuenſibus tot calamitatibus afflictis non amplius eædem erant cogitationes: Pandulfus Petrucius ſumptus facere recuſabat: & Lucenſes, quamuis ſemper clam illos aliquare iuuarent, ſoli tantos ſumptus ſuſtinere minimè poterant. Sauona hi duo reges ijſdem concordiæ atq; amoris ſignificationibus quarto die diſceſſerunt; alter quidem mari Barcellonam verſus, alter verò terreſtri itinere, Italiæ rebus in eodem ſtatu relictis in Galliam redijt: ſed Pontificis animo minus placato, qui ex Annibalis Bentiuoli motu, denuò arrepta occaſione, per Sanctæ Praxeidis Cardinalem Sauonæ ab Galliæ rege Ioannem Bentiuolum & Alexandrum eius filium qui in Inſubria erant ſibi captiuos tradi poſtularat: nam quoniam illi pactionem per Ciamontium Bononiæ factam violaſſent, regem ad fidem illis ſeruandam non amplius teneri: quod ſi concederetur, purpureum galerum Albienſi epiſcopo ſe miſſurum repromittebat. Rex horum culpam conſtare negebat: quam quia punire decreuerat, Ioannem permultos dies in Mediolanenſi arce detineri curauerat; ſed cum nullum delicti ipſorum inditium appareret, fidem qua ſe obſtrictum exiſtimabat frangere nolle, ſed vt Pontifici gratificaretur, ipſum cenſuris atq; pœnis, in eos velut in Pontificij imperij perduelles, agere paſſurum dixit: vt etiam Bononiæ in huiuſce motus feruore illorum ædes funditus demolitas fuiſſe queſtus non etat. Interea verò comitia Conſtantiæ conuocata, eadem hominum expectatione qua initium habuerant: quam expectationem Cæſar varijs artibus & magnificis verbis fouebat, ſeque tantas copias in Italiam traducturum diuulgabat, vt longè maiores quam Galliæ regis & Italorum coniunctæ vires ſibi impdimentum non eſſent allaturæ: & quo maiorem cauſſæ ſuæ dignitatem autoritatemq; conciliaret, Pontificatus patrocinium ſibi in animo fixum oſtendens, literis ſuis Pontifici & pontificum collegio, ſe Galliæ regem, quòd vt Pontificatum in Rotomagenſem, & Imperium in ſe transferret, omnemq; Italiam in acerbam ſeruitutem redigeret, in Italiam veniſſet, ſacri Imperij perduellem hoſtemq; declaraſſe; iter Romam ad imperij coronam accipiendam, & communem ſecuritatem libertatemq; firmandã: ſibi verò pro Cæſarea dignitate, Pontificij imperij patrono, & propria pietate ſacroſanctæ ſedis extollendæ cupidiſſimo, (quum pontificem tantorum periculorum metu Bononia aufugiſſe, eundemq; timorem nec ipſe, nec eius collegium pericula ſua indicarent, opemq; implorarent in cauſſa eſſe ſciret) donec ea de re flagitaretur rogaretúrue minimè expectandum fuiſſe, ſignificauit. Rebus igitur quæ in Germania agitabantur varijs internuntijs in Italia auditis, & fama quoque ſupra veritatem auctis, & maximis Galliæ regis qui non ſine cauſſa metuere cenſebatur, apparatibus, ijs quæ ferebantur fidem addentibus, omnium animi, aut rerum nouarum cupiditate, aut ſpe, aut timore vehementer commoti ſunt, ita vt Pontifex Cruceium Cardinalem legatum ad Cæſarem miſerit: ad quem & Veneti, & Florentini, &, Mantuano marchione excepto, quotquot in Italia ſui iuris erant, aut legatos, aut alio nomine proprios homines miſerunt. Quæ res Galliæ regis de Venetorum voluntate incerti, & de Pontificis, cùm ob alias veteres cauſſas, tum maximè, quòd Cruceium Cardinalem veteri ſtudio Cæſaris potentiæ cupidiſſimum legatum ad eum deſtinaſſet, incertiſſimi, animum vehementer angebant: & certè Pontificis voluntas ipſimet nota non erat nedum alijs; nam cum animum malè erga Galliæ regem affectum, & ſuſpicionibus plenum gereret, interdum vt ſe eo metu liberaret, Cæſaris aduentum exoptabat; interdum autem veterum inter Pontifices & Cæſares controuerſiarum, cum eaſdem cauſſas adhuc perſeuerare animaduerteret,

teret memoria terrebatur: quia in dubitatione,quid in Germanię conuentibus decerne retur expectans,deliberationẽ differebat; ideoq; communibus verbis vſus,legato Cæſarem ſuo nomine, vt in Italiam abſq; exercitu veniret hortaretur mandauerat: quod ſi faceret, maiores illi honores quàm ab vllo vnquam Pontifice in Cæſaribus inauguran dis pręſtiti fuiſſent,pollicebatur. Sed non multo pòſt,quid illa Comitia paritura eſſent, expectatio minui cæpit: quamprimùm enim Galliæ regem ſtatim poſt Genuenſes ſubactos exercitum dimiſiſſe,transq; alpes redijſſe in Germania cognitum eſt, timoreq; de pontificatu atq; imperio inuadendo ſublato;cumq; reliquæ publicę cauſſæ nõ tanti fierẽt,quin vt plerumq; accidit priuatis cõmodis pòſt haberentur,principum ac populorũ ardor magnopere deferbuit:nam præter cæteras cauſſas per vniuerſam Germaniã erat inueteratum ſtudium,ne Cęſarum potentia tanta eſſet,vt reliqui eis parere cogerentur. Nec verò Galliæ rex cauſſæ ſuæ vlla in parte defuerat:Cõſtantiam enim clàm proprios homines miſerat, qui ibi latitantes atq; quamoccultiſſimè agentes,clandeſtino principum amicorum fauore,infamiæ notas quibus grauabatur,factorũ demonſtratione purgatis,quòd ſtatim Genua domita,tã cito exercitũ dimiſiſſet: quòd etſi Italia inermis eſſet,tamen quamprimùm tranſalpes redijſſet, quòd nõ modò ſemper factis ab Romano imperio violando abſtinuiſſet,ſed in omnibus etiã fœderibus,pactionibus, obligationi bus quas feciſſet, ſemper ſe nulli rei aduerſus ſacri imperij iura obſtringi velle expreſſiſſet, reliquorum animos mitigare nitebantur: nec tamen tantùm his purgationibus freti quieſcebant,quin ſummo ſtudio,liberaliſſimaq; manu,vt Germanorũ ferocitatem armorum temperarẽt. Tandem vigeſima Auguſti die conuentus finem habuerunt, quibus poſt multas altercationes,decretũ fuit, vt Romanorum regi,octo equitũ, & viginti duo peditũ millia,quæ ipſum in Italiã deducerent cum ſemeſtri ſtipendio,& in tormentorum alioſq; qui extra ordinem fiunt ſumptus, centum & viginti Rhenenſium aureorũ numùm millia,penderentur: quæ copiæ vt proximo diui Galli die, qui circa medium Octobrem eſt,prope Conſtantiam congregatæ eſſent, cõſtitutum fuit: tuncq; fama fuit illos, ſi Maximilianus bellum quamuis ipſius adminiſtratione atq; conſilijs,prorſus imperij nomine geri,atq; duces imperij iuſſu eligi,eiuſdemque nomine milites conſcribi, & parta loca ex comitiorum præſcripto diſtribui voluiſſet, fortaſſe maiora auxilia decreturos fuiſſe; ſed cum Maximilianus nullum ſociorum, aliudue quàm ſuum nomen admittere, victoriæue præmia aliorum quàm ſuorum quamuis imperij nomine eſſe nollet: magisque hoc auxilio hac,quàm alia ratione maiori contentus eſſet, nihil aliud decretum fuit: quæ expeditio etſi hominum prius conceptæ expectationi non reſponderet, non tamen eius aduentus timeri in Italia deſinebat:cogitabatur enim illum ſubiectorum ſuorum auxilijs, & ijs quæ ipſe per ſe colligere poterat ijs copijs quæ in comitijs ei decretæ erant adiunctis, militum qui omnes feroces belloque experti eſſent, validiſſimum exercitum cum innumeris bellicis tormentis habiturum; quæ omnia magis formidanda faciebat, quòd ipſe natura & diuturna armorum exercitatione, militaris diſciplina peritiſſimus, & ad quamuis rem magnam corporis laboribus, animique ſolertia gerendam idoneus, eamque ob cauſſam maioris,quàm vllus Imperator iam à centum annis extitiſſet, nominis erat. Huc accedebat, quòd continenter de duodecim Heluetiorum millibus ad ſtipendia ſua pertrahendis agebat, cui rei etſi Diuionenſis præfectus alijque ab Galliæ rege miſſi, in eius gentis comitijs, tot annorum cum Galliæ regibus fœdus, cumque hoc ipſo rege paulò antè confirmatum; vtilitatem quàm ipſorum homines inde percipiebant: contra verò, inueteratam cum Auſtria familia ſimultatem, & graue bellum cum Maximiliano geſtum;quamque ipſis imperij magnitudo pernitioſa eſſet commemorantes,ſe vehementer opponerent: tamen minimè paruam Cæſaris poſtulatis ſatisfaciendi, vel ſaltem arma aduerſus illum non ſumendi, atque hoc quidem, vt credebatur, ne communis Germaniæ nomine, quòd huic motui affine videbatur, offenderent, propenſionem oſtendebant: quare multi Galliæ regem, ſi ab Heluetijs deſereretur, aut Veneti ſe illi non coniungerent, cum peditatum qui hoſtium peditatui opponi poſſet non haberet, & Germanicum furorem torrentis inſtar in Italiã ingreſſum, pecuniæ inopia citò diſſoluendum ſperaret, copias ſuas ad oppidorũ præſidia reuocaturũ ſuſpicabantur; iamq; Mediolani ſuburbia, aliaq;

eius imperij maioris momenti loca, ſumma celeritate muniri cernebantur. Quibus in negotijs apparatibusque in Veneti Senatus minimè minor quàm in aliorum mentibus dubitatio erat: cumq; illorum deliberatio maximi momenti eſſet, maximam omnes diligentiam operamq;, vt illos ſibi adiungerent adhibebant: quocirca Cęſar ab initio tres oratores magnæ autoritatis viros, qui per ipſorum fines iter ſibi cõcedi poſtularent miſerat; imò hac petitione minimè contentus, ad fœdus ſecum ineundum victoriæ præmiorum parte oblata, eos inuitabat, & è contrario, cum Galliæ rege ijs in ipſorum detrimentum legibus quæ toties diuerſis temporibus propoſitæ fuerant conuenire in ſua poteſtate eſſe oſtendebat: & viciſſim Galliæ rex per ſuos apud illum Senatum legatos & per Venetum legatum qui apud ipſum agebat, nullam operam, vt illos ad Cæſaris aduentum tanquam ſibi æquè & ipſis pernitioſum armis impiendum flecteret, viribus ſuis omnibus & perpetuo fœdere ad idem oblatis prætermittebat. At Senatui veneto, Italiæ quietem hoc tempore perturbari non placebat; neq; imperij augendi ſpes propoſita, quùm Cremonæ adeptæ lucrum ſuſpitiones atque pericula, in quibus poſtquam regem Galliæ tam vicinum habuerant verſati erant, minimè æquare, experientia didiciſſent, eos adnouos tumultus exoptandos mouebant: quare libenter neutri parti adhærentes, quieuiſſent: verùm Cæſare vrgente atq; infeſtante, aut eiitineris facultatem negare, aut concedere cogebantur: ſi negarent, ne primi moleſtias ſentirent metuebant; ſi concederent, Galliæ regem offendebant: quoniam in fœdere vtriſq; ne alterius hoſtibus iter concederent expreſſe cauebatur: ſi illum offendere cępiſſent, vbi Maximilianus veniſſet, in otio belli exitum ſpectare, & illouum quorum alter Veneto nomini inimiciſſimus, alter nullo alio quàm itineris conceſſi beneficio accepto, non valde amicus eſſet futurus, victoriã expectare, imprudentiæ fore animaduertebant: quas ob cauſſas omnes in eo Senatu alterutri parti apertè adhærendum eſſe cenſebatur; vtri autem adhærendum eſſet, admodum diuerſæ erant in tam graui cauſſa ſententiæ: vbi autẽ huius rei deliberationem quantum potuere diſtuliſſent, nec iam eos qui vrgere non ceſſabant, ferre poſſent, cum in Rogatorum Senatu tandem certum aliquid eſſet decernendum, Nicolaus Fuſcarenus in hanc ſententiam verba fecit:

Si in noſtra eſſet poteſtate, præſtantiſſimi Senatores, huiuſmodi deliberationem, qua in motibus atq; moleſtijs quæ nunc parantur, noſtra reſpub. in pace conſeruaretur facere, certò ſcio, nullam inter nos nunc ſententiarum varietatem fore, nullamq; ſpem propoſitam ad tanti ſumptus atq; periculi bellum, quale hoc quo de nunc agitur futurũ videtur, nos inducturum: verùm, quoniam ob eas cauſſas quæ hiſce diebus toties in hoc loco allatæ fuerunt, nos in hac quiete conſeruari poſſe ſperandum non eſt, præcipua ratio qua deliberatio noſtra niti debet, mihi eſſe videtur, vt aliquando nobiſcum ſtatuamus, vtrum inter Galliæ & Romanorum regem, vbi ab amicitia noſtra excluſus fuerit, concordiam orituram, an verò ſimultatem quæ inter ipſos eſt, tam potentem atq; firmam eſſe, vt illorum reconciliationem ſit impeditura, credendum ſit: ſi enim ab hoc periculo tuti eſſemus, ego proculdubio ab Galliæ regis amicitia recedendum minimè cenſerem; noſtris enim illius viribus bona fide ad communem defenſionem coniunctis, facilè imperium noſtrum tueremur, eſſetq; honeſtius in fœdere quod cum illo habemus permanere, quàm ſine conſpicua cauſſa ab eo diſcedere, & bellum quod pacis in Italia conſeruandæ titulum haberet ſuſcipientes, maiorem apud cunctos mortales laudem gratiamq; promereremur, quàm ijs armis quæ apertè ad maximas perturbationes in Italia excitãdas ſumuntur adhærentes: ſin verò huius recõciliationis aliquis metus eſſe cẽſeretur, neminem credo eſſe qui anteuertendum negaret: longè enim vtilius eſſet, cum Romanorum rege aduerſus Galliæ regem facere, quàm dum vterq; in nos conſpiret expectare: vtrum autem horum ſit futurum, certo iudicare difficile eſt; propterea quòd non ſolùm ex aliorum voluntate, ſed ex multis euentis & cauſſis, quæ hanc deliberationem vix in eius qui conſilium capit poteſtate reliquunt: tamen quantum cõiecturis aſſequi poſſumus, quantumq; ex præteritis futura colligere, mihi hęc res admodum periculoſa, atque admodum timenda videtur: nam quòd ad Romanorum regem attinet, haud veriſimile eſt, eum cum vehementer in Italiam venire cupiat, idq; niſi aut Galliæ regem, aut nos ſibi coniunctos habeat difficulter facere poſſit, diu ſuſpenſum futurum;

futurum; & quamuis noſtram magis ambiat amicitiam, quis poteſt dubitare cum alia ratione cogitata ſua perficere non poſſit, quin à nobis excluſus, neceſſariò ſe cum Galliæ rege ſit coniuncturus ? Quòd verò ad Galliæ regis animum attinet, maiores ad hanc concordiam difficultates apparent; ſed tamen meo iudicio non huiuſmodi, vt nobis aliquid firmi polliceri poſſimus ; quoniam ſuſpitio ambitioque potentiſſimi aculei atque ſinguli per ſe longè maiores motus facere ſoliti , illum in hanc ſententiam impellere poſſunt: Romanorum regem noſtram amicitiam flagitare ipſi compertum eſt, atque ex ſe ipſo mentẽ cupiditatesq; noſtras, etſi falsò æſtimãs, vereri poteſt, ne ſuſpitio noſtra quo minus ille anteuertat, vt nos illum anteuertere velimus efficiat, cum prẽſertim quid tandiu vnà contra nos deliberauerint , nobis notum eſſe ſciat : poteſt etiam timere ne ambitione moueamur; neque enim ampliſſimas conditiones nobis offerri ignorabit, cum nihil natura magis ſuſpitionibus obnoxium ſit , quàm regna; quæ res, quæ ſecuritas ei hunc ſcrupulum eximat? ac præter ſuſpitionem, poteſt & Cremonæ adipiſcendæ cupiditate , qua illum flagrare ſcimus , moueri, Mediolanenſibus nec minus totius veteris Vicecomitum imperij occupandi libido ; ad quod, vt & ad reliquum totius Inſubriæ dominatum ius hæreditarium prætexit , illum incitantibus ; id autem niſi cum Romanorum rege conſentiat, quoniam noſtra reſpublica per ſe potens eſt, ſe adeptu-rum eſſe ſperare non poteſt : quod ſi rex Galliæ ſolus nos adoriretur , Maximiliano adhærere ſemper in poteſtate noſtra eſſet: has autem cogitationes exiſtere poſſe, imò ſemper in illo fuiſſe , manifeſtam fidem facit , quod nunquam niſi cum eo coniunctus , nos opprimere conari eſt auſus ; cum igitur hæc ſit recta via quæ illum ad optatum finem poteſt perducere , cur nos illum tandem non eò deflexurum credere debemus ? Nec nos hoc metu liberet , cogitantes illi duarum vel trium ciuitatum adipiſcendarum gratia , Romanorum regem, ſuum naturalem hoſtem , & à quo tandem moleſtias & bella , neque vnquam amicitiam niſi incertam , quamque ingenti pecuniæ vi emere ac fouere cogatur , ſit habiturus , in Italiam introducere , inutile conſilium fore : ſi enim veretur ne nos cum Romanorum rege faciamus, præoccupando ſe non in periculum conijcere, ſed potius eo ſe eximere exiſtimabit: quin etſi de hoc fœdere nihil timeret, fortaſſe vt ſe à moleſtijs atq; periculis quæ ſibi ab illo, vel Germaniæ auxilio , vel aliorum coniunctione , & occaſionibus imminere poſſent, liberet, cum eò fœdus inire neceſſarium cenſebit: & quamuis in maiora pericula, ſi Romanorum rex pedem in Italia figere inciperet, ruere poſſet , tamen illud eſt communi hominum naturæ inſitum , vt prius propinquiora pericula timeant, & præſentia pluris quàm decet faciant, futurarum verò rerum atq; remotarum minorem habeant, quàm debent rationem : quoniam ad ea multa remedia & caſibus & temporibus ſperari poſſunt. Deinde etſi hoc fœdus Galliæ regi vtile non eſſet, nemo tamen illum id non facturum præſtare nobis poteſt. Nónne nos quantum aut metus , aut cupiditas hominum mentes oculosque obtundant, ſcimus ? Nónne Gallorum naturam nouimus? ad res nouas, leues , quique nunquam ſpem cupiditate minorem habent ? Nónne hortationes , pollicitationesque ad quemuis tranquillum animum accendendum potentes, quibus à Mediolanenſibus à Pontifice , à Florentinis , à Ferrarienſium duce , & Mantuano marchione aduerſus nos incitatur , nobis notæ ſunt ? Non omnes homines ſunt ſapientes, imò pauciſſimi ſunt qui ſapiant; & qui multi de alienis conſilijs conijcere , niſi falli velit , non tam quid ſapientem facturum veriſimilè ſit , quàm quod ſit conſilium capientis ingenium, eiusque natura, cogitare debet. Idcirco qui, quid Galliæ rex facturus ſit iudicare velit, non tam quid prudentia ſuadeat, quàm Gallos leues & minimè quietos eſſe , magisque impetu quàm conſilio ferri conſueſſe, conſiderabit, & magnorum principum mores indagabit : qui noſtris minimè ſimiles ſunt, nec tam facilè cupiditatibus ſuis , ac homines priuati imperant : quoniam in ſuis regnis coli , & ad nutum intelligi atque obediri aſſueti , non modò tumidi & inſolentes ſunt , ſed vt ea quæ ipſis iuſta videntur non obtineant, ferre non poſſunt ; iuſta autem illis videntur quæcumque expetunt , ſe vno verbo omnia impedimenta tollere, & rerum naturam ſuperare poſſe exiſtimantes, imò ab ſuis cupiditatibus , difficultate remoueri ſibi dedecori ducunt; & plerumq; res maiores eodem pede quo in mino-

ribus vti consueuerunt metiuntur, non ex prudentia & ratione, sed ex libidine atq; arrogantia consilium capientes; quibus vitijs omnibus qui alijs imperant, communibus, nemo Gallos affirmarit. Nónne recenter regni neapolitani exemplum vidimus? cuius dimidium ab Galliæ rege, ambitione inconsiderantiaq; ducto, vt ipse altera parte potiretur, quantum potentia sua antea inter Italos omnes vnica, altero rege sibi potentia autoritateq; æquato in Italia minueretur, miminè animaduertente, Hispaniæ regi concessa fuit: sed quid nos in ijs rebus quarum certam notitiam habemus coniecturas quærimus? Nónne ea quæ Rotomagensis cum hoc ipso Maximiliano de imperio nostro inter ipsos diuidendo Tridenti egit, notissima sunt? Nónne idem negotium postea Blesij inter ipsos transactum fuisse constat? eundemq; purpuratum eam ob caussam in Germaniam profectum, Cæsaris confirmationem iusq; iurandum retulisse? Atqui hæc fœdera exitum non habuerunt, (fateor) aliqua re quæ impediret intercedente: sed cum præcipuus scopus idem fuerit, quin ad difficultates quæ commune desiderium impediuerunt tollendas aliqua ratio inueniri possit, quis præstabit? Quocirca, digniſſimi Senatores, ingruentia pericula, reprehensiones, & infamiam, quæ apud cunctos mortales, si præsentium rerum statum malè æstimantes, alios ijs armis, quæ nobis ad imperij nostri securitatem atq; incrementum offeruntur, nobis formidabiles fieri permiserimus, clarissimum huius Senatus prudentiæ nomẽ obscurabit, diligenter expendite, & ad patriæ vestræ commodum, quantum alijs bellum inferre, & domi id ab alijs expectare; de aliorum imperio diuidendo agere, & sui diuisionem metuere; aduersus vnum, socium habere, & solum aduersus multos relinqui, inter se distent cogitate: si enim hi duo reges fœdus contra nos percusserint, illos Pontifex propter Aemiliæ oppida; Aragoniæ rex propter regni neapolitani portus; ac deniq; vniuersa Italia, aut recuperandi, aut rerum suarum in tuto collocandarum gratia sequentur. Quid tot annos Gallię rex contra nos cum Cæsare agitarit, nemo homo nescit: quare si arma aduersus eum qui nos decipere uoluit sumpserimus, nemo nos perfidos apellabit, nemo mirabitur, sed ab omnib. prudentes existimabimur, & summa cum nostra laude in periculo cernetur is, quem omnes norunt nos fraude in id conijcere conatum esse. Sed in contrariam sententiam Andreas Grittus vir multis nominibus suspiciendus, sic loquutus est:

Si in eadem caussa semper, in eorum de quibus non liquet vrnam suffragium inferre liceret, equidem clarissimi Senatores, id ipsum hoc tempore proculdubio facerem: hæc enim deliberatio vndequaq; tot difficultatibus est inuoluta, vt ego sæpe ijs me explicare vix possim; tamen cum sententia dicenda sit, neq; id certis rationibus atq; argumentis fieri possit, rationibus quæ inter se pugnant ponderatis, probabilia magis ac firma sunt sequenda momenta rerum; quæ dum diligentius expendo, regem Galliæ, siue ne à nobis anteuertatur, metuens, siue eorum locorũ quę olim ad Mediolanense imperium spectabant cupiditate, cum Romanorum rege vt contra nos in Italiam exercitum ducat, fœdus initurum, nullo modo mihi persuaderi potest: quoniam pericula ac detrimenta quæ inde ad illum peruenirent, proculdubio nostræ cum Cæsaræ societatis periculo, aut præmijs quæ ex ea re sperare posset, longè sunt maiora atq; apertiora; cum præter inimicitias grauissimasq; iniuras quæ inter illos vigent, intercedat etiam dignitatis atq; imperiorum æmulatio, quæ vel inter amicissimos gignere odium solet. Quocirca à Galliæ rege, Romanorum regem in Italiam accersiri, nihil aliud est, quàm reipublicæ pacatæ, & cum qua semper pacem habuit, quæque nullam cum ipso controuersiæ caussam habet loco, regem iniuria affectum, immitem, milleq; autoritatis imperij, & vltionis gratia cum ipso controuersiarum caussas habentẽ, vicinum habere velle. Nec mihi aliquis dicat, Romanorum regis pecunia egentis, inordinati, & non satis in rebus gerendis felicis vicinitatem, Galliæ regi timori esse non posse: nam ob veterum Italiæ factionum studiorumq; quæ multis in locis & pręsertim in Insubria etiamnum vigent memoriam, nullus vnquam Romanorum imperator tam paruum nidum in Italia habebit, quin id graui cum aliorum periculo sit coniunctum, præsertim verò Cæsar tum ob ditionem quam habet Italiæ finitimam, tum quòd magni animi, magnæ in re militari scientiæ atq; vsus princeps existimetur, tum quia Ludouici Sfortiæ filios secum habere potest, qui ad multorum animos concitandos plurimum valent, præter quàm quòd quotiescunq;

tieſcunque bellum cum Galliæ rege gereret, Hiſpanum regem ſi non alia de cauſſa, ſaltem quia vterq; eoſdem habet hæredes, ſecum facturum ſperare poſſet. Nouit rex Galliæ quàm Germania potens ſit, quamq; facilius ſit futurũ vt tota vel pars eius cõiungatur, cum aditus patebit, & prædæ ſpes aderit: nónne quantum is ſemper Germanorũ & huius tã inopis atq; inordinati regis motus formidauit, vidimus? qui ſi in Italia eſſet, ſe nihil aliud cum illo quàm aut periculoſum bellum, aut dubiam & ſumptuoſiſſimam pacem habere poſſe certò ſciret: fieri quidẽ poteſt vt Cremonam recuperare cupiat, & fortaſſe etiam alia oppida, ſed tamen minoris lucri cupiditate, longè maioris detrimẽti ſe nihil aliud cum illo quàm aut periculoſum bellum, aut dubiam & ſumptuoſiſſimam pericu lum ſubire velle minimè eſt veriſimile; & prudentia illũ potius quàm temeritate hac in re vſurũ credibilius eſt: nam ſi errata quæ hic rex cõmiſiſſe dicitur percurremus, ea aliunde quàm ex nimio rerum ſecurè gerendarũ ſtudio originem non habuiſſe cernemus: quid enim aliud illum ad regnum neapolitanum diuidendum impulit? quid aliud ad Cremonam nobis condonandam, niſi quòd illorũ victoriam bellorum facilioré reddere ſtudebat? credibilius igitur eſt illum nunc quoq; prudentiora cõſilia conſuetudinemq; ſuam potius, quàm temeraria ſequuturum; præſertim cum voti ſui alio tempore, maiori ſecuritate, occaſioneque meliori compos fieri, ſpe prorſus excludatur: hæc enim homines ideò ſibi facilè polliceri ſolent, quia minus errat qui rerum humanarum viciſſitudinem, quàm qui conſtantiã ſibi pollicetur. Nec verò ijs, quæ inter hos reges, alias agitata fuiſſe dicuntur, terreor: eſt enim hoc in noſtrę ætatis principũ more poſitũ, vt alter alterum vana ſpe, & fictis conſilijs foueat; quæ cum tot annis exitum nõ habuerint, fatendum eſt, aut ea vel ficta fuiſſe, vel aliquam difficultatẽ quæ explicari non poſſit habere; nam vt hęc inter ipſos ſuſpicio diffidẽtiaq; tollatur, repugnat ipſa natura: ſine quo fundamento hæc ſocietas inter ipſos coire non poteſt: non igitur vereor vt rex Galliæ, oppidorũ noſtrorum cupiditate, in tam præceps tamq; imprudens conſiliũ ruat: neq; etiam, meo quidẽ iudicio, ſuſpitione de nobis cõcepta, in eam ſententiã cadet: nam præter longam animorũ noſtrorũ experientiã, cum nobis multi ſtimuli multæq; ab eius fœdere diſcedendi occaſiones nõ defuerint; eædem rationes quæ nos de illo ſuſpicari vetant, ipſius viciſſim de nobis ſuſpicionẽ extinguent. nihil enim nobis, tum ob imperij auctoritatẽ, cuius incrementũ ſemper nobis ſuſpectum eſſe debet: tũ Auſtriæ familiæ cauſſa quæ in aliquot noſtra loca ius ſe habere exiſtimat: tum ob Germaniæ cuius inundationes imperio noſtro nimium periculoſę ſunt, propinquitatem, pernitioſius foret, quàm ſi Romanorũ rex aliquod imperium in Italia haberet: & nos quidem deliberationes noſtras maturare, ac tarditate potius, quàm celeritate peccare dicimur: Hæc ego cõtra hominum opinionem contingere poſſe; ideoq; ſi quis ſe in tutum collocare poſſet, id operę præcium fore, minime inficior: ſed cum id àbsq; grauiſſimis periculis difficultatibusque fieri non poſſit, ſæpe vanos timores, non minus quàm nimiã confidentiam nocere, eſt cogitandum: ſi enim cum Romanorum rege aduerſus Galliæ regem ſocietatem inierimus, bellũ noſtro ære incipiendũ ac ſuſtinendum erit: eodẽ omnes eius largitiones atq; errores erunt ſarciendi, alioqui vel cũ hoſtibus paciſcetur, vel nobis ſolis omnibus onerib. atq; periculis relictis, in Germaniã ſe recipiet. Bellũ erit nobis cum Galliæ rege potentiſſimo, Mediolanenſium duce, Genuę principe, equitatu, bellicisq; tormentis ſupra omnes alios principes valido & copioſo, & ad cuius pecuniarũ nomen omniũ gentium pedites cõcurrunt, gerendũ. Qua ratione igitur cõſilia noſtra in eum felicẽ ſuccеſſum habitura ſperari poteſt? cum etiã non leuibus de cauſſis vereri poſſimus, ne omnes qui in Italia, vel ſua à nobis occupatum iri metuunt, vel potentiã noſtram ſuſpectã habent, cõtra nos ſint cõſpiraturi: ac Pontifex præſertim, cui pręter odiũ quo in nos flagrat ob inſitum à natura diſſidium inter pontifices Ro. & Imperiũ, cuius cauſſa illi non minus in profanis rebus Cæſares metuunt, quàm in ſacris Turcas; nunquam Cæſaris in Italia potentia placebit: hæc autem ſocietas fortaſſe nobis periculoſior eſſet, quàm quæ inter Galliæ atq; Romanorũ regem timetur: nam vbi plures principes qui ſe pares exiſtimant, coniunguntur, facilè inter ipſos ſuſpiciones cõtrouerſiæq; exiſtũt; ex quo ſæpe fit, vt res magna ſpe cęptæ, in multas difficultates incidant, ac tandẽ euaneſcant. Neq; illud in poſtremis habendũ eſt, quòd quamuis rex Galliæ, conſilia fœderi noſtro contraria agitarit, nõ tamẽ facta, quib. nos fefelliſſe dici poſſit, extiterunt: quocirca bellũ aduerſus

illũ ſuſceptũ abſq; fidei noſtræ macula eſſe nõ poterit; cuius hic Senatus honoris, & negotiorũ quæ quotidie cũ alijs principib. habemus gratia, ſummã rationẽ habere debet; neq; nos ſemper de omnib. vicinis opprimendis cogitare, nos ad Italiæ regnũ aſpirare, opinionẽ augere nobis vtile eſt: vtinã antea maiorẽ huius rei rationẽ habuiſſemus: etenim omnes ferè ſuſpitiones quibus nunc laboramus, ex eo quòd nimis multos antè hac læſerimus, manant: neq; nos ad nouum bellum aduerſus Gallię regem nobis fœderatũ metu, ſed Mediolanenſis imperij partem, cum Romanorũ rege contra ipſum, quemadmodũ ei contra Ludouicũ Sfortiã coniuncti fecimus, adipiſcendi cupiditate trahi crederemur: quo tẽpore ſi maiorẽ reb. noſtris moderationẽ adhibuiſſemus, neq; leues ſuſpitiones nimiũ timuiſſemus, Italiæ res in his motib. nõ eſſent; & nos maioris modeſtiæ grauitatisque fama conſeruata, nunc bello nos cum hoc aut illo nobis potentiori principe immiſcere nequaquam cogeremur: qua in neceſſitate quoniam verſamur, maioris prudentiæ eſſe cenſeo ab Galliæ regis fœdere non diſcedere, quàm ſi vano timore, aut incerti ac detrimẽtoſi quæſtus ſpe ducti, bellũ amplectamur, quòd ſoli ſuſtinere nõ poſſimus; & ſocij quos haberemus, nobis deniq; grauiores quàm vtiliores eſſent futuri. Variæ fuerunt in tanta rationum varietate in Senatu ſententiæ: ſed tandem Romanorum regis eas ciuitates & loca, quibus ipſi potiebantur, & ille vel ad imperium, vel ad Auſtriam familiam ſpectare opinabatur, quamprimùm occaſio daretur recuperandę cupiditatis memoria, qua illũ ſemper exarſiſſe ſciebant, ſuperauit: quocirca ſenatus cõſultum in eam ſententiã factũ eſt, vt ſi abſq; exercitu veniſſet, ei liber in Italiã aditus permitteretur; ſin armatus, negaretur; quã ſententiã in reſponſo quod eius oratorib. dederunt, potius ob fœdus quod cum Galliæ rege habebant, & præſentium temporũ ſtatum, neceſſitate expreſſum eſſe, quàm quòd nulla in re illum offendere cuperẽt, quantũ potuerunt eis perſuadere ſunt conati: illud addentes, ſe eodẽ fœdere, illũ ad Mediolanenſis imperij defenſionẽ certo militum numero, qui in fœdere expreſſus eſſet, iuuare cogi; ſe verò in hoc ſumma moderatione vſuros, neq; vlla ex parte ea ad quæ tenerentur exceſſuros: ijs autem quæ hac ratione pro Inſubriæ defenſione facere cogerentur exceptis, nullum alium ipſius progreſſum impedituros; vt qui quantũ in ipſorum poteſtate eſſet, ea officia eamque obſeruantiam quæ Senatum Venetum tanto principi, & cum quo nunquam niſi amicitiam, coniunctionemque habuiſſet, præſtare deceret, minimè eſſent prætermiſſuri. Nec tamen ideò nouum cum Galliæ rege fœdus percuſſerunt, aut ſe nouis cõditionibus obſtrinxerũt: quã minimũ fieri poſſet ſe bello inter ipſos, immiſcere cupientes, & Maximilianũ ne ſibi impedimenta augeret, fortaſſe finibus ipſorũ in pace relictis, arma ſua, aut in Burgundiam, aut in Inſubriam conuerſurum ſperantes. At Romanorũ regi, coeundæ cum Venetis ſocietatis ſpe deſtituto, alia impedimenta obuerſari cæperunt: quę etſi cogitationũ mole ſuperare, maiores ſemper quàm ipſa eſſent impedimenta ſibi fingere conſuetus, ſtuderet, tamen eius conſiliorum exitus magnopere tardabantur: quia neq; per ſe tantam pecuniæ vim quæ ad Heluetios conſcribendos, & tot alios ſumptus qui ad tantũ bellũ erant neceſſarij ferendos, ſufficeret, habebat: neq; pecuniariũ ſubſidiũ in Comitijs decretũ huiuſmodi erat, vt vel minimam bellicæ voraginis partẽ explere poſſet; & fundamentũ illud in quo ab initio plurimũ ſpei collocarat, videlicet Italię ciuitates atq; principes, eius nominis aduentusq; terrore ſecũ pacturos, ſeq; pecunia iuuaturos, indies magis minuebatur: nã etſi ab initio multi ad id ꝓpẽſi fuerant, tamẽ cum decreta Cõſtantienſis cõuentus expectationi quæ habebatur, bellũ potius imperij & totius ferè Germanię, quàm ꝓprio nomine gerendũ minimè reſpõdiſſet; & potentes Galliæ regis apparatus cernerẽtur, & noua Venetorũ declaratio cognita eſſet, ſuſpenſi hęrebãt: nec ea re qua maximè indigebat illũ inuãtes, Gallię regẽ tã grauiter lędere audebãt; neq; Maximiliani petitiones, eo tẽpore quo maximè timebatur, tales fuerãt, vt facilitate ſua homines allicerẽt: nã & ab omnib. ꝓ ratione facultatũ multũ petebat; & ab Alfonſo Ferrarienſiũ duce, quã Blancæ vxori ſuæ, Annæ eius ſororis, ante multos annos in Alfonſi matrimonio defunctæ dotẽ debere aiebat, immẽſa petebat: & à Florẽtinis nõ ferenda, à quib. Brixiniẽſis cardinalis qui Romę eius negotia ꝓcurabat, cui id negotiũ à Cęſare demandatũ erat, auri pondo quinquies mille petierat; q̃ immoderata petitio effecit, vt tãdiu donec eius ꝓgreſſus melius cernerẽtur, cunctandũ decernerent:

nerent:& tamen cum eius offensionẽ vitare cuperent, se apud regẽ qui auxilia ipsorum petebat, dare nõ posse responderunt,quòd cum copijs suis ad Pisani agri depopulationem,quæ eo anno magno apparatu fiebat,vterẽtur,&, quia cũ Genuenses & reliqui vicini illos denuò iuuare cæpissent,semper cõtra ipsos parati esse cogerentur.Cum igitur Cæsar nõ quemadmodũ existimauerat Italorũ pecunijs iuuaretur, quia tantùm à Senensibus sexaginta auri libras accepit; à Pontifice saltẽ mille pondo ex ea pecunia, quæ in Germania belli aduersus Turcas nomine collecta,& in hũc finẽ ibidem custodita, absque Pontificis consensu in aliũ vsum minimè conuerti poterant,sibi concedi postulauit; se quamuis eius petitioni,vt sine exercitu in Italiam veniret, satis facere non posset,tamen quam primùm Ludouici Sfortiæ filios,quorum patrocinium, vt sibi Insubres magis beneuolos,atq; iter suum minus odiosum redderet,præ se ferebat,in Mediolanense imperium reduxisset,omnibus copijs ibi relictis,sine militaribus copijs Romam ad Cæsaream coronam accipiẽdam iturum pollicitus,sed & id illi à Pontifice, qui nullam in partem inclinare cernebatur, & se Galliæ regis arma in hoc rerum statu sine graui periculo in se prouocare no posse ostendebat: nihilominus Maximilianus in his difficultatibus constitutus,vt erat vigilans,cõfidens, quiq; incredibili labore per se res gerere vellet,nihil quod ad expeditionis suæ famam retinendam faceret,prætermittere;tormenta pluribus in locis ad Italię fines mittere;duodecim Heluetiorum millia conscribendorũ, qui varijs postulatis interpositis, multisque propositis immunitatibus,nihil adhuc certi respondebãt,negotium vrgere,promissas copias accelerari iubere; ipseq; quoditie huc atq; illuc diuersarum expeditionum gratia se transferre : adeò vt hominibus in magna ambiguitate versantibus,si in vlla vnquam re in hac certè varia erant in Italia iudicia; in alijs enim huius motus opinio maximè augebatur; alij potius res deferuescere quàm augeri censebant; quam dubitationem ipse augebat,quoniam natura occultissimus nemini cogitationes suas aperiebat: & quo minus in Italia notæ essent,Pontificium legatum & ceteros Italos ne se sequerentur, certo in loco extra aulam separatos esse iusserat. Iam diuo Gallo sacer dies militum delectui destinatus aderat; sed exigua tantùm pars constantiam conuenerat ; & vix alij eius quàm tormentorum apparatus : ipseque summo studio pecunijs diuersis rationibus colligendis incumbere,cernebatur:quo circa,quum quibus viribus,quo tempore,qua ex parte impetum facturus esset,an Foroiulij ingressurus, an verò Tridento in Veronensium fines irrupturus,alijs illum per Allobroges, aut Comensi itinere Insubriam,cum multi ex ea regione exules cum sequerentur inuasurum censentibus, incertum esset; nec non alijs ne in Burgundia aliquem motum faceret verentibus, qui sibi ab illo metuebant magnos diuersis in locis apparatus faciebant.Idcirco rex Galliæ magnum equitum ac peditum numerum in Insubriam miserat,& præter reliqua ad eius imperij defensionẽ comparata, Hispano rege,de quo Cæsar hac de caussa grauissimè questus est, permittente, duo millia & quingentos Hispanos pedites in regno neapolitano conscripserat: & Ciamontius eodem tempore de Boromeorum fide dubitans, Aronam eius familiæ castellũ ad Verbanum Lacum situm repentè occupauit. In Burgundiam quingentos cataphractos Tramolia eius prouinciæ præfecto duce miserat, atque vt Cæsaris cogitationes & vires plures in partes distraheret,perpetuò Gheldrensium ducem qui Caroli Cæsaris nepotis regionem infestabat, iuuabat atque fouebat: præterea Ioannem Iacobum Triultium cum quadringentis cataphractis & quatuor peditum millibus Veronam vt Venetis auxilio esset miserat: Veneti autem Roueretum versus, vt motus qui ab Tridento fierent impedirent, Pitiliani comitem cum quadringentis grauis armaturæ equitibus, & multis peditibus, & in Foroiulij octingentos graues equites Bartholomeo Aluiano,qui iam dudum ad ipsorum stipendia redierat,duce,constituerunt: At primùm periculum ex ea parte ex qua nemo cogitarat apparuit: quoniam Paulusbaptista Iustinianus,& Fregosinus Genuenses exules,mille Germanos pedites Gatiolum,quod oppidum Ludouici Gonzagę Cęsaris beneficiarij est,duxerunt:qui inopinatò,summaq; celeritate per montes atq; asperrima Veneti imperij loca,eo consilio vt Pado flumine transmisso per iuga Parmensia Genuam versus contenderent iter fecerunt: sed Ciamontius id suspicatus statim multos equites ac pedites qui illos itinere prohiberent Parmam misit; quorum aduentu Germani Ge-

nuæ aliquid geri posse spe amissa, eodem itinere sed non eadem celeritate, nec sine periculo, in Germaniam redierunt: Veneti enim publici commodi gratia, tacito consensu eos regredi passi sunt. Erant eodem tempore Bononiæ multi Genuenses exules, eamq; ob caussam rex, id Pontificis consensu agitatum fuisse non mediocriter est suspicatus: de cuius voluntate multa alia eum suspicari cogebant; quoniam Cruceius Cardinalis, quamuis potius proprio studio quàm alia de caussa Cæsarem vt in Italiam veniret hortabatur, & cum accidisset vt Foroliuienses exules, Fauentia egressi quadam nocte Forumliuij occupare essent conati, Pontifex id Galliæ regis & Venetorum consilo factum querebatur. Huc accedebat quòd quidam monachus Mantuæ in carcerem coniectus, se cum Bentiuolis de Pontifice veneno tollendo egisse; & Ciamontij nomine, se vt quod Bentiuolis pollicitus erat præstaret, stimulatum fuisse confessus erat: quare Pontifex quæstione habita, & re in iuris formam redacta, cum ea Achillē Crassium Bononiensem, Pisaurensium episcopum, qui pòst fuit Cardinalis, ad regem misit, qui rei veritatem inquiri, & tanti sceleris conscios puniri postularet, cuius rei cum Alexander Bentiuolus præ ceteris reus censeretur, regis iussu in Galliam ad caussam dicendam vocatus est. In his actionibus atque ambiguitate, finem habuit annus M. D. VII.

1508. Anni aût M. D. VIII. initio, cum Bononiensium mobilia ingenia quiescere non possent, Annibal & Hermes Bentiuoli, cum nonnullis iuuenib. Pepulæ familiæ, alijsq; nobilib. adolescentibus cōspiratione facta, repentè Bononię appropinquarunt; qui motus periculo minimè caruit, quoniā coniurati vt illos introducerent, iam Māmoli portam occuparant; sed populo pro pontificio imperio ad arma concitato, iuuenes territi portam deseruerunt, & Bentiuoli recesserunt: hic aût motus pontificis in Galliæ regē animū potius mitigauit, quàm accenderit: rex etenim eā rem sibi molestissimā esse ostendens, Ciamōtio, vt quotiescunq; opus foret cū omnib. cataphractis Bononiensibus rebus opē ferret, nec Bentiuolos Mediolanensis imperij vlla in parte versari permitteret, imperauit: ex quibus tunc Ioannes animi mœrore obierat: antequam Bononia pelleretur, fortunæ acerbitatem ferre minimè assuetus, cum prius diu omnium Italiæ tyrannorū felicissimus ac secundo aspirantis fortunæ flatu exemplum extitisset, quoniam quadraginta annorū spacio quo Bononiæ ad arbitrium suum regnauit, nunquam alicuius ex suis obitum, nedum aliud, senserat: semper tum ipse tum filijs militiæ gradibus stipēdijs, & maximis honoribus ab omnib. Italiæ principibus affectus: semperq; se omnib. rebus à quibus periculum ipsi imminere videbatur facillimè liberauerat: quàm felicitatem, præter eius vrbis situs oportunitatē, fortunæ præcipuè acceptā ferre debere videbatur: cōmuni enim hominū iudicio, nec ingenij, nec prudentiæ, nec præstantis fortitudinis ei laus tribuebatur. Eiusdē anni initio Cęsar cum armorū motū differre iam nollet, fęcialē qui ipsum ad Cæsareā coronam accipiendā in Italiā transire velle significaret; & quatuor equitū millia recipi postularet Veronā misit; cui Veronæ magistratus, ea re prius Venetijs discussa, responderunt; si eius aduentus nulla esset alia quā coronæ accipiendæ caussa, se illum maximo cum honore accepturos; sed cum tormenta aliosq; bellicos apparatus ad ipsorū fines duxisset, facta ab eius oratione diuersa apparare. Maximilianus igitur Tridentū profectus, vt belli initium faceret, tertio Februarij die supplicationes tota vrbe indixit; quibus ipsemet imperij fœciales & Cæsareū ensem vagina vacuū ante se habens interfuit: quarū fine, Matthæus Langus, qui illi ab epistolis erat, & postea Gurcensis Pontifex fuit, eminenti suggesto conscenso, Cęsaris nomine, illum nō amplius Romanorū regem, sed quemadmodum regis Romanorum, quum ad coronā accipiendā veniunt apellari consueuerunt, Imperatorem designatum nuncupans, eius in Italiam hostiliter exercitū traducendi decretū promulgauit, eodemq; die vt nemo Tridento exiret cauit: & magna panis copia, multisq; ad belli vsum ligneis machinis cōparatis, plurimisq; lintrib. rebus necessarijs onustis Athesi flumine pręmissis, sequenti nocte paulo antè lucem, cum mille & quingentis equitibus, & peditum quatuor millibus, quas copias nō ex conuentus decreto, sed ex propria aula regnisq; suis habebat, Tridento est egressus: idq; iter cepit quod per eos montes Vicetiā ducit: eodemq; tempore Brandeburgensis marchio, cum quingentis equitibus & duobus peditum millibus ex ijsdem regionibus, Roueretū versus cōtendit: Brandeburgensis sequenti die nulla alia re, nisi quod Roueretī se ostende-

rat,

rat,& fruſtrà intromitti petierat,confecta redijt. Cæſar autem Siagium montem,cuius radices,ad duodecim vſq; ab Vicetia paſſuum millia protendũtur ingreſſus, & Septem communium oppidis, qui populi ſic nuncupati,montis ſummum iugum multis ab Veneto Senatu immunitatibus atq; priuilegijs donati,incolũt, captis, ac multis itinerũ aggeribus & foſſis,quas vt ſe defenderent eumq; itinere prohibẽrent fecerant,complana tis, aliquot tormenta conuexit; ex quo cum indies feliciores ſucceſſus expectarentur, quarto poſtquam Tridento diſceſſerat die, omnium animis ob tantam vel inconſiderantiam,vel inconſtantiam ſumma admiratione repletis, repente Bolgianum,quæ ciuitas ab Italiæ finibus longius quàm Tridentum diſtat, regreſſus eſt. hoc tam debile initium Venetorum animos excitauit, quare cum multos pedites conſcripſiſſent,Gallicas copias quæ cum Triultio Veronæ erant,Roueretum accerſiuerunt,maioribusq; apparatibus cæptis,Galliæ regem ad idem faciendum incitabant: qui Italiam petens quinque Heluetiorum millia ſuis, & tria millia Venetorum ſtipendijs præmittebat; quoniam ea gens cum Maximilianus pecuniam numerare non potuiſſet, tandem prorſus ad regis ſtipendia erat conuerſa; qui nihilominus vbi acceptis ſtipendijs conueniſſent,Venetorum imperium ingredi,ſe nulla alia in re quàm ad Mediolanenſis imperij defenſionem, aduerſus Cæſarem militare velle profitentes, noluerunt. Maior, ſed infeliciori & ad longè maiorum rerum cauſſam deſtinato euentu, motus in Foroiulij excitatus eſt; quo Cæſaris iuſſu quadringenti equites & quinq; peditum millia, omnes in Tirolenſi tractu conſcripti venerunt; qui Cadorenſem vallem ingreſſi, caſtellum cum arce,vbi paruum inerat preſidium,& Venetum magiſtratum cæperunt:qua re Venetijs audita,Aluianum, & Georgium Cornarium legatum, qui in Vicetino agro erant, ſtatim ei regioni opem ferrè iuſſerunt; & vt ipſi quoq; hoſtes viciſſim ab ea parte infeſtarent, quatuor triremes aliaq; nauigia Tergeſte verſus miſerunt: eodemq; tempore Maximilianus, qui Bolgiano Brunecium ſe contulerat, cum ſex millibus peditum in ea regione collectorum,ob itinerum & latioris regionis oportunitatem in Carnos conuerſus, per quaſdam valles ſupra quadraginta millia paſſuum iter in Venetorum fines irrupit: & Cadorenſi valle qua Tauriſium verſus iter eſt occupata,ac Boſtaurẽſi caſtello, quod olim in Aquilegien ſis patriarchæ iure erat,à tergo relicto, Sanmartini, & Plebis caſtella, & vallem quam Sauiniani comites cuſtodiebant, cum alijs vicinis locis cepit: hocque progreſſu potius centurione aliquo quàm rege digno, eas copias in Tauriſinum agrum duci iuſſis,ipſe vt gemmas pignori daret, alijsq; rationibus,nummos quos cum effunderet potius,quàm inſumeret,nullus numerus ei ſatis eſſe videbatur,compararet; ad Februarij finem Oenipontem redijt:ſed quum Heluetios Galliæ regis ſtipendia accepiſſe in itinere certior factus eſſet,in eos indignatus, Vlmam Sueuiæ ciuitatẽ,vt Sueuicum fœdus,ad ſe,quemadmodum aliàs fecerant in bello contra Heluetios, iuuandum incitaret petijt, & apud Septemuiros auxilia Conſtantienſibus comitijs promiſſa in ſex alios menſes ſibi prorogari inſtabat:& ſimul, ſuas proprias copias quæ numero ad nouem millia,partim pedites partim equites, Baioccum caſtellum è regione Roueretі in regia via quà Tridento in Italiam itur ad dexteram Atheſi flumine inter illud & Roueretum quod ad ſiniſtram eſt,labente ſitum, tormentis prius verberatum deditione ad arbitrium facta, in poteſtatem ſuam redegerant. Aluianus autem ſumma celeritate ad opem Carnis ferendam duxit,montibus qui niue obtecti erant ſuperatis,biduo prope Cadorium peruenit;vbi militibus qui ſuam celeritatem æquare non potuerant expectatis,anguſtias quaſdam,quibus in Cadorenſem vallem iter patet ab Germanis non cuſtoditas occupauit:cuius aduentu regionis incolæ, qui libenter ſub Veneto imperio erant, audaciores facti, alias vallis anguſtias,quibus Germani recedendi facultatem habuiſſent,occuparũt: qui cum ſe clauſos ac circunuentos eſſe, neque aliam ſalutis ſpem quàm in armis ſupereſſe animaduerterent, Aluianumq; copias ſuas indies auctурum exiſtimantes, maximo animo illum ſunt adorti; cumq; ab eo certamen non recuſaretur, atrociſſima pugna eſt cæpta; in qua Germani qui potius cum gloria intereundi cupiditate, quàm ſalutis ſpe ferociter pugnabant, magno agmine in cuius medio mulieres collocarant facto, aliquot horis magna vi dimicarunt: ſed quum tandem hoſtium numerum atq; virtutem ſuſtinere non poſſent,ſupra mille cæſis & reliquis captis prorſus victi fuerunt: poſt quam victoriam

Aluianus Cadorenſem arcem à duabus partibus adortam expugnauit; vbi Carolus Malateſta, è veteribus Ariminenſium dominis vnus, lapide ex turri proiecto ictus interijt: mox victoriæ occaſionem ſequutus, Portumnauonis, deinde Cremonſam, in edito colle ſitam cæpit: ea capta ad Goritiam ad Iuliarum alpium radices ſitam, loci natura, & arte bene munitam, quæque arcem aſcenſu arduam habet, exercitum duxit, & ponte prius capto, deinde tormentis contra oppidum collocatis, quia armorum, aquę & commeatus penuria laborabant, quatriduo deditione ea potitus eſt: & oppido capto arcis præfectus & milites qui in arce erant, quadraginta auri libris acceptis, arcem dediderunt: quam Veneti ſtatim, vt veluti pròpugnaculum & frenum, ad Turcas ab Liſontio flumine tranſeundo deterrendos eſſet, diligenter munierunt: quoniam eius loci oportunitate facilè eis recedendi facultas adimi poſſet: Goritia occupata, Aluianus Tregeſte caſtra admouit, quæ ciuitas eodem tempore & à mari claſſe premebatur, nec abſque Galliæ regis qui ne Romanorum regem tam grauiter irritarent ſuadebat, moleſtia, facilè ea potiti ſunt; verùm cum ob Veneti ſinus vſum eorum commertijs valde eſſet opportuna, nec nõ fortunæ fœlicitate elati, victoriæ curſum ſequi decreuerant: quare Tergeſte cum arce potiti, Portum Nauonis deinde Flumen Illyriorum oppidum, quod è regione Anconæ eſt, occuparunt: & quia naues quæ vectigalibus ab ipſis impoſitis non ſolutis per Adriaticum ſinum nauigare volebant recipiebat, incenderunt: Alpibus deinde ſuperatis Poſſonium in Pannoniæ finibus expugnarunt. Hęc in Iulij foro gerebantur. At Tridentum verſus Germanicus exercitus, qui ad Callianum vicum Venetorum clade, quia prope eum antè paulò plus quàm viginti annos, Robertus Sanſeuerinas ipſorum exercitus celeberrimus imperator debellatus & cæſus fuerat, celebrem venerat: in tria millia Venetorum peditum, qui Iacobo Corſo, Dionyſio Naldio, & Vitellio Tifernate ducibus in Montis bretonici pręſidio erãt, impetum fecerunt: qui etſi ſatis bene muniti illicò tamen in vicinum montem aufugerunt: & Germani, Italorum peditum ignauiam meritò deridentes, multis ædibus combuſtis, & aggeribus qui ad montem facti erant corruptis, Callianũ redierunt: quo ſucceſſu allectus Tridentinus epiſcopus, duobus peditum millibus coactis, & cum copiarum quæ Calliani erant parte, ad Tridentinam ripam caſtellum ad Benaci ripam poſitum, quò Triultius iam idoneum pręſidium miſerat duxit: cumq; Franciſci templum biduum tormentis verberaſſet, & interea aliquot excurſiones in vicos, qui prope Lodronem ſunt feciſſet, duo Rhetorum millia quæ in Germanicis caſtris erãt, parui momenti diſſenſione in ſtipendiorũ ſolutione orta, concitati, caſtrorum commeatum diripuerunt; quo facto cum omnia in perturbatione eſſent, & Rheti ferè omnes diſceſſiſſent, reliquæ copiæ ſemptem militum millia cõtinentes retrocedere coactæ fuerunt: quorum diſceſſu, Venetorum copijs in proximos vicos excurrentibus, cum tria illorum millia peditum, ad quaſdam Agreſtini comitis villas incendendas irent, ab incolis in fugam cõiecti ſunt, & circiter trecenti cæſi. Sed cum Germanorum ab Ripa diſceſſu ferè omnis exercitus eſſet diſſolutus, & equites qui erant mille ducenti, ab Callianenſibus caſtris Tridentum ſe recepiſſent, Venetorum copiæ ob Seruatoris noſtri ab inferis excitati memoriam ſacro die, matutino tempore, Petram, qui locus ad ſextum ab Tridento lapidem ſitus eſt, oppugnarunt: ſed copijs quæ Tridenti erant ad eum locum defendendum exeuntibus, regreſſi ſunt, indeq; in Creſtenſem arcem, locum magni momenti impetum fecerunt; quæ antequam auxilia quæ Tridento mittebantur aduentaſſent, deditionem fecit: quare Germani qui iterum peditatu erant inſtructi, cum mille equitibus & ſex peditum millibus ad Calliani caſtra, quæ baliſtæ iactu à Petra diſtabant redierunt; cumq; ducenti Virtembergenſium ducis equites ab illis diſceſſiſſent, Veneti cum quatuor equitum & ſedecim peditum millibus, ad Petram caſtra poſuerunt, & ſexdecim tormenta collocarunt. Petra, arx eſt ad montis cuiuſdam radicem, Rouereto Tridentũ eunti ad dexteram ſita; & ab ea murus ſatis munitus, per baliſtæ iactum ad Atheſim vſq; deducitur: in cuius muri medio porta eſt, & qui hunc aditũ non habet, vix Petræ infeſtus eſſe poteſt: diſtabant inter ſe ambo exercitus mille paſſus: & vtriq; arcem ac murum à fronte, & ab vno latere Atheſim fluuium ab altero montes, à tergo verò tutos receſſus habebant: & quia arx & murus in Germanorum erat poteſtate, Venetum exercitum quotieſcunque vellent ad pugnam capeſcendam

dàm cogere,ipſi verò minimè cogi poterãt:ſed quia numero longè inferiores erant,fortunę ſe cõmittere nõ audebant: ſolummodò vt arcẽ ab hoſtium qui eam ſollicitè verberabant impreſſionibus tuerentur operam dabant: verùm cum aliquando tormenta non bene cuſtodirentur,inde occaſionẽ nacti,maximo furore in ea impetu facto, & militib. qui ea cuſtodiebant fuſis,magna ferocitate duo in caſtra ſua pertraxerunt:quare Veneti animo deiecti, & oppugnationem in qua multi erant deſiderati inanem rati,hi Rouere-retum, Germani verò Tridentum ſe receperunt: ac paulo pòſt Germanorum maxima pars diſſipata eſt: & Comitiorum copiæ,ex quibus quòd alij citius,ſerius alij veniſſent, nunquam quatuor millia vnà fuerant; quoniam qui Tridentum,& Cadorum conuenerant, ij ferè è vicinis erant regionibus,ſex menſibus exactis domos quiſq; ſuas reuertebantur,& pleriq; ex imperatis peditibus idẽ faciebant:neq; Maximilianus ob varia conſilia & apparatus huc atq; illhuc eundo occupatus, his rebus vnquam interfuerat: imò Vlmenſi conuentu in magis oportunum tempus dilato perturbatus, & difficultatum pudoriſq; plenus, Coloniam verſus profectus,per multos dies vbi nam ipſe eſſet ignoratum fuit: cumq; propijs viribus hunc impetum ſuſtinere non poſſet,omnibus quæ in Iulij foro poſſidebat,& reliquis vicinis oppidis amiſſis,ab omnibus deſertus,& Tridentinis rebus, ſi Gallicæ copiæ cum Veneto exercitu ad eum offendendum coire voluiſſent, in periculo relictis: ſed Triultius, regis cui potius eum placare quàm prouocare animus erat, iuſſu, vlterius quàm ad Venetorum defenſionem neceſſe eſſet progredi noluit. Cæſar igitur cum ſe omni auxilio deſtitutum cerneret, ſui aliqua ratione à periculo liberandi cupidus,iam cum eius copię ad Cadorium debellatæ fuerant,Prelucam hominem ſuum, qui trium menſium inducias peteret,Venetias miſerat; quæ petitio ab Senatu qui breuiores quàm vnius anni inducias, neq; eas vlla ratione,niſi & rex Galliæ ijs cõprehenderetur admittere minimè ſtatuerat,contempta fuit: ſed periculis ſuis creſcentibus, Tergeſte iam amiſſo, rebusq; omnibus in peius ruentibus,Tridentinus epiſcopus veluti per ſe id faceret, Venetos ad inducias,hoc fundamento pacẽ ſperari poſſe proponens,inuitauit:cui Veneti quando negotium non iam ipſis ſolis,ſed ita vt etiam rex Galliæ includi poſſet proponeretur, ſe animo minimè alieno eſſe,reſponderunt:ex quo initio colloquio introducto, Tridentinus epiſcopus & Serentanus Maximiliani ab epiſtolis,& pro Galliæ rege Triultius, & Carolus Iufredus Mediolanenſis Senatus principes,ab Ciamontio ad hoc negotium miſſus,& pro Venetis Zacharias Contarenus orator,hanc ob cauſſam peculiariter deſtinatus conuenerunt; in reliquis facilè inter illos conueniebat:nam vt in triennium eſſent inducię conſentiebant:vt ea quæ quiſq; in præſens poſſidebat, cum ædificandi & capta loca muniendi facultate poſſideret:in hoc aũt erat controuerſia, quòd Galli inducias generales,ita vt etiam fœderati quos quiſq; extra Italiam haberet, præſertim Gheldrenſium dux comprehenderentur,fieri volebant huic rei Maximiliani, cuius animus ad eius ducis excidium prorſus erat conuerſus,pro curatores pertinaciter repugnabant:& cum bellũ totum in Italia eſſet,de alijs quàm de Italicis reb. agi nec decere,nec neceſſe eſſe aiebant;qua in re Veneti vt Galliæ regis deſiderio ſatisfieret,omnem operam ponebant:ſed cum Germanos ad id flecti poſſe non amplius ſperarent, ad inducias ea ratione in quam ipſi conſenſerant accipiendas erant propenſi,ad id belli quod totum in ipſorũ finibus gereretur ab ſe amouendi,& hoc motu partorum oppidorũ, trium annorum inducijs ſub imperio ſuo confirmandorũ cupiditate allecti:& cum Gallis veriſſimã excuſationis rationẽ afferebant, nempe cum neuter ipſorum ad aliud quàm ad rerũ quæ in Italia obtinebant defenſionẽ alteri eſſet obſtrictus, hocq; fundamento fœdus ipſorum niteretur,tranſalpinarum rerum cogitationem ad ipſos non ſpectare: quas ſi armis defendere non tenebantur,neq; etiam de illis inducijs firmandis cogitandum ipſis erat: ob quam controuerſiam quum Triultius in Galliam,& Veneti oratores ad Senatum ſcripſiſſent,ab Senatu reſponſum eſt allatum,ſi ſecus fieri non poſſet, inducię de Italiæ rebus loco & tempore Galliæ regi, ſi ijs cõprehendi vellet ad deliberandum relicto,paciſcerentur: cui rei quamuis nec Triultius nec Iufredus aſſentiri vellent,imò quòd ne regis quidem reſponſum expectare vellent graiter expoſtularent, & Carolus Iufredus,rem communem niſi communi conſenſu determinandam non eſſe, & paruam amicitiæ atq; coniunctionis rationem haberi atteſta-

retur; Veneti tamẽ Maximiliano & ipſis proprio tantùm nomine ſimpliciter ſtipulantibus,eaq; lege vt ab Maximiliano,Pontifex,Hiſpanię,Angliæ,Pannoniæq; reges,omnes ſacri imperij principes atq; ſubiecti, quocumq; in loco eſſent,omnesq; Maximiliani & nominatorum principũ,atq; imperij ſtatuum fœderati,intra tres menſes nominandi;ab Venetis verò Galliæ, atq; Hiſpaniæ reges, & omnes Venetorum,Galliæ atq; Hiſpaniæ regum amici & ſocij in Italia duntaxat conſtituti, trium menſium interuallo nominandi comprehenderentur,tranſegerũt. Quibus indutijs vigeſima aprilis die ſtipulatis ac ferè ſtatim ab Romanorum rege & Venetis confirmatis,arma inter illos cum multorum ſpe, Italiam aliquandiu hac tranquillitate fruituram ſunt poſita. Quo facto rex Galliæ Florentinorum animos erga ſe minimè candidos, ſed potius erga Cæſarem ſi eius res felicis ſucceſſus initium habuiſſent, propenſos fuiſſe ratus;cumque id nulla alia ex cauſſa quam Piſarum quouis modo recuperandarum deſiderio, & quòd ipſe neq; illorum fidei neq; officiorum præſtitorum habita ratione,non modò illos vel autoritate vel armis non iuuiſſet, verùm etiam Piſanos ab Genuenſibus ſuis iuuari paſſus eſſet,ex indignatione manare ſciret, vt aliqua honeſta ratione voti compotes fierent, cogitare ſtatuit: ſed cum ei rei ex primo conſilio propriam vtilitatem coniunctam eſſe vellet, ad maiorem pecunię vim eliciendã, metum,ſpe meliorem fore ratus, Michaëlem Riccium, qui quòd proprios homines vt cum Cæſare eius hoſte fœdus inirent miſiſſent, quòd nulla temporum ſtatus, ſuſpitionum periculorumq; ipſius habita ratione,Piſani agri vaſtandi colore,valido exercitu conſcripto, neq; vnquam in tam graui motu qui parabatur,animis integrè declaratis, ipſi ad quem finem hi apparatus ſpectarent non mediocrem dubitandi cauſſam præbuiſſent: quòd ipſi in tam grauibus periculis ſuarum copiarum auxilium petenti id præter omnem eius expectationẽ denegaſſent, quereretur; & nihilominus, beneuolentiæ qua ſemper eam rempublicam proſequutus erat,gratia,& ob rerum quas ante id tempus pro ipſo geſſerant memoriam, ipſum ad has recentes iniurias dummodo ad cauſſas quibus Italiæ tranquillitas turbari potuiſſet tollendas, in poſterum Piſanos non amplius abſq; eius conſenſu moleſtijs afficerent,condonandas paratum eſſe diceret,miſit. Ad quæ Florentini, ſe ad Cæſarem non ſponte ſed coactos,neq; id vt cum illo aduerſus regem ſocietatem coirent, ſed vt ſi fortè in Italiam veniſſet, res ſuas,quas rex ipſe in fœderis quod cum ipſis haberet capitibus, aduerſus Cæſarem defendendas ſuſcipere noluerat; ſed ea verba expreſſerat, ſaluis Imperij iuribus, in tuto collocarent miſiſſe; nec tamen pactionem vllam cum illo feciſſe: exercitus in Piſanos miſſi querelam æquam non eſſe; cum enim pro ipſorum conſuetudine mediocres copiæ haud alium in finem, quàm vt quemadmodum aliàs ſæpe fecerant, meſſem impedirent, fuiſſent, neminem iuſtam ſuſpicandi cauſſam habuiſſe:eam rem vnà cum auxilijs à Genuenſibus alijsque vicinis ad Piſanos miſſis, in cauſſa fuiſſe; vt copias ſuas regi auxilio mittere nequiuerint:ad quod etſi minimè obſtricti erant, tamen ob perpetuam eius nominis obſeruantiam, etiamſi non petijſſet, id officij prætermiſſuri non fuiſſent: ſe quòd rex Piſanos,quos ſi cum Florentinis compararet,& quid in Genuenſium defectione contra ipſum feciſſent recordaretur, nihili facere & prorſus odiſſe deberet,moleſtia non affici optaret,ſupra modum mirari; neq; regẽ quo minus Piſanos infeſtarent ipſis poſſe vetare, quòd id in ipſorum cum illo fœdere, ne faceret eſſet expreſſum, reſponderunt. Ex his initijs vt Piſæ ſub Florentinorum imperium redirent agi cœptum eſt, ad quod ſi efficeretur, vt Genuenſes atq; Lucenſes nullam illis opem ferrent,ſufficere videbatur; cum ad eam commeatus & virium inopiam eſſent redacti, vt vrbe amplius egredi non auderent, præſertim verò ruſticorum ob meſſis iacturam malè affectis animis accedentibus; quorum maior quàm ciuium numerus erat, adeò vt niſi ab Genuenſibus atq; Lucenſibus aliquam pecuniam, qua qui rempublicam adminiſtrabant, aliquot externos milites Piſis alentes,& reliquum in ciuium iuuentutem & ruſticorum diſtribuentes:horumque armis eos qui cum Florentinis paciſci cupiebant,deterrentes; eam vrbem pacatam conſeruabant, accepiſſent; ipſi ſe tueri non poſſe cenſerentur. Huic negotio ab Galliæ rege cæpto, Hiſpani regis, qui ſine ſua opera rem non perfici cupiebat acceſſit autoritas: quare quamprimùm Michaëlis Riccij Florentiam profectionem cognouit,& ipſe legatum miſit; qui primùm Piſas ingreſſus,eos hortatus eſt,&

& ſui

sui nomine ad se tuendos incitauit: idq; nõ aliam ob causſam, nisi vt dum pertinaciores in sua sententia essent, maiori prætio vendi possent. Hæc colloquia paulo pòst duorum regum consensu, ad Galliæ regis aulam translata sunt; vbi Hispanus patrocinij toties promissi nulla habita ratione, cum eos nisi defenderentur in Florentinorum potestatem necessariò venturos animaduerteret; tuncq; à nouis rebus præsertim contra Galliæ regis voluntatem aggrediendis, animo esset alienus, id summoperè vrgebat: nam etsi quamprimùm in Hispaniam redijt, Castellæ administrationem assumpserat, tamen cum ob varia procerum studia, tum quia Romanorum rex, nepotis nomine non erat assensus, eam non prorsus firmauerat: sed vbi Pisanorum res in Gallia diu agitatæ fuissent, ob multas difficultates quæ inciderunt: cum vterq; rex sibi venditionis prætium deposceret, tandem cum nulla pactionis ratio inueniretur, re infecta negotium tractari desijt.

SEPTIMI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER OCTAVVS.

Cameracensis conuentus: omnium ferè Christianorum principum aduersus Venetos bellum: Giaradaddæ pugna: Veneti toto continentis imperio hoc bello spoliati: eorundem erga Cæsarem, reliqui imperij amittendi metu, submissio: Patauium ab ijsdem Andreæ Gritti opera recuperatum: postremus Florentinorum contra Pisanos conatus: Pisæ captæ: Galliæ regis transalpes reditus: Carnicum bellum: Patauinum bellum à Maximiliano Cæsare illatum: eiusdem belli progressus: Pitiliani comitis obitus: Venetorum contra Frrrarienses bellum: eorundem classis ad Polisellam fracta: ijdem interdicto liberati.

ITALIAE morbi, non huiusmodi erant, neq; eius vires tam parum debilitatæ, vt leuibus medicamentis curari possent: imò vt sæpe in corporibus prauis humoribus repletis accidit, vt medicamentum vni parti sanandæ accõmodatum, pernitiosiores maioris q; periculi morbos afferat: sic inducíæ inter Romanorum regem ac Venetos factæ, Italis pro ea quiete tranquillitateq; , quam multi sequuturam sperauerant, innumeras calamitates, & bella superioribus longè atrociora & cruenta magis pepererunt: nam etsi in Italia iam à quatuordecim annis tot bella totq; rerũ mutationes fuerant, tamẽ rebus sæpe vel sine sanguine trãsactis, vel cædibus potius inter ipsosmet factis, populi minora quàm principes mala passi erant: sed nouis in posterũ diffidijs aditu patefacto per vniuersam Italiã, & contra ipsosmet Italos crudelissimi casus, innumeræ cędes, diriptiones, vrbium oppidorumq; euersiones, militaris licentia nõ minus amicis quàm hostib. pernitiosa sequuta sunt: violata religio, res sacræ minori reuerentia, atq; ratione quàm prophanę, à conculatæ: tantorũ malorũ causſa, si generatim inspicias, fuit eadẽ quæ ferè semper est principũ ambitio atq; cupiditas; si verò diligentius animaduertas, ex Veneti Senatus temeritate, nimiaq; insolẽtia originẽ habuerunt: qua difficultates quæ ad id tẽpus vsq; Romanorũ & Gallię reges, quo minus cõtra ipsos fœdus inirent impediuerant sublatæ sunt; quorũ regum alterũ immodicè exacerbatũ, in maximã desperationẽ conieceruntalterũ verò eodẽ tempore ad summã indignationẽ concitarũt; vel saltẽ ei id quo diu exoptauerat honesto colore aperiendi, facultatẽ dederunt: quoniã Cæsar tãta ignominia, tantaque clade accepta irritatus; cumq; dum aliena occupare in animo habet, sua se & quidem hæreditaria amisisse cernit, nihil quod ad tantam infamiæ notam, tantumq; detrimentũ sarciendum faceret, prærermissurus videbatur: quã voluntatẽ denuò

post factas inducias Veneti imprudenter auxerunt: etenim non minus inanibus signis, quàm factis ab eo prouocando minimè abstinentes, Aluianum Venetijs maxima pompa & penè triumphantem exceperunt: & Gallię rex quamuis ab initio se inducias comprobaturum spem feciſſet, postea tamen se, ijs mirum in modum commotum ostendens, Venetos ipsum velut socium nominare ac fœdere comprehendere ausos fuisse, & propria tranquillitate procurata, se in belli molestijs reliquisse querebatur: sed non diu quid vterq; animo agitaret, declarare distulit: Cæsar enim, vt qui proprijs viribus minimè fideret, neq; Germaniæ principes ciuitatésue iniurias suas vltra persecuturos speraret, ad fœdus cum Galliæ rege aduersus Venetos velut ad vnicum honoris & rerum amissarum recuperandarum instrumentum, ineundum, propensus erat: in rege autem offensionum quas se neapolitano bello ab illis accepisse existimabat, memoria hac recenti indignatione renouata, & veteri Cremonæ aliorumq; oppidorum quibus Mediolanensium duces diu potiti fuerant, adipiscendorum cupiditate incitato, idem planè desiderium erat: idcircò vt minorũ rerum impedimentis remotis, grauioribus rebus simul incumbere possent, de controuersijs inter Archiducem & Gheldrensium ducem, cuius salus ob antiquum fœdus & commoda accepta ab Galliæ rege magni fiebat, componendis inter eos agi cæptum est. Galliæ regis animum eodem quoq; tempore aduersus Venetos concitabat Pontifex, qui præter veteres causſas nouo odio accensus erat: illorum enim opera Foroliuienses exules, qui Fauentiæ receptum habebant, eam ciuitatem ingredi tentasse existimabat: & quia Bentiuolis ab rege Insubria pulsos: in Venetorum terris reciperentur: huc accedebat, quòd Romanæ curiæ autoritatis multis in rebus minorem, quàm vnquam antea rationem haberent: quibus in rebus nouissimè id Pontificis animum vehementer turbarat, quòd cum ipse Vicetinum episcopatum, Sancti Petri in vincula Cardinalis nepotis sui morte vacantem, Xysto itidem nepoti suo, in demortui locum & dignitatis & sacrorum beneficiorum ab eo surrogato contulisset, Senatus Venetus ea collatione contempta, Venetum patritium episcopum legerat: qui tametsi Pontifex eum confirmare recusaret, se episcopum ab excellentissimo Rogatorum Senatu electum, temerè nuncupare audebat. Quibus rebus accensus primò Maximum Narbonensis cardinalis ab epistolis ministrum, deinde ipsummet Cardinalem, qui recẽter Ausensis morte eius episcopatũ adeptus, Ausensis Cardinalis vocabatur ad regẽ misit: qui hilari fronte ab rege auditi, varia & sine Cæsare, & coniunctim cũ Cęsare perficienda ad eum retulerunt. Sed Pontifex ad conquerendum quàm ad sententiam suam proferendam, erat promptior; hinc enim vt arma in Venetos mouerentur ardens desiderium in eius mente pugnabat: illinc ne ex aliorum potentia immodicè pendere cogeretur metus: & longè magis antiqua inde Rotomagensis æmulatio: qua re fiebat, vt magnos regis exercitus in Italiam traduci illi molestissimum esset; eum suspensum retinebant: res quoq; maiores aliqua ex parte illud turbabat, quòd Pontifex paulò antè inscio rege, Astæ atq; Placentiæ episcopatus contulerat: & quòd rex, nouum Sancti Petri in vincula Cardinalem, in quem ob alterius mortem, Claræuallis cœnobij, beneficium opulentissimum prope Mediolanum situm, collatum fuerat, eo frui nolebat. Quibus in difficultatibus, id in quo Pontifex dubius hærebat, tandem à Cæsare & Galliæ rege cõstitutum fuit: qui consilijs inter se contra Venetos occultissimè agitatis, vt tractata perficerent, Cameraci conuenerunt, pro Cæsare Margarita eius filia, cuius autoritate tunc Flandria, & reliqua imperia quæ materna hæreditate ad Philippum regem peruenerant, gubernabantur, cui ad hoc ipsum negotium destinatus, aderat Matthæus Langus, Cęsari acceptissimus ab epistolis minister: pro Galliæ rege Rotomagensis: verùm vt sua consilia Venetos celarent, & ne vera huius conuentus causſa ad eorum aures peueniret, se de Archiducis Gheldrensis inter quos quadraginta dierum induciæ pactæ erant conuenire, diuulgarunt: itaq; Veneto oratori Rotomagensis, regem in fœdere cum illis perseuerare velle, grauissimo iureiurando confirmabat. Cardinalem potius non repugnantem quàm consentientem Aragoniæ regis legatus sequutus est: nam etsi rex ille primus horum inter Cæsarem & Galliæ regem colloquiorum autor fuerat, tamen sine illo postea erant persecuti, quòd vterq; sibi persuaderet, ei regi, Galliæ regis felicitatem molestam esse; & ob Caſtellæ administrationem, omne Cæsaris incrementum suſpectum:

ſpectum: eamq; ob cauſſam eius conſilia verbis nõ reſpondere: Cameraci pauciſſimorum dierum interuallo res cõfecta eſt, nulla re niſi omnibus peractis, cum Catholici regis oratore communicata; quæ poſtero die qui fuit Decembris decimus, in maiori templo, Margaritæ, Rotomagenſis, & Hiſpani legati ſolenni ſacramento ſancita fuit, nulla alia re tunc in vulgum prolata, niſi inter pontificẽ & hos princeps ſingulos, perpetuam pacem fœdusq; contractum: verùm occultioribus monumentis res maximè graues cõprehendebantur, quæ ambitioſa, atq; in multis, quæ Cæſar & Galliæ rex cũ Venetis habebant pactionibus contraria, quaſi verborũ diuerſitas rerum naturã immutare poſſet, exordio admodũ ad pietatem compoſito tegebantur: quo aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes belli inchoandi cõmune deſiderium, & impedimenta, quæ ex pontificij imperij ciuitatibus ab Venetis ambitioſè occupatis in hoc negotiũ redũdabant, exponebantur: quæ cum remouere cuperent, vt ad tam ſanctã tamq; neceſſariã expeditionem progredi coniunctius poſſent, pontificis quoq; cohortationib. atq; cõſilijs, Rotomagenſem, velut pontificis & Galliæ regis procuratorẽ, Margaritam item Archiducis & Flandriæ gubernatricem, Romanorũ regis nomine, & Aragonię regis oratorem, omnes cum eorũ quorum agerent nomine mãdatis de bello Venetis inferendo vt quiſq; res ſuas ab illis occupatas reciperet, conueniſſe: numerabantur autem hęc à pontifice, Fauentia, Ariminũ, Rauenna, Ceruia; ab Romanorũ rege Patauium, Vicetia, Verona, imperij nomine; Forumiulij & Taurifium ad Auſtriacã familiam ſpectantes: ab Galliæ rege Cremona, Giaradada, Brixia, Bergomũ & Crema: ab Aragoniæ rege portus & oppida ab Ferdinando neapolitano rege oppignorata: Galliæ rex, ipſemet in bellũ proficiſceretur, idq; proximis calendis Aprilis auſpicaretur: quo tẽpore ſimul & Põtifex & Hiſpanus arma mouerent: vt aũt Cæſar inducias non ſeruandi iuſtã cauſſam haberet, Põtifex ab illo velut põtificatus patrono opem imploraret; quo facto Cęſar ſaltẽ vnum belli ducem ei mitteret, & quadraginta dies pòſt quã Galliæ rex bellũ inchoaſſet, ipſemet ad Venetorũ imperiũ oppugnandũ duceret: quicumq; illorũ res ſuas recuperaſſet, ceteris donec ſua prorſus recepiſſent, auxiliũ ferret: omnes ad vniuſcuiusq; ipſorũ cui Veneti ob recuperata oppida moleſtias afferrẽt, defenſionẽ tenerentur, nec cuiquã cũ Venetis abſq; cõmuni conſenſu pacẽ inire liceret: intra tres menſes Ferrarienſiũ dux, Mantuanus marchio, & quicunq; aliquod ſuũ aliquid ab Venetis occupari cenſeret, huic fœderi nomina ſua dare poſſent: quo facto, perinde atq; ipſi fœderis principes cõmodorũ participes fierent, & ſinguli amiſſa per ſe recuperandi facultatem haberent: Pontifex grauiſſimis interpoſitis pœnis atq; cenſuris, Venetos vt res ad pontificatum ſpectantes reſtituerent moneret; & controuerſiæ quæ inter Blancammariam Romanorum regis coniugem, & Ferrarienſiũ ducẽ, ob Annæ eius ſororis quæ ducis vxor fuerat hęreditatẽ orta erat, iudex eſſet: Cęſar Galliæ regi ſuo & Franciſci Angolismenſis eorumq; maſculæ prolis nomine Mediolanenſis imperij diploma cõcederet: cuius rei gratia rex ei mille auri pondo perſolueret: nec Cæſar, nec Archidux durãte bello, & ſex menſes pòſt, in Aragonię regẽ, ob Caſtellæ adminiſtrationẽ regniq; titulũ aliquid noui molirentur: Pontifex Pannoniæ regẽ, ad idẽ fœdus hortaretur: ſinguli quadrimeſtri ſpacio, ſocios ac fœderatos ſuos, dummodo ne Venetos, vel alicuius federatorũ imperio ſubiectos beneficiariosúe nominarent: vt quæ ſinguli fœderis principes, id intra ſexageſimũ diẽ fœdus ipſi cõfirmarent. Huic fœderi addita eſt, inter Archiducẽ & Gheldrenſiũ ducẽ pax: qua cõuentũ eſt vt oppida eo bello Archiduci adẽpta reſtituerẽtur: Gheldrenſi aũt quæ eſſent adempta minimè redderentur. Nouo fœdere hac ratione firmato, ſed ijs quæ ad Venetos ſpectabant quantũ fieri poterat celatis, Rotomagenſis cardinalis, Lutetiano epiſcopo, & Alberto pio Carpenſi comite prius ad Cæſarẽ, vt Gallię regis nomine ab eo fœderis approbationẽ acciperẽt, miſſis, ſequenti die diſceſſit: Cæſar aũt id ſtatim iureiurando eodẽ ritu, quo in Cameracenſi tẽplo promulgatũ fuerat, cõprobauit. Hoc fœdus, etſi in ſcripto cum põtificis & Aragoniæ regis mandato atq; cõſenſu id factũ eſſe expreſſum fuerit, tamen ſine illorum mandato vel cõſenſu factum fuiſſe, certũ eſt: quòd Cæſar & Galliæ rex, illos partim propriæ vtilitatis ratione, partim quia ob præſentium rerũ ſtatũ, ipſorum autoritati neuter illorum repugnare eſſet auſurus, conſenſuros minimè dubitarent: præſertim verò Aragoniæ regem, cui etſi hoc fœdus moleſtum eſſet, quia Galliæ regis potentiam ni-

mium augeri metuens, totius regni neapolitani ſecuritatem, eorum quæ Veneti poſſi-
debant recuperationi anteponebat, tamen quæ in animo habebat tegens, & contrà
quàm ſentiret, præ ſe ferens, ſtatim eodem modo comprobauit. Maior in Pontifice erat
hæſitatio, cùm pro eius conſuetudine, hinc Aemiliæ oppidorum recuperandorum cu-
piditas, & in Venetos odium, illinc Galliæ regis metus; præter quàm quòd Cæſaris po-
tentiam in Italiam extendi ſibi Pontificioque imperio periculoſum cenſebat, in eo pu-
gnarent: quare eius quod optabat partem pace quàm totum bello conſequi vtilius ra-
tus, Senatum Venetum, vt ſibi Ariminũ atq; Fauentiam reſtitueret flectere conatus eſt:
pericula quæ ex tot principum coniunctione imminebant, Pontifice in fœdus coeunte,
longè maiora fore oſtendens, quòd illos ſacris atq; profanis armis perſequi cogeretur:
ſin verò oppida Pontificio imperio ipſo regnante adempta reſtituerent, ſe cum oppidis
honore recuperato, ea quæ ſuo nomine, ſed abſque ſuo conſenſu tranſacta fuerant, non
comprobandi iuſtam cauſſam habiturum; idq; fœdus quod per ſe multa impedimenta
habuerat Pontificia autoritate remota facilè vanum euaſurum; quòd ipſum quantum
autoritate atq; induſtria poſſet, ſi non aliam ob cauſſam, ſaltem ne in Italia Barbarorum
potentia, non minus pontificatui quàm alijs periculoſa augeretur, curaturum, certò ſibi
perſuadere poſſent: qua de re variæ erant in Senatu Veneto ſententiæ: alij enim ponti-
ficem ab alijs ſeiungi rem magni momenti futurum exiſtimabant: alij eam rem indignã
neq; ad bellum arcendum idoneam ducebant: tandem illorum qui ad meliorem tutio-
remq; partem hortabantur ſententia ſuperaſſet, niſi Dominicus Triuiſanus magnæ au-
toritatis Senator, & ex Martiæ opulentiſſimæ ædis procuratoribus vnus, qui honos in
Veneta rep. poſt principem ſummus eſt, ſurgens contrarium ſuaſiſſet; qui multis ration-
bus, magnaq; dicendi vi, Pontifici cuius cum ceteris fœderatis coniunctione vel aliena
tione, ipſorum pericula parum augerentur minuerenturúe, repetita reſtituere, ab eius
clariſſimæ ampliſſimæq; reipublicæ dignitate & vtilitate valde alienum eſſe, perſuadere
conatus eſt: nam quamuis ipſi, quo ipſorum cauſſa minus turpis videretur, pontificis in
fœdere percutiendo nomine eſſent vſi, reipſa ſine illo cõueniſſe, eamq; ob cauſſam ad
res conſtitutas perficiendas nihilo lentiores remiſſioresúe futuros: è contrario autem
Pontificis arma non eius virtutis eſſe, vt tanto prætio ea ſiſtere deberent: nam etſi eo-
dem tempore ab alijs oppugnarentur, eas ciuitates mediocri præſidio defendi poſſe,
quas Pontificiæ copiæ, quæ trito vulgi prouerbio militiæ dedecus eſſent, per ſe neq; ex-
pugnare, neq; vllum ad belli ſummam momentum afferre poſſent: nec in profanorum
armorum motu atq: feruore, ſacrorum telorum reuerentiam mináſue percipi, quæ non
magis hoc bello ipſis nocere poſſent, quàm in multis alijs, & præſertim Ferrarienſi no-
cuiſſent; quo, quin pacem ipſis honeſtam, & vniuerſæ reliquæ Italiæ, quæ tanto conſenſu
eo tempore quo maximè opibus, armis, & virtute florebat, aduerſus ipſos conſpirauer-
rat, ignominioſam adipiſcerentur, efficere nõ potuerant; & iure quidem: neq; enim, ve-
riſimile eſſe Deum opt. max. ſeueritatis & clementiæ, iræ atq; pacis ſuæ effectus, ambi-
tioſiſſimi ſuperbiſſimiq; hominis, vino multisq; alijs turpibus voluptatibus obſequen-
tis, qui ijs ad cupiditatum ſuarum arbitrium, non ad iuſtitiæ Chriſtianæúe reip. commo-
di rationem vteretur, poteſtati velle permittere: iam ſi in hoc Pontifice ſacerdotalis fi-
des, conſtantior quàm ferè ſemper in alijs fuerat, exiſteret, quo minus Fauentia Arimi-
noq; adeptis, ſe Rauennæ & Ceruiæ recuperandæ gratia reliquis copularet, quę cautio
haberi poſſet ſe minimè cernere, ni datæ fidei maiorem quàm pontificum, qui vt morem
ſuum legibus tuerentur, inter ceteras leges Eccleſiam etſi omnes contractus, omnia pro
miſſa, omniaque commoda percepta intercederent, ſuorummet Antiſtitum, rite factas
obligationes reuocare, & ijs prorſus cõtraria facere poſſe ſanxerunt, ſemper proprium
fuit rationem haberet: fœdus inter Maximilianum & Galliæ regem magno ardore fa-
ctum, ſed reliquorum fœderatorum animos minimè ſimiles eſſe; catholicum namq; re-
gem inuitum adhærere; in Pontifice verò conſueta inconſtantiæ atq; ſuſpitionum ſigna
apparere; ideò non magis Cameracenſe fœdus, quàm ea quæ aliàs Trdentinum, dein-
deq; Bleſiacum eodem ardore ab eodem Maximiliano eodemq; Ludouico icta erant,
metuendum eſſe, quòd conſtitutis rebus perficiendis multæ difficultates, quæ ſuapte
natura vix explicari poſſent, repugnent: idcirco præcipuum Senatus ſtudium ſummáq;
diligen-

diligentiam, in eo esse ponendam, vt Cæsarem ab eo fœdere disiungant: quod ob eius naturam, inopiam, & antiquum in Gallos odium facilè sperari possit; eoque alienato, nullum belli periculum esse, quod rex Galliæ ab eo desertus, non plus quàm hactenus feciſſet, ipsis bellum inferre esset ausurus; in omnibus publicis rebus principia diligenter considerànda; quod postea sine summo probro & periculo ab iam constitutis, diuque retentis, discedere in hominum potestate non esset: patres ipsorum ipsosque semper, apertè se ad maiora aspirare profitendo, omnibus occasionibus imperio augendo operam dediſſe; hincomnibus partim timore, partim amiſſarum rerum dolore inuisos euasiſſe: quod odium etsi magnam quampiam turbam gignere posse, multo antè sit animaduersum, tamen neque tunc ipsos occasiones oblatas neglexiſſe, neque nunc imminentibus periculis, etsi partem eorum quæ tenerent cederent occurri posse; quòd eorum quibus essent inuisi animi hac ratione minimè, sed potius audacia ex ipsorum metu sumpta, accenderentur: cum enim Veneti Senatus per vniuersam Italiam, quod semel arripuisset nunquam dimittere, inueteratum esset, quis si nunc tam timidè contrarium fieret, id ex suprema sui ab ingruentibus periculis defendendi desperatione manare non videret? si rem quantum vis minimam cedere inciperent, antiquam eius reipublicæ existimationem atque splendorem minui, & pericula vehementer augeri; & longè difficilius esse, ei qui inclinare cæperit, ea quæ relinquuntur vel à minimis periculis conseruare, quàm ei qui dignitatem gradumque suum tueri satagens, nullo cedendi indicio dato promptè se in eos, qui se opprimere conantur conuertit: aut igitur audacter prima postulata reijcienda, aut ijs conceſſis, alia multa concedenda esse; ex quibus breuiſſimo tempore imperij euersio, & propriè libertatis iactura sequerentur, cogitandum. Rempublicam Venetam, & patrum & ipsorummet memoria grauiſſima cum Christianis principibus bella geſſiſſe, & ob constantiam animique magnitudinem semper retentam, glorioſum finem retuliſſe. Debere ipsos ex præsentibus laboribus etiam si fortasse maiores viderentur, eundem successum sperare; quòd & potentia & autoritas ipsorum maior esset; & bellorum quæ à multis principibus contra vnum geruntur, terrorem periculo maiorem esse solere; citò primos impetus deferuere; citò sententiarum varietate inter eos exorta, fidem debilitari: præterea debere eum Senatum sperare, præter defensionem & apparatus quos ipsi per se facturi essent, Deum iudicem iuſtiſſimum, rempublicam in perpetua libertate natam, atque altam, totius Europæ ornamentum atque splendorem minimè deſerturum: neque eam ciuitatem quæ tanta pietate, tantaque religione tot annos Christianæ reipublicæ agger ac propugnaculum fuit, falso belli aduersus Christianæ religionis hostes adornandi colore à principum ambitione conculcari passurum. Dominici Triuisani verba, ita maximæ partis animos commouerunt, vt quemadmodum iam ab aliquot annis ferè fatale in eo Senatu erat, contra multorum prudentia autoritateque insignium patrum sententiam, deterius consilium comprobatum fuerit. Idcirco Pontifex, qui fœderis comprobationem ad vltimum vsque præscripti temporis diem distulerat, tandem comprobauit: sed cum expreſſa declaratione, si nihil hostile in Venetos, nisi post bellum à Galliæ rege cæptum, gerere velle. Cum his grauiſſimorum bellorum seminibus finem habuit annus milleſimus quingenteſimus octauus; quo tempore Pisanorum res ad maximas angustias redactæ erant, indiesque magis redigebantur, quoniam Florentini, præter quàm quòd superiore æstate agros illorum demeſſuerant; & præter quàm quòd eorum milites assiduè ex vicinis oppidis ad Pisanas portas vsque excurrebant, vt commeatum mari importari prohiberent, Bardellæ ex Portu Veneris filium cum aliquot nauibus ad stipendia sua acciuerant; quare Pisani ferè terra marique obsessi, cum ob inopiam peregrinas naues militèsue accersendi facultatem non haberent, & lente ab vicinis iuuarentur, vix vllam amplius sui tuendi spem habebant: quibus rebus permoti Genuenses atque Lucenses, vt magnam frumenti copiam Pisas importarent, tentare statuerunt; quod multis nauibus impoſitum, & duabus Genuensibus onerarijs, & binis longis nauibus magnis, comitatum Spediam, deindè Viaregium vectum fuerat,

vt inde Pisanorum mandato quatuordecim biremibus alijsque compluribus nauigijs Pisas ferretur. At Florentini, quia in eo frumento importando vel excludendo, Pisarum eo anno adipiscendarum, spes desperatioúe omnis posita erat, id prohibere volentes, classi quam prius habebant, nauem vnam Anglicam quæ fortè fortuna in Ligurni portu erat, atque aliquot myoparones celocesque, addiderunt; & vt classem quantum poterant terrestri apparatu iunarent, omnem equitatum, & magnum peditum numerum è suis hominibus collectum, ad omnia ea loca, quibus hostilis classis siue per Arni, siue per Mortui fluminis ostium Arnum ingressa Pisas peruenire posset miserunt: ad Arni ostium hostes venerunt; cumque Florentina classis inter id ostium & Mortuum fluuium esset, & terrerrestres copiæ omnia opportuna loca occupassent, & tormenta in vtraque fluminis ripa qua transituri erant collocassent, se vlterius progredi non posse rati, tribus celocibus amissis, in Genuensium oram redierunt. Quo successu quum victoria ob commeatus penuriam certa propemodum videretur, Florentini quo facilius commeatum fluuio vehi prohiberent, pontem ligneum Arno imposuerunt, eumque vtrinque propugnaculis munierunt: & vt eodem tempore vicinorum auxilia remouerent, copiarũ parte prius quo Lucensium audaciam reprimerent Cascina, ad Viaregiensem portum & tabernas, in quibus magna erat Lucensium mercatorum serici panni copia diripiendas missa, cum Lucensibus, qui eare territi legatos Florentiam miserant, tandem conuenerunt, vt inter vtramque rempublicam fœdus ad mutuam defensionem per tres annos esset; Pisanos quouis modo iuuandi facultate Lucensibus nominatim adempta; quod fœdus si Florentini intra annum Pisis potirentur, in annos duodecim prorogatum intelligeretur: hocque fœdere vigente à Florentinis (quod tamen ipsorum iuribus fraudi non esset,) Lucenses ob Petræsanctæ atque Mutronis possessionem, nulla molestia afficerentur. Sed longè maioris, ad Pisas facilius adipiscendas momenti fuit, fœdus ab illis cum Galliæ atque Hispaniæ regibus ictum; quod multos menses tractatum, varijs erat difficultatibus impeditum: nam Florentini præteritarum rerum memoria cautiores facti, ne id ad magnam pecuniæ vim ab ipsis emungendam instumentum esset, & Pisanæ res nihilominus in eodem statu manerent, vehementer metuebant: contrà verò Galliæ rex, moram ea spe vt Pisani, quorum angustiæ notissimæ erant, sua sponte cederent artificiosè trahi existimans, nolletq; Florentinos nullo modo, nisi sibi mercedem soluerent ea vrbe potiri, Bardellam sui imperij hominem ab eorum stipendijs discedere iussit; & Ciamontio vt sexcentos cataphractos Mediolano Pisanis auxilio mitteret imperauit; quare omnibus difficultatibus impedimentisque remotis, in hanc formam conuenerunt: Galliæ Aragoniúe reges, nullam Pisanis opem auxiliumúe ferunto; ne quis subiectus, aut ex fœderatis patrocinioúe ipsorum commendatis locis commeatu, pecunia, milite vlláue alia re iuuanto: Florentini si intra annum vnum proximum Pisas recuperarent, singulis quinquaginta aureorum numûm millia, certis temporibus numeranto: ex eo die quo Pisas receperint, in triennium fœdus inter ipsos esto: quo tempore Florentini ad ea quæ illi in Italia habent tuenda trecentos grauis armaturæ equites dare tenentor; & ab quouis illorum vicissim ad suam defensionem trecentos cataphractos accipiunto. His publicè constitutis, Hispano rege inscio, noua capita, quibus se Galliæ regi, ijsdem temporibus ijsdemque legibus, alia quinquaginta aureorum numûm millia daturos promiserunt, addere necesse fuit: præterea duorum regum ministris aureorum numûm quinq; & viginti millia, quorum maxima pars ex Rotomagensis cardinalis arbitrio distribuenda erat, promittere coacti sunt: quæ pacta etsi cum grauissimo Florentinorum sumptu essent, maiorem nihilominus apud omnes mortales illis regibus, quorum alter pecuniæ gratia eam ciuitatem, quam sæpius in fide sua esse dixerat, & cuius vt postea cognitum fuit, sponte deditæ Magnus Consaluus eius nomine imperium acceperat, deferendam statuit; alter eorum quæ sæpius Florentinis promiserat immemor, vel iustam Pisanorum libertatem turpi pretio vendidit, vel Florentinos, vt propriarum rerum iustè recuperandarum facultatem ab se emerent coëgit, infamiæ notam attu-

attulerunt; tantum hodie passim plus auri vis, quàm honesti ratio potest. Sed Pisanorum res in quas antea totius Italiæ oculi conuersi esse solebant, hoc tempore hominum animis ex maiorum rerum expectatione suspensis, parui fiebant: Cameracensi nanque fœdere ab omnibus socijs comprobato, Galliæ rex statim maximos apparatus moliri cæpit, & quamuis nondum ad minas & bellum indicendum deuenisset, tamen cum res amplius dissimulari non posset, Rotomagensis coram vniuerso regio Senatu, cum Venetorum oratore, quod is Senatus regio fœdere amicitiaque contempta, Cerretense cœnobium in Cremensi agro muniret; in qua cum olim arx fuisset, pacis anno millesimo quadringentesimo quinquagesimoquarto, inter Venetos & Franciscum Sfortiam nouum Mediolanensium ducem factæ capitibus, ea lege ne Venetis vllo tempore eum locum munire liceret, diruta fuerat: ad cuius pacis capita, fœdus inter regem & ipsos facta, in hoc atque in plerisque alijs referebatur, vehementissimis verbis questus est: cumque post paucos dies rex Lugdunum venisset, iam eius copiæ ad alpes superandas accedebant: & sex Heluetiorum millia eius nomine conscripta eodem tempore in Italiam descensum adornabant: ac præter proprias aliorum quoque viribus vsus, à Genuensibus quatuor onerarias naues, à Florentinis quinquaginta aureorum numûm millia, ex illa summa quæ Pisis adeptis debebatur, obtinuerat: à Mediolanensibus verò oppidorum quæ Veneti occupauerant recuperandorum auidissimi, mille auri libræ ei dono datæ fuerant: multi præterea è Mediolanensi nobilitate, atque beneficiarij equos & arma vt regem ornatissimo comitatu sequerentur adornabant. At Veneti ingenti animo ad tantum bellum sustinendum se comparabant, pecunijs, autoritate, & totis imperij sui viribus, tanta republica dignos apparatus facere conati, idque eo alacriori-bus animis, quòd admodum verisimile videbatur, si primum impetum sustinerent, horum principum malè concinnatam societatem facilè ardorem remissuram, vel dissolutum iri: quibus in rebus summa cum Senatus gloria, idem ardor, in ijs qui prius frustra, vt secunda fortuna moderatè vterentur suaserant, quàm in contrariæ sententiæ autoribus cernebatur; publicam enim salutem priuatæ ambitioni anteponentes, autoritatem suam, alijs pernitiosa consilia exprobrando, remediáue quæ periculis ex illorum imprudentia natis adhibebantur impediendo, minimè augere nitebantur. Sed nihilominus cum penè vniuersum Christianum orbem, in se concitatum arma sumere animaduerterent, Pontificis ab alijs separandi, præsertim cum illum si modò Fauentiam ei restituissent, contentum fore sperassent, occasionis neglectæ iam pœnitentes, quo ad eius fieri posset, tantum consensum infringere sunt conati: idcirco cum illo prima colloquia renouarunt, & noua cum Cæsare & rege Catholico introduxerunt: cum Galliæ verò regi, siue odio, siue quòd nullam eius flectendi spem haberent, nihil tentarunt. Sed Pontifici quæ prius exoptauerat iam admittere non erat integrum; & Catholico rege, etsi fortè voluntas non deesset, deerat tamen aliorũ remouendorum facultas: Cæsar verò accerbissimo in Venetum nomen odio plenus, non modò non assensus est, sed ne illorum quidem postulata audire voluit; quoniam Ioannem petrum Stellam Senatus ab epistolis ministrum cum amplissimis mandatis missum, in suum conspectum admittere recusauit. Quare omnibus cogitationibus ad arma conuersis, vndique ingentem equitum ac peditum numerum conscribebant; & multas naues ad Aemiliæ Flaminiæque oram, & Apuliæ oppida tuenda, & vt in Benacum Lacum, Padumque, & alia vicina loca, è quibus Ferrariensium ducis, & Mantuani marchionis iniurias metuebant, immitterent, instruebant. Sed præter hominum minas multi illos vel fatales, vel fortuiti casus terrebant: Brixiensis arx de cœlo tacta, nauis à Senatu cum centum auri libris Rauennam missa, in mari submersa: tabularium reipublicæ scriptis ac monumentis refertum, totum repentè corruit: illud autem ingenti eos terrore compleuit, quòd eo die eademque hora qua comitia habebantur, siue casu, siue occulta alicuius fraude, ignis in armamentario, inque eo loco in quo nitrum seruatur accensus, quamuis ingens hominum multitudo ad eum extinguendum accurrerent, venti vi & fomento ad eum nu-

triendum augendumq; apto adiutus, duodecim triemium corpora, & maximam tormẽ
tarij pulueris copiã abſumpſit. His acceſſit quòd cum Iulium & Rentium Vrſinos, Troi-
lumq; Sabellum cum quingentis grauis armaturæ equitibus, & tribus peditum milli-
bus ad ſtipendia ſua acciuiſſent, Pontifex acerbiſſimis edictis, velut Pontificij imperij
beneficiarios atq; ſubiectos eos è Latio ne diſcederent coëgit: & ad quindecim aureo-
rum numûm millia ſtipendij nomine accepta retinenda, ſe ea Venetis ex eo quod de
Aemiliæ vectigalibus perceptis pontificatui debebant, ſatisfacturum promittens, hor-
1509. tatus eſt. Senatus apparatus ad Galliæ regis imperij fines præcipuè conuertebantur; cu-
ius armis magis celerem ac validam impreſſionem expectabant; quoniam ab Aragoniæ rege, etſi reliquis ſocijs multa pollicitus eſſet, vt eius erat mos, ſigna tantũ & rumores ſine vllo magni momenti apparatu conſpiciebantur; nec Cæſar in Flandria, vt à populis nepotis ſui imperio ſubiectis, voluntariam pecuniam cogeret, occupatus, bellum cõſtituto tempore incepturus credebatur: Pontifex verò magis aliorum victoria quàm proprijs armis fretus, ex ſociorum progreſſu conſilium capturus exiſtimabatur: quin primus Galliæ regis impetus in Giaradadda, Abdua fluuio prope Caſſianum traiecto eſſet futurus, dubium non erat: idcirco ad Ponteuicum ad Ollium amnem Venetus exercitus colligebatur; cuius imperator erat Pitiliani comes, & Barptolomæus Aluianus caſtrorum magiſter, & Senatus nomine legati, Georgius Cornarius, & Andreas Grittus patricij ambo clari, & cum ob cæteras virtutes tum ob gloriam ſuperiore anno ab altero Carnicis victorijs, ab altero verò Germanis Rouereto pulſis partam, inſignes: qui de belli gerendi ratione deliberantes, non modò inter ſe, ſed & Imperator & Magiſter caſtrorum, ſententijs diſſidebant. Aluianus ingenio ferox, ſuperioris anni felici ſucceſſu elatus, ad perſequendas ſperatas occaſiones promptus, & tam in conſilio capiendo, quàm in eo exequendo incredibili celeritate præditus, vt belli ſedes potius in hoſtili regione poneretur, quàm in propria ditione expectaretur, in Mediolanenſe imperium ante quàm rex ipſe Galliæ in Italiam deſcenderet, irruptionem fieri ſuadebat. Sed Pitilianus ſiue (vt aiebat Aluianus) animi vigore ſenio hebetata, ſiue periculis longo vſu, maiori prudentia ponderatis, & à fortuna ſine maxima ſpe periclitanda alienus, ſuadebat, vt Giaradaddæ oppidorum quæ nullius ad belli ſummam momenti erant, iactura neglecta, exercitus prope Vrceos, quemadmodum olim in bellis inter Venetos & Mediolanenſes, Franciſcus Carminiola, & pòſt Iacobus Picininus ſuorum temporum clari nominis duces fecerant, caſtra metarentur: quæ caſtra quòd inter Ollium & Serium amnes ſita ſint valde ſunt munita; atque ad omnia Veneti imperij oppida tutanda maximè opportuna; ſi enim Galli ipſos in illis caſtris oppugnare tentarent, ob loci naturam tuti certam ferè victoriam ſperari poſſe; ſin Cremonam, Cremam, Bergomum, Brixiamúe peterent, ad illarum vrbium defenſionem exercitum tutum in locum admouere: tantoque leuis armaturæ & Epyrotarum equitum, commeatu ceterisque commodis interceptis, vllius momenti, oppidi capiendi facultatem illis adimere; hacque ratione ſe fortunæ minimè permittendo, imperium Venetum facilè à tam valido tamque feroci Galliæ regis impetu poſſe defendi. Quæ ſententiæ ambæ à Senatu reiectæ fuerunt: Aluiani quidem conſilium vt nimis audax, Imperatoris autem vt nimis timidum, quodque præſentium periculorum naturam non ponderaret; Senatui enim ex inueterata eius reipublicæ conſuetudine, cautè progredi & quamminimum fieri poſſet ex ſuamet poteſtate egredi magis placuiſſet: ſed ab alia parte cogitabatur, ſi dum penè omnes ipſorum vires, in Galliæ rege repellendo eſſent occupatæ, & Romanorum rex valido exercitu in ipſorum fines irrumperet, quæ arma, qui duces, quæ vires illi opponi poſſent? quam ob cauſſam eam rationem quæ per ſe cautior tutiorq; videbatur, incertam magis, magisq; periculoſam fieri. Quare vt ſæpe in contrarijs ſententijs fit, mediam ſequuti, vt exercitus Abduæ fluuio appropinquaret decretum fuit; ne Giaradaddam hoſtibus prædæ relinquerent, ſed cum expreſſo Senatus Veneti mandato, atq; iuſſu, ne ſine magna ſpe, vel neceſſitate cum hoſtibus prælio decertarent. Longè alia erat Galliæ regis pugnæ deſiderio ardentis mens, qui Lotaringiæ duce & vniuerſa Gallici regni nobilitate comitatus,

tatus,vt primùm alpes superauit,Mongioiam fœcialem suum ad bellum Senatui Veneto indicendum misit:&,vt quo citius bellum indictum dici posset,Cremona iter faciens idem cum Venetis magistratibus faceret,mandauit:& quamuis nondum omni exercitu collecto; donec ipsemet Cassianum veniisset,nihil tentandum esse statuisset, nihilominus vel Pontificis qui tempus in fœdere constitutum elapsum querebatur stimulis,siue vt quadraginta dierum tempus,quo Galliæ rex bellum mouisset,Cæsari ad inferendum præscriptum elabi inciperet, priore sententia mutata,Venetorum copijs,quia non omnes collectę erant,nondũ Ponteuico profectis, Ciamontio vt belli initium faceret,imperauit. Primus tanti incendij motus fuit xv. Aprilis die,quo Ciamontius Abdua fluuio ad Cassianum cum tribus equitum millibus vado traiecto; & sex peditũ millibus quos tormenta sequebantur, lintribus transuectis, Treuium quod tribus Cassiano passuum millibus distat, iter direxit:in quo oppido erat Iustinianus Maurocenus vetus Epirotarum legatus; & cum eo Vitellius Tifernas, & Vincentius Naldius,qui militum quos in vicina oppida distributuri erant delectum habebant:hi Gallos qui in plures partes per agros dissipati erant,non ad oppidum inuadendum, sed ad excursiones in agris faciendas instructos esse rati, ducentos pedites & nonnullos Epyrotas equites in eos miserunt;cum quibus congressa Gallicarum copiarum pars, leui certamine eos vsq; ad portæ propugnaculum persequuta est: & paulo pòst reliquis aduentantibus, tormentisq; collocatis, cum minoribus tormentis propugnatores peterent,siue ducibus tam repentino impetu territis, siue abiecta animi constantia,vel oppidanorum defectione coacti, Ciamontij arbitrio se dediderunt; & sic Iustinianus legatus,Vitellius,Vincentius & multi alij, & cum illis centum leuis armaturæ equites,& circiter mille pedites,qui ferè omnes ex Lamonis valle erant, tantummodo ducentis Epyrotis fuga elapsis capti fuerunt; deinde Ciamontius cui nonnulla vicina oppida deditionem fecerant, cum omnibus copijs trans Abduã redijt:eodemq; die Mantuanus marchio, velut regius miles, à quo centum cataphractis præfectus erat, ad Casalemaius, quod castellum sine defensione ab oppidanis vnà cum Ludouico Bono Veneto Magistratu ei traditum fuit, excurrit. Eodem quoq; die Roccalbertinus cum centum quinquaginta cataphractis & tribus peditum millibus, nauali ponte Abdua fluuio vbi in Padum influit traiecto Placentia in Cremonensem agrum excurrit: in cuius agri alteram partem, milites qui in Laudensi præsidio erant, Abduæ ponte impositio, & omnes Briantiæ montis incolæ Bergomum vsq; irruptionem fecerunt:quæ impressio eodem die quinq; ex locis facta,hostibus nullo in loco conspectis, maiorem strepitum quàm facinora edidit: quoniam Ciamontius statim vt regis qui iam appropinquabat aduentum expectaret, Mediolanũ reuersus est; & Mantuanus marchio qui Casalemaiore capto, Asulam frustra tentauerat,Aluianum cum multis copijs ad Molarium pontem Ollium traiecisse certior factus,Casalemaius deseruit. Hoc belli initio facto, Pontifex statim admonitionis nomine horrendum edictum diuulgauit, in quo omnes oppidorum ad Pontificium imperium spectantium, Veneti Senatus occupationes,& in episcopatibus,multisq; alijs sacerdotijs distribuendis,& in sacris alijsq; ad sacrosanctæ sedis iudicium spectantibus caussis apud profanos iudices tractãdis,in eiusdem sedis libertatis,eiusq; iurium fraudem, autoritas vsurpata, omniaque præterita Pontificiæ maiestatis lælæ imperijq; contempti crimina enumerabantur. præterea etiam, illos antè paucos dies, vt Bononiæ res contra eandem sedem turbarent,Bentiuolos perduelles,quibusq; vnà cum illis qui eos acciperent,sacris interdictum esset Fauentiam accersiuisse: & vt intra viginti quatuor proximos dies oppida occcupata cum omnibus vectigalibus ab ipsis perceptis, restituerent monebantur; quod ni facerent, non modò Venetam vrbem, verùm etiam omnes qui imperio illorum parerent, qui ve illis non subiecti, Venetum aliquem admitterent, sacro interdicto subiectos fore; eosque læsæ sacrosanctæ maiestatis reos, atque ab omnibus Christianis pro sempiternis hostibus habendos declarauit: illorum bona vbiq; terrarum occupandi,hominesque in seruitutem abducendi,facultate concessa. contra quod edictum, fuit ab ignotis hominibus, post paucos dies scriptum quoddam Principis & magistratuum Venetorum nomine Romam allatum,in quo post longam acerbissimamque in Pontificem & Galliæ regem orationem,ab edicto ad futurum concilium: & hu-

mana iustitia deficiente, ad Christi iustissimi iudicis, & omnium supremi principis pedes, appellabant. Quo tempore vt profanæ minæ sacro edicto adiungerentur, Mongioia fœcialis, Venetias peruenit; & ad ducem atque patrum collegium introductus, bellum iam cæptum, potius vehementibus quàm veris iustisque caussis id exaggerans Galliæ regis nomine denuntiauit: cuius orationi vbi nonnihil deliberassent, ab duce breuissimis verbis responsum fuit: postquam rex Galliæ ipsis eo tempore quo ob fœdus quod ipsi nunquam violauerant, & quia ne ab eius amicitia discederent, Romanorum regem contra se prouocarant, maximam spem in eo habebant, bellum inferre statuisset, vt se tuerentur operam daturos, sperantes id se viribus suis cum caussæ æquitate coniunctis præstare posse. Hoc responsum magis ex reipublicæ dignitate visum est, quàm multis rationibus & uanis quærelis contra eos qui se iam armis inuaserant vsi essent. Sed quamprimùm Venetus exercitus, in quo erant duo grauis, & tria partim leuis armaturæ, partim Illyricorum equitum millia, peditum ex omni Italia selectorum quindecim millia, quæ verè non minus ob militum forditudinem, quàm ob ducum peritiam atque virtutem Italicæ militiæ flos erant, & totidem ex proprijs agrestium delectibus, cum maxima tormentorum copia, ad Ponteuicum conuenit, ad Fontanellam ad sextum ab Laudepompeia lapidem, sedem, ad Cremonam, Cremam, Carauagium, & Bergomum tutanda opportunam, posuit: vbi Ciamontij trans Abduam regressu, quodque regius exercitus nondum totus esset coniunctus, Treuij recuperandi se occasionem nactos rati, ex Senatus voluntate, sed contra Aluiani, vt ipse post aiebat, sententiam; qui hæc inter se pugnare dicebat, ne prælium cum hostili exercitu committeretur cauere; & ab alia parte eo in eos vsque progredi, vnde pedem referre in ipsorum fortè potestate non foret; quod etsi maximè possent, cum tanta ex eius exercitus existimationis diminutione fore, vt nimis magnum ad totius belli summam detrimentum ea res esset allatura; eamque ob caussam, cum proprij tum maximè totius Italicæ militiæ communis honoris gratia, se potius quàm tantæ ignominiæ assentiretur, mortem subiturum. Exercitus Ripaltam, vbi Galli nullum præsidium reliquerant, prius occupauit, ibique quinquaginta equitibus & trecentis peditibus positis, Treuium oppidum parum ab Abdua remotum, & nonnihil edito loco situm, in quo Ciamontius quinquaginta cataphractos & mille pedites, Imbaltio, Fontalia Vascone, & Blanco equite ducibus reliquerat, accessit: & tormentis ab ea parte quæ ad Cassianum vergit, vbi murus minus munitus erat collocatis, cum tormenta magnum progressum facerent, qui intus erant sequenti die, saluis militibus, sed inermibus, ac ducibus captiuis, & vt oppidum libero victoris arbitrio permitteretur, quod statim maiori eorum qui vicerãt, quàm eorũ qui victi erant clade direptum fuit, deditionem fecerunt: quoniam rex Galliæ vt hostilem exercitum circa Treuium esse cognouit, eius loci penè ante oculos suos iactura, multum de existimatione sua detrahi ratus, statim, vt oppidanis opem ferret, Mediolano castra mouit; & cum sequenti post Treuium captum die qui fuit Maij nonus, ad fluuium propè Cassianum, vbi prius ob Cassiani oportunitatem absque difficultate tres nauales pontes facti fuerant, peruenisset, totum exercitum traduxit: hostibus nullum impedimenti signum facientibus, cum summa omnium admiratione, illos otiosè tantam, primæ partis quæ fluuium traiecisset inuadendæ occasionem amittere: & Triultio vbi copias sine impedimento traduci vidit, exclamante, hodie ô rex Christianissime, victoriam adepti sumus: quam occasionem Venetos quoque duces cognouisse, & arripere voluisse manifestum est: sed neque autoritate, neque precibus, neque minis vnquam milites direptione & præda occupatos educere potuerunt; cui rei cum nulla alia ratione prospici posset, Aluianus vt illos ad exeundum cogeret, oppidum incendi iussit, id autem remedium tam serum fuit, vt Galli iam, hostium ignauiam imprudentiamque deridentes, summa lætitia penitùs traiecissent. Rex cum exercitu, paulò plus mille passibus ab Venetorum castris, quæ loco nonnihil edito, & loci natura, atque arte ita munito, vt sine manifesto periculo oppugnari non possent, sita erant, castra locauit; vbi cum de progressus ratione, inter duces deliberaretur, multi ex ijs qui regijs consilijs intererant, Cæsaris arma mox sonitum editura rati, vt cunctanter progrederetur suadebant: nam cum in prælijs melior sit eius qui oppugnationem expectat,

ctat, quàm oppugnantis conditio, neceſſitatem Venetos duces, cum ſe id imperium ex tot partibus tueri non poſſe animaduerterent, ad prælium ineundum, impulſuram. Rex autem, ſiue quòd Romanorum regis motus ſeros fore metueret; ſiue quòd cum ipſemet cum omnibus regni ſui viribus adeſſet, non modò magnam de victoria ſpem conciperet, verùm etiam nominis ſui gloriam, niſi per ſe abſque aliorum ope bellum conficeret, vehementer minui; & contrà, ſua potentia atque virtute reliquos ſocios non minus ſe victoriæ præmijs frui, ſibi maximæ laudi fore cenſeret, dummodo pugnæ locum cuius ſitus pugnantium virtutem ſuperare non poſſet, nanciſcerentur, ſecus ſentiebat: ab alia parte Senatus atque Venetorum duces, conſilia ſua Cæſaris metu minimè accelerantes, locis tam ſibi quàm hoſtibus æquis, nunquam, ſed ſemper in tutis ac munitis caſtra mentantes, eodem tempore prælij neceſſitatem vitare, & Gallos ab alicuius momenti progreſſu faciendo impedire ſtatuerant. His conſilijs vterque exercitus per integrum diem immotus ſtetit; & quamuis crebræ inter expeditos equites excurſiones fierent, & Galli tormentis vlterius promotis, pugnæ occaſionem quærerent, maior tamen motus non eſt factus. Poſtero die rex Ripaltam verſus, vt num eius oppidi tuendi deſiderio Itali mouerentur periculum faceret, caſtra mouit: quos cum non moueri cerneret, vt ſaltem eos ad pugnam venire non audere tacitam confeſſionem exprimeret, cum omni exercitu ad pugnam inſtructo per quatuor horas ante illorum caſtra, illis nullum alium motum, niſi quòd munitis caſtris minimè deſertis, inſtructam aciem ad Gallorum frontem conuerterunt, facientibus conſtitit: interea verò tormentis ab regiarum copiarum parte ad Ripaltæ muros conuectis, paucarum horarum ſpatio expugnata fuit; in eaque rex, non parum ob hoſtium belli gerendi rationem, quorum conſilium quanto magis diſplicebat, tanto laudabat magis, animi anxius, eadem nocte cum omni exercitu caſtra habuit: ſed vt eos ad id quod ſponte facere nolebant, trahere tentaret, vbi vnum diem Ripaltæ moratus eſſet, ea in diſceſſu incenſa, vt ad Vailam vel Pandinum proxima nocte metaretur, ſe ex quouis horum duorum locorum facilè hoſtibus commeatum, qui Cremona & Crema vehebatur impedire poſſe; ſicque ad caſtra in quibus hactenus fuerant deſerenda cogere poſſe ſperans caſtra mouit. Quæ nam eſſent regis conſilia Veneti duces agnoſcebant; nec quin caſtra munita hoſtibus vicina, vt in iiſdem laboribus impedimentisque detinerentur, habere neceſſe eſſet dubitabant: ſed Pitiliani comes caſtra ante ſequentem diem non mouenda eſſe ſuadebat; tamen Aluianus tam vehementer in contrariam ſententiam omnino præoccupandum eſſe afferens inſtitit, vt tandem ſtatim caſtra mouere ſtatuerint. Duo erant itinera, quibus ad ſupra dicta loca perueniri poterat; vnum depreſſius Abduæ fluuio vicinum, ſed quum obliquum eſſet, longius erat: alterum ab fluuio remotius ſed breuius, quoniam rectum erat, & (vt dici ſolet) hoc quaſi per arcus funem, illud per ipſum arcum: inferius iter regius exercitus tenebat: in quo ſupra duo cataphractorum, ſex Heluetiorum peditum, & duodecim partim Vaſconum, partim Italorum millia eſſe dicebantur; tormentis optimè inſtructus, & cum magna fabrorum copia. Superiori itinere & ad dexteram hoſtem verſus progrediebatur Venetus exercitus: in quo duo grauis armaturæ equitum, ſupra viginti peditum millia, & magnum partim Italorum, partim ab Venetis & Græcia expeditorum equitum numerus eſſe ferebatur: equites Græci præcurrebant, ſed non quantum ſolent extendebantur, vepretis enim arbuſculisque quibus inter vtrumque exercitum regio erat referta, impediebantur: quod etiam in cauſſa erat, vt duo exercitus ſe inuicem non viderent: quo modo dum progrediuntur, & Venetus exercitus ſemper maiorem itineris progreſſum facit, eodē tempore Gallici exercitus primùm agmen, cui Carolus Amboſius, & Ioannes Iacobus Triultius præerant, in quo erant quingenti cataphracti & Helueriorum cohortes, & Venetorū nouiſſimum, cui Barptolomæus Aluianus imperabat, in quo erant octingenti grauis armaturæ equites, & ferè totius exercitus peditū ſelectiſſimi, ſed qui nō ſatis ſeruatis ordinib. Aluiano eo die pugnandum fore non opinante incedebant, valde inuicem appropinquarūt: quod vbi Aluianus animaduertit, ſiue conſueto ardore incitatus, ſiue quòd ſe eo loci redactum, vt prælium committendū neceſſariò cerneret, ſtatim ſua vel neceſſitate, vel conſilio, Pitiliano qui cum altera copiarum parte præcedebat, ſignificata; vt ad ſe

iuuandum veniret petijt: cui Comes vt incederet & prælium vitaret, sic enim belli ratione postulare, & hanc Veneti Senatus mentem esse, respondit. Aluianus autem interea peditibus suis cum sex tormētis, in paruulo quodam aggere ad torrentis cuiusdam, qui tunc aqua carens inter vtrumque exercitum erat, cursum impediendum facto, collocatis, tanta virtute tantoq; impetu impressionem in hostes fecit, vt eos perturbarit: hac in re adiutus quòd pugna in vinetis quibusdā cæpta erat, vbi Galli propter vites equis suis expeditè vti non poterant: sed Gallici exercitus robore, in quo erat rex ipse, huius periculi causſa progresso, duo prima agmina in Aluiani milites impetum fecerunt; qui maxima victoriæ spe ex felici principio cōcepta, huc atq; illuc volitans milites suos vehementissimis verbis accendebat & incitabat: vtrinq; Gallis suorum ope vires animūq; resumentibus; & prælio in apertū locū vbi equis quib. longè superiores erant liberè vti poterant, pertracto, valde ferociter pugnabatur: regis quoq; qui non maiore ac si priuatus miles fuisset, sui habita ratione, tormentorum periculo expositus, suis opus erat imperare, hortari, atq; minari non desinebat, præsentia non parum incensi: ab alia parte, Itali pedites primo successu audaciores facti, incredibili virtute dimicabant; neq; Aluianus in vllo præstantissimi militis atq; imperatoris munere abeundo deerat; tandem vbi circiter tres horas summa virtute pugnatum esset, Venetorum copiæ ingenti aperto in loco ab hostium equitatu clade accepta, præterea solum copioso imbri dum pugnabatur incumbente, ita lubricum factum, vt milites pedem figere non possent, minimè paruum impedimentum afferebat: præsertim verò suorum auxilio destituti magno cum incommodo pugnare cęperūt; nihilominus eximia virtute, sed iam vincendi spe amissa, potius pro gloria quàm pro salute pugnantes, Gallis victoriā cruentā, & aliquo tēporis spacio dubiam fecerunt: & ad extremū amissis potius viribus quàm animi virtute, tergo hostibus nunquam obuerso, omnes ferè eodem in vestigio cæsi occubuerunt: inter quos valde celebratum fuit Petri nomen, qui erat è Montis sanctæ Mariæ in Hetruria marchionum familia vnus, Pisanis bellis Florentinorum merens stipendia exercitatus peditum dux; & tunc in Veneto peditatu vni legioni præfectus: ob hanc igitur tam fortem vnius tantummodò exercitus partis virtutem, tunc multorum constans opinio fuit, si totus Venetorum exercitus prælium inijsset, victorem futurum: sed Pitilianus cum maxima copiarum parte, siue quòd, vt ipse aiebat, cum pugnam initurus se conuertisset, ab agmine fugiente fuisset impeditus; siue, vt fama fuit, quod cum vincendi spem non haberet, & Aluianum contra autoritatem suam pugnare ausum fuisse ægretulisset, eam copiarum partem conseruari, quàm totum exercitum alterius temeritate amitti melius duxisset, prælio abstinuit. In hac pugna pauci equites perierunt; maxima enim strages in Venetorum peditatu fuit: ex quibus nonnulli octo millia, alij vtrinq; tantùm sex millia aiunt cecidisse. Barptholomæus Aluianus captiuus altero oculo, & facie tota contusa & liuida, ad regis tentorium perductus est: viginti magna tormenta capta, reliquus exercitus nemine persequēte euasit. Hęc fuit celebris illa Ghiaradaddæ, siue vt alij apellant Vailæ pugna, quarto decimo Maij die commissa, in cuius memoriam, rex eo in loco in quo pugnatum fuerat, Sacellum, cui Sanctæ Mariæ Victoriæ nomen indidit, ædificari iussit. Tantam victoriam adeptus rex, ne occasionem virtute atq; fortuna partam negligentia corrumperet, sequenti die Carauagium exercitum duxit; & oppido statim deditione capto, tormentis arcem verberauit, quæ vnius diei spacio ad eius arbitrium dedita est. Proximo die Bergomates exercitus aduentu minimè expectato sese illi dedidērunt, vbi quinquaginta cataphractis & mille peditibus ad arcis oppugnationem relictis, Brixiam iter direxit; quo antequam peruenisset, Bergomensis arx vnum diem tormentis petita, ea lege deditionem fecit, vt Marinus Georgius & reliqui Veneti magistratus, captiui essent: quoniam rex non tam odio, quàm multæ pecuniæ eliciendæ spe ductus, in locorum deditionibus nullam legem quapatritij Veneti seruarentur admittere statuerat. In Brixianis vetus illa propensio, qua auorum suorum temporibus in Philippi-mariæ Vicecomitis bellis, grauissimam obsidionem, vt se sub Veneto Imperio conseruarent, sustinuerant, non amplius vigebat; sed partim gallicorum armorum terrore, partim Ioannis francisci Gambaræ comitis, Gibellinæ factionis principis suasionibus, ad sese Gallis dedendos propensi, die quę pugnam sequuta est, vrbis portas occupauerant,

rant, Georgio Cornelio, qui ſumma celeritate eò profectus præſidium imponere volebat, aperte repugnantes: deinde cum Venetus exercitus numero non tam ob cladem in pugna acceptam, quàm quia vt in huiuſmodi temporibus accidere ſolet, multi ſponte diſcedebant, plurimùm imminutus, vbi appropinquaſſet, Andreæ Gritti, qui Brixiam, vt eos ad præſidium admittendum flecteret ingreſſus erat, autoritatem & preces contempſerunt: quare exercitus cum ſe eo in loco minimè tutum exiſtimaret, Piſcheriam verſus contendit: & Brixienſes Gambaræ familiæ hominibus huius conſilij autoribus, Galliæ regi vrbem dediderunt: & idem ſimiliter de arce biduo, omnibus ijs qui intus erant, præter patritios Venetos, liberè abire permiſſis, factum eſt. Cum verò tantæ cladis nuntius Venetias allatus eſt, quantus fuerit omnium communis mœror atque terror, quamque omnium animi, tam aduerſis rebus minimè aſſueti, imò ferè ſemper ex omnibus bellis victoriam reportare ſoliti, perturbati obſtupuerint, ne cogitari quidem, nedum monumentis mandari poſſet: & pro tanta gloria amplitudineque, qua ante paucos menſes totius Italiæ imperium animo præcipiebant, imperij iactura atque extremæ patriæ ipſorum euerſiones periculo ob oculos verſante, ab omnibus ciuitatis partibus, cum maximis clamoribus & miſerandis lamentationibus ad Martianam ædem concurſus fiebat; vbi Senatoribus quid in tam graui caſu faciendum eſſet deliberantibus, poſt multam conſultationem rerum deſperatione conſilium vincebatur: tam imbecilla atque incerta erant remedia; tam exigua & ferè nulla ſalutis ſpes; ſe alios duces aliasue copias ad defenſionem præter illas, quæ ex pugna animo & viribus exutæ ſupererant, nullas habere: populos imperio ipſorum ſubiectos, vel ad defectionem propenſos, vel incommodis periculisq; ipſorum cauſſa ferendis alienos eſſe: Galliæ regē cum potentiſſimo exercitu victoria elatum, cuius ſolo nomini omnes ceſſuri eſſent, ad ſecundæ fortunæ curſum ſequendum paratū eſſe cogitantibus: quòd ſi illū ſolum ſuſtinere non potuerant, quid Romanorū rege, qui iam finibus ipſorum appropinquare audiebatur, & nūc tanta occaſione allectus, iter acceleraturus eſſet, arma infeſta inferente fieret? vndiq; pericula & deſperationē cum pauciſſimis ſalutis inditijs apparere: & quis præſtare poſſit, quo minus in ingenti hominum multitudine referta ciuitate, partim prædæ cupiditate, partim plebis in patritios odio, pernicioſus aliquis tumultus excitaretur? Iam quod extremi terroris eſt, omnia aduerſa quę ſibi euenire poſſe propoſuerant, certiſſima exiſtimabant; & tamē animis in tanto pauore vt poterant reſumptis, ſummam vt quauis ratione cum Pontifice, Romanorum rege, atq; Hiſpano in gratiā redirent, diligentiā adhibere ſtatuerunt, de Galliæ regis animo mitigando nihil cogitantes: quoniā non minus eius in ſe odio diffidebant, quā eius arma metuerent; & tamē interea defenſionis conſilijs minimè abiectis, pecunijs comparandis operam dare, nouas copias terreſtres conſcribere, & claſſem quæ Genuæ parari dicebatur metuentes, claſſem ſuam cui Angelus Treuiſanus præerat, vt triremes numero quinquaginta eſſent, augere. Verùm enimuero Galliæ regis celeritas omnia ipſorū conſilia præuertebat; cui poſt Brixiam captā Cremona (arce excepta) dedita fuerat; quæ arx etſi munitiſſima erat, aliarum tamen exemplum ſequuta eſſet, cum præſertim ijſdem diebus Piſtighitonenſis arx idem feciſſet, ſi rex omnes liberos incolumesq; abire permiſiſſet: ſed cum multi Veneti patritij in eam ſe cōcluſiſſent, & inter ceteros Zacharias Contarenus homo ditiſſimus, niſi iſti in ſuam poteſtatem venirent, deditionem admittere nolebat: idcirco militibus ad eam obſidendā miſſis, cum Venetorum copiæ quæ quotidie minuebantur, in campo Martio prope Veronā, quòd eas Veronenſes intromittere noluiſſent, caſtra haberent, rex Piſcheriam quæ iam deditionē fecerat, ad arcem oppugnandā progreſſus eſt; quam vbi tormentis verberare cæpiſſent, Heluetij atq; Vaſcones, per anguſtas muri ruinas maximo impetu in eam irruperunt; & militibus qui circiter quadringenti in ea erant cæſis, arcis qui & oppido præerat præfectum, patricium Venetū cepe-
runt, qui regis iuſſu vnà cum filio ad muri pinnas ſuſpenſus fuit, quod vſq; adeò immane facinus ab rege ideò factum eſt, vt qui in Cremonenſi arce erant, hoc exemplo terriri, ſe non ad extremum vſque tuerentur. Sic rex Galliæ quindecim poſt victoriam dierum ſpacio, præter Cremonenſem arcem, quæ ex diuiſione Cameracenſi ad ſe ſpectabant

bant adeptus erat; ad Mediolanenſe quidem imperium valde opportuna,& quibus regijs vectigalibus ſingulis annis vltra mille auri pondo accedebant. Quo tempore,cum Romanorum regis arma nullo adhuc in loco ſentirentur, Pontifex cum quadringentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, & octo peditum millibus,cumq; Ferrarienſium ducis tormentis,quem Pontificij imperij Vexilliferum nuncuparat, qui honos ex temporum noſtrorum conſuetudine plus habet dignitatis quàm poteſtatis, Aemiliæ oppida inuaſerat: huic exercitui præerant Franciſcus ex Caſtello Riui,Papienſis cardinalis,cum Pontificij legati honore, & Franciſcusmaria Ruuereus,Ioannis Potificis fratris nepos,qui Guidobaldo Vrbinatium duce auunculo adoptatus,eaq; adoptione pontificia autoritate in pontificio Senatu confirmata, ſuperiore anno, illi ſine alijs liberis defuncto, ſucceſſerat. Cùm hoc exercitu Ceſena Ceruiam verſus progreſſi,inde inter Imolam Fauentiamque veniſſent, Solariolum oppidum ceperũt;& aliquot dies ad Baſtiam,quæ ad tertium à Fauentia lapidem eſt, commorati, Berſigellam, vallis Lamonis præcipuum oppidum contenderunt, quo ingreſſus erat Ioannespaulus Mamfronius cum octingentis peditibus,& equitibus aliquot, qui ad certamen egreſſi,in inſidias perducti,tã ferociter ab Ioannepaulo Ballione,& Ludouico Mirandulano,qui in Põtificio exercitu ordines ducebant, petiti ſunt, vt in oppidum fugientibus hoſtes eis permixti vnà ingrederentur:idq; tanto impetu, vt Manfronius ex equo delapſus, vix tantum haberet temporis vt in arcem poſſet confugere: contra quam cum tormenta eſſent collocata,primo ictu tormentarius puluis qui in ea erat conflagrauit: quo caſu territi defenſores, absq; vlla pactione victoris ſe arbitrio permiſerunt. Valle tota occupata,exercitus in planitiem deſcendit;& Granariolo omnibusque alijs Fauentini agri oppidis captis,ad Ruſſium, caſtellum inter Fauentiam & Rauennam poſitum,expugnatu verò minimè facile, quoniam amplis atque altis foſſis circundatũ, ac præterea ſexcentis operibus ac preſidiarijs militibus munitum,caſtra locauit:expugnationem verò difficiliorem reddebat,quòd in Pontificio exercitu id conſilium eaq; concordia quæ neceſſaria fuiſſet,quamuis vires abundarent,non erat:recenter enim tria Heluetiorum millia pontificio ſtipendio conducta venerant:eam ob cauſſam etſi Veneti in Aemilia minimè potentes eſſent,haud magni progreſſus aduerſus eos fiebãt;cumq; Ioannes Græcus, cum ſua Epirotarum turma Rauenna egreſſus eſſet, ab Ioanne Vitellio vno ex Pontificij exercitus ducibus debellatus captusq; eſt:nihilominus cum decẽ dies circa Ruſſium fuiſſent, deditione eo potiti ſunt: & victoria hoc ipſo tempore ab Galliæ rege parta, Fauentini qui quòd pauci Venetorum milites adeſſent, ſui iuris erant, niſi intra 15. dies auxilium acciperent,ſe pontificiũ magiſtratum admiſſuros pacti ſunt:quo facto, quingenti Venetorũ pedites,ſub Pontificij legati fide egreſſi, Vrbinatiũ ducis iuſſu ſpoliati fuerunt. Idẽ & Rauennates quãprimùm exercitus appropinquauit,fecerunt. Sic Pontifex potius victoriæ ab Galliæ rege partæ exiſtimatione,quã proprijs armis, tantopere exoptata Aemiliæ oppida adeptus eſt: qua in prouincia Veneti nihil amplius præter Rauennæ arcẽ obtinebant; aduerſus quos quotidie noui hoſtes exoriebantur; quoniã Ferrarienſium dux,qui ſe ad eam vſq; diem declarare noluerat, repentè Vicedominũ (ſic enim appellant magiſtratum quem Veneti veteri fœdere Ferrariã vt ſuis ibi controuerſias habentibus ius diceret,mittere ſolebant) Ferraria eiecit;& ſumptis armis absq; vllo impedimẽto,Rodiginam Polineſum recuperauit:atq; Venetorum claſſem,quæ in Atheſi erat,tormentis ſubmerſit: & Aſula atque Lunatum, quæ oppida Veneti olim in bellis quæ cum Philippomaria Vicecomite geſſerunt,Ioannifranciſco Gonzagæ Mantuani marchionis proauo ademerant,marchioni ſe dediderunt. In Iſtria Chriſtophorus Frangipanius,Piſinium,Duiniũq; occupauit;& Branſuicenſium dux Cęſaris iuſſu Forumiulij,cum duobus coactorum militum millibus ingreſſus, Feltrium atq; Bellunium cepit: cuius aduentu & ad Gallorum victoriæ famam, Tergeſte, cæteraq; oppida quorum cauſſa tot mala aduerſus Venetos originem habuerant, ſub Cæſaris imperium redierunt:Lodronenſes quoque comites nonnulla ipſis vicina caſtella, & Tridentinus epiſcopus,ſimili motu Ripam Tridentinam & Agreſtum occuparunt: Sed nulla res Venetos poſt Vailæ cladem ita terruerat, vt Piſcheriæ arcis expugnatio,circa quam,ob eius munitionem,

victoris

victoris impetum hæsurum sibi persuaserant: quare tot rebus aduersis perterriti, & ne Galliæ rex vlterius progrederetur summopere metuentes, rerum suarum desperatione, ac metu potius quàm consilio ducti, copijs suis, quæ absq; disciplina vllóue ordine, ad valde exiguum numerum redactæ erant, Mestrium contractis, ne tot hostes haberent, fortè nimis præcipiti consilio, continentis imperio cedere statuerunt: atq; etiam vt Galliæ regi Venetias appropinquandi occasionem adimerent, neq; enim extra metum erant, quin aliquis in ea vrbe tumultus, vel à populo, vel ab innumera peregrinorum qui ibi agunt multitudine concitatus oriretur, his quidem prædæ cupiditate tractis, illis verò quòd cum ciues sint, longa successione in eadem ciuitate nati, imò multi eiusdem sanguinis, ex ijsdemq; familijs ab honoribus excludantur, ac penè omnibus in rebus patritijs parere cogantur, ferre nolentibus; cuius etiam rei hæc in Senatu ratio adducta fuit, si sponte præsentium periculorum vitandorum gratia de imperio cederent, secunda fortuna si id aliquando contingeret redeunte, facilius recuperaturos; quoniam populi sponte ab ipsis sacramento soluti, non tam inuiti sub pristinum imperium redirent, ac si apertè rebellassent: quibus rationibus permoti, Venetæ virtutis & tam illustris reipub. splendoris obliti, falsarum aquarum imperio contenti, magistratibus, qui Patauij, Veronæ alijsq; Maximiliano destinatis in oppidis erant, vt ijs in ciuium potestate relictis inde discederẽt, imperarũt. Et prẽterea vt illum aliqua ratione ad pacem flecterent, summa celeritate Antonium Iustinianum legatum ad eum miserunt; qui ad Cæsaris conspectum, in publico consessu admissus, miserè & submissè admodum, sed frustra, quia Cæsar nulla de re absque Galliæ rege paciscì volebat, loquutus est. Nec ab instituto nostro alienum videtur, si, vt quàm animo consternata esset ea ciuitas quæ iam ab ducentis vel pluribus annis huic parem aduersam fortunam non senserat, melius perspiciatur, eam ipsam orationem quam ille latinis verbis coram Cæsare habuit, hîc inseruero, quæ huiusmodi fuit: Veteres philosophos, atq; summos illis temporibus viros, cùm eam gloriam, quæ ex sui ipsius victoria cõparatur, veram, firmã, æternã, immortalemq; esse affirmarunt, eamq; supra omnia regna, trophęa, atq; triumphos extulerunt, minimè errasse manifestũ certissimumq; est: hæc Scipioni maiori tot victorijs claro, maiorẽ splendorem quam Africa deuicta & Cartago domita dedit. Nónne hęc eadem res magnũ illum Macedonẽ immortalitate donauit? quũ Darius maximo prælio ab illo victus, deos immortales vt regnum suum stabilirent rogauit: quòd si secus statuissent, se non alium successorem quàm tam benignum hostem, tam mansuetum victorem ab illis petere. Cæsar dictator, cuius tu nomen habes, & cuius fortunam, liberalitatem, magnificentiam aliasq; virtutes, obtines, nónne concedendo, remittendo, condonando, qui in deorum numerum referretur dignus est iudicatus? Deniq; Senatus populusq; Romanus ille, mundi domitor, cuius imperium in terris in te solo est, cuiusq; amplitudo & maiestas in te conspicitur, nónne plures populos atq; prouincias, clementia, æquitate, & mansuetudine, quàm bello armisq; imperio suo subiecit? Quæ cum ita sint, minimè inter postremas laudes id tibi adscribetur, Cæsar, si cum victoriam aduersus Venetos in potestate tua habeas, quàm humanæ res caducę sint memor, ea moderatè vti noueris, magis ad pacis studia, quàm ad dubios belli euentus propensus fueris: quanta enim rerum humanarũ inconstantia sit, quàm incerti casus, quam dubius, varius, fallax, obnoxiusq; periculis sit mortalium status, externis priscisq; exemplis ostendere non est opus; satis superque Veneta resp. docet: quæ paulo antè florens, splendens, clara, atq; ita potens erat, vt eius nomẽ & fama, nõ iam Europæ finib. contineretur, sed egregia pompa Africam, Asiamq; percurreret; atq; in extremis orbis terræ terminis magno cũ plausu resonaret: hæc eadẽ nũc vnico eoq; leui aduerso prẽlio, rerũ gestarũ gloria orbata, opibus spoliata, lacerata, cõculcata atq; euersa, omniũ rerum ac præsertim cõsilij egens, ita corruit, vt omnes pristinæ virtutis imago consenuerit, omnisq; armorũ ardor deferbuerit. Sed falluntur procul dubio, falluntur Galli, si hæc propriæ virtuti tribuunt: antehac enim Veneti grauioribus incõmodis agitati, maximis detrimentis cladibusq; perculsi atq; consumpti, nunquam animũ amiserunt; & tunc præcipuè quũ maximo periculo cum sæuissimo Turcarũ tyranno, multos annos bella gesserunt; imò semper ex victis victores facti sunt: idem &

nuuc ſperaſſent, niſi maieſtatis tuæ tremendo nomine, copiarumq; tuarum viuida inuictaq; virtute audita, ita omnium animi concidiſſent, vt nulla nō modò vincendi, ſed ne obſiſtendi quidem nobis ſpes relicta fuerit, quocirca armis abiectis, in maieſtatis tuæ incredibili clementia, vel potius diuina pietate ſpem omnem locauimus; quam nos rebus noſtris perditis inuenturos minimè diffidimus. Itaq; principis, Senatus, populiq; Veneti nomine, humili deuotione ſuplices oramus, obteſtamur atq; obſecramus, vt clementiæ tuæ oculis res noſtras afflictas reſpicere digneris, ijsque ſalutarem medicinam afferre; omnes pacis leges quas tu nobis impoſueris amplectemur; omnes iuſtas, honeſtas, & ab æquitate ratione q; minimè alienas ducemus: ſed fortaſſe qui nobis ipſis mulctam imponamus digni ſumus. Ad te verum & legitimum principem, omnia quæcunq; maiores noſtri ſacro Imperio & Auſtriæ ducatui ademerunt redeant: quibus vt decentius veniant, omnia quæcunq; in continenti poſſidemus adiungimus, quarum rerum iuribus quocumq; modo partis cedimus: præterea quotannis tuæ maieſtati, & legitimis imperij ſucceſſoribus in perpetuum quingenta auri pondo tributi nomine pendemus: imperijs, decretis, legibus, preceptisque tuis libenter obtemperabimus: defende nos quæſo ab illorum, cum quibus paulò antè arma noſtra coniunximus, inſolentia; quos nunc ſæuiſſimos hoſtes experimur; qui nihil aliud expetunt, quàm Veneti nominis interitum. tua iſta clementia conſeruati, te vrbis noſtræ parentem, genitorem, conditoremque apellabimus: ingentia beneficia tua in annales referemus; & filijs noſtris perpetuo memorabimus: nec verò parua erit laudibus tuis acceſſio, te primùm eſſe ad cuius pedes Veneta reſpublica, ſuplex ſe humi proſternat, cui ceruices ſupponat, quem velut Deum de cœlo delapſum colat, reuereatur atq; obſeruet. Si Deus optimus maximus eam mentem maioribus noſtris dediſſet, vt res aliorum attingere non ſtuduiſſent, iam noſtra reſpub. gloriæ plena, reliquas Europæ ciuitates longè ſuperaret; quæ nunc in ſquallore, ſordibus, & fetore langueſcens, ignominia, probroq; deformis, ludibrio atq; contumelia referta, vnico momento, omnium victoriarum laudem amiſit. Sed vt vnde incepit, eò mea reuertatur oratio, in tua poteſtate eſt Cæſar, Venetis tuis ignoſcendo & condonando, nomen laudemq; comparare, qua nemo vnquam vincendo maiorem ſplendidioremq; adeptus eſt: hoc monumentum nulla vetuſtas, nulla antiquitas, nullus temporum curſus, ex mortaliū mentibus delebit: ſed omnia ſeculate pium, clementem, omnium principum glorioſiſſimum appellabunt, prædicabunt, confitebuntur: nos tui Veneti quòd viuemus, quòd auras cæleſtes carpemus, quòd hominum commertio fruemur, id omne tuæ virtuti, felicitati, clementiæq; tribuemus.

Veneti eodem conſilio proprium hominem in Apuliam miſerunt, vt eius prouinciæ portus Aragoniæ regi traderet, qui cum alienorum laborum fructu ſine ſumptu & ſine periculo frui noſcet, exiguam claſſem ex Hiſpania miſerat, quæ nonnulla parui momēti oppida in illarum vrbiū agris occupauerat. In Aemiliam quoq; publicum Senatus ab epiſtolis miniſtrū, cum mandatis, vt Pontifici, ſi Ioannespaulus Manfronius & ceteri captiui dimitrerentur: ſi tormenta abducere liceret, & milites qui in Rauennati arce erant, incolumes exirent, quæ adhuc poſſidebant traderet miſerūt: in quibus dum Pontifex ne ſocios offendat, ſe difficilem præbet, Rauennatum arx deditionem fecit: quoniā milites qui in ea erant, Venetorum ab epiſtolis miniſtro qui eam ingreſſus erat repugnāte, eam ipſi dediderunt: nam qui ipſorum Romæ negotia procurabant, Pontificem tandem ijs conditionibus, quibus reſtitutionem obtulerant, conſenſurum ſpem faciebant: ſed Pontifex interea, ipſos magis in ſe, quàm in Cæſarem, Aragonieúe regem contumaces fuiſſe, grauiter expoſtulabat: ideoq; Grimano, Cornarioq; Venetis cardinalibus Senatus nomine, vt eos interdicto, queadmodum iure deberet, cum intra præſcriptum viginti quatuor dierum tempus reſtitutionē obtuliſſet, liberaret petentibus: illos, quòd non abſolutè ſed limitatis legibus obtuliſſent; & quia, vt præter oppida, fructus quoq; perceptos, & omnia bona ad templa, ſacráſue perſonas ſpectantia, quæ poſſiderent reſtituerent, moniti fuerant, non paruiſſe reſpondit. Hoc pacto Venetæ reipub. res maximo & penè ſtupendo impetu in præceps ruebant, calamitatibus alijs ſuper alias continenter cumulatis, quauis ſpe propoſita deficiente; neq; vllo iudicio, ex quo ſaltem ſe

poſt

post tanti imperij iacturam, propriam libertatem retenturos sperare possent, apparente. Hac tanta tamq; præcipiti ruina, Italorũ animi variè afficiebantur: pars enim summã voluptatẽ capiebat; illos summa ambitione vsos, iustitia fideq; postpositis, omnia quacunq; occasione occupare ausos, atq; ad totius Italiæ imperium manifestè aspirasse recordantes: quæ res illorum nomen inuisum passim faciebant; ac multo etiam magis, ob eius gentis naturam insitæ animi elationis opinionem, quæ vbiq; terrarum, perstrepebat. Alij verò rerum statum & saniori mente quàm vniuersæ italiæ, prorsus externorum imperio subijci turpe & miserum esset perpendentes, tantam ciuitatem, tam inueteratam libertatis sedem, Italici nominis per vniuersum terrarum orbem gloriam, in tantam calamitatem cadere, vt nullum amplius frenum transalpino furori cohibendo reliquum esset, & nobilissimum membrum, quodque supra omnia alia, communem famam nomenque conseruaret, extingui, incredibili dolore afficiebantur. Sed præ ceteris omnibus tanta inclinatio, Pontifici, cui Romanorum & Galliæ regum potentia suspecta erat, quiq; illos vt ab sui opprimendi cogitationibus remouerentur, alijs rebus implicatos esse cupiebat, molesta esse cæpit: quàm ob caussam, cum, ne eius reipublicæ calamitates vlterius progrederentur, quantum posset, (occultè tamen) impedire statuisset, literas Venetæ reip. ducis nomine ad se scriptas, quibus eum demississimè orabat, vt sex legatos exprælipuis Senatoribus delectos, qui supplices veniam, atq; vt ius sacrorum ipsis restitueret peterent, admittere dignaretur, accepit: quibus perlectis, & petitione in sacro senatu proposita, veteri Pontificatus qui se nunquam erga eos quos commissorum errorum pœniteret veniam petunt, durum ostendere consueuerit, more adducto, Cæsaris & Galliæ regis oratoribus valde repugnantibus, & illum Cameracensi fœdere, expresse ad eos sacris atq; prophanis telis tamdiu perse quẽdos teneri, donec singuli fœderati quæ ad se spectarent recuperassent, in memoriam reuocantibus, eos admisit: oratoribus verò, se illos eo animo admisisse, vt interdicto non antè eximeret, quàm Cæsar, qui solus non omnia recuperarat, quæ ad se spectarent consequutus esset, respondebat. Hæc res Venetis aliquod spei atq; securitatis initium attulit; sed multò magis extremo eos terrore quo premebantur regis Galliæ decretum liberauit: qui se bona fide fœdus quod cum Cæsare haberet seruaturum dixerat: atque ijs quæ ad se pertinerent, receptis, vltra fines suos exercitũ non ducturum: nam Gallię rex, cum non modò Veronam cuius ciuitatis legati, Pischeria ab illo capta, vt vrbẽ dederent ad eum venerant, capere, sed & Patauium aliaq; oppida ab Venetis deserta occupare, in eius potestate esset, voluit vt Veronensiũ oratores Cæsaris legatis, qui in ipsius castris erãt, vrbis claues traderent; hancq; ob caussam, cum omnibus copijs Pischerię hæsit: quod oppidũ loci oportunitate allectus, quamuis ad Mantuanum spectaret, quòd Veneti id vnà cum Asula & Lunato ei ademerant, marchione, cui oppidi vectigalia permisit, & alia re se cõpensaturũ promisit, repugnare nõ audente, sibi retinuit. Iisdemq; diebus Cremonẽsem arcem, ea lege, vt omnes milites, ijs exceptis qui ex locis eius imperio subiectis essent, cum suis rebus incolumes abirent, & Veneti patritij, quibus se vitam seruaturum fidem dedit, eius captiui essent, deditione accepit. Veronæ exemplũ, Vicetia, Patauium, aliaque oppida sequuta sunt, præter Taruisium, quę ciuitas iam à Venetorum magistratibus militibusq; derelicta, si Cæsaris vel minimæ vires, aut saltem vir aliquis autoritate præditus conspectus fuisset, idem erat factura: sed cum ad eam ciuitatem eius nomine accipiendam, absque viribus, absq; armis, absq; vlla imperij maiestate, Leonardus Trissinus Vicetinus exul, qui & Patauium eodem modo acceperat, iuisset, iamque intromissus esset, eius ciuitatis exules recenter ab Venetis restituti, & huius beneficij caussa Veneti nominis amantes, tumultuari cæperunt; quos plebe benè erga Venetum imperium affecta, quodam Marco sutore duce, qui immodetatis multitudinis clamoribus atque concursu, Venetorum vexillum in nobilissimum ciuitatis forum tulit, sequuta, se nullum aliud imperium aliumue principem agnoscere velle asserentes, vno ore Martium nomen inclamare cæperunt; quam propensionem, quidam Pannoniæ regis orator minimè parum auxit; qui cum Venetias proficiscceretur, Taurisio iter faciens, cum casu in hunc tumultum incidisset, populum vt nõ deficeret hortatus est, idcirco Trissino pulso, & septingẽtis Venetorum peditibus in vrbem acceptis, paulo pòst exercitus, qui peditiA

bus ex Illyrico accersitis,& ijs qui ex Aemilia redierant auctus, castra munita inter Margheriam & Mestrium locare volebat,Taurisium ingressus est,ad quod muniendum diligentissimè incubuerunt:& equites totam vicinam regionẽ percurrebant,& quàm maximam commeatus copiam poterant, cum ad eius ciuitatis,tum ad Venetiarum,in qua vrbe pariter vndiq; maxima annonæ copia cumulabatur, vsum importabant. Huiusce rei speciq; Venetis se aliquam imperij partẽ retinere posse restituendæ,multorumq; grauissimorũ casuum qui pòst sequuti sunt, potissima caussa fuit Cæsaris negligentia,& cõfusa rei bellicæ administratio: cuius ad eam vsq; diẽ,in tanto victoriæ cursu,nihil prẽter nomen auditũ fucrat;quamuis Gallicorũ armorum terrore,tot ciuitates & oppida se illi dedidissent,quæ cõseruare illi facillimum fuisset;sed post Cameracense fœdus,aliquot dies in Flandria pecunias in id bellũ vt antè diximus cogeret,moram traxerat; quas nõ antè accepit,quàm pro more suo inutiliter cõsumpserit:& quamuis armatus,cũq; omni Cæsarea pompa atq; ceremonia Molino profectus, & Italiæ appropinquans,se ante tẽpus fœderis capitib.præscriptũ bellũ illaturũ diuulgasset,nihilominus cõsuetis suis impedimentis cõfusioneq; oppressus, vlterius nõ progrediebatur;neq; illũ pontificis,qui Gallicorũ armorum metu in quo versabatur,assiduè vt in Italiã descenderet,vrgebat,& quo melius id facere posset,Cõstantinũ Macedonẽ cum 500.auri libris ad eũ miserat;& prius mille auri libras quæ ad bellũ cõtra religionis Christianæ hostes gerendũ ante aliquot annos in Germania seruabantur,ei cõcessit,stimuli mouere poterant.Prẽterea etiã ab Galliæ rege mille auri pondo in Mediolanẽsis imperij diploma acceperat:cum prope Oenipontem esset,de Vailana pugna nuncios accepit;& quamuis statim Bransuicensium ducẽ ad Forum Iulij recuperandũ misisset,tamen pecuniæ inopia,cum quas ex tot locis collegerat,eius effusionibus nõ sufficerẽt,impeditus,quemadmodũ in tanta occasione decuisset, nõ mouebatur: tandem Tridentum venit,vnde Galliæ regi,quòd eius opera oppida sua recuperasset,gratias egit;atq; vt ei maiorem beneuolentiam declararet, vtque veterum iniuriarum memoria prorsus deleretur, librum qui Spiræ conseruabatur, in quo omnes iniuriæ quas ante id tempus Galliæ reges Imperio & Germanicæ genti intulerant,scriptæ erant, concremandum mandasse ferebatur: Tridentum tertia decima Iunij Rotomagensis, vt de communibus rebus ageret, ad eum venit;qui maximo honore acceptus,ei quingentorum cataphractorum auxilium regis nomine promisit;ac ceteris rebus cum vtriusque consensu transactis, vt Cæsar & rex ad colloquium in apertos campos, prope Gardam oppidum,in vtriusque imperij finibus situm,venirent, statuerunt:quocirca Galliæ rex,vt ad constitutam diem adesset, castra mouit; & Cæsar eandem ob caussam ad Tridentinam Ripam se contulit duas horas ibi moratus, repentè Tridentum redijt, & simul Galliæ regi,se nouis casibus in Foroiulij exortis discedere coactum fuisse, significauit, & vt Cremonæ hęreret, se enim citò ad constitutum colloquium rediturum, rogauit ; quam varietatem , si tamen in tanta in constantia veritas inueniri potest, multi suspitioni, ei ab alijs,vt natura credulus erat iniectæ tribuebant;alij illum , quòd exiguam aulam & paucas copias secum haberet, sese ea dignitate & existimatione, quæ Galliæ regis pompam magnitudinemq; æquaret, ostendere non posse, censuisse interpretabantur: rex autem vt se tanto sumptu leuaret , exercitus citò dimittendi , nec non in Galliam redeundi cupidus , quamuis à Matthæo Lango Gurcensi episcopo, & à Maximiliano ad id misso Cremonam vsque eum secuto,& Cæsarem proculdubio reuersurum confirmante , vt expectaret vehementer rogaretur, eo non expectato Mediolanum versus contendit.Galliæ regis cum suo exercitu, ab Cæsaris finibus discessus, plurimum existimationis eius rebus detraxit; tamen quamuis tantas copias secum haberet, vt facilè Patauiũ cæteraq; oppida munire posset, siue ob naturæ suæ varietatem, siue aliarum rerum prius gerendarum consilio, siue quòd cum in Italiam descenderet , maiorem exercitum secum habere sibi honestius duceret , nullum in ea præsidium misit; imò quasi reliqua omnino confecta essent, vt coniunctis sociorum viribus , Veneta vrbs oppugnaretur proponebat; quæ res à Galliæ rege libenter audita , sed Pontifici molesta fuit; Aragoniæ verò rex apertè repugnauit. Ea tempestate Florentini bello Pisano supremam manum imposuerunt: cum enim frumentarium subsidium Pisas importare prohibuissent , nouis copijs conscriptis

scriptis,omnem industriam omnemq; conatum,vt neq; terra neq; mari commeatus importarentur adhibuerunt:quod quidem ob Lucensium, qui quacunq; in re clàm poterant, fœdus postremò cum Florentinis ictum minimè integra fide seruabant, propinquitatem, non sine difficultate fiebat. Pisis autem quotidie annonæ penuria crescebat: quam quum agricolæ iam ferre nollent, illi ciuitatis principes in quorum potestate erant publicæ deliberationes, quosque Pisanorum iuuenum maxima pars sequebatur, vt agricolas consuetis artibus consopirent, Plumbinatium reguli opera vsi, pacis cum Florentinis colloquia introduxerunt:in quibus multos dies artificiosè consumpserunt, Nicolao Machiauello qui Florentinis ab epistolis erat, & multis Pisanorum legatis ex ciuium & agrestium numero delectis,hanc ob caussam Plumbinum profectis. Sed Pisas obsidere, quia latos cõpos ac montosos, fossis & paludibus plenos habet,quibus fit vt præsertim noctu,ob Lucensium ex suo agro subministrandi prompta studia,& Pisanorum,qui eius rei caussa se omnibus laboribus omnibusq; periculis exponebant,ferocitatem vix commeatus prohiberi potest,valde difficile erat:quas difficultates, vt superarent Florentinorum duces, exercitum in tres partes partiri constituerunt:vt in plura lo-la distributus,commodius Pisas cõmeatum inferri prohibere possent.Vnam igitur partem ad Metianam extra Plagariã portam collocarunt; alteram ad diui Petri ad Renam fanum,& ad Iacobi,Lucensi portę oppositam;tertiam prope vetustissimum diui Petri in Gradu templum, quod Pisas inter & Arni ostium est; & in singulis castris bene munitis,præter satis magnum equitum numerum, mille pedites posuerunt: atque vt montanum iter,per Osolensis vallis viam,quæ ad Sanctiiuliani montem ducit,melius custodirent, Magnam hospitalem domum versus vallum ducentorum & quinquaginta peditum capax construxerunt; ex quo quotidie Pisanorum penuria augebatur:qui dolis id consequi conantes, quòd iam se viribus adipisci posse diffidebant, effecerunt vt Alfonsus Mutolus Pisanus, obscuri generis iuuenis, qui non multo antè ab Florentinis militibus captus, maximis beneficijs ab eo cuius captiuus erat affectus fuerat, sese illis portam qua Lucam itur furtiuè traditurum polliceretur, eo consilio, vt eodem tempore quo exercitus qui ad Iacobi erat, noctu ad eam capiendam iret, non modò partem vnam intromissam opprimerent, sed simul etiam in vnam aliam partẽ quæ vrbem propius accedere, vt erat constitutum, debebat, impetum facerent:qui cum non temerè nec perturbatè accessissent, Pisani ex hoc consilio nihil aliud quàm paucorum, qui vt dato signo vrbem ingrederentur, intra primam portam venerant, cædem consequuti sunt: inter quos occubuit Canacius ex Pratoueteri, (id illi cuius captiuus fuerat Alfonsus Mutolus nomen erat:cuius fiducia ea proditio cõposita fuerat) cæcidit etiam tormenti glande Paulus Parrana,expeditorũ equitũ turmæ dux;qua spe sublata,& exigua admodũ frumenti copia,eaq; clàm, & maximo eorũ qui id tentabant periculo importaretur, neque Florentini inutiles homines Pisis egredi paterentur, (varijs enim supplicijs eos qui exiuissent afficiebant,) res ad humanum victum necessariæ immenso prætio emebantur, cumque tanta earum non esset copia, vt omnibus satis esset, multi iam fame peribant:& nihilominus illorum ciuium qui rempublicam administrabnt pertinacia, tantam necessitatem superabat; qui cum potius patriæ extremum exitium cernere, quàm tam horrendæ necessitati cedere statuissent, quotidie, multitudinem modò hac,modò illa re proposita in spem erigere conantes, præsertim verò cum Cæsaris in Italiam aduentus singulis horis expectaretur, qui Florentinos ab ipsorum mœnibus arceret, deditionem differebant; sed agricolarum pars, & præcipuè ij qui cum Plumbini fuissent, quænam esset illorum sententia cognouerant, tumultu concitato, vt denuò cum Florentinis id negotium tractarent coëgerunt: quæ res cum Alamano Saluiato, illorum castrorum, quæ ad Sancti Petri in gradu erant legato agitata,pòst varias disceptationes,ijsdem illis semper omni studio vt impedirent adnitentibus,concordia & quidem legibus Pisanis valde lenibus,& amicis,transacta est:non solùm enim omnia publica & priuata delicta illis condonata fuerunt,verùm etiam multæ immunitates concessę,& bonorum mobiliũ quæ Florentinis in defectione rapuerant restitutione exempti,vsq; adeò Florentini ea vrbe potiri cupiebant:tantus erat metus,ne ab Maximiliano, qui in Cameracensi fœdere Pisanos,quamuis Galliæ rege minimè cõprobante,

nominauerat,aut alicunde aliquod in expectatum impedimentũ exisſteret; & quamuis Piſanos intra paucos dies fame coactos,ceſſuros certò ſcirent,potius iniquis legibus ſibi cautum,quàm vt ea liberè absq; vlla lege potirentur, vllam ſecuritatis partẽ fortunæ arbitrio committere voluerunt:hæc autẽ concordia in caſtris quidem tractari cæpta eſt, ſed deinde à Piſanis legatis Florentiæ confecta; & in ea inſignis ſuit Florentinorum fides,qui tanto odio pleni,& tot iniurijs irritati,non minus in promiſſis ſeruandis cõſtantes,quàm in concedendis faciles atq; clementes fuerunt. Et certè Romanorũ rex Piſanos Florentinis ſe ſubieciſſe non parũ moleſtè tulit:ſibi enim perſuaſerat,vel eius ciuitatis imperium ad multas occaſiones optimum inſtrumentũ fore; vel ea vrbe Florentinis cõceſſa,ſe minimè mediocrem pecuniæ vim ab eis accepturũ: cuius inopia ampliſſimas occaſiones quæ ſine vllo eius labore induſtriaúe ſeſe illi offerebãt,è manibus elabi patiebatur:quas dum tam leuiter adiuuat,vt Vicetię atq; Patauij vix ſit aliquis eius miles;& ipſe cunctatione ſua oppidanorũ ardorem deferueſcere permittit; ac ſæpenumero cum paucis copijs repentè ſe huc atq; illuc transfert, Veneti Patauij recuperandi oblatã occaſionem minimè neglexerunt;ad id multis rationibus impulſi;quoniam Tauriſium retentum, quàm inutile conſilium fuerit, tam præcipiti conſilio de continentis imperio deſperare, eos docuerat: & quia ob Maximiliani apparatuum tarditatem, quotidie minus timèbatur: eo etiam nonnihil incitati, quòd cum prædiorum quæ multi priuati Veneti, in Patiuino agro poſſidebant fructus, Venetias ferre vellent,id Patauini prohibuerant:adeò vt priuatorum indignatione cum publica vtilitate coniuncta;ad hæc cùm Patauij exiguum præſidium eſſe ſcirent, & ob Patauinorum nobilium erga plebem inſolentiam, multos Venetorum in gubernando lenitatis memores, iam priorem dominatum exoptare, & vtrum eam vrbem recuperare poſſent experiri ſtatuerunt: ad id autem non paruam illis occaſionem præbebat,quod Patauini agri colonorum maxima pars Venetis ſtudebat: quare conſtitutum fuit, vt Andreas Grittus è legatis Caſtrenſibus vnus,copijs quæ quadringentorum grauis,ſupra duo millia Græcorum & leuis armaturæ equitum, & quinq; millia peditum erant,à tergo relictis,Nouale Patauini agri caſtellum ſe transferret, ac peditum parte, quæ cum multis ruſticis ad Miranum villam miſſa fuerat, ſibi in itinere adiuncta, Patauium verſus contenderet, & Codalungæ portam oppugnaret: eodemque tempore, duo agreſtium millia,cum trecentis militibus, & nonnullis equitibus, quo magis eorum qui intus erant animos perturbarent, Portellum in oppoſita ciuitatis parte adorirentur: vt autem hæc conſilia maximè occulta eſſent, Chriſtophorus Maurus alter legatus, ſe ad Citadellam exercitum ducere fingeret: quod conſilium bene meditatum, non tamen maiorem ordinem quàm felicitatem habuit: quoniam pedites quum ad multam diem veniſſent, Codalungæ portam ſemi apertam inuenerunt: caſu enim paulò antè nonnulli ruſtici, cum carris fœno onuſtis per eam ingreſſi erant:ea igitur citra negotium occupata,& reliquarum copiarum quæ propè erant, aduentu absque ſtrepitu expectato, eam vrbem ambitu maximam, & incolis vacuam, antequam rumor perciperetur, non modò ſunt ingreſſi,ſed Vulpio equite,cũ expeditis equitibus,& Citolo Peruſino,atq; Lactantio Bergomate cum peditum parte præeuntibus,ferè in forum vſq; peruenenerunt:ſed rumore ad Citadellam perlato Triſſinus qui Patauij pro Maximiliano erat, cum trecentis Germanis peditibus, neque enim plures in eius vrbis præſidio erant, in forum prodijt: idem & Brunorus Seregius cum quinquaginta equitibus fecit, vt ſi fortè interea dum ipſi hoſtilem ibi impetum ſuſtinebant, qui Patauij Germanicum imperium amabant, arma cepiſſent, expectarent; ſed hæc & omnis alia illorum ſpes erat inanis: quoniam in ciuitate tam repentino tumultu oppreſſa, & quàm multæ iam copiæ ſeſe immiſerant, nemo ſe commouebat: itaque ab omnibus deſerti,citò magna clade accepta,in arcem Citadellamq; confugere compulſi ſunt; quæ cùm non ſatis munitæ eſſent, intra paucas horas victoris arbitrio ſe dediderunt; ſicq; Veneti tota vrbe potiti, vt tumultum ſedarent & vrbem conſeruarent operam dederunt: cuius maxima pars aliorum imprudentia inſolentiaque illis amica facta erat; nec quiſquam præter Hebræorum,& nonnullorum Patauinorum, qui ſe primi Veneti nominis hoſtes declararant domos, detrimentum accepit:qui dies Marinę ſacer,Venetijs publica lege quotannis,velut feliciſſimus &

imperij

imperij ipsorũ recuperandi initiũ, festus habetur, solemniq; ritu celebratur. Tota vicina regio huius victoriæ fama commota est; & maximum erat periculum, ne Vicetini per se idem facerent; nisi Constantinus Macedo, qui fortè fortuna nõ procul aberat, cum paucis quibusdam militibus eò veniisset. Patauio recepto Veneti statim, quòd plebeiorum in oppidis hominum, & agricolarum animos sibi fauentes haberent, toto agro potiti sunt: eodemque impetu Lineacum oppidum cum arce, ad Veronensem, Patauinum & Vicetinum agros turbandos locum valde opportunum, expugnarunt. Præterea Marchesanam turrim, quæ octo passuum millibus Patauio distat, ad Rodigiã polinesum inuadendam, & in Mantuani marchionis regionem irrumpendum aditum opportunum, expugnare conati sunt: sed quia Estensis cardinalis statim copias ad eam defendendam misit, ea potiri non potuerunt. Patauinus casus Galliæ regis trans alpes reditum, non, vt multi opinabantur, remoratus est: qui in discessu, Biagrassi cum Papiensi cardinale Pontificio legato, nouum fœdus percussit, quo Pontifex atq; rex, matua sibi defensione, vt quilibet ipsorum cum quouis alio principe, dummodo in huius fœderis fraudem non fieret, fœdus inire posset, pacti sunt. Rex se nulli, qui Pontificij imperij subiectus, beneficiarius, quiúe quouis modo ex Pontificatu penderet, patrocinium præstiturum, vel deinceps in fidem suam, cunctis quæ ad eam vsq; diem suscepisset, obliteratis, quenquam accepturum promisit: quæ res tanti regis dignitatem parum decebat; quoniam non multo antè, cum Ferrariensium dux ad eum venisset, quamuis primum quòd Pontificatus vexillum se inscio accepisset iratus fuerit, tamẽ deinde illi placatus, triginta aureorũ numũm millib. acceptis, eum in fidẽ suam tutelamq; acceperat. Illud quoq; inter eos cõuenit, vt episcopatus qui tunc per omne regis imperiũ vacabant, ad pontificis arbitrium tribuerentur; qui verò intra certum tempus vacarent, ijs quos rex nominasset traderentur: cui vt magis satisfaceret, Pontifex per eundem Papiensem cardinalem, Albiensi episcopo sacræ purpuræ priuilegium misit; seq; illum quamprimum Romam veniisset, eius dignitatis insignibus ornaturum promisit. His in hunc peractis modum, rex sine mora, ex Italia magnam ex tam plena celeriq; aduersus Venetos victoria gloriam secum in Galliã referens, profectus est: & tamen vt in rebus diu expetitis homines ferè nunquam ijs adeptis, eam iucunditatem felicitatemq; quam sibi prius proposuerant inuenire solent, neq; maiorem animi tranquillitatem retulit, neq; res suas magis in tuto collocauit: quin maiorum sibi periculorum ac turbarum messem paratam videbat: & quid sibi in recenter exortis motibus statuendum esset, magis animo dubius erat, si res Cæsari feliciter succederent, multo magis illum metuebat, quàm prius Venetos timuisset: si Venetorum potentia resurgere inciperet, in perpetuo metu, perpetuisq; sumptibus, vt res illis ademptas conseruaret, versari cogebatur: neq; hoc solùm, sed & Cęsarẽ militibus & pecunia iuuare oportebat: quem si deseruisset, ne cum Venetis in se fœdus iniret, atq; Hispanus, & fortasse etiam Pontifex ad idem concurreret, metuendum erat; neq; ad Cæsaris amicitiam conseruandam mediocria auxilia requirebantur, sed ea eiusmodi esse oportebat, quibus victoria in Venetos potiretur: ea verò præter quàm quòd magno cum detrimento suppeditabantur, ipsum in eadem Cæsaris potentiæ pericula conijciebant: quæ dum cogitaret, primùm, vtrum Patauinarum rerum mutatio sibi molesta an grata esse deberet, dubitauerat: sed postea, securitate qua si Veneti continentis imperio spoliarentur frui posset, cum molestijs atq; periculis, quæ ex Romanorum regis potentia metuebat, & cum Veronæ, quam vtpote ad Germaniæ motus reprimendos oportunam summopere exoptabat, ab illo egestate coacto, pretio adipiscendæ spe comparata: tandem res eo statu esse, vt bello quemadmodũ futurum verisimile erat, diu inter Cæsarem & Venetos vigente, vtraq; pars assiduis sumptibus defatigata, vires amitteret, sibi tutius vtiliusq; ducebat: qua in sententia fœdere cum Pontifice icto, multo magis confirmabatur, quia illum secum fœdus amicitiamq; firmam seruaturum sperabat: tamen in Veronensium finibus septingentos cataphractos Palicia duce, vt Cæsaris tam in rebus partis tuendis, quàm in ijs quæ Veneti possidebant inuadendis uoluntatem sequerentur reliquit: quorum Vicetiam ex Cæsaris iussu profectione, Veronenses res quæ ob paruum præsidium in periculo non mediocri versabantur, in tuto sunt collocatæ; & Venetus exercitus, qui ad Citadellam castra locarat, inde discessit. Ante regis di-

ſceſſum aliùs caſus Venetis propicius contigit: equitibuś namq; illorum, qui Lineaci erant, aſſiduè totam regionem ad Veronæ portas vſq; percurrentibus, & maxima illis incommoda afferentibus, quos milites, qui Veronæ erant, cum non plus quàm ducenti equites, & ſeptingenti pedites eſſent, impedire nõ poterãt, Tridẽtinus epiſcopus, qui pro Cęſare ei vrbi præerat, cũ Lineaci caſtra admouere ſtatuiſſet, Mantuanũ accerſiuit, qui vt apparatus expectaret, tũ equitum turma quam ab rege habebat, caſtris ad Scalã inſulam Veronenſis agri vicũ ſatis magnũ, neq; muris, neq; vllo munitionis genere ſeptũ poſitis, dum ibi nihil ſuſpicans moratur, omnib. belli ducibus, quã in omni tẽpore & loco, ita vigilantes ac parati eſſe debeant, vt proprijs viribus freti, nec longinquitate, nec debilitate hoſtiũ ſe tutos eſſe putent, inſigne exemplũ dedit: nam quum Mantuanus cum nonnullis Veneti exercitus Græcis equitibus egiſſet, vt eum in locũ ad ſe venirent, quo ad ſua ſtipendia tranſirent, ipſi verò ſtatim eã rem ducibus ſuis patefeciſſent, hacq; occaſione illũ repente adoriri ſtatuiſſent, Lucius Maluetius cum ducentis expeditis equitibus, & Citolus Peruſinus cum peditibus octingentis, clam Patauio Lineacũ profecti, & copijs quæ Lineaci erant, mille & quingentis agricolis ſibi cõiunctis, & aliquot equitibus qui crebris vocibus, Turcũ (id rat Mantuani cognomen) vt expectatos Græcos aduentare opinaretur inclamarent, præmiſſis, ad conſtitutam diem matutino tempore ſub aurorã, ad Scalæ inſulã nemine quicquam ſuſpicante peruenerũt: & ſine impedimento ingreſſi, cũ omnes milites, & reliquos marchionis famulos, ac domeſticos, ſine excubijs dormientes inueniſſent, eos diripuerunt: vbi inter ceteros captus fuit Boiſius, marchionis vicarius, Rotomagenſis nepos, & Marchio tumltu percepto, cum ferè nudus per feneſtram euaſiſſet, ſeq; in ſaginæ agro (grani ſiue milij cuiuſdam ruſi proceriq; admodum genus eſt) occultaſſet, ab eiuſdem loci agricola, qui pro cõmuni incolarũ ardore, Venetorum commodum propriæ vtilitati præferens, dũ ſimulanter ingentibus marchionis promiſſis auditis, ſe vt illũ ſeruaret operam dare fingit, cõtrariũ facit, hoſtibus proditus fuit: vnde Patauiũ & deinde Venetias perductus, maxima totius ciuitatis lætitia, in Martię ædis turriculã coniectus fuit. Cæſar Venetorũ progreſſus nulla adhuc ex parte impediuerat impediebatúe, quia nõdum tantas copias haberet vt in campis caſtra metari auderet; & multos dies in Vicetinis ſaltibus occupatus fuerat, vbi montani homines, Veneti nominis ſtudioſi, locorum anguſtijs freti, manifeſtè ab eo defecerant: deinde quum in planitiem deſcenderet, Patauina defectione iam ſequuta, non ſine ſuo periculo in innumeram agreſtium multitudinem, qui illum munito in loco qua ei iter erat expectabant, incidit: vnde cum eos expuliſſet, ad Scalam Vicetini agri, cuius Venetus exercitus magnã partẽ recuperauerat, & Serraualle alicuius momenti loco expugnato, magna in Germanos crudelitate vſus fuerat, peruenit Maximilianus, & intra paucos dies Serraualle recuperato, eadẽ in Italos milites & regionis incolas immanitate vſus eſt: ſic cum nõdum eius vires auctæ eſſent, paruis rebus gerendis ſeſe, exigua cum Cæſarei nominis dignitate exiſtimationeq; implicabat, modò hoc caſtellum, modò illud oppugnans, & (vt ſemper eius cogitationes viribus & occaſione maiores erant) ceteris fœderatis, vt omnium coniunctis viribus, maritimis etiã Galliæ atq; Aragoniæ regum claſſibus cum Pontificijs triremibus, quæ tunc ſimul erant, præter terreſtres apparatus adhibitis, Veneta vrbs oppugnaretur, proponebat. Quod etſi in Cameracenſi fœdere tractatum non fuiſſet, Galliæ rex dummodo huiuſmodi conditiones proponerentur, vt eius expugnationis commoda in omnes ſocios redundarent annuiſſet, ſed Pontifici id moleſtum erat: Hiſpanus verò & tunc & aliàs cum diutius id negotiũ agitatum fuit, ſemper quia Galliæ regi vtile fore cenſebat, rem quaſi ab æquitate honeſtateq; vehementer alienam deteſtatus reiecit. Sed dum Patauinus, Vicetinus, & Veronenſis ager Germanorum atq; Italorum armis ita vexantur, miſerius etiam Carni atq; Iſtri qui Venetorum imperio parebant, lacerabantur: quoniam Analtenſis princeps Cæſaris iuſſu cum decem militum millibus ex jis qui in prouincijs Cæſaris imperabantur, Iulij forum ingreſſus, vbi fruſtra Montis falconis expugnationem tentaſſet, Cadorum oppidum cum arce magna cum defenſorum cæde expugnauit: & viciſſim aliquot expediti Venetorum equites, multis regionis incolis ipſos ſequentibus, Valdiſeriam oppidum vi ceperunt, & Bellona vbi nullum erat Germanicum præſidium, deditione potiti ſunt: ab alia verò parte Branſuicenſium dux

& ipſe

& ipſe ab Cæſare miſſus, cum Vtina, nobiliſſima Fori Iulij ciuitate potiri nõ potuiſſet, ad Ciuitale Auſtrium oppidũ edito loco, ad Natiſonẽ fluuium ſitum exercitum duxit, cuius cuſtodiæ Federicus Contarenus paruo cum præſidio, ſed populi ad defenſionem promptiſſimi viribus fretus præerat: cui quum Ioannespaulus Gradinicus Fori Iulij præfectus, cum octingentis equitibus & quingentis peditibus auxilio veniret, ab Germanis militibus fugatus eſt: & tamen quamuis Ciuitale tormentis concuſſiſſent, neque feroci oppugnatione, neque eorum qui ipſis auxilio veniebant in fugam coniectorum fama expugnare potuerunt: & in Iſtria Chriſtophorus Frangipanius, ad Vermineum caſtellum Venetos magiſtratus quos regionis incolæ ſequebantur fregit: cuius ſecundi ſucceſſus occaſione, totam regionẽ cladibus incendijsq; compleuit: & Caſtellonouum cum Raſpruchio oppido occupauit: quare Veneti Angelũ Triuiſanum, claſſis præfectum cum ſexdecim nauibus longis eò miſerunt: qui Fluminenſi oppido primo aduentu expugnato, Tergeſti expugnationem tentauit: quod cum non ſuccederet, Raſpruchium vi recuperauit: deinde Carnorum atq; Iſtriæ ſtatu flebili relicto, cum triremibus Venetias verſus ſe recepit: nam cum modò Veneti, modò Germani in ijs prouincijs ſuperiores eſſent, quæ oppida prius hi cæperant atq; diripuerant, mox illi rurſum recuperabant diripiebantq;: & idem ſæpius ab vtrisq; fiebat: itaq; cum hominũ fortunæ & corpora ſemper his aut illis prædæ eſſent, vniuerſa regio miſerè abſumebatur vaſtabaturq;. Quibus in profanorum armorũ motibus, Romæ de ſacris armis diſputabatur: quo iam ante Patauium recuperatum, ſex Veneti Senatus oratores, lugubri veſtitu, modisq; venerant: qui cum maximo faſtu & pompa, vniuerſaq; ipſis obuiam accurrente eam vrbẽ ingredi conſueſſent, tunc nõ modò neq; honorificè accepti, neq; vllo comitatu fuerant, ſed noctu (ſic enim Pontifex voluit) ingreſſi, neq; ad eius conſpectum admiſſi ſunt: ſed in neapolitani cardinalis ædibus, cum ipſo & alijs Cardinalibus, antiſtitibusq; quibus id negotium commiſſum erat, colloquebãtur: Romanorum, Gallię, ac Hiſpanię regum legatis, ne ſacris interdictis liberarentur, vehementer adnitentibus: & contrà Eboracenſi Archiepiſcopo, ab Henrico VIII. qui antè paucos menſes patri ſuo Henrico ſeptimo defuncto ſucceſſerat, hanc præcipuè ob cauſſam miſſo, palàm pro ipſis agente. Sed longè maiorũ rerum expectatio hoc tempore omnium mortalium animos occupabat; quoniam Cæſar, omnibus viribus ſuis, quæq; à multis cõcedebantur collectis; potentiſſimum exercitum quo Patauium oppugnaret præparabat: at Venetus Senatus, vt qui ſalutem ſuã prorſus in eius vrbis defenſione ſitam exiſtimaret, ſumma diligentia rebus ad eam defendendam neceſſarijs apparandis incumbebat; ac præter eos milites qui ad Tauriſij præſidium iam deſtinati erant, exercitum ſuum cum omnibus ijs copijs quas vndiq; cogi potuere, in eam vrbem immiſit: ingentem præterea variamq; tormentorum vim, omnis generis commeatum in multos menſes comportarant; & agricolarũ fabrorumq; innumeram multitudinem in eam adduxerant, quorum opera, præterquàm quòd aggeribus & magna lignorum, ferramentorumq; copia, ne ijs aquis quæ prope Liminum oppidum, Patauium deducuntur, priuarentur, proſpexerant, vrbis mœnia mirũ in modum munierant, quotidieq; muniebant: & quamuis tales eſſent apparatus, vt vix maiores exoptari poſſent, nihilominus in tam graui re, illius Senatus ſolicitudo anxietasque incredibilis erat; Senatoribus neq; interdiu neq; noctu, de ijs quæ opportuna fore ducebant cogitare, admonere, proponere, intermittẽtibus: quibus de rebus quum aſſiduè in Senatu ageretur, Leonardus Lauredanus dux, vir ætate, & tanti gradus in quo iam multos annos ſederat dignitate venerandus, ſtans in hanc ſententiam verba fecit:

Si, ut omnibus notiſsimum eſt, præſtantiſsimi Senatores, in Patauinæ urbis conſeruatione, non modò imperij recuperandi, verùm etiam libertatis noſtræ conſeruandæ ſpes omnis ſita eſt: & cõtrà, ſi eius iacturam, huius noſtræ patriæ, ut certiſsimũ eſt, extremum exitium ſequitur, apparatus ad hũc uſq; diem factos, quãuis maximi & admirandi ſint, neq; ad eius urbis ſecuritatẽ, neq; ad noſtræ reip. dignitatẽ idoneos eſſe neceſſariò fatẽdum eſt: quoniã in tanti momenti tantiq; periculi re, apparatus tales eſſe, ut Patauiũ defenſum iri maxima ſpes haberi poſsit, nequaquã eſt ſatis, ſed huiuſmodi apparatus eſſe oportet, vt quatenus humana diligentia atq; induſtria prouideri poteſt, eã ab omnibus caſibus quos aduerſa fortuna, quę cũ in omnib. humanis reb. tũ maximè in bello domi-

natur, ex tempore parere possit, tutam atq; incolumen præstaturos, certò nobis persuadere possimus: nec verò prisca Veneti nominis fama & gloria dignum consilium est, publicam salutem, honorem, nostramq; & coniugum ac librorum nostrorum vitam, peregrinorum hominum & mercenariorum militum virtuti prorsus à nobis cõmitti; nosq; ipsi nõ ad eam pectoribus lacertisq; nostris defendendam sponte omnes accurramus: nam si nunc ciuitas illa non sustinetur, nullus nobis amplius pro nobis ipsis laborandi, non virtutis nostræ declarandæ, non opum nostrarum pro salute nostra exponendarum locus relinquitur: quocirca dum patriæ nostræ iuuandæ nundum tempus effluxit, nulla opera, nullus conatus prætermittendus est: nec tandiu expectandum, donec ijs qui fortunas nostras diripere, summaq; immanitate sanguinem nostrum haurire cupiunt, prædæ simus: neq; enim patriæ salus publicum modo bonum comprehendit, sed in reipublicæ salute simul & priuatorum omnium commoda salusq; agitur; quæ ita inter se apta connexaq; sunt, vt alterum sine altero stare non possit: cadente enim republica & in seruitutem ruente, quis priuatorum fortunas, honorem, vitam, hostium auaritiæ, libidini, crudelitati, prædæ relinqui ignorat? verùm etsi in reipublicæ defensione, nihil aliud præter patriæ salutem cõtineretur, nónne id generosis ciuibus dignum præmium, apud homines gloria splendoreq; plenum, ac Deo gratum? est enim vel ethnicorum sententia, omnibus qui patriam iuuerint, conseruarint, auxerint, certum esse in cœlo ac definitum locum, vbi beati quo sempiterno fruantur: & quęnam patria vnquam fuit, quæ à suis filijs magis iuuari conseruariq; digna fuerit, quàm hæc nostra? quæ inter omnes vniuersi terrarum orbis ciuitates principatũ obtinet, & per multa secula obtinuit, & ex qua eius ciues maxima innumeraq; commoda, emolumenta, honoresq; percipiunt? quę siue naturæ dotes, siue ea quæ secundæ fortunæ ferè perpetuam amplitudinem ostendunt, siue ea ex quibus incolarum, animi virtus, nobilitasq; elucet, inspicias, admirabilis est: eius etenim situs maximum stuporẽ hominũ mentibus affert, sola ex omnib. quas sol videt, in salsis vndis posita: cuius partes omnes ita coniunctæ sunt, vt eodem tempore, & aquæ commodis, & terræ amœnitate perfruatur, quodq; non in continenti sita sit, à terrestribus iniurijs tuta; & quia non in alto mari est, à maritimis incursionibus libera; quæ vero sunt admiranda, tum publica, tum priuata ędificia, incredibili sumptu magnificentiaque extructa, ornatissimisq; ac peregrinis marmoribus, alijsq; raris lapidibus, ex omnibus partibus in hanc vrbem aduectis referta; mitto eximias picturas, statuas, sculpturas, tessellata & vermiculata opera: taceo tot pulcherrimas columnas, aliaq; huiusmodi, innumera. Quæ verò ciuitas hodie reperitur, vbi maior peregrinarum gentium concursus? quorum alij vt in hac libera & ferè diuina patria tuto vitam degant, alij verò vt sua commercia exerceant se conferunt; hinc Venetiæ varijs mercibus negotiationibusque redundant; hinc ciuium nostrorum opes assiduè crescunt; hinc respublica ex solo huius ciuitatis ambitu, tanta vectigalia percipit, quanta multi reges ex suis integris regnis non habent: prætereo nunc in omni scientia ac disciplina eruditorum hominum copiam, ingeniorum bonitatem, virorumq; virtutem, ex qua cum alijs dotibus coniuncta, rerum ab hac rep. nostrisq; hominibus gestarum, quibus nulla maiores post Romanos patria gessit, gloria nata est: nihil dico quàm admirandum sit in ciuitate in qua nihil ad victum oritur quæq, habitatoribus sit frequentissima, omnium rerum copiam videre. Fuerunt huius nostræ ciuitatis auspicia in his sterilibus nudisq; scopulis coarctata: nihilominus nostrorum hominum virtus, primum in proxima maria & circumiecta oppida protensa: deinde felicioribus successibus, in remotiora, prouinciasq; dilatata, ad extremas vsque orientis partes prouecta, tantum terra mariq́ue imperium est adepta, idq; tamdiu obtinuit, suamq; potentiam ita auxit, vt quum diutissimè reliquis omnibus Italiæ ciuitatibus formidabilis, ad eam deprimendam, omnium Christianorum principũ fraudes viresq; concurrere necesse fuerit: quæ proculdubio Dei opt.max. ope facta sunt; quoniam iuris quod in hac ciuitate omnibus æquè administratur iustitiæq; fama per terræ orbem vniuersum celebratur; cuius solo nomine multæ se sponte gentes populiq; imperio nostro subiecerunt: & cui ciuitati, cuiúe imperio patria nostra erga Deum opt.max. pietate religioneq; cedit? vbi tot sunt sacra virorum ac virginum collegia? tot, magnificentissimis prętiosissimisq; ornamentis, vasis tanta admiratione dignis, apparatibusq; diuino cultui dicatis

dicatis referta templa? vbi tot sunt pauperum gratuita hospicia, piaq; loca, in quibus incredibili sumptu, & incredibili egenorum cõmodo charitas exercetur: quas ob res patria nostra meritò reliquis omnibus præfertur; sed est & præter has alia causa, qua sola omnes suas laudes suamq; propriã gloriam superat. Habuit patria nostra eodẽ tempore & originẽ suã & libertatẽ; neq; vnquam Venetijs ciuis aliquis natus mortuusúe est, qui non liber & natus & mortuus sit; neq; eius libertas vnquam turbata fuit; tanta felicitate ex ciuili concordia manante, quæ sic in hominũ pectoribus radices egit, vt eodẽ tempore Senatum nostraq; cõsilia ingrediantur, & priuata dissidia controuersiasq; deponant: huiusce rei causa est administrationis forma, quæ ex optima quaq; reip. ratione temperata, itaq; composita, vt omnibus instar suauissimi concentus, optima proportione sibi inuicem respondentibus, tot iam seculis, sine ciuili seditione, sine armis, sine suorum inter se ciuium sanguine inuiolata immaculataq; perstiterit, quæ laus nostræ reip. propria est, quòd nec Roma, nec Cartago, nec Athenæ, nec Sparta, nec vlla ex ijs rebuspub. quę apud veteres clariores fuerunt, maioremq; famam obtinuerunt gloriari potest: imò talis reipub. forma apud nos reipsa constituta cernitur, qualem illi, qui ciuili sapientia ceteris præstiterunt, neque excogitare, neq; describere vnquam potuerunt. Huic igitur tanta, tamque illustris patriæ, quæ diutissimè religionis propugnaculum, & Christianæ reip. lumen extitit, filiorum ciuiumq; suorum virtus defuisse prędicabitur? & erit aliquis qui suã liberorumq; suorũ vitam pro eius salute, periculis obijcere recuset? quæ quum in Patauij defensione sita sit, quis erit qui non ipsemet ad eam vrbem tuendã velit accurrere? & quamuis eas vires quæ ibi sunt ad eam tuendã idoneas esse certissimi essemus, nónne ad decus nostrũ pertinet, nónne ad Veneti nominis splendorem spectat, vt vbiq; terrarum cognoscatur, nos ipsos ad eam vrbem defendendã & cõseruandã accurrisse? Voluit huius ciuitatis fatum, vt pauciſſimorũ dierum spacio, tantũ imperiũ è manib. nostris elaberetur; qua quidẽ in re nõ tam Fortunæ malignitatẽ accusare debemus (sunt enim omnium rerump. omniumq; regnorum cõmunes casus) quàm quòd nostræ ad eam vsq; diem inuictæ constantiæ obliti, quòd tot à maioribus nostris relicta generosæ virtutis exempla glorioſa minimè recolentes, nimis repẽtina desperatione potenti fortunæ ictui cesserimus; neq; eam virtutem nos liberis nostris demonstrauerimus quàm nobis patres nostri repræsentarunt. Nunc eius ornamenti, quòd si viri esse voluerimus, non amiſimus, sed dimiſimus, recuperandi occasio ad nos redit: nam si nos ipsos sponte periculis obijcientes, aduersæ fortunæ obuiã iuerimus, acceptã infamiæ notam delebimus: cumq; priſtinam in nobis animi magnitudinem virtutemq; minimè extinctam esse homines viderint, is error potius fatali cuidã tempestati, cui nec humanum consilium nec cõstantia repugnare potest, quàm nostæ culpæ ignauiæúe ascribetur. Quocirca si liceret vt omnes populariter Patauium iremus, vt absque eius defensionis, ac reliquorum quæ grauiſſima vrgent, negotiorũ publicorum, detrimento, hæc ciuitas per aliquot dies deseri posset, ego primus vestra sententia non expectata iter arriperem: equidẽ nescio qua in re postremos hosce senectutis meæ dies, melius collocare possem, quã præsentia & oculis tam præclaræ victoriæ particeps fieri: vel (quod animus dicere horret) vnà cum alijs mortem oppetendo, patriæ excidio superstes nõ esse: sed quia nec Venetiæ publico senatu, quo cõsulendo, prouidendo & imperando, nõ minus defenditur Patauiũ, quàm eorũ qui ibi sunt armis, carere possũt: & inutilis senũ turba ei ciuitati magis oneri quàm prędidio esset, nec ad quemuis euentum è re est, Venetias omni iuuentute nudare. Idcirco hortor atque suadeo, vt his omnibus de causſis eligantur ducenti patritij, è nostræ iuuentutis præcipuis, quorum quisque secum amicorum & clientum qui arma tractare possint, numero quem cuiusque facultates ferent, se Patauium conferant, ibi quamdiu ad eius ciuitatis defensionem necesse fuerit mansuri: duo mei liberi cum magno comitatu, id quod ego pater illorum & princeps vester primus ad vos retuli, primi exequentur: quorum corpora in tam graui periculo libenter patriæ deuoueo: sic Patauina ciuitas securior erit: sic qui illic sunt mercenarij milites, iuuenes nostros, ad vigilias, omniaque militaria munia alacres conspicientes, incredibilem lætitiam allacritatemque concipient: certò persuasi, cum filij nostri ipsis coniuncti sint, nos nullum apparatum, nullumúe conatum prætermissuros. Iuuenes & ceteri qui non ibunt, hoc ex-

emplo, ad omnes labores periculaque vbi opus fuerit subeunda, eo magis accendentur: vos Senatores, quorum dicta factaque toti ciuitati exemplo & in oculis sunt, quisquis vestrum idoneas facultates habet, vt liberi vestri huic numero inserantur inter vos certate, quo tantæ gloriæ participes fiant: ex hoc enim non modò Patauij secura & certa defensio constabit, verùm etiam hanc apud omnes gentes gloriam nobis conciliabimus, nempe nos eos esse, qui cum propriæ vitæ periculo omnium totius terrarum orbis dignissimæ nobilissimæq; patriæ, libertatem salutemq; defendimus.

Maxima attentione & approbatione principis consilium, auditum & summa celeritate perfectum fuit; quo factum est, vt Venetæ iuuentutis patritiorũ flos, singuli quamplurimis amicis familiaribusq; rei bellicę idoneis collectis, Patauium proficiscerentur, omnibus reliquis nobilibus, & innumera aliorum multitudine eos ad naues vsq; comitantibus; qui omnes tantam ad patriam iuuandam propensionem summis laudibus celebrabant, & pijs votis prosequebantur: nec minore omnium letitia & plausu Patauij accepti fuerunt, ducibus atq; militibus, hos nobiles iuuenes, quòd quum nec laboribus nec militiæ periculis exercitati essent, patriæ charitatem propriæ saluti anteponerent, laudibus in cœlum vsq; ferentibus; atq; ita mutuis cohortationibus accensi, lætissimis animis Cæsaris aduentum expectabant: qui copias quæ ex multis partibus confluentes colligens, ad Brentæ pontem, ad tertium à Patauio lapidem venerat; & Limino expugnato, cursuq; aquarum impedito, tormenta, quæ ingentis magnitudinis & innumera ex Germania vehebantur expectabat: ex quibus cum pars Vicetiam esset aduecta, & Philippus Rossius Federicusq; Gonzaga Bozolus cum ducentis expeditis equitibus, vt ea comitarentur ijs obuiam processissent, ab quingentis leuis armaturæ equitibus, qui rusticis toto eo bello Venetis mirum in modum studentibus, itineris ducibus, Patauio egressi erant, ad quintum ab Vicetia lapidem fracti sunt, & Philippus captus, Federicus verò vix, noctis beneficio pedes, & lintea tantũ tunica interiore indutus euasit. A' Brentæ ponte Maximilianus, vt sibi commeatus opportunitatem magis patefaceret, duodecim passuum millibus Rodigiam Polinesum versus ab vrbe recessit, atque Ateste castello expugnato atq; direpto, ad Monsilicium exercitum duxit: vbi quum oppidum quod in planitie est desertum reperisset, secundo die arcem in editæ rupis apice sitam expugnauit: deinde Montaniana deditione potitus est; vnde Patauium versus regressus, ad Bassanelli pontem prope Patauium castra locauit: ibiq; Brentam quæ inde Patauium fluit auertere frustra conatus est, quo in loco quum omnia tormenta & apparatus quos expectabat conuecta essent, omnibus copijs, quę in varia loca erant distributę, collectis, cum omni exercitu vrbi appropinquauit; & quatuor peditum millibus in eo suburbio qui sanctæ crucis dicitur collocatis, oppugnationem ab ea parte aggredi in animo habebat; sed postea ciuitatem eo in loco situ, muro, alijsq; operibus munitiorem esse certior factus, & quia etiam in illis castris magna à Patauinis tormentis clade afficiebatur, ad portam quæ Portellum dicitur, & Venetias respicit, quia vrbem ab ea parte minus munitam esse audiebat; & vt auxilia quæ nauibus vel terrestri itinere Venetijs mitti possent impediret, omnes copias transferre statuit: sed quum ob loca palustria & aquas totam regionem inundantes, nisi longo circuitu eò peruenire non posset, ad Boualentæ pontem septem passuum millibus procul à Patauio venit, vbi sunt pascua ad Bachilionem amnem, qua ad mare vergit, inter Patauium & Venetias sita: quem in locum quia aquis circundatus, & in tutissima Patauini agri parte est, tria rusticorum millia, cum ingenti pecorum multitudine se contulerant: qui ab primo Hispanorum atque Italorum peditum agmine oppressi, omnes penè vel cæsi vel capti fuerunt; neq; per duos proximos dies aliud nisi quod totam regionem, pecorum infinita copia refertissimam, excursionibus percurrerunt, & in Brenta multas naues quæ commeatum Patauium vehebant cæperunt, factum est: tandem decimoquinto Septembris die, vbi tantùm temporis inutiliter consumpsisset, & hostibus vrbis muniendæ commeatuq; replendæ spacium dedisset, Patauio ad Portelli portã copias admouit. Italia, nec ea ætate, nec fortè multis superioribus vllam oppugnationẽ, quę cum ob vrbis nobilitatem, tum ob res grauissimas quę eius vel victoriam vel iacturam consequuturæ erant, maioris expectationis, & in quam magis mortalium oculi conuersi essent, tentari viderat: Patauium enim nobilissima &

anti-

antiquiſsima vrbs, Gymnaſij præſtantia celebris, triplici muro circũdata, & quam Brenta atq; Bachilio amnes alluunt, ambitu fortaſſe tanto, quanta alia vel è maximis Italiæ vrbibus, in fertiliſsimo ſolo ſita, vbi aër ſalubris eſt ac temperatus; & quamuis tunc iam ſupra centum annos Venetorum qui Carrarienſes expulerunt imperio premeretur, tamen ſuperba atque ampla ędificia, multaque antiquitatis veſtigia memoranda retinet, ex quib. priſtina vrbis amplitudo ſplendorq; cognoſcitur: & ex tantæ vrbis expugnatione vel defenſione, nõ modò Germanici imperij in Italia firmamẽtũ imbecillitáſue pendebant, verum etiam quid de ipſa Veneta vrbe futurum eſſet: Patauio nanque defenſo, illa reſpublica maximis diuitijs referta, & promptiſsimis animis in ſe ipſa cõiuncta, neq; mutationibus quibus principum res ſubiectæ ſunt obnoxia, facilè ſe breui tempore magnam imperij ſui partem recuperaturam ſperare poterat; idque eo magis, quia maxima pars eorum, qui res nouas exoptauerant, quum ea quæ ſibi propoſuerant in ijs minimè reperiſſent, & quantum moderata Venetorum adminiſtratio, ab Germanico imperio, ab Italorum moribus alieno, ac perturbato differret, edocti, atque eo etiam magis, belli confuſione ac detrimentis excitati, ad priorem dominatũ oculos conuertere incipiebant: & contra Patauio amiſſo, Veneti omnem ſuæ reip. ſplendorẽ redintegrandi ſpem amittebant: quin etiam timendum erat vehementer, ne ipſa Veneta vrbs tanto imperio ſpoliata, & publicis uectigalibus imminutis, totque bonis quę priuati ciues in continenti poſſidebant amiſſis, multis opibus vacua, uel ſe ab hoſtibus ſociorũ principum armis defendere non poſſet, vel ſaltẽ progreſſu temporis, nõ minus Turcarũ, quos tot in locis finitimos habent, & cum quibus continenter eſt illis aut bellũ, aut infida & malè ſecura pax, quàm Chriſtianorũ principum præda fieret. Sed non minor erat hominũ hęſitatio, quoniam ualidiſſimi apparatus qui vtrinq; cernebantur, omniũ mentes oppugnatióne, an propugnatio feliciorem euentũ eſſet habitura incertas ancipitesq; detinebãt: In Cæſaris nãq; exercitu præter ſeptingentos Galliæregis cataphractos, quibus Palitia præerat, erant ducenti grauis armaturę equites ab Pontifice, totidẽ ab Ferrarienſiũ duce ſub Eſtenſi Cardinale, quamuis nõdum cõtrouerſiæ inter illos ſedatę eſſent, miſſi; & ſexcenti Itali grauis armaturæ equites ſub varijs ducibus ab ipſo conſcripti. Nec minor erat peditatus quã equitatus neruus: habebat enim decẽocto Germanorũ, ſex Hiſpanorum, ſex item ex varijs gentibus voluntariorum militum, & duo Italorum, quos Eſtenſis Cardinalis eodem nomine proprijs ſumptibus ducebat, millia: ſequebatur incredibilis tormentorum apparatus, & reliquarum ad belli vſum ingens rerum copia, cuius partẽ rex Galliæ miſerat: & quamuis proprij eius milites plerumq; ſtipendia non acciperent, nihilominus ob tanti Imperatoris magnitudinẽ auctoritatemq;, & ob Patauij expugnandi diripiendiq;, & ea omnia quæ adhuc Veneti poſſidebant, ipſis prędæ futura, ſpem, nõ ideo illum deſerebant; imo numerus quotidie augebatur, quum præſertim omnes ſcirent, illum natura liberaliſſimum atq; erga ſuos milites humaniſſimum, non auaritia ſeu voluntate, ſed inopia ſtipendia non perſoluere. Tam potens erat Cæſareus exercitus, etſi non modò ex proprijs, uerùm etiam ex aliorum viribus auxilijsque collectus; ſed quatenus ad Patauij propugnationem neceſſe erat, nõ minus potentem exercitũ Veneti in ea vrbe habebant: erant enim ſexcenti grauis, mille & quingenti leuis armaturæ; itẽ mille & quingenti Greci equites, quibus Pitiliani comes omnibus præerat; Bernardinus verò Montonius, Antonius Pius, Lucius Maluetius, Ioannes Græcus clari peritiq; duces, alijq; minores ſuas ſinguli turmas ducebant. Huic equitatui accedebant duodecim ex totius Italiæ exercitatiſſimis optimisq; peditum millia, Dionyſio Naldio, Citolo Peruſino, Lactãtio Bergomate, Saccoccio Spoletano, & multis alijs ducibus: decem Illyricorũ, Grecorũ, & Epyrotarũ peditum millia, ex naualibus turmis eductа; in quibus etſi magna inutilis, & ferè collectitia turba eſſet, erat tamen aliqua pars vtilis: pręter hos erant Veneti adoleſcentes, cum ijs qui eos ſequuti erant, qui etſi ob nobilitatẽ, & erga patriam pietatem clariores quã alias ob cauſas eſſent, nihilominus, quia promptè ſe periculis obijciebant, alijsq; exemplũ prębebant, minimè parui erant momenti. Pręter milites omnes quoque reliqui neceſſarij apparatus abundabant; ingens tormentorum numerus, mira omnis generis commeatus copia; quia non minus regionis incolæ in frugibus ſecuritatis ſuæ gratia eò comportandis, quàm Veneti magiſtratus in curando

& imperando, vt assiduè venirent, solliciti fuerant: & penè innumera agrestium multitudo, qui pretio conducti nunquam opera intermittebant; adeò vt ea vrbs, tanto propugnatorum numero atq; virtute munitissima, mirum etiam in modum omnibus in locis refecta atque munita esset: aquam enim quæ circum Patauina mœnia fluit, ad magnam altitudinem per totam fossam, vndequaq; auxerant; & ad omnes vrbis portas, alijsque in locis oportunis multa propugnacula extrinsecus, sed mœnibus cõiuncta, quæq; aditum ab interiori parte habebant construxerant: vnde tormentorum copia refertis, qui in fossam se demisissent, petebantur: & ne vallis fortè amissis ciuitas in periculo esset, omnibus subter cuniculos egerant: & multa vasa tormentario puluere referta, vt cum amplius defendi non possent, euerti & in altum tolli possent immiserant, nec veteris muri magnitudine firmitudineq; prorsus freti, etsi prius eum diligenter inspexissent, atque vbi opus erat reparassent, pinnasq; deiecissent, ab interiori parte, arboribus aliaq; materia per totius vrbis ambitum septa quædam à muro quanta ipsius erat crassitudo remota confecerant: idque vacuum quod inter vrbis muros septaq; intererat, ad muri vsq; summitatẽ terra ingesta, beneq; solidata expleuerant: cumq; hoc admirabile opus incredibilisq; laboris, quo ingens hominum multitudo se exercuerat, nundum ijs quibus vrbis tutela fuerat demandata omnia satisfacerent, muro in hunc modum aucto ac duplicato, fossam sexdecim altam vlnas totidemq; latam duxerant: quæ cum in imo angustior esset, atq; in omni parte subterraneas casas ac turriculas tormentis instructas haberet, vrbem sic muniebat, vt capi nullo posse modo videretur. Hæc autem ædificia vallorum instar erant, cuniculis subter vacua, eo modò constructa, vt ignis impetu euerti facilè possent: nihilominus, vt ad omnia paratiores essent, post fossam, eiusdem vel maioris amplitudinis aggerẽ, qui quantũ vrbs ipsa, paucis locis ad quæ tormenta nullo modo dirigi posse cernebatur, exceptis patebat, tantum extendebatur, erexerunt; ante quã aliud munimentũ cõstruxerunt, septem vlnarũ; quo qui aggerem tuebantur ab hostilibus tormentis tuti redderẽtur: & vt militum ciuiumq; animi, tantis apparatibus munitionibusq; promptè responderent, Pitilianus omnibus in diui Antonij campum conuocatis, & grauibus, ac virilibus verbis, ad salutem honoremq; suum tuendum cohortatus, se ipse cum omnibus ducibus exercituq; vniuerso, & Patauinis ad extremum vsq; spiritum eam vrbem optima fide atq; cõstanter defensuros, inuiolabili sacramento obstrinxit. Cum tanto igitur apparatu & contra tantum apparatum, Cæsaris exercitus sub Patauij muros accessit, & à Portelli porta ad eam quę à Sanctis omnibus nomen habet, qua Taurisium itur, castrametatus est; eaq; ad Codalungæ portam qua Citadellam iter est, vsq; protendit: ita vt tria passuum millia in longitudinem occuparent: ipse verò ad Helenæ, duobus ab vrbe stadijs, & ferè in medio Germanici peditatus Prętorio suo posito, cum omnibus pro castrorum gentiumque varietate quid faciendum esset iniunxisset, tormenta collocari iussit: quę, quia innumera erant, & nonnulla ingentis ac penè admirandæ magnitudinis; & quia tota castra ac præsertim ea loca in quibus tormenta collocare nitebantur, ab vrbis tormentis magnopere infestabantur; sine multo tempore atq; indefesso labore, quamuis ille animo inuictus, & laborum patientissimus, dies noctesq; per omnia loca discurrens, omnibusq; rebus præsens, vt res perficerentur maxima cura vrgeret, collocari non poterant: iam tormenta ferè omnia erant collocata, eodemq; die Galli & Germani pedites ab ea parte cui Palitia præpositus erat, portæ propugnaculum, potius tentandi quàm instructa acie pugnandi gratia, oppugnarunt: quod quũ strenuè defendi animaduertissent, nec mora in castra redierũt: postero die, tormenta vbiq; muros ferociter quatiebant, quorum pleraq; cum ob inusitatã magnitudinem, tum ob puluveris copiã, aggeribus munitionibusq; transgressis, mœnibus proximas ędes diruebant; & iam multis in locis amplum muri spacium dissectum erat, & propugnaculum quod ad Omnium sanctorum portam erat ferè funditus dirutum: nec tamẽ aliquod in ijs qui intus erat metus inditium apparebat, qui tormentis omnem exercitum infestabant: & Epyrotæ, qui forti animo castris in suburbijs positis, in vrbe castra habere noluerant, atque alij expediti equites, excursionibus assiduis omnia infestantes, modò à fronte, modò à tergo, ad hostilia castra vsq; decurrebant; & nunc commeatus impedimentorumq; pręsidia inuadebant, nunc per totam regionem excurrentes atq; diripientes,

tes,omnia itinera præter id quo Patauio ad Aponis balnea itur infesta reddebant,& nihilominus castra commeatu abundabant;cuius vbiq; & domus & agri erant pleni; quia neq; incolarum metus, neq; Venetorum solicita diligentia,neq; innumera ab militibus vtriusq; partis illata detrimenta, illius amœnissimi vberrimiq; agri eximiam copiam exhaurire potuerãt:Lucius quoq; Maluetius illis diebus cum multis equitibus,vt quadraginta aureorum millia quæ Venetijs mittebantur introduceret,egressus est; qui etsi hostes in nouissimum eius agmẽ, dum redirent,impressionem fecerint,cum nonnullorum ex suis cataphractis iactura,pecuniam integram introduxit.Nono die tormenta tantum effecerant,vt illis vlterius procedere minimè necessarium videretur;ideò sequenti die, exercitus acie instructa,vt in mœnia insileret, prodijt: sed quum vrbis propugnatores eadem nocte fossæ aquam quæ prius depressa fuerat iterum auxisse animaduertissent,neque Cæsar milites in manifestissimum periculum conijcere vellet, omnes in castra redierunt. Aqua rursum diminuta, postero die propugnaculum quod ad Codalungæ portæ angulum erat paruo successu oppugnari cæptum est;quare Cæsar,quum summam diligentiam, vt id expugnaret adhibere statuisset, tormenta quæ in parte Gallorum, qui inter omnium sanctorum & Codalungæ portas castra habebant, collocata erant,contra id direxit; quibus quum partem eius diruisset, pòst biduum Hispanos Germanosq; pedites, cum nonnullis grauis armaturæ equitibus equis relictis oppugnationem tentare iussit;illi verò ferociter pugnantes propugnaculũ conscenderunt,& duo signa ibi fixerũt; sed tam munita erat fossa,tanta propugnatorũ virtus,inter quos Citolus Perusinus, summa cũ laude dimicans graue vulnus accepit; talis non modo tormentorum,verùm etiam lapidum,artificioſarumq; facum, aliarumq; machinarum erat copia, vt multis vulneratis atq; cæsis, celerrimè descendere coacti fuerint:quare exercitus qui vt propugnaculo quemadmodum credebatur capto, mœnia oppugnaret instructus erat, nulla re tentata arma deposuit. Cæsar hoc experimento facto,victoriæ spem prorsus amisit:ideoque quum discedere statuisset,vbi tormenta tutum in locum contulit,ad Liminum oppidum quod Taurisium versus est,decimosexto obsidionis die se cum omnibus copijs cõtulit; deinde pluribus castris Vicetiam peruenit;vbi populo Vicetino sacramento obligato, & penè omni exercitu dissoluto, quia eius consilia factaque successu caruerant, & multo magis, quia & in exercitu & per omnem Italiam mirifici sermones de eos spargebantur,contemptus Veronam petijt: neque enim quin vt Taurisio non potiretur, & Patauium amitteret eius culpa factum esse dubium erat:pari quoque ratione eius aduentus tarditate Patauinam expugnationem difficilem factam, hinc enim Venetos ad militem comparandum, Patauium commeatu cumulandum, & admirabiles illos apparatus munitionesque faciendas, tempus habuisse: neque ipse hanc causſam quo minus ea vrbs expugnari posset, fuisse negabat; sed culpam à sua varietate erroribusque remouens,& in alios transferens,Pontificem & Galliæ regem accusabat: quòd alter Venetis oratoribus Romam eundi potestate facta, alter verò in auxilijs mittendis mora interposita, ipsos à se alienatos esse omnibus credendi occasionem dedissent; ex quo montani agrestesque homines supra Vicetiam rebellandi animum sumpsissent; in quibus domandis dum multos dies consumpsissent, pòst eandem ob causſam eadem in plantie impedimenta inuenisse;& vt commeatus accipiendi facultatem sibi liberam tutamq; redderet, seq; multis molestijs liberaret,omnia regionis oppida expugnare coactum fuisse; neque in hoc tantum sibi Gallorum tardum aduentum nocuisse, verùm etiam quia si idoneo tempore venissent, Patauium non defecisset;& cum hoc,tum quòd classes ab Galliæ,Aragoniæq; regibus essent dimissæ,Venetis omni alio timore liberatis, Patauij diligentius cõmodiusque instruendi muniendiq; facultatem dedisse: præterea, Aragoniæ regi,suas difficultates quo facilius ad Castellæ regni administrationem ei concedendam flecteretur, gratas esse querebatur: quæ tamen querelæ, eius statum nihilo meliorem reddebant; neq; illi autoritatem amissam, quòd tam raris occasionibus nesciuisset, augebant; imò hanc in hominum animis passim de illo opinionem esse,Gallię regi gratissimum erat,nec Pontifici molestum; qui suspicax & nemini fidens, quàm ille pecuniæ egens, quamque in ea petenda molestus esset, considerans, eius nomen in Italia augeri non libenter videbat. Veronæ fideli-

tatis sacramentum accepit, & in ea ciuitate Florentinorum legati, inter quos fuit Petrus Guicciardinus pater meus, reipub. nomine, quæ præter alias causſas, Galliæ regis hortatu id fecit, se illi breui quadringentas auri libras daturos promiserunt: quamobrem ampliſſima priuilegia tam ad libertatis Florentinæ ciuitatis, quàm ad imperij & iuris eorum quæ possidebant confirmationem, vnà cùm omnium quæ illi ad eam vsque diem debuissent absolutione, obtinuerunt: cumque Cæsar in Germaniam, vt quemadmodum aiebat, se ad bellum proximo Vere ineunte gerendum compararet, redire statuisset, Ciamontium vt de præsentibus rebus cum illo ageret ad se vocauit; cui quum in Arsium Veronensis agri villam venisset, periculum ne Veneti Citadellam atque Bassanum, ad quæ maximi momenti loca, Patauij defensione elati, oppugnanda sese comparabant, recuperarent; idemq; ne postea Monsilicio, Montanianę, atq; Ateste fieret, ostendit: ac præter horum oppidorum conseruationem, de Lineaco etiam recuperando cogitandum esse: quum autem ipse perse ea quæ ad hæc conficienda necessaria erant comparare solus non posset, se ab rege iuuari oportere, cuius res, nisi suæ sustinerētur, in periculo essent futuræ: quibus postulatis quum Ciamontius certum responsum dare non posset, se ad regē relaturum dixit, & responsum ab eius desiderio non alienū fore, spem fecit. Post hoc colloquium Maximilianus Brandeburgensi marchione ad Veronæ custodiam relicto, Clusiam se contulit; & paulo post Palitia, qui cum quingentis cataphractis in Veronensi agro manserat, castrorum difficultate multisq; incommodis adductis, cum importunius instaret, discedendi facultatē impetrauit, seq; in Mediolanensis imperij fines recepit; quoniam regis voluntas erat, vt si suis copijs ociosē in præsidijs versandum esset, in sui imperij finibus manerent; redirent autem ad nauandam Maximiliano operam quacunque in re illi visum fuisset, ac præsertim in Lineaco expugnando; quod cum ipse summopere cuperet, atq; vrgeret, ob consueta eius impedimenta, tandiu dilatum est, vt quum maximæ pluuiæ ob anni tempus venissent, bellum in ea regione, quæ cum situ admodum sit depressa, valde aquis inundatur, geri nō amplius posset: quare, Cæsar ad has angustias redactus, aliquot mensium inducias cum Venetis paciſci cupiuit: sed ipsi ex eius erroribus animum summentes, quum illum tam frigidè à socijs iuuari cernerent, bello moram interponere è re sua esse non duxerunt. Tandem Cæsar rebus suis in graui periculo, & Italiæ statu in non parua ambiguitate relicto, Tridentum redijt: noua enim inter Pontificem & Galliæ regem controuersia orta erat, quæ etsi leuibus ex causſis initium habere videretur, grauiores causſas latere suspicio erat: quòd tunc apparebat, id erat, quòd quum episcopatus quidam in Prouincia, episcopo in Romana curia defuncto, vacaret, Pontifex ei alium contrà Galliæ regis, qui id pactioni per Papiensem Cardinalem inter ipsos initæ repugnare aiebat, voluntatem surrogarat; qua in pactione, etsi scripto, vt idem in ijs qui in Romana curia, quod in ijs qui alibi morerentur expressum non esset, tamen Cardinalem id voce promisisse; quod quum Cardinalis fortasse potius metu quàm alia de causſa verum esse negaret, & rex contrà affirmaret, Pontifex se quid clam actum esset ignorare dicebat; sed quum in confirmatione sua, ad ea se quæ scripto apparebant retulisset, & singula capita nominatim inclusisset, neque hæc causſa quum episcopi in Romana curia moriuntur ijs comprehenderetur, ad alia non teneri: idcirco crescente indignatione, rex contra consuetudinem suam Rotomagensis, qui semper concordiæ cum Pontifice autor fuerat contempto consilio, omnium beneficiorum quibus in Romana curia agentes in Mediolanensi imperio fruebantur, fructus retineri iussit: & Pontifex viciſſim, Albiensi episcopo purpureum Galerum dare recusabat; qui vt eum quemadmodum regi Pontifex promiserat, acciperet, Romam se contulerat: & quamuis Pontifex multorum precibus victus, tandem Prouinciæ episcopatum ex regis voluntate dederit, & quomodo in beneficijs, qui in posterum in Romana curia vacarent, agendum esset, denuò cum illo transegit, ideoq; alter fructus sequestres liberaret; alter Albiensi sacram purpuram cōcederet: tamen hæc ad Pontificis animum, multis de causſis irritatum, sed precipuè, quia quum iam pontificatus sui initio Rotomagensi Gallicam legationem, velut Romanæ curiæ pernicioſam, seque indignam inuitus concessisset, se, ni regis animum irritare vellet, vt in ea perseueraret, assentiri cogi illi molestiſſimum

erat:

erat; & quia quum illum Cardinalem omnia sua consilia & artes ad Pontificatum adipiscendum dirigere persuasum haberet, omnem Gallorum progressum motumque metuebat, mitigandum minimè erant idonea: hæ erant eius indignationis quæ apparebant caussæ; ex ijs verò quæ postea eius cogitationes aperuerunt, quum maiores fines in animo propositos haberet, siue gloriæ cupiditate, siue occulto in Galliæ regem odio, siue Genuensium libertatis desiderio ductus, vt rex ea quæ in Italia possidebat amitteret, vehementissimè cupiebat: neq; de illo ac de Cardinali apertè cõqueri desinebat: ita tamen, vt hæ querelæ ex timore præcipuè manare viderentur; & nihilominus, vt natura erat inuictus & ferox, quique ad animi sui sensum, plerunque externas significationes adiungeret, quamuis tanti momẽti, tamq; factu difficilem rem sibi proposuisse, sibi soli fidens, & reuerentia autoritateq; qua sacrosanctam sedem apud principes pollere videbat, fretus, ex nullo pendens, neminique coniunctus, imò verbis & facto se omnes parui facere præ se ferens, nec Cæsari adhærebat, nec cum rege Catholico coniungebatur; sed ab omnibus alienus erga neminem præter Venetos se propensum ostendebat; atq; ut eos diris absolueret, indies magis ac magis in suo proposito confirmabatur: propterea quod, illos non perire, Italiæ saluti, & suæ securitati amplitudinique valde vtile fore censebat: cui rei vehementer repugnabant Cæsaris & Galliæ regis oratores, Aragoniæ quoque regis oratore publicè quidem cum illis sentiente; quamuis quòd regni neapolitani caussa, Galliæ regis potentiam metueret, nec Cæsari ob eius inconstantiam fideret, occultissimè contrarium cum Pontifice procuraret: afferebant autem non decere vt Pontifex in eos quos armis persequi teneretur, tantum beneficium cõferret, quum Cameracensi fœdere singuli fœderati alios tandiu iuuare tenerentur, donec quisq; omnia quæ nominatim essent expressa obtinuisset: quocirca, quum Cæsar Taurisiũ nundũ esset adeptus, neminẽ ex ipsis ea obligatione liberatũ; præter quàm quod iure Venetis sacrorum restitutio denegari posset, quoniam nec sponte, nec intra præscriptum tempus Aemiliæ ciuitates Põtifici restituissent; imò nec ad eam vsq; horam integrè eos paruisse: quia, præter oppida, fructus quoq; perceptos, vt eis erat iniunctum minimè reddidissent: his autem Pontifex respõdebat, quum illi ad frugem bonam redijssent, ac demisse admodum veniam petijssent, Christi vicarij non esse, eos amplius in tot animarũ saluris detrimentum sacris armis persequi, quum præsertim oppida consequutus esset; ideoq; dirarum caussam sublatam: fructuum enim restitutionem, potius ad crimẽ amplificandũ, quàm alia de caussa additam insertamq; fuisse; neq; eius tantam rationẽ habendam: diuersam esse ciuilium armorũ caussam, ad quę, quod in Cameracensi fœdere persistere in animo haberet, vt cũ alijs cõcurreret paratus esset; quãuis ab eo posset omnes fœderati iure discedere; cum Romanorum regis culpa fuisset, quo minus Taurisiũ haberet: quum primas Venetorũ oblationes, per Antoniũ Iustinianũ legatũ ab ipsis, vt ei quę cunq; in continenti possidebant traderet, missum, factas reiecisset; & postea sæpius pro Taurisio, idoneã cõpensationem oblatam repudiasset: itaq; etsi eum legatorum aduersa voluntas nõ retineret, sola animi elatio quædã illum retinebat; quà fiebat vt quãuis Venetos absoluere sibi vtile & suis cõsilijs opportunũ duceret, tamẽ id nisi cum magna sacrę sedis dignitate, & ita vt res ad pontificiũ imperiũ spectantes, omnino illorũ dominatu liberarentur, nõ cõcedere statuerat: ideoq; quũ Veneti duo capita quæ cũ alijs proposuerat cõcedere recusarent, eos nõ liberabat: horum aũt capitũ vnum erat, vt Pontificij imperij hominib. Adriatici maris nauigationẽ liberã permitterent, à qua omnes eos qui earum rerũ quas vehebant ipsis vectigal nõ soluissent, arcebant: alterũ erat, vt Ferrariæ, quæ ciuitas ex Pontificio imperio pendebat, Vicedomini magistratũ deinceps nõ haberent: Veneti aũt id ab Ferrarienſibus, Clemente sexto Romano pontifice, qui ea tẽpestate cum curia sua Auinioni agebat, minimè repugnante, permissum fuisse aiebant: Adriatici verò sinus imperiũ atq; custo diam, ab Alexandro IIII. pontifice, quod armis, virtute, sumptibusq; maximis eam nauigationẽ ab Saracenis atq; prædonibus defendissent, securamq; reddidissent, amplissimis priuilegijs concessum ipsis fuisse: ad quæ pro pontificę reſpondebatur nõ potuisse Ferrarienſes in põtificij imperij fraudem assentiri, vt alij Ferrariæ magistratũ haberent insúe administrarent, neq; id sponte concessisse, sed graui diuturnoq; bello coactos, & post pontificis cuius fulmina Veneti contemnebant, opem

frustra imploratam, pacem ijs legibus quas illi plus armis quàm iure poterant imposuissent, accepisse; Alexandri verò concessionis, neq; in historijs, neq; vllis alijs monumentis, vllam memoriam fidemúe extare, præter Venetorũ testimoniũ, quod in propria tãq; graui caussa, suspectum merito esset; cuius rei &si aliqua memoria inueniretur, verisimilius esse, quem ab illo Venetijs id concessisse dicebant, minis terroreq; extortum fuisse, quàm Romanũ pontificẽ, ad quem præ ceteris iusticiæ patrocinium, & oppressorũ cura pertineret, rem tam imperiosam & in omniũ cõmune detrimentũ concessisse. Hoc igitur rerum statu, hac principũ varietate, paruaq; Romanorũ regis potentia existimationeq;, Veneti exercitum cuius legatus erat Andreas Grittus Vicetiam, vbi imperium suum à populo expeti sciebant, miserunt; quò quum noctu venissent, Pusterlensi suburbio tormentis verberato, eo potiti sunt; & nihilominus quamuis pauci milites in vrbe essent, de ea expugnanda non magnam spem habebant, sed oppidani, vt fama fuit, Fracassæ hortatu, legatis ad illos media nocte missis eos introduxerunt; & Analtensis princeps cum Fracassa in arcem se receperunt: & constans opinio fuit, si Vicetia capta, Venetus exercitus statim Veronam petijsset, Veronenses idem facturos fuisse; sed ducibus, antequam arcem expugnassent, Vicetia discedendum non est visum; qua etsi quarto die potiti sint, quoniam Analtensis princeps atque Fracassa, quòd non satis munita esset, eam deseruerunt, interea nouæ Cæsaris copiæ, & trecenti Galliæ regis cataphracti Obigino duce Veronam venerunt; adeò vt quum in ea essent circiter quingenti cataphracti, & quinque partim Hispanorum, partim Germanorum peditum millia, eius expugnatio non amplius facilis esset. Venetus deinde exercitus in duas partes, in quarum vnaquaq; erant trecenti grauis, quingẽti leuis armaturæ equites, & tria peditum millia, diuisus Veronæ appropinquauit, quamprimum visi fuissent motum in ciuitate exorturum sperantes; sed quum non eodem tempore vtriq; copias admouissent, qui in ciuitate erant, primæ parti quæ trans Athesim fluuium veniebat, & iam suburbium erat ingressa obuiam progressi, eam retrocedere coëgerunt; & quum paulo pòst Lucius Maluetius cum altera parte ad alteram fluminis ripam aduentaret, & ipse retrocessit: quare vtriq; simul coniuncti in diui Martini villa, ad quintũ à Verona lapidem castra posuerũt; vbi dum morantur, duo Germanorum peditum millia Bassiano Citadellã prædæ cãussa petijsse certiores facti, ad eam partem profecti, in Fidata valle illos intercluserunt: sed Germani auxilijs Bassiano acceptis, vi, sed ob angusta itinera non sine clade eruperunt; & Bassianum ab illis desertum Veneti occuparunt: Bassiano pars copiarum Feltrium & Ciuitalem petijt, illisque oppidis receptis, Scalæ arcem tormentis admotis expugnauit. Eodemq; tempore Antonius & Hieronymus Sauorniani nobiles viri, qui Venetas partes in Foroiulij sequebantur, Castellonouum in aspero monte in Patriæ medio (sic enim Forumiulij trans Tiliauentum nuncupant) situm expugnarunt; nec interea de Cæsare qui Vicetina re cõmotus, statim ad Petram venerat, quidquam præter vanos rumores, crebros celeresq; huc atq; illuc sine fructu excursus audiebatur. Postea Venetus exercitus Monsiliciũ, & Montanianã versus vt Rodigiã Polinẽsum recuperaret, & in Ferrarienſem agrũ vnà cum classe quam Senatus prudentiorũ Senatorũ, qui nouis bellis implicari temerariũ ducebãt, cõsilio neglecto, in Ferrarienſem ditionẽ Pado flumine mittere decreuerat, irrumperet, contendit: ad id autem nõtam præsentium rerum vtilitate, quàm odio incredibili in eum cõcepto mouebantur: quòd de ijs quidẽ quę sui ab Vicedomini iugo liberandi, & Polinesi recuperãde gratia princeps ille fecerat, iure cõqueri non debere satis animaduerterent: sed quod iam illud ferre non possent, quòd ijs quæ iure ad se spectare dicebat non contentus, quum Cæsar exercitum Patauio abduceret, Este siue Ateste Castellum, vnde antiqua Estensis siue Aresținæ familiæ origo atq; cognomen manauit, ab illo beneficij nomine, & Montanianam pecuniam mutuo data pignori, in quæ duo loca nullum ius habebat, accepisset: huc accedebat memoria quòd eius copiæ, quum Polinesum recuperarent, summo in Venetũm nomen odio concitatæ, patritiorum bonis maxima damna intulerant, etiam in ædificia, incendijs, ruinisque sæuientes: itaque constitutum fuit vt classis ipsorum, Angelo Triuisano præfecto, in qua erant decem & septem triremes, cum maxima minorum nauigiorum copia, & viris bellicosis benè instructa, Ferrariam versus contenderet; quæ Padum per Fornacium ostium

ostium ingressa, Corbula cum alijs Padanis vicis incensa, totam regionẽ ad Obscurum lacum vsq; deprędata est; quo ex loco expediti equites, qui eam terrestri itinere comitabantur, Ficariolum vsq; magnificã domum potius quàm arcẽ, Roberti Sanseuerinatis, Venetarum copiarũ ducis, in bello quod contra Herculem Alfonsi patrẽ gesserunt diuturna oppugnatione celebre, excurrerunt; huius classis aduentu & terrestris exercitus aduentantis fama Ferrariensis est magnopere consternatus; qui quum pauciſſimos milites haberet, nec Ferrariensis populus vel numero, vel belli peritia, qui tanto periculo occurreret par esse videretur, dum auxilia quæ à Pontifice & Galliæ rege sperabat aduentarent, nullam aliam sui defendendi rationem habebat, quàm creberrimis tormentorum in Padi ripa collocatorum ictibus, quo minus hostes vlterius progrederentur, impedire: quare Triuisanus frustra transire conatus, quum se absq; terrestribus auxilijs maiorẽ progressum facere non posse animaduerteret, in Padi fluminis medio, post paruam insulam quæ è regione Pulisellæ sitam, qui locus vndecim passuum millibus Ferraria distat, & ad eam infestandam valde oportunus, cum classe, vt ibi exercitum opperiretur, constitit, cui iam citra negotium tota Rodigia Polinesus se dediderat, prius tamen Mõtaniana pactione recepta, qua Ferrariensium magistratus, & peditum duces, qui intus erant captiui, sunt eis permissi: vt autem classis ad exercitus aduentum vsq; tutior esset, Triuisanus vallo vtranq; Padi ripam munire cæpit; quorum alterum in ea parte in qua Ferraria est, alterum in opposita erigebat: atq; vt ei vallo quod Ferrariam spectabat, opitulari classe posset, pontem nauibus imposuit; quod vt perfici prohiberet dux, consilio fortè magis audaci quàm prudenti, quamplurimis iuuenibus ex ciuitate, & militibus qui frequentes ad eius stipendia accurrebant collectis, repentè ad id oppugnandum misit; sed qui in vallo erant classe adiuti, eruptione facta, eos in fugam vertere cæperunt: & quamuis dux cum multis equitibus superueniens, eos hortatus reuocaret, & suorum militum, qui magna ex parte tyrones erant, ordines restitueret, is tamen hostis impetus fuit, pro quibus & locus, & multa parua tormenta pugnabãt, vt tandem, pedem referre fuerit compulsus; multis ex suis non tam ex imperita & obscura turba, quàm ex ferociſſimis militibus, & Ferrariensi nobilitate partim cæsis, partim captis: inter quos Hercules Cantelmus, eximiæ expectationis iuuenis, cuius maiores olim in regno neapolitano Soræ fuerant duces, à quibusdam Illyricis militibus in triremem captiuus perductus; ac dum cuius ipsorũ esse deberet dissidium inter eos ortum esset, ab vno illorũ inaudito barbaræ immanitatis exemplo, ei miserè caput est truncatum: quare quum Ferraria minimè extra periculum esse omnibus videretur, Ciamontius Castellionem cum centum & quinquaginta Gallis cataphractis illi auxilio misit: & Pontifex, Venetos Põtificij imperij in ea iuris posthabita ratione eam oppugnare indignatus, suos ducentos grauis armaturæ equites qui ad Cęsaris auxilium missi erant ad Ferrariam tuendam cõuerti mandauit: sed fortasse hi apparatus serò facti fuissent; nisi Veneti de proprijarum rerum defensione cogitare fuissent coacti: Difficultates in quibus Maximilianus versabatur, vt supra dictum est, Galliæ regi, cum ob eius felicitatis perpetuum metum, tum quia Veronæ adipiscendæ desiderio ardens, illum tandem egestate coactum, eam sibi vel venditurum, vel pignori daturum sperabat, minimè molestę fuerant: sed contrà, Venetorum potentiam, ex qua semper molestiæ perpetuaque pericula in res suas redundatura essent, iterum erigi ægre ferebat; quare quum ob pecuniæ inopiam Cæsaris vires Veronæ valde tenues essent, rex alio quàm cataphractorum quæ submiserat auxilia, nè ea ciuitas in illorum potestatem rediret, procurare coactus fuit: huic rei initium dedit Ciamontius, post Vicetiæ iacturam in Veronensis agri fines profectus; nam quum bis mille Hispani pedites, qui Veronæ erant, ob stipendia non numerata tumultuari incepe-
rent, ipse illos regis stipendijs retinuit; & insuper maioris securitatis gratia alios pedites misit; hac in re Triultij consilium sequutus, qui Ciamontio ne regi hic sumptus molestus esset verenti, respondit: minus metuendum esse ab rege ob impensam pecuniam, quàm ob imperium vel amissum, vel cum periculo retentũ, accusari. præterea octo aureorum numũm millia ad stipendia militibus qui Veronæ erant persoluẽda Cæsari mutuo dedit; Vallegio tamen oppido, quod quia ex Mincij fluminis traiectus vnus est, imo qui eo oppido & Pischeria potitur, Mincij traiectum in potestate sua habet; & sex mil-

liaribus Brixia distat,ob Brixiæ securitatem,magni ab rege fiebat:ob has atq; alias quas ad eius cõmodum expensurus esset pecunias,ab eo pignoris nomine accepto: Ciamon tij quem maxima cataphractorũ qui in Insubria erant pars sequebatur,aduentus,copiæ Veronam missę,& illos ad Vicetiæ expugnationẽ se comparare fama diuulgata,in causa fuerunt,vt Venetus exercitus,400. expeditis equitibus,& totidem peditibus ad Polinesi defensionem,& classis auxilium relictis,ex Ferrariensi agro discederet; & in Linea cum,Soauium,atq; Vicetiam distribueretur: cumq; Veneti,Vicetiã,& circumiectam regionem,à copijs quæ Veronæ erant tutã reddere cuperẽt,eam memorandi operis fossa, lata,& aquæ plena munierũt; eamq; aggere,& multis vallis diuersis in locis positis,circundederunt:ea à montis quod supra Soauium est radicibus incipiẽs, per quinq; millia passus ducta,per planitiẽ qua Rodigio Monfortium itur ad paludes quasdam Athesi fluuio proximas pertingebat,& Soauio atq; Leonico munitis,totam regionẽ dum custodiretur præsertim hyeme tutam reddiderant:Venetarũ copiarũ discessu, Ferrariæ periculum nonnihil leuatum,sed nõ prorsus sublatũ fuit:nam etsi expugnationis metus defierat,tamen suspicio ne grauissimis detrimentis,vel nimiũ vires eius frangerentur, vel populus in extremam desperationem adduceretur, minimè sublata erat; quoniã classiarij milites,& qui classem cõmitabantur, quotidie ad ciuitatis portas vsq; procurrebant: & aliæ Venetorũ nauales copiæ, Ferrariensium ducis ditionẽ ab alia parte aggressæ, Comachium ceperat. Interea Pontificis & Galliæ regis auxilia superuenerunt; & ideò dux qui clade prius in valli oppugnatione accepta doctus, copias suas in munitis castris prope Ferrariã collocarat, crebrò obequitando, atq; excurrendo hostes ad pugnã allicere cæpit;illi verò exercitũ suum rediturũ sperantes, antè pugnã capessere recusabant:accidit aũt vt quum aliquando Estensis cardinalis ad prouallũ vsq; procurrisset,in eius reditu tormenti globo è classe emisso,Ludouico Mirandulano comiti vni ex pontificiorum militum prętectis,nemine vel illo vel alio ictu in tanta multitudine pręter eum læso,caput tolleretur:tandem regionis, atque fluminis naturæ oportunitatisq; peritia,quod ab initio periculosum atq; difficile visum fuerat,facile reddidit:nam quum dux & Cardinalis, se classem, modò tormenta in fluminis ripa tutò collocari possent,facilè tormentis depressuros sperarẽt, Cardinalis cum copiarum parte ad vallum oppugnandum redijt, & hostibus qui ad certamen prodierant,cum aliquorum ex ipsis cæde repulsis,proximã aggeris partem occupauit atq; muniuit: adeò vt hostibus inscijs,in principio noctis,tormenta in ripam classi oppositam trahi curauerit; ijsq; maximo silentio collocatis,horribili cum fragore eã quatere cæperit; & quãuis omnes naues vt fuga sibi cõsulerent mouerentur,nihilominus quia multa inusitatæ magnitudinis tormẽta longũ ripæ tractũ dispositа occupabant,& à peritis tractabantur,procul admodũ globos emittebãt,adeò vt hostes potius periculi locũ mutarent,quàm ipsum periculum vitarent: quum præsertim dux ipse,tormentorum faciendorum, eorumq; vsus peritissimus superueniisset;seq; mirum in modũ exerceret: quibus ictibus omnes hostium naues, quamuis & ipsi abiaculando non desisterent, sed frustra,quoniam qui in ripa erant aggere tegebantur, varijs horrendisq; casibus absumebantur;quarum aliæ quum huiusmodi fulmina iam sustinere non possent,sese dedebant;aliæ igne tormentorũ pilis accenso,vnà cũ ijs qui in eis erant miserè cõburebantur: alij ne in hostium manus venirent,in aquis perire malebant: classis verò præfectus, iam ferè ab initio pugnæ schapha cõscensa fuga euasit:eius verò triremis per tria milliaria fugiẽs,semperq; iaculans,seq; defendẽs,ac nauigij detrimẽto quo ad eius fieri poterat sarciens,tandẽ tota perforata submersa est:demũ quum omnia sanguine,igni,& cadauerib.plena essent,15. triremes,aliquot magnæ naues,& biremes, aliaq; minora nauigia ferè innumera in ducis potestatẽ venerunt:circiter duo millia hominũ tormentis,igne,& aquis perierunt,sexaginta signa capta, sed nõ prætoriũ vexillũ, quod cum ipso præfecto seruatũ est:multi in terrã fuga sibi cõsuluerũt, ex quibus aliqui ab Venetorũ expeditis equitib.seruati, pars ab hostibus persequentib.capti: pars varia incõmoda fugientes ab colonis perpessi:captæ naues Ferrariã perductæ sunt, vbi ad victoriæ partę memoriã multos annos conseruatæ fuerunt;donec Alfonsus Veneto Senatui gratificandi cupidus, illas Senatui concessit.Hac classe debellata Alfonsus illicò trecentos equites & quingentos pedites,ad alteram classem quæ Comachium occuparat,

debel-

debellandam misit; qui Laureto, quod Veneti munierant, recuperato, classem, vt opinio fuit, debellassent, nisi illa periculo perspecto, ad Bebias se recepisset. Hunc finē habuit vnius mensis spacio Ferrariense bellum, in quo exitus, sæpe rerū minimè imperitus arbiter, quanto paucorum, qui vt reliquis rebus omissis, pecunijsq; ad maiorem opportunitatem reseruatis, Patauio, Taurisioq; & reliquis locis, quæ recuperata fuerant tantum modo tuendis incumberetur hortabantur, consilium prudentius fuerit, quàm illorum qui plures numero, sed prudentia inferiores, odio indignationeq; concitati, facile se tot rebus gerendis immiscebant: quæ temerè inceptæ, tandem grauissimos sumptus cum non mediocri reipub. ignominia atq; detrimento pepererūt, ostendit. At circa Patauium Venetorū res potius feliciter quàm secus succedebant: nam quum Cæsar cum quatuor peditum millibus in Vicetino agro esset, Veneti exercitus pars non admodum magna, rusticorum eius regionis auxilio, ferè ante eius oculos, Scalæ angustias, deinde Cocolum, atq; Bassianum, loca adeos qui ex Germania in Italiam venire vellent itinere prohibendos opportuna, cepit: ipse verò Palitiæ discessu multa sibi aduersa accidisse conquerens, vt ad Comitia quæ Oeniponti indixerat, se transferret, Bolgianum petijt: cuius exemplum sequutus Ciamontius, vehementibus Vicetiæ atq; Lineaci oppugnandi cogitationibus quas habebat omissis, Loca etiam bene munita esse, & tempestatem valde aduersam cogitans, Brixia, Pischeria atq; Vallegio, præsidijs optimè munitis, & sexcentis cataphractis, cum quatuor militum millibus, Veronæ ad eius ciuitatis, quam Cæsar per se tueri non poterat, defensionem relictis, qui à Cæsarianis militibus separati, in diui Zeni suburbio, arce quoque vt tutiores essent in sua potestate retenta, castra habebant, Mediolanum se contulit. Verona nobilis atq; antiqua vrbs, Athesi fluuio, alto atq; pleniſſimo intersecatur; qui ex Germaniæ montibus ortus, vt in planitiem peruenit, ad sinistram montes radens incuruatur; ac Veronam alluens, ea egressus à montibus recedens per amœnam fertilemq; planitiem euagatur: ea vrbis pars, quæ in iugo cum aliqua etiam planitie sita est, ab Athesi Germaniam, altera pars quæ tota in planitie est, cis Athesim Mantuam respicit: in monte ad diui Georgij portam diui Petri arx est; ad iaculi verò geminum iactum, supra in summo collis vertice, est Feliciana arx, vtraq; longè magis loci natura, quàm arte munita; & tamen illis captis, quia ciuitati valde imminent, Verona in graui periculo versaretur: hæ ab Germanis custodiebantur; sed in altera parte, quam fluuius ab hac dirimit, est arx quæ castellum vetus dicitur Pischeriam versus, ferè in media vrbe posita; quæ amnis vtramque ripam ponte coniungit: ad tertium verò ab hac arcus iactum Vicetiam versus est alia quam Citadellam vocant: & inter vtramq;, vrbis mœnia extrinsecus in semicirculi formā coniunguntur: ab interiori verò latere, murus inter duas ampliſſimas fossas extructus ad eas adiungitur; spacium verò quod inter hos duos muros positū est, diui Zeni suburbium apellatur; quod vnà cum Citadellæ custodia Gallis ad castra locanda attributū fuit. Vbi dum arma penè silent, Maximilianus cōtinenter de inducijs cū Venetis agebat, Pontifice per Achillē Crassum Pisaurensem episcopū, nuntiū suum, ad id vehementer adnitente: quamobrē eius oratores, & Ioannes Cornelius & Ludouicus Mocenicus Venetorū oratores, ad Hospitaletū supra Scalā ad colloquium venerunt: sed ob altas Cæsaris petitiones, Pontifice qui Venetos omnib. molestijs liberari cupiebat, id ægerrimè ferente, vanus labor extitit, Pontifex aūt vt inter se & Venetos nullus controuersiæ locus relinqueretur, vt Ferrariensium duci Comachium quod prius incenderant restituerent, seq; eius ditionē non amplius infestaturos sibi promitterent, effecerat: tunc enim Ferrariensium ducē Pontifex, beneficiorū ab se acceptorum, quæq; accepturus erat memorem fore, potiusq; secum, quàm cum Galliæ rege sensurum sperans, patrocinio vehemēter complectebatur: aduersus quem regem, dum de firmissimis adiumentis cōparandis dies noctesq; cogitat, hominē suum clam ad Angliæ regem miserat; & cum Heluetijs inter quos & Galliæ regem controuersiæ quædam iam glisscebant, agere cæperat: quocirca, cum Sedunensis episcopus, regi infensus, quique his instrumentis ad sacram purpuram aspirabat, ad se venisset, lætissimo animo illum acceperat. Sub huius anni finem Romanorum, & Hispaniæ reges, ob Castellæ regni administrationē inter se diffidentes, conciliati sunt; ea controuersia diu in Gallię regis curia agitata, cū multas difficultates haberet, Rotomagēsis imprudentia, quā hæc cō-

cordia regis sui rebus perniciosa esset futura minimè cogitantis, ad exitum perducta fuit: nam si eius perficiendæ autor extitisset, sibi fortasse ad Pontificatum adipiscendum profuturum ratus, summa diligentia atq; labore in id incubuit; quibus cum eius autoritas accessisset, tantum effecit, vt Maximilianus Catholico regi, nisi masculam prolem susciperet, illorum regnorum administrationem tandiu, donec Carolus vtriusque nepos vigesimum quintum annum attingeret, permiserit, ea lege vt nepos matre quæ regina apellabatur (quoniam in Castellæ regno fœminæ à maribus non excluduntur) viuente, regiam appellationem non assumeret: Hispanus rex Cæsari quinquaginta aureorum numum millia persolueret; eum, donec sua recuperasset, vt ex Cameracensi fœdere tenebatur, iuuaret; & Carolo quotannis quadringentas auri libras penderet: quare Aragoniæ rex in Castellæ regni administratione confirmatus, controuersijsq; sublatis, atq; in ambobus, eodem communis nepotis amore vigente, fidei sibi apud Cæsarem conciliandæ facultatem adeptus, audacius vt Galliæ regis potentiam quæ in regni neapolitani causa semper illi erat suspecta impediret, operam dare potuit. eodem tempore Pontifex, Protonotarium Bentiuolum, qui Cremonæ erat, furtim Bononiam reditum quærere veritus est: eam ob rem Iulianum Medicem per aliquot dies in Bononiẽsi curia detineri iussit; & omnia, Galliæ regis odio in se tribuens, se ne is Italiæ in seruitutem redigendæ causa, vtq; Rotomagensem vi armata pontificem fieri cogeret, in Italiam veniret, timere ostẽdebat; & nihilominus eodem tempore palam de Cæsaris dignitate, quasi is ad tantam personam sustinendam minimè esset idoneus, quiq; eam ob causam imperij nomen in maximum contemptum adduxisset, detrahebat. In huius anni fine, Pitiliani comes Venetarum copiarum imperator mortem obijt, vir admodum senex, & longo militiæ vsu valde peritus, cuius fidei plurimum Veneti tribuebant, ac vt imperium ipsorum temere in discrimen adduceret minimè metuebant. Sequitur in hac rerum ambiguitate annus M D X. in cuius initio, bellicæ res, vt etiam anni tempus ferebat, ab omni parte frigebant: quoniam Venetus exercitus qui ad Sanctum Bonifacium in Veronensi agro castra habebat, Veronam penè obsidione premebat: quare quum Carolus Ballio, Federicus Bozolus, & Sacramorus Vicecomes ad commeatum introducendum egressi essent, ab Epyrotis fusi sunt; & Carolus atq; Sacramorus capti; Federicus autem Gallorum, qui vt eis opem ferrent Verona eruperant, opera euasit; & paulo pòst aliam Gallorum equitum alam fregerunt; in eaq; Clesius captus fuit; ab alia parte ducenti Galli cataphracti cum tribus peditum millibus Verona profecti, vallum Soauium versus, in quo erant sexcenti pedites, expugnarunt: atq; in reditu magnum agrestium hominum numerum fuderunt: bellicis autem rebus ira frigescentibus, principum animi grauissimis curis angebantur; ac præsertim Romanorum rex, qui quanam ratione de Venetis victoriã reportare posset, nõ inueniens, & res suas, vt solebat, ex vnis in alia comitia transferẽs, comitia Augustæ Vindelicorum indixerat & Pontifici, quia Imperij Septemuiri eius autoritate moti, vt in comitijs prius de pace cum Venetis ineunda, quàm de belli apparatibus ageretur instabant, iratus, Pisaurensem episcopum eius nuntium Augusta discedere iusserat; & comitiorum deliberationes, incertas, tardas, atq; difficiles esse, imo vnius conuentus finem, alterius initium parere: & Galliæ regem, ad Cæsaris postulata resque propositas modò tempestatis asperitatem afferentem, modò certum in sumptus quos faceret pignus petentem, modò se Cameracensi fœdere nequaquam solum ad eum iuuandũ, sed pontificem quoq; & Aragoniæ regem teneri; cum quibus vt commune erat fœdus atq; obligatio, sic quoq; æquum esse, vt res omnes communibus pariter auxilijs gererentur; commemorantem varias excusationes adferre animaduertens, nullam rebus suis certiorem salutem fore censebat, quàm Gallię regẽ ad Patauij, Vicetiæ, ac Tauri sij oppugnationem proprijs viribus æqua remuneratione accepta suscipiendam impellere: quæ res in regio Senatu multis, qui regem donec Veneti prorsus à continentis imperio excluderentur, semper in continuis sumptibus atq: periculis futurum cogitantes, eum ad se magno semel sumptu eo metu liberandum hortabantur, probabatur; neque rex ab hoc consilio eadem ratione motus prorsus erat alienus: idcirco quum vt ipsemet in Italiam cum valido exercitu transiret inclinaret (validum verò exercitum apellabat, in quo essent, plusquam mille & sexcenti cataphracti, præter eos quos ipse pensionibus

1510.

suis

ſuis obnoxios haberet, præterquã nobiles)& nihilominus alijs rationibus in diuerſam ſententiam diſtractus,animo dubius erat;& conſuetò etiam magis confuſus;quia Rotomagenſis, vir efficax & magni animi,longo grauiq; morbo oppreſſus,negotia quæ eius conſilio ad exitum perduci ſolebant , non amplius curabat; regem natura à ſumptibus valde alienum,& Veronæ adipiſcendæ ardens cupiditas retrahebant:ad quod efficiendum Romanorum regem perpetuis moleſtijs implicari ſatius eſſe ducebat;& oportunè tunc quum Cæſar Germanis militibus qui in eius vrbis præſidio erant ſtipendia perſoluere non poſſet,rex illi decem & octo aureorum numûm millia iterum mutuo dederat; & ſe ad quinquaginta millia vſq; daturũ promiſerat;ea tamen lege vt nõ modò Citadellam pignoris loco obtineret, verùm etiam Caſtellumuetus eiq; proximam vrbis portã, vt ingreſſum atq; exitum liberum haberet,ea conditione vt niſi ea pecunia intra annum reſtitueretur, Vallegium oppidum in perpetuum gubernaret,eiusq; & Citadellæ Cæſaris ſumptibus muniendæ facultatem haberet:hæc regis animum ancipitem reddebant, ſed multo magis ne Pontificem ſi nouum in Italiam exercitum vel duceret, vel mitteret prorſus à ſe abalienaret,metus eum retinebat: quoniam Pontifex ſuſpitione plenus,& Veronæ dominatum ab illo occupari ægrè ferens,præterquam quòd ad Venetos à cenſuris liberandos ſemper propendebat , omnẽ operam vt ſibi Heluetios adiungeret adhibebat:quocirca Sedunenſem epiſcopum cum pecunijs quas ei genti largiretur,& ſacra purpura illi promiſſa in patriam remiſerat; & Angliæ regis animum ab Galliæ rege alienari diligentiſſimè nitebatur;qui etſi à patre morti propinquo vt tranquillitatis ſecuritatisq; ſuæ gratia, amicitiam , quamobrem quotannis quingentæ auri libræ ei pendebantur,cum Galliæ regno conſeruaret,præceptum accepiſſet;nihilominus ætatis feruore,atq; ingenti pecunia à parente relicta fretus,eorum qui rerum nouarum cupidi,& odio quo plerunq; illa gens in Gallicum nomen accenſa fertur,cõcitati , eum ad bellum hortabantur,cõſilia minimè minoris quàm patris qui cum Gallis diſſidia fouens,quamuis ad nouum perturbatiſſimumq; regnum aſſumptus eſſet; id tamen maximo cum ſuorum obedientia , ac tranquillitate gubernarat;prudentiã atq; exemplum facere videbatur; quæ res cum Galliæ regis animũ vehementer angerent,qui vt Italiæ rebus propius perſpiceret,Lugdunum ſe contulerat,ac veritus,ne ſuus in Italiam aduentus,quem Põtifex palam deteſtabatur,eius opera res nouas excitaret,Aragoniæ quoq; rege eam profectionem diſſuadente,quamuis ſe velut amicum & cõmunis tranquillitatis ſtudioſum diſſuadere ſimularet,nullum certius præſentiusq; in ijs tantis difficultatibus,quibus animus eius vndiq; præmebatur,inuenit,quàm vt omni ſtudio atq; diligentia põtificis animum ita mitigare niteretur,vt ſaltẽ ſibi illum aduerſum atq; inimicum nõ fore certus eſſet:cui rei occaſio ſatis cõmoda ſeſe offerre videbatur;nã Rotomagenſis cardinalis mortẽ,cuius ægritudo tam grauis erat ,vt eum diu in uita futurũ ſperari nõ poſſet,illam ſuſpitionem,ex qua præcipuè eius alienationẽ ortam homines exiſtimabant,ſublatam iri credebat:& quia rex Auſcium cardinalẽ Rotomagenſis nepotem,& reliquos qui ſua negotia in Romana aula procurabant , pontificis mentẽ temere,verbis atq; factis potius irritaſſe,quàm vt opus erat mitigaſſe nouerat, quum illorũ opera amplius vti nollet,Albertum Pium Carpenſem comitẽ, magni ingenij atq; induſtriæ virum per diſpoſitos equos Romã cum ampliſſimis mandatis miſit; non modò vt ei quocunq; caſu,vel vbi vellet regis vires atq; autoritatẽ polliceretur,vtq; cũ eo ſic ageret,eum ſic reſpiceret tractaretq;, vt ad eius voluntatẽ naturamq; ſe accõmodaret;ſed etiã vt omniũ rerum quæ agerentur ſtatũ, & Romanorũ regis poſtulata ſincerè cum eo cõmunicaret;præterea ſibi ne in Italiam veniendũ,vel non veniendũ eſſet,promptius an lentius Cęſaris res iuuare deberet, omnia in eius arbitrio poneret & poteſtate. Eidẽ vt Venetos ab interdicto liberari diſſuaderet mandatũ fuit, ſed id ante eius aduentũ iã à Pontifice cõſtitutũ atq; promiſſum fuerat:quia Veneti poſtquã inter delegatos ab põtifice viros , & ipſorũ oratores,multos menſes diſputatũ eſt,in eas conditiones in quibus controuerſia erat conſenſerant: neq; enim ſalutis ſuæ aliã rationẽ quàm vt cum illo cõiungerẽtur videbant. Legis igitur quibus à cenſuris eximendi erant,Venetis oratorib.pręſentibus,& legitimè cõfecto reip.ipſorum mandato,tabulisq; rite confectis confirmato , in ſacro Senatu 4.&20.Februarij die in hanc ſentẽtiam ſunt lectæ:Veneti ſacerdotia,ſacrasúe dignitates nemini tribuun-

to,vel quouis modo concedunto :quicquid de eis in curia Romana ſtatutũ decretumúe fuerit,nulla interpoſita difficultate,aut impedimento,ratum firmumq; habento:Beneficiorum cauſſas aliáue ad eandem curiam ſpectantia,quo minus in ea agitentur,ne prohibento : decumas aliáue onera eccleſiarum bonis,locisúe à profana poteſtate exemptis,ne imperanto:prouocationi contra pontificis cenſuram,omniq; iuri quouis modo in Pontificij imperij oppida parto, & nominatim Vicedomini Ferrariæ habendi poteſtati renuncianto : Pontificio imperio ſubiectis eorumq; nauibus Adriatici ſinus nauigationem liberam permittunto; camq; tam ampla cum facultate,vt etiam aliarum gentium merces nauibus illorum vectæ, moleſtijs ne afficiantur, neq; ad vectigal ſoluendum cogantur: nulla ratione ſe Ferrarienſibus rebus, vel eius ditionis oppidis ex Pontificio imperio pendentibus immiſcento : omnia pacta in Pontificij imperij fraudem, cum aliquo pontificatus beneficiario,vel ſubiecto facta nullius momenti ſunto:Duces, proceres,aliosúe Pontificio imperio ſubiectos vel beneficiarios ſacroſanctæ ſedis perduelles hoſtesúe nullos admittunto:omnem pecuniam ex ſacris vectigalibus exactam reſtituunto : & templis omnia detrimenta accepta ſarciunto : quibus obligationibus, promiſſis,ceſſionibus,in Senatu acceptis , Veneti legati,conſtituto die,vetera exempla ſequuti , in diui Petri porticum venerunt ; ibiq́ue ad Pontificis pedes,qui prope æneas portas in pontificia Sella omnibus purpuratis & innumeris antiſtitibus præſentibus ſedebat,humi proſtrati , contumaciam erratáque ſua confitentes , demiſſiſſimè veniam flagitarunt:deinde nonnullis precibus de more recitatis, conſuetisq́ue ſolennibus peractis ceremonijs,Pontifex illos in gratiam recipiens, cenſuris diriſq; liberauit;eisq; ſatisfactionis gratia ſeptem auguſtiſſima vrbis templa adirent iniunxit.His peractis à ſummo pœnitentium magiſtro in diui Petri Baſilicam introducti ſunt , vbi ſacris quibus antea illis interdictum erat auditis , honorificè non iam vt execrati ſacrisúe excluſi, ſed vt verè Chriſtiani,& ſacroſanctæ ſedis pij filij ab antiſtitib. alijsq; aulicis compluribus, ad ſuas ædes deducti fuerunt:ac paulo poſt Hieronymo Donato è Venetis oratoribus vno,excellenti doctrina viro ,Romæ relicto,qui ſuis preclaris virtutibus, ingenijq́ue facilitate Pontifici acceptiſſimus , in ijs rebus quæ poſt cum ipſo agendæ fuerunt, patriæ ſuæ plurimum profuit , Venetias redierunt.

OCTAVI LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER NONVS.

Heluetiorum ab Galliæ rege alienatio: Rhetorum cum Gallis fœdus: Iulij Pontificis in Alfonsum Ferrariæ ducem bellum: Cæsaris in Veneto bello progressus: eiusdem Pontificis in Genuenses bellum, eiusq; in Gallos animus: Mirandula a Pontifice capta: Venetorum classis in Pado debellata: eorundem aduersus Gallos progressus: Pontificis exercitus ad Bastiam, & ad Santernum fluuium fusus: communis pacis consilia: Bononiensium à Pontifice defectio: Concilium Pisis ad ecclesiam instaurandam, & Pontifici pacis cum Galliæ rege ineundæ cogitationem injiciendam, indictum.

CAESAR, ob Venetos tanta cum Pontificis constantia sacris restitutos, ad quem cares maximè spectabat, vehementer est commotus: sed haud multo minus Galliæ rex, vt qui suo ipsius commodo, Venetorum potentiam suscitari minimè cuperet: nec tamen qui Pontifici finis propositus esset satis animaduertebat: sed vana spe in eis difficultatibus quę ipsi parabantur, enutritus, Pontificem suæ cum Cæsare societatis suspicione moueri opinabatur: quòd si cunctando cum eo progrederetur, nec maioris suspicionis occasionem daret, cum absolutione contentum non vlterius processurum sperabat: verum Pontifex indies magis in sua sententia cõfirmatus, ecclesiæ beneficiarijs subiectisque, sociorum oratoribus maximè repugnantibus, concessit Venetorum stipendijs militarent: qui Ioannem Paulum Ballionem, suarum copiarum, quæ comitis Pitiliani obitu Imperatore carebant, ducem constituerunt; & Ioannem Aloisium, Ioannemq; Vitellios, olim Ioannis & Camilli filios conduxerunt; ac Rentium Ceritem peditibus suis omnibus præfecerunt: Venetorumq; patrocinio ita apertè suscepto eorum cum Cæsare concordiam procurabat, sperans se hac ratione eum non modò à Galliæ rege abalienaturum, sed sibi & Venetis coniunctum vnà ipsi bellum illaturum. Quæ res quo facilius Cæsaris necessitate succederet, suam cum Imperij electoribus, ac liberis ciuitatibus, ne ei in Augustanis comitijs aliquid subsidij decerneretur, interponebat autoritatem. Quo autem id negotium magis agebatur, eò durius difficiliusque reperiebatur: Cæsar enim nullam, nisi Veronam retineret, concordiam admittebat. Veneti verò in quibus Pontifex maiorem facilitatem fore sperauerat, cum se Patauium in quauis fortuna defensuros, eamq; vrbem dum tuerentur, multas sibi à tempore occasiones datum iri pollicerẽtur, Veronæ restitutionem maxima pecuniæ vi oblata, obstinato animo poscebant. Nec verò Pontifex Angliæ regem, ad bellum Galliæ inferendum, impellere desinebat, veterum inter ea regna discordiarum memoria renouata, felicissimorumq; euentuum occasione demonstrata. Si enim arma aduersus regem sumeret, multos prẽterea quibus eius potentia aut suspecta aut odiosa esset sumpturos; eumq; hortari, vt pontificiæ sedis quæ alioqui Galliæ regis ambitione in aperto discrimine versaretur, protectoris & conseruatoris oblatam gloriam, ea religione quæ propria Angliæ regum fuerat complecteretur: ad quam rem eadem ratione Aragoniæ regem, sed valde clam, hortabatur. Quod autem maioris erat ponderis, Pontifex negotio quòd cum Heluetijs per episcopũ Sedunensem, cuius apud eam gentem autoritas maxima erat, agi cæptum fuerat, qui, tum in publicis conuentibus, tum in Templis, ad hoc summa eloquentia orare & concionari non desinebat, minimè intermisso, tandem vt Heluetij mille in singulos Pagos quotannis Rhenensium aureorum, accepto stipendio, ipsum & pontificatus ditionem tuendam susciperent, consequutus erat, ita vt liceret ei inter ipsos certum militum numerum ad sui tutelam stipendio conducere: quæ res faciliorem illi, inter ipsos & Galliæ regem iam glisscentem discordiam reddiderat. Heluetij enim communi hominum de se opinio

ne elati,cum victorias quibus ipse proximeq; rex Carolus in Italia potiti fuerāt, præcipuè ab ipsorum virtute, suorumq; armorum terrore profectas, seq; eam ob causſam de Galliæ regno non parum meritos existimarent, à rege fœdus innouare petente, sibi stipendia sexaginta millium Francicorum in singulos annos, à rege Ludouico vndecimo cæpta,& ad ea vsq; tempore perducta,præter ea quæ clam multis priuatis dabantur augeri postulauerant: quæ cum audacius flagitarent,rex eorum insolentia,& quòd à rusticis ac montanis hominibus (hæc enim eius erant verba) sibi adeò imperiosè tributum imponeretur motus,magis è regia dignitate,quàm ex præsenti ratione,verbis iracundis eos reijcere,ac ferè contemnere cæpit:ad quod maiore animo accendebatur,quòd eodem tempore Vallesij Sedunensibus subiecti,qui septem communitatibus,quæ ab ipsis curiæ nuncupantur,gubernantur,Georgij Suprasaxi opera,priuatim ac publicè,largitionibus stipendiorumq; pollicitationibus capti, secum fœdus iniuerant;ea conditione vt regijs copijs per eorum agros transitum concederent,hostium prohiberent,eiusque stipendio tantum peditum numerum, quantum suppeditare possent, darent:eodemque modo trium fœderum domini, qui Rheti appellantur,cum eo pacti fuerant: & quamuis Vallesiorum vna pars nondum has conditiones comprobasset,rex ijsdem artibus illos ad comprobandum adduci posse sperabat:quo fiebat, vt sibi Heluetiorum amicitiā non iam adeò esse necessariam putaret, cum præter Vallesiorum Rhetorumq; copias, Germanos quoq; pedites in bellis cōducere decreuisset: eorumque motus,quòd ipsos Mediolanense imperium nisi per Bellizzonæ fines,aliasque valde angustas vias,in quibus multi à paucis facilè commeatu priuari pauciq; à paucis repelli possent,parui faciens,inuadere posse non existimabat;cumq; obstinato animo stipendia augere nollet,in Heluetiorum conuentibus de fœdere renouando etsi pleriſq; eorum ad quos priuatim maxima emolumenta peruenirent ad id hortarentur, nihil obtinebatur; eamque ob causſam facilius in fœdus à Pontifice postulatum consenserunt:quo nouo icto fœdere, cum se magna ad sua consilia fundamenta iecisse arbitraretur, cumque in rebus omnibus sua natura ita se gereret, quasi omnibus superior omnesque necessitate cōpulsi à se leges accipere deberent,nouarum discordiarum cum Ferarienſium duce,siue motus omnino ea de causſa quæ inter ipsos in controuersiam venerat, siue odio aduersus eum concepto, quòd tot beneficijs & honoribus acceptis, potius Gallorum regi quàm sibi adhæreret,semina iaciebat. Quæcunq; tandem causſa fuerit cum controuersiarum initium quæreret, Alfonso vt Comachij à Sale conficiendo desisteret, imperiosè mandauit: non enim æquum esse, vt quod Venetis Ceruiam possidentibus ei non licuerat, sacrosancta sede cuius directum Ferrariæ Comachijq; ius esset, eandem possidente liceret, quæ res magni emolumenti esset;propterea quod ex Ceruiæ salinis,dum Comachij non conficeretur,sal in multas circumuicinas ciuitates diffunderetur. At verò Alfonsus magis regiæ necessitudini ac tutelæ fidebat, quàm pontificis vires extimescere: cumq; se à colligendo fructu qui in propria domo paruo labore nascereturprohiberi, imò ad id ab alijs suorum vsum emendum cogi, quò poterat exteras regionis replere, quereretur, nec id quod à Venetis,nō iure,sed armis coactus,passus erat,in exemplum trahi debere diceret, huic mandato parere recusabat: qua de causſa Pontifex misit qui graui denunciata pœna,censuraq; imperaret,ab incepto desisteret:Hæc erant pontificis ad Venetos subleuandos toto animo intenti consilia & opera: at ex altera parte Romanorum Gallorumque reges æquè eorum depressionis cupidi, ac quæ in eorum gratiam Pontifex agitabat molestè ferentes,eoque magis vnà coniuncti constituerunt ea æstate magnis viribus Venetos inuadere, sic vt Gallorum rex ab vna parte Ciamontium cum valido exercitu, cui Germanicæ copiæ quæ Veronæ erant coniungerentur,mitteret;ab altera parte Cæsar copijs quas Augustanis comitijs ab imperio sperabat Forumiulij ingrederetur:quo occupato ad alia prout tēpus & occasio ferrent progrederetur;ad quod pontificem tanquam Cameracensi fœdere obstrictum,armis vnà cum ipsis conspiraret, postularunt:is autem cui id summopere molestum esset, se eo fœdere quod iam expletum esset, cum in Cæsaris potestate fuerit Taurisium prius,deinde pecuniæ compensationem habere,non teneri apertè respondit: simili quoque modo Maximilianus à rege Catholico, ex eadem Cameracensi pactione, & ex peculiari secum eo tempore facta,

quo

quo ei Caſtellæ adminiſtrationem aſſenſus eſt, ſubſidia flagitabat, eo tamen rogato ſe pecunia potius quàm copijs iuuaret: ille verò cum non ea re qua plus indigeret eum iuuare decreuiſſet, quadringentos equites, quod auxilium, Cęſari parum vtile erat, ſe miſſurum promiſit: in Gallico enim ęquè ac Cęſariano exercitu equitatus abundabat. Quo tempore cum vrbs Verona à præſidiarijs militibus, propterea quòd illis ſtipẽdia nõ ſoluerentur, magnopere vexaretur, Venetorum copiæ à nonnullis ducibus clam accerſitæ, Sambonifatio digreſſæ vt diui Petri arcẽ ſcalis ingrederentur, noctu vrbi apropinquarunt, & Georgiana porta ingreſſi, vbi dum vt ſcalas quæ ſingulæ per ſe muri altitudinem non æquabant, vnà coniungerent, morantur, ſiue ab arcis Felicianæ cuſtodibus auditi, ſiue vano ſtrepitus terrore perculſi, relictis ſcalis receſſerunt, exercitusq; ad Sambonifatium reuerſus eſt: Veronæ autem patefacta coniuratione multi pœnas dederunt. Hoc tempore Pontificis animus non ſponte, ſed timore impulſus, eò quòd Maximilianus ab eo arroganter ducenta ducatorum millia mutuò peteret, minatus ſe alioqui cum Gallorum rege aduerſus eum coniunctum iri, ad redintegrandam cum Galliæ rege coniunctionem inclinabat; & quia fama erat in Auguſtanis Comitijs magna Cæſari auxilia decernenda fore, denuoq; inter Angliæ & Galliæ reges facta, ac magna ſolennitate promulgata pax erat, ideò diligentius cum Alberto Carpenſi, quem ad eum vſque diem verbis & ſpe produxerat, tractare cœpit, ſed non diu in hac ſententia permanſit: Comitia enim Auguſtana, ſine quorum viribus Cæſaris minæ parui fiebant, expectationi cum minimè paria facerent, nullum aliud niſi trecentorum millium Rhenenſium aureorum, cuius pecuniæ ſpe multos iam ſumptus fecerat, illi ſubſidium decreuerunt; ab Angliæ autem rege in pacificatione eam conditionem expreſſam eſſe, quoties Galliæ rex pontificiam ditionem læderet, tota pacis ratio corruiſſe intelligeretur, ei ſignificatum fuit. quibus ex rebus reſumpto animo, & ad prima conſilia reuerſus, nouas in Ferrariæ ducem querimonias adiunxit: is enim dux maris ſinu liberato, mercibus, quę Pado flumine Venetias vehebantur, noua impoſuerat vectigalia; quæ cũ Pontifex à beneficiario abſq; fundi domini permiſſu, ex legũ præſcripto imponi poſſe negaret, præſertim cum in Bononienſiũ, qui eius parerent imperio detrimentũ, vt tollerentur, additis armorũ minis inſtabat; ſuasq; copias, quo maiorẽ ei terrorẽ incuteret, in Bononienſem agrũ Aemiliãq; tranſmiſit. Regis animũ hæc maximè perturbabant; hinc enim cum Põtifice inimicitias fouere ei moleſtiſſimũ erat; illinc Ferrarienſium ducis ad cuius patrociniũ triginta ducatorum millib. acceptis obſtrictus erat, deſerti infamia; nec minus propriæ vtilitatis ratione mouebatur: cum enim Alfonſus prorſus exipſo penderet, eiusq; in regẽ propenſio quo magis ſe à Pontifice vexari videret, eò augeretur magis, cumq; eius regio ad Longobardiæ res valde eſſet opportuna, ipſius ſalutẽ ſua intereſſe ducebat: ideò de concordia inter eos aliquomodo cõcilianda cũ põtifice agebat; Põtifici aũt, vt rex ſe ab eius defenſione remoueret, ęquũ videbatur; quã aduerſus Cameracenſes cõditiones ſuſceptã aiebat: quibus eorũ quæ à pontificatu erepta fuerant reſtitutionis prætextu factis, ne quis fœderatorũ, eius qui ab altero nominaretur patrociniũ ſummeret, interdicebatur; à ſe verò Ferrarienſem nominatũ eſſe: præterea etiã ne quis ſe rebus ad põtificiũ ius ſpectantibus interponeret, idẽ quoq; peculiari inter ipſos Biagraſſi inito fœdere cõfirmari; quo expreſſè ne rex cuiuſquã eorũ, qui ex pontificatu penderent patrociniũ retineret, in poſterumúe ſuſciperet: præterea omnia quæ antea ſuſcepiſſet, aboleret, cauebatur: ad quæ etſi regis nomine reſponderetur eadẽ pactione cõtineri, vt epiſcopatus Ciſalpini ad regis arbitriũ tribuerentur, quod à põtifice in primo vacante violatũ eſſet, eundẽ in Venetorum gratiã contrà Cameracenſis fœderis capita feciſſe: his de cauſſis ſibi quoq; promiſſa nõ facere, fas eſſe: tamẽ ne Ferrarienſis cauſſa ſibi cũ pontifice ad arma veniendũ eſſet, conditiones quib. eius dignitate, nõ omnino nec directò imminuta, pontifici in ijs quæ ad ipſius põtificatus úe iura in Alfonſum pertinerẽt maiori ex parte ſatisfieret, præterea petitioni à pontifice factæ, ne Gallicæ copiæ flumẽ Padũ, niſi quatenus ad Florentinorũ defenſionẽ, aut ad Pandulfum Petruciũ & Ioannẽ paulum Ballionẽ infeſtandum pecuniæ ab altero promiſſæ, ab altero interceptæ nomine teneretur, traijcerẽt, aſſentiri haud renuebat: quę dũ agitãtur, Ciamontius mille & 500. cataphractis, & 10. millib. peditum, ex varijs gentibus, inter quos nonnulli Heluetij erant, priuatim nõ ex pagorũ aſſenſu conducti, quos magna tormentorũ bellicorũ copia, & tria fabrorũ millia, cum põ-

tibus ad traijciendа flumina paratis ſequebantur, quib. ſe Ferrarienſis dux cum ducentis equitib. grauis, & 500. leuis armaturę, duobusq; millib. peditũ adiunxit, Rhodiginaq; Polineſo à Venetis deſerta citra negotiũ occupata, Turriq; Marcheſana ad Atheſis ripã Patauiũ verſus poſita expugnata, cũ ad Caſtellobaldũ peruenisſet, ſolis internũtijs Mõtanianã & Atheſte oppida ad Alfõſum, alterũ ex Maximiliani dono, alterũ ob pecuniã mutuata pignori traditum, ſpectantia, ad primũ nuntiũ in ſuã poteſtatẽ redegit. Quibus locis recuperatis Alfonſus quarundã Venetarũ triremiũ, quæ aduerſo Pado vehebãtur prætextu, maximã ſuarũ copiarum partẽ remiſit. Princeps Analtenſis Cæſaris vices gerens, Verona egreſſus, cũ 300. grauis armaturę equitibus Gallis, 200. cataphractis, & tribus Germanorũ millibus, ſe Ciamõtio cõiunxit; eum ita inſecutus, vt nunquã plus vnis caſtris ab eo abeſſet, & poſt ſe relicto Monſilicio Venetorũ ditionis oppido, Vicetinorũ agrum peruenerũt; vbi Leonicũ cum tota regione nemine repugnante in deditionẽ acceperũt: exercitus enim Venetus, qui 600. grauis, & 4. milliũ leuis armaturę equitũ cum Epyrotis, ac peditũ octo millibus, Ioãnepaulo Ballione duce, & Andrea Gritto legato, eſſe dicebatur, primũ Soauio profectus, ac perpetuo prouthoſtiũ ꝓgreſſus animaduertebat, in tuta loca regreſſus, tandẽ Taurinij valido præſidio, & Meſtrij mille peditib. impoſitis, ad Brentellas, trib. à Patauio paſſuũ millibus, locũ admodum munitum, quod ea regio aggerib. ſit referta; is aũt locus tribus fluminib. Brenta, Brentella, Bachilioneq; circundatus, ſe receperat: quã ob cauſſam Vicetini prorſus deſerti, & ad ſui defenſionẽ per ſe imbecilles, nulla ipſis, præter victoris miſericordã, ſpe relictar, ati ſe eam Ciamonũj opera facilius obtenturos, publicã fidẽ de mittendis ad eũ atq; ad principẽ Analtenſem legatis ab ipſo flagitarunt; qua impetrata, ſordidati, mœroreq; ſimul ac terrore pleni ad Barbaranũ pontẽ, 10. millib. paſſuum à Vicetia, corã vtroq; ſteterũt; vbi omnib. belli ducib. aſtãtibus, exercitũq; proceribus, legationis princeps, vt fertur, talẽ habuit orationẽ.

Si quid Vicetina vrbs ſuis opib. felicitateq;, olim multis vicinis ciuitatib. inuidioſa, ex eo tẽpore quo errore, ſtultitiaq; hominũ, & fortaſſe fato quodã potius, quã alia ratione, ſub Venetorũ redijt imperiũ, paſſa ſit, & infinita intolerabiliaq; ab ea accepta detrimẽta omnibus nota eſſent, nobis, inuictiſſimi Imperatores, in pectorib. veſtris calamitatum noſtrarũ miſerationẽ, indignatione atq; odio rebellionis noſtræ memoria concepto maiorẽ, nobis certò perſuademus, ſi eius noctis error rebellio dicenda eſt, qua ſuburbio Puſterlenſi ab inimico exercitu vi armata expugnato, populoq; noſtro perterrito, nõ quo Cæſaris manſuetũ imperũ vitaremus, vel eius eſſemus perduelles, ſed vt vrbem noſtrã à direptione extremisq; malis liberaremus, legati ad pactiones cũ hoſtib. ineundas exierunt; cum præſertim noſtros homines armis belliq; periculis minimè aſſuetos, Fracaſſę moueret auctoritas, qui dux tot bellis exercitatus, & Cęſaris miles, ſeu fraude, ſeu timore (quod noſtrũ nõ eſt inquirere) vt pactione coniugũ, liberorumq; noſtrorũ; & afflictæ patriæ ſaluti conſuleremus, ſuaſerat: ex quo patet nos non prauitate, ſed timore tanti ducis autoritate auctо, nõ vt deliberaremus, ſed potius breui temporis interpoſito ſpatio, in tanto tumultu, tantoq; armorum ſtrepitu inter tot aurib. noſtris inaudita tormentorum tonitrua, ad deditionem Venetis faciendam præcipites rueremus, impulſos fuiſſe; quorum felicitas ac potentia, non ea erat, quæ per ſe nos ad id allicere deberet: quantum autem delicta quæ timore atq; errore, ab ijs flagitijs quæ fraude & maleuolentia committuntur diſtent, cuiuis perſpicuum eſſe poteſt; etſi id quo impulſi ſumus, non timor, ſed rebellandi voluntas, conſiliumq; & cõmunis omnium conſenſus ac non paucorum potius in tanta perturbatione motus & audacia, ab alijs non impedita fuiſſet, atque illius miſeræ ciuitatis peccata, nullam penitùs admitterent excuſationem, noſtræ tamen ex illo tempore calamitates eiuſmodi fuerunt, vt verè dici poſſit, pœnam delicto longè maiorem extitiſſe: etenim præſidiariorum militum rapinis intra mœnia omnibus facultatibus miſerè ſpoliati ſumus; & quis ea quæ extra vrbem continuò bello paſſi ſumus ignorat? quid nobis in hac miſera regione integrum relictum eſt? ædificia ruſtica omnia flammis abſumpta, arbores deiectæ, pecora amiſſa, meſſes iam toto biennio non ad maturitatem perductæ, magna ex parte ſementes impeditæ; nulla meſſis, nullæ fruges; amiſſa ſpe hanc deſertiſſimam regionem vnquam in priſtinum ſtatum poſſe reuocari; ad tantas anguſtias tantamque miſeriam redacti ſumus, vt ijs quæ nobis occultata ſupererant omnibus, ad vitam tuendã neceſſarijs, quoq; immen-

immenſos ſumptus quos neceſſitate compulſi fecimus,ſuſtinere poſſemus conſumptis, vnde in poſterum nos familiasque noſtras alamus non perſpicimus : Veniat quiuis quantum libet inimicos crudeliq; animo,qui modò patriam noſtram alijs viderit temporibus,eamq; nunc inſpiciat, certi ſumus eum à lacrymis minimè temperaturum,cum congitauerit eam ciuitatẽ, quæ quamuis circuitu anguſto pateret, frequentiſſima eſſe ſolebat,veſtium ornatu ſuperbiſſima,tot magnificis & opulentis ædibus illuſtris,omniũ peregrinorum perpetuum amicumq; hoſpitium, eam vrbem quæ nulli rei niſi cõuiuijs, ludis equeſtribus, alijsq; iucunditatibus operã dabat,hoc tempore habitatoribus penè vacuam, viros ac mulieres viliſſimè indutos,nullam amplius domum patere,nullũ tantis opibus eſſe qui ſe ſuamq; familiã ſaltẽ in menſem tueri poſſe ſibi poſſit polliceri;proque ſplendore,pro ludis,rebusq; iocundis,nihil aliud vel videri vel audiri,quàm miſerias,publicas omnium hominum lamentationes,fletus,miſerosq; in omnibus vijs cunctarum mulierum eiulatus, quæ maiora etiam forent,niſi nobis,glorioſiſſime princeps Analtenſis,in mentem rediret,ex tua voluntate, vel extremum exitium, illius afflictiſſimæ noſtræ patriæ,pendere,aut ſpes qua poſſimus ſub Cæſaris vmbra,ſub ſapientiæ clementiæque tuæ tutela , non dicimus reſpirare aut reſurgere (id enim fieri non poteſt) ſed vitam per omnia extrema trahentes, ſaltem vltimum vitare excidium ſperamus; quia nobis benignitas humanitasque tua nota eſt , quia veriſimile eſt,te velle Cæſarem,cuius clementiæ ac manſuetudinis exemplis tota eſt Europa referta, imitari : conſumptæ ſunt fortunæ noſtræ, omnes ſpes ſublatæ,nihil nobis præter huius vitæ corporumque vmbram reliquum eſt, in quæ crudeliter ſæuire, qui fructus ad Cæſarem, quæ laus ad te perueniet?te demiſſiſſimis precibus,quas omnis ſexus,omnium ætatum,omnium ordinum noſtrę ciuitatis lacrymis permixtas tibi ob oculos ponito,ſupplices oramus, velis infelicem Vicetiam reliquis omnibus, Germanici imperij manſuetudinis exemplum eſſe; clementiam magnanimitatemque maiorum veſtrorum imitare, qui cum in Italia victores eſſent , ſubactas ciuitates conſeruarunt; ita vt multi eorum propria ſibi in illis domicilia delegerint, vnde cum magna Germanicæ gentis gloria,tot illuſtres in Italia familiæ Gonzaghæ, Carrariæ,Scalæ, noſtri quondam veteres domini, originem traxerunt, ſit eodem tempore exemplo Vicetia à Venetis quos in minoribus periculis fouimus ac ſuſtentauimus , in ſuis grauioribus quibus eam defendere debebant,tupiter deſerta:à Germanis autẽ qui aliquam habebant lædendi cauſſam,glorioſè conſeruata : ſuſcipe tu inuictiſſimè Ciamonti,patrocinium noſtri,tuiq; regis exemplum commemora,cuius in Mediolanenſes ac Genuenſes,qui non aliqua de cauſſa neceſſitate impulſi,ſed ſponte rebellarant clementia, illorum delictis longè extitit maior, qui bus cum omnia condonauerit,illi tanto beneficio redempti,ſemper ſumma in eum animi deuotione ac fide extiterunt: Vicetia,ô princeps Analtenſis,conſeruata,ſi Cæſari nõ erit commoda,erit ſaltem glorioſa, velut eius benignitatis exemplũ relicta;etenim ſa nulli rei vtilis eſſe poterit,& ſeueritas in nos toti Italiæ erit moleſta:clementia, Cæſaris nomẽ apud omnes reddet gratius;atq; vt in reb.militaribus,exercitibusq; ducẽdis priſci illius in eo Cęſaris ſimilitudo perſpicitur,pariter & clemẽtia,cuius gratia ipſe magis in cœlũ, eiusque nomen inter diuos relatum eſt, memoriaque diuturnior ad poſteros eſt tranſmiſſa,quàm ab armis agnoſcetur : Vicetia vrbs antiqua,clara,& quondam tanta nobilitate florens,in manu tua eſt;ex te ſalutem aut vaſtationem, vitam aut mortem expectat: flectere tot innocentium , tot miſerarum mulierum,paruulorumq; infantium calamitate,qui illa calamitoſa,inſaniæq; & errorũ plena nocte,nulli rei interfuerunt:quiq; nunc in planctu &miſeris eiulatibus, tuam expectant ſententiam, emitte illam tam ab omnibus expetitam miſericordiam clementiæq; vocem;qua rediuiua infeliciſſima noſtra patria,te ſemper patrem & conſeruatorem ſuum apellabit.

Nec tanta miſeratione digna oratio , nec pietas erga infelicem vrbem, Analtenſis animum mitiorem reddere potuerunt, quin barbara inſolentia, & feritate tumens,cum ſibi nõ poſſet temperare, vt ſaltem verba factis minus haberent ferocitatis,inhumaniſſimum daret reſponſum;quod eius iuſſu in hanc ſententiam,à quodam qui ei erat à conſilijs iuriſperito fuit prolatum:

Ne credatis Vicetini perduelles, veſtris blandis verbis memoriam delictorum in

maximam Cæſâriani nominis contumeliam commiſſorum deleri poſſe, cuius magnitudinis benignitatisque, qua vos ſuſceperat, nulla habita ratione, totius Vicetinæ vrbis communi conſilio Venetum exercitum intra mœnia euocaſtis; qui ſumma difficultate expugnato ſuburbio, de ciuitatis victoria diffidens, iam diſceſſum meditabatur: vos contra eius principis qui Cæſariani imperij vices gereret voluntatem reuocaſtis; eundem principem vt ſe in arcẽ reciperet coëgiſtis, & rabie venenoq; pleni, Cæſaris tormenta cum reliquis ad ea ſpectantibus diripuiſtis: eius tentoria tot bellis expanſa, tot victorijs glorioſa laceraſtis: Non hoc fecerunt Veneti milites, ſed populus Vicetinus, immenſa Germanici ſanguinis ſiti declarata: per veſtram perfidiam non ſtetit, quin ſi Venetus exercitus cognita occaſione, victoriam ſecutus eſſet, Verona potiretur: nec verò fuerunt hæc Fracaſſæ conſilia hortationéſue, qui veſtris fictis calumnijs circumuentus, apertè ſuam innocentiam declarauit: fuit veſtra maleuolentia, fuit odiũ, quo ſine cauſſa in nomen Germanicum flagratis: ſunt ſcelera veſtra eiuſmodi, vt nullam admittant excuſationem, nullam veniam mereantur: eſſet non ſolùm maximi detrimenti, verùm etiam vituperanda ea clementia, qua quis in vos vteretur: facilè enim perſpicitur vos quauis occaſione deterius eſſe facturos: nec ſunt veſtra, errata, ſed ſcelera, nec detrimenta à vobis accepta delictorum pœnę fuerunt, ſed veſtræ in ſuſcepta rebellione pertinacis contumaciæ præmia: & nunc cum à Venetis deſerti, nullam habeatis tuendi facultatem, Cæſaris quem prodidiſtis miſericordiam clementiamq; imploratis: conſtituerat princeps, ex Cæſaris ſententia mandatoque vos non audire; non potuit tamen Ciamontij voluntati id denegare; ſed non ideò ea ſententia, quę à veſtrę defectionis die in Cæſaris mente fixa fuit mutabitur: Nulla alia ratione recipit vos princeps, niſi vt facultates, vita, honor, eius arbitrio permittantur: nec id quo maiorem ad clementiam ſuam declarandam facultatem habeat fieri exiſtimetis, ſed quo liberius poſſit vos toti terrarum orbi, pœnę, quę in eos conuenit, qui tanto ſcelere datam principi ſuo fidẽ violarunt, exemplum ſtatuere. Vicetini tam atroci reſponſo attoniti, vbi aliquantiſper immoti velut omnibus ſenſibus carentes ſtetiſſent, denuò lacrymis ac lamentabili voce victoris ſe miſericordiæ commendare cæperunt: ſed inhumanioribus atque aſperioribus verbis, ab eodem Doctore, cum obiurgatione reiecti, quid reſpondendum, quidúe cogitandum eſſet, penitus ignorabant; niſi eos Ciamontius, neceſſitati parerent, darentque operam vt principis indignationem, libera in eius arbitrium deditione placarent, hortatus eſſet: Cæſaris ſummam eſſe manſuetudinem, nec credere fas eſſe, principem illuſtri genere natum, bellique ducem eximium, ſua aliquid nobilitate, virtuteq; minimè dignum commiſſurum: nec debere illos reſponſi acerbitate terreri; imò vt animi generoſi verbis incaleſcant, propterea quòd ſæpe cum hac ratione indignationis pars efferbuerit, de factorum atrocitate remittunt, optandum eſſe: ſe ad principis iram mitigandam, ſi prius ipſi ſe liberè eius cõmitterent poteſtati, medium obtulit: cuius Vicetini cum neceſſitate cõiunctũ ſequuti conſilium, humi proiecti, ſe, vrbemq; in victoris poteſtatẽ dediderunt: quorũ Ciamontius repetitis verbis, principẽ vt in puniendis, Cæſaris potius famę, magnitudinisq;, quàm delicti rationẽ haberet hortatus eſt: nec tale ceteris qui eiuſmodi delicta cõmiſiſſent, vel deinceps poſſent cõmittere exemplũ proponeret, vt deſperata miſericordia, ad extremũ vſq; pertinaciter perſeuerarẽt: clementiã principibus ſemper, beneuolentiã auctoritatẽq; cõciliaſſe; contraria ſemper ex nõ neceſſaria crudelitate manare; nec vt multi imprudenter arbitrarẽtur, impedimenta difficultatesq; immanitate remoueri, ſed augeri; cuius auctoritate, additis præterea ad miſeras Vicetinorum lamentationes, multorum precibus, Analtenſis tandem vt ſalutẽ, fortunis omnibus in eius arbitrium voluntatemq; permiſſis, eis promitteret, adductus eſt; ſed præda opinione longè minor fuit: ciuitas enim iam hominib. rebusq; erat vacua; quæ dum militum feritas quæreret, intellexiſſetq; multos ex vrbe agrisq; cum ſuis rebus, ad quendam montẽ non procul in duos ſpecus, qui Maſani Grotta nuncupantur, cõfugiſſe; vbi loci natura aditusq; difficultate ſe tutos exiſtimabant; Germani eo ad diripiendum profecti, maioriq; ſpecu incaſſum nec ſine ſuo detrimento diu oppugnato, ad minorẽ conuerſi, cum expugnare alia ratione non poſſent, maximis accenſis ignibus, fumi vi, quo fama eſt, plus mille perijſſe, eo potiti ſunt. Vicetia capta reliquarum rerum difficultas, quàm

quàm ab initio propoſita eſſet, maior apparebat; propterea quòd Maximilianus, nõ ſolum in Venetos, vt promiſerat, non ducebat, verùm etiam copiæ quas in Italia habebat, pecuniæ inopia continenter minuebantur; adeò vt Ciamontius cum de Vicetiæ tantùm cuſtodia cogeretur eſſe ſolicitus, tamen ad Lineacum, quo oppido non occupato, omnia ad eam vſq; diem geſta, nullius eſſent futura momenti, caſtra ponere conſtituit. Diuiditur Lineaci oppidum Atheſi flumine, minore oppidi parte, quæ ab eis Portus apellatur, Montanianam verſus relicta, vbi Veneti, non tam loci munitione, propugnatorumue virtute, quàm aquarum impedimento confiſi, flumen vno in loco ſecauerant: ab altera fluminis ripa maior poſita eſt oppidi pars, à qua duob. locis ita flumen foſſis deduxerant, vt ijs egreſſus, inq; inferiora loca aliquot riuis delapſus, circũiectã regionẽ adeò inundaſſet, vt cum multos menſes redundantium aquarum copia tota paluſtris eſſet effecta, hanc difficultatem, Venetarum copiarum temeritas atq; ignauia, faciliorem reddidit; Ciamontius enim ad Mineruium, quod tribus Lineaco milliaribus diſtat, caſtris poſitis, præmiſiſque aliquot equitibus ac peditibus, qui in vltimi riui, quod quingentis paſſuum millibus ab oppido abeſt, tranſitu, pedites ex Portus cuſtodia egreſſos offenderunt: Vaſcones autem Hiſpaniq; pedites, ſumma ferocitate, pectore tenus aquam ingreſſi eos repulerunt, tantoq; impetu ſunt inſequuti, vt illis permixti portum ingrederẽtur, exigua illorum peditum parte ſuperſtite: pars enim in pugna ceciderunt; maior verò pars, dum ſummo ſtudio Lineacum fuga contenderet, in Atheſis tranſitu ſubmerſa eſt. Quo euentu Ciamontius, ad Mineruium caſtrametandi mutato conſilio, ſub eiuſdem diei veſperam in ipſo Portu caſtra poſuit; maioribusq; tormentis ſub aqua ipſa quòd ea fundi ſolum ſuſtineret vectis, eadem nocte fluminis foſſam obſtrui curauit; cumque Lineacum, ab ea parte qua Portum ſpectat tam lati fluminis interuentu, quamuis inter Lineacum Portumq;, propterea quòd inter aggeres fluat, non ſit vſq; adeò latum, vt infra tormentis vix peti poſſit, expugnari non poſſe animaduerteret, Pontem ad tormenta & maiorem exercitus partem in alteram ripam traijciendam, iaci iuſſit: ſed vbi quas vexerat naues, fluminis laditudini minimè pares comperiſſet, exercitu ad flumen in parte Lineaco oppoſita collocato, Molardum cum quatuor Aquitanorum peditum millibus, & ſex tormentis flumen nauibus traijcere iuſſit; quo facto, ab vtraque fluminis parte, vallum in aggere ad ſuperius oppidi caput poſitum, tormentis peti cæptum eſt, eiusq;, & ſi milites qui pro vallo ſtabant, dirutа reficere ſolicitè procurarent, parte vna diruta, ſequenti nocte Venetus legatus, quum magis hoſtium pertimeſceret vim quàm ſuorum fideret defenſioni, cum aliquot Venetis patricijs ſe ex tempore in arcem recepit: quo quamprimum dies illuxit audito, peditum dux, qui in vallo erat ſe Molardo ſaluis fortunis virisq; dedidit; qui nihilominus egreſſus, fuit cum ſuis peditibus ab exercitu ſpoliatus. Capto vallo oppidum prædæ Molardo fuit; milites autem qui in alterius valli quod in altero oppidi extremo erat præſidio fuerant collocati, per paludes, armis abiectis fuga ſaluti ſuæ conſuluerunt: hocque pacto, eorum qui intus erant ignauia Lineaci expugnatio opinione facilior celeriorq; fuit. Nec verò arx ſe oppido acrius tutata eſt: etenim ſequenti die tormentorum ictibus defenſione impedita, turrisq; angulo ſcalpris ex inferiori parte, vt ignis poſtea inijceretur, ſcindi cæpto, ea conditione deditionem fecerunt, vt patritijs Venetis in Ciamontij poteſtate retentis, milite inermes abirent. Ciamontij in hac victoria lætitiam fortuna felle permiſcuit: hic enim de Cardinalis Rotomagenſis patrui ſui morte, cuius ſumma apud Galliæ regem auctoritate, ad maximas opes honoresque ſublatus, indies maiora ſperabat, nuntios accepit. Quoniam verò Germani, vt Lineaci præſidium imponerent, impares erant, Ciamontius centum equites & mille pedites, ad cuſtodiam loci reliquit: deinde Rhetis Valleſijsq; dimiſſis, regis iuſſu ad tantos ſumptus quibus, quòd Cæſarianorum apparatus promiſſis non reſponderet, nihil adeo magni efficiebatur, vltra ferendos minus propenſi, in Mediolanenſium terras cum reliquo exercitu reditum adornabat. Sed rex poſtea, quoniam Cæſar Oenipontem non modò difficultatum ex more plenus, verùm etiam conſiliorum, & ſpe abundans profectus, ſe quamprimùm in Italiam tranſiturum pollicebatur, ac ne diſcederet inſtabat, per totum Iunium menſem moraretur mandauit: quo tempore cum Germani Maroſticum, Citadellam, Baſſianum, aliaq; circumpoſita oppida quo Cæſari

faciliorem ab ea parte aditum patefacerent, recuperare cuperent; Ciamontius vt Venetas copias Vicetiæ, quæ paruo cum præsidio relicta fuerat aditu, atque etiam ne Germanis obuiam ire possent prohiberet, ad Lungariam propter Bachilionem amnem castra posuit; vbi cum audiuisset Venetorum exercitum Patauium se recepisse, denuò Germanis coniunctus, ad Turriculas, in regia via quæ Vicetia rectà Patauium ducit, venit; vnde ad dextram relicto Patauio, cum non parua annonæ, quæ à leuis armaturæ equitibus, tum Patauij tum Monsilicij commorantibus impediebatur, penuria, Citadellam peruenerunt: Citadella sine repugnantia deditionem fecit; idem quoque Morosticum, Bassianum aliaque vicina oppida, à Venetis militibus deserta, postea fecerunt; ideò vtriusque ducis copiæ rebus omnibus ab ea parte confectis, ad Turriculas reuersæ, Patauio ad dexteram relicto, & ad sinistram montem versus deflectentes ad Brentam amnem prope montem decem ab vrbe Vicetia passuum millibus constiterunt: in eum locum vt Germanis gratificarentur, profecti, qui Scalam, ex Germania venturis militibus transitum oportunum, quique solus inter Taurisium & Vicetiam in Venetorum potestate esset, occupare cupiebant: ex quibus castris Princeps Analtinus cum Germanis & centum cataphractis Gallis profectus, ad Scalam quæ passuum vigintiquinque millibus distabat, iter cepit: sed cum montanis itineribus à rusticis obsessis, qui incredibili in Venetos propensione, etiam capti, mortem potius, quàm Venetorũ nomen denegare cõtumelijsúe afficere malebant, Castello nouo vno pariter ex montis itineribus pactione occupato, ad castra Brentana reuersus est, multis peditibus alio itinere ad Scalam missis; qui ex eius præcepto Bassiani itinere, vt Couolum locum in illis montibus munitum euitarent relicto, inferius Feltrensi via circumuecti, Feltrioque, quòd paucos in eo reperissent direpto atq; incenso, ad Scalam peruenerunt, quam cum Couolo ab omnibus derelictam inuenerunt. Hoc autem tempore haud minora Foroiulienſibus detrimenta afferebantur: dum enim modò à Venetis, modò à Germanis inuaderentur, & à nobilibus regionis incolis, aut defenderentur aut diriperentur; dumq; iam hi progrederentur, iã illi cederent, vt occasio ferebat, nihil omni ex parte præter cædes, direptiones, incendia, audiebatur; sæpeq; idẽ locus ab vna parte prius direptus, ab altera post & diriperetur & incenderetur: & bene paucis munitis locis exceptis, reliqua omnia huic miseræ vastationi erant obnoxia: in quibus cum nihil fieret memorabile, ea diligentius recensere superuacaneum esset; & lectori tam varias viciſſitudines, quæ ad totius belli summam & finem nullum adferebant momentum, intelligere molestum. Cum verò tempus Gallici exercitus profectioni constitutum aduentaret, denuò inter Cæsarem & Galliæ regem, vt exercitus per totum insequentem mensem moraretur conuenit; ita tamen, vt sumptus extraordinarij, id est qui præter eorum militum quæ ad eum vsq; diem à rege numerata fuerant stipendia, in posterum à Cæsare persoluerentur: idem quoque de peditum stipendijs per eundem mensem intelligendum: sed quoniam Cæsar pecunia carebat, subducta ratione eorũ sumptuum ad summam vsque quinquaginta millium aureorum numũm rex ei mutuò daret: quòd si Cæsar intra annum vertentem, hæc & alia quinquaginta millia antè mutuò accepta non restitueret, rex Veronam cum tota eius ditione, tandiu, donec eam pecuniã recepisset, in sua potestate retineret. Ciamontius regis ea de re accepto mandato, ad Monsilicis expugnationem animum conuertit; eamque ob caussam quam primùm quadringenti Hispani cataphracti, quibus Termini dux præerat, qui ad Maximiliani auxiliũ à rege Catholico missi, consuetis artibus, tardissimo gressu venerant, Germanis coniuncti fuerunt, exercitus, flumine Brenta, deinde ad Purlæ villam Bachilione quinque ab vrbe Patauio milliaribus transmisso, Monsilicium peruenerunt: multa hoc tempore in commeatu & impedimentis, equitum qui patauij Monsilicij; que erant excursionibus passi, à quibus etiam Sonzinus Benzonius Cremensis, regius dux, qui cum paucis equitibus ad commeatus præsidia recognoscenda ibat, captus fuit: quem quod Cremensis defectionis autor fuerat, Andreas Grittus, quòd Venetorum esset imperio subiectus, magis quàm quòd hostibus militaret habita ratione, statim in crucẽ tolli iussit. Monsilicius in planicie positus est, in cuius medio quasi saxeus mons surgit, vnde Monsilicius appellatus; qui valde in altum erigitur, in cuius fastigio arx est, & per montis dor-

tis dorsum,quod subinde angustius fit,tres sunt murorũ ambitus,quorum infimus tantũ spacij cõplectitur,vt duo peditum millia,ad eum à iustę magnitudinis exercitu tutandũ sint necessaria.Hostes illicò oppidũ deseruerunt; in quo Galli, castris positis,tormenta aduersus primum muri ambitũ collocarunt,quo diu atq; vnà multis partibus concusso, Hispani Aquitaniq; pedites,non seruato ordine, muro apropinquare cæperunt, multis locis ingressum quęrentes:erãt in arcis custodia septingenti pedites,qui totis copijs eos adueniſſe rati,cum ad locum si àmultis partibus inuaderentur tutandum impares esse, leui facta defensione,inter ipsos,vt creditur, prius inito cõsilio, retrocedere cæperunt, sed tanta ordinum perturbatione, vt hostes qui iam ingrediebantur, eos leui pugna per iugũ montis insequuti,ijs mixti per reliquos murorum ambitus, in ipsam arcẽ penetrarint;vbi maxima præsidiariorũ parte cæsa, reliqui qui in turri remanserant, se ita dedere vellent vt incolumes abire liceret,à Germanis nõ recipiebantur; qui tandẽ turri ignẽ subiecere, adeò vt ex septingentis peditibus quinq; præfectis,& Martino à Burgo Sansepulchri in Hetruria præcipuo,pauciſſimi euaserint, omnibus minore propter ignauiã visi misericordia digni:nec verò Germanica feritas in ædificia murosq; minor apparuit; etenim non solùm quòd milites ad præsidium imponendum nõ haberent, arcem euerterunt,sed etiam oppidum incenderunt: post quem diem nihil præclari ab his exercitibus actum est,prętęr quadringentorum Gallorum cataphractorum ad Patauinas vsque portas incursionem. Hoc tempore Ferrarienſium dux ab exercitu discessit; cum quo à Ciamontio missus fuit Castellio cum cataphractis ducẽtis & quinquaginta ad Ferrariç, quæ in non paruo ob pontificis copiarum propinquitatem metu versabatur, pręsidium: Germani tamẽ Ciamontium vt ad Taurisium prout antea conuenerant castra poneret, vrgebant; & ea quæ tantis sumptibus gesta essent,propterea quòd Patauium expugnari posse nulla spes habebatur,nisi ea ciuitate potirentur,parui esse momenti ostendebant. Ad quæ Ciamontius,Cæsarẽ non eo apparatu quo pollicitus fuerat in Venetos venisse; eos qui cum eo essent ad paruum numerum redactos; Taurisij magnum esse præsidiũ; ciuitatem magno apparatu munitam;cõmeatum in ea regione non amplius reperiri,ex longinquis autem regionibus conuehi, propter continuas leuis armaturæ Epyrotarum ąue, qui Venetis militarent equitum molestias, haud facilè posse; quòd illi rusticorum diligentia vel minimos ipsorum motus exploratos haberent;totq; essent,vt passim ipsis nocere possent, conspicerentur: hæ altercationes, nouo ex Gallia Ciamontio accepto mandato, vt quadringentis cataphractis, Hispaniśque peditibus mille & quingentis, præter eos qui in Lineaci præsidio essent, regio stipendio cum Germanis relictis, statim cum exercitu in Mediolanensium fines, quòd iam Pontificis opera molestiæ periculaąue multa apparare inciperent, rediret, sublatæ sunt.Ideo Ciamontius, Persuo harum copiarum duce relicto,regis paruit imperio:Germani verò rei bene gerendæ spe amissa Leonici constiterunt.Pontifex in animum induxerat suum,in eoq; pertinaciter omnia sua consilia fixerat, vt non solùm multa ad pontificatum spectantia, vt ille putabat,recuperaret, verùm etiam Galliæ regem omnibus locis quæ in Italia possidebat pelleret; siue occulta & antiqua simultate cum eo habita,siue multorum annorũ suspicione in accerrimum odium conuersa, siue ,vt pòst dicebat,eius gloriæ cupiditate, qua Italiam à barbaris liberasse prædicaretur,impulsus.In hunc finem Venetos censuris liberauerat : cum Heluetijs se stricto fœderis vinculo coniunxerat,quæ se magis sui tuendi quàm alterius lædendi gratia gerere simulabat:his de caussis cum Ferrarienſiũ ducem à Galliæ regis clientela remouere non potuisset, eum ducatum omnino occupare decreuerat; & vectigalium salisq; controuersia se tantùm moueri aiebat:& tamen vt sua consilia,donec omnia melius apparasset,occultarentur,semper de cõcordia cum Gallorum rege concilianda cum Alberto Pio agebat; at Galliæ rex cum nullam, præter Ferrarienſium ducis susceptum patrocinium,discordiarum caussam esse arbitraretur,pontificisq; inimicitiæ vitandæ suprà modũ esset cupidus, nouas cum eo pactiones facere minimè repugnabat; Cameracensis fœderis legibus,quibus ne cui fœderatorũ se rebus ad pontificatus iura spectantibus immiscere liceret,exprimebatur retentis,illud interponeretur,pontifici quantum ad vectigalia salemq; pertineret in ducem agere liceret; quo solummodo pontificis putabat rex consilia spectare,ducis susceptum patrocinium

sic interpretatus, vt hoc pacto quasi iure fieri posse videretur. Sed quò magis rex ad Pontificis postulata accedebat, eò ille magis recedebat; nec vlla ex parte Rotomagensis morte flectebatur: ijs enim qui suspicionem sublatam ostendentes, eum ad pacem hortabantur; eundem regem viuere, idcirco eundem metum vigere respondebat: huius rei argumento esse pactionem à Cardinali Papiensi factam, quam omnes scirent à rege, proprio consilio, contra Rotomagensis voluntatem atq; sententiam esse violatam; imò eius progressus acutius perpendentibus, eò maiore animo concitari, eiusque spes augeri videbantur; nec sine caussa, cum enim rex talis esset, vt potius rectore indigeret, quàm ipse alijs regendis esset aptus, dubium non erat, quin Cardinalis morte eius vires essent imminutæ; in eo enim præter longum rerum vsum, magnum robur cum virtute, tantamq; apud regem auctoritatẽ fuisse, vt ferè nunquam ab eius sententia discederet: quamobrem ille sua potẽtia fretus, sæpe de rebus deliberare, & per se negotia expedire audebat: quæ cum in nullo eorum qui illi in regni administratione successerant essent, non modò quidquam statuere non audebant, sed nec regem de rebus quæ illi molestæ essent futuræ appellare, nec ipse eorum consilijs eandem adhibebat fidem: cumq; plures essent quorum alter alterum respiceret, auctoritatiq; adhuc recenti non satis iderent, lentius ac frigidius quàm rerum tunc præsentium magnitudo, & pontificis vehementia impetusq; postularent, omnia tractabant; qui nullis à rege propositis conditionibus contentus, tandem vt absq; vlla conditione vel exceptione, simpliciter & absolutè Ferrariensium ducis desereret patrocinium apertè postulabat: cum verò rex nimiam in se inde infamiam redundaturam ei persuadere conaretur, respondit se, si rex hoc recusaret cum eo nolle conuenire, nec tamen ei aduersarium esse, sed ab omni obligatione liberum, vt pontificiam ditionem tranquillè tueretur operam daturum; de Ferrariensium duce grauius quàm vnquam antea questus, quòd à suis amicis, vt à sale conficiendo abstineret admonitus, se id consilium, quod imperij iuri ad quod Comachium directò pertineret, derogaret, sequi non posse respondérat: fuit præterea dubitatum idque multorum opinione, quæ postea temporis progressu creuit, Albertum Pium regium legatum, legationis munere non bona fide functum, vt pontificem in Ferrariensium ducem concitaret operam dedisse; ad idq; ardentissimo desiderio in quo ad mortem vsq; permansit impulsum, vt Alfonsus ducatu Ferrariensi spoliaretur: cum enim Hercules Alfonsi pater, antè paucos annos à Gilberto Pio, dimidiam Carpensem ditionem accepisset, eiq; Sassoli castellum, cum nonnullis alijs oppidis permutatione dedisset, Albertus ne tandem, vt sæpe necesse est, minus potentem potentioris vicini cupiditati cedere, ei alteram partem quæ ad se spectaret, concedere cogeretur, metuebat: quæcunq; autem in hac re vera caussa fuerit, Pontifex parũ placabilibus in Alfonsum animi signis ostensis, cum iam arma mouere in animo haberet, cẽsuris eum persequi parabat; quarũ caussas vt iustas esse comprobaret, operam dabat, præcipuè cum, vt aiebat, inter pontificiæ curiæ scripta, pontificum priuilegij monumenta reperisset, quibus Atestinæ familiæ Comachium attribuebatur. Hę erant pontificis publicæ artes, verùm clam multò maiores motus incipere meditabatur: se enim, quòd cum Heluetijs amicitiam inijsset, quòd Venetos à se stantes, ac suis nutibus obsequentes haberet, quòd Aragoniæ regem aut eodem spectare, aut saltem non syncerè Gallorum regi cõiunctum videret, Cæsaris vires auctoritatemque adeò tenuem, vt timendi caussam nullam haberet, nec penitùs de Angliæ rege concitando desperaret, optima rebus suis se fundamenta iecisse arbitrabatur, sed in primis, quod eum mitiorem reddere debuisset, id ei spiritus augebat; nempe quòd Galliæ regem à bello cum pontifice gerendo alienum, pacem summopere expetere videret, adeò vt semper etiam postquam ei bellum intulisset, pacis leges in sua potestate futuras arbitraretur. Quibus reb. indies insolentior factus, & querelis ac minis in Galliæ regẽ ac Ferrariensiũ ducem palam multiplicatis, die festo diui Petri, quo die veteri consuetudine census sacrosanctæ sedi penduntur, ducis Ferrariensium censum accipere recusauit; Alexandri VI. concessionem, qua in filiæ matrimonio ex quatuor ducatorum millibus, ad centum modò annuum censum reuocarat, quòd in eius esset sedis detrimentum, nullam vim habere affirmans; eodemque die, cum antea Cardinali Auscensi, ceterisq; Gallis Cardinalibus, in Galliam redeundi potestatem negasset, audissetque

Auscen-

Auſcenſem,cum canibus & retibus venatum prodijſſe, vano ne clam diſcederet metu veritus ,precipiti furore miſſis qui eum caperent, in Mole Adriani captiuum tenuit: itaque iam ſe apertè Gallorum regis hoſtem profeſſus, eamque ob cauſam ad maiora firmamenta comparanda coactus, regi Catholico neapolitani regni poſſeſſionem eodem cenſu,quo Aragonij reges obtinuerant,cum antea,niſi quadringentas octuaginta auri libras,quo cenſu Galli reges poſſidebant,penderet,ſe cõceſſurum negaſſet,permiſit; qua in conceſſione Pontifex non tam obligationem, qua ex antiquorum diplomatum more, rex quotannis ad Pontificij imperij quoties poſtularetur tutelam, trecentos cataphractos alere cogebatur,quàm beneuolentiæ eius aucupium,& ſpem,hęc auxilia aliqua occaſione, apertam cum Galliæ rege inimicitiam ei parere poſſe,cuius iam ſparſa erant ſemina,ſequutus:etenim rex Catholicus Galliæ regis magnitudinem ſuſpectam habens,eiusque ambitionem,quòd Cameracenſis fœderis terminis minimè contentus, Veronam imperio ſuo adiungere ſtuderet, ſolicitè timens,atque etiam antiqua ductus æmulatione,aliquid impedimenti eius rebus opponi, non mediocriter exoptabat;ideoque concordiam inter Cęſarem & Venetos valde à Pontifice expetitam,ſuadere non deſinebat. Quæ etſi occultiſſimè tractaret, fieri tamen non poterat,vt eius conſilia penitùs laterent.Eius igitur claſſis quæ ad Gerbim inſulam,quam Latini Syrtim maiorem apellant,inuadendam erat comparata,ad Siciliam appulſa,Regi ſuſpicionem afferebat, & in animis hominum quibus eius calliditas nota eſſet,varias gignebat dubitationes: Gallorum autem Regis, moleſtiæ inde originem habuerunt, vnde minus verebatur;eoque tempore quo nullus armorum motus in eum parari poſſe videbatur: Pontifex enim clandeſtinis artibus agens vt Genua eodem tempore terra mariq; inuaderetur; vt in Mediolanenſium fines duodecim Heluetiorum millia deſcenderẽt; vt Veneti omnibus viribus ſuis collectis , ad oppida quæ Cæſaris nomine tenebantur recuperanda ducerent;ipſius verò exercitus in Ferrarienſem agrum irrueret, procurabat ; eo conſilio,vt ſi Heluetij feliciter rem gererent,ſuas mox copias in Mediolanenſis imperij fines mitteret;ſperans Genuã infeſtis armis repentè tentatã,quòd multorũ animi à Gallico imperio abhorrerẽt, & Fregoſia factio motum eſſet factura,facilè mutationem aliquam,eo protexu,quòd Octauianum cuius pater patruusq; in eadem fuiſſent dignitate ducem vellent conſtituere,facturam:Gallos item Genuenſi motu, & Heluetica irruptione perterritos omnes copias quas in Cæſaris,ac Ferrarienſium ducis haberent auxilijs Mediolanum reuocaturos: quo facto Veneti facilè Veronam eſſent recepturi, qua recepta,in Mediolanenſes progrederentur:idem eius copiæ facilè,vt ſperabat,Ferraria Gallorum ope deſerta occupata,facerent; adeò vt Mediolanum à tot hoſtibus tamque repentino bello circunuentum,defendi minimè poſſet. Bellum in Ferrarienſem & Genuenſes eodem tempore cæptum eſt; nam etſi Ferrarienſis,in quem vt tanquam in iam palam damnatũ, animaduerſionẽ magis acceleraret, procedebat, omnẽ ſalẽ Comaclij confectũ ſe ei traditurum,ac ne in poſterum ibi fieret curaturum polliceretur,eius oratoribus ex curia dimiſſis,copias ſuas in eum duxit: quæ vnica tubicinis denunciatione Centũ & Plebẽ nihil repugnante Alfonſo obtinuerunt:quæ caſtella,antea Bononienſis Epiſcopi ab Alexandro ſexto,cum filiam Ferrarienſi traderet,alijs vectigalibus Epiſcopatui tributis,Ferrarienſium imperio adiuncta fuerant. In Genuenſes profectæ ſunt vndecim Venetorum triremes, quibus Grillus Contarenus præerat, Pontificisque vna, quibus Octauianus Fregoſius,Hieronymus Auria,multique præterea exules vehebantur;eodemque tempore terreſtri itinere,Marcus Antonius Columna,cum centum grauis armaturæ equitibus, & ſeptingentis peditibus, qui à Florentinorum ſtipendijs ad Pontificia tranſitione facta, delectus habendi ſpecie,ſe deinde Bononiam profecturũ rumore diuulgato,in Lucenſi agro hęſerat:quæ res etſi Ciamontio aliquam rerum Genuenſium ſuſpicionem attuliſſet, nihilominus cum claſſis aduentum propterea quòd aſtu operaque pontificis fama erat, Heluetiorum bellicos motus, Marciq; Antonij moram eò fieri,vt repentè Ferrariam inuaderent penitùs ignoraret, nullum alium Genuæ apparatum niſi quòd paucos pedites eò miſerat, fecit: Marcus Antonius ad vnum miliare ad Genuæ muros in Biſamnis valle etſi nec Serezanæ, nec Spedię,vt Pontifici perſuaſum erat,receptus fuiſſet, acceſſit:claſſis quoq; Segeſtro Clauaroq; occupatis ex

Rapalli sinu ad Entelli fluminis hostium, quod prope Genuensem portum in mare decurrit, sub idem tempus venerat; quam vrbem ad primum hostium aduentus rumorem, pro Galliæ rege Ioannis Alouisij Fliſci filius, cum octingentis viris agrestibus, nec minori numero cardinalis Finalensis nepos, ingressi erant: quibus præsidijs firmata ciuitas, nullum intus motum fecit: qua re exulum ac pontificis sublata spe, continenterque ex Longobardia, & occiduo litore superuenientibus copijs, & Preianno cum sex longis nauibus portum ingresso, longior sine fructu, nec tamen sine periculo visa est mora: itaque classis, & Columnius terrestri itinere, in reditu Portus delfinij expugnatione, in qua Franciscus Bolanus Venetæ triremis præfectus occubuit, tentata, Rapallum se receperunt: classe deinde ad Ciuitatem ueterem proficiscente, cum se Marcus antonius terrestri itinere in columen, tota regione, in milites (vt mos est agrestium) cum offensione retrocedentes, exardescente, eò peruenire posse diffideret, cum sexaginta delectis equitibus, triremibus cõscensis reliquos terra Spediam remisit; qui maiori ex parte in Genuensi, deinde Lucensi agro, ac Florentinorũ finibus spoliati fuerunt. Res hęc parua cum Grilli & Octauiani laude transacta est; timore enim à Preianni classe inuadenda, quam cum numero superarent, opinio fuit antequam portum caperet, potuisse illos suo commodo adoriri, abstinuerunt. Post eorum discessum Preiannes cum septem nauibus longis & quatuor onerarijs, Genuensi portu egressus, Venetam classem, quæ illi triremium numero superior, nauium alijs inferior erat, insequutus est: vtraq; classis Iluam attigit insulam; Veneta quidem ad Lungonem portum, Gallica verò ad Ferratum; deinde Gallica hostilem vsq; ad Argentarium montem à latere insequuta, Genuam redijt. Interea pontificię copiæ Vrbinatium duce aduersus Ferrarienſem Imperatore, in Aemiliam peruenerant, vbi Lugo, Bagnacauallo, omnibusq; ijs quæ dux cis Padum possidebat occupatis, ad Lugi arcem castra habebant: quam dum parum diligenter neq; ex disciplina obsident, acceptis nuntijs, Ferrarienſem cum Gallicis copijs & centum quinquaginta cataphractis ac multis leuis armaturæ equitibus, ad arcem obsidione liberandam aduentare, Vrbinâs repentè discessit, & tribus tormentis in hostium potestate relictis, Imolam se contulit: hacq; occasione Alfonsus, omnia quæ ei in Aemilia adempta fuerant recuperauit. Verùm pontificius exercitus denuò collectus & auctus, facilè eadem oppida iterum recepit, pauloq; pòst etiam Lugi arcem multis diebus concussam vi cepit: qua expugnata maiora gerendi occasio eis oblata est: cum enim Mutinæ nullum esset præsidium, quòd dux, alijs rebus vbi maius periculum imminere videbatur, tuendis occupatus, nec per se potuerat prouidere; nec à Ciamontio, vt ducentos eò equites mitteret obtinere, cardinalis Papiensis, Castellofranco cum exercitu itinere facto, statim eam ciuitatem deditione obtinuit; vt eò veniret à Gheardo, & Francisco Maria Rangonijs Mutinensibus tantæ autoritatis nobilibus, vt possent, præsertim Gherardus suo arbitrio eam gubernare, magis ambitione vt ferebatur, & rerum nouarum cupiditate, quàm alia de caussa impulsis, inuitatus. Mutina amissa, cum dux idem regio Lepido pertimesceret, statim præsidium imposuit; & Ciamontius damno accepto id faciens, quòd ab initio vtilius feciſſet, ducentos Gallicos equites, & si iam ob Heluetiorum motum esset occupatus, eò misit. Fœdus Heluetiorum cum Galliæ rege mensibus aliquot antè finem habuerat: rege in sua sententia de non augendis pensionibus persistente, quanquam id contra omnium suorum consilia feciſſet, qui eum monebant, vt quanti esset momenti, ea arma in se concitare, quibus antea cunctis terrorem incussisset, cogitaret: eamq; ob caussam ipsi, promissis autoritateq; pontificis permoti, & à Sedunensi concitati, præsertim verò quòd ipsorum postulata ab rege essent contempta, indignatione accensi, maximo, in Lucernatibus comitijs, multitudinis consensu, ei bellum inferre decreuerant; quorum Ciamontius præuisis motibus, aditus Comenses præsidijs munierat, è lacu naues omnes remouerat, commeatus in loca munita contraxerat, molendi ferramenta asportauerat; atq; incertus vtrum Heluetij in Mediolanensem agrum descensuri essent, an verò diui Bernardi iugo superato, per Augustanam vallem in Taurinates ingressuri, vt inde Sauonam ad Genuensium res perturbandas, aut Apennino superato, in Ferrarienſium suum ducem impetum facturi; Subaudiæ duci, vt eos itinere prohiberet, persuaserat; eamque ob rem ex ipsius quingentos graues equites, Eporedam miserat, nec tamen in-

men interea vt gentis principes muneribus ac promiſſis delinitos ab incepto motu reuocaret, omni opera niti deſinebat; ſed tantum erat odium, tantaque omnium, & præcipuè multitudinis, in regium nomen concitatio, vt hæc omnia irrita redderentur: adeò vt, quamuis Pontifex propterea quòd Fuggeri, Germani mercatores, ſolutionem antea promiſſam, ne Romanorum regis animum offenderent, denegabant, ſumma pecuniæ mittendæ difficultate laboraret, perinde ac ſi propria cauſſa ageretur, ineunte menſe Septembri, ſex millia eorum à Pontifice euocati, inter quos erant quadringenti equites, quorum ducenti erant ſclopetarij, peditum duo millia, & quingenti minoribus ſclopetis, & quinquaginta maioribus vtentes, ſine campeſtribus tormentis, ſine pontium nauiumúe apparatu, ad Bellizonæ iter conuerſi, Treſiæque ponte, quem ſexcenti pedites Galli in eius præſidio poſiti deſeruerant, occupato, Vareſij, Sedunenſem epiſcopum, vt ipſi aiebant, cum nouis copijs expectantes conſtiterunt. Ea res cum Heluetiorum ſolito terrore, tum quòd eo tempore Mediolani exiguus eſſet copiarum numerus, quòd in Brixiæ, Lineaci, Vallegij, & Piſcariæ præſidia eſſent diſtributæ, & trecenti equites ad Ferrarienſem miſſi, quingenti cum Germanorum exercitu in Venetos erant, Gallorum animos vehementer angebat. Ciamontius tamen collectis viribus in Caſtellioni planitiem, duobus ab Vareſio paſſuum millibus cum quingentis cataphractis, & quatuor millibus peditum Ioanneiacobo Triultio in Briantiæ montem miſſo profectus eſt, vt non modò ſuis copijs, quæ paucæ erant, verùm etiam incolarum ope, ne Heluetij eo itinere erumperẽt, impedire conaretur, qui quamprimùm Vareſium peruenerant, ad Ciamontium tranſitum petitum miſerant; ſe enim ad eccleſiæ auxilium proficiſci; ideoque ne aut per Mediolanenſes terras Ferrariam contenderent, dubitabatur; in quo itinere præter Gallicarum copiarum impedimentum, Padi, Olijque fluuiorum difficultates nacti eſſent; aut ad ſiniſtram conuerſi per colles Como, deinde Leuco ſubiectos circumirent, vt ijs locis Abduam amnem, vbi anguſtior eſt, neque tam rapidè fluit, traijcerent, & inde per Bergomatium Brixianorumque colles, Olio flumine tranſmiſſo, per Brixienſes vel per Giaradaddam, in Mantuanum agrum latè patentem, in quo nec oppida nec vires eſſent, quibus impediri poſſent, deſcenderent: quacunque autem ratione, etiam ſi in planitiem deſcendiſſent, (tanta erat eius gentis ferocitatis militarisque diſciplinæ opinio) Ciamontio non congrediendi, ſed equitibus ac peditibus, cum multis caſtrenſibus tormentis ſimul coniunctis, eorum latera inſequi, vt eos commeatu prohiberet, fluuiorumque vada, quantum non tentata fortuna poſſet, difficiliora redderet, in animo erat: interea verò, locis circa Vareſium equitibus ac peditibus præclarè munitis, crebris ac vanis rumoribus noctu excitatis, ipſisque ad arma capienda compulſis, totas noctes eos laceſſebant. Vareſium, vbi iam annona laborabatur, denuò quatuor Heluetiorum millia conuenerunt; poſt quorum aduentum quarta pars omnium, Caſtellionem verſus caſtra mouit; & ad ſiniſtram per colles denſi atq; acie ad pugnam inſtructa lento gradu iter ceperũt, ita vt ſinguli ordines octuaginta vel centum cõtinerent: in vltimis autem ordinibus ſclopetarij, quo ordine incedentes, ſtrenuè ſe à Gallico exercitu, qui eos continenter, modò à latere, modò à fronte, modò à tergo laceſſebat, defendebant: quin ſæpe, centum, vel centum & quinquaginta Heluetij ex agmine egrediebantur, ac ne minimum quidem perturbato ordine, progrediẽtes, ſtantes atque cedentes, dimicabant. Hoc ordine primo die ad Vedani pontem, qui à Molardo cum Aquitanis peditibus cuſtodiebatur, peruenerunt: vnde cum illum ſclopetis retrocedere compuliſſent, nocte ad Appianum, octo à Vareſio milliaribus caſtra poſuerunt; & Ciamontius ad Aſſaronem magnum ad Briantiæ montes caſtellum ſex ab Appiano milliaribus conſtiterat: die ſequenti per colles Cantuum verſus iter cepere; Ciamontio ſemper eos cum ducentis equitibus inſequente, propterea quòd tormenta & pedites ad eorum cuſtodiam ob locorum aſperitatem in humilioribus locis manſerant. Sed cum ad medium itineris perueniſſent, ſiue, vt Ciamontius gloriabatur, ob moleſtias eo die à Gallis acceptas, ſiue quòd ita in animo habuiſſent, Cantui itinere relicto, magis ad ſiniſtrã flectentes, altiora loca Comum verſus conceſſerunt, in cuius ciuitatis ſuburbio, ac proximis vicis ea nocte quieuerunt: ex Comi ſuburbio, alteris caſtris ad Claſſium tria milliaria progreſſi, Gallos, vtrum per Lugani vallem Belli-

zonam reuersuri, an ad Abduam fluuium venturi essent, vbi etsi pontes non haberent, multorum erat opinio eos ratibus flumine constrato omnes vno tempore transitū tentaturos, ancipites tenuerunt; verùm postero die hac dubitatione sublata, ad Tresiæ pontem peruenerunt, & inde iam ad extremam panis pecuniarumq; inopiam redacti, suas quisq; domos redierunt: quam subitā retractionē, à pecuniarū inopia, fluminū difficultate, & multo magis commeatus necessitate, factam esse creditum fuit: ita Galli eo periculo, quod ipsi non parui faciebant, eo tempore liberati sunt, quamuis rex, rebus suis supra veritatem elatis, an sibi vtile foret, eis iter concedere, quidúe pontificem magis debilitaret, armis carere, an ea arma habere quæ ipsum læderent, cuiusmodi Heluetiorum, quos ipse tantis viribus, tot pecunijs, summa cum difficultate in officio continuisset, non satis constare affirmaret; verùm, si omnia quæ Pontifex in Gallos comparauerat, vno tempore concurrissent, in maiori essent periculo versati; sed vt Genuę inuadendæ conatus Heluetiorum motum præcessit, sic Venetus exercitus, serius quàm constitutum fuerat, etiamsi valde oportunam habuisset occasionem, est progressus: quoniam Germanorum copijs, quæ in Ciamontij discessu, cum Hispanis peditibus, & cataphractis Gallis quingentis, in Vicetino agro permanserant, valde imminutis, Venetus exercitus Patauio egressus, sine labore, Atestę, Monsilicium, Montanianam, Morosticum, Bassianumq; recepit; & vlterius profectus, Germanis semper Veronam versus retrocedentibus, Vicetiam ab illis desertam occapauit: itaq; omnibus ijs quæ tantis Gallorum sumptibus tantoq; labore per totam æstatem amiserant, excepto Lineaco, recuperatis, ad Sanmartinum quinque à Verona, in quam hostes se receperant milliaribus venerunt; quorum fuga, si (vt Veneti aiunt) in Lucio Maluetio, qui tum propter Ioannispauli Ballionis ab Veneto stipendio discessum, ipsorū copijs præerat, maior fuisset animus, non erat absque periculo: nam cum Veneti ad Turris Villam venissent, hostes, magna commeatus copia in castris relicta, Veronam, Veneto exercitu toto eos persequente, & leuis armaturæ equitibus lacessentibus contendebant; & nihilominus Gallis, præsertim verò tormentis, extremum agmen strenuè tuentibus, Arpano flumine traiecto, incolumes Villanouam, Venetis ad medium milliare considentibus peruenerunt: postera luce Venetis, quòd pedites equorum celeritatem assequi non posse dicerent, minus solicitè insequentibus, Veronam integri se intulerunt. Vbi cum aliquot dies ad Sanmartinum non absque inutilis moræ ignominia, commorati essent, Veronæ accedentes, tormentis, in Felicianæ arci, eiq; proximo muro, oppositio monte, collocatis, quatere cęperunt; eo fortè loco, ideò delecto, quòd difficulter defendi, quodq; equorum vsus nisi incommodè adhiberi posset: erant in exercitu Veneto octingenti cataphracti, leuis armaturæ equitum tria millia, bona pars Epyrotæ, peditum verò decem millia, præter magnam agrestium copiam: Veronæ autem trecenti cataphracti Hispani, centum partim Germani partim Itali, plus quadringenti Galli, quingenti pedites regio stipendio, & quatuor Germanorum millia, qui Analtini principis ante paucos dies defuncti imperio paraueraut: populus Veronensis malè erga Germanos affectus, arma in manibus habebat, in quo Veneti magnā spem collocauerant; quorum leuis armaturæ equitatus, eodē tempore prope Veronam Atheſi vado traiecto, totam regionem excursionibus peruolabant. Venetorum tormenta magno impetu mœnia concutiebant, etiamsi intus à Gallis collocata & suis munitionibus tecta, obsidentibus nulla re tectis, maximum afferrent nocumentum; quorum ictu Lactantius Bergomas, præclari inter Venetos peditum duces nominis, natibus ablatis, intra paucos dies obijt. Tandem cum obsidentium tormēta mirum in modum proficerent, magna murorum parte vsq; ad substructionis initium disiecta, omnibusque tormentorum feneſtris adeò vt propugnantium tormenta nihil amplius efficere possent, percussis, Germani arcis, quantumuis benè munitæ, amittendæ, sine metu non erant: Cuius iacturæ ne vrbis quoque iactura coniungeretur, decreuerant, si necessitate compellerentur, ad quasdam munitiones, quas non procul inde in id extruxerant, vt tormentis quæ iam ibidem collocauerant, statim interiorem arcis partem percuterent, confugere; quam se ita aperturos sperabant, vt hostes ibi hęrere minimè possent; at militum qui Veronæ erant virtus longe superior erat; in exercitu enim Veneto, nulli erant præter Italos pedites; hiq;, vt mos est, quadragesimo quoq; die men-

menſtruum ſtipendium capientes,illis potius idcirco militabãt,quòd alibi minorẽ conditionẽ inuenirent,quàm alia de cauſſa;cùm Italicus peditatus,tranſalpinorũ diſciplinę minimè aſſuetus, atq; in acie parum firmus,tunc ferè ab ijs reijceretur,qui externorũ & præſertim Heluetiorũ,Germanorum ac Hiſpanorũ peditum copiã habere poſſent:quapropter cum maiori virtute propugnaretur quàm oppugnaretur, mille & 800. pedites, cum aliquot Gallis equitibus noctu ad tormenta inuadenda facta eruptione,& cuſtodibus peditib.facilè fugatis, duo tormenta clauis obſtruxerũt,eaq; in vrbẽ abducere ſunt conati:iãq; totis caſtris rumore excitato, Citolus Peruſinus cum multis peditib.accurrit,qui fortiſſimè pugnãs, multa cũ gloria mortẽ oppetijt;verùm Dionyſij Naldi,cũ maiori exercitus parte aduentu, qui ciuitate egreſſi fuerant,relictis tormentis recedere coacti ſunt,ex eoq; primùm quòd tormentorũ præſidium fugaſſent,deinde partẽ eorũ qui primi opem ferebant cecidiſſent,demum penè omnes incolumes pedẽ retuliſſent,non paruã laudem reportarũt. Poſtremo Veneti duces hoc euentu perterriti,cum nullũ populi motũ conſpicerent,moramq; eo in loco nõ modò inutilẽ,verùm etiã periculoſam, caſtris,quòd pedites montẽ, equites verò vallẽ ſatis procul à peditib.tenerent, nõ ſatis tutis cenſerent,ad priora Martiniana caſtra redire cõſtituerũt;quod, cũ Ciamõtius poſt Heluetiorũ diſceſſum,Veronæ periculo audito, ad opẽ ferendã aduentare ferretur,acceleratũ fuit:in exercitus diſceſſu,Veronenſes prędatores valido præſidio ſepti,Polliẽtem vallẽ Feliciano monti ſubiectã ingreſſi ſunt: ſed multis Venetorũ leuis armaturæ equitib.qui vallis occuparunt aditũ auxilio venientibus, quotquot Verona egreſſi erant, pars cæſi,pars capti fuerunt.Sanmartino,ob Ciamontij aduentus famam,Venetus exercitus ad Sanbonifaciũ ſe recepit:quo tempore milites qui Taurinij in præſidio erãt, Aſſilij oppidũ Muſoni amni propinquũ, in quo erant 800.Germani pedites,pactione obtinuerũt; deinde etiã arcẽ:& in Iulij foro eadẽ varietate conſuetaq; immanitate res gerebantur;nec iam cũ hoſtib.bellũ gerebatur,ſed ab omni parte ędificijs diruendis,agris q; vaſtandis incumbebatur;quę mala Iſtriã quoq; eadẽ ratione inuaſerant.Hoc tẽpore accidit,vt Mantuanus marchio è cuſtodia modo admodũ memorabili eximeretur:quãrẽ Pontifex beneuolentia qua eũ antea proſequebatur,& vt eius opera vteretur,eiusq; regionis ad Gallicũ bellũ opportunitate impulſus procurabat; ac fama in tota fuit Italia, ipſum eius libertatis auctorẽ fuiſſe:ego tamẽ viro fide digno auctore,& per quẽ tũc res Mantuanæ adminiſtrabãtur,longè aliã fuiſſe rationẽ cõpertum habeo:nam cũ verendũ videretur,vt re ipſa erat,ne Veneti odio & ſuſpicione in eũ accenſi, in ſempiterna cuſtodia eũ eſſent retẽturi,multis remedijs fruſtra tẽtatis,vt ad Baiſetũ Turcarũ principẽ,cuius amicitiã marchio crebris nũtijs,varijsq; munerib.multos annos fouerat,cõfugeretur,in Senatu Mãtuano decretũ fuit:qui eius calamitate audita,mercatorũ Venetorũ,qui Perę negotiantur præfecto accerſito,vt marchionẽ liberatũ iri promitteret, poſtulauit;is verò,id quod minimè in ſua poteſtate eſſet,pmittere recuſans, ſeq; ea de re Venetias,vbi nõ dubitaret ex eius ſententia decretũ iri literas daturũ pollicens, Baiſetto aũt ſe omnino velle,vt ſine exceptione promitteret, imperioſè reſpondente, coactus fuit pollicerj; quòd à præfecto Venetias cũ eſſet perſcriptũ, Senatus tã potentis principis irritandi tempus nõ eſſe ratus,eũ libertate donare ſtatuit:verùm dedecoris ſui tegẽdi, fructusq; alicuius ex ea re percipiẽdi gratia,põtificis deſiderio aures prębuit;quo auctore,quãuis clam,cũ decretũ eſſet,vt ad Venetorũ,ne marchio arma aduerſus eos moueret, cautionẽ,primus filius eius apud pontificẽ cuſtodiretur,marchio Bononiã perductus,filio iſthic pontificijs procuratorib.obſide dato,liber Mantuã,pfectus eſt;& apud Cęſarẽ Galliæq; regẽ,quòd in eorũ caſtra ipſis,vt alterius beneficiarius,alterius verò miles (nam à Galliç rege ſemper ei fuerat priſtinus cũ ſtipendio locus cõſeruatus) operã daturus, nõ veniret,rerũ ſuarũ cõponendarũ neceſſitatẽ excuſauit:re aũt vera neutrius eſſe volebat. Res infauſtè tentatæ,neutiquã pontificis ſpes imminuerant,qui cũ Genuenſiũ rerũ mutationẽ indies magis animo cõciperet,denuò eã inuadere cõſtituit.Ideo cũ Veneti, qui potius coacti,quã quòd hos vehementes motus probarent,claſſem quam ad Veterẽcitatẽ habebant,4.magnis nauib.auxiſſent, nomẽ ſuũ facilius Genuenſes ad rebellandum impellere poſſe perſuaſus, ſua quadã longa naui magna,cũ nonnullis alijs addita, publicè pontificio ſolẽniq; ritu ſuo vexillo bene eſt precatus, idq; deuouit,cunctis ad-

mirantibus eum ſuis iam conſilijs patefactis, Genuã magno præſidio, portũ valida claſſe munito, id aſſequi ſperaret, quod portu claſſe nudato, & ciuitate paruo præſidio munita, nemineq; de eo ſuſpicante, obtinere nõ potuiſſet. Maritimis apparatibus, quos ijdem exules ſequebantur, & præterea Epiſcopus Genuenſis, Obietti Fliſci filius; terreſtres quoque coniungendæ erant vires. Federicus enim Archiepiſcopus Salernitanus, Octauiani Fregoſij frater, Pontificio ære in Lunigianæ oppidis equites milites q; conſcribebat; & Ioannes Saxatellus, Raineriusq; Saxetanus eius ductores ad Porretæ balnea cũ ſuis cohortibus morarentur, mandatum acceperãt, vt cum eſſet opus Genuam poſſent accedere; at in ea ciuitate, terra mariq; validi apparatus facti erant: ideoq; ad famã aduentus hoſtilis claſſis, quæ 15. triremes, tres longas naues vnã quadriremem, & tres cantabricas continebat: Gallica claſſis, duabus & 20. triremibus, nauiũ in aduerſa parte varietate freta, Genuenſi portu egreſſa, ad Portũ Veneris cõſtitit; quoniam hoſtibus ſimul coniunctis inferior, ſed hoſtiũ triremibus ſuperior, vel ſaltẽ par, ſemper recedendi velocitate ſe à nauibus ſubtrahere poterat. Hę claſſes ſupra portũ Veneris ad tormenti iactũ inuicem appropinquarunt; & cum aliquandiu inter ſe tormentorũ fulminibus egiſſent, Pontificia claſſis Segeſtrum orientis cõtendit: ex quo loco Ioannes Fregoſius, biremi ante Genuæ portum ſe oſtendit, etiã portum ingreſſus: at vrbe ita cuſtodita, vt qui cõtrariæ factionis eſſet, nullam haberet motus excitandi facultatem, & Godifenſi turri claſſem maximis tormentorũ ictibus petente, diſcedere coacta fuit. Deinde ad Veneris portum profecta eſt, quo per aliquot horas incaſſum oppugnato, totius rei benè gerendæ ſpe amiſſa, ad Ciuitatẽ veterem redierunt: vnde Veneta claſſis, Pontificis conſenſu vt in ſua maria rediret, profecta, ad Meſſanę fretum grauiſſima exorta tempeſtate, quinque triremibus amiſſis, reliquæ ad Numidiæ littora perlatæ, tandem admodum quaſſatæ ventis in Venetorum portus peruenerunt. Terreſtres apparatus in hoc conatu non concurrerunt: etenim milites qui in Lunigiana conſcribebantur, orientalis littoris aditum, propter Gallorũ apparatuum famam periculoſum rati, nihil ſe mouerunt; & qui ad Porrettæ balnea erant, ſibi à Florentinis iter denegatũ excuſantes, vlterius nõ ſunt progreſſi; ſed Mutinenſiũ montana, quę adhuc Ferrarienſi parebant, ingreſſi, Fanani oppidũ inuaſerunt; quod etſi nõ ſtatim obtinuerint, nihilominus tandẽ tota montana regio, ducis auxilio diffiſa, deditionẽ fecit. Itaq; in hunc vſq; diem, nihil eorũ, quæ Pontifex in Galliæ regẽ molitus fuerat, exitum habuerat: neq; enim Genuenſium res, vt ipſe pro certo ſibi pollicebatur, mutationem fecerant: nec Veneti, fruſtra Verona tentata, vllum amplius ab ea parte progreſſũ ſperabant: nec Heluetij potius oſtentatis quàm illatis armis, vlterius proceſſerant: nec Ferraria Gallorũ ope diligenter adiuta, imminente hyeme, in aliquo periculo verſari cenſebatur: ſola Mutina præmiũ tantis motibus minimè dignũ, furtim in eius poteſtatem venerat: nihilominus Pontifici tanta ſpe fruſtrato idem videbatur euenire, quod de Anteo fabularum ſcriptores poſteris memoriæ prodiderunt; vt quoties Herculis robore domitus tellurẽ attigiſſet, toties maior in eo vis appareret; idẽ in pontifice res aduerſa efficiebat, vt quò magis deiectus ac proſtratus videretur, eò maiore animi firmitudine ac pertinacia plura ſibi in poſterũ, quàm vnquam antea pollicitus reſurgeret; cum tamen nuſquam penè quàm ſe ipſo niteretur, & quod (vt palam dicebat) cum nihil priuati commodi gratia gereret, ſed vnico puroq; Italię liberandę deſiderio, ſibi perſuaſum haberet, ſua conſilia Deo bene iuuante, felicẽ exitũ habitura: nam ipſe validis fidiſq; armis exutus, nullos præter Venetos, qui coacti eandẽ ſubibant fortunam certos amicos habebat: à quibus quòd pecunijs eſſent exhauſti, multisq; difficultatibus & anguſtijs oppreſſi, nõ multa ſperare poterat: ab Catholico autem rege, potius occulta cõſilia, quàm aperta auxilia accipiebat: is enim pro ſua calliditate, eũ varijs promiſſis, ſed multis exceptionibus, dilationibusq; ſuſpenſis, demulcebat, & ex altera parte, cum Maximiliano & Galliæ rege amicitiam tuebatur: pontificis diligentia laboresq; in Cæſare, à Galliæ regis amicitia alienando, & ad concordiã cum Venetis adducendo, poſiti, indies inutiliores apparebant; nam Cæſar cum pontificius exercitus, in Ferrarienſem profectus eſt, Fæcialem, qui ne ei eſſent moleſti denunciaret, miſerat; & Conſtantinum Macedonem Pontificis nomine ad pacem inter Cæſarem & Venetos tractandam miſſum, Cæſar audire noluerat: & vt ſe magis Galliæ cum rege facere velle oſten-

ostenderet, Gurcensem episcopum, qui de rerum summa cum eo conueniret, mittere parabat. Nec imperij electores, etsi erga pontificium nomen, ac sacrosanctam sedis obseruantiã propensi à sumptibus faciendis alieni, suis consilijs restantũ Germanicas spectantes, vllius in his perturbationibus erant momenti: nec magis de Angliæ rege, quam uis iuuene, rerumq; nouarum cupido, & qui se pontificatus potentiã amare profitebatur, quiq; haud sine animi propensione legationes audiuerat, sperare posse videbatur: cum enim tanto terrarũ marisq; interuallo ab Italia esset disiunctus, non poterat solus Galliæ regẽ deprimere; præterquam quòd pacẽ cum eo factam confirmauerat, & magnifica ad hoc missa legatione, eius vicissim acceperat confirmationẽ. Nemo certè qui tam imbecilla fundamenta totq; impedimenta habuisset, nõ animũ remisisset; cum præsertim pacis à Galliæ rege ijs cõditionib. maioribusq; quã victor vix optare debuisset, consequendæ facultatẽ haberet: nam rex, si minus (honoris sui gratia) apertè, saltẽ tectè atq; obliquè caussa disceptationi permissa, sed ijs iudicibus, qui ex põtificis volũtate iudicarent, Ferrarienſiũ ducis patrociniũ deserere annuebat; qui vbi se hoc cõsequi posse cõpertũ habuit, vt Genuã liberã relinqueret velle se adiũxit; atq; in his reb. tãta erat eius ptinacia, vt nemo, ne ex suis quidẽ intimis quisquã ei contradicere auderet; imo ex regis mandato à Florentinorũ oratore tentatus, mirũ in modũ exarsit, cumq; ob alia negotia ex Allobrogũ ducis ministris quidã ad eum venisset, suiq; principis, si ei ita videretur, in pace cõcilianda operã polliceretur, in tantã prorupit indignationẽ, vt eũ ad explorandũ non negotiandũ missum exclamaret; eamq; ob rem in carcerẽ conijci, & quæstionibus subijci iusserit: ac tandẽ, indies in difficultatibus ferocior factus, cum nulla impedmẽta periculaúe agnosceret, cumq; ceteris omnibus cogitationib. aliquantisper omissis, totis viribus in Ferrarię expugnationẽ incumbere vellet, quò sua prẽsentia acrius vrgeret; & maior rebus autoritas adiungeretur, nec nõ vt ducum ardorẽ impetu suo inferiorem augeret, Bononiam se conferre decreuit, sibi ad Ferrariæ expugnationem suas & Venetorum vires satis fore asseuerans: qui ne tandem fausti exitus spe amissa, Galliæ regi conciliaretur veriti, idem ei persuadere conabantur. At rex Galliæ, tot iam experimentis pontificis in se comperto animo, cum sibi necessariò, ne imperio suo noua imminerent pericula prospiciendum esse animaduerteret, Ferrarienſem tueri, fœdus cum Cæsare quo ad eius fieri posset, firmare, eiusq; cõsensu pontificem sacris armis persequi; & rebus ad Ver nouum protractis, tunc, cum pontentissimo exercitu ad Venetos aut pontificem adoriendum, prout res tunc postularent, in Italiam traducere constituit. Quamobrem, non solùm Cæsari, se maiore vi quàm hactenus in Venetos ducturum proposuit, verùm etiam, ad Romam totamq; pontificiam ditionem velut iure ad Imperiũ spectantem, vt eum iam diu optare notum erat, vniuersamque Italiam, Mediolanensi, Genuensi, Florentino, ac Ferrarienſi imperijs exceptis, occupandam opem laturum; qua ratione eum in suam sententiam facilè perduxit: præsertim verò, vt autoritate vtriusq;, & Germanicæ Gallicæq; gentis generale concilium indiceretur; non sine spe, Aragonię regem, quòd à sua & Cæsaris voluntate recedere non auderet cum Hispanorum gente, in idem conuenturum: cui rei maximũ præterea accedebat firmamentum, quòd multi cardinales Itali ac transalpini, animo ambitioso ac minimè pacato, se palam autores futuros pollicebantur. Ad hæc constituenda, rex magno desiderio, Gurcensis episcopi à Cæsare ad se destinati, aduentum expectabat: interea verò, vt concilij institutioni initium daret, & quamprimùm regnum suum à pontificis obedientia retraheret, omnes Galliæ Antistites, vt ad medium Septembrem Aureliam conuenirent, conuocari iusserat. Hæc erant Galliæ regis consilia & apparatus; haud per omnia senatui & curiæ ipsius grata; qui, quantum possit detrimentum adferre, hosti spacium concedere animaduertentes, ne vsque ad Ver arma inferre protraheret, vrgebant: quorum si sequutus esset consilium, Pontificem in tantas subito molestias coniecisset, adeoque res eius perturbasset, vt non tam facilè ei futurum fuisset, vt postea fuit, tot principes in eum concitare. At Rex vel victus auaritia, vel timore retentus, ne si solus Pontifici bellum intulisset, ceteri principes indignè ferrent; vel fortè velut rem Christianissimi cognomento, & Ecclesiæ defensoris famæ, quam semper eius maiores antiquis temporibus obtinuerant aduersam perhorrescens, in altera sententia permansit. Pontifex ad finem Septem-

bris,vt omnibus ſuis ac Venetorum copijs terra aquisq; Ferrariam inuaderet animo cõparatus,Bononiam ingreſſus eſt. Ideò Veneti eius poſtulato binas claſſes in Ferrarienſem miſerunt;quæ in Padum,vna per Fornaces,altera per Primarij portũ inuectę,Ferrarienſi agro magna afferebant incõmoda: eodem tempore pontificijs copijs totã regionem populari nõ intermittentibus, Ferrariæ tamen,in qua ciuitate præter ducis copias erant ducenti & quinquaginta Galli cataphracti,non appropinquabant:nam etſi pontificij in 800.cataphractos,600.leuis armaturæ equites, ac peditum ſex millia ſtipendia acciperent, tamen præterquam quòd pleriq; erant tumultuarij milites,numerus etiam, vtplerunq; pontifices in rebus bellicis defraudantur, erat multo minor:his accedebat, quòd cum Ciamontius Mutina amiſſa inter regium,& Ruberiam ducentos & quinquaginta lanceas, & duo peditũ millia miſiſſet, Marcus Antonius Columna,& Ioannis Vitellius, cum ducentis cataphractis, & trecentis peditibus, iuſſu pontificis, ab exercitu ad Mutinæ pręſidium profecti erant:eam ob rem Pontifex,vt Veneti exercitus,qui Cęſaris viribus Veronæ & vbique imminutis, absq; negotio penè totum Forumiulij receperat,pars in Ferrarienſium fines, vbi recenter Rhodiginam Polineſum, moleſtijs quibus dux circa Ferrariam premebatur, deſertam, occupauerat,tranſiret,inſtabat. Expectabat præterea Pontifex trecentos Hiſpanos cataphractos,quos priuilegij iure peritos Aragoniæ rex,Fabritio Columna duce,mittebat;habebatq; in animo,vt hi cum ſuis cõiuncti ab vnà parte Ferrariam inuaderent, & ab altera Venetorum copiæ,populum Ferrarienſem, quamprimùm exercitus ad mœnia accederet, in ducem arma ſumpturum ſperans; quamuis belli duces,tale in ea præſidium eſſe,vt facilè & ab hoſtibus tueri vrbem,& populum etiam tumultuari volentem cohibere poſſet, docerent:idcirco incredibili ſolicitudine,multis in locis quammaximam peditum copiam comparabat. Venetæ autem copiæ,propterea quòd, cum in Mantuanorum fines multas naues ad pontem Pado imponendum vexiſſent,Ferrarienſium dux cum Gallicis copijs improuiſo adortus eas omnes ceperat, diutius quàm voluiſſet aduentum protrahebant. Cepit etiam in quibuſdam Polineſi riuis multas naues, aliaque vnà ligna cum Veneto legato, quo tempore Brixiæ proditione,quam Veneti, vt à Galliæ rege deficeret ſtruebant,detecta, Comes Ioannes Maria Martinengus capite pœnas dedit. Sed longè diutius morabantur cataphracti Hiſpani, qui vſque ad regni neapolitani fines progreſſi,Regis iuſſu, antequam regio legato regni beneficiarium diploma datum eſſet, Truentum amnem tranſire recuſabant; quod Pontifex ne equites accepto diplomate non venirent ſuſpicatus, ægrè antequam Bononiam peruenirent concedebat: nihilominus nec belli ducum orationibus, nec his impedimentis Ferrariæ ſuis tantummodo copijs occupandæ ſpes minuebatur: itaque omnibus belli negocijs admirabili vigore operam dabat, etſi eodem tempore graui correptus eſſet morbo, quem ſpretis medicorum conſilijs, non minus quàm cetera contemnens, eius vt belli victoriam ſibi promittebat: Affirmabat enim Deum ſua opera velle Italiam in libertatem vindicari. Curauit etiam vt Mantuanus, quem Bononiam accerſitum Eccleſiæ Signiferum nuncuparat, Venetorum quoque ſtipendia cum ſummi ducis honore mereret; eique Pontifex centum cataphractos, & mille ducentos pedites adiungeret; ea tamen conditione, vt (ita poſtulante Marchione,) id occultum eſſet, eo prætextu, quòd ſibi ante res mantuanas componeret, atque in tutum collocaret; quo minorem in ſe aliquid tentandi Galli facultatem haberent: re autem vera, quia cum hoc onus non ſponte, ſed promiſſis coactus ſubiret, vt ſi fortè aliqua occaſio daretur, liberari poſſet, moram interponere ſtudebat: Pontificis verò in alijs infeſtandis ardor, in rerum ſuarum tuendarum neceſſitatem eſt conuerſus; quæ etiam & maturior & maior fuiſſet, niſi nouarum rerum euentus Ciamontium ad ſua conſilia in aliud tempus differre coëgiſſent: nam Veneto exercitu à Veronenſi obſidione profecto, Ciamontius qui Piſcheriam,vt ei ciuitati opem ferret, venerat, ſtatim cum exercitu ad Mutinam vbi copiæ quæ Ruberiæ erant Formigiani oppidum vi expugnarant, recipiendam ire conſtituit; quod ſi feciſſet, facilè, vt creditur, ea potitus fuiſſet: in ea enim parua erant præſidia; vrbs minimè munita, nec omnes pontificio imperio fauentes: verùm accidit, vt cum caſtra moturus eſſet, Germani pedites qui Veronæ erant, quòd eis à Cæſare non ſatisfieret tu-

ret tumultuarentur; quare Ciamontius ne ea ciuitas deserta relinqueretur, donec eorum animos confirmasset, manere fuit compulsus: quamobrem etiam nouem ducatorum millia eis stipendij præsentis nomine numerauit, seque in sequentẽ mensem numeraturum promisit: vix dum autem huic malo medelam adhibuerat, cum alius casus eum repentè inuasit: nam cum Venetæ copiæ Patauium versus concessissent, Grotta, qui Lineaco præerat, Montanianæ diripiendæ se occasionem nactum ratus, omnes cataphractos cum quadringentis peditibus eò misit; à quibus dum se oppidani direptione perterriti tuentur, multi Veneti leuis armaturę equites superuenerunt, quos cum perturbatos reperissent, facilè fuga, ponte ab hostibus rescisso, impedita, magna clade affecerũt: quo casu, Lineaco penè militibus nudato, dubium non est, quin si Venetorum milites extemplò eò conuersi essent, occupaturi fuissent; qua opportunitate citò elapsa, Ciamontius re percepta, summa celeritate nouum misit præsidium. Verùm hæc impedimenta ei Mutinæ recipiendæ occasionem interceperunt; quàm interea temporis multi milites ingressi erant; multaq; diligenter ad muniendum comparata; nihilominus eius ad Ruberiam aduentu, Pontifex exercitum in Ferrariam comparatum, Mutinam mittere compulsus fuit: vbi omnibus suis viribus sub Vrbinatium ducis imperio, Papiensi cardinale legato suo, Ioannepaulo Ballione, Marco Antonio Columna, Ioanneque Vitellio, magnæ autoritatis ducibus, coniunctis, vt cum hostibus prælio dimicarent instabat: à qua re duces, quòd dubio procul Gallorum copiæ numero & virtute præstarent, maximè abhorrebant: nam pontificius peditatus erat raptim collectus, in exercitu verò nec militaris disciplina, nec decens ordo apparebat; atq; inter Vrbinatem, & Cardinalem Papiensem erat aperta dissensio, quæ eò vsq; progressa est, vt dux, cum eum apud pontificem proditionis insimulasset, vel sua autoritate, vel pontificis mandato, tanquam captiuum Bononiam perduxerit: sed omnibus criminibus sua præsentia dilutis, in maiori, quàm antea, apud eum dignitate autoritateque permansit: dum hæ copiæ in hunc modum inter se propinquæ manent, Ciamontius cum equitatu, ad Ruberiam, pedites ad Martialiam, pontificij, in Mutiensi suburbio quà Ruberiam spectat, crebrisque inter se excursionibus, leuioribusq; decertant prælijs; Ferrariensis qui prius citra negotium Rhodiginam Polinesum receperat, cum Castellione & Gallico equitatu facilè Finale recuperauit; deinde per arcem quam adhuc possidebat, Centẽse oppidum à pontifice prius occupatum ingressus, diripuit & incendit; seque vt Ciamontio coninugeret, comparabat: quod veriti pontificij, peditum parte in suburbio quod ad montes vergit collocata, Mutinam sunt reuersi. sed dux vix dum castris moti ad sua tuenda fuit reuocatus: Veneti enim cum trecentis cataphractis, cumq; leui armatura peditumq; quatuor millia, vt Padi transitum occuparent, moxq; cum pontificijs coniungerentur, ad Ficariolum Castellum propter Padum situm paruum ac debile, verùm ex eo bello quod Veneti cum Hercule duce gesserunt, diuturna Roberti Sanseuerinatis oppugnatione, ac Federici Vrbinatium ducis defensione, eius ætatis insignium belli ducum, celleberrimum castra posuerunt: idq; prius tormentis verberatum deditione obtinuerunt: deinde Sellatam oppidum in aduerso litore ceperunt: cumq; Eridani transitum liberum haberẽt; nihil ad traijciendũ, nisi vt pons iaceretur deerat; quod ne fieret, Alfonsus qui post Stellatæ iacturam, cum exercitu Bondinum se contulerat, tormentis in quodã editiore angulo, vnde facilè locus ille peti posset, collocatis, prohibebat: præterea Eridanum binis triremibus percurrebat, quæ tamen citò retrocedere sunt compulsæ: nam cum Venetã classis, ab initio Padum hostijs ducis præsidio munitis ingredi impedita, aduerso Athesi vecta, ingressa est, adeò vt Ferrariensis regio binis Venetorum classibus grauiter infestaretur. Hæc autem molestia mox desijt: dux etenim Ferraria egressus, eam quæ Primã rio ingressa Adriam, geminis triremibus totidemq; biremibus, multisq; minoribus nauigijs appulerat, adortus est; qua sine difficultate fracta, ad eam, quæ cum biremes tantùm, & minores naues haberet, per Fornaces inuecta ad Pulisellam venerat, se conuertit; quæ cum vicino quodam riuo Athesim vellet ingredi, aquarũ defectu impedita fuit; vnde impetu, & hostium tormentis petita, cum milites eam tueri nequirent, ea deserta, vt se tormentaq; conseruarent, institerunt. In his profanorum motibus armorum, sacra arma vndiq; audiri cœperunt: pontifex enim palam Alfonsum Estensem atq; vnà quot-

quot ei aut opem tuliſſent aut ferrent, nominatimq; Ciamontium, cum omnibus Gallici exercitus principibus, cenſuris ſubiecerat: In Gallia verò, Antiſtitum cõuentus Aurelia Torſum translatus, quamuis potius ne regis repugnaret voluntati (quod ſæpe fieri ſolet) quàm ſponte iudicioue, multis criminibus in pontificem propoſitis conſenſerat; hoc tantùm addito temperamento, vt antequam ei obedientiam denegarent, oratores qui ei conuentus Gallici decreta denuntiarent, vtiq; ea in poſterum ſeruaret monerent, mitterentur; quibus ſi deinceps non pareret, ad Conciliũ citaretur; ad quod, cum principibus ageretur, vt omnes Chriſtianæ nationes conuenirent; dederunt quoq; regi potestatẽ, vt Gallicis ſacerdotijs graues imponeret cenſus; & paulo pòſt in altero cõſeſſu, qui XXVII Septembris habitus fuit, in principium Martij proximè venturi cõſiliũ Lugduni indixerũt; quo die Gurcenſis epiſcopus Torſum ingreſſus, tanto honore acceptus fuit, vt facilè appareret, eius aduentum diu, & optatum, & expetitum fuiſſe: & iam cardinaliũ aduerſus pontificẽ factio detegebatur; quoniã Cruceius & Coſentinus Hiſpani, & Bellocaſienſis, Maclouienſisque Galli, ac Federicus Sanſeuerinas, pontifice qui per Flaminiam ex itinere Lauretanũ fanum innumeris prodigijs nobiliſſimũ, viſens, Bononiã proficiſcebatur, relicto; cum eius venia in Hetruriã cõtenderunt: cum aũt Florentiã peruenirent, ſide publica à Florẽtinis, nõ ad aliquod certũ tempus, verùm donec reſcinderetur, & 15. dies poſt reſciſſionẽ denuntiatam accepta, varijs colorib. iter ſuũ procraſtinabant: quæ mora cũ pontifici ſuſpecta eſſet, poſt multos nuncios vt Bononiã venirẽt miſſos, ad Maclouienſem, Bellocaſienſem ſiue Baiucenſem & Sanſeuerinatẽ ſcripſit breuẽ epiſtolã, vt ni ſuæ indignationis pœnã ſubire vellent, ad ſe venirent; Cardinalẽ verò Coſentinũ, & Cruceiũ nobilitate, eruditione, moribus, ac põtificiæ ſedis legationib. claros mitius, breui epiſtola vt idem facerent, hortatus eſt: qui cum nõ parere decreuiſſent, fruſtra tentatis Florẽtinis, vt nõ ipſis tantùm, ſed omnibus cardinalibus qui eò venire vellent, firmam ad longũ tempus fidem publicã concederent, Lunigiano itinere Mediolanum cõtenderunt. Interea Ciamontius, vt Carpium antè à põtificijs copijs occupatum reciperet, Albertum Pium & Palitiam cum 400. cataphractis peditumq; 4. millibus eò miſit: quos cum Albertus tubicine & paucis equitib. comitatus anteuertiſſet, oppidani qui eum vehementer diligebant, audito eius aduentu tumultuari cæperunt: qua re, Põtificij, qui numero quadraginta leuis armaturæ equites, & quingenti pedites in præſidio erant, conſternati, Mutinam contendebant: ſed Galli qui paulo pòſt ſuperuenerant eos inſecuti, ad Cortilis pratum, quod penè medio itinere Carpium inter & Mutinam eſt, equitibus dilapſis, peditibus verò magna ex parte cæſis, eos fuderunt, Ciamontio, ante quàm Hiſpani equites, quorum aduentum vt vrgeret pontifex priuilegij monumentũ apud Cardinalẽ Rheginũ depoſuerat, aduentarẽt; & antequã Venetę copiæ, quæ nõnullis aggerib. contra Alfonſi tormẽta erectis, mox pontẽ à ſe iactũ iri ſperabant, eis cõiungerentur, cũ hoſtib. prælio decernere cõſultũ videbatur: quapropter Mutinã propius acceſſit; vbi diu vtrinq; à leuis armaturę equitibus, leuiorib. cõmiſſis prælijs, Pontificij cum ſe impares agnoſcerent, nunquã omnes copias educere voluerunt: hac ſpe amiſſa, id ad quod multi & præcipuè Bentiuoli varijs promiſſis, eũ impellebãt exequi decreuit; videlicet nõ eſſe tẽpus circa res paruas, quarũ difficultas vtilitate lõge maior eſſet, inutiliter terendũ; verùm belli ſedẽ, & præcipuum caput, ex quo tot moleſtię periculaq; manarent improuiſò adoriendũ; huic rei oportunã præberi occaſionẽ, quòd Bononię pauci eſſent milites externi, in populo multi Bentiuolorũ clientes, aliorũ pleriq;, potius ad rerũ exitum præſtolandũ, quàm ad arma capienda, quibus periculà ſubirent, aut nouas cõtrahe rent ſimultates, propenſi; ſi nũc periculũ nõ faceret, præſenti occaſione amiſſa, vanũ laborem fore: vbi enim Veneti aut Hiſpani qui expectabantur veniſſent, etiã ſi validiſſimo exercitu iretur, non poſſe id ſperari, quod nunc multò minorib. viribus cõſequi eſſet facillimũ. igitur omnib. copijs ſimul collectis, Bentiuolis aliquot equitib. & militib. mille proprio ære cõſcriptis eum ſequentibus, itinere inter montẽ & regiã viam directo, Spilimbertũ, Rangoniorũ comitũ Caſtellũ, inuaſit; in quo erant 400. milites à põtifice miſſi; quod vbi aliquot tormentorũ ictibus verberaſſent, eodẽ die pactione obtinuerunt: & ſequenti die Caſtellofranco deditione accepto, ad Creſpolanũ caſtellũ, quod Bononia 10. milliaribus abeſt, eo animo caſtra poſuit, vt proxima luce ante eius ciuitatis portas ſe oſten-

oſtēderet;in qua tum eius aduentu,tum q; Bentiuolos cum eo eſſe cognouiſſent, omnia cōſternatione,tumultu, ac factionibus inter nobiles & populū illis formidantibus, his verò Bentiuolorū reditū cupientibus,ſunt repleta.Sed maior perturbatio, multoq; grauior metus Antiſtitū & aulicorū, qui nō bellicis diſcriminibus, verùm otio ac Romanis delitijs erāt aſſueti, animos corripiebat;acurrebant purpurati mœſtiſſimi ad pontificē, querentes quòd ſe,Sacram ſedē,& ipſos in tantū adduxiſſet periculū;vehemēter rogātes,vt aut ea cōpararet quæ ad iuſtā defenſionē idonea viderētur, quod in tanta tēporis breuitate fieri nō poſſe cenſebāt;aut minus grauib.cōditionib.cū hoſtibus quos nō alienos fore exiſtimabant tentaret,aut vnà cū ipſis Bononia migraret,ſi deniq; proprio periculo nō moueretur,cogitaret,quātū ſacratiſſimę ſedis totiusq; Chriſtianæ religionis intereſſet,ſi in eius pſonā aliquid durius caderet: idē omnes familiariores miniſtri ac ſerui eius ſupplices orabāt: ipſe ſolus in tāto tumultu omniumq; rerū cōfuſione,de populi fide incertus,& Venetorū tarditatē ægrè ferens, adeò pertinaciter has moleſtias perferebat,vt ne ægritudo quidē qua corpus cōflictabatur, animi fortitudinē poſſet flectere: abinitio Marcū Antoniū Columnā cū parte militū qui Mutinæ erāt accerſiuerat;& Hieronymo Donato Venetorū legato ad ſe vocato,vehemētiſſimis exclamationibus,quòd toties promiſſorū auxiliorū tarditate,ſe,ditionēq; ſuā,in tātū cōieciſſent diſcrimē, expoſtulauerat,nō ſolū erga ſe,qui præcipuè vt eos cōſeruaret bellū ſuſceperat,& grauiſſimis ſumptib.ac periculis, Imperij & Gallorū regis,in ſe odio prouocato,ipſorū libertatis aduſq; diē cōſeruatę cauſſa fuiſſet,deteſtādā animi grati ſignificationē oſtēdiſſent; verū etiā in ſeipſos incredibili imprudētia extitiſſēt;ſe enim vel victo,vel aliqua pactione cedere coacto,qua ſpe ſalutis, quo loco eſſet futura ea reſp.ad extremū ardētiſſimis verbis niſi per totū inſequentē diē eorū copiæ auxiliares,quæ pontis ponendi difficultate, Pado varijs nauibus alijsq; machinis traiecto ad Stellatā erāt, Bononiā ingrederentur, concordiā cum Gallis initurū conteſtatus:cōuocauit etiā Senatū & tribunos Bononienſes,eosq; graui oratione hortatus eſt,vt præteritæ tyrannidis malorū memores, quamq; pernicioſiores reuerſuri eſſent tyranni ſemel exacti,vellēt pontificiū imperium conſeruare,in quo tantam comperiſſent benignitatem; & vt eos promptiores redderet, præter iam conceſſas immunitates, mediam partem vectigalium, quæ ex importatis rebus ad humanum victum ſpectantibus eliciuntur,in poſterum maiora pollicitus remiſit: ijſdem publico edicto promulgatis,quo etiam populū ad arma pro imperij pontificij defenſione capienda hortabatur; ſed ſine fructu: nemo enim mouebatur: nemo in eius gratiam ſignum aliquod oſtendebat: Ideò cum tandem ad quantum diſcrimen eſſet redactus animaduertiſſet, tot hominum importunitate & querelis expugnatus,præterea Cæſaris, Catholici,Angliæq; regis, oratoribus vrgentibus, Cardinalium precibus aſſenſus eſt, vt ad Ciamontium mitterentur nuntij,qui vt Ioanni Franciſco Pico Mirandulano Comiti, Pontificis nomine tutò ad ſe veniendi facultatem concederet, poſtularent: & paucis horis ipſemet vnum ex ſuis cubicularijs,vt Albertum Carpenſem quem tunc abeſſe ignorabat,ad ſe venire iuberet,poſtulatum miſit:eodemq; tempore,vt quouis euentu, pontificatus res magis precioſæ ſeruarentur, Laurentium Puccium,ſuum à libellis magiſtrū,cum regno(ſic enim præcipuā pontificis Thyarā appellāt)quod nobiliſſimis gemmis erat refertū,Florentiā,vt in celeberrimo velatarū fœminarum ſepto cuſtodiretur transmiſit: His de cauſſis Ciamontius ſperauit pontificē ad concordiā quàm ipſe,quòd talem eſſe regis animū ſciret,magnopere exoptabat,inclinare:quam propenſionē ne perturbaret, poſtero die exercitū in ijſdē caſtris continuit;quamuis permiſerit vt Bentiuoli magno amicorū & clientum equitū comitatu, centū & quinquaginta Gallis cataphractis longius ſequentibus,vſq; ad Bononię mœnia excurrerent;quorū aduētu, etſi Hermes natu minor,ſed ferocitate fratribus maior, ad Portæ latus ſe oſtenderet, nullus in vrbe eſt motus excitatus.Ioannē Franciſcū Mirandulanum Ciamontius benignè audiuit; eodemq; die ad capita quibus conuenturus eſſet, ſignificanda Bononiam remiſit: Pontifex Alfonſum Eſtenſem, & eos omnes qui quauis de cauſſa in eo defendendo vel pontificia ditione inuadenda operā ſuam nauaſſent,cenſuris ſolueret;Bentiuolos quoq; cenſuris pœnisq; eximeret, bonaq; quæ ad eos ſpectare liquebat,reſtitueret;reliqua quæ ante exiliū poſſediſſent iuris diſceptatione permitterētur;eisq; vbicūq;

videretur, modò ne intra octuagesimum à Bononia milliare habitare liceret: In rebus Venetorum nihil eorum quæ Cameracensi fœdere essent constituta immutaretur: inter Pontificem & Alfonsum sex mensium vt minimum induciæ fierent; & vterq; occupata retineret: inducierum tempore eorum diffidia iudicibus vtriusq; consensu delectis dijudicarentur: Mutinensium rerum cognitione Cæsari reseruata; eaq; ciuitas statim in eius manũ deponeretur: Cotiniola christianissimo regi, restitueretur: Cardinalem Auscensem liberaret: absentibus Cardinalibus ignosceret: & beneficiorũ totius Gallici dominatus collationes in eos fierẽt, quos rex ipse nominasset; cum quo resposo, sed tamen non sine spe, Ciamontium non vsq; adeò seuerè omnibus his permansurum, reuersum Mirandulanum Pontifex præter suam consuetudinem patienter referentem, & simul Cardinalium qui incredibili ardore, vt si melius assequi non posset, huiuscemodi pactionẽ admitteret, supplices orabant, preces audiebat: at ex alia parte, res sibi nimis ab æquitate alienas proponi questus, & singulis verbis grauissimis ob Venetos querelis interpositis, dum se dubium fingit, nec quid consilij captet, aperit, diem extrahi volebat: eius spem erexit Cappinus Vitellius cum sexcentis leuis armaturæ equitibus Venetorum, vnaq; Turcarum ala, qui eorum merebant stipendia ad extremum diei Bononiam ingressus, qui noctu à stellata profectus, ob summam festinationem sibi à Veneto præfecto impositam, totum iter cursu confecerat. Sequentis diei matutino tempore, Ciamontius cum toto exercitu ad Rheni pontem tribus à Bononia passuum millibus castra locauit: quò statim oratorum Romanorum regis, Aragoniæ, Angliæq; à secretis, ministri ad eum venerunt: & paulo pòst ipsimet oratores, qui eo die, cumq; ijs Albertus Pius Carpio reuersus, sæpius ad pontificem & ab eo ad Ciamontium vltro citroq; redierunt: sed in vtroq; non mediocriter mutata erat propensio: Ciamontius enim prioris diei experientia, populi Bononiensis per Bentiuolos cõcitandi spe imminuta, cum iam cõmeatus angustia, quæ indies maior futura timebatur, premeretur, de victoria diffidebat: & Pontifex tum quia populus tandem palam põtificijs rebus studens, eodẽ die arma sumpserat; tum quia expectabatur vt ante noctis initium, præter ducentos Epyrotas Venetorum, Fabritius Columna, cum ducentis leuis armaturæ equitibus, & Hispanorum cataphractorum parte Bononiam ingrederentur, non modò se periculo liberatum perspiciebat, sed cõsueta animi elatione resumpta, quamprimùm omnes Hispanicæ copiæ quæ propè erant peruenissent se cum hoste signa collaturum minabatur: qua spe fretus semper eo die, nullam esse concordiæ rationem, nisi vtr ex Galliæ prorsus Ferrariæ tutelam desereret, respondit. Postero die noua capita cõpositionis allata sunt, quorũ gratia ijdem legati ad Ciamontium redierunt; sed varijs difficultatibus interpositis nihil est effectum: quare Ciamontius, vel armis, vel colloquijs pacis fructus cõsequendi spe amissa, cum ibi morari commeatu deficiente, ac hybernis tempestatibus ingruentibus difficile esset, eodẽ die ad Castellumfrancum, & proximo Ruberiam, quasi id oratorum precibus ageret, atq; vt pontifici de rebus propositis deliberandi, sibi verò regis mentem cognoscendi, spacium concederet, redijt. Hoc tempore pleriq; Ciamontij in deliberando imprudentiam, in conficiendo negligentiam accusabant: nam quòd ad Bononiam expugnandam cum non satis virium haberet, (nam in eius exercitu non plures erant quàm tria peditum millia) exulum cohortationibus quorum spes magis ad cupiditatis, quàm rationis normam exactæ plerunque euanescunt, se commouisset, præceps consilium fuisse, saltem, si omnino id tentare volebat, agendi celeritate virium imbecillitatem compensare debuisse: contrà verò ipsum feciſſe, ac tarditate opportunitatem corrupisse: nam quòd pòst Pischerianam moram, dum sui exercitus impotentia considerata, per se ne experiri, an Ferrarienſis copias & Castellionem cum Gallis equitibus expectet, tribus quatuorúe diebus absumptis suspensus hæret, hoc fortè defendi posse; qua autem ratione, quòd Castellofranco occupato, non statim ad Bononiæ portas copias admouerit, quodque ciuitati, in qua nullum dum esset impositum præsidium, populus anceps, & vt in rebus repentinis accidit, consternatio terrorque maximus, vnicum, si modo aliquod erat, vel victoriæ, vel honestæ pactionis consequendæ instrumentum, respirandi spacium dedisset, excusari possit? at eorum qui res infeliciter gestas reprehendũt autoritas, fortasse minor sæpius esset, si eodem tempore, quid, siqui-

siquidem secus actum fuisset, euenturum erat, sciri posset. Pontifex post Ciamontij discessum, supra modum in regem incensus, Galliæ regem iniustè & contra factorum veritatem, Christianissimi honore & nomine abusum, fœderaq; quod solemni ritu Cameraci ictum fuerat contempto, Italiæ occupandæ ambitione, ac scelerata Pontificis Romani sanguinis siti impulsum, exercitum qui ipsum cum vniuerso Cardinalium collegio, cumque omnibus Antistitibus Bononiæ obsideret misisse, apud omnes Christianos principes questus est: ac multo maiori animo ad belli consilia reuersus, legatis qui colloquia cum Ciamontio incæpta sequuti, de concordia cum eo agebant, se antequam ei Ferraria dederetur, aliquid amplius auditurum negauit: & quamuis laboribus in tam graui casu corpore animoque exantlatis, eius morbus magnopere creuisset, denuò milites conscribere, ac Venetos, qui tandem inter Ficariolum & Stellatam pontem iecerant, vt Mantuano duce copiarum suarum partem Mutinam, quæ suis coniungeretur mitterent, reliquis Ferrariæ res infestarent, vrgere cœpit; se pauciſſimis diebus Regio, Ruberia ac Ferraria potiturum asseuerans: Venetorum copiæ periculo, in quod si (vt verendum videbatur) Pontificis obitus contigisset, incidissent admonitæ, fluminis transitum distulerunt: sed tandem eius voluntati cedere coacti, reliquis copijs in transpadanis litoribus relictis, quingentos grauis, mille & sexcentos leuis armaturæ equites & peditum quinque millia Mutinam versus progredi iusserunt; sed fine Mantuano; qui cum Sermidi ad equites ac pedites conscribendos, vt postea, quem admodum aiebat (etsi eius tarditas iam Venetis esset suspecta) ad exercitum proficisceretur, hæsisset, ad Sanfelicem Mutinensis agri castellum venit; vbi Gallos qui Veronæ erant, in Mantuanos fines prædatum iuisse certior factus, sui regni defendendi necessitate adducta, cum pontificis venia, sed grauiter Venetos accusans, Mantuam rediit: nam etsi citò se rediturũ promiserat, de eius fide dubitantes, Ciamontium, quemadmodum per totam Italiã existimatum quoq; fuit, vt ei occasionẽ ne ad exercitum proficisceretur præberet, ex eius voluntate Gallos milites in agrum Mantuanũ excurrere iussisse, credebant: quam suspitionẽ eius literę, quibus suum reditũ graui ęgritudine impeditum excusabat, Mantua ad pontificẽ scriptæ auxerunt. Pontificis, ac Venetorum copijs & Hispanis equitibus, circa Mutinam coniunctis, nemini dubium est, quin si statim castra mouissent, Ciamontium, qui cum ex agro Bononiensi recessit, vt sumptus minueret, Italos milites dimiserat, Regij ciuitatem arce retẽta, deserturum fuisse; sed cum lentius eos progredi cerneret audacior factus, denuò tãtùm Sassoli, Ruberiæ, Regij, ac Parmæ custodiendæ consilio, peditatum comparare cæpit. Dum verò ille exercitus circa Mutinam incertus vlteriúsne progredi, an Ferrariam versus ire deberet, immoratur, nõnullæ pontificiæ equitum alæ à Gallis Regium versus excurrentes fusæ, centum equites amisere, & Matelicę comes captus fuit. Quo tẽpore Ferrariensi & Castellione cum Gallicis copijs ad Eridanum flumen, inter Hospitaletum & Bondinum è regione Venetarum copiarũ, quæ vltra Eridanum erant castrametatis, eorũ classis cum tempestatis acerbitate, quodq; Venetijs res necessariæ nõ suppeditarentur, recedere vellet, à multis Ferrariensiũ nauigijs, quorum tormentis octo naues depressæ fuerunt, petita, difficulter ad Castellonouũ padanũ, ad fossam quę in Tanarum Athesimq; ducit se recepit, moxq; dilapsa est. Iussit deinde Põtifex, vt exercitus cui Mantuano absente Fabricius Columna præerat, Vrbinatiũ duce ad Mutinę præsidium relicto recta Ferrariam contenderet; ducibusq;, qui vno ore id cõsilium damnabant, penè certam spem populum tumultuarum faciebat: at eodẽ die quo eius iussu iter aggressi sunt, omnib. quid eum relictis primis cõsilijs ad tam repentinã mutationẽ induxisset ignorantibus redierunt; & ad Sassoli oppidum, quò Ciamontius quingentos pedites Aquitanos miserat, castra posuerunt; quod vbi maxima cũ põtificis lętitia q, ex eodẽ cubiculo, vnde ante paucos dies ingenti sua molestia hostilium circa Spilimbertum tormentorũ tonitrua senserat, suorũ aduersus Sassolum bombos audiret, biduũ tormẽtis quassassent, expugnationẽ aggressi sunt; quæ paruo negotio feliciter succesſit: milites enim qui intus erant consternati se in arcẽ receperunt: sed cum tormentis repentè ad eã admotis verberari esset cæpta, illicò ferè sine vlla pactione deditionem fecerunt: eadem infamia infelicitateque Ioannis Casalensis eorum ducis, quam tum senserat, quum Foroliuianam arcem Valentinus occupa-

uit;homo obſcuriſſimo quidē genere natus, ſed quoniam in ætatis flore Ludouico Sfortiæ gratus fuerat,ad aliquem dignitatis gradum peruenerat. Saſſolo expugnato,exercitus Formiginem cepit: cum verò Pontifex vellet vt ad Monteccium munitum magniq; res gerendas momenti oppidum, inter viam regiam ac montem,in Parmenſium & Regienſium finibus,verùm in Parmenſi ditione poſitum; quod Ferrarienſis poſſidebat capiendum irent, Fabricius Columna,quòd à rege ſuo ne imperij ditionibus eſſet moleſtus ſibi iniunctum eſſe diceret, recuſauit. His incommodis non proſpiciebat Ciamontius, qui Obignino cum quingentis cataphractis, duobusq; duce Molardo Vaſconum peditū millibus,Regij relictis,Parmæ nouis à rege,vt ſumptibus parceret, acceptis mandatis hærebat:rex etenim in eadem vſq; in vernum tempus cunctandi ſentētia obfirmatus,in rebus Ciſalpinis tunc nihil moliebatur: quarè cum eius in Italia autoritas inclinaret,& hoſtium animi ex eo augerentur,Pontifex ſuas copias non vlterius progredi ægrè ferens, nec quas temporis aliarumq; difficultatum excuſationes ſui duces afferebant admittens,omnibus Bononiam conuocatis,vt ad Ferrariam caſtra ponerentur imperauit,ſolis Venetorum legatis,ſiue ne cōtradicendo irritarent,ſiue vt ipſorum milites magis ſuis finibus apropinquarent, eius ſententiam probantibus, ceteris verò omnibus, ſed fruſtra, (non enim deliberabat,ſed imperabat)improbantibus:fuit itaque conſtitutum,vt copiæ ad Ferrariam ducerentur;hoc tamen addito,vt quò Gallis Ferrariæ iuuandæ facultas adimeretur, niſi nimium difficilis appareret, Mirandulæ expugnatio tentaretur:quæ ciuitas vnà cum Concordia,Ludouici Pici comitis filiorum,& Franciſcæ eorum matris quæ filiorum tutelam gerebat, dominatu,in Gallorum regis Clientela,matre,Ioannis Iacobi Triuultij,cuius erat extra coniugium filia,cuius opera parui infantes à Cæſare priuilegium erant aſſequuti, autoritatem ſequuta conſeruabatur: eos Pontifex,vt in quadam breui epiſtola cōſtabat,multo antè in ſuam clientelam receperat: verùm præſentium temporum ſtatu ſe,vt ne ea oppida ab ijs qui ſibi eſſent ſuſpecti tenerentur procuraret,cogi excuſabat;quòd ſi vltrò ſibi ſponte concederentur,ſe quamprimùm Ferraria potitus eſſet reſtituturū promittebat: fuit iam tum ſuſpicio,quæ pòſt etiā multò magis creuit, Cardinalem Papienſem iam occulta cum Galliæ rege habere conſilia ſuſpectum, huius ſententiæ vt Mirandulano negotio Ferrarienſem obſidionem auerteret artificioſum autorem fuiſſe: quæ ciuitas tunc nec mœnibus, nec præſidio erat valde munita,& milites Galli corpore & animo,laboribus feſſi, dux impotens,Rex autem à maioribus ſumptibus alienus. Dum verò Pontifex tanto ardore rebus gerendis incumbit, Galliæ rex magis conſilijs quàm armis deditus, cum Gurcenſi epiſcopo cepta pertractabat; quæ ab initio admodum viſa facilia, Cæſaris in reſpondendò tarditate longius ſunt producta:& quoniam de Aragoniæ rege,qui præter cetera recenter per cauſſam Turcicæ claſſis circa Hydruntum viſæ, milites ſuos qui Veronæ erant in regnum neapolitanum reuocauerat, ambigebant, Cæſar & Galliæ rex eius mentem, tam de Cameracenſi fœdere conſeruando, quàm in ijs quæ cum pontifice ſi in Venetorum amicitia,& in Ferrarienſis dominatus, eccleſię Rom.omnino vindicādi cupiditate perſiſteret, eſſent agenda,explorandam cenſuerunt: quibus aliquot dierum interuallo reſpondit rex Catholicus,ſimulq; eadem occaſione multa ſibi à Cęſare Gallięq; rege obiecta crimina diluit: trecentos cataphractos quos tantùm ad pontificium imperiū tuendum, eaq; quæ in antiquo eius iure eſſent recipienda,priuilegij iure debebat,pontifici conceſſiſſe: copias & ſi tempus in quod Cæſari eas promiſerat eſſet elapſum,tamen niſi Turcarum incidiſſet metus Verona nō fuiſſe reuocaturum: ſuum oratorem cum ceteris oratoribus Bononiæ apud Ciamontium,non vt pontificijs auxilijs tempus daret, ſed vt tantum incendium à Chriſtiana rep.amoueret: cum præſertim bellum cum pontificatu regi moleſtiſſimum eſſe ſciret, de pace egiſſe:ſemper ſe in eadem Cameracenſis fœderis ſeruandi ſentētia permanſiſſe,& in poſterum multò magis permanſurū, Cęſare quingentis cataphractis,ac duobus peditum millibus contra Venetos iuuando; ſibi quidem tum quòd nullam videret idoneam cauſſam, tum etiam quòd ſuæ libertatis ad bellum Africanum contra religionis hoſtes gerendum conſeruandæ cupidus, Chriſtianæ reip. quæ quiete indigeret, pericula & calamitates augere nollet, in noua fœdera coire,vel nouis pactionibus aſtringi ſuæ mentis non eſſe: ſibi concilium & eccleſiæ emendationem:

nem si modò vniuersalis esset, & tempora non repugnarent, placere; huius verò suæ voluntatis ex ijs quæ Sauonæ simul collocuti erant, nullum esse Gallię rege testē locupletiorem; tempora verò admodum esse aduersa: pacem enim & Concordiam inter Christianos fundamentum esse conciliorum; quòd sine armorum coniunctione, nihil ad communem vtilitatem decerni posset: nec verò concilium tali ratione ac tempore, vt magis odio atq; vltionis gratia, quàm vel diuini honoris, vel salutaris reip. Christianæ status amore indictum videatur incipere, laude dignum esse: præterea separatim Cæsarianis oratoribus dicebat, sibi ad ea oppida quę post precio Galliæ regi concessurus esset (expresse Verona denotata) tuenda ei auxilium ferre, graue videri. Igitur hoc responso Catholici regis cognita voluntate, hinc Cæsaris nomine Gurcensis, illinc verò Galliæ rex Pontifici si vnà in fœdus coire vellet duobus mensibus, Catholico verò & Vngariæ regibus quatuor ad deliberandum concessis, statim nouum fœdus percusserunt: Rex centum ducatorum millia, (fundamentum ijs quæ cum Cæsare agerentur necessarium) partim præsenti pecunia numerata, partim certis temporibus numeranda promisit. Cæsar autē ineunte Vere se cum tribus equitum, & decem peditum millibus, contra Venetos in Italiam transiturum, eiq; tunc rex, proprijs sumptibus, mille & ducentos cataphractos cum octo peditum millibus, iustoq; tormentorum apparatu; mari verò, duas triremes & nothas, id est, naues longas maiores quatuor, mittere teneretur; Cameracensę fœdus tuerentur, ac pontificem cum rege Catholico communi nomine ad idem hortarentur; quòdsi pontificem Ferrariensis res impediret, Rex ei quod iuri consentaneum videretur, acquiesceret: quòd si Pontifex eorum postulata reijceret, Concilium pergeret: cuius rei gratia Cæsar, quemadmodum Galliæ rex in suo regno fecisset, Germaniæ Antistites, vt vlterius prout deinde eis videretur, progredi possent, conuocaret. His promulgatis, Gurcensis magno honore maximisque muneribus acceptis, ad suum principem redijt; Rex autem, cum quo quinque Cardinales qui concilium procurabant, vt nec ipse sine eorum, nec illi sine ipsius consensu, Pontifici conciliarentur, recenter conuenerant: seipsum tanta potentia in Italiam transeundi cupiditate accensum verbis ostendens, qua res suas in longum tempus in tuto collocarentur; quæ ne ante eius aduentum maiorem paterentur diminutionem, Ciamontio ne Ferrariensem desereret imperauit; qui ducentis cataphractis, quibus præerat Castellio, octingentos Germanos pedites adiunxit. At Pontificius exercitus, necessarijs rebus lentè comparatis, Marco Antonio Columna, cum centum grauis, quadringentis leuis armaturæ equitibus, & peditum duobus millibus ac quingentis, ad Mutinæ præsidium relicto, ad Concordiam castra posuit: qua eadem die, quo tormenta fuerunt disposita, vi capta, & deinde arce deditione occupata, Mirandulam accessit. Iam Decembris mensis finis instabat, eiusq; anni temperies fortè solito erat rigidior: quare cum & oppidum esset munitum, nec Gallos adeò opportuni loci iacturam passuros crederetur, belli duces summopere se eo posse potiri diffidebant, & tamen Pontifex tantam de totius belli victoria spem conceperat, vt cum, propter dissidium quod inter Vrbinatem & Papiensem erat, nouum legatum cardinalem Senogalliensem ad exercitum mitteret, coram multis ei mandaret, vt cum exercitus Ferrariam ingrederetur, in primis eam ciuitatem quoad fieri posset cōseruari curaret. Die quarta, post castra ad Mirandulam posita, tormentis eam petere cæperunt: verùm multa aduersa & incōmoda tempestatis ac cōmeatus, qui parcè ex Mutinensi agro ad castra cōuehebatur, patiebantur: nam cum Vastallæ 50. cataphracti Galli essent impositi, totidem Corregij, Carpij ducenti & quinquaginta, pontibus omnibus dissectis, itineribusq; quibus ex Mantuano agro conuehi poterat occupatis, aliunde comportandi facultatem prorsus adimebant: sed citò ea angustia aliquantum est imminuta; nam qui Carpij erant, hostiles copias ad se inuadendos aduentare falso rumore persuasi, quod tormenta non haberent perterriti discesserunt. Sub huius anni exitum Pontifex, quasi vt per Mediceum cardinalem, cum Marco Antonio Columna, & nonnullis Florentinis adolescentibus de Petri Soderini Florentinorū Vexilliferi, cuius opera Florētinos Gallicā factionē sequi ferebatur, cæde ageretur cōscius & fautor fuisset, aliqua infamia notatus fuit: nam cum Pontifex multis rationibus eam sibi rempub. coniungere tentasset, omnis opera irrita fuerat, imo multò ante in

Galliæ regis gratiã, maxima Pontificis moleſtia Senenſibus inducias remiſerant, quanuis ante ſextum poſt recuſatas inducias menſem, vt rex ad terrorem populo incutiendum optabat, arma mouere recuſaſſent: præterea ducentos grauis armaturę equites qui ad Mediolanenſis imperij cuſtodiam manerent, ſic à rege fœderis iure non tam auxilij momento, quàm vt eos à Pontifice alienaret cupiditate poſtulatos, ad regem miſe-
1511. rant. In hoc rerum ſtatu annus ſupra M. D, decimus exactus eſt. Sed noui anni auſpicia, res cunctis ſeculis inexpectata inauditaque ſummopere notauit ac memorię commendauit: cum enim Mirandulę oppugnatio lentius procedere Pontifici videretur, idq; ducum ac præſertim nepotis, partim imperitiæ, partim perfidiæ tribueret quod potius ex multis impedimentis oriebatur, impetu, ardoreque animi omnibus rationibus antepoſito, ſua præſentia rem accelerare cõſtituit: nec quàm tantę maieſtatis ſublimitate ipſum met Romanum pontificem in caſtra contra Chriſtianorum oppida proficiſci eſſet indignum, & periculoſum; fama ac mortaliũ omniũ de ſe iudicio contempto, ijs qui præcipuè eius adminiſtrationem Eccleſiæ pernicioſam, errores que omnibus offenſioni, ac tales qui nulla ratione corrigi poſſent eſſe aſſerentibus, concilium cogere ac principes in eum concitare ſtuderent, conſpicuum colorem, & penè iuſtam cauſſam præbere vlla cogitatione eum cõtinebat. His verbis tota curia perſonabat; omnes mirabantur; nemo erat qui non vehementer improbaret, nec minus alijs Venetorũ legati; Cardinales ſupplices ne iret vehementer inſtabant; ſed vanæ erant omnium preces, vanæ ſuaſiones. Secunda Ianuarij, tribus comitatus cardinalibus Bononia diſceſſit; cumq; in caſtra peruenisſet, in ruſtici cuiuſdã paruulam caſam, hoſtilium tormẽtorũ fulminibus expoſitã, quòd à Mirandulę mœnibus nõ vltra geminum iaculi iactum diſtaret, diuertit: hic cum non minus corpus quã mentẽ & imperiũ defatigaret exerceretq;, huc atq; illuc ſemper caſtris ob equitando vt tormenta vniuerſa aptè collocarẽtur, quorũ minima pars ad eã vſq; diem erat poſita; propterea quòd omnia militaria munia, acerbiſſimis tẽpeſtatibus ac penè cõtinua niue fuerant impedita; & quia fabri, cum præter tẽpeſtatũ acerbitatem, oppidanorũ tormentis vehemẽter læderentur, nulla diligentia à fuga cõtineri poterãt, vrgebat: ideò cũ ad eorũ qui circa ea verſabantur ſecuritatẽ, in ijs locis quibus tormenta collocanda erant, nouos aggeres facere, aliosq; fabros comparare eſſet neceſſe, Pontifex dum hæc cõparantur, vt tantiſper caſtrenſia incommoda vitaret, ad Concordiam ſe contulit; quò, Ciamontij iuſſu, Albertus pius varijs allatis pacis ineundæ rationibus ad eum venit; quæ, etſi ſæpius vtrũq; acceſſerit, ſiue pontificis cõſueta pertinacia, ſiue quòd Albertus cuius ſemper augebantur ſuſpiciones, non eo candore quo decebat vteretur, fruſtra fuerunt tentata. Eadẽ impatientia, eodemq; ardore ad caſtra eũ impellente paucos dies Cõcordiæ moratus eſt: quem nec ingens in itinere nix quæ cõtinenter de cœlo ruebat, nec adeò immenſa frigora, vt ea vix milites ipſi ferre poſſent, vel minimũ refrigerabant; qui in ſacello quodã ſuis tormentis proximo mœnibusq; priori caſa propinquiore tabernaculum fixit, nulloq; eorũ quę facta erant quęq; adminiſtrabantur cõtentus, vehementiſſimis verbis omnes duces, præter Marcum Antoniũ Columnam denuò Mutina acerſitum, accuſabat: nec minore impetu per caſtra alios increpando, alios hortando, & re ac verbis ducis munus obeundo diſcurrebat: etiam militibus ſi ſtrenuam operam nauarent, ſe nulla pactione Mirandulam recepturum, ſed eis diripiendã conceſſurum promittebat: erat aũt notatu dignum, hominumq; oculis admodum nouũ, Galliæ regem profanum principem, ætate ſatis florentẽ, tuncq; benè valentẽ, ab ineunte ætate in armis educatũ, eo tempore domi quieſcentem, bellũ quod præcipuè in ſe gereretur, per duces adminiſtrare; ſummũ verò põtificem, Chriſti in terris vices gerentẽ, ſenẽ atq; ægrotũ, in delicijs voluptatibusq; nutritum, ipſummet in bello à ſe ipſo contra Chriſtianos excitato, atq; adeò in ipſis caſtris ad obſcuri oppidi obſidionẽ ſtare; vbi velut copiarum imperator, laboribus periculisq; aditis, nihil præter ornatum nomenq; pontificis retineret. Res ſumma ipſius vigilantia, querelis, promiſſis, minisque celeriùs quàm alioqui feciſſent adminiſtrabantur: & nihilominus multis difficultatibus cõtra pugnantibus ſegnius omnia procedebant. Fabroum, tormentorumq; in caſtris paucitas erat, in quibus ne Venetorũ quidem ſatis erant; magna his accedebant tẽpeſtatis humidioris incõmoda, qua fiebat vt tormentarius puluis vim conſuetã minimè oſtenderet. Oppidani

quibus

quibus Alexander Triultius cum quandringentis externis peditibus præerat, ſtrenuè propugnabant; & ſpe auxilij à Ciamontio promiſſi, maiori virtute pericula ſuſtinebant: is, ne eum oppidum Pontifici occupãdum relinqueret, Regio accepto mandato, Hiſpanis peditibus qui Veronæ erant accerſitis, & ſuis copijs vndique collectis, pedites alios quotidie conſcribebat; idemque Ferrarienſi faciendum mandabat, ſeque ante vigeſimum Ianuarij diem hoſtilia caſtra inuaſurum promittebat. Verùm multa erant quæ hoc cõſilium difficile periculoſumque reddebant; temporis ad tot res comparandas breuitas; caſtra muniendi ſpacium hoſtibus conceſſum; tormentorum pulueris glãdiumque & commeatus, tempeſtate tam rigẽti, difficillimis itineribus, & niuibus maioribus quàm à multis annis fuiſſent, conuehendi difficultas: is autem qui temporis iactura gerendi velocitate compenſata, hæc impedimenta leuiora reddere debebat, auxit: Ciamontius enim quòd rem numariam aliaque neceſſaria comparare diligentius velle diceret, cum tamen nobilis Mediolanẽſis fœminæ amore eò allectus palam ferretur credereturque, repentè mutatis equis Mediolanum contendit. Eius profectio, etſi citò redierit, magnopere militum ſuorum animos, & eorum qui Mirandulam tuebantur ſpes deiecit: quare multi, non minus forte quàm negligentiam aut ignauiam Ciamontij, ipſius in Ioannem Iacobum Triultium odium obeſſe apertè dicebant; ideoque proprijs ſtudijs, vt ſæpenumero fit, Regiæ vtilitati antepoſitis, gratum ei fore, ſi eius nepotes eo loco pellerentur. At Pontifex vt victoriam conſequeretur nulli rei parcebat, eò etiam maiore incenſus furore, quòd in eius culina duo viri tormenti glande ex oppido emiſſa interierant: quo periculo cum inde migraſſet, quia ſibi ipſi temperare nõ poterat, poſtero die reuerſus, nouis periculis, in cardinalis Rhegini tentorium diuertere fuit coactus; quò oppida ni fortè eius cognita præſentia, non ſine eius vitæ diſcrimine magnum tormentum direxerunt. Tandem omnis auxilij penitus amiſſa ſpe, & tormentis magnum detrimentũ inferentibus, foſſarum præterea aquis tanto gelu concretis, vt glacies milites ſuſtineret primum impetum qui intra biduum parabatur, ne poſſent ſuſtinere veriti, eodem die quo ſe Ciamontius venturum promiſerat, legatos de deditione ad Pontificem miſerũt, ea lege, vt homines & bona ſeruarentur: qui quamuis initio militum vitæ ſe nolle parcere reſponderet, tamen ad extremum, ſuorum omnium precibus victus, propoſitis cõditionibus eos recepit; eo excepto quòd Alexandrum Triultium cum nonnullis peditum ducibus, ſibi captiuos dedi voluit; & ci: e; certa pecunia numerata ſe à direptione militibus promiſſa redimerent: nihilominus cum quod promiſſum fuerat deberi ſibi exiſtimarent, non parum Pontifici ne diriperetur laborandum fuit; qui ſupra mœnia vectus (portæ enim terra obſtructæ erant) inde in oppidum deſcendit. Arx quoque, Dominæ cum tota ſua ſupellectile diſcedendi data facultate, deditionem fecit. Mirandulam Pontifex Ioanni Franciſco reſtituit; in eumque filiorum Ludouici iura, velut iuſto bello parta tranſtulit, ea tamen lege, vt intra certum tempus aureorum mumùm viginti millia ſumptuum factorum nomine pontifici perſolueret, atq; ea de re filium obſidem daret: ne autem eam educto exercitu Galli occuparent, quingentos Hiſpanos, & trecentos Italos pedites impoſuit. Mirandula, Sermidum in agro Mantuano ad Padi ripam poſitum caſtellum maxima Ferrariæ ſtatim occupandæ ſpe profectus eſt: quare eadem die qua Mirandula potitus eſt, ſe, niſi ante quàm reliqua capita pacis proponerentur, ſibi Ferraria dederetur, nullum de pace ſermonẽ auditurũ admodum explicatè Alberto Pio reſponderat. At nouis Gallorum conſilijs, eius quoque ſunt mutata conſilia: Rex etenim cum quantum Mirandula amiſſa, rerum ſuarũ eſſet autoritas imminuta animaduertiſſet; Pontificis verò animũ ſponte ad pacata cõſilia conuerti poſſe deſperaret, Ciamontio mandauit vt non modò in Ferrariæ defenſionem incumberet, verùm etiam ſi commoda occaſio daretur, ab pontificio imperio infeſtando minimè abſtineret: quocirca cum Ciamontius vndiq; copias compararet, Pontifex ducum conſilio Bononiam ſe recepit: vbi paucos dies commoratus, ſiue timore, ſiue quemadmodum aiebat, vt ex loco propinquiore Baſtiæ Genioli oppugnationem, ad quam aliquot milites quos in Aemilia habebat mittere cogitabat, vrgeret, Lucium venit: ac tandem, fortè quòd tam paruum negotium ſua præſentia dignum non exiſtimaret, Rauennam profectus eſt. Venetorum copiæ, cum hoſtium propinquitate Ferrariam inuadere prohiberentur, ad

Bondinum constiterant; Pontificiæ verò atque Hispanicæ, quæ etsi trimestre spaciũ esset elapsum, Pontificis precibus inter Centum & Finale supersedebant. Ciamontius autem, exercitu hostibus peditum numero atque equitum virtute superiore, sed multitudine equitum inferiore comparato, de belli gerendi ratione deliberabat. Galli duces vt Ferrarienſis copijs, suis coniunctis hostes adorirentur, qui etsi locis munitis castra habe rent, armorum virtute, & tormentorum fulminibus eos facilè ad retrocedendum compelli posse sperandum esse dicebant; quo successu non modo Ferraria omni periculo liberabatur, sed existimatio quoque ad eum vsq; diem amissa penitus recuperabatur: ad eandem etiam sententiam dum per Mantuanum agrum exercitum ducerent, marchionis excusationes impedimentaque, quibus quò minus tanquam Cæsaris beneficiarius ac regis miles arma cepisset detentum se affirmabat, remoueri posse differebant; eiusq; nomen ad Ferrariæ securitatem magnopere conducere, hostibus verò in hoc bello plurimùm obesse, propterea quòd inde Venetorum exercitus nõ exiguis commeatus, põtium, ac locorum ad traijcienda flumina opportunitatibus priuaretur; & Marchio Itatim milites quos in Pontificio exercitu habebat reuocaret. Sed contrà Triultius, qui ijsdem diebus quibus Mirandula capta fuit ex Gallia redierat, hostilem exercitum intra castrorum suorum opera munitionesque inuadere periculosum esse ostendebat, ex hostium verò progressu, suos quotidie progressus instituere pernitiosum; Mutinam vel Bononiam versus se conuertere, vtilius tutiusque fore; nam si hostes, alicuius earum ciuitatum amittendæ timore mouerentur, Ferrariæ à belli iniuria liberandæ optatum finem assequuturos; si manerent, facilè alterutram occupari posse; quò facto maior necessitas eos ad propria tuenda pertraheret; quòd si è suis munitissimis castris exirent, rei benè gerendæ occasionem forte quampiam datum iri. Hæc erat Triultij sententia; tamẽ Ciamontij ceterorumque Gallorum in eius autoritate minuenda propensione, factum est, vt aliud consilium Alfonso præsertim Estense in id summopere elaborante fuerit receptum: sperabat enim fore vt hostes cogerẽtur ex suis finibus discedere, quos afflictos & exhaustos tam graue onus vlterius sustinere vllo modo posse negabat: nam si Galli longius concessissent, ne hostiles copiæ Ferrarienſem Polinesum ingrederentur metuebat; sicque eius ciuitatis ęgritudo omni reliquo spiritu adempto, insanabiliter augeretur. Itaque Lucerenſi Gonzagenſique itinere, copiæ ad Razzolum & Moiam castra posuerunt: vbi tempestatis acerbitate, quia in agris nulla ratione metari poterant, & in Pontificis discessu suburbia cum omnibus vicinis ędificijs fuerant combusta, eorum qui Mirandulam inuadendam proponebant consilio reiecto, triduum sunt commorati. Eadem quoq; ratione, ne in re parui momenti tempus inaniter cõsumeretur, Concordiam quinque milliaribus distantem adoriri non placuit: ideo Quistellos venerunt; & Seccię fluuio nauali põte traiecto, proxima luce Rouereum ad Padi ripam metati sunt: quæ res in causſa fuit, vt Andreas Grittus, qui prius Rhodigiana Polineso recepta, & Venetarum copiarum parte, Bernardino Montonio duce, Montanianæ vt militibus qui in Veronenſi præsidio erant obsisteret relicta, cum trecentis grauis & mille leuis armaturæ equitibus totidemque peditibus Padum amnem vt se Pontificijs copijs coniungeret accerserat, Vastallæ oppido ante direpto Montanianam se contulerat. Rouereo profecti Galli, Sermidum contenderunt; ibique in vicinas villas ordine sunt distributi: quo facto Ciamontius cum nõnullis ducibus, sed sine Triultio, ad Stellatam oppidum: quo in loco Alfonsus Estẽsis vt qua arte cũ hostibus qui omnes ad Finale castra locarant, progrediẽdum esset decerneretur, eum expectabat, profectus est: & vt Alfonsi copijs Gallicis circa Bondinum coniunctis, omnes in quibusdam villis tribus passuum millibus à Finali remotis castra ponerent; vt deinde ex locorum natura atque rebus quę ab hostibus gererentur consilium caperent decretum fuit. Ciamontio autem quamprimùm Sermidum redijt, ad ea castra peruenire admodum difficile esse indicatum est: aquarum enim impedimento, quibus regio circa Finale est referta, nisi publica via, & riui aggeribus, quos hostes pluribus in locis sciderant, & vt transitum impedirent prędidijs munierant, eò peruenìri minimè poterat: quòd his difficultatibus, aduersis adiunctis tempestatibus, difficillimum fore videbatur; quare Ciamontio vehementer hæsitante, Alfonsus qui nonnullos architectos & regionis peritos homines apud se habebat, locorum situ naturaq;

ostensa

oſtenſa contrarium perſuadere conabatur; & eos qui aditus aggerũ cuſtodirent,tormẽ torum vi facilè deturbari,eamque ob cauſſam facilè vbi neceſſe eſſet,pontes iaci poſſe aſſerebat. Quibus à Ciamontio ad conſilium relatis, & vtrinque diſputatis, Triultio potius non impugnante quàm aſſentiente,in Alfonſi ſententiam ibatur: forte verò eius taciturnitas magis,quàm contraditio feciſſet,homines mouit:diligentius enim perpendentibus difficultates maiores apparebant; eumque veteranum ducem tam longa experientia,ſemper talem profectionem improbaſſe; quòd ſi inde aliquid ſiniſtri contigiſſet, à rege eum,qui contrà eius ſententiam ſuaſiſſet,reprehenſum iri animaduertebant. Ciamontius altera luce, eadem de re conuocato concilio, Triultium,ne ſilentio quemadmodum priore die fecerat,ſed perſpicua oratione ſuam ſententiam aperiret,vehementer rogauit. Is igitur cùm hac oratione, tum rei magnitudine incitatus,omnibus ad audiendum intentis, talem habuit orationem.

Ego quoniã re ipſa ſæpenumero cõperi cõſilium meum parui fieri,heſterna die tacui; quod ſi ab initio receptũ fuiſſet his in locis, hoc tẽpore nõ eſſemus;nec tot dierum,qui vtilius tranſigi poterant, ſuperuacaneã iacturã feciſſemus;vt niſi me rei grauitas impelleret,hodie quoque in eadem tacendi ſententia perſiſterem;agitur enim de hoc exercitu, de Ferrariẽſium Mediolanenſiumq; imperio,ſumma nimis grandi,cum ea expoſitã nihil ſuperſit,vnico aleæ iactu periclitãdo: præterea quòd Ciamontium, vt ego primus eam ſententiam quæ iam ei arridere incipit feram,cupere videor animaduertere,me ad dicendum inuitat: quæ res mihi nequanquam accidit noua,quòd aliàs cõſilia mea,tunc quum de aliqua re forte non ſatis maturè deliberata reuocãda diſputatur,minus quàm quum primum res ad conſilium referuntur negligi animaduerti. Nos de prelio cum hoſtibus cõferendo agimus:ego verò illud maximorum Imperatorum firmamentũ perpetuum ſemper eſſe,quod & ipſe vſu verum eſſe cõperi,nunquam niſi vel magna rei bene gerendæ occaſio inuitet,vel neceſitas cogat pugnæ fortunam eſſe periclitandam :& eſt preterea militaris diſclipinæ,vt hoſtes qui,quoniam Ferrariam ſibi bello depoſcunt,actores ſunt,nos inuadere cogitent,non vt nos quibus vim repellere ſatis eſt,contra omnes militares leges,eos inuadere conemur.Sed quæ nam occaſio vel neceſſitas nos impellat videamus.Mihi quidem ſic ſe res habere videtur,ac,ni fallor,habet, id quòd Ferrarienſiũ dux proponit,niſi ingenti noſtro incõmodo tentari nullo modo poſſe:nõ enim ad ea caſtra niſi per aggerẽ & anguſtũ ac difficillimũ aditũ adire poſſumus,vbi nõ omnes noſtras copias explicãdi locus eſt, & vbi illi paruis viribus longè maiorẽ numerũ poſsũt repellere,per aggerẽ noſtri equites ſinguli incedãt neceſſe erit;per aggeris anguſtias tormenta,impedimenta,carros,& pontes trahamus:& quis ignorat in anguſta & difficili via ſi quòd tormentum,ſi currus impingat,per horam omnes copias moraturum ? nosq; tot difficultatib.implicatos quouis caſu mediocriter aduerſo facilè poſſe turbari?hoſtis ſub tectis,commeatu & pabulo abundantes caſtra habent ; nos ſub dio penè omnes caſtra metabimur; & pabula nobiſcum ferre neceſſe erit; nec niſi ingenti labore aliquã partẽ rerũ neceſſariarũ vehere poterimus. Non debemus architectorũ vel ruſticorũ regionis peritorũ verbis fidẽ habere;bella enim militũ armis,& ducum conſilio geruntur:in acie pugnãdo,nõ figuris quę ab hominibus rei bellicę imperitis in cartis notãtur, vel digito, ſeu virga in puluere deſcribũtur:hoſtes ego nõ tam imbecilles fingo,nec res eorũ adeo perturbatas,nec in caſtris capiendis ac muniendis,aquarũ & ſitus oportunitate tam parũ vti noſſe,vt quãprimũ ad ea caſtra quæ deſignãtur peruenerimus,etiamſi vt cõmodè eò veniremus daretur,eos inuadere in noſtra poteſtate mihi futurum pollicear :multæ difficultates nos vel inuitos biduum aut triduum morari poterunt; & ſi non aliud,niues pluuiæue in tam aſpera incertaque tempeſtate retinebunt: quòd ſi diutius hærere contingat, quomodo commeatum pabulumue comparabimus ? & ſi etiam eos inuadere eſſet in noſtra poteſtate,quis eſt qui tam facilè ſibi victoriam auſit polliceri?quis nõ videt quàm ſit periculoſum,hoſtes in loco munito caſtra habentes adoriri,eodemq; tẽpore cum ipſis,& cum locorũ ſitusq; difficultatibus pugnare? Niſi eos ſtatim ea caſtra relinquere cogamus,nos retro cedere cogemur;atq; id in regione penitus inimica& vbi quod vis periculum atque offenſio fieret grauiſſima, quantis difficultatibus fiet ? Nec aliqua nos impelli neceſſitate video,cur omnes regis in Italia fortunas vno momento

tantũ conijciamus diſcrimen: propterea quòd nos prȩcipuè nullã aliã ob cauſam huc venimus, niſi vt Ferrariam tueremur; in quam ſi maius prȩſidium intro miſerimus, etiam ſi totum exercitum poſtea dimitteremus, de ea nos eſſe ſollicitos minimè opus erit. quòd ſi quis dicat adeò exinanitam eſſe, vt ſi hoſtiles copiæ diutius eam preſſerint, quin per ſe corruat fieri nõ poſſe, non ne diuerſionis remedium in bellis valentiſſimum, quo ne vno quidem equo in periculum coniecto, eos Ferraria recedere cogemus? Ego ſemper ſuaſi, ac nunc ſuadeo multo magis, vt aut Mutinã, aut Bononiam verſus lato itinere ſumpto, & Ferraria per hoſce paucos dies benè munita (neq; enim pluribus opus erit) relicta contendamus. Nunc Mihi Mutinam petere magis placet, ad quam nos Cardinalis Eſtenſis tantus vir, quiq́ue ſe conſcios in ea habere aſſerit, admodum facili adeptione propoſita impellit: iam tanti momenti loco occupato, hoſtes ſubitò Bononiam verſus ſe recipere compellerentur; & quamuis Mutina non caperetur, eius rerumq́ue Bononienſium metus eos ad idem faciendum impellet, quemadmodum procul dubio ſi ab initio hanc ſententiam ſequuti eſſemus, iam ante multos dies feciſſent.

Omnes ex difficultatibus ante oculos poſitis, ſapientis ducis validis rationibus adducti, id quòd ille cum procul eſſent præuiderat, cognouerũt: ideo eius ſententia omnib. probata, Ciamontius maiori copiarum numero Ferrarienſi ad eius ſecuritatem relicto, exercitum eodem itinere Carpium verſus duxit, cum nondum vt Mantuanus animum ſuum aperiret, conſequutus eſſet; quæ fuerat vna ex prȩcipuis rationibus ab ijs adductis, qui cõtra Triultij ſententiam ſenſerant: cum enim Marchio in ijs perturbationibus immunem ſe à ſtudio partium conſeruare cuperet, tempusq́ue quo declarandi ſpem fecerat appropinquaret, varijs adductis cauſis ſibi aliquot dies differre liceret, poſtulabat: Pontifici manifeſto periculo, quod ſibi à Gallico exercitu ingruebat oſtenſo; ab Ciamõtio autem, ne ſpem, qua ſibi breuiſſimo temporis interuallo filium à Pontifice reſtituendum nixus erat, vellet corrumpere, flagitabat. Sed nec Mutinę occupandę conſiliũ Aragonum Regis aſtu, occultisq; cõſilijs magis, quàm Pontificijs armis impedientibus feliciter ſucceſſit. Mutinam vrbem longiſſimo tẽpore iuris imperij iudicatã, & ab Eſtẽſi familia multos annos Ceſarũ beneficio poſſeſſam, à Pontifice occupatã eſſe Cæſari moleſtum fuerat: & quamuis multis querelis vt ſibi cõcederetur inſtitiſſet, Pontifex qui de eius ciuitatis iure ſecus, aut ſentiebat, aut prætexebat, ab initio, prȩſertim verò, dum ſibi Ferrariæ occupationẽ facilem fore ſperauit, repugnauerat: at gallicis armis apertè Eſtẽſium cõmodo fauẽtibus, cum nec Mutinã niſi graui ſumptu tueri poſſet, Aragonię regis cõſilium guſtare cæperat; qui vt ad tantas moleſtias vitandas, Cæſaris animum mitigandum, & ſi fieri poſſet, diſcordias inter Galliæ regem & ipſum ſerendas concederet, hortabatur; prȩcipuè cum ſi commodiori tẽpore eam recuperare optaret, ſemper mediocri pecunię ſumma Cęſari numerata facilè voti compotem fore: qui ſermo propterea quòd Pontificis voluntas ex ſpei variatione mutabatur, in multos dies protractus fuerat, ſemper autem hęc difficultas fixa pmãſerat, quòd Cęſar, niſi in reſtitutionis diplomate, perſpicuè eam ciuitatẽ ad Imperiũ ſpectare exprimeretur, recipere recuſabat; idq́; Pontifici duriſſimũ videbatur: vt autem occupata Mirandula, vidit Ciamontiũ potentẽ in aciem prodijſſe, & eaſdem difficultates atq; ſumptus Mutinæ tuendæ ad ſe redire, verborũ cõtrouerſia omiſſa, vt in diplomate Mutinam Cæſari ad quem iure ſpectaret reſtitui diceretur permiſit: cuius poſſeſſionem quamprimum Vitfruſtius Cæſaris apud Pontificem orator accepit, quòd Cæſarea autoritate tutam fore crederet, Marcum Antonium Columnam, cm copijs quibus antea Pontificio nomine cuſtodierat dimiſit; & Mutinam non amplius ad Pontificem pertinere, ſed legitimè ſub Cęſari imperium redijſſe Ciamontio ſignificauit. Id Ciamontius verum eſſe non credidit; eamq; ob cauſam, Cardinalẽ Eſtenſem ad coniurationis quam ſe in ea ciuitate habere dixerat, exitum vrgebat: cuius mandato cum Galli milites quos Ciamontius ad Ruberiæ prȩſidiũ reliquerat, quanto ſilẽtio potuerat, quadã nocte ad vnũ Mutina miliare acceſſiſſent, rebus ab ijs qui intus erãt ſignificatis, vel aliqua interiecta difficultate, vel quòd Galli ante tẽpus veniſſent, nõ reſpõdentibus, eadem nocte Ruberiãredierunt. Exiuerunt pòſt & alia nocte Ruberia, vt Mutinam accederent, verùm aquarum copia atq; furore, quò minus Secciam amnem qui præter Ruberiã fluit tranſire poſſent fuerũt impedit. Quibus ex rebus in ſuſpicionẽ adductus

adductus Vitfruſtius nõnullis Mutinẽſibus, qui quòd cũ Eſtẽſi Cardinale occulta habe rent cõſilia accuſabãtur, in carcerẽ coniectis, à Pontifice vt Marcus Antonius Columna cum eodẽ præſidio rediret impetrauit: quòd Ciamontiũ qui iam Carpiũ venerat, quo mi nus eò caſtra transferret nõ retinuiſſet, niſi aduerſa tẽpeſtas torméta eo itinere, quod nõ longius decẽ millibus paſſuũ inter Ruolũ & Carpiũ eſt, vehi prohibuiſſet; quod iter o mniũ totius Longobardiæ itinerũ, quę hyeme aquis inundata, & lutulenta ſunt, deterri mũ eſt: præterea Ciamontius indies magis Mutinã reuera Cæſari datã eſſe certior eſt fa ctus; ideo cũ Vitfruſtio de Mutina deq; eius finibus nõ tentandis fidẽ dediſſet, viciſſimq; ab eo quòd is in motibus inter Põtificẽ, & chriſtianiſſimũ regẽ, neutri parti eſſet adhęlu rus fidẽ accepiſſet, quieuit. Poſt paucos dies Ciamõtius in grauẽ ęgritudinẽ incidit; ideo Corregium delatus 15 die ſupremũ vitæ ſuæ diẽ clauſit; ante obitũ tamen religioſe ad modũ ſe ſuarũ in eccleſiã offeſionum pœnitere declarauit, publicoq; ſcripto a Pontifice ſuppliciter petiuit, offenſas cõdonari; quod quidẽ eo viuo cõceſſum, ad eius notitiã mor te interueniẽte peruenire minimè potuit: qui dũ vixit, propter ſummã Rotomagẽſis Car dinalis potentiã, & propter penè liberã Inſubrię omniũq; Regiorũ exercituũ poteſtatẽ magnæ in Italia autoritatis; virtute autem tanto oneri admodũ impar; nam in tanto ho noris gradũ conſtitutus, nec bellicas artes ipſe per ſe norat, nec ſcientibus fidẽ habebat; vt cum pòſt patrui obitũ imperitia ipſius nõ iam ſubleuaretur à gratia, tandẽ penè in cõ temptum apud milites venerit: quibus ne ſe apud regẽ deferrent, maximã licentiã per mittebat: quare Triultius dux in antiqua diſciplina educatus, ſæpius, ſe nunquã in poſte rum Gallorũ caſtra, niſi aut rex adeſſet, aut ipſe cunctis præeſſet, iturũ ſacraméto confir mabat. Decreuerat tamen rex antea ei Longauillã regia ſtirpe quamuis extra matrimo niũ prognatum, ſucceſſorẽ dare; nõ tã virtute, quàm ex nobilitate atq; opibus, hominis autoritatẽ exſtimationemq; ſequutus. Ciamontij obitu, ex Gallię inſtitutis, vſq; ad nouũ regis decretũ exercitus imperũ ad Ioannẽ Iacobum Triultiũ è quatuor eius regni mili tũ Tribunis vnum peruenit, qui cum an in ea poteſtate eſſet permaſurus nec ne, ignora ret, nihil magni moliri audebat. Nihilominus cũ exercitu Sermidũ, vt inde ad Baſtiam Genioli tuendã tẽderet redijt: quã Pontifex copijs quę in Gallia togata erãt infeſtabat: & vt Venetorũ quoq; claſſis, quæ tredecim triremes, & multa minora nauigia cõtinebat eodẽ tẽpore eo accederet procurauerat, ſed vlterius progredi opus nõ fuit: dũ enim ter reſtres copiæ parua obedientia & ordine obſident, ecce repentè Ferrarienſis & Caſtel lio cũ Gallis militib. aduentãt, qui maiori militũ numero eruptione Ferraria facta, pedi tes quidẽ ſecundo flumine Pado, duces verò cũ equitib. terreſtri itinere ſecundũ ripam ad Santernũ amnẽ peruenerũt; ponteq; quem ſecũ vexerant impoſito, mométo tẽporis impetu facto hoſtes in eos nihil pugnãtes prẽter trecẽtos Hiſpanos pedites qũi torméto rum cuſtodię erant deſtinati pturbarũt, & fuderunt, adeo vt ęgrè Guido Vaina, Brunorus Foroliuienſis, eiusq; frater Meleager equitũ duces, ſignis tormentisq; amiſſis, euaſerint: quare Veneta claſſis ad vitandũ periculũ regreſſa in Padũ ſe recepit. Hac ratione res bel licę ita varię erant, vt nundũ aliquod indiciũ, ex quo certo, qui nã belli exitus futurus eſ ſet perſpici poſſet, appareret: at nõ minus nec minori ambiguitate nutabant principum cõſilia, præſertim Cæſaris; qui inexpectatò, Epiſcopũ Gurcenſem Mantuã, ad agendum de pace mittere cõſtituit. Hoc internuntio vt ſupra dictũ eſt, inter Galliæ regẽ & Cæſarẽ ineunte Vere, graue bellũ Venetis inferre; & ſi Pontifex Cameracẽſi fœderi nõ ſtaret, cõ ciliũ cõuocare conſtitutũ fuerat: ad quod Cæſar admodũ ppenſus, pòſt Gurcenſis redi tũ, patrimonij ſui Antiſtites, vt qua ratione, quoue loco celebrandũ eſſet deliberarẽt cõ uocauerat: verũ vt natura varius, incõſtãs, & gallico nomini infenſus erat, Aragonię regi deinde aures prębuerat; qui cũ ex Cęſaris Gallorũq; regis cõcordia, & Venetorũ cõmu nib. armis depreſſione, Põtificis quoq; per concilũ pernicie, Galliæ regis potentiã ſupra modũ auctum iri animaduerteret, cõmunẽ pacẽ modò per eã vel omnia vel maiorẽ par tẽ eorũ cõſequeretur, quę Veneti occupaſſent, vtiliorẽ fore ei perſuadere ſtuduerat; hor tatusq; erat, vt ad hoc virũ aliquẽ inſignẽ cum ampla poteſtate Mantuã mitteret; atque vt Galliæ rex idẽ faceret curaret, ſe quoq; miſſurũ, eaq; ratione pontificẽ idẽ facere non recuſaturũ; nec deniq; à tot principũ voluntate diſceſſurũ: cuius cõſilijs cum Venetorũ cõſilia penderẽt, niſi ſoli deſeri vellent, eius autoritatem ſequi cogerẽtur; Cęſarem ſine

labore,ſine armis,ſine Galliæ regis exiſtimationis potẽtiæúe incremẽto,ſumma cũ gloria,& cõmuni omniũ pace ſua obtenturũ meritò ſperari poſſe; & ſi etiam nõ id euenirer quod iure deberet,nõ ideo belli conſtituto tẽpore,eademq; oportunitate inferendi facultate priuari: imo cũ ipſe omniũ chriſtianorum principũ caput ſit, Eccleſiæq; patronus,eius rationes magnopere auctũ iri,gloriãq; hoc cõſilio vehemẽter cumulatã;ipſum namq; paci& Chriſtianorũ cõcordiæ præcipuè cupidũ fuiſſe,ad bella verò aliorũ pertinacia peruerſisq; conſilijs impulſum, cunctis mortalibus perſpicuũ futurum. Rationes à catholico rege adductæ Cæſari placuerunt, ideoq; tẽpore eodem ad Pontificẽ & ad regẽ Galliæ ſcripſit: ad Pontificẽ, ſe Gurcenſem Epiſcopũ in Italiã mittere decreuiſſe; quòd vt principẽ religioni deditũ,proq; Imperatoria dignitate Eccleſię patronũ,omniumq; Chriſtianorũ principũ caput deceret,quantum poſſet ſacroſanctæ ſedis tranquillitatẽ,& chriſtianæ reip. pacem promouere ſtatuiſſet;eumq; hortari vt quemadmodũ ad verũ Chriſti vicariũ ſpectaret eundẽ animum indueret,ne ſi pontificio munere fungeretẽ ipſe Chriſtianorũ quieti neceſſaria remedia excogitare cogeretur. Quòd Cardinales abſentes purpurei galeri dignitate priuare moliretur,ſe nõ probare. ſi enim nec malis cõſilijs,nec eius odio abſceſſiſſent, eos eiuſmodi pœnã nõ mereri,nec Cardinalium abdicationẽ ad Pontificem ſolũ ſpectare.Monere etiam,rẽ eſſe valde indignã,inutilemq; in tãta rerũ perturbatione nouos Cardinales creare;quod etiã legibus quibus à Cardinalibus eſſet ad pontificatũ aſſumptus,facere prohiberetur:hortari huiuſmodi negotiũ in magis tranquillũ tẽpus, quo nec neceſſitas, nec cauſa ulla eſſet, vt ad tantã dignitatem, niſi viri prudentia,doctrina,moribus probatiſſimi promouerẽtur,differret. Ad Gallię verò regẽ ſe cum eius in honeſtã tutamq; pacẽ propenſionẽ notam haberet, Epiſcopum Gurcenſem Mantuã ad agendũ de cõmuni pace legare cõſtituiſſe;ad quã nõ leuibus argumentis ducebatur, vt Pontificẽ cuius autoritatẽ Veneti ſequi cogerẽtur,propenſum eſſe crederet,idẽ quoq; Aragonię regis oratores promiſſuros,eamq; ab cauſſam,ſe,vt& ipſe legatos amplis cum mandatis eo mitteret, poſtulare;quibus cõgregatis, Gurcẽſem pontificẽ idem faceret rogaturũ: qui ſi nolit omniũ nomine cõcilium ei indicturũ; vtq; maiori æquitate fierent,comunibusq; cõtrouerſijs finis imponeretur, Gurcenſem omniũ cauſſas auditurũ:quouis autẽ euẽtu,id regi promittere ſe nunquã cum Venetis pacẽ initurũ,niſi eodem tẽpore eius cõtrouerſiæ cum Pontifice finẽ haberent.Ea res Põtifici fuit grata,haud equidẽ pacis cõcordiæúe cauſſa,ſed quia cũ Senatũ venetũ,vt cum Cæſare paciſceretur,flecti poſſe perſuaſum haberet,Cæſarẽ hac ratione ſocietatis cũ Gallię rege neceſſitate liberatũ,ab eo diſiunctũ iri ſperabat:vnde facilè multorũ principũ in regẽ cõſpiratio oriri poſſet.Regi verò Gallię hęc improuiſa deliberatio moleſtiſſima fuit: cum enim cõmunem pacẽ inde peruenturã nõ ſperaret,rebus inter ſe ac Cęſarẽ cõſtitutis morã interpoſitam minimũ de malis fore cẽſebat,ac ne Pontifex ad Mediolanẽſem ducatum occupandũ auxilio Cęſari promiſſo,Gurcenſi autem galeri dignitate alijsque beneficijs eum à ſe alienaret,vel ſaltẽ cõpoſitione cũ Venetis maiore cõmodo Cæſaris procurata,ſe in pacis vel ignominioſiſſimis legibus accipiẽdę neceſſitatẽ conijceret,verebatur. Cæſaris cum Heluetijs,quãuis tantũ ad defenſionẽ recenter initum fœdus ſuſpicionẽ augebat: Hiſpanũ regem, de cuius animo multis de cauſſis vehementer ſuſpicabatur,huius noui cõſilij Cæſari autorem fuiſſe exiſtimabat: eius Oratorẽ palam apud Cæſarẽ de concordia inter ipſum ac Venetos vehementer egiſſe,atq; etiam nunc agere nõ ignorabat;eundem clam pontifici in cuius exercitu ipſius copiæ longè diutius quàm regni neapolitani beneficiũ poſtularet fuiſſent,ſtimulos addere credebat:eundem quo actiones ſuas impediret,vehemẽter cõcilij indictioni intercedere, & honeſtatis ſpecie, quòd Italia bellis flagrante,atq; armata vi tale de eo opere inſtituendo ageretur,quòd ſi ne omnium principũ cõcordia,nihil aliud niſi perniciоſiſſimos fructus ædere poſſet,palam damnare ſciebat: validiſſimã claſſem in mari recenter ab eo parari cõpertum habebat;& quamuis ſe in Africam traijcere velle palam prædicaret,vtrum tamen in alium finem pararetur ſciri nõ poterat. Eius item dulciſſima verba ſuſpicionẽ multo magis augebãt,quibus regem vt cum Pontifice pacem iniret,atq; etiam ſi aliter fieri nõ poſſet,aliquid de ſuo iure remitteret,ne ſe contra antiquam Gallię regũ pietatem, Eccleſiæ hoſtẽ oſtenderet,neq; ſibi pro Chriſti nominis gloria aduerſus Africæ Mauros deſtinatum

bellum

bellum impediret; eodemq; tẽpore omnem christianam remp. turbaret, penè fraterna oratione rogabat: ac semper in christianorũ principũ cõsuetudine fuisse, cum aduersus impios arma pararent, in tam pia causſa ab alijs auxilium petere; sibi verò si nõ impediatur satis esse; nec aliam opem ab eo petere, nisi vt Italiã pacatàm esse pateretur. Quę etsi regi ab eius oratore, & regio apud eum legato, ab ipsomet admodum leniter, cumq; magna amoris significatione essent exposita, tamen tacitam armorum pro Pontifice sumendorũ attestationem cõtinere videbantur; quod quidẽ regi, nisi speraſſet se Cæsarẽ in eandẽ sententiam adduci posse, ausurum minimè verisimile videbatur. Hæc regis animũ nõ mediocriter angebãt, ac suspicione onerabant, ne pacis negotiũ per Gurcensem aut vanum, aut pernicioſum esset futurũ: tamẽ quo minus Cęsari indignationis causam pręberet, Parisiensem Episcopum, summæ autoritatis Antistitem, & in Iurisprudentia versatum, Mantuã legare decreuit. Eodem tẽpore Ioanni Iacobo Triultio qui Sermidi cõmoratus, ad maiorẽ castrorũ, & cõmeatus cõmoditatem, in plura circumpoſita oppida copias distribuerat, se per eum bellũ geri velle ea norma, ne propter aduentus Gurcensis expectationẽ põtificias res inuaderet significauit, cui rei etiã tẽpestatis inusitata asperitas obstabat; cuius causſa etiã si iam Martius incæpisset, fieri nõ poterat vt sub Ioue frigido metarentur: Ideo Triultius poſtquã aliud moliẽdi occasio nulla dabatur, eratq; in locis adeo propinquis, vtrum hostilis exercitus qui quo tẽpore Ciamontius Sermido Carpium redierat, regressus, penè omni peditatu ad Bondinum, equitatu ad Finale & in propinquis locis castra locauerat, lædi posset, tentare statuit: quare regis accepto mandato, sequenti die ad Stellatam, altero aliquanto vlterius cõtendit; vbi in vicinos vicos sub tectis exercitũ dispoſuit, ac pontem nauibus in Pado flumine inter Stellatã & Ficariolũ fieri iussit: & vt Ferrarien sis dux mille passus infra, eo loco qui Puncta apellatur, in ea Eridani parte quæ Ferrariã decurrit, alterum poneret: cumq; tormẽtis ad Hospitalettũ, locum in Ferrarien si Polineso è regione Bondini veniret, mandauit. Interea Triultius per suos exploratores cõplures leuis armaturę equites, ex ea Veneti exercitus parte quæ trans Eridanum erat, proxima nocte prope Mirandulam ad nõnullas insidias struẽdas venturos comperit: idcirco equitum aliquot turmas eò clam misit, qui quum Bellaerem mirandulani agri magnificum suburbanum peruenissent, Fraleonardum neapolitanũ, Venetorum leuis armaturæ equitum præfectum, virum in eo exercitu clarũ, ibi inuenerũt: is de hostiũ aduentu nihil suspicatus, cum centũ & quinquaginta equitibus multos qui sequuturi erãt expectãs, ibi descẽderat: verùm improuiso oppressus, dum se tueri vult, cum multis ex suis interficitur. Alfonsus Estensis quemadmodũ constitutũ fuerat, ad Hospitalettũ venit, nocteq; sequenti cæpit tormentis Bondinũ pulsare: eodemq; tẽpore Triultius, Gastonẽ Foisleum regis sororis filium, qui adolescens anno superiori in castra venerat, vsq; ad hostiliũ castrorum munitiones cum centũ cataphractis, quadrigentis leuis armaturæ equitibus, militibusq; quingentis excurrere iussit, is quingẽtos pedites ad eius frontis custodiã positos fudit: quare ceteri omnes pręsidio ad Bondinũ posito, trans flumen in situm munitũ se receperunt: Triultio autẽ nihil eorum quæ cõstituta erat succesſit; tormentorum enim cõtra Bondinũ Pado iniecto iactus, propter loci distantiam irriti erant; eoq; magis quòd flumine aucto, & ab ijs qui Bondini erant aggere corrupto, adeò regionem inundauit, vt à gallicorũ castrorum fronte ad Bondinũ transiri nisi nauibus non posset: sic eo itinere ad hostium castra perueniendi spe amissa, duo millia Germanorũ peditum Verona accersiuit; & tria Rhetorũ millia conscribi imperauit: vt nisi Gurcensis opera pax intercederet, Feliciana via ad eos accederet: cuius aduẽtus ideo aliquãto tardior fuerat, quia Salone ad lacum Benacum, cõplures dies frustra Pontificis, quẽ literis vt legatos ad agendũ negotium mitteret, rogauerat, responsum expectauit. Tandem Petro Vrrea Aragoniæ regis apud Cæsarem assiduo legato comitatus, Mantuam venit: quo paucos poſt dies & Parisiensis Episcopus, quòd Galliæ regi qui vt pacis negotijs, & belli apparatibus esset propinquior Lugdunum, Pontificem quoq; eò missurum persuasus venerat, peruenit: at Pontifex, non tam quòd id magis ex Pontificia dignitate esse duceret, quàm quòd & honore & ꝓmissorũ multitudine, & prę sentiæ suæ vi, atq; autoritate, in suam sententiã magis quàm antea vnquam à concordiæ & pace alieniſſimam eum pertrahere speraret, Gurcensi vt ad se veniret, instabat: quod

vt ei facilius persuaderet, vt Hieronymus Vichius Valentinus, Catholici regis apud se orator, ad eũ iret curauit. Gurcensis ad Pontificẽ ire non recusabat, sed id à se primũ postulari aiebat, quod pòst esset agendũ; & difficultates si prius Mantuę eo animo tractarẽtur, vt rebus deinde digestis ac penè cõfectis ad Pontificẽ iretur facilius amoueri posse: ad idem quoq; nõ minus necessitate, quã facilitatis ratione cõpelli asserebat; qui enim cõueniret Parisiensem episcopũ à Galliæ rege in Cæsaris gratiã Mantuam missum solũ relinqui? qua spe ab eo regi sui negotia agi possent? qua fronte vt secũ ad Pontificẽ iret ab eo postularet? neq; enim ex mandato, nec ex dignitate regis in hostis domũ, antequã eorũ cõtrouersiæ aut omnino, aut penè cõpositæ essent, ire poterat. Contrà duo Aragonenses legati arguentes, omnẽ spem pacis ex Ferrarienſiũ rerum cõpositione pendere ostendebant: ijs etenim cõpositis, nullã amplius Venetos fouendi caussam Pontifici reliquam esse, qui quibus legibus Cæsar ipse vellet, paci cedere prorsus cogerẽtur, sacrosanctã sedẽ in Ferrariẽsem ciuitatẽ potentissima iura habere; Alfonsum Estensem pręterea in se ingratissimum extitisse, multasq; sibi iniurias intulisse à Pontifice existimari: & ad placandũ eius animum vehementer cõmotum, ęquius esse, vt beneficiarius domini clementiã imploret, quã vt de iure disceptet. Quare cum clemẽtia sit exoranda, nõ modò est honestũ, sed propemodũ necessariũ ad eum se conferre; quod si fieret, quin mitior factus de seueritate multũ esset remissurus, nõ esse dubitandũ: nec se eam diligentiã, industriã, autoritatẽq; qua erga Pontificẽ vt ad pacẽ flecteretur vtendũ erat, in persuadẽdo vt mitteret insumi vtile existimare: elegãtissimis deinde verbis subijciebãt cõtrouersias, nisi partes adsint, nec disputari nec tolli posse; Mantuæ verò vnã tantũ adesse: Cæsarẽ enim, regẽ christianissimũ & Catholicũ ita fœderibus, affinitatibus, & amore esse cõiunctos, vt tanquã fratres censeri debeant, singulorũq; caussę omnibus cõmunes. Gurcensis tandẽ Parisiensem episcopum, quid sua profectio esset paritura Parmæ expectaturum ratus, assensus est. Interea Pontifex ob pacis quæ agebantur negotia, belli consilia non deposuerat: nam Bastiæ Genioli expugnationem Ioanne Vitellio ei negotio prępositio, denuò tentabat; sed cum ob stipendiorũ angustiam peditum numerus multò quàm putauerat minor esset, ingentibusq; pluuijs & Padi aggeribus ab ijs qui Bastię erant effractis, circũ uicina regio aquis redundaret, nullus fiebat prgressus; naualib. autẽ rebus Alfonsus erat superior: cum enim triremium biremiumq; classe comparata propè Sanctalbertum Venetorũ classem inuasisset, illa, quoniam dum pũgnabat, minorũ nauigiorum classe quæ Comaclio veniebat cõspecta perterrita est; ac binis biremibus, tribus nauibus quas Barbotas vocant, & plus 40 minoribus nauigijs amissis, in Rauennæ portũ confugit: ex quo Pontifex Bastiæ capiendæ spe frustratus, eos milites in castra ad Finale in quibus peditũ numerus ob parcissima stipendia vehementer erat imminutus, misit. Eodem tẽpore põtifex tum vt sibi principum animos conciliaret, tum vt se contra cõcilij minas doctis, peritis, & magnæ in Rom. curia autoritatis, sibiq; fidis hominib. armaret, octo Cardinales creauit, inter quos fuit Archiepiscopus Iorchensis, quẽ latini Eboracẽsem appellãt, Anglię regis legatus; & episcopus Sedunensis; hunc tanquã virum ad gentẽ Heluetiorũ cõcitandã aptissimũ, illum quia ab ipsius rege, quẽ iam in Gallos cõmouere nõ parũ sperabat, fuit rogatus; & vt Gurcẽsi penè certũ eiusdẽ dignitatis pignus exiberet, eaq; ratione faciliorẽ eum sibi redderet, ex Cardinaliũ cõsensu, vnius præterea nominãdi sibi facultatẽ; quem animo inclusum haberet suo reseruauit: cũ autem Gurcẽsem ad se venturũ certior esset factus, eum summo honore accipere decreuit; nullũ autem honorẽ maiorẽ ratus, quàm si ipsemet Roman. Pontifex ei obuiã procederet, ac in magnifica ciuitate quæ etiam honorẽ augeret eum acciperet, Rauenna Bononiam cõtendit: quo tertio post ipsius aduentum die Gurcensis peruenit, tanto honore acceptus, vt ne rex quidem vllus ferè maiore accipi posset: nec minor in Gurcensi pompa & magnificentia enituit: cum enim Cæsaris in Italia vicarij nomine veniret, principum ac nobilium cum eorum omnium familijs admodum splendidè indutis atque ornatis, magnum secum habebat comitatũ, ad vrbis portam Senatus Veneti apud Pontificem legatus, ingentis submissionis signis ostensis, ei obuiam processit, aduersus quem ille incredibili fastu plenus, oratione ac gestu admodũ superbo, eum qui Cæsaris hostium personã gereret, ante suum cõspectũ se ausum fuisse ostendere indignatus, se conuertit: hac pompa in Senatum vsque, vbi

eum

cum omnibus ſuis purpuratis præſtolabatur. Pontifex deductus, breui ſed ſuperbiſſima oratione, ſe à Cæſare, rerum ſuarum, potius pacis quàm belli artibus conſequendarum ſtudio in Italiam miſſum: pacem verò niſi à Venetis omnia quę quauis ratione ad eum ſpectarent reſtituerentur, locum habere non poſſe propoſuit: poſt publicũ conſeſſum, ſeorſim cum Pontifice in eandem ſentẽtiam eodemq; faſtu loquutus eſt; quibus verbis ac ſignis poſtero die non minus ſuperba facta adiunxit: cum enim Pontifex ex ipſius cõſenſu tres cardinales, qui cum eo agerent delegiſſet, nẽpe, Sangeorgium, Rheginum, ac Mediceũ, quibus conſtitutam cõuentus horã expectantibus, ipſe quaſi cũ alio quã cum Pontifice quicquã agere ſe indignum eſſet, tribus ex ſuis nobilibus qui cum eis agerent miſſis, ſe alijs negotijs occupatũ excuſauit: quam indignitatẽ Pontifex incredibili in Gallos odio naturam ſuã vincente, cum multis alijs deuorabat: in Cæſaris autem cũ Venetis cõcordia, de qua prius agi cæptũ eſt, multæ erant difficultates: nã etſi Gurcenſis qui ante omnia oppida poſtularat, tandẽ vt Patauium atq; Tauriſiũ cum eorũ omnib. agris & appendicibus retinerent, aſſentiretur, nihilo tamen minus eos Cæſari maximã pecuniæ vim pro eis numerare; beneficiũ ab eo tanquã à domino agnoſcere; eiq; reliquorũ loco rum iura cedere volebat; quę in Veneto Senatu reijciebantur, vbi omnes vna voce poſt quã Patauium Tauriſiumq; ita munierãt, vt earum vrbiũ iacturam nõ timerẽt, pecunias cõſeruare reip. vtilius eſſe decernebant: nam ſi vnquã tẽpeſtas hęc ſedaretur, aliquã im perij facilè recuperandi occaſionẽ dari poſſe. At Pontifex quoniã Cęſaris à Galliæ rege alienationẽ hinc oriturã ſperabat, ipſorũ cũ Cæſare concordię ſtudio ardebat: ideo partim precib., partim minis eos ad propoſitas leges accipiendas vrgebat. Eius verò autoritas apud illos eo erat leuior, tum quòd vnde tantũ ſtudiũ manaret intelligebãt, tũ etiã quia cũ ſcirent quã illi eorũ ſocietas, niſi regi Gallię cõciliaretur eſſet futura neceſſaria ſe ab eo nunquã deſertos iri certò arbitrabãtur, tamẽ poſtquã multos dies eſſet diſputatũ, Gurcenſi aliquid de pertinacia ſua remittente, & Venetis vehementiſſimæ Pontificis petitioni pluſquã decreuiſſent cedentibus; Aragonię regis quoq; oratoribus, qui omnib. cõſilijs intererant interpoſitis, tandẽ ſic cõuenturi videbantur; vt Venetis ad Patauiũ Tauriſiũq; ex Cæſari voluntate retinendas magnũ quendam pecuniæ numerũ, ſed longis tẽporibus perſoluerẽt. Reliqua erat Pontificẽ inter ac regẽ Galliæ cõciliationis cauſſa; inter quos nulla alia niſi ob Ferrarienſiũ res cõtrouerſia apparebat; quã Gurcẽſis, quoniã Cæſar absq; hac nõ cõuenire ſtatuerat, vt dirimeret, Pontificẽ quẽ rariſſimè cõuenerat, ſpe à Cardinali Papienſe & Catholici regis oratoribus facta, negotiũ minimè difficile ratus adijt: nam & Galliæ regem minori dignitatis quã quietis habita ratione, multis quæ Duci nõ paruũ allatura eſſent detrimentũ aſſenſurum ſciebat. Pontifex autem eius oratione ferè ſtatim ab initio interrupta, contrà vt reb. cũ Venetis cõpoſitis Ferrarienſiũ res ancipites dimitteret, hortari cæpit; ſimulq; Cæſarẽ, tot à Gallis acceptas iniurias alienis viribus opibusq; vlciſcẽdi paratiſſimã occaſionẽ nõ agnoſcere, eumq; id quod merito iure ipſe ſummopere ſupplex orare deberet, vt rogaretur expectare, querebatur: ad quæ Gurcenſis cum multis adductis rationibus reſpõdiſſet, nec ab ea ſentẽtia eum poſſet deducere, ſe pacis cũ Venetis negotio minimè perfecto diſcedere velle ſignificauit pedibusq; de more oſculatis, eodẽ die, qui fuit ab eius Bononiã ingreſſu decimus quintus, fruſtra quamprimũ vrbe egreſſus eſt, qui eum reuocarent à Pontifice miſſis, Mutinã ꝓfectus eſt: vnde Mediolanũ verſus multa de Põtifice queſtus profectus eſt: præſertim vero, quòd dum eius in Italiã aduẽtu arma penè eſſent ſuſpenſa, ad Genuenſiũ res tur bãdas Albintimiliũ Epiſcopũ Pauli olim Cardinalis Fregoſij filiũ clã miſiſſet: cuius ꝓfectionis nuncio ad Gallos perlato, ita incognitũ vt erat, in Monteferrato eũ capi curarũt; vnde Mediolanũ ꝓductus itineris ſui cauſſas cõſiliaq; oĩa patefecit. Gurcẽſis cũ Bononia diſcederet ab Aragonijs legatis, qui cũ vt videbatur multũ de cõmuni pace cõtendiſſent, ſe Põtificis ꝓtinacia valde cõmotos oſtẽdebãt, vt trecẽtos Hiſpanos cataphractos in neapolitanũ regnũ redire iuberẽt petijt; cui ipſi promptè aſsẽſerũt. Quare nemo erat qui nõ ſummopere miraretur, Pontificẽ quo tẽpore de cõcilio agebatur, & gallica germanicaq; arma duorũ regũ prẽſentia in Italia valida fore credebãtur, prẽter Gallię regis inimicitiã, Cæſarẽ quoque à ſe alienare, ſeq; Catholici regis auxilijs priuare. Nõnulli in hoc ſicut in plerisq; alijs reb. Aragonię regis cõſilia, ab ijs quę oſtẽdebãtur diuerſa eſſe,

eiusque oratores aliud palàm,aliud clàm cum Pontifice egisse suspicabantur:nam cùm nouis offensionibus Galliæ regem prouocasset,ijsq; antiquarum memoriam suscitasset, ne ceterorũ omnium pacem Venetis ditione, opibus,atq; existimatione debilitatis Romanorũ rege in Italia parum potenti, vario,incostanti, & plusquã antea vnquã prodigo, sibi maxima allaturã pericula metuẽdũ videbatur: alij subtilius disserẽtes ,fieri forte posse,vt Põtifex,etsi rex Catholicus se eum deserturũ attestaretur,suosq; milites reuocaret, illũ tamen vbi quãtum ipsi eius calamitas esset nocitura cogitasset,semper in maioribus periculis se sustentaturũ confideret,interpretabantur.Paci spe Gurcensis discessu perturbata,& si Pontifex quatriduo pòst Morauiæ Episcopum Scotiæ regis apud se oratorẽ vt de pace cum Galliæ rege cõcilianda ageret,ad eũ misisset,sublatæ sunt causę,quę Ioãnem Iacobum Triultium moratę erant;qui honesta alicuius virtute ac pristina gloria sua digni facinoris patrandi cupiditate ardens, ex quo Regi ostẽderetur,quanto cũ proprio detrimẽto rerum bellicarũ administratio ex omnibus humanis actionib.in primis arduã ac per quãdifficilis, quaq; nulla est,quę maiorẽ prudentiã vsumq;requirat,nõ veteranis ducibus,sed iuuenib.imperitis,ijsq; quorum de virtute nulla res præter gratiã fidem faciat,cõmittatur.itaq;in sua prima sententia persistens,etsi Rheti pedites,quia Normaniæ prouinciæ summus Quæstor à quo expeditiones pendebant pacis spe fretus,cum sumptuum parsimonia regis gratiam promereri vellet,delectum distulerat, Maij mensis initio mille & ducentos cataphratos,& septem millia peditum ad Concordiam duxit,qua eodemmet die potitus est:nam simul ac oppidani tormentorũ fulmina senserũt,legatos de deditione miserunt:ea de causa dum essent minus in custodiendo diligentes,pedites repente ingressi oppidum diripuerunt. Concordia capta,ne suis æmulis,quòd propriæ vtilitatis magis quàm regis esset studiosus,sui criminandi occasionem daret, Mirandula à tergo relicta Bõportũ vicum propter Panarium amnẽ positum , quo tãtum hostibus appropinquaret,vt commeatu intercepto,aut ad migrandum,aut extra castrorũ munimẽta pugnandum compelleret,Mutinensem agrum ingressus,castrisq; ad Ciauetium pagum positis,quum Ioannẽ Paulum Manfronũ cum trecentis Venetis leuis armaturæ equitibus,ad Massam prope Finale castra habere comperisset, Gastonẽ Foisseium cum trecẽtis peditibus&quingẽtis equitibus eò misit,cõtra quos loãnes Paulus rumore percepto instructa acie pontẽ occupauit:sed cum suorum virtus, suæ ipsius virtuti animiq; magnitudini minimè responderet,ab eis desertus cum paucis captus est.Exercitus deinde,Triultio pontem ea parte quariuus supra Mutinam à Panario deductus fluuio iterum coniungitur,ponere cogitante,Bomportum accesserit;sed iam hostiles copię,vt eum fluminis transitu prohiberent tam propinquo loco castra posuerant,vt tormentis se inuicem peterent;quorum ictu, Peraultus Hispanus qui in Pontificio exercitu centurio militabat, dum per fluminis aggerem inambularet, concidit.Sunt eo in loco altissimæ ripę ; quam obrem hosti erat facile eum impedire : quare Triultius nouo capto consilio , mille passus supra eum locum ad riuum tantummodo pontem iecit:quo traiecto,per Panarij aggerem vt locum ad iaciendum pontem faciliorem quæreret, Mutinam versus iter cepit; ita vt semper,hostium qui in Aemilia via prope Castellofrancum , loco aggeribus & aquis cincto,castra habebant,equites ac pedites in conspectu haberet: ad Fossaltę pontem , duobus à Mutina miliaribus eandem viam ingressus est , atque ad dexteram montem versus deflectens , absque impedimento Panarium, qui eo in loco latum & fine ripa alueum habet,vado transiuit; quo facto ad eum locum qui Panarij Glarea dicitur,tria à Pontificijs castris milliaria castra locauit: postero die Plumacium versus cõmeatu à Mutinẽsibus Vitfrusti permissu accepto perrexit:eodemque die Pontificię copiæ,cum se cum hoste congredi aperto marte non ausæ , sed Bononiam propius accedere,ne propterea quòd Bentiuoli gallica castra sequebantur, motus aliquis in ea ciuitate exoriretur,necessariam censerent, ad Casaleccij pontem tria milliaria supra Bononiam castra transtulerũt, in eum ipsum locum,in quo proaurorũ nostrorum memoria,Ioãnes Galeacius Vicecomes potẽtissimus Mediolani dux,hostibus potentia longe superior cõtra Florentinos,Bononiẽses, aliosq; fœderatos ingẽti victoria potitus est: castris autẽ situ valde munito,inter Rhenũ fluuium&riuum,qui montes à tergo habet quo ne Bononia eius riui qui à flumine deductus eam ciuitatẽ interfluit cõmoditate priuari possit

possit,prohibetur.Insequẽti die Castellofrancũ Triultio deditionem fecit;qui imbrium causa,& vt de cõmeatu,cuius haud magna aderat copia,prospiceret,triduũ in Plumacij castris cõmoratus,in viam regiam inter Samoggiam & Castellofrancũ castra promouit: quo in loco,ob multas difficultates quę illi in quauis deliberatione occurrebãt,quid sibi esset agendũ suspẽsus cõstitit:Bononiã etenim,nisi intus populus tumultuaretur inuadere vanum esse cognoscebat; quòd si popularium motuũ spe fretus accessisset,ne sibi, quemadmodũ Ciamontio acciderat, existimatione imminuta, citò retrocedendũ esset verebatur:cũ hostib.verò castris adeò munitis cõgredi imprudẽtius periculosiusq; cẽsebat:ex inferiori deniq; parte Bononiã propius accedere nullã pręterea spem habere,nisi vt hostes ne ipse in Aemiliã inuaderet veriti,forte illinc mouerẽtur;qua ex re vel sibi pugnãdi,vel Bononiensibus tumultus ciendi occasio dari posset;tamen ad extremum,cum vtrũ vel cõmunis ciuitatis propensio,vel priuatæ Bentiuolorũ conspirationes aliquid paruræ essent tẽtare decreuisset, exercitũ cuius primum agmen ducebat Theodorus Triultius,medium ipse,postremum Gasto Foisseius , Laini pontem , locum in via Aemilia ad quintum Bononia lapidem,Lepidi,M.Antonij,&Octauiani congressus memoria nobilem,qui hoc in loco(scriptores asserũt)Triumuiratus nomine, Romanam Tyrannidẽ illamq; nunquã satis detestatã proscriptionẽ conflarunt,castra perduxit.Pontifex hoc tẽpore non amplius erat Bononiæ;qui post Gurcensis discessum,modò nimiam ostendẽs audaciam,modò timorem,quamprimum Triultium castra mouisse audiuit,quamuis nõ amplius adessent Hispani equites,Bononia vt ad exercitũ proficisceretur,ducesque sua præsentia ad dimicandum cum hostibus penitus induceret,ad quod nec literis nec legationibus eos flectere potuerat,discessit: eo autẽ animo profectus,vt primo die Cẽti pernoctaret,verùm in Plebis oppido hęrere coactus fuit:nam mille ex ipsius peditibus Cẽtũ ingressi,nisi accepto stipendio se illinc discessuros negarunt: qua re fortè turbatus,vel periculo propius inspecto mutata sentãtia,altero die Bononiã redijt;vbi ob Triultij aduentũ timore augescente ,cum se Rauennã cõferre statuisset,Quadraginta virorũ magistratu ad se vocato, eis Pontificij imperij beneficio,suaq; opera & labore ipsos ex acerbissimę Tyrãnidis iugo in libertatẽ vindicatos esse,multas immunitates assequutos,à se priuatim ac publicè maxima beneficia accepisse, in memoriã reuocauit, indiesq; plura cõsequuturos;quib. rebus cũ antea dura seruitute oppressi,atq; à Tyrannis cõtumelioscõculcati in ceteris Italię locis nihil fierent,nũc honorib.ac diuitijs nobilitatos,vrbẽ artificijs mercaturisq; refertã ;& nõnullos eorũ ad amplissimas dignitates euectos; Bononiã vbiq; in ptio existimationeq; haberi;liberos suiq; iuris esse;Bononię eiusq; agri totius dominos;Bononiensiũ esse Magistratus; Bononiensiũ honores, vectigalia,ciuitatẽ; Pontifices penè solo nomine cõtentos tantùm honoris specie in ea Legatũ Gubernatorẽue habere,qui sine ipsis de rebus grauibus statuere nihil posset,& in ijs quę suo tamẽ essent permissa arbitrio,pleraq; ad ipsorũ iudiciũ voluntatẽq; referri :quòd si ob hęc beneficia,felicemq; quo fruerẽtur statũ propriã libertatẽ tueri statuisset,à se nõ secus auxiliũ defensionẽq; expectarẽt,quàm si Roma ipsa simili in discrimiue versaretur:se vt Rauennã proficiscatur grauibus de rebus cõpelli,nec tamen ideo Bononiensiũ salutis oblitum vel obliturũ esse, cuius gratia Venetas copias quæ cũ Andrea Gritto trans Padum erãt, hancq; ob cassam Sermidi pontẽ iaciebãt,cũ suo exercitu cõiungi mandasset.Hos apparatus ad ipsos tuendos satis superq; esse,sed tamen animũ suum,nisi etiã belli molestia eos liberaret,nõ cõquiscere: qua propter vt Gallos iterũ ad propria defendẽda cõpelleret,decem Heluetiorũ millia quę in Mediolanẽsem agrũ descenderent,iam esse in cinctu;qui vt statim mouerẽtur,viginti aureorũ numũm millia à se Venetias missa;totidemq; à Venetis cõferri;nihilominus si sub Bentiuolorũ iugum redire,quàm pontificię libertatis suauitate frui ipsis esset gratius,rogare se vt sibi liberè voluntatẽ suam aperirẽt, quã ipse quoq; esset sequuturus: illud autẽ eos monere,quod si vrbẽ propugnare statuerent tẽpus opportunũ aduenisse,quo sui animi magnitudinem ostendere sacrosanctam sedẽ,se atq; omnes futuros pontifices sempiterno beneficio deuincire possint. Cui oratioui,ex ipsius more,maiori vehementia quàm eloquentia habitæ vbi inter se consultassent,Senatus princeps Bononiensi magniloquentia communi omnium nomine respondit; fidem ipsorum beneficiorum acceptorum gratam memoriam, & erga eius nomen

infinitam propenſionem magnificè extollens;feli cem in quo verſarentur ſtatum agnoſcere; quantumque tyrannis exactis, eius ciuitatis ſplendor atque opes creuiſſent; & cum antea vitam ac facultates aliorum arbitrio ſubiectas haberent,nunc vndique tutos patria tranquillè frui;admiſtrationis participes,participesq; vectigalium nec quenquam ipſorum eſſe qui nõ priuatim multa beneficia honoresque ab eo ſe accepiſſe libenter agnoſceret: videre in ſua ciuitate ſacræ purpuræ dignitatem renouatam: videre in ciuium ſuorum familijs multa ſacerdotia, multaque præcipua Romanæ curiæ officia;ob quæ innumera beneuolentiæ argumenta beneficiaque eximia, antè omnes facultates impendere; antè coniugum liberorumque famam ac ſalutem in diſcrimem vocare: antè propriam vitam ac ſanguinem amittere paratos eſſe,quàm ab eius & ſacro ſanctæſedis obſeruantia diſcedere :iret lætus ac felix, absque rerum Bononienſium aliquo vel metu vel ſcrupulo: prius enim ipſum auditurum, riuum populi Bononienſis ſanguine exundaſſe,quàm eam Vrbem aliud nomen inuocare,aut alteri Principi quàm Iulio Pontifici parere.Hæc verba maiorem Pontifici quàm oportebat ſpem dederunt,qui Papiẽſi Cardinale ibi relicto,etſi Hiſpanis equitibus qui Neapolim reuertebantur comitatus eſſet,Rauennam non recto itinere ſed Ferrarienſis metu longior via per Forumliuij contendit.Triultij ad Lainum pontem aduentu, maxima in Bononienſi ciuitate commotio oſtendebatur,hominum animis multis varijsque cogitationibus diſtractis: multi namq; Tyrannidis licentiæ aliorumque opibus ac pecunijs vitam tueri aſſueti,Pontificium imperium peroſi, maximo ardore Bentiuolorum reditum expetabant: alij acceptis detrimentis,quæque ſe accepturos metuebant, cum in ſuis prędijs, inſtante meſſis tempore, duos tãtos exercitus viderẽt in grauem redacti deſperationem, omnia quæcunque eos ab huiuſmodi malis liberare poſſent exoptabant: alij verentes ne aliquo tumultu in ciciuitate exorto,aut Gallorum felici ſucceſſu,quorum cum primum Ciamontio duce Bononiam venerunt, impetus memoria adhuc ob oculos verſabatur, ciuitas diriperetur; huius periculi liberationem omnibus imperijs anteponebant:pauci qui ſe antea Bentiuolorum hoſtes declararant voluntate magis quàm factis pontificio imperio fauebant; toto autem populo,partim rerum nouarum deſiderio,partim ſuę ipſorum ſecuritatis ac ſalutis ad arma concitato,omnia metu ac terrore erant referta; & in Papienſi Cardinale Bononiæ legato nec animus,nec conſilium tanto periculo par aderat: cum enim in tam magna ac frequenti ciuitate,vltra ducentos leuis armaturæ equites,& mille pedites habebat,vehementiusque in diſcordia cum Vrbinatium duce qui Caſalecci cum exercitu erat perſeueraret,ſeu caſu ſeu fato ductus,ex ciuium numero quindecim belli prefectos delegerat:quibus cum eorum cohortibus ac populo,vrbis & portarum cuſtodiam commiſerat; quorum cum in eligendis prudentia non eſſet vſus,magnam partem exijs erãt qui Bentiuolis ſtudebant; & inter hos Laurentius Arioſtus,qui prius Romæ coniuratio nis cum Bentiuolis initæ ſuſpicione in carcerem coniectus,queſtionibus habitis, diu in Adriani mole cuſtoditus fuerat; qui quamprmum arma in manibus habuere, occulta colloquia & conuenticula habere; ſeditioſosque in vulgus ſermones ſpargere cœperunt: quibus rebus cognitis legatus ſerò propriam imprudentiam cœpit agnoſcere;vtq; periculum in quod ſe ipſum coniecerat vitaret, Vrbinatem cum ceteris belli ducibus ſic poſtulare fingens,vt cum ſuis coliortibus in caſtra irent, voluit: cum autem illi ſe vrbis cuſtodiam nolle deſerere reſponderent, Ramazzotum cum mille peditibus introducere tentauit,qui populo prohibente ingredi non potuit:quare Cardinalis mirum in modum animo cõſternatus,cum adminiſtrationem ſuam populo ſummopere odioſam eſſe,ſeque in nobilitate,quoniam nõ multò antè,(quamuis vt dicebat,Pontificis iuſſu) regia poteſtate vſus tres honeſtos ciues ſecuri percutere iuſſerit, multos inimicos habere recordaretur, quamprimuum nox fuit, clàm per occultum oſtium veſtitu incognito Palatio egreſſus,in arcem tam præcipitanter ſe recepit,vt gemmas pecuniamque ſuam auferre obliuiſceretur: quibus (cum ad ea tollenda miſiſſet) acceptis,per auxiliarem portam Imolam verſus, Guido Vaina ſororis ſuæ marito,equitum ad cuſtodiam ſuam delectorum duce,cum centum equitibus comitatus contendit; & paulò poſt ipſum,Octauianus Fregoſius vno tantùm itineris duce comitatus arce egreſſus eſt. Legati fuga cognita, per totam vrbem ingentibus tumultibus populi nomen inclamari ceptum eſt;

quam

quam occasionem ne amitterēt, Laurentius Arioſtus,& Franciſcus Rinuccius,& ipſe ex quindecim ducum numero vnus, & ex Bentiuolorum factione, multis eiuſdem factionis hominibus ſequentibus, ad portas Felicianam, & Lamariam,Gallorum caſtris adeundis commodiores, currentes, ſecuribus eas fregerunt:ijsq; occupatis ſine mora ad Bentiuolos accerſendos miſerunt; qui acceptis à Triultio multis Gallis equitibus, vt Rheni pontis, ad cuius præſidium erat Raphael Paccius,pontificiorum ducum vnus,directum iter vitarent,inferiore loco flumine traiecto, per Lamarum portam,ſtatim intro miſſi fuerunt. Bononiæ rebellioni exercitus fuga fuit coniuncta; nam ad tertiam noctis horam,Vrbinas,cuius copiæ à Caſaleccij ponte vſque ad portam quæ Saragoza dicitur extendebantur,legati(vt creditur) fuga & populi motu cognito,cū toto exercitu,ijs exceptis qui ad caſtrorum cuſtodiam conſtituti, ab ea parte fluminis erant quæ ad Gallos vergebat, quibus de ſuo diſceſſu nihil ſignificauit, tentoriorum maiori parte relicta, tumultuoſe diſceſſit. Cuius Bentiuoli qui iam in vrbe erant motu cognito, Triultio ſtatim indicarunt; & populi partem ad eos perſequendos emiſerunt:qui vnà cum ruſticis, qui iam vndique ingentibus clamoribus ac ſtrepitu deſcendebant, exercitu qui præter mœnia tranſibat, adorti, tormenta cum eorum apparatu, & magna impedimentorum multitudine ceperunt; quamuis Gallorum interuentu, populo ac ruſticis prædæ maior pars ſit ablata:iamq; Theodorus Triultius,cum primo agmine,ad Rheni pontem peruenerat; vbi eos Raphael Paccius, ſtrenuè pugnando, aliquandiu ſuſtinuit:ſed tandem cum tanto maiorem numerum ſuſtinere nō poſſet,pontificijs militibus, ſua pugna non parua, quemadmodum omnes fatebantur, euadendi data occaſione, captus fuit: Venetorum autem copiæ, cumq; ijs Ramazzotus, qui in eminentiori diui Lucæ monte caſtra habebat, Vrbinatis fuga ſerius audita, montana via vt ſaluti conſulerent ſuæ iter cæperunt:qua via, etſi magno detrimento accepto, in Aemiliam tamen peruenere. In hac victoria ſine certamine parta, quindecim maiora tormenta,multaque minora,partim Pontificis, partim Venetorum; ipſius item met ducis vexillum,cum pluribus alijs: impedimenta pontificiorum pleraque & Venetotum ferè omnia capta fuere; aliquot pontificij equites ſpoliati;Venetorum autem plus centum & quinquaginta, & vtriuſq; exercitus penè omnes pedites diſſipati: Vrſinus Mugnanenſis, Iulius Manfronus, ac multi minores duces capti. Bononiæ nullæ cædes factæ: nemini neque ex nobilitate, neque ex populo vis illata:tantummodo Cluſinus Epiſcopus, & multi alij Antiſtites, à ſecretis, alijque legati miniſtri, qui in eius ædibus relicti fuerant (omnes enim ſuum diſceſſum celauerat)capti. Eadem nocte & ſequenti die populus Bononienſis, æneam pontificis ſtatuam correptam, per forum multis contumelijs ac ludibrijs, ſiue eius rei Bentiuolorum ſatellites autores fuiſſent, ſiue calamitatum ac detrimentorum belli faſtidio,vt ſuapte natura eſt ingratus,rerumque nouarum cupidus populus,eius qui ipſorum patriæ libertatis fecilitatisq; autor fuiſſet, nomen ac memoriam odiſſet,traxit. Poſtero die, qui fuit vigeſimus ſecundus Maij, Triultius ijsdem caſtris ſe continuit, altero Bononia à tergo relicta, ad Lidicem fluuium perrexit; deinde ad caſtellum Sanpetri in agri Bononienſis extremis finibus poſitum conſtitit; vt antequam vlterius progrederetur,quænam eſſet Galliæ regis mens;vlterius ne in pontificis ditionem progredi,an Ferrariam periculo liberaſſe,& pontifici Bononiam,quam ſua opera acquiſierat, ademiſſe contentus,victoriæ curſum terminare vellet,expectaret. Ideò cum Ioannes Saxatellus pontificiorum & ipſe militum ductor;quiq; Ghibellina factione Imola eiecta,tanquam Guelforum caput ferè ei ciuitati imperabat, Imolam ipſi clam tradere vellet, noluit, donec à Rege reſponſum haberet, accipere. Relinquebatur Bononienſis Citadella (id arcis eſt nomen) in qua erat Epiſcopus Vitellius,ampla quidem & munita, ſed vt arces pontificiæ ſolent, à reliquis bellicis rebus imparata: pauci enim erant in ea milites,parum commeatus,& ferè nullus tormentorum apparatus,in quam dum obſideretur,Vitfruſtius Bononienſi re audita, noctu Mutina venerat, vt magnis pollicitationibus Epiſcopo vti eam Cæſari traderet perſuaderet: Epiſcopus verò, die quinto,eorum qui intus erant,vnà cum fortunis ſalutem pactus, triumq; ducatorum millium ſibi certo tempore ſoluendorum cautione accepta, eam Bononienſibus tradidit: qua accepta ſtatim populus ad eam diruendam cucurrit, Bentiuolis ad idem, non tam, vt ciues ſibi bene-

uolos redderent, quàm quòd vererentur, ne eam Gallię rex in ſua poteſtate, vt iam nonnullorum ducum de ea petenda ſententia fuerat, incitantibus: ſed Triultius, credi regem Bononiæ imperium affectare, à regis vtilitate alienum ratus repugnauit. Huius victoriæ occaſione Ferrarienſis, prętер Centum & Plebem, Cotiniolam quoq;, Lucium & alia oppida in Gallia Togata recepit: eodemq; tempore, Albertum Pium Carpio, quod paribus auſpicijs ſecum poſſidebat, expulit. Bononienſi iactura Põtifex vt par erat maximam ſenſit moleſtiã, non modò eam ob cauſſam dolore affectus, quòd totius pontificij imperij poſt Romam, præcipua & nobiliſſima ciuitas ipſi eſſet erepta, quodq; ea gloria quam apud omnes, ſua præſertim ipſius opinione, magnam in ea obtinenda comparauerat, ſpoliatus videretur, verùm etiam ob timorem, ne victor exercitus, victoriæ fortunam ſequeretur: cui cum ſe obſiſtere non poſſe cognoſceret, occaſiones quæ ad vlterius perſequendum inuitarent, tollendi cupidus, vt venetarum copiarum reliquiæ, iam à Senatu reuocatæ, ad Ceſenaticum portum naues conſcenderent, vrgebat: eadem que de cauſſa, ſibi viginti ducatorum millia, antè Venetias, ad Heluetios concitandos miſſa, quæ adhuc in ea ciuitate erant reſtituerentur, mandauit. Effecit etiam vt Cardinalis Nanetenſis, natione Britto, velut proprio motu Triultium ad pacem hortaretur: doceretque eius tractandæ tempus oportunum adeſſe: qui hoc modo agi non conuenire, ſed particulatè & expreſſè ad ipſa capita neceſſaria veniendum eſſe reſpondit: Regem cum pacem expetebat capita propoſuiſſe: nunc Pontificem, quando ita rerum ſtatus ferret, vt ipſius eſſet optare, idem facere debere. Hoc modo agebat Pontifex, magis vt præſens periculum euitaret, quàm quòd reuera animo eſſet penitùs ad pacem comparatus, vnà in eius pectore, metu, pertinacia, odio atque indignatione conflictantibus. Quo ſimul tempore alius caſus ſuperuenit, qui ei dolorem duplicauit. Multi Cardinalem Papienſem apud eum accuſabant, alij perfidiæ, alij timoris, alij imprudentiæ: qui ſponte ad diluenda crimina Rauennam profectus, quamprimùm venit, miſit qui illi aduentum ſuum nutiarent, & horam qua ſe eſſet auditurus peterent: qua re, Pontifex, qui eum ſummopere diligebat, vehementer lætatus, vt ſecum pranſum veniret, inuitauit: quò cum iret, Guidone Vaina, ſuorumque equitum præſidio ſtipatus, Vrbinatium dux, ob veterem quam cum illo gerebat ſimultatem, iraque quòd eius culpa (ſic aiebat) Bononia rebellaſſet, atque ex ea re exercitus fuga vehementer accenſus, cum paucis illi obuiam factus, per medios equites eius ſtipatores, qui honoris cauſſa ei aditum dabant, propius accedens, Cardinalem, fortaſſe ob tantam dignitatem minimè violandum, ob ſua autem inſignia atque innumera ſcelera, quouis acerbiſſimo ſupplicio digniſſimum, manu propria ſtricto pugione confodit. Cuius cædis rumore repentè ad Pontificem perlato, clamoribus miſerandis, eiulatibusque in cœlum vſque ſublatis lamentari cœpit, eius Cardinalis quem vnicè adamaret, interitu ſupra modum commotus; ac multo magis quòd ante oculos ſuos, à ſuo nepote, inuſitato exemplo, ſacroſancti ordinis dignitas eſſet violata: quæ res eò ipſi erat moleſtior, quo magis ſacroſanctæ ſedis autoritatem conſeruare & extollere nitebatur: quem dolorem cum perferre non poſſet, nec furorem temperare, eodem die Rauenna vt Romam rediret diſceſſit; cumque vix dum Ariminum peruenisſet, vt eodem tempore infinitæ & grauiſſimæ calamitates eum vndique circumuallarent, Mutinæ, Bononiæ, & in multis alijs vrbibus, ad publica loca libellos, quibus Concilij conuocatio indicebatur, & vt ipſemet eò veniret denuntiabatur, affixos eſſe, certior factus eſt: quoniam Epiſcopus Gurcenſis, etſi Mutina digreſſus, aliquot dies vt à Scotiæ regis oratore, qui rerum, quas ipſemet Pontifex propoſuiſſet gratia, Bononiam redierat, reſponſum expectaret, lentè proficiſceretur, tamen cum incerta admodum reſponſa retuliſſet, ſtatim Cæſaris nomine tres procuratores Mediolanum miſit, qui Cardinalibus & Galliæ regis procuratoribus coniuncti, in primum proximi Septembris diem Concilium Piſis indixerunt. Cardinales Piſas animum conuerterunt, velut ad locum maris propinquitate, multis qui ad Concilium venturi erant oportunum, ac Florentinorum erga regem Galliæ fide ac beneuolentia tutum; tum etiam quòd alia loca alioqui capacia atque idonea, ipſis vel incommoda vel ſuſpecta erant; vel quæ Pontifex iuſto colore improbare potuiſſet.

In

In Gallia autem alióue in loco regi ſubiecto, honeſtum non videbatur. Conſtantia, vna ex liberis Germaniæ ciuitatibus à Cæſare propoſita, quamuis illius celebris cõcilij quo tribus qui ſe pro pontificibus gerebant, abdicare iuſſis, diſſidium religionis quod annos quadraginta in eccleſia viguit, memoria illuſtris, vtriq; parti incõmoda & ſuſpecta videbatur. Taurinum, ob Heluetiorum & Galliæ regis propinquitatẽ: Bononia ante à pontificio iure alienata, cardinalibus tuta non erat, poſt etiam pontificis cauſſa. fuit etiã in deligendis ad concilium Piſis, aliqua ex parte omnis felicitas duorum conciliorum, quæ in ea ciuitate feliciter habita fuerunt, memoria ſpectata; vnum quum penè omnes Cardinales, Gregorio XII & Benedicto XIII qui de pontificatu diſceptabant reiectis, in ea vrbe Alexandrum V. ad pontificatum aſſumpſerunt: alterum antiquius, circa annũ milleſimum centeſimum triceſimum ſextum, ab Innocentio II quum Petrus Leonis Romani Antipapa, qui Anacletus II nuncupatus huiuſmodi ſeditione non modò Innocentiũ, verùm vniuerſam Chriſtianam remp. vehementer vexauerat, damnatus eſt. Florentini id antea Galliæ regi, qui Concilij conuocationis non minus Cæſarem quàm ſe autorem eſſe, cui etiam Aragoniæ rex aſſentire affirmans ab eis petierat, cõceſſerant, maiori fortaſſe ex ſilentio, quàm ex prudẽtia vel fortitudine animi laude digni: nam ſiue regi id quod eis moleſtum erat denegare non eſſent auſi, ſiue quot difficultates quantaque pericula concilium quod contradicente pontifice celebraretur parere poſſet, non cogitarent, hanc rem in frequenti 100 & 50. ciuium Senatu decretam, ita occultarunt, vt Cardinalibus quibus Gallię rex eius rei ſpem, non tamen certam faciebat, vtrum conceſſiſſent nec ne eſſet incertũ; ad Pontificẽ verò nulla notitia peruenerit. Cardinales, ſe ſine pontificis autoritate concilium conuocare poſſe ideò aſſerebant, quòd Eccleſiam dicerent, non ſolùm in membris, ſed etiam in capite, hoc eſt, in pontificis perſona emendatione indigere: qui (vt illi affirmabant) in ſacrorum venditione, quam Simoniã vocant, & infandis perditiſq; moribus inueteratus, nec ad pontificatum gerendum idoneus; tot præterea bellorum autor correctionem nullam (vt cunctis erat mortalibus notum) cum totius Chriſtianę reip. offenſione admitteret; cuius ſaluti, nulla alia medicina præter cõcilij conuocationem eſſet idonea: quam rem cum Pontifex ipſe contempſerit, ad ipſos iure cõuocandi poteſtatẽ deueniſſe; accedente præſertim Cæſaris deſignati autoritate, & Chriſtianiſſimi regis conſenſu, cũ Germanię Gallięq; ſacri ordinis cõcurſu. Subijciebant Eccleſię corpori morbo grauiſſimo affecto, hac medicina frequenter vti nõ modò vtile, verùm etiam neceſſariũ eſſe ad veteres errores cõuellendos; ijs qui recenter pullularent ſupprimendos; ad dubitationes quę quotidie exorirentur declarandas & enodandas; ac denique ad eam quę ab initio in bonum finem inſtituta, vſu magiſtro prorſus pernicioſa apparebant corrigenda: ideò patres in Conſtantienſi concilio ſalubriter conſtituiſſe, vt in poſterum decimo quoq; anno cõcilium cogeretur. & quonam alio fræno pontifices, ne de recta via deflecterent, continerentur? quãue alia ratione in tanta mortalium imbecillitate, in tot vitæ noſtrę ad malum inuitantib. illecebris, ſi is qui haberet ſummã licentiam, nunquam ſui ipſius ſibi reddendã rationẽ ſciret, tuti eſſe poſſemus? Ex aduerſo, alij non pauci has rationes impugnantes, magisq; Theologorũ quàm pontificij iuris peritorum ſectantes doctrinam, conciliorum conuocandorum autoritatem, in Põtificis modò perſona poſitam aſſerebant, etiam ſi is omnibus vitijs eſſet infectus, modò ab hæreſeos ſuſpicione eſſet immunis: quæ res ſi ſecus intelligenda eſſet, in paucorum poteſtate fore (quod nulla ratione eſſet concedendum) vel ambitione, vel priuatis odijs iudicium corruptum falſis coloribus velando, quotidie tranquillum reipub. Chriſtianæ ſtatum immutare: omnia medicamenta ſua natura eſſe ſalutaria, at nec ſuis proportionibus, nec idoneis temporibus exhibita, venena potius quàm medicamenta eſſe: idcirco eos qui ſecus ſentirent damnantes, hunc conuentum, non concilium, ſed Apoſtolicæ ſedis, quæ vna eſſet, diuidendæ materiam, ſeditionis in Eccleſia Dei ſeminarium, tartareumq; conuenticulum appellabant.

NONI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PA-
TRITII FLORENTINI, HISTORIAE
ITALICAE LIBER
DECIMVS.

Pacis inter Pontificem & Galliæ regem ineundæ consilia: Lateranense concilium Romæ ab Iulio Pontifice indictum: Monspolitianus Florẽtinis restitutus: Germanorum aduersus Venetos progressus: Iulius Pontifex pro mortuo habitus: in Florentinos atq; Pisanos, propterea quòd Pisano consilio assensi essent, diræ: Pontificis, Chatholici regis atq; Venetorum aduersus Gallos fœdus: de bello, quod Pontifex Florentinis inferre volebat, disputatio: Pisanum Concilium Mediolanum translatum, atq; dissolutum: Heluetiorum inutilis in Italiam aduentus: fœderatorum in Ferrarienses atq; Bononienses bellum: Venetorum, & Foissei in Gallia Cisalpina progressus: Rauennensis pugna: Gallici imperij in Italia inclinationis initium.

MAXIMA omnium totius Italiæ animorum, Christianique orbis prouinciarum magna ex parte suspensione, quid Galliæ rex parta victoria agendum esse decerneret, expectabatur: cum enim Pontificis & multo magis Venetorum copiæ penè omnes fusæ ac dissipatæ fuissent; nec alia arma essent in Italia, quæ victoris impetum possent retinere, Pontifex q; sola pontificia maiestate tectus, omni alia ratione, fortunæ arbitrio relictus videretur, Romam cum toto Pontificis imperio occupare, in ipsius potestate esse facilè omnibus constabat: & tamen Galliæ rex, siue religionis reuerentia cohibente, siue quòd si vlterius processisset, ne omnium principum animos in se concitaret metueret, victoriæ occasione sibi minimè vtẽdum esse statuit: ac magis forte pio, quàm vtili consilio, Ioanni Iacobo Triultio, vt Bononia in Bentiuolorum potestate relicta, & si quid aliud Pontificij iuris occupasset, ipsi restituto, quam primùm exercitum in Mediolanensium fines reduceret, imperauit: mansuetis factis humanissimas demonstrationes verbaque adiunxit: ne quòd publicæ letitiæ signum in suo regno ederetur prohibuit: sæpiusque coram multis, se, etsi nec in sacrosanctam sedem, nec in Pontificem ipsum peccasset, nec quidquam nisi prouocatus & coactus egisset, tamen ob sedis illius reuerentiam, se demisse veniam petere velle affirmauit; persuasus ipsum ex difficultatum, quas eius consilia haberent, experientia edoctum, vanaque de se concepta suspitione, remota, pacem toto animo exoptaturum: cuius nunquam penitùs interposita fuerat tractatio, quia Pontifex iam antequam Bononia discederet, hac de caussa Scotiæ regis legatum ad regem miserat, vt id ipsum quod per eundem Episcopum, cum Gurcensi agi cæptum fuerat, persequeretur. Regis autoritatem sequuti Bentiuoli, se nec contumaces nec rebelles in Romanam sedem esse velle Pontifici significabant; imò in ea obedientia, in qua tot annos pater ipsorum perseuerasset, velle permanere: in cuius rei signum Episcopum Clusinum libertati restitutum, ex pristino more velut pontificium legatum, in Prætorio collocauerant. Discessit igitur Triultius cum exercitu, & Mirandulam vt recuperaret accessit, quamuis Ioannis Franciſci Pici precibus, Vitfrustius quasi eam Cæsaris nomine obtineret ingressus, Triultio, vt cum sub imperij esset iure, ab ea abstineret, attestaretur: qui tandem vanam autoritatem nõ satis esse edoctus, nonnullis promissis, potius ad Cæsaris maiestatẽ speciosis, quàm grauibus acceptis discessit: idem fecit Ioannes Franciscus, fide publica de suppellectile & hominibus impetrata: Triultius autẽ cum iam nihil gerendum supperesset, quin-

quingentis cataphractis, & mille trecentis Germanis peditibus duce Iacobo, ad Veronæ præsidium missis, ceteros exceptis duobus millibus & quingentis Aquitanis, Molardo & Mongirone ducibus, quos vnà cum grauis armaturæ equitibus in Mediolanensis imperij oppida distribuit, dimisit. At regis desiderio ac spei Pontificis voluntas non respondebat; qui ob reuocatum exercitum, qua re mitior fieri debere verisimile videbatur, ea factus durior, ideoque cum Arimini podagra premeretur, totq; angustijs septus, potius vt victor quàm victus, per eundem Scotum proponebat: vt in posterum dux Ferrariensis tributum ante diminutionem ab Alexandro Pontifice factam, cõsuetum penderet: vt Pontificatus nomine Vicedominus, vt antea habebant Veneti, Ferrariæ perpetuus esset: Lucium cum reliquis oppidis, quæ Alfonsus Estensis in Aemilia possidebat pontifici traderentur: quæ leges etsi regi admodum graues viderentur, tamen tantum erat pacis cum pontifice ineundæ desiderium, vt se, modò Cæsaris accederet consensus, fere omnibus his postulatis assensurum responderit. Pontifex autẽ Romã reuersus sententiam mutauerat; eius audaciam, præter id quod sibi ipse summebat, Aragoniæ regis hortationibus augentibus; qui ex Galliæ regis victoria aucta suspicione, statim omnes potentissimos apparatus, ad traijciendum in Africam, vbi cum Mauris perpetua bella gerebat, factos dimiserat; ac Petrum Nauarrum cum tribus Hispanorum peditum millibus inde reuocatum in neapolitanum regnum miserat: eodem tempore & res suas tutiores reddens, & Pontificem à concordia alienum in sua sententia confirmans. Itaque nisi vnà & Veneti res suas cum Cæsare componerent, nisi Alfonsus Estensis præter prima postulata sumptus etiam in bello factos satisfaceret; nisi rex Bononiæ recuperationem se non impediturum polliceretur; quam vrbem, tanquam à pontificatu rebellem, iam diris subiecerat, & ad agros eorũ depopulandos, Marcum Antonium Columnã & Ramazzotum in Aemiliam miserat; qui vix dum Bononiensem agrum ingressi, facilè à populo pulsi fuere. Pontifex nihilominus cum Romam redijt, Cardinalium precibus victus, vt Auscensis cardinalis è custodia emitteretur (ad eam enim vsq; diem in arce Angelica custoditus fuerat) ea lege assenserat, ne antequam omnes Antistites ac ministri qui Bononię capti fuerant liberarentur Vaticano egrederentur; & pòst sub quadraginta millium ducatorum pœna, idoneis sponsoribus datis, Roma exire non attentaret; quam uis non multo pòst vt in Galliam rediret, modò ne eadem interposita pœna concilio interesset, permiserit. Põtificis responso Rex eò magis commotus est, quò magis ipsum in eas leges, quas ipsemet proposuerat cõuenturum sibi persuaserat: quocirca, cum Bononiæ recuperationem impedire decreuisset, quadringentos cataphractos eò misit; & paucis diebus pòst, eam vrbem cum Bentiuolis, nulla ab eis, vel militum, vel pecuniarum suppeditandarum accepta obligatione, in patrocinium suum recepit: cumq; Cæsaris coniunctionem, sibi tunc maximè necessariam esse animaduerteret, cum antea copias in fœdere per Gurcensem inito promissas, nisi ipsemet in Italiam veniret, (hac enim lege promiserat) non tradere animo agitaret, vt ex Mediolanensi ditione, Palicia duce (nam Triultius quem Cæsar petiuerat ire recusabat) copiarum promissarum numerus traderetur imperauit. Cæsar hinc ad bellum aduersus Venetos inflammatus, illinc varijs in animo consilijs agitatus Oenipontem venerat; cum enim, nisi Patauio potiretur, omnes suos conatus tandẽ leues fore animaduerteret, ad quod tot viribus tantisq; apparatibus opus esse, vt vix comparari possent; modò ad concordiam cum Venetis expetendam, ad quam vehementer eum rex Catholicus hortabatur, cogitationes conuertebat; modò suorum consiliorum varietate impulsus, cum exercitu Romam, vt, quemadmodum iam diu exoptabat, totum pontificium imperium occuparet, ire meditabatur; præter Gallicas copias, validum exercitum secum ex Germania ducturum sibi pollicitus. At cum ob impotentiam confusionemq; effectus consilijs ipsius minimè respondèrent, nunc se ipsum quotidie venturum; nunc copias missurum promittens, nihil gerendo tempus terebat; ideoq; Galliæ regi totum in se onus incumbere admodum graue videbatur: quæ ratio ab eius tenacitate non aliena, sæpe plus in ipso poterat, quàm quòd à multis in contrariam partem ostendebatur: Cæsarem, nisi ab ipso potenter iuuaretur, tandem hostibus ipsius adhæsurum: qua re, præterquàm quòd longè maiores sumptus sustinere cogeretur, eius in Italia imperia in grauissima pericula essent ruitura. In his

ambiguitatibus difficultatibusq́;,profanorum armorum tumultus frigeſcebant; ſacrorum verò, tam ex Cardinalium qui Concilij autores erant parte,quàm Pontificis,penitùs in hoc malo,antequã maiores progreſſus faceret opprimendo intenti, magis ac magis incaleſcebant. Conciliũ vt ſupra dictum fuit,Romanorũ, Galliæque regum autoritate,Crucei,Maclouij,Baiucenſis,Cõſentiniq́; cardinalibus interuenientibus,& Sanſeuerinate etiam palàm conſentiente, indictum & denunciatum fuerat: conſulationibus ac decretis vtriuſque regis procuratores intererant: verùm quinque huius peſtis autores Cardinales, quò maiorem autoritatem conciliarent, indictioni aliorum Cardinalium quoque nomina adiunxerant;inter quos Alibretus Gallus,quamuis inuitus aſſenſus fuerit, non potuit regis ſui imperio non parere; ex reliquis verò ab illis nominatis, Cardinalis Adrianus, & Cardinalis Finarenſis, palàm, ſine ſuo mandato & conſenſu factum fuiſſe affirmabant: quare cum in hac re non plus quàm ſex Cardinales manifeſtarentur, Pontifex eos ſponte ab hac inſania remoueri poſſe ratus, rerum commiſſarum tali cum ſecuritate, vt eis nulla offenſio eſſet timenda, venia oblata continenter cum illis agebat; quæ omnia Cardinales ſimulatè audiebant. Nec tamen ideò à potentioribus remedijs abſtinebat;imò Antonij à Sanſouini monte, vnius ex Cardinalibus poſtremò Rauennæ creatis, vt ferebatur conſilio,quò negligentiæ notam diſueret, vniuerſale Concilium, in proximi Maij calendas, in vrbe Roma, in diui Ioannis Lateranenſis templo indixit; qua conuocatione, Cõcilium ab aduerſarijs conuocatum diſſolutum; inq́; concilium ab ſe indictum iure, omnium poteſtatem authoritatẽq́; translatam eſſe cenſebat;quãuis Cardinales cõtra arguerent, quòd etſi hoc ab initio verum fuiſſet, tamen poſtquam ipſi anteuertiſſent, debere concilium ab ipſis conuocatum atque indictum locum habere. Concilio promulgato, iam magis ſuo iuri fidens; & Cardinalem Cruceium,qui pontificatus aſſequendi cupiditate, magna ex parte huius motus autor fuerat, conciliari poſſe diffiſus; idemq́; de Maclouienſi & Coſentino perſuaſus (de cæteris enim nundum quin eos ad ſuam obedientiam eſſet reducturus, ſpem amiſerat) contra hos tres edictum,quo,niſi intra ſexageſimum quintum diem ſe coram ipſo ſiſterent, eos purpurei galeri honore cunctisq́; beneficijs,quæ tenerent,priuatũ iri monebat, promulgauit: quo autem ad id facilius flecterentur,à pontificum collegiò, è fori pontificij auditoribus vnus eſt miſſus, qui eos inuitaret ac rogaret, vt priuatis contentionibus depoſitis,ad Eccleſiæ concordiam redirent:quamcunque ſecuritatem optarent,ſe eis impetraturum polliceretur. Quo ſimul tempore,ſiue quòd ambiguus & dubius eſſet animo,ſiue alia de cauſſa impulſus,perpetuò de pace cum Gallię rege ineunda agentes audiebat;de qua apud ipſum Regij oratores agebãt, apud regem verò idem Scotiæ regis legatus, & Tiburtinus epiſcopus pontificius internuntius: at ex alia parte, cum Aragoniæ rege ac Venetis,nouum in Gallos fœdus moliebatur. Eodem tempore Montempolitianum Florentinis reſtitui curauit; non quidem beneuolentia erga ipſos, ſed ne illorum cum Senenſibus inducijs elapſis, vt ad id oppidum recuperandũ eſſent potentiores, Gallos in Hetruriam euocarent veritus:& quamuis Florentinos Montempolitianum recipere pontifici eſſet moleſtum, ad eosq́; impediendos Ioannem Vitelliũ cum centum cataphractis Senenſiũ & ſuo ſtipendio, & Guidum Vainam cum centũ leuis armaturę equitibus iam Senas miſiſſet,tamen re diligentius expenſa,quòd quo maior difficultas appareret,eò magis Florentini ad illos euocãdos incitarentur,ne regi copiarum in loca Romæ vicina mittendarum occaſio daretur, huic periculo contrariũ adhibere remedium conſtituit: cui rei Pandulfus Petruccius,à Florentinis artificioſè eadem imbutus ſuſpicione aſſentiebatur. Per multos dies ea res acta fuit:nam vt plerumq́; res paruæ,non minores habent difficultates, nec minus inexplicabiles quàm maximæ, Pandulfus, ne in Senẽſis populi odium incurreret,ſic agi volebat,vt nullũ aliud ad bellum auertendum, & pontificis animum retinendum remediũ inueniri poſſe videretur. Volebant præterea Pontifex ipſeq́; Pandulfus, vt eodem tempore inter Florentinos ac Senenſes,ad eorum imperia tuenda fœdus percuteretur: ſed viciſſim metuebãt ne Politiani quod agebatur animaduerſo,ipſi vltro deditione facta, Florẽtinorũ gratiam præoccuparent; qui quod optarent aſſecuti, ad fœdus eſſent poſtea difficiles;ideo Ioannes Vitellius Montempolitianũ miſſus fuit;& Pontifex Iacobum Simonetã curię pontificiæ audi-

auditorem, qui non multos annos post inter purpuratos cooptatus est, eò misit; vt per ipsum Mõtispolitiani negotiũ cõponeretur: ita vt tandem eodem tempore, inter Florentinos ac Senenses fœdus in vigintiquinq; annos ictum sit; & Mõspolitianus, Simoneta, de venia & pristinarũ immunitatũ ac priuilegiorũ cõfirmatione deprecante, in Florentinorum potestatẽ redijt. Res inter Romanorũ regem Venetosq; aliquot menses consueto pacatiores fuerant: quoniã Germani copijs non abundantes, & pecunijs egentes, nõ parum sibi præstitisse videbantur, si Veronã tuerentur: Venetorũ exercitus, cum ad eam vrbẽ expugnãdã impar esset, inter Soauiũ & Leonicũ castra habebat; atq; ita nocte quadã ab vtraq; Athesis parte, magnã partẽ Veronẽsis messis incẽderũt: quãuis in regressu, ab hoste circunuenti, 300. peditum iacturam fecerint. Sed ad Paliciẽ cum mille ducentis cataphractis, & octo millibus peditũ, Veronam appropinquantis famã, eorũ exercitus Vicetiã, & Lineacũ in locũ munitũ, & tanquã in Insulã propter nẽnullas aquas, & fossas ab eis ductas se cõtulit; quib. in castris nõ multos dies cõmoratus est: nam quũ Palicia, cum copiarũ parte Veronam peruenisset, statimq; nec omnib. expectatis, vnà cum Germanis in aciẽ prodijsset, illi fugientibus similes Leonicũ se receperunt: deinde eodẽ terrore Vicetia cum ceteris oppidis, & Rhodigina Polineso, nunc Venetorũ, nunc Ferrariensium prẽda, desertis, pars Patauiũ, pars Taurisium distributi sunt; ad quas vrbes defendendas, eodem modo quo antea fecerant, Patauium multi ex nobilitate Veneta adolescentes venerunt: à Gallis & Germanis Leonicum direptum: eisdemq; Vicetia, eorum qui extra munitionẽ superiores essent misera præda, deditionem fecit. Sed omnis conatus, omnisq; accessio ad rerum summam dum Veneti Patauium atq; Taurisiũ tuerentur, parui erat momenti; illarum namq; ciuitatum opportunitate, quam primùm Germani Gallicis auxilijs destituebantur, sine difficultate amissa recuperabant: ideò exercitus post hos progressus, cõplures dies ad Barberanum pontem consedit, Cæsaris vel aduentum, vel mandatũ expectans; qui Tridentũ inter & Roueretum profectus, simul, ex more suo & feris venandis, & militibus ad exercitũ mittendis, intentus, nunc Patauij, nunc Taurisij, nunc Romæ occupandæ negotio proposito, Montaniam se venturũ promittebat: in his omnibus & suo more vacillabat, & præ inopia difficultates inueniebat; nec in Romana profectione minus quàm in alijs: nam tanto Gallorum cõmitatu eò contendere, sibi parum tutum parumq; decorum videbatur: & periculum ne eo exercitu longius discedente, Veneti Veronã inuaderent, illam valido præsidio munitam relinquere cogebat: & Galliæ rex tanto locorũ interuallo, copias suas Mediolano abducere ægrè cõcessurus putabatur; propterea quod perexigua Concordiæ cũ Heluetiis spes regi relinquebatur: qui præterquã quod in pontificis voluntatẽ se propensos ostendebãt, Galliæ regis oratori Venetorũ calamitatẽ genti ipsorũ, propter rerump. similẽ rationẽ, molestissimã esse apertè dicebant. Tandem vasta Cæsaris consilia & cogitationes, pro eius antiqua consuetudine ipsius nomine minimè digna facta pepererunt: additis namque exercitui trecentis Germanis grauis armaturæ equitibus, & ex alia parte Venetorũ auditis oratoribus, cum quibus semper agebat, Paliciaq; primùm Lungariam prope Vicetiam, deinde ad Sanctamcrucẽ venire iusso, ad Castellonouum locũ infra Scalam, Foroiulium versus, & viginti à Feltrio milliaribus, expugnandum, quo sibi ab ea parte facilem descensum pararet ire iussit: ea de caussa Palicia ad Montebellonam decem à Taurisio passuum millibus contendit: vnde ad Castellinoui iter aperiendum, quingentos equites & duo peditum millia misit; quo aperto ad Scalam profecti sunt. Quo tempore Venetorum leuis armaturæ equites, qui sine obstaculo totam regionem percurrebant, prope Morosticum circiter septingentos pedites, & multos Gallos atque Italos equites fregerunt, qui vt tutò in castra peruenire possent, Verona Soauium vt trecentis Gallis equitibus, qui Paliciam sequuti eo loco eius imperium expectabant coniungerentur, ibant; & quamuis intio, rebus Gallorum ac Germanorum feliciter succedentibus, Guido Rangonius Venetorum ductor captus fuerit, nihilominus multis agrestibus viris Venetis auxilio venientibus, circiter quadringentis Gallis peditibus cẽsis, & Mongirone, ac Ricimarro eorum ducibus captis, Veneti victores extiterunt. Sed iam indies apparatus frigescebant; nam & Galliæ rex, Cæsaris apparatus promissis non respondere animaduertens, ab Italia recedens ex Delfinatu, vbi multos dies moram traxerat

Bleſium redierat: & Cæſar eo animo Tridentum reuerſus, vt in caſtra non rediret, pro eo quod ſe omnia quę Veneti in continenti poſſiderent, vel Romam cum vniuerſo pontificio imperio occupaturum cogitauerat, vt Germani in Forumiulij & in Tauriorum fines inuaderent proponebat, non tam vt Venetos vexaret, quàm vt regionis oppida, quò ſe à præda & direptione redimerent, ad pecuniam numerandam cogeret: & Galli ne ſuos aliquid impediret, progreſſi, Veronæ, vbi peſtilentia vehementer graſſabatur, ducentos cataphractos imponerent; ex ſuis enim ſi Forumiulij inuadere vellet, nulli præter eos qui ad munitorum locorum cuſtodiam erant deſtinati, manere poterant. His rebus omnibus Palicia aſſenſus eſt; & Obignino Trecentorum cataphractorum qui ad Suauium erant, præfecto ſibi adiuncto, ad Plauiam fluuium conſtitit. Præterea Germani ad maiorem Veronæ ſecuritatem, ducentos equites ad Suauium reliquerũt; qui dum negligentiſſimè ſine vigilibus ac præſidio ibi morantur, vnà nocte penè omnes, à quadringintis leuis armaturæ equitibus, & totidem peditibus Venetorum, cæſi aut capti fuerunt. Hic annus ex more Foroiulienſibus, Iſtris, Tergeſtinis, ac Fluminẽſibus, varias terra mariq́ue paruis nauigijs calamitates attulit; miſeris his regionibus iam ab hac, iam ab illa parte direptis: Germanicus deinde exercitus Forumiulij ingreſſus eſt; cumq; Vtinam prouinciæ caput, vbi Venetorum magiſtratus ſedem habent, acceſſiſſet, illis turpiter dilapſis, ciuitas ſtatim deditionem fecit; deinde eodem victoriæ curſu totum Iulij forum occuparunt; ita vt ſingula oppida pro facultatum ratione certam pecuniam numerarent. Relinquebatur Gradiſca ad Liſontium amnem ſita, vbi erat Aloyſius Moncenicus Foroiulij præfectus, cum trecentis equitibus, multisq; peditibus; quæ tormentis petita, cum primum impetum ſuſtinuiſſet, præſidiariorum militum importunitate, præfecto capto in hoſtium manum deditione peruenit. Ex Foroiulij, Germani ad Paliciam, quinq; à Tauriſio paſſuum millibus caſtra habentem redierunt; quam ciuitatem, quia Cæſar eius expugnationem tentari vehementer inſtabat, coniunctis copijs acceſſerunt: cum verò eam vndiq; valde munitam reperiſſent, fabriſq; tormentorum globis ac puluere, & alijs neceſſarijs apparatibus carerent, omni victoriæ ſpe penitùs amiſſa receſſerunt. Poſt paucos dies Palicia regis iuſſu, quoniam indies nouorum fœderum, & motus Heluetiorum metus augebatur, in Mediolanenſium fines rediturus diſceſſit. Quem in regreſſu Venetorum Epyrotæ ſaltem in Atheſis & Brentæ fluuiorum tranſitu ſe poſſe lædere ſperantes, ſemper à tergo inſecuti ſunt; nihilominus ducentis Venetorum equitibus, qui extra Patauium caſtra habebant antequam Brentam traijceret, direptis; & Petro Lungarenſi eorum duce capto, incolumis iter fecit. Eius diſceſſus Germanos admodum perturbatos reliquit: cum enim, vt ad Veronæ præſidium, ſuper alios trecenti Galli cataphracti relinquerentur obtinere non potuiſſent, omnibus quæ ea æſtate occupauerant hoſtibus prædæ relictis, Veronam ſe recipere fuerunt coacti. Ideò Venetorum copiæ, quibus ob Lucij Maluetij obitum, Ioannes Paulus Ballio imperabat, ſtatim Vicetiam receperunt: deinde Forumiulij ingreſſæ, Cremonſa diruta, totam regionem, præter Gradiſcam fruſtra oppugnatam recuperarunt; quamuis paucis diebus poſt, nonnulli pedites in Tirolenſi comitatu conſcripti, Cadorum expugnarint, Bellonamq; diripuerint. Hac ratione, leuibus, paruiq; momenti rebus geſtis, ea æſtate bellicæ res exitum habuerunt, ſine vtilitate, ſed non ſine Cæſarini nominis ignominia, Venetorum autem exiſtimationis incremento; vt qui biennium iam à Cæſaris Galliæq; regis exercitibus oppugnati, ad extremum eaſdem vires idemque imperium retinerent: quæ etſi directò in Cæſarem tenderent, multò tamen magis Galliæ regi nocebant: dum enim, vel Cæſaris felicitatem & incrementum nimis timens, vel ex falſis iactis fundamentis conſilium capiens, nec iam proxima pericula cernens; vel anaritia prudentiam opprimente, non ea auxilia Cæſari dat, ex quibus optatam victoriam ſperare poſſet; præbuit illi occaſionem, ac penè coëgit, vt ijs qui eius ab ſe alienationem moliri nunquam deſiſtebant, aures accomodaret: eodẽq; tempore Venetis in eo ſtatu conſeruatis, vt maioribus viribus ijs ſe coniungere poſſent, qui eius potentiam deprimere cupiebant: vnde iam in Cæſaris mente, præſertim verò in Concilij negotio, noua conſilia germinare, aliquod ſignum incipiebat elucere: quo in negotio, præcipuè poſt Concilij Lateranenſis promulgationem refrixiſſe videbatur: cum non vt ſæpius promiſerat aliquos Germa-

nos

nos Antistites Germaniæ nomine mitteret; nec procuratores qui suo nomine sederent: nec Gallię regis exemplo moueretur, qui cõmuni ecclesiæ Gallicæ nomine, viginti quatuor Episcopos eò delegauerat: reliquos omnes regni sui Antistites, vel ipsosmet profiscisci, vel procuratores mittere iusserat: & nihilominus, siue vt hanc dilationem excusaret, siue quòd reuera tale esset eius desiderium, hoc tempore, vt pro maiori Germanorum Antistitum cõmoditate, & quòd se interesse velle diceret, concilium Pisis indictum, aut Mantuam, aut Veronam, aut Tridentum transferretur, postulare cæpit: quæ petitio varijs de causis reliquis omnibus molesta, tantummodò Cruceio cardinali erat grata: qui pontificatus cupiditate inflammatus, in quem finem hæc diffidia seruerat, Cęsaris gratia, cuius erga se beneuolentiæ plurimum confidebat, facilè eò se peruenturum sperabat: tamen cum concilij causa sine Cæsaris autoritate debilitata, ac penè manca relinqueretur, de communi consensu Sanseuerinatem cardinalem legarunt; qui eum rogaret, vt Antistites, & procuratores toties promissos mitteret, fidemq; omnium nomine daret, eos quamprimùm concilium Pisis incæptum esset, in eum ipsum locũ, quem ipsemet nominaret, translaturos; quod si ante fieret, communi causæ plurimum obfuturum ostenderet: præsertim verò illud maximi esse momenti, concilium à pontifice indictũ anteuertere. Cum Cardinale ad idem Galliæ regis nomine petendum, eius frater Galeacius profectus est, qui felicitate ab Ludouici Sfortiæ prioris domini infelicitate dissimili, Archipocomi munere ab ipso ornatus fuerat. Rex autem eum misit, præcipuè vt varijs pollicitationibus, nouisq; conditionibus Cæsaris animum confirmaret; ob cuius varietatem, in maxima ambiguitate ac suspicione versabatur; etsi eodẽ tempore pacis cum Pontifice spe non careret; quæ cum Romæ per Nanetensem & Strigonienſem Cardinales, in Gallia verò per Scotum & Tiburtinum Episcopos ageretur, eò vsq; perducta erat, vt penè omnibus capitibus compositis, Pontifex conficiendi autoritatem Tiburtino Episcopo miserit; quamuis mandato aliquas leges interposuerit, quæ non mediocrem voluntatis à verborum sono discrepantis, cum præsertim illum eodem tempore penitùs his contraria cum multis principibus consilia miscere compertum esset, suspicionem dabant. Qua in ambiguitate dum ea aguntur, parum abfuit, quin pontificis repentinus casus, omnia cõsilia, & malorum quæ parabantur initia truncarit: qui decimaseptima Augusti in morbum incidens, quarto ægritudinis die adeò ingenti animi defectu oppressus fuit, vt per aliquot horas à suis ministris pro mortuo fuerit habitus; vnde ipsum diem supremum clausisse, vndiq; fama peruagata, multi Cardinales absentes, & inter reliquos, qui concilium conuocauerant, Romam versus iter ingressi sunt. Nec verò Romæ minor concitatio fuit, quàm in pontificum morte soleat esse; imò maiorum tumultuum semina apparuerunt: quoniam Pompeius Columna Episcopus Reatinus, Antimusq; Sabellus, iuuenes in Romana nobilitate seditiosi, populo Romano in Capitolium conuocato, turbulentissima oratione eum ad libertatem capescendam inflammare conati sunt. Sed dum nimia ambitione populum Rom. ad publicam rebellionem excitare conantur, Pontifex à tam periculoso casu respirauit; quo aliquantulum leuatus, maiore tamen ipsius vitæ metu quàm spe, sequenti die Cardinalibus quasi in iustum Senatum congregatis, nepotem à cardinalis Papiensis cæde haud quidem causa in iudicio (quòd temporis exiguitas non patiebatur) acta, quemadmodũ antè fuerat cõstitutum, sed tanquam facti pœnitentẽ, gratia[atq; indulgentia absoluit: & in eodem Senatu successoris electionẽ legitimè fieri procurauit: cumq; alios eis artibus quibus ipse vsus fuerat ad tantum gradum ascendere prohibere vellet, legem ambitus in eos qui vel pecunijs, vel alijs prẽmijs ad pontificatum aspirarent, horrẽdis pœnis refertam promulgauit; qua electionem aduersum hanc legem factam prorsus sustulit: & cuiuis cardinali ad eam electionem impugnandam admodum facilem aditum patefecit: quam legem, iam tum cum Bononiæ esset, in nonnullos Cardinales qui palàm, vt post eius obitum ad pontificatum assumerentur, cum alijs Cardinalibus paciscebantur, indignatus protulerat. Ex eo die, siue id ex eius admodum firma corporis constitutione proueniret, siue fatis eum diuturniorum & maiorum in Italiæ calamitatum autor ac præcipua causa esset conseruantibus, sanitatis signa euidentiora enituerunt; neq; enim medicorum curę aut remedijs, quibus in supremo ægritudinis ardore, crudis pomis rebusq; il-

lorum præceptis contrarijs vescens, nulla ex parte parebat, eius salus tribui poterat. Quamprimùm mortis periculo liberatus fuit, ad consuetos labores cogitationesq; redijt; simulq; & pacem cum Galliæ rege, & ad Gallorũ perniciem fœdus cum rege Aragoniæ ac veneto Senatu moliebatur: & quamuis animo magis ad bellum quàm ad pacem propenso esset, aliquando tamen multis rationibus modò in hanc, modò in illam sententiam distrahebatur: ad bellum, præter inueteratum in Galliæ regem odium, & quòd non omnia quæ cupiebat in pace cõsequi posset, regis quoq; Aragoniæ tunc potissimũ ne Galliæ rex rebus cum pontifice compositis statim data occasione regnum neapolitanum inuaderet, metuentis, contrariæ suasiones incitabant; & quo maiorem hæc cõsilia haberent autoritatem, præter priorem classem, Petro Nauarro duce, ex Africa in Italiam transuectam, denuò aliam ex Hispania miserat; qua quingenti grauis armaturæ, sexcenti leuioris quos Giannettarios appellant, equites, & peditum tria millia vehi dicebãtur: quæ vires alijs additæ, nec numero, nec hominum virtute erant parui momenti: & tamen idem rex consuetis artibus vsus, bellum in Mauros magis cupere, nec vtilitate, aut proprij commodi gratia, aut alia re, quàm sua perpetua pontificiam sedem obseruantia ab eo remoueri præ se ferebat: cum verò solus suos milites fouere non posset, Pontificis & Senatus veneti auxilium sibi esse necessarium; ad quę quo facilius acquiescerent, eius copiæ quæ omnes in Capręas insulam prope Neapolim descenderant, transitum in Africam comparare fingebant: Verùm immoderatæ petitiones pontificem terrebant; hæ artes molestiam afferebant; & quòd is rex contrarias spes Galliæ regi dare non cessabat, ipsi notum esset, suspitionem mouebat: Venetos à sua voluntate non deflexuros sciebat; verùm grauissimo bello sumptuum faciendorum facultatem exhaustam esse, & Senatum per se tunc temporis potius ad res suas tuendas, quàm ad nouum bellũ, quod nisi maximis & penè infinitis sumptibus geri posset suscipiendum, propensum esse intelligebat: Heluetios propter communem multitudinis propensionem Galliæ regis hostes se declaraturos sperabat; sed cum nullam eius rei certitudinem haberet, eosq; nunquam Galliæ regis actiones penitùs reiecisse, & multos ex principib. gentis, ad quos ex Gallica amicitia maxima emolumenta perueniebant, totis viribus incũbere, vt in comitijs quæ proximè erant futura, cum rege fœdus renouaretur, notũ esset, non videbantur incerta spe tot pericula subeunda: de Cæsaris animo, quamuis vehementer à Catholico rege incitaretur; & suapte natura Gallico nomini infensissimus esset, minus sperabat, quàm timebat: cum præsertim sciret ingentia recenter tum in se, tum in Venetos illi fuisse oblata; & simul Galliæ regem maiora posse præstare, quàm quiuis alius promittere: quòd si Cæsar ei regi coniungeretur, illius autoritate Concilium admodum formidabile futurũ; eiusq; armis bona fide, Galliæ regis virib. ac pecunijs, & cum vtriusq; regnorũ oportunitate iunctis nulla victoriæ spes Pontifici relinquebatur, quæ aduersus regno Galliæ solum valde etiam difficilis erat: animum ipsius erigebat, quòd Angliæ regẽ, Catholici regis soceri sui consilijs & cohortationibus, nec nõ sacrosanctæ sedis autoritate, quæ tunc in Anglia erat maxima; & cuius nomine ardentissimis precibus illius opem aduersus Gallię regẽ, tanquam ecclesiæ tyrannum & euersorem implorauerat, impulsum, Galliæ regno bellum illaturum speraret. Sed enim illum regem insitum à natura Anglię regibus cunctis & populis, in Gallicum nomen odium, iuuenilis ætas, atq; ingens pecuniarum copia à patre relicta; quam fama erat non à leuibus orta autoribus, ad vim incredibilem ascendere, multò magis incitabant: quæ res adolescentem, nouum regem, quique in domo sua nihil vnquam nisi prosperum fortunæ cursum viderat, maiorum suorũ gloriæ renouandæ cupiditate inflammabant, qui Galliæ reges apellati varijs ætatibus victores eo regno maximis bellis vexato, non modò Ghiennam Normaniamq; opulentas potentesq; prouincias diu possederant, ac prælio apud Pictones commisso Ioannẽ Galliæ regem cum duobus liberis, multisque regni principibus cæperant; verùm etiam Lutetiam Parisiorum, totius Gallię caput, cum optima regni parte, tanto successu & terrore occupauerant, vt constans opinio sit, Henricum quintum ipsorum regem, nisi in ætatis flore atq; in ipso victoriarum cursu morbo esset extinctus, totum Galliæ regnum occupaturum fuisse. Quorum triumphorum memoriam, cum nouus rex animo volueret, etsi pater eius moriens, pacem cum Galliæ rege in primis tueretur præcepisset; qua sola

ſola Angliæ reges tutò ac feliciter regnare poſſent, incredibili ardore mouebatur: bellum verò ab Anglis, regi Galliæ præſertim eodem tempore alijs bellis implicato, illatum, quod & illius regni viſcera peteret, & rerum præteritarũ recordatione, Anglicum nomen Gallis admodum eſſet formidabile, maximi momenti eſſe nemini dubium erat: & tamen Pontifex ob barbaræ fidei inconſtantiam, & regionũ longinquitatẽ, ſua conſilia ſtabilire non poterat. Hæ erant pontificis ſpes, atq; his cogitationibus agitatę. Ex altera parte rex Galliæ à Põtificio bello abhorrebat, pacẽq; exoptabat, cuius interuentu & inimicitiã pontificis amouebat, & ſe ab importunis Cęſaris petitionibus, ac ſeruiendi neceſſitate liberabat: nec in cõcilio Piſano, à ſe ſolummodò vt põtificis animũ hoc metu ad pacem flecteret, introducto, modò cardinalibus alijsq; qui vel cõſenſiſſent, vel ad hæſiſſent ignoſceretur, tollendo, difficilis erat. Contrà verò, Bononiæ reſtituendę poſtulatio, quòd eius ciuitatis ſitus ad ſe infeſtandũ eſſet maximè opportunus, eũ ſuſpenſum tenebat; verebatur enim ne Pontifex nõ ſincerè pacem acciperet, nec ſi occaſiones redirent, animo ad tuendã prompto, ſed vt ſe à præſenti concilij armorumq; periculo liberaret: Cæſaris tamen animũ magna pollicendo ſe poſſe confirmare ſperabat; quòd etiam tum nõ tanquam alienatus, ſed velut ſocius de cõmunibus rebus ſecum ageret, & inter cetera ne Bononiam tanti ponderis vrbem in pontificis poteſtatẽ redire ſineret, hortaretur. Aragoniæ verò & Angliæ regibus, etſi vnius iam penè apertæ eſſent actiones, & de alterius mente ſparſi rumores; & quamuis eorũ legati ſimul coniuncti, prius moderatis verbis, atq; in ſpeciem officioſis & amicis, mox vehementioribus, vt Cardinales regniq; ſui Antiſtites ad Lateranenſe conciliũ ire iuberet, & ad pontificem Bononiam ſacroſanctæ ſedis ciuitatẽ redire permitteret hortati eſſent, non penitùs diffidebat: quoniam hinc Anglo in fœdere ſe permanere velle ſimulãte, multisq; ex ſuis eius rei fidẽ facientibus, illũ aliquid in ſe moliturũ non credebat: illinc Aragonij artes & ſimulationes, eiuſmodi erant, vt rex minore factis quàm verbis quibus ſe nunquam aduerſus ipſum arma ſumpturum aſſerebat, habita fide, regem illum cum hoſtibus, aperto marte nõ eſſe facturũ, quemadmodum occultis cõſilijs faciebat, ex parte ſibi perſuaderi permitteret. Quibus vanis opinionib. ita decipiebatur, vt cũ ab ijs qui apud Heluetios factionẽ ipſius ſequebantur, eam gentẽ ſi de augendis penſionib. aſſentiretur, reconciliari poſſe ſpes fieret, quòd ſibi mulctã imponi nolle diceret, denuò ptinaciter denegarit; imò remedijs aſperiorib. vbi mitiorib. erat opus adhibitis, ne ex Mediolanenſi agro cõmeatũ habere poſſent vetuit: quo cũ ob regionis ſterilitatẽ maximè indigerẽt, illos ea ratione ad fœdus veteribus cõditionib. redintegrandũ flecti poſſe ſperabat. Interea dies primus Septẽbris ſuperuenit, Piſani concilij auſpicijs deſtinatus: quo die procuratores Cardinaliũ, Piſas profecti, illorũ nomine quæ ad aperiendũ conciliũ requirebantur peregerũt: quare Põtifex vehementer cõmotus, quòd Florentini vt id cõciliabuli in ſua ditione fieret, aſſenſi eſſent (hoc enim nomine ſemper apellabat) Florentiã & Piſas, & quotquot ei cõciliabulo fauerent, ſacris interdixit, dirisq; deuouit, omnibusq; eis pœnis, quæ ſeuerißimis legib. in ſchiſmaticos, atq; hęreticos (conſecratis enim verbis mihi eſt vtendũ) ſunt latæ; ſubiecit; eisq; armorũ vim minatus, Mediceum cardinalẽ Peruſiæ legatum legit: & poſt paucos dies defuncto cardinale Rhegino Bononiæ legato, ad eã legationẽ tranſtulit: vt eorũ imperij æmulo tãta cũ autoritate in finib. illorũ propemodũ cõſtituto, eos in metũ confuſionẽq; conijceret; ex eo enim ſtatu in quo tunc illa ciuitas erat, facilè id fieri poſſe ſperabat: nam præter quã quòd Mediceæ familię reditũ nõnulli optabant, inter optimates diſcordię factionesq;, antiquæ eius vrbis ægritudines regnabant, hoc tẽpore ex reip. Vexilliferi potentia & autoritate ſuſcitatæ: quã alij ambitione & ęmulatione incitati ferre non poterant; alijs ipſum in deliberationibus fortè plus quàm eius dignitati conueniret ſibi ſumere, reliquis eam partem non relinquere quam eorum dignitas merebatur moleſtum erat; querebanturque ciuitatis ſtatum in duobus extremis, hoc eſt, in publico capite, & populari conſilio poſitum, ſecundum rectam rerumpublicarum formam, bene conſtituto Senatu carere: cuius beneficio, præterquam quod eſſet velut quoddam intet duo extrema temperamentum, optimates, quiq; virtute præſtarent, digniorem in republica gradum aſſequerentur: Vexilliferum autem præcipuè ad hoc ipſum ordinãdum delectum, vel ambitione, vel inani ſuſpicione contrà facere aiebant:

quod desiderium quamuis æquum, non tamen tanti ponderis, vt illorum animos in factiones distrahere debuerit: nam etiam sine hoc honestum locum obtinebant; nec sine illis publica negotia deniq; perficiebantur: quæ res in ea ciuitate grauissimorum malorum origo & præcipua caussa fuerunt. Ab his initijs inter ciues orta dissensione, cum Vexilliferi æmulis, ipse eiusq; frater Volaterranus cardinalis è Galliæ rege pendere, eiusque amicitiæ plurimùm fidere viderentur, quantum poterant ea quæ in regis gratiam decernenda erant, Pontificem superiorem esse cupientes, impedire conabantur. Hinc quoq; fiebat, vt Mediceæ familiæ nomen minus odiosum esse in ea vrbe inciperet: quoniam potentiores ciues, qui reditum illorum non cupiebant, ob Vexilliferi æmulationem, non amplius cum alijs ad eos persequendos, nec (vt aliàs factum erat) ad reliquorum ciuium cum illis commercia impedienda conspirabant: quin vt Vexilliferum vrerent, se ab illorum amicitia non alienos ostendentes, alijs ad eorum dignitatẽ expetendam ferè ansam præbebant: ex quo illud oriebatur, vt non modò ij qui reuera illorum erant amici, qui quidem magni nõ erant momenti, rerum nouarum spem conciperent, sed etiam multi nobiles adolescentes vel immoderatis sumptibus, vel priuatis odijs, vel alios dignitate superandi cupiditate incitati, status mutationem ex illorum reditu appeterent: hanc autem animorum affectionem, per multos annos summo aestu nutrierat auxeratq; Cardinalis Mediceus: nam post Petri fratris, cuius nomen formidabile & inuisum erat, obitum, Florentinis rebus sese immiscere nolle, nec ad pristinam suorum amplitudinem aspirare fingens, semper omnes Florentinos qui Romam irent humanissimè acceperat: omniumq; negotijs promptè susceptis, nec minus quàm aliorum, eorum qui se fratris inimicos ostenderant, omnem culpam in eum transferens, quasi odium & offensiones illius morte essent extinctæ: quo in agendi modo cum plures annos perseuerasset, fama quam in Romana curia comparauerat comite, hominis erga omnes natura liberalis, comis & humani, Florentiæ multorum gratiam promeruerat: & ideò Iulius, illius imperij perturbandi cupidus, non imprudenter illum ei legationi præfecit. Florentini à Pontificis sententia ad sacrum (suppressa Pisani vt minus læderent appellatione) & vniuersæ Ecclesiæ concilium prouocarunt: & perinde ac si sententiæ latæ vis prouocatione esset suspensa, supremi magistratus præcepto, quatuor præcipuorum templorum sacerdotes, res sacras in suis templis publicè peragere coëgerunt: ex quo magis ciuium dissensio, cum sacrosanctam autoritatem vel obseruare, vel contemnere in cuiusq; esset arbitrio positum, apparebat. Quocirca Aragoniæ Angliæq; regum legati denuò apud regem Galliæ agere cæperunt, pace cum Pontifice oblata, ea conditione, si Bononia Pontifici redderetur; & Cardinales ad Lateranense concilium proficiscerẽtur; quibus veniam Pontificis nomine pollicebantur. At rex cum propter Bononiam assentiri nollet, se vrbem contumacem & ab ecclesia alienam non tueri respondit; cum eius imperio ac nutu nunc, quemadmodum & per multos annos ante Iulij pontificatum gubernaretur: qui maiorem autoritatem quàm eius maiores habuissent sibi deposcere non deberet; Concilium quoque Pisanum, honestissimo ac sanctissimo consilio introductum fuisse, ad corrigendos apertos & non ferendos errores, qui in ecclesia essent; cui, si Pontifex, vt æquum erat, ad id concilium veniret, sine seditionis vel diuisionis periculo antiquus splendor facilè reddi posset: se ipsius immiti natura, animoq; ad bella & offensiones accenso coactum fuisse Bononiæ patrocinium suscipere; quam honoris sui caussa non secus tueri vellet, quàm Lutetiam ipsam Parisiorum vrbem esset defensurus. Pontifex igitur omnibus pacis cogitationibus depositis, ob antiqua odia animiq; impotentiam, ob Bononiæ cupiditatem, & consilij odium ac metum, ac deniq; si in deliberando diutius hæreret, ne ab omnibus desereretur veritus; quia iam Hispani milites quasi in Africam essent traiecturi, ad Capræas insulam naues conscendebant, fœdus quod cum Catholico rege & veneto Senatu tractabatur perficere statuit: quod quinto Octobris die coram Pontifice, Pontificumque collegio in diuæ Mariæ Populari, solemni ritu promulgatum fuit: cuius hæc erant capita: Fœdus hoc præcipuè ad ecclesiæ concordiam tuendam fieri; & ad Pisanum concilialibum schismatis imminentis anteuertendi caussa, extirpandum: Bononiam quæ optimo iure ad sacrosanctam sedem pertineret, reliquaq; oppida & loca quocunq; modo ad pontificatum spectantia, (quibus

bus verbis Ferraria comprehendebatur)recuperanda, atq; ad eos qui ſeſe his rebus op ponerent,aut quouis modo impedire niterentur(his verbis rex Gallię notabatur)Italia pellendos validus inſtrueretur exercitus;in quo Pontifex quadringentos grauis,quingentos leuis armaturę equites,ſex millia peditũ aleret:Senatus venetus octingẽtos cataphractos, mille leuis armaturæ equites, militũ octo millia: Aragonius verò cataphractos mille & ducentos ,equites leuis armaturæ mille, & Hiſpanorũ peditũ decẽ millia; ad quos fouendos Pontifex toto belli tẽpore in ſingulos menſes viginti ducatorũ millia numeraret;totidemq; venetus Senatus,duorum menſium ſtipendio in præſentia numerato:intra quos menſes in Aemiliam,vel quocunque fœderati conueniſſent,& ipſi conuenirent; Aragoniæ rex duodecim triremes armaret, Veneti quatuordecim,qui eodem tẽpore in Inſubria Gallię regi bellum inferrent; his copijs vniuerſis Raimundus Cardonius,patria Catelanus,tunc temporis regni neapolitani Prorex præeſſet;ſi in Inſubria,ali quod oppidum, quod imperij Venetorum fuiſſet, caperetur,eius eſſet,cui à Pontifice adiudicatum eſſet : Sed Pontifex ſtatim peculiari ſcripto Venetis reſtitui debere declarauit : Cæſari & Angliæ regi in hoc fœdere eſt relictus locus; in ſpem, dubiam tamen,eum à Gallię rege tandem poſſe diſiungi; huic expreſſo Eboracenſis Cardinalis conſenſu,qui ſemper fœderis conſilijs interfuit: quo fœdere icto,Hieronymus Donatus Venetus orator,prudẽtia ac dexeritate ſua pontifici admodum gratus, quique eam ob cauſſam patriæ in ſua legatione valde vtilis fuerat,obijt. Hoc fœdus à Pontifice,Italiæ à Barbaris liberandæ ſpecie percuſſum,varias in hominum animis pro ſtudiorum ingeniorumq; varietate interpretationes excitauit : multi enim nominis ſplendore ſuauitateque capti, tam ſublime conſilium ſummis laudibus in cælum efferebant, & munus reuera pontificia maieſtate dignum apellabant ; nec Iulij animi altitudinem , generoſum magis negotium , nec minus prudentiæ, quàm magnanimitatis plenum potuiſſe ſuſcipere , cum ſua induſtria Barbarorum arma in Barbaros commouiſſet: vnde maiori externi quàm Italici ſanguinis copia aduerſus Gallos effuſa, non modò ſanguini, noſtro parceretur, verùm vna partium pulſa, facilè admodũ foret Italicis armis alteram iam debilitatam eneruatamque tota Italia profligare : alij forte interius rerum naturam rimati,nec oculos ſibi nominis ſplendore præſtringi ſinẽtes,verebantur ne bella Italię à Barbaris liberandæ gratia incępta,multo magis vitales huius corporis ſpiritus exinanirent, quàm illa quæ apertè & certiſſimo eius opprimendæ conſilio cæpta fuerant ; & maioris temeritatis quàm prudentiæ eſſe,ſperare,Italica arma, virtute, diſciplina, exiſtimatione,& ducum autoritate vacua,nec principum ſuorum animis coniunctis,ad victorem Italia pellendum fore idonea:quibus etſi omnibus reliquis remedijs deficeretur, facultas victis,ſe iterum ad cõmunem omnium Italorum perniciem coniungendi,nunquam eſſet defutura,multoq; magis verendum eſſe, ne hi noui motus, nouis gentibus Italiæ diripiendę occaſionẽ darent,quàm Pontificis ac Venetorum cõiunctione Gallos & Hiſpanos domari poſſe ſperandũ: Italiæ optandum eſſe vt diſcordia & Principum noſtrorum malè ſana conſilia externis armis aditum non patefeciſſent; verùm poſtquam ſuo infortunio duo nobiliſſima membra ab Gallię,Hiſpaniæq; regibus eſſent occupata, minorem calamitatem ducendam,ſi vterq; tandiu manſiſſet,donec diuina clemẽtia,vel fortunæ benignitas maioribus fundamentis nixas occaſiones adducerent : quoniam ex alterius regis ad alterum æquilibrio,eorum qui nondum ſeruiebant libertas defendebatur:quàm ſi inter ſe hoſtilia arma miſcerent; quibus, vigente bello , partes adhuc integræ,direptionibus,incendijs,ſanguine,miſerandisque caſibus lacerarentur;ac denique vter illorum victor exiſteret,totam acerbiori atrocioriq; ſeruitute afflicturus eſſet.Pontifex verò qui ſecus ſentiebat,ſpiritibus ſuis nouo fœdere auctis magisq; inflammatis ſatim elapſo tempore,Cardinalibus cõcilij autoribus ad reſipiſcendum pręſcripto,publico Cardinalium Senatu,ſolemni ritu conuocato,ornatu pontificio in aula quam Regiã nuncupant ſedens; Cardinales,Cruceium,Maclouienſem,Coſentinũ, & Bellocaſiẽſem purpuratorum ordine decidiſſe,& omnibus pœnis,quibus hęretici ac ſchismatici ſubijciuntur,obnoxios declarauit:preterea admonitionem eadem forma in Sanſeuerinatem Cardinalem,cui ad eum vſque diem non fuerat moleſtus,promulgauit:eodemq; ardore ad armorum conſilia progreſſus,Hiſpanorum aduentum continenter vrgebat :& vt

ante omnia infestis armis Florentini peterentur in animo habebat, vt eam remp. Medicea familia in pristinum restituta, in sociorum vota induceret: nec minus vt immensum odium aduersus Petrum Soderinum Vexilliferum conceptum exaturaret, quasi illius autoritate factum esset, vt Florentini nunquam voluerint à Galliæ rege diuelli; ac deinde concilium Pisis celebrari permiserint: cuius consilijs multis indicijs Florentiam vsque perlatis, cum ad bellum sustinendum varij apparatus fierent, fuit inter cetera propositum, valde æquum esse, vt bello à Pontifice iniustè illato, templorum sacerdotumque fortunis obuiam iretur, eamque ob caussam ad maximam pecunię summam depromendam sacerdotũ natio adigeretur; ita tamen vt tuto loco deposita, ea, nisi bellum esset illatum nõ vterẽtur; belli verò timore sublato, ijs qui dedisset, restitueretur: cui rei à multis ciuibus cõtradicebatur: atq; ab ijs præsertim qui pœnas pontificijs legibus in libertatis ecclesiarũ violatores cõstitutas formidarẽt: maxima verò pars, vt res à Vexillifero cuius autoritate præcipué hoc consiliũ manare notũ erat, propositas impugnarẽt: sed cũ Vexilliferi diligentia, & multorũ prẽterea propensione, noua lex ad hoc cõstituta in minorib. cõuentibus esset recepta; nec aliud prẽter maioris Senatus, qui ad hoc ipsum erat cõuocatus, approbationẽ, quidquã deesset, Vexillifer, p lege in hanc sententiã loquutus est:

Nemo est, præstantissimi ciues, qui qualis semper Pontificis in vestram libertatem animus fuerit iure possit ambigere, non modò ex ijs quæ in prẽsentia apparent, quòd tam præcipitanter, multis vestris verissimis rationibus non auditis, nec spe, qua nos effecturos esse pollicebamur, vt intra paucos dies concilium Pisis tolleretur, admissa, nobis sacris omnibus interdixerit; sed multò magis ex totius pontificatus illius actionum recordatione, quarum vt breuiter partem aliquam commemorem (omnes enim in memoriam reuocare nimis longum esset) quis est qui ignoret, nos in bello quod cõtra Pisanos gessimus, etsi sæpius supplices rogauerimus, & causæ æquitas id merereturi; eumque ignem qui non multis annis ante grauissimarũ perturbationum caussa fuerat extinguere ad Pontificij imperij securitatem, & totius Italiæ quietem pertineret, nullam opem, nec apertam, nec occultam ab eo cõsequi potuisse? imo, quemadmodum iam tunc suspicio fuit, & post nostram victoriam semper certiores facti sumus, quoties Pisanorum nuntij ad illum veniebant, benignè audiebat, varijsq; pollicitationibus eorum pertinaciam fouebat, quæ res in illo non erat noua, sed iam tunc Cardinalis cum esset incæpta: nam vt cuiuis vestrum notũ est, gallico exercitu Pisis remoto, quantũ potuit apud regem Galliæ & Cardinalem Rotomagensem, vt nobis exclusis Pisanorum patrocinium susciperet, procurauit. Pontifex factus, nunquam aliquid quod illorum munerum, quæ Pontifices largiri liberaliter solent, nostrę reip. cõcessit, in tantis enim nostris difficultatibus & angustijs, nunquam permisit, vt vel semel sacerdotum fructibus iuuaremur, vt sæpius Alexander sextus, quamuis tantus huius reip. hostis concesserat; sed in rebus minoribus eodẽ animo quem in maioribus gerebat ostenso, etiam à sacerdotibus pecuniã qua publicũ Gymnasium foueremus accipere vetuit, quamuis esset exigua summa; & tot Pontificum continuatis priuilegijs confirmata, quę́q; in pium doctrinæ ac literarum vsum vertebatur. Quod per Barptolomeũ Aluianũ Romæ cum Ascanio Cardinale, nõ sine Pontificis consensu tractatum fuit; cuius rei tunc non pauca neque obscura indicia, moxque manifesti effectus existitissent, nisi qui intererant reliqui potentiores, Cardinalis improuisa morte pedem retulissent; & sublatis etiam primis fundamentis, nunquam æquis nostris precibus assentiri voluit, vt Aluianum in Romano agro milites cõscribere aut alere prohiberet; quinimò Columnijs atq; Sabellis, per quos paruo sumptu pericula nostra auertissemus, eorum qui in nos arma infesta cõparabant, oppida inuadere prohibuit. In Senẽsibus rebus, Pãdulfi Petruccij semper aduersus nos patrocinio suscepto, minis nos ad inducias protendendas astrinxit; nec deinde aliam ob causam, vt Montẽpolitianum, ad cuius defensionem milites Senas miserat, recuperaremus procurauit, nisi quòd metuebat, ne Gallicus exercitus à nobis in Hetruriam euocaretur: A nobis autem nullam vnquam offensionem acceperat, quin semper decenti reuerentia nos erga Pontificatum gessimus, illi peculiariter in omnibus postulatis, quæ in potestate nostra essent gratificati sumus, nullo obligationis vinculo astricti, imò contra propriam vtilitatem ad Bononiense negotium copias concessimus; at nulla officij, nulla obsequij ratione animus illius

illius placari potuit; cuius cùm multa alia extent signa, tum illud euidentissimum, quod ne odio videar impulsus, & quia in vniuscuiusque memoria esse scio, tacitus præterire volo; cum de eo dico quod ijs qui se me interfecturos (vt lenissimis vtar verbis) pollicebantur, aures accomodauit; non quidem odio mei, à quo nulla est vnquam iniuria affectus, & quem Cardinalis cum adhuc esset, semper honorificè acceperat, verùm ardenti quo vestræ vobis libertatis adimendæ cupiditate flagrat: nam cum semper studuerit vt hæc respublica immoderatis iniustisque suis cupiditatibus acquiesceret, suarum expensarum periculorumque esset particeps; nec ex consiliorum vestrorum moderatione ac maturitate, temerarium aliquid aut præceps decerni posse speraret, ad tyrannidem in hanc vrbem inuehendam finem suum direxit, tyrannidem inquam, quæ ex illo pendeat, quæ non ad vestra commoda consilia dirigat, remúepub. gerat, sed ex illius libidinis impetu ducatur; quibus, dum sibi vasta infintaq; proponit, pertractus, nihil aliud, nisi bella ex bellis serere, perpetuaque incendia in christiana rep. fouere cogitat: & quis est qui possit dubitare, nunc cum arma vsq; adeò valida se illi cõiuncta ostendunt, cum Galliæ togatæ imperat, cum Senẽses illius iussa faciunt, vnde vsq; in nostra viscera apertum ad penetrandum aditum habet, quin nos inuadere in animo habeat? quin apertis virib. id quod iam insidijs clam tentauit, quod tãto ardore tamdiu exoptauit, eoq; magis quo nos minus ad defensionem essemus comparati, cõsequi sit conaturus? Sed si nihil aliud eius rei fidem faceret, quod recenter Cardinalem Mediceum Bononię Legatum, vt eundem exercitui præficiat destinauit; quem Cardinalẽ nunquam in honore habuit, in quẽ nulla vnquam beneficia contulit, & cui nullo vnquam tempore se vlla in re fidere prę se tulit, nonne eius cõsilia satis patefacit? Quid hoc aliud sibi vult, nisi dum ei qui ad tyrãnidem in vos aspirat, autoritatẽ dat, dum finibus vestris illum proximum collocat, imo dum illum tanta dignitate, tanta existimatione, armisq; munitum penè ceruicibus vestris imponit, ad ciues (si qui sunt adeò perditi vt tyranidem libertati præferant) animãdos, ad vestri imperij populos hoc nomine concitandos? Quæ cum ita sint, hi mei honestissimi collegę, multiq; alij boni atq; integri ciues, ad hanc libertatem tuẽdam, eosdem apparatus qui ad certissimum bellum faciendi essent, fieri necesse censuerunt, & quamuis regem Gallię, saltem proprij commodi gratia, valida nobis auxilia daturum sit verisimile, non debemus tamen hac spe freti, ea remedia quę in nostra sunt potestate prętermittere: nec obliuisci multa impedimenta facilè incidere posse, quæ nos aliqua ex parte ipsius auxilijs priuarent. Hoc cõsiliũ salutare ac necessariũ esse, aliquẽ esse qui neget, minimè credimus, & si quis forte neget, fieri possit, vt alia quàm comunis vtilitatis causa moueatur: sunt tamen nonnulli qui cum vtrum nobis Pontifex bellum inferre in animo habeat incerti simus, aiunt inutile consiliũ esse, illius autoritate læsa, & sacerdotibus ad tributa pendẽda coactis, põtifici iustam indignationis causam exhibere, ac penè ad necessarium in nos bellum prouocare; quasi tot tamq; perspicuis signis & argumentis quæ sit eius mens non satis perspiceretur, aut quasi prudentiã reip. rectorum sit apparatus, donec irruptionis initiũ fiat, differre, ante ab hoste lętale vulnus accipere velle, quã necessaria ad defensionẽ arma induere. Alij, ne diuinam irã Pontificis irę adiungamus, alia ratione saluti nostræ esse consulendum censent; cum nobis nõ ea necessitas ingruat, sine qua nefas est pontificio iure, sacerdotibus, eorumúe fortunis homines profanos pecuniã imperare. Hæc quoq; ratio, à nobis atq; alijs qui hanc legẽ suaserunt fuit expensa: sed cum publica vectigalia quẽadmodũ scitis ad sumptus qui erunt faciẽdi parua sint; vestra verò cuiusq; marsupia tam diu tamque grauiter exinanita fuerint, certumq; sit denuò in bello esse premenda, quis non videt magnopere æquum & necessarium esse, vt sumptus qui nobis in bello à religiosis illato defendendis fient, aliqua ex parte religiosorum pecunijs subleuentur? quod quidem aliàs sæpe & in nostra ciuitate, & multò magis apud omnes alios principes & ciuitates vsurpatum est: verùm nunquam neque hic neque alibi maiori moderatione & circumspectione, cum in alios vsus insumi non deberent, imo in tutum locum reponi, vt si fortè timor noster vanus fuerit, ijsdem religiosis restituantur. Si igitur Pontifex bellum nobis non intulerit, sacerdotum pecunia intacta relinquetur; nec re ipsa aliquod onus illis erit à nobis impositũ; sin infestus nos adoriatur, quis queri poterit, si, quibuscunque possimus modis, à tam iniusto bello nos defen-

damus? quam cauſſam præbet illi hæc reſpublica, quæ non ſponte, ſed coacta, vt ei notiſſimum eſt, concilium Piſas conuocari paſſa eſt, quamobrem illum à nobis prouocatum aut irritatum eſſe dici poſſit? niſi fortè dicatur prouocare aut irritare, qui hoſti impetenti iugulum vel pectus nudatum non porrigat, quamuis non is illum prouocat aut irritat, qui ſe ad defendendum cõparat; qui ſe vt illius iniuſtam vim nõ poſſit repellere componit; ſed niſi nos compararemus, tunc illum prouocaremus atq; irritaremus; quoniam rei facilè gerendæ ſpe, veſtræ libertatis funditùs euertendæ impetus & ardor augeretur. Nec diuini numinis violãdi timor vos moretur: tam enim graue atq; euidens periculum eſt, eò loco res noſtræ ſunt, eò neceſſitatis redactę (neq; enim res vlla maior, aut in qua magis res agatur veſtra, in conſultationem adduci poteſt) vt non tantùm ea huiuſmodi fructuũ portione, quę in pios vſus non vertitur, vti liceret, verumetiam ſacra tis rebus munus inijcere fas eſſet: defenſio enim eſt ex lege naturæ, cunctis mortalibus communis, & ſummi Dei voluntate omniumque gentium conſenſu comprobata; vnà cum mundo & orta, & deſitura: cui neque ciuiles neque pontificiæ leges, homnium voluntate nixæ, & cartis exaratæ derogare poſſunt: eſt enim hæc non ab hominibus facta lex, ſed ab ipſa natura in totius humani generis pectoribus atque animis inſcripta, ſculpta, infixa: nec verò donec ad extremam neceſſitatem redigamur expectandum eſt: ad talem enim ſtatum redacti, & ab hoſtibus ſepti ac penè oppreſſi, ſera eſſent remedia, ſera auxilia vbi venenum ad ipſa precordia vſq; penetraſſet, præterea quî negari poteſt in priuatis hominibus maximam eſſe egeſtatem? cum onera quę imponuntur, ad eam ſumptuum tenuitatem plerosq; ſine quibus, niſi maximo incommodo, multarumq; rerum, quæ ad illorum conditionem neceſſaria ſunt, diminutione, viuere non poſſunt, cogant? Hęc eſt illa neceſſ as legibus excepta; quę leges donec ciues veſtri in famis periculum, ad eumque rerum ſuarum ſtatum redigantur, vt nec ſe, nec familias ſuas iam tueri poſſint, expectari nolunt. Quid quod hac lege nullum incommodum religioſis affertur? qui ea ſuorum fructuum parte leuantur, quæ vel inutiliter conſeruarent; vel in ſuperuacaneos vſus conſumerent; vel fortaſſe plerique illorum (liceat mihi hoc vti verbo) in parum religioſas parumque honeſtas voluptates impenderent. Omnium ſapientum communis eſt ſententia, Liberas ciuitates Deo ſummopere placere: quòd in ijs magis, quàm in alio reipublicæ genere, commune bonum conſeruetur: ius ſuum vnicuique æqualiter tribuatur; ciuium animi vehementius ad virtutem & laudem accenduntur; religio colitur, ſacra peraguntur: & vos exiſtimatis Deo poſſe diſplicere, ſi ad tanti pretij rem defendendam, pro qua qui proprium ſanguinem effundit ſummis laudibus effertur, exigua caducorum aliarumque rerum portione vtamini? quæ quamuis templis attributa ſint, omnia tamen ex maiorum noſtrorum in pauperes miſericordia, ex donis ac legatis eò perenerunt; & quæ æque ad ſacrorum, quæ in bellis non minus quàm pro fanę res militum crudelitati atque auaritiæ ſubiacent; quibusq; non magis in pontificio, quàm ſi ab quouis impio tyranno Turcisúe fieret, bello parcetur, ſalutem tutelamque expendentur. Ferte opem ciues patriæ veſtræ: veſtram libertatem dum poteſtis defendite: nihil vos Deo opt. Max. gratius acceptiusque facere poſſe vobis perſuadete, quàm bellum à tectis, à prædijs, à templis, à ſacrorum ſacrarumque virginum ſeptis auertere: remedium efficacius nullum eſt, quàm ſi ijs qui vos lædere cogitant, oſtenderitis, vos nihil quod ad defenſionem veſtram facere videatur, eſſe prætermiſſuros.

Vexilliferi oratione audita, quo minus lex maioris ſenatus conſenſu approbaretur, nihil fuit impedimento; quo facto etſi pontificis indignatio ſupra modum creuerit, magisque ad fœderatos, vt Florentinis bellum inferretur, impellendos fuerit concitatus, nihilominus & ipſum, & eos qui pro Aragoniæ rege in Italia agebant, Pandulfi Petrucij ſuaſiones ab hac ſententia remouerunt: qui Bononiam peti hortatus, bellum in Hetruria geri deteſtabatur; quòd Bononiam per ſe ad defenſionem infirmam, Galliæ regis viribus tantùm defenſum iri diceret: pro Florentinis verò & ipſorum met potentia, & propriæ vtilitatis gratia, non minus quàm pro Bononienſibus, idem rex eſſet pugnaturus. Florentinos, etſi animo in Galliæ regem propenſi eſſent, tamen vt prudentes, & ſtatus ſui cõſeruandi cupidos, neminem in illius gratiam, in tantis motibus, armis tentaſſe

tentasse,nec alia re illi adiumento fuisse,nisi quòd ad Longobardię imperium tuendum idque ex communi cum Catholico rege atque ipso fœdere, eum ducentis cataphractis iuuassent. Galliæ regi nihil gratius vtiliusúe fieri posse,quàm Florentinos cogere à partium æqualitate discedere, illorumque causam cum sua causa coniungere, summæ imprudentiæ esse;quos rex nullius precibus ac promissis suas partes profiteri,impellere potuit,eos ab ipsius regis hostibus,ad id compelli, quod ille sua autoritate consequi nõ potuisset: concilium Pisis celebrari,Florentinis molestissimum esse,multis signis ab omnibus perspici; sibi verò certò compertum esse; nec aliam ob causam assensos esse,ni si quòd Gallię regis postulatis,statim post Bononiæ defectionem factis,cum nulla arma illi opposita in Italia cernerentur, Cæsarisque autoritatem consilio adiunctam esse certum esset,& Catholici quoque regis cõsensus accedere crederetur, repugnare non sint ausi;se pari ratione scire Florentinos non laturos esse,vt sub eorum imperio Galli milites morarentur: eis minari,aut eos irritare, valde perniciosum fore; imò contrà,mansuetudine cum eis agere; & quasi excusationes eorum admitterentur,præseferre,vtilissimum esse; tali namque progressu,vel temporis successu, vel aliqua occasione id consequi posse,quod nunc non esset sperandum; vel saltem timore ad noua consilia capienda minimè compulsi, ita sopirentur, vt periculosis temporibus non nocerent; & parta victoria,eam Florentini reipublicæ formã præscribere,quam aptiorem censerent in sociorum potestate fore. Pandulfi in hac causa autoritatem minuebat, quòd illum propriæ vtilitatis gratia in Hetruria tam graue bellum,quo siue ab amicorum exercitibus, siue ab hostium copijs,æquè omnes agri ac regiones vastarentur,minimè inchoari cupere animaduertebant; verùm eius rationes visæ sunt tam validæ, vt facilè Florentinos tunc non inuadere decretum fuerit: quod consilium,contentione non multos post dies inter Florentinos & cardinales orta,magis probatum fuit. Cardinales quemadmodum suprà dictum est,primi concilij actionibus non interfuerant, quoniam ad Burgum Sandoninum,siue vt Antistites qui ex Galllia veniebant,siue quos Romanorum rex mittere promiserat expectarent,siue alijs de causis hæserant: quo ex loco cum diuersis itineribus abijssent, duos Hispanos qui Bononiensi itinere profecti erant, Pontifici reconciliari cupere fama fuit; quòd illos semper cum Aragoniæ regis legato,qui apud Pontificem erat,consilia habere cognitum esset:& quòd publicam fidem,vt tutò Florentię manere possent, à Florentinis petierant,obtinuerantque, hanc opinionem augebat. Sed cum in Mugellanum agrum peruenissent,repentè Lucam versus vt alijs coniungerentur iter ceperunt: siue quòd reuera sic semper in animo habuissent; siue quòd in Cruceio cardinali tandem antiqua ambitio plus potuerit, quàm recens metus; siue quòd ibi priuationis accepto nuntio,de concordia iterum cum pontifice sarcienda desperarit. Eodem tempore tres Galli cardinales,Maclouiensis, Alibretus, & Belocasius,cumque ijs Galliæ Antistites, Pontremulensi itinere Apenninum transibant,quos ex Longobardia, ad eorum petitionem sequebantur trecenti Galli cataphracti, Odetto Foisseo Lautreccij domino, duce, cui à cardinalibus concilij custodia erat demandata; vel quòd sine tali præsidio Pisis esse periculosum censerent; vel vt concilium Galliæ regis armis munitum,maiorem haberet autoritatem; vel quemadmodum aiebant, vt eos qui ipsorum decretis repugnare aut non parere auderent,cohibendi haberent facultatem. At Florentini hac re cognita,quæ donec copiæ in itinere fuerunt ipsos latuerat, Pisanorum in se odium considerantes,superiorem defectionem Carolo rege præsente & concedente factam,quamq; Galli milites in Pisanũ nomen propensi fuissent memores;prę terea ne militari insolentia,aliqua grauis commotio oriri posset veriti;sed multo magis ne si Galliæ regis copiæ Pisas venirent, fieret (occulto fortasse regis consilio) vt Hetruria esset belli sedes,in tanta vrbe, tantum militum numerum non recipere decreuerunt. Itaque statim regijs significarunt, eam oram, ob angustiam & sterilitatem vix multitudini quæ ad concilium conueniret alendæ, nedum alijs accipiendis sufficere: neque opus esse, cum ea vrbs ab ipsis ita gubernaretur & custodiretur, vt Cardinales in ea sine vllo vel foris, vel intus periculi metu, commorari possent : & Maclouiensi Cardinali,cuius voluntatem in his rebus Galli sequebantur, se milites Pisas non admittere statuisse indicarunt: qui verbis assensu simulato, ab alia parte, milites separatim

& quàm minimo ſtrepitu fieri poſſet,pgredi iubebat,ratus vbi Piſas propius acceſſiſſet, aut vi,aut arte, aut Florentinis tanta cum regis iniuria prohibere minimè audentibus, in vrbem ſeſe immiſſuros:ſed cum rex, ſe contentum eſſe vt non venirent apertè reſpó-diſſet,Florentini ad Maclouienſem Cardinalem ſuperbię illius parem miſerunt legatio nem,Franciſcum Victorium,qui illum certiorem faceret,ſi cardinales cum armis fines ipſorum ingrederentur,non modò Piſas nõ admiſſuros,ſed tanquam hoſtes perſequu-turos: idem ſi cathaphracti Apenninum Hetruriam verſus tranſirent;quoniam cenſeret non aliam ob cauſſam fieri,quàm vt clam,vel aliqua fraude Piſas ingrederentur: qua legatione motus cardinalis, copias trans Apenninum redire iuſſit: Florentini,vt cum eo prẹter Lautrechij &Caſtellionei copias centum& quinquaginta hippotoxotę mane rent,permiſerunt. Cardinales omnes Lucam conuenerunt:cui vrbi pontifex hac de ca-uſſa ſacris interdixit: vbi Coſentino, qui intra paucos dies ſupremum ſuum vidit di-em,ægro relicto, reliqui quatuor Piſas contenderunt: nec lætis Magiſtratuum animis, nec multitudinis reuerentia obſeruantiaũe accepti: quoniam Florentinis eorum ad-uentus erat moleſtiſſimus; & concilij cauſſa chriſtianis populis, nec grata erat, nec alicuius precij: nam etſi eccleſiæ corrigendæ titulus eſſet honeſtiſſimus, maximeque vtilis, imò vniuerſæ chriſtianæ reip. non minus neceſſarius quàm gratus, tamen auto-res ambitione moueri, & rerum fragilium cupiditate irretitos, communis bonis ſpecie de priuatis commodis contendere, eoſque (quicunque tandem illorum pontifex fie-ret) non minus correctione egere,quàm ij de quibus corrigendis agebatur: & præter ſacerdotum ambitionem,principum & regnorum controuerſias concilium excitaſſe,& fouere, omnibus notum erat. Has Galliæ regem ad id procurandum impuliſſe; has regem Romanorum ad conſentiendum; has Aragonię ad id ipſum optandum excitaſſe. Cum igitur concilij cauſſæ præcipuè armorum imperiorumque cauſſam adiunctam eſ-ſe palã animaduerteretur,pijs rerum religioſarum nominibus,bellorum,offenſionumq; inſtrumentis,res prophanas procurari populi perhorreſcebant: ideo non ſolùm in i-pſo vrbis ingreſſu manifeſtè apparuit commune odium atque contemptus, ſed in ipſius concilij actionibus apertius.ſacerdotibus namque ad primam ſeſſionem in præ-cipuum vrbis templum conuocatis, nemo religioſus intereſſe voluit: & illiusmet templi ſacerdotes,cum Patres vellent iuxta conciliorum ritum, ſacra quibus diuini ſpiritus numen inuocatur celebrare, apparatus eis commodare recuſarunt: deinde ad maiorem audaciam progreſſi,clauſis templi foribus aditum prohibuerunt. Quæ cũ cardinales Florentiæ per ſuos queſti eſſent,templa inſtrumentaque ad ſacra peragenda deſtinata,illis minimè negari debere imperatum fuit; ea tamen conditione, ne ſacerdo tes intereſſe cogerentur: his penè inter ſe repugnantibus decretis ex ciuium diuiſione manantibus,quibus hinc conſilium in ſuas vrbes recipiebant; illinc idipſum contemni permittebant,vno eodemq; tempore & pontificem offendebant,& Galliæ regi non ſa-tisfaciebant: idcirco cardinales Piſis ſine armis morari periculo minimè carere rati, concilijque autoritatem in vrbe quæ ipſorum decretis non pareret imminui, quampri-mũ concilij fundamenta ieciſſent, inde diſcedere cogitabant: verùm caſus quidam,qui quamuis eſſet fortuitus, habuit tamen ex mala hominum affectione principium, eos accelerare coegit:nam cum Gallus quidam miles meretrici publico in loco neſcio quã iniuriam intuliſſet,à circunſtantibus clamore ſublato, multi Galli, tam milites, quàm cardinalium,reliquorumque Antiſtitum familiares, cum armis ad rumorem acurre-runt: concurrere viciſſim multi Piſani populares & Florentini milites,& illis gallicum nomen,his verò Marzochi, quod eſt reipublicæ Florentinæ Leonis inſigne,acclaman tibus, cæptum eſt inter eos acre certamen: ſed Gallorum ac Florentinorum ducum concurſu, multis iam vtrinque vuulneratis, & inter ceteros Caſtellioneo, qui ab ini-tio ſine armis vt periculũ auerteret accurrerat,&Lautrechio,qui eandem quoq;ob cauſ ſam aduolarat,quamuis vterque leuiter vulneratus tumultus tandem ſedatus fuit. Hic autem caſus,cardinales,qui fortè eadem hora in propinquo Michaëlis templo cõuene-rant,tanto terrore repleuit, vt poſtero die ſecunda habita ſeſſione, qua concilium Me-diolanum transferre ſtatuerunt, ſumma celeritate ante quintum decimum ab aduen-tu ipſorum diem diſceſſerint, ingenti cum Florentinorum Piſanorumque lætitia, nec

minore

minore Antistitum qui concilium sequebantur gaudio, qui se in locum ædificiorum incommoditate, multisque alijs ex belli diuturnitate acceptis detrimentis, sacerdotum Gallorumque delicatæ opiparæque vitæ minimè aptum, venisse ægrè ferebant; & multò magis, quia cum regio imperio contra propriam voluntatem venissent: loci mutationẽ & quemuis casum, quo concilium difficilius redderetur, interponeret, produceretur dissolueretur ue exoptabant. Mediolani verò populorum contemptu & odio vbique cardinales persequente, eadem vel maiora impedimenta inuenerunt: quoniam Mediolanensium sacerdotum natio, quasi eam vrbem nõ ecclesiæ Romanę cardinales vbiq; fere honorati, ac penè pro numinibus culti ingressi essent, sed homines profani, & execrandi statim per se à sacris celebrandis abstinuit: cumq; in publicum prodirent, vulgus palam illis imprecabatur, incompositisq; gestibus ac verbis ingnominia afficiebat; præsertim verò Cruceium cardinalem, qui huius rei autor habebatur; quique, quòd in postrema Pisis facta sessione, concilij præses factus esset, magis erat hominibus inuisus. Per omnes vias plebis murmura exaudiebantur: concilia, faustas precationes, pacem, concordiam adducere solere: hoc, imprecationes, bella, discordiasque adferre: alia concilia ad remp. christianam dissidentem compulandam conuenire solere: hoc autem ad copulatam dissipandam esse conuocatum. Huius pestis contagium in omnes, qui eos acciperent, qui parerẽt, qui fauerent, qui quouis modo cum illis versarẽtur, quiue audirent aspicerentue manare; nec ex illorum aduentu aliud quàm sanguinem, famem, pestilentiam, & tandem corporum animorumq; iacturam expectari posse. Hos penè iam seditiosos sermones cohibuit Gasto Foisseius, qui paucos menses ante Longauillę discessum, Mediolanensium imperio exercituique præfectus fuerat: graui ssimis enim legibus sacerdotes sacra munera obire iterum, & populum in posterum mo deste loqui coegit. His difficultatibus parum feliciter concilij auspicia procedebant: cardinalium verò spe illud multò magis turbabat, quòd Cæsar procrastinãdo, nec Antistites, nec procuratores mittebat, quamuis præter tot antea facta promissa, cardinalis Sanseuerinati se missurum confirmasset, Galliæque regi continenter confirmaret: imo eodem tempore, siue vt se excusaret, siue ab alijs persuasus, ex ipsius dignitate non esse, propriorum regnorũ Antistites ad concilium Pisanum mittere, nisi totius quoque Germanicæ gentis nomine idem fieret, Germaniæ Antistites Augustæ Vindelicorum, vt qua ratione in illius concilij rebus progrediendum esset in commune deliberaretur, conuocauerat; Gallis tamen se hac ratione vt omnes mitterent effecturum asseuerans. Angebat quoque regis animum consiliorum varietate; nam præter tarditatem in concilij rebus declaratam, concordiæ cum Venetis ineundæ sermonibus, de qua multis pollicitationibus pontifex atque Aragoniæ rex satagebant, palam aures accommodabat, querebatur præterea regem nõ puduisse, tam apertè Cameracense fœdus violare; & in hac recenti non compositione sed proditione, se velut appendicem nominare; & Galeatio Sanseuerinio, vt ipsemet tanquam pontificis hostis Romam peteret: sed illi partem copiarum, & maximam pecuniæ vim rege suppeditante, proponebat; nec tamen hæc ea animi firmitudine, quin adhuc etiamsi omnia sua postulata assequeretur, quid sibi deliberandum esset dubitaret. In regis igitur animo solitæ cogitationes, curęque pugnabant: si Cæsarem desereret, eum cum hostibus suis facturum: sin eum sustineret, illius amicitiam ingenti precio empturum: quę res quẽ fructus esset paritura ignorabatur, quod ex rebus præteritis illud aduertebatur, sępenumero plus ei malam administrationem nocere, quàm iuuarent vires. His fluctibus rex agitatus, vtræ res secundę ne, an aduersæ Cæsaris, magis sibi essent nocituræ, apud se constituere non poterat. Eius dubitationẽ Catholicus rex quantũ poterat augebat, & quò eius bellicos apparatus remoraretur, sociorũ arma quietura esse dicebat: idem quoq; ijsdem de caussis rex Anglię faciebat; qui Gallię regis oratori ea de re cum eo agenti, se fœderi Romano assensum esse negauit, & fœdus quod cũ rege haberet, se seruaturũ affirmauit: eodẽq; tẽpore Tiburtinus episcopus, pontificis nomine pacẽ pponebat, modò rex cõcilio fauere desisteret, & Bononię patrocinũ desereret: quib. cõcessis, se põtificẽ nihil noui in eũ moliturũ, vel le præstare pollicebatur. Regi minus pax vel iniquis legib. quã belli pericula sumptusq;, qui & hosti resistẽdo, & Cæsare sustentãdo penè ingẽtes apparebãt, subire displice-

bat: tamen quòd ab Aragoniæ rege, armorum terrore penè ad hoc cogeretur, indignabatur: mouebat etiam quòd pontificem, Bononia recepta, & concilij metu liberatum, pacem seruaturum esse, difficile sibi promittere posset: quodque dubitaret, ne si propositis legibus se assensurum ostenderet, pontifex vt aliâs fecerat, pedem referret: atque ita sua dignitate læsa, existimationeque imminuta, Cæsar, quòd se in bello cum Venetis derelicto, ipse pro se tantùm pacem facere voluisset, iniuria affectum se censeret. Ideo Tiburtino episcopo, nolle se Bononiam aliter sub pontificatu esse, nisi quemadmodum olim solebat, disertè respondit: eodemque tempore, vt cum Cæsare, qui Brunechij erat, quod oppidum Tridento non longè abest, certum aliquid constitueret, Andream Burgium Cremonensem, Cæsareum apud se oratorem, qui à se ei omnia polliceretur summa celeritate ad eum misit: quo tempore nonnulli Cæsaris imperio subiecti ex Tirolensi comitatu, Batistenum, valde munitum castellum in Caldorensis vallis aditu occuparunt, Pacis consilijs penitus interruptis, prima regis cogitatio fuit, vt quamprimum Palicia relictis Veronę, ad Cæsarem ob discessum suum iratum mitigandum, tribus peditum millibus, reliquas copias in Mediolanensium fines reduxisset, nouis peditum delectibus habitis, omnibusque copijs simul coniunctis, in Aemiliam, antequam Hispani appropinquarent, duceret, vel totam vel partem à suis occupatam iri sperans; deinde aut vlterius progredi prout se occasiones darentur, aut bellum in vernum tempus vsque in alieno agro gerere; quo dein tempore, si ipsemet totis regni viribus in Italiam transiret, vbique se hostibus superiorem forè sperabat. Quæ dum animo voluit, essetq; in deliberando tardior quàm occasiones forte postularent, regemque à multis apparatibus præcipuè à nouis peditibus conscribendis, ipsius à sumptibus alieniſſima natura retraheret, suborta est de Heluetiorum motibus suspitio: de qua gente, quoniam sparsim multis in locis facta est mentio, admodum è re videtur, ac penè necessarium, separatim differere. Suizzeri ijdē sunt quos veteres Heluetios appellabant: hæc gens editiora montis Iuræ, loca qui nunc Sancti claudij dicitur, Brigæ, & Gothardi tenet: homines natura feroces, rusticani, & ob agri sterilitatem potius pastores, quàm agrorum cultores. Quondam Austriæ principibus paruerunt, verùm eorum excusso dominatu, iam dudum se in libertatem vindicarunt: proprijs legibus viuentes, nullum obedientiæ signum vel Cęsaribus, vel alijs principibus præstant: sunt in tredecim siue populos, siue pagos, quos Cantones vocant, distributi, qui suis singuli magistratibus, legibus, ac institutis vtuntur. Quotannis vel sæpius, prout necessitas poscit, in vnum locum, quem modò hunc modò alium singulorum populorum legati eligunt, congregati, de communibus rebus deliberant: hos conuentus ex Germaniæ vsu Dietas appellant; in quibus de bello, de pace, de fœderibus, de eorum qui ex publico decreto milites sibi concedi, aut voluntarios permitti petunt, postulatis, ac denique de rebus ad omnes spectantibus agitur. Cum publico decreto milites concedunt, ipsi è suis aliquem omnium copiarum præfectum legunt, cui communi omnium nomine cum insignibus vexillum datur. Huius tam feræ, tamque incultæ gentis nomen, concordia, & armorum gloria celebrarunt; quibus à natura insita ferocitate, & militari in seruandis ordinibus disciplina, non modò suam regionem fortiter defenderunt; verùm militiam extra suos fines summa cum laude exercuerunt: quæ procul dubio longè maior extitisset, si proprij imperij caussa, non autem stipendijs atque ad aliena imperia propaganda eam exercuissent: & si generoso animo præstantiores fines quàm pecuniæ studium sibi proposuissent; cuius amore eneruati, occasionem qua toti Italiæ potuissent esse formidabiles amiserunt: cum enim nunquam nisi velut mercenarij milites fines suos egrediantur, nullum publicum ex victorijs fructum retulerunt: lucri cupiditate in bello immoderatis mulctis imponendis, aliaque ex alijs petendo penè intolerabiles facti; præterea in commercijs, & eorum quorum stipendijs militant imperijs exequendis, admodum morosi, & contumaces. Domi qui sunt inter eos pręcipui, à muneribus pensionibusq; à principibus accipiendis, vt in conuentibus illorum partibus faueant, easq; sequantur, nō abstinēt: quare dum publicas res ad priuatā vtilitatē referunt, pecunijs studēt, largitionib. obnoxij fiunt, paulatim inter ipsos discordiæ irrepserūt: quib. factū est, vt dum nō omnes, quod in comitijs maiori parti probatū fuerat, ratū habere

habere inciperent, proximis annis ciuile inter ipsos bellum summa cum autoritatis, quam sibi apud omnes comparauerant, diminutione exarserit. Infra hos sunt nonnulla oppida & pagi, quorum incolę quòd valles incolant, Vallesij appellantur: hi numero, autoritate, virtute, omnium communi iudicio Heluetijs inferiores sunt. Est & alia gens hisce duabus editiora alpium iuga incolens, Grisones vulgò appellati, Latini Rhetos nominant: hi tres Cantones siue Curias habent: ideoque trium fœderum domini dicuntur: Gentis caput Curia vocatur: Heluetiorum plerunque socij sunt: cum ijs vna in bello proficiscuntur; ac penè ijsdem institutis, & moribus vtuntur: bellica virtute Vallesijs præferuntur, Heluetijs autem, nec numero, nec virtute pares habentur. Itaque Heluetij cum nundum à maiorum institutis longius discessissent, pontificis impulsu. vt in Mediolanensem agrum descenderent se comparabant: hunc motum non ab omnium populorum communi consensu oriri, sed Sutios, Friburgensesque eius autores esse spargebant; quòd illi quererentur, tabellarium suum, dum per Mediolanensem ditionem iter faceret, à Gallis militibus fuisse interfectum: hi quòd alias priuatas iniurias se accepisse dicerent: horum ac totius pariter gentis publica consilia, etsi ante ad regis aures peruenerant, non tamen eum, vt eius familiares assiduè hortabantur, & vt amici quos inter ipsos habebat obtineri posse spem faciebant, ad conueniendum cum illis impulerant, consueta difficultate, quo minus veteribus illorum pensionibus, francicorũ adderet vicena millia, quę summa aureorum numũm dena millia efficere nõ potest, retentus: sicque ob minimum precium, eam amicitiam quam post sæpius inæstimabili auro redemisset, recusauit: illos vel non moturos, vel si mouerent, quoniam pedestri militiæ assueti, equitibus ac tormentis carerent, parum obfuturos persuasus. Præterea, (iam enim Nouember aderat) ea tempestate flumina redundare, ipsis verò pontes nauesque deesse, commeatum Mediolanensis imperij Gastonis Fossei iusso in loca munita repositum: vicina oppida bene custodiri; ipsis in campestribus locis equitatum opponi posse; quibus impedimentis necessariò futurum, vt si venirent, intra paucos dies recedere cogerentur: & tamen Heluetij his difficultatibus minimè territi, ad Varesium descendere cœperant; quo in loco perpetuo augebatur numerus: secum habebant septem castrensia tormenta, aliaque minora non pauca equis impositа; nec prorsus à commeatus erant imparati: quorum aduentum multò magis formidabilem reddebat, quod Gallis militibus solito licentioribus factis, eorum imperium populis non mediocriter graue esse inciperet: quoniam rex auaritia detentus, pedites comparari noluerat; nec equitatus qui tunc in Italia erat, quique non vltra mille & trecentos cathaphractos ducentosque nobiles continebat, totus Heluetijs opponi poterat: cum pars in Veronæ Brixiæque præsidijs esset; & Foisseius denuo ob Medicei cardinalis, & Marciantonij Columnæ ad Fauentiam aduentum, ducentos cataphractos misisset; vbi etsi conscriptos pedites non haberent, tamen tum ob ciuitatis factiones, tum quia illis diebus arcis Sassillioniæ præfectus, quod castellum in Bononiæ montanis est, sponte eam arcem legato dediderat, hoc præsidium eo mittere necesse visum fuerat. Varesio Heluetij per preconem ad bellum regio Vicario indicendum miserunt: qui cum paucos equites, quòd eis comparandis tempus defuisset, secum haberet, nec plus quàm duo millia peditum, nec tamen alios conscribere, ne regi displiceret, auderet; ad Assaronem oppidum, quod tredecim milliaria Mediolano distat venerat, haud quidem pugnandi animo, sed eorum latera, vt commeatu prohiberet, persequendi; in quo solo cum inter Varesium Mediolanumque nec flumina transitu difficilia, nec oppida quæ defendi possent inuenirentur, eos impediendi spes erat posita. Varesio Heluetij iam vsque ad decem millia aucti, Galerate venerunt; & Gasto, quem sequebatur Ioannes Iacobus Triultius, ad Lignianum quatuor à Galerate milliaribus consedit: quibus rebus Mediolanenses perterriti, proprijs sumptibus ad vrbis præsidium pedites conscripserunt; & Theodorus Triultius vallos refici curabat: & quasi exercitus Mediolanum se esset recepturus, pomeria ab interiori parte circa munitiones quibus suburbia cinguntur, vt equitum esset aliquis vsus, complanari fecit. Tamen Gasto Foisseius, cum quo erant quingenti cataphracti, & ducenti nobiles ex regia aula, cum multis tormentis ante Galeratis oppi-

dum se ostendit: quibus conspectis, Heluetij instructa acie prodierunt; nihilominus quòd donec plures essent, loco aperto prœlium committere nollent, statim intrò se receperunt: interea illorum numerus continenter augebatur · quare cum prœlium non amplius recusare statuissent, ad Bustium vbi centum erant cataphracti venerunt, qui impedimentis cum parte equorum amissis, vix se ipsi conseruarunt. Galli tandem semper prout illi vlterius progrediebantur retrocedentes, in Mediolanensia suburbia se receperunt, ita vt incertum esset ad ea ne defendenda vellent consistere, an secus: aliud enim illorum verba sonabant, aliud arcem commeatu solicitè munire declarabat. Apropinquarunt deinde Heluetij suburbijs ad duo milliaria, sed timor iam vehementer remiserat: equites enim Mediolanum reuocati, multiq́ue pedites, qui conferi bebãtur subinde aduentabant; & in singulas horas Molardus cum Vasconibus, & Iacobus cum Germanis peditibus, alter Verona, alter Carpio accersiti expectabantur: & hoc tempore Heluetiorum ad suos Magistratus literæ, quibus Gallorum vires tenues esse significabant, à Pontifice se nullos nuntios accepisse mirabantur: nec quid Venetus exercitus faceret scire; se nihilominus prout cõstitutum fuerat progredi, interceptę fuerunt. Erant iam numero sedecim millia; & Modoetiam versus deflexerant, qua nihil tentata, sed magis ad Abduam fluuium hærentes, Gallis se transitum tentare velle metum incutiebant: ideo vt oppidi & pontis oportunitate illos transitu prohiberent, ad Cassianum pontem iaciebant: vbi dum morantur, vnus ex Heluetiorum ducibus, impetrata prius publica fide, Mediolanum venit; qui mensis vnius stipẽdium totius exercitus Heluetij nomine postulauit; quod si obtineret, eos domum redituros pollicebatur: sed cum longè minor summa esset oblata, re infecta abijt: at sequenti die, cum longè maioribus postulatis redijt, & quamuis longè maiora quam priori die illi essent oblata, tamen ad suos reuersus, statim præconem qui Heluetios nullam iam concordiã velle significaret, remisit: & postero die contra omnium expectationem Comum versus profecti, in patriam redierunt; sicque vtrum ad Mediolanense imperium inuadendum, an in alium locum profecturi descendissent, quamúe ob causam, nulla manifesta difficultate impediti reuersi essent; vel cur cum domum redire vellent, pecuniam præsertim petitam nõ accepissent, homnium arbitrio iudicandum reliquerunt. Vtcunque se res habeat, illud notum est, dum se reciperent, duos Pontificis ac Venetorum nuntios superuenisse, qui si prius venissent, fama fuit Heluetios non fuisse discessuros. Nec dubium erat, quin si eodem tempore, quo illi in Mediolanensium fines peruenerunt; Hispani prope Bononiam fuissent, Gallorum res quòd tot locis, periculis occurrere minimè possent, subita rui na concidissent: quo periculo rex, id quod antea ratione non præuiderat, experientia edoctus, antequam de eorum reditu certior esset factus, Foisseio vt ad eos conciliãdos nulli pecuniæ parceret mandauit: cumque, etiamsi Heluetij conciliarentur, quin sibi esset validus impetus sustinendus iam nõ amplius dubitaret, omnem equitatum quem in Gallia haberet, præter ducentas lanceas quas in Belgis retinuit, alpes transire imperauit; nouum præterea Vasconum peditum supplementum misit: Foisseio exercitum Italis ac Germanis peditibus compleret, mandauit. Vehementer quoque Florentinis quorum auxilia cum in propinquis locis bellum esset gerendum, & Pontificij imperij ex illorum finibus turbandi, hostiliq́ue exercitui si Bononiæ appropinquasset commeatus aliaque commoda adimendi opportunitate, magni erant momenti, vt aperte totisque viribus secum ad bellum gerendum concurrerent instabat: quod rerum præsentium necessitas, aliud quàm parua vel dimensa auxilia, vel vt se intra fœderum limites continerent postularet; neque vnquam maiorem sui deuinciendi occasionem ipsos habere, neque præclarius beneficium & cuius memoria magis in perpetuum ad posteros suos permanaret conferre posse; præterquam quòd si rem diligentius expenderent, dum se tuerentur & iuuarent, eos propriam caussam tueri, ac iuuare: quoniam possent certò cognoscere, quantum esset Pontificis in ipsos odium, quanta Catholici regis in ea ciuitate dominatum prorsus sibi obsequentem constituendi cupiditas. Florentiæ verò multi secus sentiebant, sumptibus in præsentia parcendi suauitate obcæcati, quid futurum tempus secum ferre posset non cogitabant: in alijs valebat recordatio, fidem & opera illius reipublicæ nec ab hoc rege, neque à Carolo vlla

vlla remuneratione vnquam fuisse compensata : quodque vt Pisas recipere eos non prohiberet magno precio ipsis vendidisset: quo exemplo, eius promissis & pollicitationibus non esse habendam fidem: nec quocunque illum beneficio afficerent, gratus vt esset vllo modo expectandum : idcirco non paruæ temeritatis esse id bellum suscipiendum decernere: quòd si infaustos exitus haberet, omnium malorum plus rata portione laturi essent: si prospere succederet, ne minimam quidem commodorum partem percepturi. Sed maioris erant momenti illi qui vel odio, vel ambitione, vel alterius administrationis cupiditate, iam dictas rationes extollentes, nouasque adducentes, Vexillifero se opponebant: præsertim illa si medij essent, neutrarum partium odium in se concitaturos: neque cuiuis duorum regum iustam querendi ansam daturos, quia nec regi Galliæ alia, quàm trecentorum ad propria regna tuenda gratis armaturæ equitum, auxilia deberent, quæ iam præstiterant; nec id Aragoniæ regi molestum esse posse, qui non paruum lucrum duceret, si se huic bello non immiscerent; imo semper laudari, & in maiori precio haberi eos, qui fidem seruant: præsertim quia hoc exemplo, sibi quoque, si opus esset, id quod pactione cum Galliæ rege, & cum ipso æquè facta, promissum erat, nos seruaturos esse speraret. Si ita se gererent, & fortè inter principes pax oriretur, ciuitas ab vtroque nominaretur & conseruaretur; sin verò vnus altero potiretur, cum se non læsum existimaret, nec pecuniaris odij causam haberet, illius amicitiam eadem pecunia, & fortasse minori quam in bello expensuri fuissent, redimere non fore difficile: qua ratione magis quàm armis sæpe maiores ipsorum libertatem conseruassent: si secus agerent, vigente bello alio rum caussa, nullaque impellente necessitate, grauissimos sumptus esse laturos; & si aduersa pars victoriam consequeretur, patriæ libertas atque salus in apertissimo discrimine esset futura. Sed alia prorsus erat Vexilliferi sententia, qui arma pro rege Galliæ sumi reipublicæ magis salutare esse censebat: eamque ob causam antea concilio fauerat, & Pontifici indignationis materiem subministrauerat; vt ciuitas ab illo prouocata, vel in suspicionem conjecta, ad hanc sententiam penè cogeretur; hoc autem tempore in otio, belli quod in ipsorum finibus inter tot potentiores principes gereretur, euentum expectare, non nisi perniciossimum consilium esse posse ostendebat: quoniam in aliorum bellis medium esse, tunc laudari solere, ob idque multas molestias & sumptus euitari, cum vires non adeo sunt tenues, vt cuiusuis partis victoria sit metuenda; tunc enim securitatem, & sæpenumero illorum defatigatio imperij augendi facultatem adfert: neque neminem læsisse, nemini iustam querelarum causlam dedisse, tutum esse fundamentum; raro enim & fortasse nunquam victoris insolentiam, iustitia, vel prudentes cogitationes cohibent; nec magnos principes, cum quod optant illis denegatur, his rationibus minori se iniuria affectos existimare, imo illis omnibus qui eorum voluntatem non fuerint sequuti, cumque fortuna eorum proprias fortunas non coniunxerint, irasci solere: regem Galliæ, cum inter tot pericula derelictum se conspexerit, cum facta, spei quam in Florentinos collocauerat, ijs quæ sine dubio de illis sibi sponderet, ijs quæ ab ipsimet toties confirmata & prædicata fuissent, non respondere animaduerterit, non se læsum existimaturum credere stultum esse, longè stultius, si Pontifex atque Aragoniæ rex victores forent in eam remp. victoria immoderatè non vsuros sibi persuadere; alter insaturabili odio vterq:, dominatum qui ex ipsorum arbitrio geratur constituendi cupiditate, rati liberam ciuitatem semper magis erga Gallos, quàm erga se propensa fore: hoc verò apertè videri, cum Pontifex Catholici regi consensu Cardinalem Mediceum exercitus legatū destinarit: Mediū igitur esse, nihil aliud prę se ferre, quàm cuiusuis victoris prædā se exponere: quodsi alteri illorum adhęrerent, saltem ex illius victoria securitatem ac tutelam præmiū rebus in tanta pericula redactis maximi momenti cōsecuturos; & si pax fieret meliorē sortem habituros: cui autem parti adhęrendū esset disputare, superuacaneum videri; nemini dubiū esse, quin vetus amicitia, à qua si resp. nullā remunerationē præmiumúe accepisset, saltē sępius & defensam & conseruatā fuisse potius sit sequēda, quā nouæ experiundæ, quæ semper infidæ, semper suspectę forent. Hęc verba Vexillifero incaussum fundebant ipsius sententiā ijs pręsertim impediētibus, quibus Gallię regē illius operis Florētinorū

ſocietatem acceptam referre moleſtum erat, in quibus contentionibus, vna parte alterius ſententiam impugnante, nec vnam partem profiteri, nec prorſus mèdios eſſe decer nebatur: ex quo ſæpe incerta cõſilia, ſententiæq; inter ſe repugnantes oriebantur, quæ nec gratiam, nec meritum vllum apud aliquem promerebantur; imo hac varietate progreſſi, ſummo cum regis Galliæ dolore, FRANCISCVM GVICCIARDINVM, qui has Hiſtorias conſcripſit, Iuriſconſultum, adeò iuuenem vt per ætatem patrijs inſtitutis, ei ad nullum Magiſtratum gerendum aditus pateret, legatum ad Aragoniæ regem miſerunt; nec tamen huiusmodi mandata dederunt, quæ vlla ex parte ſociorum animos irritatos mitigarent. Sed nõ multò poſt Heluetiorum ad domos ſuas reditum, Hiſpani ac Pontificij milites in Galliam togatam ingredi cæperant; ad quorum aduentum omnia oppida quæ Ferrarienſis cis Padum poſſidebat, excepta Baſtia ad Genioli foſſam poſita, ſola preconis petitione audita deditionem fecerunt: verùm quia nondum omnes copiæ ac tormenta, quæ prorex Imolę expectabat, in Galliam peruenerant, viſum eſt, ne tempus fruſtra tereretur, vt Petrus Nauarrus qui Hiſpanis peditibus imperabat, ad Baſtiæ expugnationem contenderet; qui cum tribus tormentis eam petere cæpiſſet, & expugnationem difficiliorem quàm crediderat, quod benè eſſet munita, & à centum quinquaginta peditibus ſtrenuè defendi reperiſſet, vt militibus foſſas aquis plenas transire facilius poſſent, duos ligneos pontes fieri curauit; quibus tertio obſidionis die, qui fuit anni vndecimi ſupra milleſimum quingenteſimum vltimus dies, conſtructis, ferociter oppugnationem agreſſus eſt, adeo vt poſt longum ſtrenuumque certamen, pedites mœnibus ſcalarum adminiculo conſcenſis, penè omnibus præſidiarijs, & Veſtitello eorum duce interfectis, tandem oppido potiti ſint. Petrus Nauarrus, Baſtiæ Ioannem Vitellium, qui eam tormentorum ictibus adeò debilitatam aſſerebat, vt ſine noua reparatione defendi nõ poſſet, contradicentẽ cum ducentis peditibus reliquit: ſed vixdum ad proregis caſtra redierat, quum Ferrarienſis dux cum nouẽ maioribus tormentis eò profectus, tanto impetu adortus eſt, vt exiguo illo loco in multis partibus diſcerpto, eodem die partim in ipſa pugna, partim vt ſuorum cædem vlciſceretur, poſt duce cum omnibus militibus interfectis ui recuperarit; ipſe autem caput lapide percuſſus, quamuis galeæ beneficio non fuerit leſus. Interea omnes tam Pontificiæ quàm Hiſpanicæ copiæ Imolã conuenerant, militum numero ac virtute, & ducum fortitudine potentes, quoniam pro Aragoniæ rege erant (ſic fama ferebat) mille grauis armaturę, octingenti leuiores equites, & octo millia Hiſpanorum militum, & præter proregem ipſum multi regni neapolitani principes, quorum fama armorumq; peritia clariſſimus erat Fabritius Columna qui legati nomen obtinebat, propterea quòd Proſper Columna, quod in bello proregis imperio ipſi parendum eſſet, indignatus ire recuſauerat. Pontificij erant octingenti grauis, totidem leuis armaturę equites, militum Italorũ octo millia, Marco Antonio Columna, Ioanne Vitellio, Malateſta Balione Ioannis pauli filio, Raphaelo Paccio, alijsque ducibus; qui omnes Medicei Cardinalis legati imperio ſubiacebant; neq; præfectum habebant, quoniam Termini dux, velut Aragoniæ regis familiaris à Pontifice copijs ſuis præfectus, dum caſtra peteret, ad Ciuitatem caſtellanã expirauerat: & Vrbinatium dux hunc gradum obtinere conſuetus, ſiue quòd ſic Pontifici viſum fuiſſet, ſiue quòd in pontificio præſertim regno, Proregi omnium totius fœderis copiarum imperatori parere ſua perſona minimè dignum exiſtimaret, non veniebat. His copijs, tormentis penè omnibus ex regno neapolitano conuectis, abundè inſtructis, ad Bononiam caſtra ponere decretum fuit; non quòd rem ob Gallorum in auxilljs ſubmittendis facultatem admodum difficilem non cognoſcerent, ſed quia nihil aliud geri poterat, quod maiores difficultates impedimentaque non haberet: cum tantis copijs in otio verſari, nimis manifeſtum metum arguebat; & Pontificis talis erat ardor, vt quicunque difficultates expendendas propoſuiſſet, is cauſam dediſſet vt iam Hiſpanorum artes fraudesque apparere credidiſſet, & quereretur. Quare prorex, caſtris motis, inter Lidicem fluuium Bononiamque conſtitit; vbi rebus ad vrbis oppugnationem neceſſarijs comparatis, riuisque, qui ex Rheno Sapique fluminibus Bononiam intrant, deductis, mœnibus deinde appropinquauit, maiore copiarum parte inter montem & viam quæ Bononia in Flaminiam tendit, quòd ab ea parte commeatus opportunitatem

tatem haberet collocata. Inter Rheni pontem in Aemilia via, qua in Insubriam itur, positum, & Felicianam portam in eadem via, Fabritius Columna cum primo agmine, in quo erant septingenti grauis, quingenti leuis armaturæ equites, & peditum legio, castra posuit; quo facilius Gallorum, si forte mitterent, auxilia impedirent; & vt montes in potestate haberent, copiarum partem in diui Michaëlis in Bosco, vt appellant, æde imposuerunt; qui locus vrbi est admodum propinquus; sed sublimis adeò, vt vrbi vniuersæ immineat: ædem similiter diuæ Mariæ in monte occuparunt. Bononiæ præter populum bellicosum, etsi fortè magis consuetudine quàm natura, & aliquot equites ac pedites à Bentiuolis comparatos, venerant à Foisseio duo Germanorum peditum millia, & ducenti cataphracti O detto Foisseio & Iuone Allegrio, claris ducibus; hic quidem ob longum bellicæ rei vsum, ille ob generis nobilitatem, & quia militaris in eo indoles elucebat: erant & duo alij duces, Faietta & Vincentius cognomento Grandiabolus; & tamen, ob amplum vrbis ambitum, situ montem versus admodum incommodo, cum nulli munitionis apparatus, præter eos qui ob præsens periculum repentè facti erant, adessent, multæ de nobilitate ac populo in Bentiuolos suspiciones, & vetus Hispanorum peditum, in locorum oppugnationibus eximiæ ob agilitatem leuitatemq; virtutis laus recenter ad Bastiam Genioli confirmata, defensionis spem magis in auxilio à Foisseio promisso, quàm in proprijs viribus collocabant. Animos verò eorum hostium tarditas non parum confirmauit; qui nouem dies circa mœnia versati sunt ocioſi, antequam quid quam adorirentur, nisi quòd quatuor minoribus tormentis, quæ sacros & colubrinas vocant, ad Michaëlis fanum collocatis, casu, & sine certo scopo, nisi vt homines atque ædificia læderent, in vrbem iaculari cæperunt: verùm ijs ictibus, hostes non lædi, nec aliud fieri quàm puluerem globosque inutiliter consumi, experientia edocti, citò abstinuerunt. Tantæ tarditatis causſa fuit quòd eo die quo castra posuerant, Foisseium Finale vndique copias colligere compererant; & verisimile videbatur, vt etiam fama ferebat, illum quantum regijs rebus nocerent, quantumque de existimatione, tam oportunæ ciuitatis iactura detraheret animaduerso, eius conseruandæ gratia omnia pericula subiturum; quapropter, non modò qua in parte facilius, & cum maiore expugnationis spe tormenta librari possent, verùm etiam qua ratione Gallorum auxilium, quo minus ingrederetur prohiberi, necessariò disputandum erat. Ideò prima sententia fuit, vt Fabritius Columna, commeatu prius comparato, ad alteram vrbis partem transgressus, in colle qui Mariæ Montanæ subiacet castra poneret: ex quo loco ijs qui Bononiam ingredi vellent, facilè posset occurrere: nec tantum à reliquo exercitu distaret, quin aliquo ingruente periculo, posset in tempore adiuuari: eodemq; tempore, ex ea parte vbi castra habebant, vel parum remoto loco, vrbs tormẽtis peti inciperet: atq; huius sententię autores illud afferebant, credibile non esse, cùm ex copiarũ salute, omnium quæ Galli in Italia possiderent conseruatio penderet, Foisseium aliquid moliturum ex quo ad pugnam cogi posset; neq; etiam quamuis se id tutò facere posse cognosceret, omnibus copijs Bononiæ vti velle; seq;, Mediolanensis imperij non prorsus ab Heluetiorum motibus tuti, sed in maiore suspitione ne à Veneto exercitu inuaderetur, qui in Veronensium fines profectus, Brixiæ minabatur, defendendi facultate priuare: sed postero die, hæc sententia penè ab ijs omnibus qui probauerant, reiecta fuit: dum cogitant Gallos non venturos minimè certum esse; qui si venirent, primum agmen solum ad obsistendum non satis esse validum, neq; id consilium quod tali fundamento niteretur, vt euariare ac mutare in hostiũ potestate esset, laudari posse: ideò à prorege Petri Nauarri sententia, quam cũ eo solo cõmunicauerat, cõprobata fuit; qui suadebat in quinq; dies cõmeatu cõparato, præsidioq; tantũ in Michaëlis templo relicto, totum exercitum ad oppositũ ciuitatis latus transire, vnde hostilẽ exercitum ingressu prohibere posset; cumq; ciuitas ab ea parte non esset munita, (quoniam nunquam inde oppugnationẽ timuerant) quinq; dierum spacio sine dubio expugnaretur: sed cum hoc cõsilium ad ceterorum notitiam peruenisset, nemo extitit, qui non ad alterã partem, in locum, cõmeatu, qui totus ex Aemilia vehebatur, neq; alio sustentabantur, penitùs carent tem exercitũ traducere, adeo vt nisi quinq; dierum spacio victoria potirẽtur, dissolueretur, vel consumeretur, apertè improbaret: & quis (aiebat Fabritius Columna) ille est,

qui tam breui tempore eam sibi certò possit polliceri?& quomodo debemus,spe sua natura fallacissima,totq; casibus subiecta,in tantũ nos discrimen conijcere?& quis non videt fieri non posse,vt dimensis horis deficientibus,Bononia in qua populus est ingens, & multi milites à fronte posita,à tergo Gallis,& hostili regione,copijs nostris fame debilitatis, confusis, & consternatis, sine pernicie nostra nos hinc discedamus. Fuerunt etiam qui laudarent, vt maiore peditum numero primo agmini adiuncto, vltra Bononiam, ferè ad montis radices, inter Saragotianam & Felicianam portam,castris,vallo, aggeribus, alijsq; munitionibus septis, consisteret; & ciuitas ab ea parte percuteretur, ex qua non modo mœnibus & propugnaculis erat debilissima, sed etiam aliquot tormentis in monte collocatis, dum oppugnatio fieret,eorum qui iam dirutam partem tuerentur latera peti poterant:quod consilium quoq; velut ad Gallorum aduentum prohibendum minimè aptum, & periculosum reijciebatur:quoniam si inuaderentur,nõ poterat exercitus, etiam si montes in eorum potestate essent, breuiori quàm trium horarũ interuallo illis opem ferre.In hac sententiarum diuersitate,cum aliorum consilia vel iure improbare facilius esset, quàm ea afferre quæ approbatione digna essent,duces tandem Vrbem, ab ea parte in qua metati erant inuadendam inclinarunt : ad id potissimum inter reliqua moti,quòd iam Foisseium,quando quidem tam diu distulerat,venturum minimè putarent: idcirco & vt tormenta muris admouerent, solum æquare cæperunt, & primum agmen in aliorum castra reuocatum. At paulo pòst Gallicas copias finale subinde augeri multis acceptis nuntijs, eamq; ob caussam pristino eorũ aduentus metu redintegrato,sententiarum varietas denuò pullulare cæpit;omnibus enim in hoc consentientibus,si Foisseius appropinquaret,illum antequam Bononiam ingrederetur esse inuadendum ; multi monebãt,si tunc tormenta iam collocata à mœnibus essent retrahenda, eam rem multas exercitui difficultates impedimentaq; allaturã,quo quidem rebus in tam angustũ locum redactis, nec periculosius, nec pernitiosius quidquam esse poterat: alij tot dies ociosè circa ea mœnia versari,simulq; hostium qui intus essent animos confirmare,& ijs qui foris auxilij ferendi spatium dare,rem esse non minus turpem quàm pernicioſam adferebant, ideò tormentorum collocationẽ non amplius differendam:verùm eo in loco,vnde citò retrahi,æquationemq; soli,quo Gallis obuiã iri posset adeò latam faciendã,vt tormenta simul & exercitus moueri possent:eorum qui vrbẽ inuadendã monebant sententiæ,legatus,iã tot dilationes pertęsus:nec iã sine suspicione, quin hæc agendi ratio ab Hispanorũ artificio ex ipsorũ regis præscripto proficisceretur, cupidissime adhærebat;querebaturq; si statim ab aduentu vrbẽ oppugnare cæpissent,iã fortasse ea potitos fuisse,iam nõ vltra errores esse cumulandos,nec hostili more ciuitatẽ obsidendam,& ab alia parte eius inuadendæ metũ signis declarandũ,se quotidie tabellarijs & nuntijs à Põtifice vrgeri,nec quid respõdeat,prætexatúe habere;nec leuib.promissis& spe amplius illũ posse foueri.Quib.verbis prorex cõmotus,vehemẽter questus est,quòd cum ipse in armis bellicisq; exercitationibus non esset educatus,tot suis stimulis in præcipitẽ aliquam deliberationem conaretur impellere:totius vniuersi hisce consilijs caussam agi,nec tanta maturitate agi posse,quin maior requiratur, Pontificibus ac rebusp̃ublicis moris esse,bella cupidè suscipere;suscepta autẽ,cum sumptus & molestiæ mox graues esse incipiant, nimis citò velle conficere; deliberationem relinqueret ducibus,qui eundem quem ipse animum haberẽt, sed belli peritia præstarent.At extremũ Petrus Nauarrus cui prorex plurimum tribuebat, in tanti ponderis deliberatione,duorum triumúe dierũ rationem nõ esse habendã commemorauit:quocirca & ad Bononiæ expugnationẽ,&ad prœliũ cum hostibus cõmittendũ necessarios apparatus faciendos; vt quod consilium Gallorum progressus darent sequi possent:duorum dierum interuallo nullum melioris sententiæ lumen affulsit: quoniam Foisseius, cui Centum Plebesque,& cõplura alia Bononiensis agri castella deditionem fecerant,adhuc Finale vt milites colligeret morabatur,qui cũ per varia loca essent distributi, nec pedites quos cõscripserat tam citò venirent,nõ sine tarditate colligebantur:quare cũ iam vlterius differendi nulla esset caussa,tormẽti tandẽ cõtra mœnia,circiter triginta vlnis à D.Stephani porta,qua Florentiã itur,vbi murus ad portã Castellioneã quę montes respicit vergens, angulum facit, dispositа fuere ; & simul Petrus Nauarrus, cuniculo Castellioni portam versus

versus,ad eam muri partem, vbi intra murum exiguum sacellum, Baracanum appellatum, extructum erat, agendo operam dabat;vt eodem tempore oppugnatione cæpta, in diuersam distracti,difficilius, quàm si coniuncti vnum tantùm locum tuendum haberent,obsisterent: præterea Gallis obuiam eundi consilio non relicto,primum agmen in priora castra redire voluerunt. Tormentis vno die muri vlnæ ad centum sunt deiectæ: turris quoq; portæ imposita, vsq; adeò quassata fuit,vt iam defendi nullo modo posset; vtq; propugnatores eam deserere cogerentur; nec quicquam iam obstabat,quo minus in vrbem introitus tentaretur, nisi quòd dum cuniculus perficeretur supersedendum censebant:quanquam parum abfuit,quin multitudinis temeritate eodem die inordinatè pugnaretur: quoniam aliquot Hispani pedites, foramen in turri factũ vnis scalis ingressi, inde in domunculam ab interiore parte mœnibus coniunctam in qua nullũ erat præsidium descenderunt: qua re à ceteris peditibus conspecta, ferè omnes sine ordine eo accurrere, nisi duces ad rumorem aduolantes cohibuissent:sed cum qui intus erant, maiori tormento in eam domunculam directo, partem illorũ interfecissent, reliqui ex loco in quem inconsideratè ingressi erant fuga saluti suæ consulerunt: & dum cuniculo perficiendo laboratur,exercitus ligneis pontibus faciendis,fossisq; fasciculis replendis operam dabat; vt quasi plano itinere pedites fracto muro apropinquare, & per ruinas aliquod tormentum trahere possent,quo qui intus erant,cum oppugnatio fieret,à propugnatione pellerentur : qui cum à Gallis ducibus cernerentur, populusque iam trepidare videretur,statim ad auxilium à Foisseio petendum miserunt; qui eodem die mille pedites, & proximo centum octuaginta cataphractos misit: quæ res hostibus ipsum non venire decreuisse, firmam attulit spem; neque enim verisimile videbatur, si secus in animo habuisset, partem à se dimissurum fuisse; & re vera hæc fuit ipsius mens: nam cum hæc auxilia ad Bononiam defendendam satis esse existimaret, nulla necessitate impulsus pugnæ fortunam experiri nolebat. Tandem perfecto cuniculo, exercitusque ad pugnam statim capescendam comparato; quæ vt maioribus viribus fieret, primum agmen è sua statione reuocatum fuerat, Nauarrus cuniculo ignem implicari curauit:qui impetu strepituque ingenti sacellum adeò in altum sustulit, vt per illud spacium quod inter solum murumque sublatum relinquebatur, ab ijs qui foris erant,interior ciuitas, militesque ad propugnandum parati apertè conspecti fuerint: sed illicò subsidens integer murus,in eundem locum, vnde ignis impetu diuulsus fuerat,recidit; itaque coagmentatus iterum est,ac si nunquam motus fuisset: quocirca cum ab ea parte inuadi iam non posset, duces ab altera tantùm parte oppugnationem non adoriendam censuerunt. Bononienses prodigio eam rem tribuerunt,fieri non posse existimantes, vt penitùs ijsdem fundamentis, sine diuino numine coniungi iterum potuisset: quamobrem sacellum id pòst magnificentius extructum fuit, nec parua populi religione frequentatum. Hoc successu, quasi Bononiæ rebus non esset amplius metuendum, Foisseius Brixiam ducere cogitabat; quòd Venetum exercitum ad eam vrbem progredi compertum haberet: nam quoniam propter Bononiense periculum leuia ibi præsidia reliquerat; & quia occultas fraudes intus latere suspicabatur, non mediocriter erat solicitus: sed ducum qui Bononiæ erant preces,qui si discederet, se in maiore quàm antea periculo relinqui, si veniret in vrbem, totum hostilem exercitum debellari posse demonstrantes,illum ab ea sententia deduxerunt: quapropter & si in concilio ferè omnes duces repugnassent, die iam ad noctem inclinante, castris Finale motis, sequentis diei secunda à solis ortu hora, omnibus copijs ad pugnam comparatis incedens, niue ventisque asperrimis ingruentibus, Feliciana porta Bononiam, cum mille trecentis cataphractis, & Germanorum peditum legione, quos omnes in primo agmine collocauerat; Gallorum verò & Italorum octo millibus est ingressus: quo facto Foisseius de hostilibus copijs postridie mane inuadendis egit;vt milites tribus portis egrederentur, & populus montana via; quos sine vlla sui aduentus suspicione offendisset, quem certum est duces neque eo die, neque maiorem proximi diei partem, cognitum habuisse: sed Iuo Allegrius, quòd nec ipse,nec quisquam alius,tantum exercitum,de die,Romana via, vrbem quam illi obsiderent ipsis insciis ingressum esse, fieri posse existimaret, copias itineris difficultate fessas diem vnum quiescere suasit : quæ igno-

ratio in alterum vsque diem peruenisset, nisi casu Græcus quidam vnà cum alijs equitibus ad excursionem egressus, captus fuisset; qui interrogatus quid Bononiæ ageretur, ab se, qui præcedenti die cum Gallico exercitu venisset, pauca cognituros respondit; quare maxima admiratione diligentius à ducibus interrogatus, ac in respondendo constans repertus, eiq; habita fides esset, cum militibus tempestatis atrocitate vexatis, vrbeque, quam tantus exercitus esset ingressus, tam propinqua, diutius ibi hærere periculosum rati, exercitum abducere decreuerunt: idcirco sequenti nocte, quæ in decimũ nonum obsidionis diem incidebat, tormentis tacitè subductis, copiæ multa nocte Imolam versus mouerunt; & per complanata loca per quæ venerant, quæ viam regiam cum tormentis in medio habebant, incedentes, copiarum flore in nouissimo agmine collocato tuti recesserũt; quia Bononia nulli præter aliquot Gallos equites egressi sunt, qui tormentorum apparatus & cõmeatus parte direpta, ideoq; iam ordinibus perturbari cæptis, fuerunt, nec sine clade à Malatesta Ballione, qui in postrema exercitus parte erat in vrbem repulsi. Obsidione soluta Foissius trecentis cataphractis, & 4. peditum millibus ad Bononiæ custodiã relictis, statim vt summa celeritate Brixiæ arci opem ferret discessit; quoniam ciuitas eo die qui eius Bononiã ingressum antecessit, in Venetorũ potestatem peruenerat: nam Andreas Grittus, Senatus imperio, ab Aloisio Aduocato comite, nobiliq; Brixiano, & penè totius regionis hominibus, nec nõ quòd aliquẽ sua caussa in vrbe motum exoriturũ sperare impulsus, 300. grauis armaturæ, mille trecentis leuis equitibus, & tribus peditum millibus, Athesi flumine ad Alberũ, qui locus prope Lineacum est, traiecto, deinde Mincio ad Molam Voltæ inter Goitum & Vallegium vado superato, & successiuè ad Monteclarum profectus, nocte ad Castanetum pagum, quinque à Brixia milliaribus castra posuit: quo ex loco statim leues equites ad portas vsque excurrere iussit: eodemque tempore, per totam regionem diui Marci nomine resonante, comes Aloisius cum octingentis viris ex Eutropię Sabiæq; vallibus concitatis, portã adijt, filio cum alijs peditibus in alteram ciuitatis partem ad portas vsq; misso: Andreas verò Grittus nec nuntijs quos ab illis qui intus erant expectabat, nec vllum è constitutis cum eis signis acceptis, quin vrbẽ vndiq; diligenter custodire cernens, vlterius sibi progrediendũ non esse censuit; quo in motu Aduocatus filius, ab ijs qui intus erant captus est. Grittus ad Montanianã, vnde antea discesserat, idoneo ad pontẽ Athesi impositũ relicto præsidio se recepit: sed intra paucos dies reuocatus, cũ maiorib. tormentis duobus, & 4. minorib. quos falconettos vocant, denuò Athesim trangressus, ad Castanetum castra posuit, cũ iam Aloisius eodẽ tempore, cum ingenti virorũ ex illis vallib. numero, ad primũ Brixiæ lapidẽ appropinquasset: & quãuis nullus ex vrbe motus ꝑciperetur, Grittus maiori quã antea cõcursu inuitatus, vim experiri statuit: quare cum omnib. regionis incolis copias admouit; tribusq; ex partib. vrbẽ oppugnare cœpit: qua re ad Turris portam infeliciter tẽtata, ad Pilarũ portã quam Aduocatus oppugnabat, & ad Garzulæ, vbi milites quib. Baldassar Scipionis imperabat (vt aliqui volũt) ferrea crate, ꝑ quã fluuius eiusdẽ cũ porta nominis in vrbẽ fluit ingressi erant, prosperè succeſſit, Gallis frustra resistẽtibus, qui cũ hostes in vrbẽ ingredi cernerẽt, proq; illis Brixianos moueri, qui antè ab ipsis arma sumere prohibiti, quieuerãt, vnà cũ Luda præfecto equis impedimentisq; amissis in arcẽ se receperunt: in quo tumultu ea pars quæ Citadella dicitur, à reliqua vrbe separata, quã omnes ferè Gibellini inhabitãt, Guelforũ domib. cõseruatis direpta fuit. Brixia recepta, mox Bergomi deditio sequuta est: nam duab. arcib. exceptis, quarũ vna in media vrbe, altera quingentos passus procul posita, nonnullorũ ciuium opera deditionem fecit: idẽ Vrcei & noui & veteres, Ponteuicũ, multaq; alia vicina oppida fecere; ac fortasse maior factus progressus, vel saltem victoria firmior extitisset, si Venetijs, vbi incredibilis fuit lætitia, tanta in militibus ac tormentis, quæ ad arcis non admodum ad resistendum validæ expugnationẽ erant necessaria, mittendis diligentia fuisset, quanta in magistratibus, qui vrbes oppida q̃ recepta regerent, creandis & mittendis fuit; quæ negligentia tanto pernicioſior fuit, quanto Foissei diligentia & celeritas extitit maior: qui Pado ad Stellatam superato, ex eo loco centum quinquaginta cataphractis, & quingentis Gallis peditibus, ad Ferrariæ præsidium missis, per Pontemolinum Mintium transijt; atq; eodem penè tempore, ad Mantuæ marchionem qui trãseundi facultatem

tatem peterent misit; siue vt improuisa petitione illius consilijs nullum locum relinqueret; siue vt aduentus sui nuntij serius ad Venetorum copias peruenirent; inde postero die ad Nugaram in agro Veronensi peruenit: altero ad Pontepeserem & Treuillas, tribus à Scala milliaribus; vbi cum Ioannem Paulum Ballionem, qui aliquot Venetorum milites ac tormenta Brixiam profectos comitatus erat, cum trecentis grauibus, quadringentis leuibus equitibus, & mille ducentis peditibus à Castellofranco, ad Scalæ Insulam veniſſe, ibiq; constitisse comperisset, illicò cum trecentis cataphractis, septingentis hyppotoxotis, reliquis copijs, quòd tantam celeritatem assequi non possent, subsequentibus, ad eum adoriendum conuolauit: cumque illum ante horam discessisse inueniſſet, eadem illum insecutus est celeritate. Ioannespaulus, Bernardinũ Montonium, in cuius custodia erat pons ad Alberum factus, Gallorũ aduentu cognito, ne ab ipsis & Germanis qui Veronæ erant, vbi Cæsar, Foroiulij custodia leuatus (nam præter Gradiscam omnia in Venetorum redierant potestatem) paulò antè tria millia peditum, quos prius in ea regione habebat, miserat, intercluderetur metuentem, pontem dissoluisse cognouerat; quamobrem Ioannespaulus Brixiam contendisset, nisi paulò infra Veronam fluuium vado transiri posse ostensum fuisset; quò cum transiturus pergeret, Foisseium à longè cõspexit; cuius incredibilis celeritas, quia famam superauerat, nihil aliud quàm militum qui Veronæ erant partem posse esse iudicauit: quare agmine instructo, ad Magnanini turrim, prope Athesim, nec procul ab Scalæ turri illum præsenti animo expectauit. Hastarum ex vtraq; parte concursus admodum ferox fuit; deinde alijs armis vltra horam strenuè pugnatum: sed qui sequi iussi fuerant, militibus subinde superuenientibus, Marcianorum sors subinde deterior fiebat; & tamen turbati, sæpius ad ordines suos redire; tandem, cum maiorem numerum sustinere iam non possent, fracti fugam capessere; hostes nocte iam incipiente eos ad amnem vsq; insequi: quem Ioannespaulus multis ex suis in eo submersis, incolumis transiuit: ex Venetis fuere partim cæsi, partim capti; circiter nonaginta grauis armaturæ equites; inter quos captiui fuerunt Guido Ramgonius, & Baldassar Signorellus Perusinus; pedites dissipati, & duo minora tormenta quæ sola secum habebant amissa; Gallis ea victoria penè incruenta fuit: postera die Meleagrum Foroliuiensem, cum aliquot Venetorum leuis armaturæ equitibus obuium habuerunt; qui, Meleagro capto, facilè fugati sunt: & ne horæ quidem iactura facta, nono ab suo Bononia discessu die, Foisseius cum primo agmine, in Brixiæ suburbio ad geminum balistæ iaculum procul à turris longæ porta, castra locauit; reliqua exercitus pars longius propter viam qua Pischeriam itur: mox ne sibi quidem respirandi spacio concesso, peditũ partem ad Sanfridiani ædem in montis medio sitam sub quo ipse castra habebat, multorũ vallis Eutropiæ agrestium præsidio munitum, oppugnatum misit: igitur ex multis partibus ascensione facta, ingenti pluuia quæ tormentorum in eo collegio positorum vsum ademit adiuti, eos perturbarunt, & bonam partem eorum cæciderunt: proximo die, præcone, qui ciuitatem fortunis corporibusq; omnium præter quam Venetorum saluis sibi dedi postularet, in vrbem misso, ferociq́ue coràm Andrea Gritto accepto responso, exercitu ad alteram ciuitatis partem, quæ arci est propinqua conuerso, in portæ quæ Sancti Ioannnis dicitur suburbio castra locauit: vbi diei insequentis diluculo, plus quadringentis cataphractis, omnibus candidis protectis armis, & sex millibus peditum partim Vasconum partim Germanorum, ex toto exercitu delectis, ipse vnà cum ipsis pedes, ab ea parte quæ ad Pilarum portam vergit ascendens, nemine aduersante primum arcis ambitum est ingressus: vbi militibus aliquantisper quiete refectis, eos breui oratione hortatus est; audacter in ditissimam opulentissimamq; vrbem, in qua gloria & præda, citra controuersiam, labore ac periculo longè esset maior futura, descenderent; pugnam cum venetis militibus, numero & virtute multo inferioribus esse conserendam: populi enim multitudinem, bellis minimè suetam, quæque iam potius fugam quàm pugnam meditaretur, omnino esse contemnendam; imò sperari posse, illam ob ignauiam consternatam, ceteris quoq; omnibus consternationis anſam daturam: ad extremum obsecrare, cum illos tanquam totius exercitus florem delegisset, ne sibi ipsi iudicioq; suo iniuriam facerent; cogitarentq; cum se eos esse profiterentur, qui hostium vrbes contra militum, tormentorum, munitionumq́ue vim ingredi

auderent,nisi nunc tanto aditu patefacto, nec quicquam præter homines solos aduersos haberent desiderio cõpotes fierent, quàm infames quamq; contẽpti futuri. Hac habita oratione,peditibus præmissis,arce egredi cæpit,in cuius egressu,aliquot peditibus, qui tormentorum progressum impedire conabantur inuentis, ijsq; facilè depulsis, per iugum in præfecti cognomento Burletti domus forum ferociter descendit, in quo Venetorum copiæ globo facto fortiter expectabant: vbi consertis manibus, illis propriæ salutis causſa, his non modò pro gloria, verùm etiam tantis diuitijs refertæ ciuitatis diripiendæ cupiditate dimicantibus, diu acre admodum & formidabile prælium fuit: nec minori virtute duces ipsi,quàm gregarij milites decertarunt; inter quos Foissei virtus & ferocitas admodum illustris emicuit: tandem Veneti milites fortissimè dimicantes,foro pulsi sunt.Victores deinde in duas partes distributi,pars per ciuitatem,pars per Citadellam ingressi sunt; quibus ferè ad singulos angulos & vias,milites & populus egregiè resistebant; sed semper victores vbiq; hostes perpulerunt; neq; vnquam nisi tota vrbe occupata (sic enim priusquam descenderent ipse mandarat) ad diripiendum se conuerterunt: imò si quis fortè præcepto non parebat, statim ab alijs interficiebatur. In his certaminibus ex parte Gallorum multi pedites, nec pauci equites sunt desiderati: ex hostibus verò circiter octo millia hominum, partim ex populo, partim ex Venetis militibus, qui erant quingenti grauis, octingenti leuis armaturæ equites, & octo millia peditum; & inter hos Federicus Contarenus, Epyrotarum equitum legatus, qui dum in foro pugnat, sclopi glande traiectus interijt; reliqui omnes capti, præter ducentos Epyrotas, qui per portulam, quæ est ad Nazarij portam,sed haud meliori fortuna egressi,cum in eam partem Gallici exercitus, quæ extra vrbem manserat incurrissent,penè omnes aut cæsi, aut capti fuerunt: qui deinde citra negotium per eandem portam ingressi,cæperunt & ipsi aliorum laboribus ac periculis vsi,diripere.Capti fuere Andreas Grittus, & Antonius Iustinianus, ab Senatu prætor in eam vrbem missus; Ioannespaulus Manfronus cum filio, Vulpius eques, Baldassar Scipionis,vnus ex Antonij Pij liberis, Aloisius Aduocatus, & alter eius filius,Dominicus Busechius Græcorum equitum præfectus: Vrbs direpta,sed Foissei iussu sacrarum virginum in suis septis pudicitia conseruata;bona tamen & qui sese ex vrbe in ea septa receperant, ducũ prẽda fuere: Aloisius Aduocatus comes in publico foro,Foisseo proprios oculos eo supplicio saturante,capite pœnas luit:duo illius liberi etsi tunc dilatum sit, non multo pòst eandem pœnam luerunt.Sicq; Gallorum manibus, à quibus Brixienses oriundos se iactabant, ea ciuitas, nobilitate & dignitate nulli Longobardiæ vrbium inferior; opibus autem,Mediolano excepto, reliquis omnibus anteponenda, tandem cladem passa est; quæ sacris profanisque rebus, nec minus hominum vita & pudicitia quàm bonis prædæ datis, septem continuos dies militari auaritiæ, libidini & crudelitati fuit exposita. His rebus in hunc modum gestis, Foissei nomen, quòd virtute ac celeritate sua, quindecim dierum spacio pontificium Hispanicumque exercitum à Bononiæ mœnibus discedere coëgisset; Ioannempaulum Ballionem cum parte Venetarum copiarum, acie fudisset; Brixiamque tanta militum populique strage recepisset,summa cum laude per totam Europam celebratum fuit: adeò vt communi omnium iudicio,Italiam à multis seculis in rebus bellicis tale aliquid non vidisse confirmaretur. Brixia cum reliquis oppidis recuperata, ex quibus Bergomum, paucorum opera ad defectionem concitatum, antequam Foisseius Brixiam ingrederetur, populi consensu Gallos reuocauerat. Foisseius vbi res constituisset, militique tam longis grauibusque laboribus fessо, & in præda partim conseruanda,partim diuendenda distracto,quiescendi spacium dedisset, eumque in ordinem redegisset, Regis præcepto contra fœderatorum exercitum ire decreuit: qui Bononiæ mœnibus relictis, in agro Bononiensi consederat: Regem enim multi grauissimi casus ad hoc impellebant, quibus pro rerum suarum salute noua consilia sequi cogebatur. Iam ab Angliæ rege bellum manifestè apparere incipiebat: nam quamuis rex ille prius apertis verbis negasset, pòst dubijs dissimulasset, tamen longè diuersa facta iam tegi non poterant: Roma enim ad initi fœderis confirmationem diploma tandem allatum audiebatur. In Anglia copias nauigiaq; cõparari; & in Hispania naues quæ in Angliam transirent: omnium populorum animos ad bellum Galliæ inferendum

rendum accensos esse sciebatur: & oportunè pontificia nauis longa Falerno vino, ca-
seis, suminibusq; onusta aduenerat; quæ ipsius nomine, Regi, & multis principibus, an-
tistitibusq; donata, ab omnibus miro applausu accipiebantur; & plebs, quam plerumq;
non minus leuia quàm grauia mouent, ad eam nauem videndã summa cum voluptate
accurrebat; & antea nunquã in ea insula nauim vllã cum pontificijs vexillis conspectam
gloriabantur. Deniq; cum Morauiæ episcopus, qui inter pontificẽ & Gallię regẽ de pa-
ce egerat, siue conscientia, siue purpurei galeri desiderio motus, in quodã totius insulæ
cõcilio, admodũ beneuolè cum ampla pontificiæ æquitatis testificatione retulisset, An-
tistites regni nomine ad Lateranense concilium mittendos esse in Senatu constitutum
fuit; & Rex pontificijs legatis postulantibus, Galliæ regis oratorem abire iussit: neque
enim decere, apud regem & in regno ecclesiæ addictissimo, conspici eum, qui Regis il-
lius personam gereret, qui tam apertè sacrosanctam sedem persequeretur: iamque oc-
culta consilia erumpebant, quibus erat constitutum, vt rex Angliæ, maritimo apparatu
Normaniæ Britãniæq; citerioris litora infestaret, & octo millia peditum in Hispaniam
mitteret, vt cum Aragoniæ rege coniunctis armis bellum in Aquitania moueretur: quæ
suspicio Galliæ regem mirum in modum torquebat: nam cum veterum bellorum me-
moria Anglicum nomen suis formidabile esset, Hispaniæ virium adiunctione, pericu-
lum maius reddi cognoscebat; & tanto magis, quòd præter ducentos cataphractos, om-
nem militiã in Italiam misisset, qua vel tota vel ex parte reuocata, Mediolanense impe-
rium ipsi tam carum in apertum discrimen conijceretur; & si ne ita imparatus offendere
tur, veteribus legionibus octingẽtos cataphractos adderet, quam spem in tantis pericu-
lis, in hominibus imperitis, & militiæ tyronibus collocare posset? Accedebat suspitio in
dies crescens de Cæsaris alienatione; quoniam Andreas Burgius ingenti desiderio ex-
pectatus redierat; qui quamuis Cæsarem, ad fœdus conseruandum in eoq; permanen-
dum propensum referret, tamen admodum duras leges varijs permixtas querelis pro-
ponebat: nam quæ ex Cameracensi fœdere ad se spectarent, sibi restitutum iri, cautionẽ
postulabat: neq; cum & ab initio & pòst semper Patauium suo imperio adijci regi mo-
lestum esse, libentiq́ue animo singulis annis ducenta ducatorum millia, dummodo i-
pse cui quinquaginta millia insumere grauius esset, consumeretur, atque in continuis
molestijs detineretur, exposuisse perspexerit, solis promissis iam fidem habere posse:
superiore anno, Triultium, quòd & animo & rei militaris peritia, ad bellum citò con-
ficiendum aptus esset, sibi denegasse: Regis secundam filiam biennio minorem, Bur-
gundia dotis nomine tradita, nepoti suo despondi, statimq́ue filiam ipsam tradi; res
Bononienses, Ferrarienses, atque Concilij, suo iudicio permitti postulabat; & Gal-
licum exercitum Romam versus contendere vetabat; seq́ue Regis in Italia impe-
rium vlla ex parte augeri non passurum attestabatur. Quas per se grauissimas ac penè
intolerabiles leges, longè grauiores reddebat, quòd tot tantisq́ue rebus concessis,
ipsum vel ex occasione, vel ex consuetudine sua non mutaturum, sibi certò promit-
tere non posset: imò petitionum iniquitas, illum iam animo à Galliæ rege alienatum,
aliquo colore sui declarandi occasionem quærere apertum inditium faciebat; cum
præcipuè non modò in verbis, sed etiam in factis multa malè affecti animi signa
animaduerterentur: quia neque cum Burgio, procuratores totiens Concilio Pisano
promissi venerant; & Antistitum Augustæ habitus conuentus, tandem publico de-
creto Pisanum Concilium seditiosum ac detestandum esse responderat: hoc tamen
addito moderamine, si pro contraria parte validiora adducerentur argumenta, sen-
tentiam mutare paratos esse; & tamen quo tempore maximè regi vires suas colligę-
re opus fuisset, ducentos cataphractos, & tria peditum millia ad Veronæ præsidium,
& mille ad Lineaci custodiam alere cogebatur. Angebat præterea vehementer re-
gis animum Heluetiorum metus: nam etsi Ambianorum præfectum ad eorum comi-
tia mittendi potestatem habuisset, cui, prudenti consilio (si modo prudens consilium
apellari potest quod iuuandi occasione elapsa capitur) ad quamuis pecuniæ summam,
dum eos ad suam amicitiam pertraheret impendendam paratus amplissima manda-
ta dederat: tamen ardentissimo plebis odio, validisq́ue Sedunensis Cardinalis sua-
sionibus, eorum qui singulis comitijs consilia illi contraria sequi prohibuerant autori-

tate ſuperata, ipſos ſex peditum millia ad fœderatorum ſtipendia miſſuros audiebatur: quos illi, vt Germanorum ordinatis firmisq; aciebus opponerent, petebāt. Rex inſuper ſe à concordiæ ſpe penitùs excluſum conſpiciebat: de qua etſi in ipſo bellorum ardore, Cardinalis Nannetenſis, & Strigonienſis, vngarici regni potentiſſimus antiſtes, nunquam agere deſijſſent: quia Pontifex poſtremò reſponderat, ſi attentius quàm antè audiri vellent, Piſanum conciliabulum aboleri, Pontificio imperio Bononiam Ferrariamq; vrbes ſuas reſtitui procurarent: nec minore factis aſperitate oſtenſa, denuò multos Gallos antiſtites, qui ei concilio interfuiſſent, ſuis dignitatibus priuauerat: & Philippum Decium, illius ætatis præſtantiſſimum Iuriſconſultum, quia pro cauſſæ illius æquitate ſcripſerat ac diſſeruerat, & Cardinales vt quæ iure eſſent agenda dirigeret, ſequebatur, condēnauerat: nec in difficultatibus & periculis quæ ex tot locis oſtendebantur, Rex in vlla Italiæ parte, vbi firmum ac certum pedem figeret habebat: nam Ferraria & Bononia fuerant & erant ei ſumptuoſæ ac moleſtæ: & à Florentinis apud quos, vt vnà ſecum bellum in Flaminia mouerent, denuò agebat, nihil niſi communia reſpōſa elicere poterat; imò de illorum animis nonnihil ſuſpicabatur: quoniam Florentię ſemper hęrebat proregis neapolitani legatus, & multò magis quia ad Catholicum regem oratorem miſerant: quòdq; nō iam vt ſolebant res ſuas ſecum conferrent: maximè verò quia cū nulla petita pecunia, aliaue graui re fœdus quod intra paucos menſes terminabatur, prorogari poſtulaſſet, illi vt ad eas conditiones quę illo tempore commodiores ipſis viderentur, arripere ipſorum in poteſtate eſſet, rem protrahebāt: quam propenſionē Pontifex vt augeret, nēue nimia aſperitate ad Galliæ regis fortunam armis ſequendam eos impelleret, nemine publico nomine id poſtulante, dirarum decretum induxit; & Ioannem Gozzadinum Bononienſem, ex Pontificij cubiculi clericis vnum, cum humaniſſimis mandatis, internuncium ſuum Florentiam miſit, ſuſpicionem de ſe conceptam mitigare conatus. Rex itaq; cum ſe ſolum aduerſus tot vel iam apertos hoſtes, vel futuros conſpiceret, nec ſi eodem tempore tot moleſtiæ incumberent, niſi difficillimè, ſe ſuſtinere poſſe animaduerteret, Foiſſeium, quanta poſſet maxima celeritate, in hoſtis exercitū ducere iuſſit: de quibus quòd imbecilliores cenſerentur, victoriam ſibi pollicebatur: qua parta, nulla habita ratione Romam & pontificem inuaderet: quod ſi feliciter ſuccederet, ſibi ſe tot periculis liberatum exiſtimabat: & vt hæc res, ad leuandam inuidiam, & cauſſam ſuam æquiorem oſtendendam, concilij Piſani nomine gereretur, à quo legatus aliquis decerneretur, qui cum exercitu eſſet; & capta oppida concilij nomine reciperet. Foiſſeius igitur Brixia profectus, ad Finale venit: vbi cum per aliquot dies, commeatum qui ex Inſubria vehebatur, acciperet, & ad omnes quas rex in Italia habebat, præter eas quæ in neceſſarijs locorum præſidijs erant, copias colligendas, pluuijs etiam tempeſtatibus impeditus moratus eſſet, ad Sangeorgium in agrum Bononiēſem venit: quem in locum venerunt ad eum recenter ex Gallia mille Vaſcones pedites, mille voluntarij, & mille Belgæ delecti pedites; alij præterea magni nominis Galli: ita vt omnes ſimul collecti vero numero eſſent cum illo quinq; millia Germanorum peditum, totidem Vaſconum, & octo millia partim Italorum partim Francorum, & mille ſexcenti cataphracti, ducentis illis nobilibus quorum alibi quoq; mentio facta eſt, connumeratis: Ad has copias Ferrarienſis cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus, cumq; optimorum tormentorum copioſo apparatu accedere debebat; quia Foiſſeius, difficultatę à ſuis terreſtri itinere vehendis impeditus, ea ad Finale reliquerat. Veniebat quoq; ad exercitum cardinalis Sanſeuerinius, à concilio Bononiæ legatus conſtitutus, homo ferox, magisq; ad arma, quàm ad ſacra tractanda propenſus. Rebus in hunc modum conſtitutis, Foiſſeius, tum ob regia quibus quotidie magis vrgebatur imperia, tum ob inſitam animo ferocitatem & gloriæ cupiditatem, pręteritorum euentuum felicitate auctam, pugnæ deſiderio flagrans, aduerſus hoſtes progreſſus eſt: nec tamen hoc ardore ita impulſus, vt eos temerè inuadere haberet in animo; ſed illorum caſtris ſic appropinquare, vt num ſponte loco, vbi ſitus res ſuas non redderet deteriores, prælium ſubire vellent experiretur; vel commeatu impedito pugnæ neceſſitatem imponeret. Longè verò alia hoſtibus mens erat; in quorum caſtris, poſtquam rixæ cuiuſdam prætextu, Vrbinatium ducis turma diſceſſerat, in exercitu, vt ferebatur, relinquebantur, mille quadrin

genti

genti grauis armaturæ, mille leuis equites, septem millia Hispanorum peditum, & tria Italorum millia recenter conscriptorum; & Galli præterquam quòd numero superarent, firmiorem equitatum habere censerentur, æquo loco decertare tutum illis non videbatur, saltem donec sex Heluetiorum millia adueniissent, quos cum eorum magistratus denuò concedere assensi essent, de illis communibus Pontificis ac Venetorum sumptibus conducendis, Venetijs, quo ad hoc Cardinalis Sedunensis, & duodecim illius gentis legati venerant, agebatur: accedebat Aragoniæ regis voluntas, qui & literis & proprijs nuntijs, quantum per eos fieri posset prælio abstinerent, præceperat: eaque præsertim re fretus, quam Galliæ rex summopere metuebat; hoc est, si tandiu protraheretur, donec inter ipsum Angliæq; regem bellum in Gallia geri cœptum esset, Regem vel omnes vel maximam copiarum partem trans alpes reuocare coactum iri; sicq; in Italia belli victoriam, sine sanguine & sine periculo consequuturos: quam ob causam nisi pontificis petitionibus, & grauibus querelis commotus fuisset, iam ab initio Bononiæ expugnationem tentari prohibuisset. Itaque neapolitanus prorex, & reliqui duces, semper Gallicum exercitum, ne Flaminiæ, Aemiliæque vrbes illi prædæ relinquerentur, neue iter Romam pateret, castra habere decreuerunt; sed semper locis vel situ, vel aliqua magna vrbe à tergo posita, munitis, ne Galli sine maximo incommodo se adoriri possent; ideoq; quotiescunq; opus esset minimè detrectare, aut se difficiles in retrocedendo præbere, quippe qui, vt militares viri, ostentationes rumoresq; non esse curandos iudicarent, sed victoriam præcipuè semper spectandam, quæ autoritatem, gloriam, & laudem mortalium secum trahit: quo consilio, eo die quo Gallicus exercitus ad Castelloguelfum & Medicinam castra posuit, ipsi qui prope ea loca castra habebant ad Imolæ mœnia se contulerunt. Postero die, Galli ad sesqui milliare prope Imolam, hostibus instructa acie in loco suo consistentibus, progressi sunt; sed cum tam iniquo loco eos nollent inuadere, vlterius progressi, primum agmẽ ad Bubanum, quòd ab Imola quatuor milliaribus, distat processit: reliquus exercitus ad Mordanum & Bagnaram, quę oppida paulò plus mille passibus inter se absunt, sub regia via, propter commeatus qui ex Pado flumine tutò conuehebatur opportunitatem, castris delectis: quia Lugum, Bagnacauallum, & circumuicina oppida, Foissei in agrum Bononiensem ingressu, ab Hispanis deserta, ad Ferrarienses imperium redierant. Sequenti die Hispani, in Imolæ arce idoneo præsidio relicto, & in vrbe sexaginta grauis armaturæ equitibus Ioanne Saxatello duce, ad Castellum Bononiensem contenderunt, ad viam regiam montem versus protensis castris metati; & eodem die Galli Solariolũ vi, & Cotiniolam, Granariolumq; deditione ceperunt: vbi proximum diem morati sunt, & hostes in loco qui dicitur Campus muscarum hæserunt: in quibus paruis mutationibus, tamq; propinquis locis, vterq; exercitus, instructa acie, cum tormentis à fronte, & facie in hostes conuersa, quasi singulis horis esset concurrendum: vtrisq; tamen admodum cautè, atq; ordine progredientibus; alteris ne ad decernendum, nisi loco vbi situs opportunitas, numeri ac virium inæqualitatem compensaret, cogerentur; alteris vt hostem in prælij necessitatem ita compellerent, sed ita vt ne simul & armorum & situs importunitatem subirent. In his castris Foisseius noua à rege prælij accelerandi ijsdem de caussis quæ ad primum mandatum impulerant auctis, mãdata accepit: nam cum Veneti quamuis Brixiensi infortunio debilitati, & prius precibus, deinde etiam attestationibus & minis Pontificis atq; Aragoniæ regis coacti, nisi Vicetia ipsorum imperio permitteretur, pacem cum Cæsare obstinatè recusassent, tandem coram Pontifice octo mensium inducias cum eo fecerunt; ea lege vt quòd quisq; possideret, id teneret; & quinquaginta Rhenensium aureorum millia Cęsari numerarent: quocirca cum iam rex de illius alienatione non dubitaret, fuit eodem tempore de transalpino bello certior factus; quoniam Hieronymus Cabauillius Aragoniæ regis apud ipsum orator, cum coram Senatu eum alloquendi facultatem postulasset, se ab rege suo discedendi mandatum accepisse significauerat; & vt à Bononiæ tyrannis contra sacram sedem protegendis abstineret, néue ob tam iniustam caussam tam grauem, tamq; reip. Christianæ vtilem pacem turbaret, hortatus fuerat; quòd si ex Bononiæ restitutione aliquod detrimentum metueret, omnibus modis quibus ipsemet optaret ei cauere pollicebatur: ad extremum subijciebat, se, vt omnes Christiani prin-

cipes deberent, Eccleſiæ defenſioni deeſſe non poſſe. Quare Foiſſeius hoſtibus appropinquare è re non eſſe iam certus; propterea quòd ob Aemiliæ Flaminiæque vrbium quam habebant oportunitatem, non poterat eis niſi magno labore commeatus impediri, nec ipſi ſine ingenti incommodo ad prælium compelli; atq; etiam quia in ijs locis in quibus erat, exercitus commeatus inopia laborabat, ducum ſuorum conſilio, Rauennæ caſtra admouere conſtituit, hoſtes, ne tantum de eorum exiſtimatione diminuerentur, ante oculos ſuos tantæ vrbis iacturam non paſſuros ratus; ſicq; æquo loco dimicandi ſibi occaſionem oblatam iri: & vt hoſtilem exercitum, ſi fortè hoc præſentiret, Rauennam accedere prohiberet, inter Cotiniolam & Granariolum, ſeptem ab ipſorum caſtris milliaribus conſtitit: vbi quatriduum duodecim maiora tormenta totidemq; minora Ferraria expectans moratus eſt: cuius conſilium hoſtes coniectura aſſequuti, Marcum antonium Columnam Rauennam miſerunt: cui antequam ſe iturum recipere voluerit, oportuit legatum, proregem, Fabritium, Petrum Nauarrum, & omnes reliquos duces, vnumquenq; fidem ſuam obſtringere, ſi Galli caſtra admouerent, cum vniuerſo exercitu opem laturos; cum Marcoantonio iuere ſexaginta grauis armaturæ equites exipſius turmis: Petrus Caſtrenſis cum centum leuis armaturæ equitibus, & Scallazartus, Paradeſiusq; cum ſexcentis Hiſpanis peditibus, reliquus exercitus ad Fauentiæ mœnia prope eam portam, qua Rauēnam itur, caſtra poſuit: vbi dum eſſent, cum hoſtibus iuſto penè prælio acriter decertarunt. Hoc tempore Foiſſeius centum cataphractos, & mille quingentos pedites, ad Ruſſiorum Caſtellum expugnandum miſit, caſtellanorum tantùm præſidio munitum; qui etſi ab initio pro multitudinis conſuetudine, audaciam præſe ferrent, tamen in eius locum timore ſubeunte, eodem die de deditione agere cæperunt; quibus colloquijs cum Galli diligentiam in cuſtodiendo remitti animaduerterēt, magno impetu ingreſſi oppidum diripuerunt; in quo ſupra ducentos interfectis, reliquos captiuos fecerunt. Ruſſio, Foiſſeius Rauennam acceſſit; & poſtero die prope mœnia, inter duo flumina, quibus illa vrbs vtrinq; clauditur, caſtra locauit. Ex Apennini iugis, qua Aemiliam Flaminiamq; ab Aetruria diuidunt, Roncus amnis, à veteribus Vitis apellatus, & Montonus: ideò celebratus, quòd excepto Eridano, fluuiorum qui ex ſiniſtro Apennini latere oriuntur, primus eſt, qui proprio curſu in mare feratur, originem ducunt. Hi Liuij forum vtrinq; complexi, Montonus ad ſiniſtram penè mœnia alluit, Roncus ad dexteram, ſed circiter duo milliaria procul ab vrbe, prope Rauennam, tam breui ſpacio diſtant, vt vnus ab vna parte, alter ab altera, eius mœnia alluant; infra verò aquis ſimul cōmixtis mare ingrediantur, trib. nunc ab vrbe milliaribus; olim, vt fama eſt, ipſa mœnia alluebat. Spacium inter hæc duo flumina Foiſſei exercitus occupabat: ita vt caſtrorum frons Adrianam portam Montonis ripæ ferè copulatam reſpiceret. Proxima nocte tormenta partim contra turrim quæ Roncona dicitur, inter portam Adrianam & Roncum ſitam, partim trans Montonem, vbi ponte fluuio impoſito, exercitus pars tranſierat, collocarunt; & vt ante hoſtis, quem iam caſtra mouiſſe ſciebant, aduentum, pugnam tentarent, quantum poterant tormentorum vſum accelerabant; nec minus etiam quòd ad maximam commeatus difficultatem eſſent redacti; quia Venetorum copiæ, quæ armatis nauibus ad Ficariolum conſtiterant, commeatum qui ex Inſubria veheba tur impediebant; & nonnullis nauibus, ad riui, quod duodecim ab Rauenna milliaribus Padum ingreditur, & ad duo prope Rauennam perducitur, hoſtium ſubmerſis, eorum quæ Ferrarienſium nauibus Ferraria vehebantur in riuum ingreſſum impediebāt, quæ terreſtri itinere carris vehere difficile ac periculoſum erat: valde præterea incommodū erat prædatum ire; cogebantur enim ſeptem aut octo milliaria à caſtris diſcedere: quare Foiſſeius eodem die etſi ingreſſum difficilem cognoſceret, quòd percuſſis mœnibus non plus quàm triginta vlnas in longum diruiſſent, per quas ruinas quòd tres muri vlnæ aut amplius in altum eſſent ſuperandæ, niſi ſcalis admotis in vrbem aditus nō dabatur, copias in pugnam producere conſtituit: quas difficultates, vt virtute & ordine ſuperaret, & ipſos milites mutua æmulatione inflammaret, Germanos, Italos, & Gallos in tria diſtincta agmina diſtribuit; & ex ſingulis cataphractorum turmis decem fortiſſimis delectis, ijsdem armis quibus in equis pugnant tectos, pedibus milites præcedere iuſſit. qui mœnibus ſubeuntes, terribili impetu vrbem inuaſerūt; qui intus erant, ſumma cum

Marci

Marciantonij Columnę laude,egregiè propugnãtibus;qui nec labori nec periculo parcens,nũc huc nũc illuc,vbi magis opus erat,ſuccurrebat: tandẽ Galli hoſtiũ deijciendorũ ſpe amiſſa,& ex colubrina (tormenti cuiuſdã eſt genus)in vallo quodã collocata graui clade accepta, cum per tres horas pugnaſſent,circiter trecentis peditibus & nonnullis cataphractis amiſſis, nec minore vulneratorum numero, & inter ceteros Caſtellioneus ac Spinoſa,tormentorũ præfectus,qui à propugnatorum tormentis icti intra paucos dies obiere,in caſtra redierunt: Federicus quoq; Bozzolenſis leue vulnus accepit. Sequenti die ab vrbis oppugnatione, ad prælium cum hoſtibus committendum conſilia conuerſa ſunt;qui ad Gallici exercitus motum,cum fidem Marcoantonio datam ſeruare vellent,à Foroliuij intra eadem flumina aliquot milliaria progreſſi, pòſt Ronco flumine traiecto, Rauennam verſus procedebant. Interea ciues ſuperioris diei pugna terriri,Marcoantonio inſcio, vnum exſuis ad deditionem tractandam miſerunt; qui dum vltro citroq; cum reſponſis curſitat, ecce hoſtilis exercitus qui iuxta fluuium procedebat;quo conſpecto ſtatim Gallicus exercitus ingenti ſtrepitu arma capere ; ſua quiſque ad ſigna currere ; tormenta ex templo à muris retrahere ; atq; ea in hoſtes conuertere. Foiſſeius interea núm eadem hora, vt Rauennæ ingreſſu hoſtem prohiberent, flumen eſſet traijciendum, ad reliquos caſtrorum duces refert: quod quidem vel non decreuiſſent,vel ſaltem militari ordine, & neceſſaria celeritate fieri nõ poterat:illis verò per Pinetæ ſaltum, quæ eſt inter mare & vrbem,eo die Rauennam ingredi facilè erat : quo facto, Gallos commeatus inopia laborantes,turpiter ex Aemilia diſcedere coëgiſſent. Sed ipſi, ſeu occaſione non perſpecta, ne,dum vadunt, campeſtribus in locis pugnare cogerentur veriti,ſeu Rauennam,quod eam oppugnare non eſſet auſurus ſua præſentia ſatis tutam rati, cõtra omnium expectationem,tribus à Rauenna milliaribus,qui locus Molinaccius dicitur, caſtra poſuerunt: deinde reliquum eius diei cum ſequenti nocte, in caſtrorum fronte foſſæ tam latæ tanque profundæ, qua exiguitas temporis patiebatur faciendæ operam dederunt. Quo tempore inter Gallicos duces non ſine ſententiarum diuerſitate, cõſultabatur:quoniam denuò vrbem inuadere,cum paruã ante ſe mœnium ruinam, & hoſtes à tergo haberent, admodum periculoſum cenſebatur:ſine alicuius rei gerendæ ſpe immorari non ſolùm inutile, verùm etiam ob commeatus inopiam, id fieri nullo modo poſſe ; ſi verò retrocederent, maiorem Hiſpanis exiſtimationem,quàm ipſi ſuperioribus diebus progrediendo comparaſſent,conceſſuros : eos autem in ſuis caſtris, quæ ab eis munita eſſe,exiſtimandum erat,adoriri periculoſiſſimum eſſe,& omnibus ſuperioribus conſilijs repugnare:in omnibus autem periculis ea potiſſimum vitanda eſſe, ex quibus maiora mala poſſent ſequi; nullam autem offenſionem aut perniciem eſſe maiorem, quàm acie debellari. Quibus in difficultatibus,demùm Foiſſeio ad id maximè velut glorioſiſſimum tutiſſimumq; cohortante,vt quamprimùm lúceret,hoſtes inuaderent conſtitutum fuit: quo conſilio noctu ponte Ronco impoſito, & riparum aggeribus vt tranſitus facilior eſſet ab omni parte complanatis, primò diluculo,diei vndecimi Aprilis, qui dies ob Domini reſurgentis ſacroſanctam memoriam celeberrimus eſt, Germani pedites per pontem, omnes autem ferè primi & medij agminis milites flumen vado traiecerunt:poſtremum agmen quod Iuo Allegrius ducebat, in quo erant quadringenti cataphracti, vt ſi opus eſſet exercitui opem ferre,etſi vel milites vel populus Rauenna eruptionem faceret ſeſe opponere poſſent, in fluminis ripa Rauennam verſus remanſit: ad pontis verò, qui antea Montoni impoſitus fuerat cuſtodiam, Paris Scotus cum mille peditibus relictus fuit: quo facto Galli hunc in modum acies ad prælium inſtruxerunt. Primum agmen, cui præerant,tormenta ſub Ferrarienſium ducis imperio cum ſeptingentis cataphractis & Germanis peditibus, in fluminis ripa quæ illis ad dexteram erat, ita vt pedites ſiniſtrum equitum cornu clauderent, collocatum fuit, ad primi agminis ſecundi agminis pedites, octo millia partim Vaſcones, partim Belgæ poſiti fuere; deinde à fluminis ripa ſubinde longius,Italorum peditum ex trema acies cui Federicus Bozzolenſis imperabat , in qua non plus quàm quinquies mille pedites erant:nam etſi Foiſſeius, cum ante Bononiam tranſiret, eos qui in præſidio erant collegiſſet, multi ſtipendiorum anguſtia dilapſi fuerant: huius agminis latus Hippotoxotæ omnes & leuis armaturæ equites, qui trium millium numerum excede-

bant, clausere: post hæc agmina omnia, quæ non ad rectam lineam extensa, sed inflexa semilunæ figuram efficiebant: ad fluminis ripam, secundi agminis sexcenti cataphracti collocati erat, quibus Palissa & cardinalis Sanseuerinas concilij legatus imperabant; qui ingenti corpore vastoq; animo, à capite ad pedes splendissimis armis tectus, multò magis ducis quàm Cardinalis aut legati munus obibat: Foisseius nullum sibi peculiarem locum curamúe reliquit, sed ex omni exercitu triginta fortissimis nobilibus delectis, vt omnibus prospiceret succurreretq; liber esse voluit; armorum splendore & pulcritudine, paludamentoque inter ceteros maximè conspicuus, vultu hilarissimo, oculis vigore plenis, ac penè præ lætitia scintillantibus; vbi copias omnes ad pugnam instructas cõspexit, amnis aggere conscenso, facundia (sic fama tulit) plusquam militari, vt militum animos accenderet in hunc modum loquutus est:

Quod tantopere exoptauimus, Milites, vt in patentibus campis cum hostibus congredi liceret, ecce fortuna, quæ nobis in tot victorijs benigna extitit mater, hoc die largita est victoriæ omnium post hominum memoriam magnificentissimæ cum immortali gloria cõsequendæ occasione proposita: neq; enim sola Rauenna, aut Galliæ togatæ vrbes solæ, vestræ potestati relinquentur, sed minima virtutis vestræ præmiorum pars erunt: nemine enim amplius qui se armis vestris opponere possit, in Italia relicto, sine vllo impedimento Romam vsq; percurremus; vbi immensæ illius sceleratæ curiæ diuitiæ tot seculis ex Christianorum viscеribus erutæ, vestra erunt præda, tot superbissima ornamenta, tantum argenti, tantum auri, tantum gemmarum, tot opulentissimi captiui, vt vniuersus orbis fortunæ vestræ sit inuisurus: Roma, eadem facilitate Neapolim vsq; tot acceptas iniurias vlciscentes excurremus, quam felicitatem cum virtutem, cum fortunam vestram, cum glorioſas victorias paucorum dierum interuallo partas perpendo, cum vultus & opera intueor, cum pauciſſimos vestrũm, qui ante meos oculos non aliquo egregio facinore clarum virtutis suæ documentum dederit, esse memoria repeto, nihil quod eam nobis intercipere possit in mentem venit. Hostes nostri ijdem Hispani sunt, qui aduentu nostro ignominioſè noctu Bononia aufugerunt; ijdem sunt qui ante paucos dies, non secus quàm fuga, ad Imolæ & Fauentiæ mœnia, vel in loca montana ac difficilia, sese à nobis eripuerunt: nunquam hæc natio in regno neapolitano aperto æquóue loco cum exercitibus nostris manus conseruit, verùm semper aut munitionum, aut fluminum, aut fossarum adiumento; nunquam virtute, sed fraude insidijsq; fretasta- metsi non hi sunt Hispani illi in neapolitanis bellis inueterati, sed gens noua & inexperta, & quæ nunquam aduersus alia arma, quàm Maurorum arcus, sagittas, obtusasq; hastas pugnauit: & tamen ab illa gente, corpore inualida, animo timida, inermi, omniumq; bellicarum artium ignara, superiore anno, ad Gerbarum insulam tanta cum ignominia victa: vbi hic ipse Petrus Nauarrus tanti apud illos nominis dux, quid tormentarij pulueris impetu mœnia cõcutere, & vera audacia fortitudineq; pugnare interſit, fuga memorabile exemplum dedit: nunc fossa quàm hac nocte ingenti metu fecerunt clausi, pedites agere tecti, falcatis curribus freti manent, quasi prælium his puerilibus instrumentis ineundum esset, non autem animi virtute, & pectorum lacertorumq; robore; cito, mihi credite, ex istis illorum cauernis eos extrahent tormenta nostra, in apertos planosque campos compellent: in quibus quantum Gallicus impetus, Germanica ferocitas, & generosa Italorum virtus, Hispanorum calliditati & fraudibus præstet, elucebit. Nulla res nostram gloriam minuere potest, nisi quòd numero tanto illos, nimirum penè duplo superamus: & tamen hoc commodo vti nobis à Fortuna indulto, ignauiæ nostræ minimè tribuetur, sed illorum imprudentiæ ac temeritati, quos ad pugnam non animus aut virtus, sed Fabritij Columnæ, ob temerè Marco antonio facta promissa, autoritas seu potius diuina iustitia, ad Iulij ementiti pontificis superbiam, ac nefanda flagitia; totq; perfidi Aragoniæ regis, in regis nostri bonitatem, fraudes & proditiones, iustissimis pœnis afficiendas trahit: verùm quid ego pluribus vtor verbis? cur apud tantæ virtutis milites, non necessarijs hortationibus tantum victoriam differo, quantum temporis vobiscum loquendo consumo? progredimini macte, virtute milites constituto ordine, certi hunc diem regi meo imperium, vobis opes totius Italiæ daturum; equidem dux vester, semper vbiq; locorum vobiscum ero; & quemadmodum soleo vitam meam omni-

omnibus periculis exponam; omniũ qui vnquam fuerunt, belli ducum fortunatiſſimus, quando huius diei victoria meos milites, omnium vel militum vel exercituum qui à trẽcentis annis fuerint, glorioſiſſimos, opulentiſſimosque ſum facturus. Hac oratione habita, cœlo tubarum & timpanorum ſtrepitu, totiusq; exercitus lætiſſimis acclamationibus reſonante, ad hoſtium caſtra quæ minus duobus milliaribus, ab eo loco vbi amnem tranſierant, diſtabant, progredi cæperunt: quæ caſtra ſecundum fluminis ripã quæ illis ſiniſtra erat protenſa, foſſa quantũ temporis breuitas fieri permiſerat alta, ad dexteram tota muniebat: niſi quòd à fronte vt cũ equis ad excurſiones egredi poſſent, viginti vlnarum ſpatium apertum reliquerant: in quibus caſtris, vt primùm Gallos flumen tranſire ſenſerunt, hoc modo aciem inſtruxerant: Primum agmen octingentorum grauis armaturæ equitum, quod Fabritius Columna ducebat, ſecundum fluminis ripam collocatum fuit: huic ad dexteram ſex millia peditum adiuncta: hos ſecundum fluuium pariter alterum agmen ſexcentorum cataphractorum erat, cuius latus quatuor peditum millia claudebant: huic agmini prorex ipſe præerat; & cum ipſo marchio Paludanus: in hoc agmine erat Mediceus cardinalis, natura magna ex parte oculorum lumine captus, moribus manſuetis, pacis ornatu, ſpecie reque ipſa, à Sanſeuerinati cardinale admodum diſſimilis: Secundo agmini, poſtremum ad eandem fluminis ripam ſuccedebat Caruaiallo Hiſpano duce; in quo erant quadringenti grauis armaturæ equites, & quatuor millia peditum, cum leuis armaturæ equitibus, quorum Ferdinandus Daualus Piſcariæ marchio admodum adoleſcens, verum eximiæ ſpei præfectus erat; hi dexterum peditum latus à tergo muniebant, vt ei parti quæ inclinaret ſubuenirent: tormenta ad cataphractorum frontem erant collocata; & Petrus Nauarrus, qui cum quingentis delectis peditibus, nulli ſe loco obſtrinxerat, ad foſſam in fronte peditatus, triginta currus, falcatis veterum ſimiles, minoribus tormentis onuſtos, longiſſimo veruto ad Gallorum impetum facilius ſuſtinendum ſuper impoſito collocarat: quo ordine intra foſſæ munitionem firmi hoſtilis exercitus impreſſionem expectantes; quod conſilium vt exitu non fuit vtile, ſic in principio admodum pernicioſum apparuit; quoniam Fabritij Columnæ ſententia fuerat, vt quum primùm flumen tranſire inciperent, infeſtis in eos ſignis inuaderent; commodius ratus cum vna modò parte congredi, quàm parua foſſa caſtra muniri: at Petro Nauarro cuius conſilia prorex velut oracula ſequebatur repugnante, parum prudenter vt traijcere permitterentur, ſtatutum fuit. Ideò Galli iam circiter ducentos paſſus prope foſſam progreſſi, vt hoſtem caſtris ſe continere, nec vſquam pedem mouere cernunt, ne eam opportunitatem quam ipſi cupiebant hoſti concederent, conſtiterunt: ita vterque exercitus vltra duas horas immotus ſtetit; innumeris tormentorum globis interea vtrinque iaculatis: à quibus Galli pedites, quia Nauarrus tormenta in loco vnde eos maximè læderet collocarat, non paruum detrimentum patiebantur: ſed dux Ferrarienſis, tormentorum parte poſt exercitum retracta, ad alterum Gallorum cornu ſumma celeritate in eum ipſum locum in quo hippotoxotæ erant collocati perduxit: quod cornu quia exercitus curuam figuram habebat, hoſtibus à tergo fere imminebat: vnde eorum latera atrociter petere cæpit, cum maximo præcipuè equitatus detrimento; quoniam Hiſpani pedites, à Nauarro in depreſſum locum ſecundum fluminis aggerem reducti, eiusque iuſſu humi ſtrati, percuti non poterant: Fabritius Columna clara voce clamabat, & crebris nuntijs proregem vrgebat, vt antequam tormentorum ictibus abſumerentur, in prælium prodiretur; ſed Nauarrus peruerſa ambitione ductus repugnabat: nam cum ſibi victoriam peditum Hiſpanorum virtute vel reliquis omnibus extinctis promitteret, eo magis gloriam ſuam augeri exiſtimabat, quo magis reliqui exercitus detrimenta augerentur: verùm iam tantam ſtragem grauis leuisque armatura à tormentorum fulminibus acceperat, vt ferri amplius non poſſet, & miſerando ſpectaculo horrendis clamoribus permixto nunc equites, nunc equi mortui corruere, nunc capita, & brachia à reliquo corpore auulſa per aërem volitare cernebantur: quare Fabritius exclamans, eſtne nobis omnibus vnius Marrani pertinacia & peruerſitate turpiter moriendum? eſt hic exercitus penitùs nullo ex hoſtibus à nobis cæſo perdendus? vbi ſunt tot noſtra aduerſus Gallos trophea? an Hiſpaniæ Italiæque decus vnius Nauarri gratia inte-

rire debet? & hæc dicens, nihil proregis vel ſignum vel imperium moratus, ſuos equites vltra foſſam impulit, quem cum reliquus equitatus ſequeretur, Nauarrus peditibus ſuis ſignum dare coactus fuit: qui magna ferocitate erecti, cum Germanis peditibus, qui iam ipſis appropinquauerant congreſſi ſunt: ſic omnibus agminibus permixtis, ingens prælium cæptũ eſt; & proculdubio ex maximis quæ à multis annis Italia viderit: nam & Tarenſis pugna, vix aliud fuit quàm validus equitum concurſus, & regni neapolitani prælia, potius ordinum perturbationes aut temeraria conſilia quàm pugnæ; & ad Giaradaddam, minima Veneti modò exercitus pars pugnauerat; hic verò in planitie abſq; aquarum aut munitionum impedimento omnes permixti, duo exercitus, animis vel ad victoriam vel ad mortem obſtinatis, pugnabant, nõ modò periculo, gloria & ſpe, verùm etiam gentium mutuo odio accenſi: In Germanorũ peditum cum Hiſpanis congreſſu, duo magni nominis duces memorabile ſpectaculum præbuerunt, Iacobus Emſer Germanus, & Zamudius Hiſpanus, qui extra acies progreſſi, quaſi prouocatione, dimicarunt: quo in certamine Hiſpanus hoſte interfecto extitit victor, fœderatorũ equitatus Gallico equitatui pars prorſus non erat; & tormentis eo die ita fuerat concuſſus & diſcerptus, vt longè inferior factus eſſet: idcirco cum aliquandiu potius animi virtute quàm corporis viribus hoſtium impetũ ſuſtinuiſſent, & ſuo Allegrius cum poſtremo agmine, & mille peditibus qui ad Montonem relicti fuerant, à Palicia eſſet accerſitus, in eorum latus impetum feciſſet; iamq; à Ferrarienſis militibus Fabritius Columna egregiè pugnans captus eſſet; nec iam ſuſtinere poſſent, ducũ quoq; exemplo edocti terga verterunt: quoniam prorex Caruaiallus, ſuorũ militum virtutis extremo periculo minimè facto, in fugam ſe coniecerunt, tertium agmẽ penè integrũ abducentes; cum quibus & Antonius Lena, vir tunc humilis ſtatus, ſed qui pòſt per multos annos, omnibus militiæ gradibus exercitatus, clariſſimus imperator euaſit: Iam omnes leuis armaturæ equites fuſi, & Piſcarius illorum dux, ſanguine ac vulneribus madens captus erat: captus etiam Paludis regulus, qui per campum foſſis rubisque refertum, magna ordinum perturbatione ſecundum agmen in pugnam deduxerat: iamque tellus equis, virisque cæſis erat cooperta: & tamen Hiſpanicus peditatus, ab equitibus deſertus incredibili ferocitate pugnabat: qui quamuis primo cum Germanis concurſu à firmis haſtarum ordinibus aliquantum repulſus fuiſſet, tamen pòſt cum ad enſium longitudinem illis appropinquaſſent, & multi Hiſpanorum clipeis protecti, inter Germanorũ crura pugionibus ſubijſſent, ingenti cæde facta iam penè ad medium agmen peruenerant: apud quos Vaſcones pedites, via inter fluuium & aggerem occupata, Italos inuaſerant; qui etſi magnã ex tormentis cladẽ acceperant, tamen ſumma cum laude illos repuliſſent, niſi cum equitum ala Allegrius maiori virtute quàm fortuna impetũ in eos feciſſet; nã cũ illicò fere Viuerroem filium ante oculos ſuos interfectum cerneret, ne tanto dolori ſuperſtes eſſet, equo in confertiſſimã hoſtium turbam immiſſo, vt fortiſſimũ ducem decebat pugnans, multis iã cæſis interfectus fuit. Itali pedites cum tantã multitudinẽ ſuſtinere nõ poſſent, inclinabant, cum pars Hiſpanorum illis auxilio accurrens, eos in pugna retinuit: & Germani pedites, ab altera Hiſpanorum parte oppreſſi, vix amplius cõſiſtere poterãt; verùm omni equitatu iam in fugã conuerſo, Foiſſeius ſe in eos magna eum equitũ multitudine infeſtus immiſit: quare Hiſpani potius recedentes, quàm acie pulſi, nulla in parte ordinibus perturbatis, viam quæ eſt inter fluuium & aggerem ingreſſi, æquis paſſibus incedentes, fronte denſata, ideoque eius robore Gallos repellentes diſcedere cæperunt: quo tempore Nauarrus mortis potius quàm ſalutis cupidus, eamque ob cauſſam prælio non decedens, captus fuit; ſed Foiſſeius cum Hiſpanicum peditatum victori ſimilẽ, integris ordinibus incolumen abire ferre nõ poſſet; & victoriam niſi iſtis quemadmodũ & reliquis fuſis minimè perfectam eſſe animaduerteret, cum equitum agmine poſtremos magno furore adortus eſt; à quibus extemplo circumuentus, equoq; deiectus, ſeu vt nonnulli aiunt, dum pugnaret equi lapſu oppreſſus, haſta in latus adacta interfectus eſt: quod ſi, vt creditur, ijs qui ad ſummũ felicitatis gradum peruenere mors eſt optãda, huius profecto mors tam glorioſa parta victoria fortunatiſſima fuit. Interijt admodũ iuuenis, iam apud omnes mortales famã adeptus immortalem, quòd vix trium menſiũ ex pleto curriculo, prius imperator penè, quã miles, incredibili celeritate ferocitateq; tot victo-

victorias esset consecutus. Lautreccius viginti vulneribus saucius penè exanimis prope eum iacuit: qui pòst Ferrariam perductus, diligenti medicorum cura seruatus est. Propter Foissei obitum Hispani pedites sine molestia abire sunt permissi; reliquus exercitus iam dissipatus fugatusque erat, impedimenta capta, signa item & tormenta; captus Pontificis legatus, qui ex Epyroatrum manibus, in Federici Bozzolensis potestatem translatus, ab ipso Concilij legato fuit traditus: capti Fabritius Columna, Nauarrus; Paludensis item & Bitontinus & Piscarius marchiones, multique alij principes, nobilium primores, & clari nobiles Hispani, & neapolitani. Nihil in pugnis desideratorũ numero incertius: tamen in multorum varietate pleriq; asserunt, ex vtroque exercitu, vt minimum, decẽ millia cecidisse: nimirũ tertiam partem Gallorũ, reliquam hostium: alij plures cecidisse aiunt: sed proculdubio cõmuni Martis more fortissimos & præstantissimos quosq; inter quos ex pontificijs fuit Raphel Paccius clari nominis dux, & innumẽri vulnerati. Verùm in hac parte citra controuersiam longè maior fuit victoris iactura; propter Foissei, Allegrij, multorumq; ex Gallica nobilitate virorum, & Iacobi, aliorumque ex Germanico peditatu fortissimorum ducum interitum: cuius virtuti, cum multo sanguine empta victoria magna ex parte tribuebatur; multi quoq; vnà cum Molardo Vasconum & Belgarum duces cecidere; quæ gentis eo die apud Francos omnem gloriam amiserunt: sed omnẽ iacturam Foissei mors superauit, cum quo illius exercitus neruus & ferocitas penitùs extincta est. eorũ qui victi ex pugna euasere, maior pars Cesenã versus fuga cõtendit, & inde ad remotiora loca: nec prorex antequam Anconẽ peruenisset vsquam substitit, in quem locum cum paucissimis equitibus peruenit: multi in fuga spoliati & cæsi fuere; quoniam agrestes homines omnes vias percurrebant; & Vrbinatium dux, qui cum ante multos dies Balthassarẽ Castellioneũ ad Gallię regẽ misisset; & proprios homines apud Foisseium haberet, clàm contra patruũ conspirasse credebatur: nõ modò regionis homines in fugientes cõcitauit, sed milites qui in Pisaurensi agro idẽ facerent misit: illi soli qui per Florentinorũ loca fugerunt, ministrorum deinde reip. iussu incolumes euasere. Victore exercitu in sua castra reuerso, Rauennates statim ad deditionem faciendã miserunt: sed seu dum paciscuntur, seu iã pacti cõmeatũ qui in castra mitteretur instruunt, mœnium custodiendorũ diligentia intermissa, Germani & Vascones per muri ruinam vrbem ingressi, præter naturale in Italicum nomẽ odium, cladis quoq; in pugna acceptæ indignatione, ad maiorẽ crudelitatẽ incitati crudelissimè vastarunt. Quarto pòst die Marcus Antonius Columna, Citadella, in quã confugerat re & hominb. saluis, tradita, abire permissus: ea tamen lege, vt nec ipse, nec qui cũ eo erant duces, ante proximum Mariæmagdalenæ sacrum diem, nec in regẽ Galliæ, nec in concilium Pisanum arma sumerent: & paulo pòst Vitellius episcopus, cum centum quinquaginta peditibus arci prępositus, eadẽ illi facultate concessa, deditionem fecit. Victoriæ fortunam omnes vrbes, Imola, Forumliuij, Cesena, Ariminum, omnesq; Galliæ togatæ arces, præter Imolensem & Foroliuiensem sequutæ sunt: quæ omnes à legato concilij Pisani nomine acceptæ fuere. At Gallicus exercitus, Foissei morte, tantaq; clade accepta veluti attonitus relictus, quatuor prope Rauennam milliaribus ociosus morabatur: & legatus atq; Palicia, ad quos, quia Alfonsus Estensis iam Ferrariam redierat, imperium delatum erat, de regis voluntate incerti, eius mandata expectabãt: cum neq; apud milites tantæ autoritatis essent, quæ ad exercitum, direptis rebus partiendis, vel in tuta loca mittendis implicatum, mouendum esset idonea; & victoria tanto sanguine parta, ita viribus & animo deiecti, vt victis quàm victoribus similiores essent: quare omnes milites querelis & lacrymis Foissei nomẽ implorabant; quem nulla re impediti, vel territi quocunq; terrarum secuti essent; nec dubitabatur quin ille ferocitatis suæ impetu, & promissis vt ferebatur à rege factis, sibi regnum neapolitanum caperet, tractus, statim pòst victoriam consueta celeritate Romam cursu petiturus fuisset; & pontificem cum ceteris nulla alia salutis spe relicta, præcipites fugæ se daturos. Decimatertia Aprilis die, Romam de pugna, ab Octauiano Fregosio, qui mutatis equis à Forosempronij aduolauit, nuntiatum: quæ res ingenti totius curiæ metu ac tumultu accepta fuit: quamobrẽ cardinales statim ad pontificem accurrentes, summis precibus instabant, vt accepta pace, quàm ab rege Galliæ satis honestã impetrari posse nõ dubitabant, tandem sacrosanctam sedem, seq; à

tantis periculis liberaret: satis pro Rom. ecclesiæ maiestate,proq; Italiæ libertate laborasse;magnamq; gloriam isto suo sancto proposito cõparasse;in tam pio munere,diuinũ numen, quemadmodum tot signis ostensum fuerat,ei aduersum extitisse,cui qui se opponere vellet,nihil aliud facere,quàm ecclesiã vniuersam in extremam ruinam conijcere:ad Deũ magis quàm ad ipsum sponsæ suæ curã spectare:idcirco Dei voluntati omnia cõmitteret;atq; ex euangelij prẽcepto pacẽ amplexus,suam senectutẽ, ecclesiæ statum, atq; aulam suam totã,quẽ nihil aliud quàm pacẽ exoptaret,aut inclamaret, tot molestijs tandẽ liberaret; victores iam Romã versus mouisse,credibile esse, quibus ipsius nepos coniunctus foret; adiuncturos se pariter Rubertum Vrsinum,Pompeium Columnam, Antimũ Sabellum,Petrum Marganum,& Rentium Mancinũ(hos ab rege Galliæ acceptа pecunia, iam ante prælium ad Romam infestandam se cõparare constabat) quibus periculis quodnám aliud remediũ supereſſe quàm pacẽ?ab altera parte Aragonię regis & veneti Senatus legati in contrarium vehementer nitebãtur: res nõ adeò atflictas,nec ita ad extremum redactas persuadere satagẽtes;nec exercitũ adeò dissipatum,quin breuissimo tempore,ac non graui sumptu reparari posset:illud certò constare,proregẽ cum maxima equitatus parte euasisse; hispanicum peditatum,simul collectum integris ordinibus è pugna recessisse; qui si vt verisimile erat, incolumes essent,omnem aliam iacturam parui esse momenti; nec Gallos tam citò Romam venire posse, vt tempus ad se comparandum non haberet, esse metuendum: propterea quòd cum Imperatoris obitum, multas perturbationes,multaq; mala coniuncta esse oporteret:Heluetiorum præterea metum illos suspensos habiturum,quos pro fœdere apertè facturos,& Insubriam descensuros non esset amplius dubitandum; nec pacem à Galliæ rege nisi iniquissimis atque ignominiosis legibus sperari posse; atque etiam à Bernardini Caruaialli superbia, & Federici Sanseuerinatis insolentia leges accipiendas fore:ideo reliqua omnia magis probanda, quàm tanta indignitate, tantaque cum infamia in acerbissimam infidissimamque seruitutem se conijcere: seditiosos illos nunquam ipsius dignitatem & vtam persequi desituros: malorum illud minimum esse, si secus fieri non posset,Romam deserere,& cum tota aula, aut in regnum neapolitanum,aut Venetias se transferre,vbi eadem cum securitate, eodem honore, eadem magnitudine versaretur: neque enim Romanæ vrbis iactura pontificatum semper quouis loco pontificis personæ annexum amitti: retineret modò consuetam constantiam animiq; altitudinem: Deum optimum maximum qui mentes hominum perspicit, ipsius sanctissimæ menti non esse defuturum; nec Petri nauiculam marinis fluctibus vexari,sed nunquam submergi assuetam,deserturum: christianos præterea principes, religionis amore, & nimiæ Galliæ regis potentiæ timore concitatos,totis viribus & proprijs corporibus ipsius defensionem suscepturos. Quæ pontifex summa ambiguitate atq; animi suspensione audiebat:atque ita vt in eo hinc odium,indignationẽ, pertinanciã vinci flectiúe minimè assuetam,illinc periculum & metum conflictari facilè animaduerti posset; & ex responsis legatis datis, non tam illi Romam deserere, quàm in nullum locum vbi in aliorũ non esset potestate se non posse transferre,molestum esse, perspiciebatur. Idcirco cardinalibus se pacem velle respondebat, Florentinos vt apud Galliæ regem de pace agerent appellari assensus;nec tamen eo modo, vel ita apertis verbis,quæ animi sui plenam fidem facerent,respondebat:à ciuitate veteri,Biasciam Genuensem triremium suarum præfectum accersierat;ex quo illũ Roma discedere in animo habere interpretabantur;& paulo pòst eundem remiserat: de Romanorum proceribus, qui cum alijs non conspirassent,stipendio conducendis agebat: duorũ legatorum cohortationes libenter audiebat;sed ita vt plerunque verbis contumelioſis & indignatione plenis responderet. Interea venit Iulius Medices eques Rhodius,qui pòst Pontifex fuit,quem cardinalis Mediceus,à Sanseuerinati cardinale accepta facultate,sui in tanta calamitate cõmendandi specie,re autẽ vera vt rerum statũ edoceret,ex castris mittebat:à quo quã Galli debilitati essent penitùs, edoctus,quot ducib.orbati,quot fortes viros amisissent,quot per multos dies vulneribus acceptis inutiles essent futuri, innumeros equos occisos, partẽ exercitus in varia loca Rauennensis prędæ causſa dissipatam:duces dubios & de regia voluntate incertos,neq; admodum inter se cõcordes,quòd Palicia,Sanseuerinatis,qui & legati & ducis munere

fungi

fungi volebat,insolentiam ferre recusaret:obscuras de Heluetiorum aduentu voces audiri; neq; illum exercitũ se citò moturum,aliquo signo perspici: qua re magnopere Pontifex confirmatus, illum in Cardinalium senatum itroductum eadem coram purpuratis exponere iussit: huc accessit, quòd Vrbinatium dux,quæcunq; illum caussa impulerit,mutato consilio, ducentos grauis armaturæ equites,& quater mille pedites ei oblatum misit. Cardinales nihilominus in eo ad pacem cohortando persistebant;à qua etsi verbis non se alienum ostenderet,eam tamen nisi velut extremum remedium accipere decreuerat:imò etiamsi præsenti malo,præsens medicina non ostenderetur,Roma profugere,modò ne caussam suam principum armis defensum iri, prorsus esset desperandum;ac præsertim si Heluetij mouerentur malebat; qui vt se ad eius nutum paratos esse ostenderent,aliquot dies antè,Galliæ regis legatos,ad eum locum ad quem,vt de Pontificis postulatis deliberarent,singularum ciuitatum legati conueniebant,ire vetuerant. In hoc rerum statu aliqua spes pacis affulsit;quoniam rex Galliæ antequam prælium cõmitteretur,tot periculis, quæ ex tot partibus imminebant admonitus,& Cæsaris varietate legibusq; duris quas proponebat,commotus,ideoq; tandem in multis potius pontificis voluntati cedere,Fabritium Carrectum Cardinalis Finariensis fratrem, clàm ad Nannetensem & Strigonienſem cardinales, qui pacis colloquia nunquam penitùs abiecerant, miserat; proponens vt Bononia pontifici restitueretur, Alfonsus Atestinus, Lugum & omnia reliqua oppida quæ in Aemilia possidebat,traderet, antiquo se censui obstringeret;nec sal amplius in eius oppidis fieret; cõcilium extingueretur assensurum; se vicissim nihil à Pontifice præter pacem poscere: Alfonsus censuris eximeretur, & in pristina iura ac priuilegia postliminio rediret: Bentiuolis,qui exules essent,propria bona conseruarentur: Cardinalibus atq; Antistitibus qui concilio ad hæsissent, dignitates restituerentur: quæ capita quamuis duo Cardinales metuerent,ne parta victoria à rege rata haberentur, aliter proponere non sunt ausi; nec Pontifex,cum sibi tam decora essent, nec dum occultum illud consilium quod in animo gerebat patefacere vellet, ea recusari ab rege posse censuit;imò fortasse vtilius esse his colloquijs regia arma suspendere, vt plus temporis ad eorum, in quibus reliquas spes suas collocauerat,progressus perspiciendos haberet. Quare cunctis Cardinalibus idem vrgentibus, nono post pugnam die his capitibus subscripsit;fide cardinalibus se si rex confirmaret ea accepturum obstricta; & ad Finariensem Cardinalẽ qui in Gallia, sed remotus ab aula ne pontificẽ læderet,degebat,& ad Tiburtinum Episcopũ, qui Auenione legati locũ obtinebat,literis mandauit,ad regem se de hisce rebus transferrent:sed neq; solemne mandatum,nec conficiendi facultatem misit. Huc vsque progressum habuere Pontificis mala;ad hunc vsque diem ipsius calamitatum cumulus peruenit; sed ab eo die,semper ei maiores spes affulsere; & fortuna absq; vllo fræno,ad illius magnitudinem conuerti cœpit.Huic tantæ mutationi Paliciæ ex Aemilia discessus initium dedit,qui à Normaniæ Questore, ob Heluetiorum aduentus crescentem rumorem reuocatus, trecentis cataphractis, totidẽ leuis armaturæ equitibus, & sex millibus peditum,cum octo magnis tormentis,sub concilij legati imperio in Aemilia relictis,Mediolanum versus cum reliquis copijs contendit.Heluetiorum aduentus metum augebat,quod idem Normaniæ Questor, potius regis gratiam promereri, quàm vtilitatem procurare cupiens, contra quam res præsentes postulabant,statim parta victoria, Italos pedites,& partem Gallorum imprudenter dimiserat.Paliciæ discessus pontificem eo metu quo magis præmebatur liberauit,in pertinacia cõfirmauit, & Romanas res confirmandi facultatem dedit:propter quas aliquot nobilitatis principes, cum trecentis grauis armaturæ equitibus conduxerat;& Prosperum Columnam omnibus copijs suis præficere meditabatur: quoniam eorum qui res nouas moliebantur animis fractis,Pompeius Columna,qui se Montefortini coparabat, Prospero deprecante, ad pontificis cautionem pecunia quam à rege acceperat turpiter retenta,Montemfortinum in M.Antonij Columnæ potestatem daturum recepit. Quo exemplo & Rubertus Vrsinus, qui ante Pitiliano in Columniorum loca vt arma mouerat venerat, eodem modo regia pecunia retenta,paulo post Iulij Vrsini opera,Rhegij in Calabria Archiepiscopatu, perfidiæ præmium, à Pontifice accepto,conuenit. Vnum Petrum Marganum acceptam pecuniam retinere puduit, honestiore feliciore que con-

filio: quoniam nõ multo pòst, ab istius regis successore in bello captus debito supplicio fraudis pœnas dedisset. Quibus rebus pontificis animo admodum confirmato, extero rum domesticorumq; hostium præsenti timore sublato, tertia Maij solenni ritu in Basilica Ioannis Lateranensis concilium auspicatus est: iam certus non modò maximam Italiæ partem, sed & Hispaniam, Angliam, & Vngariam conuenturas; cuius auspicijs ipse met pontificio ornatu, cardinalium collegio, & magna episcoporum multitudine comitante interfuit: vbi præter multas alias preces, ex antiquo more Spiritui sancto sacris celebratis, & patribus publica oratione, vt toto corde publicum bonum & christianæ religionis dignitatem tueri ac promouere curarent cohortatis, vt cæterarum rerum quæ in posterum statuendæ essent fundamenta iacerentur, concilium id verum, legitimum, & sanctum, in eoq; proculdubio vniuersæ Ecclesię omnem autoritatem potestatemque positam esse promulgatum fuit: pulcherrimæ proculdubio sanctissimæque ceremonię, quæque humanorum pectorum intima penetrare deberent, si tales cogitationes finesque harum rerum autoribus propositi esse, qualia sunt verba, crederentur. His artibus post Rauennensem pugnam vtebatur Pontifex. At rex Galliæ, quamuis Foissei sibi longè carissimi interitus, victoriæ lætitiam nonnihil perturbaret, statim legatum & Paliciam exercitum Romam ducere imperauit: tamen primo ardore remisso, toto animo ad pacis desiderium redire cæpit; quod nimis grauem tempestatem, & nimis ex multis partibus rebus suis imminere iudicaret: nam etsi Cæsar se in fœdere permansurum promittere non desineret, & inducias cum Venetis suo nomine pactas absque suo consensu fuisse, nec se eas probaturum assereret, nihilominus rex, præter illius inconstantiæ metum, tum quòd has res simulata mente dici suspicabatur, ob leges quas proponebat, socium in bello grauem, & in pace detrimentosum habere videbatur: illius enim interuentu se ad indigniores leges admittendas adactum iri metuebat: præterea quin Heluetij cum hostibus essent facturi iam nihil dubitabat; & ab Angliæ rege certum bellum expectabat: quoniam rex ille fecialem, qui omnia fœdera rupta esse denunciaret, miserat: quòd in omnibus, ne cum ecclesia aut Catholico rege socero suo bellum gereret, contineretur. Itaque rex summa voluptate, Florentinos vt de pace agerent interpellatos fuisse cognito, statim Gratianopolitanum præsidem cum amplissimis mandatis, vt ex propinquiore loco ageret, &, si ita res ferret, Romam ire posset, Florentiam misit: deinde ex capitum subscriptione, maiore, vt videbatur, Pontificis propensione cognita, penitùs ad pacem inclinauit; quamuis metuens ne exercitus discessu ad consuetam pertinaciam rediret, Paliciam qui iam Parmam peruenerat, cum copiarum parte in Aemiliam redire, & vlterius progredi velle rumores spargere iusserit. Bononiam concedere, non tam Cæsarianorum contrarijs suasionibus, quàm quòd etiam pace inita, eundem in se pontificis animum futurum metuebat, graue illi videbatur. Et ideò Bononia, quæ Mediolanensem ducatum tanquam propugnaculum tueretur, priuari sibi periculosum esse, præterea cum Finarienſis cardinalis, & Tiburtinus episcopus, sine mandato ad peragendum venissent, verisimile signum videbatur, pontificem tunc, velut tot angustijs periculisque circumuallatum, simulatè consensisse: tamen eas leges accipere tandem decreuit cum nonnullis adiunctionibus, quæ tamen non tales erant, vt præcipua capita turbarent, cum quo responso is qui Tiburtino episcopo ab epistolis erat Romam contendit, regis nomine à pontifice petens, vt vel episcopo & cardinali transigendi potestatem mitteret; vel Gratianopolitanum præsidem, qui eius rei amplissimam autoritatem habebat, Florentia aduocaret. Angliæ regis mandatum allatum erat, quo iam Nouembri mense confecto, Eboracensi cardinali fœderis potestatem dabat, propter longum maris circuitum (ante enim in Hispania fuerat) tandiu immoratum: & Cæsar demùm post longas dubitationes, inducias cum Venetis approbauerat, Mediolanensis imperij ac Burgundiæ obtinendi à Catholico & Angliæ regibus spe facta accensus. Pontificis quoq; spem Aragoniæ regis promissa non mediocriter confirmarunt; qui de pugnæ successu primùm Galliæ regis literis ad reginam scriptis, quibus Gastonem Foisseium fratrem suum cum summa gloria in victoria aduersus hostes cecidisse significabat, certior factus, deinde suisùs suorũmet nuntijs, qui ob maris difficultatem sero perferebantur, cum neapolitanum regnum in gra-

in graui periculo verſari cenſeret, Magnum Conſaluum, cum nouarum copiarũ ſupplemento in Italiam mittere ſtatuerat: ad hunc enim aliorum inopia confugiebat: nam etſi illum ſpecie in honore haberet, ob res in regno neapolitano geſtas parum illi gratus, & propter potentiam autoritatemq; ſuſpectus erat. Itaq; quum Tiburtini epiſcopi ab epiſtolis miniſter, ad pontificem tot rebus confirmatum, cum pacis legibus peruenit, etiam exceptiones à rege ad Bononiæ tutelæ deſertæ infamiam moderandam additas, ipſius voluntati permiſſum iri ſpe data, cum penitùs abnuere decreuiſſet, ſed ſubſcriptionis ſuæ, & fidei collegio datæ, habita ratione, contrarium ſimulans, quemadmodum contra ſinceritatis ſuæ famam aliquando ſolebat, capita in purpuratorum ſenatu, quaſi conſilium peteret, legi iuſſit: poſt quæ verba cardinalis Arborenſis Hiſpanus, & Eboracenſis (ſic prius clam cum illo conuenerant) alter Aragoniæ, alter Angliæ regis nomine loquutus, Pontificem vt in conſtantia permaneret, nec pontificatus cauſſam quam tanta cum dignitate amplexus erat deſereret, hortati ſunt: præſertim, neceſſitatibus, quæ vt ijs conſilijs aures adhiberet impulerant, ſublatis; cumque Deum qui aliqua de cauſſa nobis incognita, nauiculam ſuam fluctibus agitari permiſerat, illam ſubmergi nolle apertè conſpiceretur; neque pacem ſibi peculiarem inire, vel ſi communis eſſet futura, ſine reliquorum fœderatorum conſenſu tractare, honeſtum æquumúe eſſe: ad extremum monentes, diligenter expenderet, quantum ſacroſanctæ ſedi, ſibique poſſet afferre detrimentum, à veris fidisque amicis, vt reconciliatis hoſtibus adhæreret, alienari. His conſilijs pontifex ſe perſuaſum oſtendens, concordiam apertè recuſauit; & intra paucos dies impetu ſuo vſus, in ſenatu, monitum ad regem Galliæ, ni pœnas ſacris pontificum legibus conſtitutas ſubire vellet, Mediceum cardinalem dimitteret pronunciauit, quamuis promulgationem differri conceſſerit; quoniam purpuratorum Senatus, quantum poſſet ſeueriſſima remedia differret rogans, literis communi omnium nomine datis, quibus eum hortarentur & ſupplices rogarent, vt quemadmodum Chriſtianiſſimum principem deceret, illum liberaret, ſe idem effecturos polliciti ſunt. Cardinalis Mediceus Mediolanũ ductus fuerat, vbi honeſtè cuſtodiebatur; & tamen quamuis in aliorum poteſtate eſſet, in ipſius perſona pontificiæ Sedis autoritas & religionis reuerentia elucebant: & ſimul Piſani concilij contemptus, cuius cauſſam animo & fide deſerebant, non modò reliqui, verùm etiam illi ipſi, qui & armis & fauore id erant proſecuti: nam cum pontifex illi facultatem miſiſſet, qua poſſet milites, qui ſe non amplius aduerſus pontificatum armis ituros pollicerentur, à cenſuris eximere, & omnibus defunctis, pro quibus peterentur, ſacra loca ad ſepeliendum concedere, incredibilis erat concurſus, miraque religio, qua hæc & petebantur & promittebantur, regijs miniſtris minimè repugnantibus, ſed cardinalibus grauiſſimè indignantibus: quòd ante ipſorum oculos, in eo ipſo loco vbi ſedes Concilij eſſet, regij homines & milites contra ipſius dignitatem vtilitatemque in ipſius oppidis, concilij autoritate penitùs contempta, Eccleſiæ romanæ adhærerent: captiuum Cardinalem, velut pontificium legatum ſumma veneratione proſequentes. Propter inducias à Cæſare comprobatas, quamuis ab eius procuratoribus, qui Veronæ erant, negaretur, rex partem copiarũ quas in eius ciuitatis præſidio habebat, quaſi nõ amplius eſſent neceſſariæ, reuocauit: & quoniã ducentis nobilibus, & ſuæ cuſtodiæ Hippotoxotis, cum ducentis alijs cataphractis propter Angliæ regis minas, ab ſe in Galliam reuocatis, in Inſubria Heluetiorũ metu augeſcente, maiori præſidio opus eſſe cognoſcebat: eã ob cauſſam Florentinos trecẽtos grauis armaturæ equites in Inſubriam, quemadmodum ab ipſius in Italia regnorum defenſionem ex fœdere tenebantur, mittere compulerat: quod fœdus quia intra duos menſes finem erat habiturum, victoriæ exiſtimatione adhuc recenti, illos ad fœdus denuò in quinquennium renouandum adegit, ſexcentis cataphractis ad illorum imperij defenſionem promiſſis; & Florentini viciſſim ad eorum omnium quæ in Italia poſſideret tutelam, quadringentos grauis armaturæ equites darent: quamuis ad omnem bello ſe cum pontifice implicandi occaſionem vitandam, ab vniuerſali defenſionis obligatione, Cotiniolam, quaſi pontificatus aliquod ius habere poſſet, eximerent. Sed iam regijs rebus grauiſſima pericula imminebant, quoniam Heluetij tandem ſex millia peditum ad pontificis ſtipendia mittere decreuerant: quos hoc nomine petierat, vt eorum

opera contra Ferrarienſem vteretur; cum qui Galliæ regis partes ſuſtentabant, nihil aliud quàm eius rei dilationem ad eum vſq; diem efficere potuiſſent: contra quos, in comitijs multitudo, miro odio in Gallicum nomen accenſa, magno furore vociferabatur, regem ingratum eorum ſtipendijs, quorum virtute & ſanguine, tantam exiſtimationẽ, tantumq; imperium ſibi peperiſſet, paruam ſummam addere recuſaſſe minimè contentum, ſed inſuper contumelioſis verbis ipſorum ignobilitatem contempſiſſe; quaſi non omnium hominum ab initio vna fuiſſet origo, vnusq; ortus, & quaſi qui nunc ſunt nobiles & magni, ſuos maiores non aliquando, inopes, obſcuros, atq; humiles habuerint. Germanos, vt ipſorum operam non amplius ſibi neceſſariam oſtenderet, ad ſtipendia ſua conducere cæpiſſe: ipſos ſuo ſtipendio priuatos, vt fame abſummantur in illis montibus, ocioſè laturos, perſuaſus. Itaq; cunctis mortalibus oſtendendum illius conſilia vana, falſas opiniones, ingratum animum ipſi ſoli pernicioſã fuiſſe, nec militares viros vlla difficultate quominus virtutem declarent ſuam retineri poſſe; ac denique aurum ac pecunias ijs qui ferrum & arma haberent ſeruire: eſſe præterea ſemel toti terrarum orbi declarandum, quàm imprudenter loqueretur, qui Heluetiæ genti Germanos pedites anteferret. Hoc ardore ita efferebantur, vt tanquam popriam cauſſam agentes, vno tantũ Rhenenſi aureo ſingulis dato, domo diſcederent: cum prius ſoliti eſſent regijs ſtipendijs nõ moueri, niſi peditibus multa ſtipendia promitterentur, & duces multis muneribus afficerentur. Curiam, quæ eſt Rhetorum præcipua ciuitas, conueniebant: Rheti verò Galliæ regis fœderati, à quo perpetuas penſiones accipiebant, ad regem qui excuſarent miſerant: quod antiquis fœderibus, quæ cum ſuperioribus Heluetiorum ciuitatibus habebant, quin cẽtum peditum numerum cum illis mitterent negare minimè poſſent. Hic motus Gallorum animos, quorum vires valde imminutæ erant, vehementer perturbabat: nam Italis peditibus à Normaniæ Quęſtore dimiſſis, non plures quàm decem millia peditum habebant: & grauis armaturæ equitibus, à rege in Galliam reuocatis, haud plures quàm mille trecenti cataphracti relinquebantur; ex quibus trecenti Parmæ erant: & tamen Normaniæ Quęſtor, magis ærarij præfecti, quàm viri militaris officio functus, nouos pedites ſine regio mandato conſcribi non permittebat, ſed copias, quæ vt Paliciæ duce in Aemiliam tranſirent, iam Fnale peruenerant, redire iuſſerat: & Sanſeuerinatem Cardinalem cum ijs quæ in Aemilia erant, idem facere mandarat, quorum diſceſſu Ariminum atq; Ceſena cum arcibus, & ſimul Rauenna ſine difficultate ad pontificis imperium rediere: cumq; Galli Inſubriã milite ſpoliare nollent, Bononia, pro cuius defenſione tot moleſtias tulerant, tanquam deſerta in periculo relinquebatur. Heluetij quamprimùm cõuenere, Curia Tridentum à Cęſare per illius imperium itineris faciendi accepta poteſtate, profecti ſunt; qui ſua conſilia, quo ad eius fieri poſſet, Galliæ regem cælare conatus, ſe fœdere quod cum illis habebat, iter denegare non poſſe aiebat. Tridento in Veronenſem agrum deſcenderunt; vbi à Venetorum (qui vnà cum Pontifice ad illorum ſtipendia perſoluenda concurrebant) exercitu expectabantur: & quamuis non tanta adeſſet pæcuniæ ſumma, vt omnibus ſtipendia perſolui poſſent; quoniam præter illa ſena millia poſtulata, multi præterea acceſſerant, tam ardens erat multitudinis in Galliæ regem odium, vt contra ipſorum morem omnes difficultates patienter ferrent. Ab altera parte Palicia, quòd eo itinere in Italiam deſcenſuros crederet, prius ad Pontemolium vt eos itinere prohiberet, cum exercitu venerat: pòſt cum aliud illos in animo habere animaduerteret, ad Caſtilionem Striuerium, quod oppidum ſex à Piſcheria milliaribus abeſt conſtiterat, incertus quænam eſſent Heluetiorum conſilia; Ferrariámne verſus, vt ferebatur, an in Mediolanenſem agrum eſſent venturi: quæ dubitatio fortaſſe mala quę poſt ſecuta ſunt, accelerauit: quia nõ dubitabatur, quin Ferrarienſem agrum verſus iter ſequuturi fuiſſent, niſi Gallorum aduerſa ſorte, literæ à Venetorum Epyrotis interceptæ, ſententiam mutare ſuaſiſſent: quibus literis Palacia Normanię Quęſtori, qui Mediolani remanſerat, rerũ ſtatu ſignificato, ſi illi ſe verſus id imperium conuerterent, obſtare admodum difficile fore oſtendebat: ob quas literas, Cardinalis Sedunenſis, qui Venetijs venerat, & duces ſimul, ratione, quæ raro fallit, eam rem gerendam eſſe, quam hoſtibus moleſtiorem cognoſcebant, decreuerunt: idcirco Veronа Villafrancam ſe contulere, vbi cum Veneto exercitu coniuncti ſunt; in quo ſub Ioannis

nispauli Ballio his imperio erant quadringenti grauis, octingenti leuis armaturæ equites, & sex millia peditum, cum multis tormentis muralibus, & castrensibus: hæc fuit caussa cur Palicia Vallegio, quòd locus esset minimè munitus, relicto, Gambaram, vt ad Ponteuicum consisteret, se reciperet; cum non plus quàm septem millia peditum (reliqui enim Brixiam, Pischeriam, & Lineacum erant distributi) & mille cataphractos in exercitu haberet: nam etsi trecentos cataphractos qui Parmæ erant reuocare in animo habuisset, manifestissimo tamen Bononiæ periculo post multas Bentiuolorum preces, vt eam vrbem ferè sine præsidio relictam ingrederentur, mandare fuerat coactus: hic serò periculis & spei, qua decepti fuerãt, vanitate animaduersis, & supra omnia Normaniæ quæstoris auaritiam & peruersa consilia lacerantes, illum vt Federicum Bozolensem, & nonnullos alios Italos duces, quàm maxima celeritate possent, sex millia peditum comparare pateretur, coëgerunt: quod remedium haud citius quàm decem dierum spacio comparari poterat: & Gallicum exercitum præter paruum militum numerum eneruabat etiam inter duces dissensio; quoniam reliqui ferè indignabantur Paliciæ parere; & cataphracti tantis laboribus, tamque diuturnis molestijs fatigati, potius, vt in Galliam redire possent, Mediolanense imperium amitti, quàm tantis angustijs & periculis tueri cupiebant: statim post Paliciæ Vallegio discessum Venetorum copiæ cum Heluetijs ingressæ sunt; & deinde Mincio trasmisso, in agro Mantuano castra posuere, vbi marchio debilitatem excusans, omnibus iter concedebat. In his difficultatibus ducum sententia fuit, campestribus locis penitùs desertis, munitiora loca custodienda; non sine caussa tantum Heluetiorum numerum cunctando dissolutum iri sperantes: quoniam pontifex non minus ad sumptus frigidus, quàm ad bellum ardens, etiam tantarum copiarum stipendia se persoluere posse diffisus, admodum lentè pecunias mittebat; ideò duo millia peditum, centum quinquaginta cataphractos, & centum Florentinorum grauis armaturæ equites, Brixiæ collocarunt; Cremæ quinquaginta cataphractos & mille pedites, Bergomi mille pedites & centum Florentinos grauis armaturæ equites: reliquus exercitus, qui erat septingentorum cataphractorum, duorum millium Gallorũ peditum, & 4 millium Germanorũ, ad Ponteuicũ locum natura munitum, & Mediolano, Cremonæ, Brixiæ, ac Bergomo opportunum, vbi se facilè posse consistere sperabant se contulit: sed postero die à Cæsare ad Germanos pedites literæ cum mandatis, statim à Galliæ regis stipendijs discederent, allatæ sunt: qui cum penè omnes ex Tirolensi comitatu essent, neque in proprium principem contumaces haberi vellent, eodem die discesserunt: quorum discessu, Palacia & reliqui duces omnem Mediolanensis imperij defendendi spem amiserunt; idcirco statim Ponteuico Picighitonem se contulerunt: quare Cremonenses prorsus derelicti, fœderatorum exercitui, qui iam appropinquabat, vrbẽ suam dediderunt: Heluetijs quadraginta ducatorum millibus promissis: de qua vrbe cum disputatum esset cuius nomine esset accipienda, & Veneti sibi reddi postularent, tandem fœderis & Maximiliani, Ludouici Sfortiæ filij nomine, cui pontifex atq; Heluetij Mediolanense imperium acquiri volebant, accepta fuit, Gallis tamen arcem retinentibus. Per eos dies Bergomensis vrbs à Gallis alienata in fœderatorum potestatatem venerat: nam cum copias quæ ibi erant, Palicia, vt eas exercitui coniungeret, reuocasset, statim illis egressis, aliquot exules ingressi defectionis caussa fuerunt. Picighitone Palicia Abduam amnem traiecit; quo in loco ad eum accesserunt illi trecenti cataphracti, ad Bononiæ defensionem destinati, quos periculo aucto reuocauerat, etsi pedites quos conscribere statutum fuerat aduenissent, hic fluminis transitu hostem se posse prohibere sperabat: sed hoc consilium vt cetera, vanum apparebat: nam cum Normaniæ quæstor numerata pecunia careret, nec rationem inueniret, in tantis periculis fide penitùs amissa, qua regijs, vt solebat, vectigalibus addictis pecuniam explicaret, persolui stipendia nequibant: vbi quatuor dies ibi moratus esset, quamprimùm hostes tribus infra Picighitonem milliaribus fluuio appropinquarunt, ad Sanctangelum, vt sequenti diem Papiam contenderet, se recepit: itaque Mediolanensis imperij tuendi nulla spe relicta, iamque vniuersa regione planè rebellante, & tumultuante, Ioannesiacobus Triultius, Normaniæ quæstor, Antoniusmaria Palauici-

nus, Galeatius Vicecomes, cum multis alijs nobilibus, & omnibus regijs magistratibus & ministris, Mediolano, vt in Taurinos euaderent discesserunt: & aliquot dies antè, cardinales, quamuis in decretis quàm in alijs rebus ferociores, ferè eodem tempore, quasi abdicationem minantes pontifici omnem tam sacram quàm profanam pontificatus administrationem interdixissent, non minus tamen populos quàm hostes veriti, fugam rapuerunt. Hi tumultus Mediceo cardinali fatis ad summam felicitatem reseruato profuerunt: cum enim in Galliam duceretur, mane ad Padi transitum, qui è regione Bassinianæ est, quæ veteribus Augusta Bacienorum fuit, in ipso nauis ingressu, à nonnullis rusticis pagi qui Plebs Cairi dicitur, quorum caput fuit Rinaldus Zallus, cum quo aliqui cardinalis familiares, nocte apud eum hospitio excepti conuenerant, ex Gallorum qui eum custodiebant militum manibus ereptus fuit: qui perterriti, & ad quemuis leuissimum motum trepidantes, strepitu audito, fugæ quàm pugnæ studiosiores fuerunt. Palicia autẽ Papiam ingressus, ibi hærere constituebat; ideoq; Triultium & Normaniæ Quæstorem vt eò venirent postulabat; ad quem missus Triultius (sic Quæstor & reliqui proceres mandarant) consilij vanitatem ostendit: cum exercitus peditibus careret, tantæ ruinæ nulla ratione occurri posse; nec ob temporis exiguitatem nouos, nisi ex locis admodum longinquis, & summa difficultate milites euocari: quòd si nihil aliud obstaret, pecunias deficere; fidem vbiq; concidisse, amicos terrore plenos; populos diuturna militum immoderataque licentia auersos: his dictis Triultius, vt copijs commodum Padi transitum pararet, ad pontem, vbi amnis procul à Valentia Astam versus coarctatur, iaciendum profectus est. Sed iam fœderatorum exercitus, cui Laudensis ciuitas cum arce, quum Galli Abduam reliquerunt, deditionem fecerat, Santangelo Papiam propius accesserat; quò quamprimùm peruenerunt, Venetorum duces tormentis arcem petere cæperunt: & pars Heluetiorum nauibus fluuium, qui vrbi coniunctus est, traiecit: Galli autem veriti ne lapidei pontis, qui ad Ticinum est, per quem solum effugere poterant, aditum hostes impedirent, vt Papia exirent, pontem versus contenderunt: sed antequam nouissimum agmen, in quo ad equitum præsidium, postremi positi fuerant nonnulli Germani pedites, qui cum reliquis non abierant, egressum esset, Heluetij à Porta noua & arce iam deserta, illos pugnando per totam vrbis & pontis longitudinem Germanis peditibus præter ceteros egregiam operam nauantibus sunt persequuti: dum verò pontem Graualonis, qui ligneus erat, transirent, tabulis equorum pondere fractis, omnes Galli atque Germani, qui nondum transierant, vel capti vel cæsi fuere. Papienses se ad magnam pecuniæ summam numerandam obstrinxerunt: idem iam fecerant Mediolanenses ad longè maiorem; & præter Brixiam & Cremam omnes reliquę ciuitates idem æmulatione quadam faciebant: tota regione imperij nomen inclamabatur, sancti fœderis nomine, & recipiebatur, & administrabatur (hoc nomine de cõmuni consensu appellabatur) rerum summa Sedunensis cardinalis Pontificij legati, autoritati permissa: sed pecuniæ omnes q́ue mulctæ Heluetijs erant attributæ: illorum erant omnia emolumenta, omnes quæstus: quarum rerum fama, vniuersa natio statim, conuentu, qui Tiguri hanc ob caussam agebatur, commota, nouæ cohortes non paucæ ad priores accesserunt. In tanta rerum mutatione, & Placentini & Parmenses sponte suas vrbes pontifici dediderunt: quas veluti Rauennensis Exarchatus membra, ad pontificium imperium spectare asserebat. Heluetij Locarnum, & Rheti Vallemturenam, Clauennamq; loca ipsorum rebus valde opportuna occuparunt: & Ianus Fregosius in Venetorum exercitu dux, cum equitibus ac peditibus ab ipsis impetratis Genuam profectus, caussa fuit, vt Gallo præfecto fugiente ea ciuitas deficeret; cuius ciuitatis ipse dux creatus fuit, qua dignitate olim pater ipsius functus fuerat. Eodem fortunæ impetu omnes Aemiliæ Flaminiæque vrbes & arces sub pontificis imperium redierunt: & Vrbinatium duce Bononiam cum pontificijs copijs accedente, Bentiuoli omni spe destituti deseruerant: quos Pontifex acerbissimè persequutus, omnia loca, quæ in posterum illos acciperent, sacris interdixit: nec minore odio vrbem est persecutus, quòd tot beneficiorum oblita, tam ingratè defecisset; quòd in statuam suam multis probris insultassent; & nomẽ suum innumeris contumelijs, ludibrijsq; affecissent: quare nullos eis denuò magistratus dedit: nec

dit; nec ad vllam administrationis partem aditum permisit; per acerbos ministros, à multis ciuibus velut Bentiuolorum clientibus magnam pecuniam extorsit: quas ob res, seu vera seu falsa, fama fuit, nisi ipsius consilia morte fuissent præcisa, habuisse in animo illa vrbe vastata, incolas Centum transferre.

DECIMI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER VNDECIMVS.

Ferrariensium ducis cum Pontifice simulata pax: fœderis inter Aragoniæ regem, Venetos, & Iulium pontificem dissolutio: Mantuana comitia & leges in illis factæ: bellum ab Aragonij prorege Florentinis ob Mediceos in patriam restituendos illatum: Pratensis direptio: Petri Soderini expulsio: Mediceorum Florentiam reditus: Maximilianus Sfortia in paternum regnum Mediolani restitutus: Gallorum insignis ad Nouariam ab Heluetijs accepta clades: Iulij II obitus: Leonis X ad Pontificatum assumptio: Gallorum in Italiam Mediolanensis imperij recuperandi caussa aduentus: bella inter Cæsarem & Venetos: eorundem bellorum progressus: Venetorum in Vicetino agro clades.

IN Pontifice cum in rebus suis maximè aduersis summisq; periculis, insperato successu victoriam ex hostibus reportasset, pontificiumq; imperium recuperasset auxissetq;, antiqua Ferrariæ occupandæ libido quæ tanti incendij caussa fuerat, adhuc insidebat: in quam ciuitatem etsi arma conuertere vehementer cuperet, nihilominus, siue quòd concordiæ faciliorem, quàm belli rationem duceret; siue magis occultis artibus quàm apertis factis fideret, primùm, Mantuano marchioni, qui eum vt Alfonsum Atestinum, ad veniam petendam Romam ad se venire pateretur, eumq; honesta aliqua conditione gratia sua cõplecteretur, supplex rogabat, aures accõmodauit: deinde Aragoniæ regis oratori, qui pro illo, vt pro regis sui consanguineo (erat enim Alfonsus ex Ferdinandi senioris Neapolitani regis filia natus) & quia regis rebus illum sibi tanto beneficio obstringere, quàm vt Pontificatus potentiæ etiam Ferraria accederet pati, commodius erat, orabat. Eius caussam & Columnij Alfonso amicissimi facti, agebant: quippe cum rex Galliæ post Rauennensem pugnam ab illo Fabritium Columnam eius captiuum petijsset, ipse primò eum tradere recusauerat; deinde varijs excusationibus interpositis, tamdiu distulerat, vt facta rerum mutatione, illi gratissimè & absq; vllo onere, libertatem restituere, in eius potestate fuerit. Alfonsus igitur tutò eundi ac redeundi fide à pontifice, & quo tutior esset, pontificis cõsensu Aragoniæ regis nomine ab eius oratore accepta, Romam est profectus: quò quamprimùm peruenit, quum Pontifex censuras suspendisset, in Senatum admissus, demississimè veniam petijt, eademque submissione, vt pristinæ suæ ac sacrosanctæ sedis gratiæ restitueretur, orauit: seque ea omnia quæ fidelissimum clientem ac beneficiarium ecclesiæ decerent, semper præstiturum, repromisit: Pontifex illum satis benignè audiuit, & sex cardinales qui de pacis legibus cum illo agerent legit; qui pòst multorum dierum disputationem, pontificem nullo modo ecclesiam Ferraria postquam iure ad eum recidisset, priuare velle ei significarunt: sed pro illa Astam ciuitatem daturum, quæ quum ob Gallorum discessum in fœderatorum potestatem venisset, pontifex omnia cispadana loca ad pontificium imperium spectare asserens, Agrigentinum episcopum ad eius possessionem capiendam frustra miserat: quod Alfonsus constanter recusans, hac petitione à spe prius ostensa vsque

adeò diuersa; nec non ab ea quæ recenter Regij acciderant, ne ab pontifice Ferrariæ eodem tempore inuadendæ causſa Romæ artificioſè detineretur, timere cæpit. Pontifex Regienſes qui in tanta rerum perturbatione non mediocriter metuebant, vt Parmenſium & Placentinorum exemplum ſequuti, eccleſiæ ſeſe dederent, hortatus erat: & quo maiorem cohortationes vim haberent, Vrbinatium ducem copias in Mutinenſem agrum ducere iuſſerat: idem & Cæſar per Vitfruſtium, qui Regium ſe contulerat, tentabat: Cardinalis verò Eſtenſis, qui fratre abſente eius regni curam gerebat, quum ſe eam ciuitatem tueri non poſſe animaduerteret, illamque in Cæſaris, qui nullum in Ferrariam ius prætexebat, & in cuius rebus maior varietas ſperari poterat, poteſtatem venire, rebus ſuis minus pernicioſum duceret, Regienſes vt potius imperij nomen amplecterentur hortabatur: ſed ipſe ſe ducis qui ad pontificem, non autem ad Cæſarem iuiſſet exemplum ſequi velle reſpondentes, pontificias copias in vrbem introduxerunt; quæ & arcem, quamuis Vitfruſtius iam aliquot exſuis peditibus in ea poſuiſſet, arte occuparunt. Tandem Carfiniana regio tota Vrbinatium duci deditionem fecit, qui deinde Bononiam reuerſus, omnem peditatum dimiſit: nam quum Parmam atque Placentiam à pontifice occupatas fuiſſe, omnibus fœderatis moleſtiſſimum eſſet, Sedunenſis Cardinalis Vrbinatium duci cum victoria contra communes hoſtes parta eſſet, vtipſe vlterius procederet minimè neceſſarium eſſe ſignificauit. At Ferrarienſium dux, ex pontificis duritie, Regijque iactura, non mediocri ſuſpicione concepta, per Hiſpanum oratorem, & Fabritium Columnam, qui ſemper Romæ cum illo fuerat, à pontifice Ferrariam redeundi facultatem petijt: ad quod quum pontifex, fidem de controuerſia quàm cum pontificatu haberet, priuatis creditoribus, quorum multi ſibi ius adminiſtrari poſtularent, fraudi minimè eſſe debere afferens, ſe duriorem oſtenderet, orator & Fabricius, ne duci atq; ipſis fidem violandam eſſe, ſibi perſuaderet, apertè reſponderunt: & ſequentis diei mane, vt ſi quid fortè noui pontifex moliturus eſſet, anteuerterent, Fabritius, equo conſcenſo, ad Ioannis Lateranenſis portam, duce, & Marcoantonio Columna haud procul ſequentibus, contendit: & pluribus quàm moris eſſet cuſtodibus, qui exitum prohibebant ad portam inuentis, ipſe potentior illis, duce ad portam expectato, eum incolumen Marinum perduxit: quo facto, ab omnibus libertatis ab illo acceptæ gratiam retuliſſe iudicatus fuit: neque enim vlli dubium fuit, quin pontifex, niſi Columnij impedimento fuiſſent, illum in carcerem conjecturus eſſet: inde igitur quum terreſtre iter ſibi minimè tutum eſſet, non multo pòſt mari Ferrariam redijt. Dum hæc gerebantur pontifex, vt prius odio in Florentinorum libertatem, vt copiæ quas Galliæ regi conceſſerant diriperentur, cum Sedunenſe egerat: ex quibus qui Luca Sabello duce in caſtris erant numero centum & viginti grauis, & ſexaginta leuis armaturæ equites (quoniam Franciſcus Taurellus cum alijs ad Brixiæ cuſtodiam manſerat) antequam Galli Padum tranſirent, fide pro reditu in Hetruriam à Sedunenſi, à Ioannepaulo Ballione, atque ab omnibus ferè Venetorum ducibus acceperant: ſed quum prope Cremonã, vt ab ipſis præceptum acceperant, conſtitiſſent, Veneti milites de Sedunenſis conſenſu eos ſpoliarunt; qui vt id facilius poſſent facere, eò duo peditum millia (vt quidam affirmant) miſerat: præſertim quòd cum ipſis Triultiorum & Galliæ Archipocomi turmæ erant; qui cum omnes ferè Itali eſſent, & ipſi fidem publicam impetrarant, Sedunenſis illicò manubias velut ad Heluetios ſpectantes Chriſtophoro Mauro, & Paulo Contareno legatis, poſtulatum miſit: quibus non conceſſis, quum ſequenti die in Heluetiorum caſtra, vt Sedunenſem alloquerentur veniſſent, ferè vt captui ad Iacobum Staflerium legionis prefectum, & ab illo ad cardinalem perducti, ſex aureorũ numũm millia pro manubijs promittere coacti ſunt: neq; enim cardinalis alij huius laudis egregiæ præmium deberi, quàm ſibi, exiſtimauit: eadem fide cum Nicolao Caponio Florentinorum oratore egit: qui cum fide ab eo accepta Caſaleuaſium profectus eſſet, vt ſibi captiuus traderetur, à Monferratenſi marchione poſtulauit. Interea Senatus Brixiæ atque Cremoniæ recuperandæ cupidus, vt copiæ ſuæ, quas cardinalis, eo prætextu, quaſi eas cum Heluetijs in Taurinos aduerſus Allobrogum ducem, & Salutiarum marchionem, qui Galliæ regis partes ſequuti erant, contenderent, miſſurus eſſet, detinebat, redirent, vrgebat: hac tamen cauſſa poſtea ceſſante,

tum

tum quòd Heluetiorum numerus auctus vehementer esset, tum quia Gallos milites trans alpes ire notum erat, sublata, vt discederent nec concedebat, nec prohibebat; id quod ab eo Cæsare petente ne ea oppida reciperent, facere credebatur: tandem quum Heluetij Alexandriæ essent, Veneti repente Bosco castello profecti, absque impedimento ad Cauam Cremonensis agri, cardinale, vt creditur (quem eos impedire potuisse certum est) pontifici gratificaretur, dissimulante, Padum traiecerunt: quo facto in duas partes distributi sunt: quarum vna Brixiam, altera Cremam, quæ à Gallis tenebatur, petijt: cumque Galli qui Brixiæ erant, ad Paternam villam in eos impetum fecissent, plusquam trecentis militibus amissis Galli in vrbem se recipere coacti fuerũt: Heluetij autem soli in Insubria & Taurinis relicti, omni Gallorum metu penitus liberati, regioni vniuersæ mulctas, tributaque imponebant: nam etsi rex Galliæ, ob ardentissimum Mediolanensis imperij desiderium, nõ libenter Italiæ res prorsus derelinqueret, tamen necessitas illum, vt illorum, qui vt hac cogitatione in aliud tempus dilata, ea æstate, Galliæ regno tuendo operam daret hortabantur, consilia audiret coegit: quoniam rex Angliæ, quemadmodum cum Catholico rege conuenerat, sex Anglorum peditum millia, mari Fonterabiam, Hispaniæ oppidum ad Oceanum positum, vt illius regis copijs coniuncti, Ghiennæ ducatum inuaderent miserat: & præterea Normaniæ atque Britanniæ citerioris litora, classe magno incolarum terrore infestare incipiebat: neque Cæsaris iam in amicitiã suam pertrahendi spes vlla relinquebatur: nam ex Massilienſis episcopi, qui legatione apud eum functus erat verbis, illum animo ab se alienissimo esse, nec aliam ob caussam spe diuturna illum fouisse, totque negotia summa cum simulatione se cum tractasse, nisi vt se incautum opprimendi, vel saltem lætalis vulneris infligendi, vt in Germanis peditibus reuocandis se fecisse gloriabatur, occasionẽ captaret, intelligebat. Itaque Italia, per hunc annum ab Galliæ regis metu liberata, etsi eius milites Brixiam, Cremam, & Lineacum, Genuæ arces Castelletum, Laternamq;, nec non Mediolanensem atq; Cremonensem, nonnullaq; alia eius imperij munita loca tuebantur, dissidiorũ atq; discordiarum inter fœderatos, quorum voluntates atq; fines valde diuersi erant, signa apparebant. Veneti Brixiam & Cremam, quæ illis tum fœderis caussa, tum quia tam diu belli pericula atque molestias pertulerant debebantur, recipere cupiebant: quod & pontifex in eorum gratiam exoptabat: at Cæsar ab cuius voluntate Aragoniæ rex minimè poterat recedere, sibi vendicare illa, & prẽterea Venetis omnibus ijs quę sibi Cameracensi fœdere adiudicata fuerant spoliare cogitabat. Cæsar adhæc, idemque rex, de Mediolanensi imperio vni ex communibus nepotibus attribuendo, sed occultis consilijs agebant: contrà pontifex & Heluetij, vt quemadmodum semper ab initio dictum fuerat, Maximilianus Ludouici Sfortiæ filius, qui post patris calamitatem semper in Germania versatus erat, in paternum gradum restitueretur apertè operam dabant: ad quod pontifex ne Italia prorsus in Germanorũ atq; Hispanorũ seruitutem rueret, monebatur: Heluetij verò, quia proprię vtilitatis caussa id imperium nõ tam potentes principes, sed eiusmodi, qui ipsorũ auxilijs carere non possent, habere cupiebant: quę res quum ferè tota ex ipsis in quorum potestate id imperiũ erat, & ob armorũ ipsorũ terrorem penderet, pontifex vt eos in hac volũtate cõfirmaret, & vt hoc frænũ, quo Cęsaris & Catholici regis ambitionẽ moderari posset, ad omnia paratũ haberet, omnem industriam artemq; ad illorum sibi beneuolentiam conciliandam adhibebat: ideo præterquam quòd publicè Heluetiæ gentis virtutem ad sidera vsque efferebat, & res pro pontificij imperij salute gestas extollebat; honoris gratia pontificia signa illis dederat: & valde illustri nomine decoratos, libertatis ecclesiæ Defensores Propugnatoresque appellabat. Ad alias controuersias accedebat, quòd quum prorex Hispanicas copias, quæ post pugnam omnes cum illo in regnum neapolitanum cõfugerant collegisset, illasque in Galliam cisalpinam secum esset traducturus, pontifex & Veneti, quadraginta in singulos menses aureorum numũm millia, quæ post pugnam solui desierant, se vltra perfoluturos esse negabant; afferebantque se, quum Gallicus exercitus alpes transiuisset, haud iam ea obligatione teneri, quæ vt infœdere expressum erat, quandocumque Galli Italia exacti essent, finem inueniret: ad quod pro Aragoniæ rege dum Brixia, Crema, totque alia munita loca in regis potestate essent, regem Italia pulsum dici minimè posse

respondebatur. Pręterea Aragonię rex vna cum Cæsare, pontificem, sibi ipsi communis victoriæ præmia tribuendo, & ea quæ manifestè ad alios spectarent vsurpando, siue fictis, siue vetustate consumptis iuribus, Parmam atque Placentiam, quas ciuitates qui Mediolani imperauerant diutissimè, velut Imperij beneficiarij obtinuerant, occupasse querebantur. In Ferrariensium quoq; ducis rebus animorum varietas elucebat: pontifice eadem cupiditate ardente; & contrà Aragoniæ rege eum conseruare cupiente: qui, vt credebatur etiam ea de caussa erat iratus, quòd cõtra datã fidẽ vt captiuus Romæ detineretur, tentatum fuisset. Quare pontifex, fortasse donec res maiores componerentur expectans, ab Ferraria infestanda abstinebat: quibus rebus pertractandis quum Gæsar se immiscere vellet, Gurcensem episcopũ, iam tunc quum post Rauennẽsem pugnam de pace inter pontificẽ & Galliæ regem agebatur, huic legationi destinatũ, in Italiam mittebat: timebat enim ne rerum suarũ ratione posthabita, pax inter eos fieret: sed rerũ postea mutatione facta, in eius mittendi sententia permansit. Florentinorum quoq; res in mentẽ veniebant, qui suspicione pleni, fructus ex eo quod improuidè neutrius partis esse voluissent, sentire incipiebant: iamq; vbi prudentia defuerat caussæ æquitatem amplecti, non satis idoneum præsidium esse animaduertebant: quoniam in hoc bello fœderatos non læserant, nec Galliæ regi, nisi quantum ad Insubriæ defensionem, fœdere quod cum Catholico rege & ipso cõmune habebant tenebantur, auxiliũ vllum dederãt: Hispanos milites qui ex pugna Rauennensi euaserant in imperio suo molestia affici non permiserant: qua de re ipsemet Aragoniæ rex Florentino legato gratias egerat; quin etiã omnib. eius postulatis integrè satisfecerãt: nam postquam conciliũ Pisis discessit, & eius ministri qui in Italia erant, & rex ipse legato ipsorũ, se eam remp. modò se Bononiã non defensuros, arma aduersus pontificatũ nõ moturos, neq; Pisano conciliabulo fauturos pollicerentur, aduersus quemuis hostẽ propugnaturum promiserat: verùm ipsi ciuilibus discordijs à meliori pate eligenda impediti, neq; regi Galliæ, neq; alijs adhæserunt; sem perq; ambiguis interruptisq; cõsilijs, neutros se profitentes, nunquam vnà omnes deliberantes, neq; vtrum in ea sententia perseuerare vellent declarantes, Galliæ regis qui sibi ab initio multa de illis promittebat, animũ nõ mediocriter offenderũt: pontificis odiũ non mitigarũt: & Aragonię regẽ nullo accepto pręmio, suę ambiguitatis fructu frui permiserunt; cuius fruendi gratia cupidè cum ipsis cõuenisset. Pontifex igitur odio in Vexilliferum, & autoritatis in ea rep. consequendæ, veteri omniũ pontificum desiderio incitatus, vt Medicea familia in pristinam amplitudinẽ restitueretur instabat: in quam sentẽtiam & Aragoniæ rex quamuis cum Florentino oratore aliud clausum in pectore, aliud promptũ in lingua haberet, quod ne quouis motu oborto, Vexilliferi autoritate in Galliæ regis partes flecterẽtur, metuerat; quin etiam quòd Vexillifero amoto, in libera rep. ob recentes veteresq; factiones idem studium permansurũ suspicabatur inclinabat: huius autem rei deliberatio vnà cum alijs, ad Gurcensis, cum quo, vt prorex & relinquorum sociorum ministri Mantuæ conuenirent, constitutũ erat: aduentum seruabatur: quidum in itinere erat, pontifex Laurentium Puccium Florentinũ, supplicum libellorum in curia sua magistrum, qui postea in pontificũ collegium cooptatus, Sanctorum quatuor cardinalis est nũcupatus, qui vnà cum proregis oratore, vt sumptuum qui aduersus Gallos fierent parte ferentes, fœderi se coniungerent, peteret, Florentiã misit: hic erat eius rationis fucus, re autem vera, ad ciuium animos explorãdos mittebatur: qua petitione multos dies agitata, Florentinis certã pecuniæ summam fœderatis offerentibus, sed ad fœderis contra Galliæ regem percutiendi petitionem dubiè respondentibus, nihil certi statuebatur; cuius ambiguitatis caussa ex parte erat, quod hęc (vt res erat) artificiosè proponi crederentur: sed multo magis id ex respõso ab Gurcensi ipsorum oratori quem illi obuiam miserant, Tridenti dato perspexerunt: nam cum se eorum quæ ipsi in memoriã reuocabantur, nullam rationem habere ostenderet, nimirum Cæsarem compositione ipsius manu scripta, ad eorum defensionẽ teneri, pontifici ipsos molestijs afficere in animo esse asserebat; quòd si Cæsari quadraginta aureorum nummũm millia darent, eius opera ab hoc periculo liberos fore: his addebat, fœdus inter Cęsarem & Galliæ regem adhuc vigere; quamobrem hortari, ne fœdere se astringi, antequam in id ascriberetur, paterentur. Non fuissent Florentini à tranquillitate sua pecunia redimenda alieni, sed

ſolum Cæſaris nomẽ quãuis Gurcẽſis Hiſpanos quoq; eius voluntatem ſequuturos affirmaret,ad aliorũ malam mentẽ remouendã haud ſatis idoneum fore metuentes,vt maturiori conſilio,ijs qui ægritudini ipſorũ prodeſſe poſſent,delinimenta ſubminiſtrarent dubij hęrebant.Hoc fortaſſe prudẽter excogitatũ erat,ſed quod exercitatos milites,quibus melius repentinã irruptionẽ repellere,vel ſaltem facilius cũ fœderatis,vbi ipſos difficulter cogi poſſe animaduertiſſent, cõuenire potuiſſent, non cõpararint, id certè vel ex imprudẽtia,vel ex ijsdẽ diſſenſionibus, vel ex eo quòd imperij ſui peditũ delectibus plusquã par erat tribuerẽt,proficiſcebatur:quæ dum tractantur,iam prorex cũ Hiſpanis peditibus in Bononienſem agrũ peruenerat:quo in loco quũ ſtipendia militibus promiſſa dare nõ poſſet, tanto tumultu ad eius tẽtoriũ necem minitantes cõcurrerunt, vt vix occultè Mutinã verſus fugiendi tẽpus habuerit: peditũ verò pars in Florentinorũ regionem iter cepit,reliqui caſtra non mutarunt,ſed ſine lege,ſine ordine,ſine imperio manebant:tamen triduo ſeu quatriduo pòſt,animis illorum promiſſę pecunię parte numerata ſedatis,& prorege omnibusq; cohortibus in caſtra reuerſis,ſe illum edoẽ in loco donec Mantua quò iã peruenerat Gurcenſis rediret, præſtolaturos promiſerunt:Gurcẽſi verò per Veronẽſiũ fines iter facienti,Galli qui Lineacũ cuſtodiebant,multis Venetorũ cõditionib.reiectis,mãdato, vt opinio fuit,prius ab Palitia qui,nõ modò illis ſed & reliquis quorũ oppidorũ cuſtodibus,vt ſic diſcordias Cæſarẽ inter & Venetos foueret,idẽ imperarat,accepto,id oppidũ quod amplius tueri nõ poterant dediderant; quãuis id militib. infeliciter ceſſerit:quoniã Lineaco egreſſi,fidei ab Gurcẽſi acceptę nulla habita ratione ab Veneto exercitu qui,circa Brixiã erat,ſpoliati fuerunt.Veneti namq; Boſco reuerſi,et Bergomo absq; labore recuperato circa Brixiã caſtra poſuerant:ſed tamen,quòd vt dicebatur,à Sedunenſi cardinale vetitũ ipſis eſſet,ciuitatẽ nõ oppugnabant.In Mantuano cõuentu vt Maximilianus Sfortia à populis vehemẽter expetitus, Cęſare atq; Aragonię rege,ob pontificis & Heluetiorũ conſtantiſſimã voluntatẽ concedentib. ad Mediolanẽſe imperiũ veniret,decretũ fuit:tẽpus verò modumq; Gurcenſis cum pontifice, ad quẽ, vt amicitiã eius cum Cæſare firmaret,& cõcordiæ cu Venetis conficiendæ ratione ageret, & cõmunis conſenſionis beneficio Italiæ ſecuritatẽ contra Galliæ regẽ cõfirmaret,iturus erat,ſtatuerent.In eodẽ conuentu de bello Florentinis inferendo Iuliano Mediceo, ſuo & cardinalis nomine petente; & eius ſtatus ob ciuiũ,quorũ multi reditũ ipſorum ex petebant, diuerſia ſtudia; & ob occulta conſilia,quæ ſe cum nõnullis claris potẽtibusq; viris habere aiebat; & quia Florentini ſuorũ grauis armaturę equitũ parte in Gallia ciſalpina diſſipata,altera Brixię incluſa,vires quibus ſe à tam repentino impetu tueri poſſent non habebant,mutandi facilitatẽ proponente, ac prętereа fructũ præter pecuniã quam pollicebatur,ex ipſorũ reditu manaturũ oſtendẽte;nẽpe eius vrbis potentiã ex vnius hominis qui penitus ex Galliæ rege penderet manibus ereptã,in eorũ manus peruenturã, qui ab illo rege lęſi atq; iniurijs affecti,nullũ pręter fœderatos patronũ ſociumúe eſſent habituri,tractatum fuit:in idem pontificis nomine Bernardus Bibiena,qui pòſt fuit Cardinalis,à pontifice hanc ob cauſſam miſſus,ſed vnà cum fratibus à pueritia in Medicea domo educatus,incũbebat. Erat apud Gurcenſem Florentinorũ legatus: Ioãnesuictorius Soderinus Iuris cõſultus,Vexilliferi frater,cui nec prorex,nec quisquã ſociorũ nomine quidquã dicebat rogabatúe;ſed Gurcẽſis hæc pericula oſtendens,vt cum Cęſare iuxta petitiones antea factas cõuenirent,eum hortabatur:& Cæſarẽ atq; Aragonię regẽ illorũ patrocinium ſuſcepturus pollicebatur: legatus autem quũ paciſcendi poteſtatem nõ haberet,nihil aliud niſi ad remp.referre,&reſponſa expectare poterat,itaq; neq; per ipſũ neq; per alios de Mediceorũ cõſilijs infringendis apud proregẽ agebatur,diligẽtiaúe vlla adhibebatur:& tamen res ipſa multas difficultates cõtinebat,quoniã prorex tam validũ exercitũ non habebat,vt niſi coactus vires ſuas periclitari vellet; & Gurcenſis vt Venetos à Brixia recuperada maioribusúe progreſſibus faciendis prohiberet,Hiſpanos quamprimũ in Longobardiã tranſire cupiebat: idcirco fama eſt,ſi Florentini,parcitate, vt imminentia pericula poſtulabant,depoſita,Cæſari petitam pecuniã dediſſent,& proregẽ in ſumma neceſſitate conſtitutũaliqua auri ſumma iuuiſſent,facilè hanc tẽpeſtatem euaſuros:& Gurcenſem atq; proregẽ,fortaſſe libentius cũ rep.quàm promiſſa præſtaturã certò ſciebant,quàm cum Mediceis, qui antequã armorũ ope Florentiam redirent,

nihil dare poterant,pactionem facturos fuisse: sed quum,siue negligentia,siue hominũ peruersitate,eius ciuitatis causa prorsus ferè deserta esset,vt Hispanus exercitus cũ quo irent cardinalis & Iulianus Medicei,Florentiã versus progrederentur,& cardinalis quẽ põtifex hoc bello Hetruriæ legatũ cõstituebat,pontificios milites, & ex vicinis locis qui magis ei probarentur accerseret,decretũ fuit. Conuentu dimisso prorex in Bononiẽsem agrũ reuersus,statim cõtra Floreninos,quibus ,quòd quæ Mantuæ decreta erant nõ antea sciuissent,breuissimũ ad necessarios apparatus faciẽdos tẽporis spatium relictũ erat exercitũ duxit; cui propè Florentinorũ fines se adiunxit cardinalis,qui quũ Hispani tormenta ad mœnia cõcutienda nõ haberent,duo Bononia vehi iusserat:&ad eum Frãciotus Vrsinus , atq; Vitellij pontificij duces sine suis copijs venerant: nam id & ipsos & reliquos põtificios duces Vrbinatiũ dux prohibuerat: qui etsi Iulianus Medices aliquot annos in eius aula educatus esset,semperq; se illorũ potentiæ cupidũ ostendisset;& quãuis pontifex amplis literis ipsi & reliquis vicinis oppidis pontificio imperio subiectis contrariũ mandasset,quæcunq; causa fuerit,tormẽtis aliquóue militũ è sua ditione auxilio illos iuuare recusarat. Ad proregẽ,quamprimũ Florentini imperij fines attigit, venit legatus ab rep.missus,qui obseruantiã qua semper Aragoniæ regẽ prosequuti erãt,&quomodo ipsi se in proximo bello gessissẽt,quidúe ipsius rex,si illã ciuitatẽ in amicitiã suam admitteret, ex ea sperare posset ostendens,vt antequã vlterius progrederetur,quidnã à Florentinis peteret,significare vellet rogauit:æquis enim petitionibus,& quæ vires ipsorũ non superarent,ab ipsis liberaliter satisfactũ iri. Cui prorex se nõ tantũ Hispaniq regis sed omniũ sociorũ iussu pro cõmuni Italiæ securitate venisse respondit:dũ enim Vexillifer illã administrationẽ haberet,nullã cautionẽ, quin quauis occasione Gallię regis partes sequerẽtur,haberi posse;ideo se omnium nomine petere vt Vexillifer magistratu abdicaretur,eaq; reip.forma,quæ socijs minimè suspecta esset,cõstitueretur:quod,nisi cardinalis& Iulianus Medices in patriã restituerentur,fieri non posset:his concessis in reliquis facilè cõuenturos;hæc igitur referret,mentemq; suã Florentiæ significaret, se autẽ nolle donec responsum adferretur expectare. Florẽtiæ Hispanorũ aduentu audito, quũ ab alia parte põtificis copias irrupturas persuasi essẽt,ob ciuiũ dissidia,& multorũ ad res nouas propensionẽ,maximus totã vrbẽ terror occupauit:paucos grauis armaturę equites,neq; alium peditatũ quã vel raptim collectũ, vel ex ipsorũ delectibus quorũ pleriq; rei bellicę imperiti erant; nec quem suis copijs præficerent,in cuius virtute autoritateq; possent acquiescere habebant: reliqui duces tales erant,vt nunquã post hominũ memoriã,minoris expectationis illorũ stipẽdia meruissent : nihilominus vt in tanta tẽporis breuitate solicitè prospicientes , grauis armaturæ equites per varia loca distributos colligebant, pedites quales poterant conscribebant, & ex omni delectu vtilissimas cohortes seligentes,omnes vires Florentiã cùm ad eius vrbis securitatẽ,tum vt inde quo se hostes vertissent prędidia mitterent,cõtrahebant:& quamuis serò pacis rationẽ minimè præter mittentes,præter ea quæ assiduè per oratorẽ cum prorege tractabant,ad Volaterranum cardinalẽ,qui Graduli in Latio erat,vt ad pontificẽ profectus illũ promissis,precibus,& omni arte placare niteretur scripserũt:qui obstinatus,aliud verbis& aliud reipsa agens, respõdebat,illa neq; à se proficisci,neq; à suis copijs geri:sed ne omnes fœderatos in se cõcitaret aspẽtiri, & vt Mediceus cardinalis tormenta Bononia vehi curaret,permittere fuisse cõpulsum:ante quàm bellũ inciperet,se auertere nõ potuisse,multò minus iã incęptũ remouere posse. Interea prorex quũ ex montib. ad Barberinũ,quod oppidũ quinde cim passuũ millibus Florentia distat descendisset,per suũ hominẽ,fœderatos neq; statũ, neq; ciuitatis libertatẽ,dummodò propter Italiæ securitatẽ Vexillifer magistratu deponeretur,turbare velle,vt Medicei nõ veluti administrationis principes,sed tanquã priuati legibus magistratibusq; subiecti,omnibus in rebus reliquis ciuibus similes,patria frui possent,optare,Florentinis significauit:quę petitio,quũ vrbi vniuersę nota esset,vt varia sunt iudicia,studia,& metus,variæ quoq; erant homniũ sententiæ : aliqui vnius tantummodo causa,omnes ciues, totumq; imperiũ in tantũ discrimẽ conijci vituperabant:qui etiãsi magistratu se abdicare cogeretur , nec populare consiliũ,nec publica libertas tamen amitteretur: quam à Mediceis autoritate opibusq; spoliatis,si priuatorũ gradũ excedere vellent,inuiolatam conseruare minimè difficile esset futurum:& quo nam pacto

ciuitas

ciuitas tanti fœderis autoritati & viribus repugnare posset, cogitandum esse dicebant; solam nõ posse; Italiam omnem aduersam habere, Gallorum, qui Italia turpiter deserta satis in regno suo defendendo essent occupati, & imbecillitatis suæ cõscij, Florentinorũ postulatis, se, vt cum fœderatis paciscerẽtur, annuere responderant, auxilij spem penitus amissam: Alij contrà, riduculũ esse differebant, si quis tantum motũ solo Vexilliferi odio vel vt Mediceis, velut priuatis ciuibus Florentiæ versari liceret, fieri crederet; aliam esse sociorũ mentem, qui vt ciuitatẽ libidini suæ obsequentẽ haberent, & ingentẽ pecuniæ vim ab ea extorquere possent, nõ aliũ, quàm vt Mediceos in tyrannide collocarent, finẽ habere; sed mentẽ suam minus acerbis petitionibus quę tamen idem re ipsa cõtinerent, tegeret: quid enim aliud esset hoc tẽpore minis atq; armorũ terrore Vexilliferũ prętorio amouere, quàm gregẽ dissipatũ sine pastore relinquere? Quid aliud Mediceos in tãto tumultu in vrbẽ admittere, quàm vexillũ quod illi qui nihil aliud cogitarũt, quàm vt comitiorũ, quibus sublatis libertas nulla esset, nomẽ, memoriã, vestigiaq; extinguerẽt, sequerẽtur, erigere? & qua nã ratione ꝓhiberi posset, quo minus Medicei Hispanicũ exercitũ foris habentes, intus seditiosis ambitiosisq; sequentib. eode die quo Florentiã ingrederentur libertatẽ opprimerent? Quid rerũ initia, & si iniustis pernitiosisq; postulatis cedere inciperent, parere possent, cogitandũ esse: neq; pericula adeò esse timenda, vt ciuitatis salutẽ, quamq; acerbũ esset in libertate natis atq; educatis, in seruitute viuere obliuioni traderent: quanta animi magnitudine libertatis conseruandę gratia se Carolo Gallię regi, qui in ea vrbe cũ tam potenti exercitu erat, opposuissent, in memoriã reuocarẽt: cogitarent quanto facilius esset, se à tã paruis copijs tueri, pecuniæ egẽtibus, cõmeatu carẽtibus, pauca tormenta habentibus, & quæ bellũ, si primũ impetũ sustinerent, in longũ tẽpus ꝓtrahere minimè possent, quęq; breui in Hetruria morari coactæ, spe ab exulib. factã, vnica impressione victoria potituros, impulsę, simul ac fortiter obsisti animaduertẽrẽt, ad pacẽ honestissimis legibus inclinarẽt. hæc passim in circulis & plateis inter ciues dicebãtur: sed Vexillifer quũ de respõso à magistratu ꝓregis nũtio dando à populo deliberari vellet, eo ad comitia cõuocato, ciuibusq; cõgregatis, in hãc sententiã loquutus est.

Si proregis petitionẽ mea solius interesse, neq; longius spectare arbitrarer, ego ipse id statuissẽ, quod à meo proposito nequaquã aberraret. quũ enim id semper propositũ habuerim, vt ad mortẽ vestro beneficio oppetendã paratus essem, longè mihi facilius esset vt vos belli periculis incõmodisq; liberarẽ, Magistratu mihi à vobis tradito me abdicare, corpore pręsertim atq; animo per tot annos quibus hãc personã me gerere voluistis, tot molestijs atq; laboribus fesso: sed quoniã fieri potest, vt hac petitione aliud, quã mea res agatur, visum est his meis honestissimis collegis, & mihi, quæ res omniũ plurimũ interest, ea de re absq; publico cõsensu nõ esse deliberãdũ: & rem tã grauẽ tamq; cõmunẽ, non ad consuetũ ciuiũ numerũ, cum quibus reliqua tractari solent, sed ad vos, qui huius ciuitatis principẽ agitis, & ad quos solos tam grauis deliberatio spectat, esse referẽdam. Equidem vos nõ magis ad hanc quàm ad illã sententiã hortari statui; vestrum sit cõsiliũ, vestrum iudiciũ; quod vos statueritis, ab me probabitur & laudabitur; qui vobis nõ modò hunc magistratũ, qui vester est, sed & me ipsum, vitãq; meam in vestrã potestatẽ trado; meq; beatum ducerem, si hoc ipsum vestræ salutis remediũ esse arbitrarer. Quid proregis petitio ad libertatẽ vestrã ponderis habeat, diligẽter expendite: Deum optimũ Max. oro, vestris sic illuceat mẽtibus, vt, quę vobis vtilia sunt, perspiciatis, eaq; statuatis. Si Medicei hanc vrbẽ vt priuati ciues, magistratuũ legumq; vestrarũ iudicia ferentes, incolere in animũ induxissent, illorũ reditus laudandus esset, vt cõmunis patria in vnum cõmune corpus coniungeretur: sin alia est illorũ mens, periculum vestrũ attendite, neq; sumptus & labores libertaris vestræ, quę quanti sit facienda melius, sed sine fructu, si (quod dicere horreo) ea priuaremini, agnoscere tis, cõseruãdæ gratia ferre, vob. graue videatur: nec sit aliquis qui Mediceorũ administrationẽ talem futurã, qualis nundũ eis exactis fuit, sibi persuadeat: quoniã & rerũ forma, & fundamẽta ipsa mutata sunt: tunc enim inter nos, & ferè vt priuati ciues educati, pro gradu in quo erant opulentissimi, neq; ab vllo læsi, ciuium beneuolentia nitebantur: de publicis rebus cum summis viris deliberabant, & ciuili pallio amplitudinẽ suam potius tegere, quàm ostentare studebant: nunc verò tot annos extra vrbem versati, peregrinis moribus assueti, eamq; ob caussam ciuilium rerũ parum

periti ,exilij atq; acerbitatũ memores,diuitijs ſpoliati,& à tot familijs læſi, maximã partem,imò totam ferè vrbem à tyrannide abhorrere non ignari,nulli iam ciui fiderent,egeſtate ſuſpicionibusq; coacti,non beneuolentia & amore, ſed vi & armis nixi, ſibi ipſi omnia ſumerent:adeo vt hæc ciuitas breuiſſimo tẽporis interuallo,Bononiæ,qualis erat Bentiuolis regnantibus,Senis item ac Peruſiæ ſimilis eſſet futura. Hæc illis qui Laurentij Medicis tẽpora adminiſtrationemq; prædicant,dicere volui,in quibus etſi dura eſſet ſors,&tyrannis tamẽ quòd multas alias manſuetudine ſuperaret,illa cũ hac cõparata aurea ætas fuiſſet; veſtrũ nunc eſt prudenter deliberare,meum,aut me cõſtanti lętiſſimoq; animo hoc magiſtratu abdicare,aut ſi uos ſecus ſtatueritis,veſtræ libertati tuendæ & cõſeruandæ fortiter incũbere. Quid in Comitijs ſtatuendũ eſſet ob ferè totius populi ad populare ſtatum tuendũ propenſionem,dubium nõ erat: idcirco miro cõſenſu vt Medi ceis velut priuatis reditus cõcederetur,ſed Vexilliferũ magiſtratu abdicare recuſaretur: quòd ſi hoſtes in hac ſententia pertinaces eſſent,opes & vita ipſa pro cõmuni libertate & patria tuenda profunderentur,decretũ fuit: Quare omnibus cogitationibus ad bellũ conuerſis,& pecunijs cõparatis,milites Pratũ,quod oppidum decem paſſuum millibus Florentia diſtat,mittebant,quòd proregẽ id primum inuaſurũ crederent; qui vbi Barberinũ exercitum & tormenta difficillimè per Apennini aſperos tramites,& quia ob pecunię inopiã nõ ſatis multos fabros & inſtrumenta ad ea cõuehenda neceſſaria habebant, tranſuecta cõtraxiſſet, quemadmodũ exiſtimatũ fuerat,Pratũ acceſſit:quò quũ diluculo peruenisſet,eodẽ die Mercatalẽ portã quòd intus benè munita eſſet,fruſtra falconibus tormẽtis verberauit. Florentini circiter duo millia peditũ,qui ferè omnes ex delectibus ipſorũ erãt,reliqui raptim ex omnib.opificijs ſordidisq; artibus collecti,pauciſſimi autẽ in tanto numero bello experti erant,& Lucã Sabellũ veterem quidẽ ducẽ,ſed qui neq; per ætatem,neq; per experientiã ad aliquẽ militaris ſcientiæ gradũ peruenerat,cũ 100 grauis armaturæ equitibus,Pratũ miſerant: equites ijdẽ erant qui paulò antè in Gallia ciſalpina ſpoliati fuerant;huc accedebat quòd ob tẽporis exiguitatẽ & eorũ qui ea cura re debuerãt imperitiã, paruus aderat tormentorũ numerus, & exigua pulueris aliorũq; ad defenſionẽ neceſſariarũ copia. Cum prorege erant ducenti cataphracti,quinq; Hiſpanorũ peditum millia & duo tantũ tormenta; exercitus numero reliquisq; apparatibus exiguus,ſed virtute magnus : pedites enim omnes ex illis erant, qui tãta cũ laude ex Rauennenſi pugna ſuperſtites fuerant: qui tanquã militares viri,propria virtute freti,hoſtis imperitiã ſummopere cõtemnebãt:ſed quũ abſq;,cõmeatu veniſsẽt,neq; regionẽ copioſam inuenirẽt(nã etſi vix dũ meſſis eſſet abſoluta cõmeatus omnis immunita loca cõuectus fuerat) ſtatim eius penuria laborare incœperunt;qua re territus prorex ad pacẽ de qua aſſiduè agebatur inclinabat; hac nẽpe ratione,vt Florentini Mediceos reliquorũ ciuiũ modo in vrbẽ admitterẽt;cumq; nõ amplius de Vexillifero amouendo verba fieret, certã pecuniæ ſumma quæ trecentas auri libras excedere nõ credebatur, proregi, vt ex ipſorũ finibus diſcederet,ſoluerẽt: ideo prorex legatis ea de re cõſtitutis, fidem publicã dederat:&ſi Prato nõnihil cõmeatus ad eũ miſiſſent eius oppugnatione ad illorũ aduẽtum vſq; abſtinuiſſet.Nihil occaſione ocyus elabitur:nihil periculoſius eſt,quàm de alio rũ arte iudicare: nihil immoderata ſuſpicione perniciosius. Omnes ciuitatis principes, maiorũ exẽplis ad libertatẽ contra ferrũ auro tuendã aſſueti,pacem expetebãt: idcirco vt legati quamprimũ proficiſcerẽtur,inſtabant: quibus præter cetera,vt Prato cõmeatũ Hiſpano exercitui mitti curarẽt,quo prorex pacatè vtrũ pax de qua agebatur perficeretur expectare poſſet:At Vexillifer,ſiue cõtra naturę ſuę inſitũ metũ,hoſtes de victorię ſpe deiectos,per ſe diſceſſuros perſuaſus,ſiue Mediceos quouis modo Florentiã redirẽt metuẽs,ſiue fatis eũ ad ſuũmet exitũ patrięq; ſuę calamitatẽ procurandã ducẽtibus,legatorũ profectionẽ artificioſe protrahẽs,ita egit,vt quo die vt abirent conſtitutũ erat,eo die nõ proficiſcerentur:prorex igitur cõmeatus penuria coactus, & iã de legatorũ aduentu incertus,ſequẽti nocte caſtris à Marcatali porta,ad eã quę Serralij dicitur,qua montẽ verſus itur,tranſlatis,murũ portę proximũ duobus tormentis verberare cępit:hoc potiſſimũ delecto loco,quòd muro prealtus terrę tumulus ex quo facilè ad muri qui verberabatur ruinã aſcendi poterat coniunctus erat;ſed quæ res foris erat facilis,intus difficilis apparebat,quoniã ruina quæ ſupra tumulum fiebat, ab interiori parte longè à ſolo diſtabat:

vnum

vnum è duobus tormentis primis ictibus disruptũ est: alterũ quo solo cõtinenter verberabant, ob crebram iaculationem, tantum virium amiserat, vt ictus valdè lenti & imbecilles ad mœnia peruenirent: nihilominus vbi multarũ horarũ spatio circiter duodecim vlnarũ ruinam egissent, nõnulli Hispani pedites in tumulũ & ruinam, inde in muri pinnas insilire cæperunt; ibiq; duobus qui murũ custodiebant interfectis, atq; ea de caussa reliquis iam retrocedere incipientibus, Hispani pedites scalis admotis cõscensionẽ fecere; & quamuis intus prope murũ esset scloperariorũ & hastatorũ peditũ agmen, ne hostẽ in muro hærere paterentur, & si quis temerè desiliret, alióue modo descenderet, eũ opprimerẽt, tamen vbi hostes in muro viderũt, ipsi fuga dilapsi, propugnationẽ deseruerunt: quare Hispani in militaribus hominibus tantã animi abiectionẽ tamq; paruã experientiã vigere mirati, pluribus ex partibus nemine se opponente ingredi, oppidũ percurrere, in quo nulla iam defensio, sed modò clamores, fuga, violentia, direptio, sanguis & cædes apparebant: Florentini milites arma abijcere, seseq; victoribus cõmendare ac dedere, à quorũ auaritia, libidine, atq; immanitate res nulla immunis fuisset, nisi Mediceus cardinalis, præsidio ad præcipuũ eius loci fanũ posito, mulierum quæ fere omnes eò cõfugerant, pudicitiã cõseruasset: ceciderũt nõ quidẽ pugnãtes (nemo enim pugnauit) sed vel fugientes, vel supplices, supra duo millia hominũ: reliqui omnes vnà cũ Florentino magistratu capti. Prato amisso, Pistorienses in alijs rebus à Florentinorũ imperio nequaquã recedentes, proregi se cõmeatũ suppeditaturos promiserũt; qui vicissim se eos cõseruaturos recepit. Florentiæ verò re vt gesta erat, quãobrẽ legati qui ad proregẽ ibant quũ iã mediũ iter cõfecissent, reuersi sunt, cognita, maxima hominũ animos cõsternatio pauorq; inuasit: Vexillifer autẽ cõsilij sui leuitate cognita territus, & existimatione autoritatẽq; ferè penitus amissa, quiq; potius ab alijs regeretur, quàm alios regeret, dubius, neq; suæ ipsius, neq; cõmuni saluti vlla re cõsulens, aliorũ se volũtati ducendũ permittebat: alij status mutationis cupidi, animo sumpto præsentẽ rerum statũ palàm dannabãt: maxima verò ciuiũ pars, armis nõ assueta, misero Prati exẽplo ob oculos proposito, etsi popularis status studiosa esset, metu cuiuis qui eam opprimere velle prędę erat exposita: quibus rebus audaciores facti, Paulus Victorius & Antonius francifcus Albitius, iuuenes nobiles, seditiosi, & rerũ nouarũ cupidi, qui iam ante aliquot mẽses cũ nõnullis alijs clã pro Mediceis cõiurarãt; & vt de ratione qua reduci possent, cũ eis deliberarent, occultè cũ Iulio Medice in quadã Florentini imperij propè Senensiũ fines villa cõgressi erãt, vt Vexilliferũ vi prętorio extraherẽt tentare statuerunt: & cõsilio cũ Barptolomeo Valorio, eiusdẽ sortis iuuene, & ob nimios sumptus quẽadmodũ & Paulus multo ęre alieno implicatus, cõmunicato, sequẽtis post Prati expugnationem diei, qui fuit postremus Augusti, mane, cũ paucis sodalibus prętoriũ vbi pro Vexillifero, qui se casus atq; fortunę arbitrio cõmiserat, nullus erat apparatus, nullaq; defensio, ingressi, & ad eius cubiculũ progressi, ni prætorio discederet, necẽ ei sunt minati. Quòd si discederet, se illũ seruaturos fidẽ dederũt: quibus cũ ille cederet, & ciuitas vniuersa hoc tumultu esset cõcitata, multiq; eius aduersarij apparerẽt, qui verò illi faueret nemo cõspiceretur, statim magistratibus ijs qui amplissimam in Vexilliferos autoritatẽ habebant, illorũ iussu cõuocatis, vt eum legitimè magistratu priuarent, quod ni facerent, se ei vitã erepturos minantes, petierunt: quo metu quum illũ inuiti abdicassent, incolumen in Pauli domũ duxerunt: vnde sequenti nocte benè comitatus in Senensiũ fines perductus fuit, & inde se Romã, fide à pontifice accepta, petere simulãs, Ancconæ iter ocultè sequutus, Ragusiũ nauigauit: quoniã cardinalis fratris sui opera, pontificẽ, illi pecuniã, cuius magnã vim habere dicebatur, eripiendi cupiditate, fidẽ violaturũ certior factus erat. Vexillifero magistratu moto, ciuitas statim legatos ad proregẽ misit, cum quo Medicei cardinalis opera facilè cõuentum est: cardinalis enim, in sua caussa nihil aliud quàm suorum, & omnium qui ipsum sequuti essent in patriam, vt priuatorum ciuium restitutionem, cum proscriptorum bonorum intra certũ tempus pretio, & sumptibus ab illis in quos translata erant factis restitutis, redimendorum facultate exprimi voluit: quòd vero ad cõmunes res attinet, Florentini in fœderis societatem admissi, id quod Medicei pro restitutionis ipsorum mercede Mantuæ promiserant, se quadringẽtas auri libras vt Gurcẽsis petiuerat, Cæsari persoluturos obstrinxerũt: proregi in militũ stipendia octingenta auri pondo; sed quadringenta statim, reliquũ

intra duos menſes;ipſi verò viginti millia,ea lege, vt prima ſumma accepta,ſtatim ijs quæ occupauerat relictis,Florentini imperij finibus excederet.Præterea cum Aragonię rege,cum mutua certi grauis armaturę equitum numeri ad vtriusq; partis defenſionem, promiſſione fœdus inierunt: & vt Florentini ducentos grauis armaturæ equites ex illius regis hominibus ad ſtipendia, ſua conducerent,quę prouincia etſi nõ nominaretur Paludano marchioni,cui cardinalis Florentinorũ militiæ præfecturam promiſerat,vel ſaltem ſpem fecerat,deſtinabatur.Vexillifero exacto,& belli periculis cõpoſitione remotis,ciues reip. in ijs rebus,in quibus prior forma inutilis habita fuerat,corrigendę,omnibus tamen pauciſſimis,ijsq; vel adoleſcentibus,vel nõ magni ferè momenti hominibus exceptis,libertatẽ &populi comitia retinere ſtudentibus,operã dederunt.Itaq; nouis legib.vt Vexillifer nõ iam perpetuus,ſed annuus eſſet,ſanxerũt;& octuaginta virũm Senatui,qui ſemeſtri quoq; tẽpore mutabatur,cuius autoritate res grauiſſimæ decernebãtur, vt ſemper ampliſſimi quiq; ciues intereſſent,omnes qui ad eum vsq; diẽ primos honores domi vel foris geſſiſſent,in perpetuũ adderẽtur:& domi quidẽ,qui vel Iuſtitiæ Vexiliferi,vel ex Decẽuiris,qui magiſtratus ſummæ in illa rep. autoritatis erat,extitiſſent;foris autẽ omnes illi qui in octuaginta virũm Senatum lecti,aut legationibus ad principes functi erant,aut vniuerſi exercitus in bello legati fuerãt,in reliquis eadẽ forma eiusdẽq; formæ inſtituta retinerentur. Quibus rebus ſic cõſtitutis,in primũ annũ Vexillifer creatus fuit Ioannes baptiſta Ridolfius,nobilis ciuis,& prudẽtiſſimus habitus: qua in re à populo(vt in turbulentis tẽporibus fit)nõ tam is qui popularibus artibus gratior eſſet,quã qui maxima autoritate,qua in vrbe præſertim apud patritios pollebat, & propria virtute nutantẽ reip. ſtatum firmare poſſet,quę ſitus eſt.Sed nimiũ res progreſſæ erant:nimis potẽtes hoſtes habebat publica libertas,in imperij viſceribus ſuſpectũ exercitũ;in vrbe audaciſſimos iuuentutis eius opprimendæ cupidos:idem,etſi verbis contrariũ oſtenderet, erat Medicei cardinalis ſtudiũ;qui iam ab initio ſuorum veluti priuatorũ ciuium reſtitutionẽ, tantis laboribus dignũ præmiũ nequaquã cenſuiſſet: nunc magis etiã cogitabat, ne hoc quidẽ diuturnũ fore,quòd vna cũ ſuo nomine omnib.eſsẽt vehemẽter inuiſi,ob eã ſuſpicionẽ,quę reliquos ciues cõtinẽter ſtimularet,ne fortè illi libertati inſidiarẽtur; ſed multò etiã magis,,pterea quòd Hiſpanicũ exercitũ cõtra patriã duxiſsẽt:quòd ſequiſſimę Pratis direptioni cauſsã prębuiſſẽt:quòd armorũ terrore,tã indignas tamq; iniquas leges accipere ciuitas coacta fuiſſet. Ad idem,qui prius cum illo cõſpirarant, & nõnulli alij qui in benè cõſtituta rep. honeſtum locũ non habebant,illum incitabant: ſed neceſſarius erat proregis cõſenſus, qui primũ pecuniæ partem,quæ in eo ciuitatis ſtatu difficilè cogebatur,expectans,Prati adhuc hærebat: nec(quæcunq; tandẽ cauſla eſſet)ad nouos motus in vrbe excitandos animũ propenſum habebat: nihlominus cum ei cardinalis ciuitati,quę tãtam iniuriã accepiſſet Hiſpanicũ nomen neceſſario inuiſum fore,eamq; quauis occaſione cum Catholici regis hoſtibus ſenſurã:quin etiam,ne quamprimum exercitus abiret,Vexilliferũ,quem coacta eiecerat,reuocaret,eſſe metuendũ oſtẽderet; idemque cum eo facerent Paludanus marchio,& Andreas Caraffa,Santæ Seuerinæ comes,in eodem exercitu duces: præterea,pecuniæ explicandæ difficultate motus, quæ ſi prõptior extitiſſet,in libera rep. plus ſpei poſuiſſet,cardinalis cupiditati eſt eſſenſus:quirebus cum illo cõſtitutis,extẽplò Florentiã ad ædes ſuas venit,quo partim cũ ipſo, partim ſeparatim multi duces ac milites Itali irrepſerunt:neq; enim magiſtratus ob Hiſpanorũ propinquitatẽ illos ingreſſu prohibere audebant: deinde cum poſtero die in prætorio,ob res quę incidebant multorũ ciuium conſiliũ,cui Iulianus Medices intererat cõuenitſſet,milites porta repentè occupata,& gradibus cõſcenſis,prætoriũ occuparunt, argẽteaq; vſa,quæ ad magiſtratuum vſum ſeruabantur, diripuerunt: qui vnà cum Vexillifero illorum,qui plus armis,quã ipſi magiſtratus inermi reuerentia autoritateq; poterãt,volũtati cedere coacti,ſtatim Iuliano Medice ſic iubente, maioris cãpanæ ſonitu populum in prætorij campum ad concionem Vexillifer cõuocauit; quò qui venerunt militum, & ciuitatis iuuenum,qui pro Mediceis arma ſumpſerant,armis ſepti, vt quinquaginta ciuibus ex cardinalis voluntate delectis,eadem in publicis rebus,quam populus vniuerſus habebat, autoritas daretur, conſenſerunt (hanc tam amplam poteſtatem Florentini Baliam apellant) quorum decreto republica ad eam formam,in qua ante annũm milleſimum

leſimum quadringenteſimum nonageſimum quartum eſſe ſolebat redacta: & firmo militum præſidio ad prętorium poſito, Medicei eandem potentiã reſumpſerunt, qua tamẽ imperioſius, & poteſtate ampliore, quàm pater ipſorum feciſſet, vtebantur. Hoc modo Florentinorũ libertas armis oppreſſa fuit; ad hunc ſtatũ præcipue ciuiũ ſuorum diſſidijs redacta; ad quẽ non fuiſſe deuenturã creditur, niſi (vt quòd imprudenter nullius partis eſſe voluerũt, & quòd Vexillifer populàris ſtatus inimicos nimiũ audacia ſumere paſſus ſit omittã) poſtremis etiam tẽporibus publica cauſſa negligẽter procurata fuiſſet: quoniã in Aragoniæ rege ab initio non tantum erat libertatis euertendæ, quantũ ciuitatis ab Galliæ regis amicitia remouendæ, atq; alicuius pecuniæ in militũ ſtipendia ex illa elici endę ſtudiũ: ideo quamprimũ Galli Inſubria ceſſerunt, proregi mãdauit, vt quotieſcũq; vel rebus ingruentibus ad alia traheretur, vel alia de cauſſa Mediceorũ reſtitutionẽ diffi cilem fore animaduerteret, cõſilio ex tẽporum ſtatu capto, cum rep. ageret, vt magis opportunũ videretur: hoc fuerat ab initio eius mandatũ, ſed poſtea pontifici ob ea quæ Romæ in Alfonſum Eſtenſem molitus erat, iratus; & ex ijs, quę palam Barbarorũ nomini minabatur, ſuſpectũ animum gerens, Florentinorũ legato, qui iam ab initio belli ad illũ profectus erat, apertè oſtendit, & proregi, ſiue quòd Vexilliferũ à pontifice alienatũ conſeruare tutius cenſeret, ſiue quòd Mediceũ cardinalẽ reſtitutũ magis pontifici, quàm ſibi adhæſurũ ſuſpicaretur, ne ſtatum perturbare videretur imperauit: ſed hęc poſtrema ſententia, niſi poſtero die poſtquã resp. in cardinalis poteſtatẽ redacta eſt proregi nota nõ fuit. Quę cum ita ſint, perſpicuũ eſt, ſi Florẽtini, poſt Gallos exactos, vt res ſuas cõcordia in tuto collocarent diligenter operã dediſſent, vel ſe veteranorũ militũ armis muniuiſſent, proregẽ aut cõtra ipſos non venturũ fuiſſe, aut in eis opprimendis difficultate inuẽta, facilè pecunia conuenturũ fuiſſe: ſed fato quodã, ne ea facerent, detinebantur: nam præter ea quę humanis iudicijs deprehendi poterant, etiã de cælo imminentia pericula ſignificata fuerunt: non multò enim antè, ſin porta qua Pratũ itur aurea lilia Galliæ regis inſigne, ex veteri marmoreo clypeo in quo erant, fulmine deiecta ſunt: aliud itẽ fulmen in prętorij culmen iactũ, in Vexilliferi cubiculũ peruaſit; vbi aliud nihil, niſi magnã argenteam pyxidem, in quo ſummi magiſtratus ſuffragia colligebantur, tetigerat: inde in infimã prętorij partẽ lapſum, magnũ lapidẽ, qui ad imos gradus adificij molẽ ſuſtinebat ita percuſſit, atq; illæſum loco mouit, vt à peritis architectis magna arte exẽptus videretur. His ipſis tẽporibus, vel paulò antè, Genuenſibus, eius vrbis arcẽ, quę Caſtelletum dicitur, tormẽtis, quæ illis pontifex cõmodarat verberantibus, eius præfectus, quũ auxilij ſpẽ nõ haberet, quoniã claſſis ex Prouincia, ante quã rex de eius vrbis defectione certior factus eſſet, ad eam defendendã miſſa, cum deſcenſionẽ facere milites nõ auderẽt, in Galliã redierat, decem aureorũ nummũ millibus acceptis, eam Genuẽſibus tradidit: ſed in regis poteſtate adhuc erat Pharia turris, quam Laternã vocant, in quam ijsdẽ diebus Galli cõmeatum, aliaq; neceſſaria importarant. Florentinis rebus expeditis, & promiſſa pecunia accepta, prorex, Brixiã verſus iturus, caſtra mouit: quam ciuitatẽ Venetus exercitus, qui ad Ioãnis portã caſtra habebat, oppugnabat; eodemq; tẽpore ciuitatẽ tormentis & ex oppoſito mõte arcẽ verberabat: ſperabant etiã quorundã opera ſeſe Pilarũ portã initroductũ iri; verùm dolo patefacto, ea res irrita fuit. Sed quamprimũ Hiſpanicus exercitus Gairũ caſtellum Brixiæ propinquũ peruenit, Obigninus Gallorũ, qui intus erant dux, ciuitatẽ cum arce ea lege, vt omnes milites qui in ea erant cum rebus ſuis incolumes, ſed vexillis cõplicatis, haſtisq; depreſſis, ac tormẽtis relictis abirent, proregi dedere ſtatuit; & creditur Obigninus mãdato prius ab rege, vt potius Hiſpanis vel Cęſari eã dederet, accepto, proregẽ Venetis antepoſuiſſe, nõ quidẽ Venetorũ odio, ſed ut cõtrouerſiarũ inter Cęſarẽ & Aragoniæ regẽ materiam ſubminiſtraret: idem conſiliũ, ante quam Hiſpani in Galliã ciſalpinã venirent, ſecuti erãt Galli qui Lineacũ cuſtodiebant; qui multis Venetorũ promiſſis contẽptis, id Gurcẽſi epiſcopo cui eodẽ tẽpore, quo prorex Brixiã eſt ingreſſus, Piſcheria eadẽ ratione dedita fuit, tradiderãt: & Gurcẽſis Brixiæ poſſeſſionẽ petebat, ſed pregi viſum eſt tũc fœderis nomine, quo eã acceperat, retinere. Diuerſum ſuſceſſum res Cremẽſes habuere: quam ciuitatẽ Rentius Ceres cum Veneto rũ militũ parte obſidebat: nã quũ quatuor Heluetiorũ millia ab Octauiano Sfortia, Laudenſi epiſcopo, Mediolaniq; præfecto, ad eã pro Maximlliano Sfortia futuro duce capiendã, miſſa appropinquarẽt, Benedictus Cribrarius munerib. corruptus, atq; in Venetã

nobilitatẽ cum iure comitiorũ adſcriptus, Dyrrhachij Domino arcis prẹfecto, qui ſalutẽ ſuã Heluetiorũ fidei cõmittere nolebat, cõſentientẽ, eã Venetis tradidit. Gurcẽſis dein de epiſcopus Romã profectus eſt: cuius animũ quũ pontifex ſummopere ſibi deuincire cuperet, per totũ imperiũ ſuum illũ omni honoris genere excipiendũ (reluctante tamen acrepugnante natura) curauit; eiq; & omnibus ijs qui illũ ſequebãtur toto itinere lautiſſimis ſumptib. ſuppeditatis, ſingula oppida illũ eximijs, imò inuſitatis honorib. accipiebant, omnes viẹ obuiã illi procedentium erant plenæ: multis in locis noui Antiſtitũ clarorumq; virorum à pontifice legationibus ſalutabatur: & voluiſſet vt pontificũ collegiũ ad Vrbis portam obuiam proceſiſſet, ſed collegio eam rem velut nõ modò nouã, ſed & ſummẹ indignitatis plenã recuſante, Agenẽſis ac Strigoniẽſis cardinales ad eũ põtificis nomine accipiendũ, ad quatuor ab vrbe ſtadia in prata vſq; ſunt progreſſi: à quibus medius tanquã Cæſaris vicarius incedẽs, ad Mariæ populi perductus fuit: ex quo loco quũ cardinales ab illo diſceſſiſſent, ingenti omniũ multitudine ſtipatus, ad Pontificẽ qui illũ in publico purpuratorũ ſenatu, pontificali in ſolio ſolẽni ornatu expectabat, venit: quo in loco pontifex etiã ante paucos dies admodũ honorificè duodecim Heluetiorũ legatos, ab omnibus illorũ ciuitatibus, ad obedientiã illi publicè promittendã, & vt gentẽ illã eccleſiæ ſtatum in perpetuũ defenſurã pollicerẽtur, eiq; quod ipſos tanto honore enſem, pileo clypeo, vexillo, & põtificiẹ liberatis Defenſorũ appellatione donaſſet gratias agerẽt, miſſos acceperat. Poſt Gurcenſis aduentũ, de cõmunibus rebus ſtabiliẽdis agi cæptũ eſt: cuius rei fundamentũ, in priuatis cõtrouerſijs, cõtentionibusq; tollẽdis poſitũ erat; vt Italia ſic cõparata eſſet, vt vno animo atq; conſilio Galliæ regi occuri poſſet: in hoc autẽ omniũ difficillima erat inter Cẹſarẽ & Venetum ſenatũ toties tractata pax; quo niã Gurcenſis, vt Veneti Patauium, Tauriſiũ, Brixiã, Bergomũ, & Cremã retinerent annuebat, modò ipſi vicißim Cẹſari Vicetiã reſtituerẽt, illorũ oppidorũ quæ Cæſar poſſidebat iurib. cederẽt, ducẽta Rhenẽſiũ aureorũ nummùm millia in prẹſentia, & ſingulis annis in perpetuũ triginta millia, cẽſus nomine eidẽ numerarẽt: Venetis autẽ ob ea oppida quæ tot annos velut ppria obtinuerant tributũ pẽdere graue erat: graue tantã pecuniã pendere, quãuis pontifex ſe eius partẽ illis mutuò daturũ polliceretur, longè autẽ gratiuius Vicetiã reſtituere: quòd Cẹſare eã obtinẽte, imperij ipſorũ corpus diſtraheretur, ſicq; ipſis ab capite alijsq; nobiliorib. mẽbris tranſeundi opportunitas adimeretur: eamq; ob cauſſam Brixiæ, Bergomi, & Cremæ, dominatũ incertũ, nec ſatis tutũ relinqueretur: præterea vt honeſtiorẽ recuſandi cauſſam ptætexerent, ſe Vicetinis cũ poſtremo eos reciperent, nunquam illos ab ſe diuelli paſſuros, fidem dediſſe aiebant. Alia inter pontificem & Aragoniæ regis legatos tractabãtur, quorum pars potius vt aliorum querelis ſatisfieret, quàm quòd de his impetrãdis ſpes eſſet, proponebatur. pontifex enim petebat vt rex ille (vt in fœdere expreſsũ erat) ſe ad Ferrariã occupandã iuuaret: vt Fabritij & M. Antonij Columnẹ, quos, quòd Lateranẽſem portã violaſſent, & Alfonſum Eſtẽſem perduellẽ in oppida, quorũ ſupremum imperiũ ad eccleſiam ſpectaret accepiſſent, ſacris armis perſequi cœperat, itemq; Florentinorũ, Seneſiũ, Lucenſiũ & Plũbinatium in Hetruria ſuſcepta patrocinia, vt quẹ in Imperij fraudẽ eſſent, & Italiẹ cõmuniter, ac peculiariter eccleſiæ Rom. ſuſpecta deſereret: neq; enim ceteris potentatibus illũ tot clientelas in Italia habere vtile eſſe: eccleſiæ verò prouinciã imperio ſuo cõiunctã, ex eius autoritate pendere admodũ periculoſum. Ad quæ Hiſpani, auxiliũ contra Ferrariã, dũmodo ex eiuſdẽ fœderis legibus, pecuniã quẹ hactenus exercitui debebatur perſolueret, & in poſterũ ne deeſſet prouideret, nõ denegari: Fabritium & M. Antoniũ Columnios perſequi, quòd tum ob patrocinia quibus fulti erãt, tum quòd magnẹ autoritatis duces eſſent noui incendij cauſſa ex eo eſſet oritura, minimè laudandũ eſſe: nõ poſſe Catholicũ regẽ abſq; graui ſui honoris macula illos deſerere: neq; res ab vtroq; illorũ in bello aduerſus Galliæ regẽ pro pontifice & pro ſe geſtas huiusmodi præmiũ mereri. Neq; patrociniorũ in Hetruria ſuſceptorũ querelam iuſtã cauſſam habere; ſed vt Senæ, Luca, & Plumbinũ illius cupiditati prædæ relinquerentur, in his tamen regẽ Cæſaris arbitrium ſequuturũ innuentes reſpondebãt. Omnes fœderati in hoc vnanimes conſentiebant, vt Mediolanenſi imperio potiretur Maximilianus Sfortia; Cẹſare tamen illi diploma vel ducis appellationem, aliudúe legitimum nomen tribuere recuſante. Sed rurſum Gurcenſis

atque

atque Hiſpanorum,ob Parmam & Placentiam, in Imperij iurium fraudem ad nimiam pontificum potentiam,& Mediolanenſis imperij,cuius quòd ſemper primi Gallorum impetus illi eſſent ſuſtinendi,potentia augenda fuiſſet,nimium debilitatam à pontifice occupatas,querela reſurgebat: pontificem in fœderis capitibus nullius rei præterquam Bononiæ & Ferrariæ mentionem feciſſe; nunc iuribus quorum nulla fide digna memoria appareat,id ſibi vindicare,quod eccleſiam Romanã nunquam ne vetuſtiſſimis quidẽ temporibus poſſediſſe certò conſtaret:nec de Cæſarum donatione aliud, quàm ſimplicem ſcripturam,quæ ad cuiusuis arbitrium fingi potuerit,oſtendi: & nihilominus pontificem quaſi res eſſet manifeſta& nota,occaſione ex Gallię togatę Longobardięúe motibus ſumpta,ſibi ipſum ius adminiſtraſſe.Hę altercationes omnes difficulter cõponebantur:ſed longè magis omnia controuerſia inter Cęſarẽ & Venetos turbabat,in qua nunc hortationibus,nunc precibus, nunc minis pontifex vehementer laborabat, Venetorũ ſalutis,vt antea quoq;,cupidus,tum publici Italię boni gratia,tũ quod illorũ auxilijs absq; Hiſpanorum armis ſe Ferrariã expugnare poſſe ſperabat: in hoc & Aragoniæ regis legati ne cõmuni periculo,Venetis ,vt animum ad fœdus cum Galliæ rege renouandum conuerterent,cauſſa præberetur metuentes,incumbebant :ſed ne Cæſarẽ ad fœdus cũ Gallis,quod rex ipſorũ tanto labore diſſoluerat,redintegrandũ prouocarent,&quia aliàs ob cauſſas ab eius amicitia diſcedere nolebat,cautè agere cogebantur: idem & Heluetiorũ legati totis viribus agebant:nam cum Venetos qui illis hanc ob cauſſam quotãnis vigintiquinq; aureorum numum millia pendebant, tueri tenerentur, eò rerũ,vt vel promiſſa nõ ſeruare,vel Cæſari ſi illis bellũ inferret, ſe opponere cogerentur, minimè adduci cupiebant.Tandem quũ nec Gurcenſis, à Vicetiæ petitione remoueri,nec Veneti ad eã concedendã flecti poſſent; nec dum etiã de pecuniæ ſumma inter eos conueniret,pontifex qui vt Piſani conciliabuli nomen autoritatẽq; extingueret,Lateranenſe conciliũ à Cæſare cõprobari ſummoperè cupiebat,Venetorũ oratoribus,ſe eam remp. ſacris atq; profanis armis perſequi coactũ iri , atteſtatus eſt:qua atteſtatione cum illi nõ mouerentur,fœdus cũ ſolo Cęſare percuſſit:quoniã Hiſpanus orator,ſiue quòd mandatũ ab rege ſuo non haberet,ſiue quòd rex ille,etſi Cæſarẽ iuuare vellet, Venetos aliqua ſpe fouere niteretur,intereſſe noluit. In fœderis,quod poſtea publica ceremonia in Maria populi baſilica eſt promulgatũ exordio exponebatur,quòd cum Veneti pertinaciter pacẽ recuſaſſent,&pontifex chriſtianę reip.neceſſitate ſe illos deſerturũ eſſet atteſtatus, Cæſarẽ fœdus anno quingenteſimo vndecimo ſupra milleſſimũ inter pontificẽ,Aragoniæ regẽ & Venetos ictum,quemadmodũ ei tunc facultas eſſet relicta amplecti,ſeq; Lateranenſi concilio mandato reſciſſo omnibusq; procurationibus,& actionibus abiectis pro Piſano conciliabulo cõfectis,deinceps adhæſurũ,ſpondere:nullũ ſacroſanctę ſedis ſubiectũ,hoſtem ue,& nominatim alfonſum Eſtenſem atq; Bentiuolos,Ferrariã atq; Bononiã occupantes,ſuo fauore& auxilio complexurũ:ac Germanos & Federicũ Bozolẽſem beneficiariũ ſuum,ab Alfonſi ſtipendijs reuocaturũ promittere: pontificẽ autem viciſſim ſe Cæſarẽ aduerſus Venetos, ſacris atq; profanis armis tandiu donec omnia quæ Cameracẽſi fœdere cõtinebantur recuperaſſet,adiuuaturũ repromittere:Venetos à fœdere atq; inducijs cum Cæſare factis,propterea quòd ea multis modis violaſsẽt,prorſus excludi:& pontificis,Cęſaris & Catholici regis,cui in fœdere locũ ad certum tẽpus,certisq; legibus relinquebant,hoſtes declarari:põtifici absq; Cæſaris cõſenſu, vel niſi Cæſar ea quæ ad ſe ſpectarent, vt ſupra dictũ eſt, recuperaſſet , cum eis nullã pacẽ inire licere: nec Cæſarẽ nec pontificẽ,cum vllo chriſtiano principe absq; alterius cõſenſu fœdus inire poſſe:bello aduerſus Venetos vigẽte põtifex Fabritiũ,&M. Antoniũ Columnios nulla prorſus moleſtia afficeret: facultatẽ tamẽ põtifici Pompeiũ& Iuliũ, reliquosq; ꝓduelles declaratos perſequẽdi relinqui. Hoc fœdere tametſi põtifici vt Parmã, Regiũ &Placentiã poſſideret ꝓmitteretur,id tamẽ imperio fraudi ne eſſet, fœderis legib.promulgatis, Gurcẽſis ꝓximo Lateranẽſis cõcilij cõſeſſu, Cęſaris nomine cõcilio in terfuit: &tanquã eius per totã Italiã vicarius mandato procurationib.actis omnib.reſciſſis corã vniuerſo cõcilio, Cæſarẽ nunquã Piſanũ cõciliabulũ cõprobaſſe,eos omnesqui eius nomine viſi eſsẽt deteſtãs eſt atteſtatus. Gurcẽſis deinde vtMaximilianoSfortię qui Cęſaris mãdato Veronã venerat,quũ mediolanẽſis impij poſſeſſionẽ caperet adeſſet,Roma diſceſſit:cuius aduentũ Sedunẽſis cardinalis & totius Heluticę gẽtis legati qui Mediolanũ

erant,ægrè expectabant: in ijs enim quæ facienda erant, quod re ipsa verum erat, Gallos ab Heluetijs Mediolano exactos eorundemque virrute & opera Maximilianũ illud accipere,extare volebant: sed tamen prorex magis artibus & industria quàm autoritate vt expectarent effecit: Gurcensis igitur fœdere quod Prati ictum erat Florentię Cęsaris nomine sancito,& certa pecuniæ summa ab Lucensibus quorũ patrocinium susceperat accepta,Cremonam quo in loco Maximilianus Sfortia & prorex illũ expectabant peruenit: vnde vnà omnes vt constituta die apparatu,atq; honore qui nouis principib. exhiberi consueuit,ciuitatẽ ingrederẽtur,Mediolanũ sunt profecti: in cuius ingressu,quãuis inter Sedunensem cardinalẽ & proregẽ, vter ipsorum ei claues apud portã possessionis traditę signũ dare deberet,nõ parua altercatio fuerit,nihilominus tandẽ d'rege cedẽte, cardinalis communi Heluetiorum nomine, claues ei tradidit: & eo die qui fuit sub finem Decembris, omnia quibus Maximilianus ab ipsis imperiũ accipere significaretur, munia obiuit: qui incredebili omnium populorũ lætitia,tum proprij principis habẽdi feruentissimo desiderio,tum quia illum auo,patriúe,quorum alterius memoria ob præstantissimas eius virtutes in illo regno erat clarissima; alterius verò odium externi domi natus tædium in beneuolentiã cõuerterat,similem fore sperabant,acceptus fuit: nec dũ huius cõmunis lętitię diebus exactis Nouarienſis arx,ijs qui in ea erant deditionẽ faciẽtibus, est recuperata. Fœdus Romæ ictum concordiæ inter Cæsarem & Venetos spem non penitus sustulerat: pontifex enim statim Iacobum Stafileum suum internuntium Venetias miserat; cum quo tres Heluetiorum legati, vt Venetos ad concordiam flecterent,iuerant: & vicissim Senatus vt pontificis beneuolentiam retineret,nec Cæsari se armis inuadendi causam præberet,legatis suis vt Lateranensi cõcilio adhærerent mandauerat: & copias suas,statim post fœdus ictum in Patauinum agrum reduci iusserat: ideo prorex quia pacis spem turbare nolebat, exercitum Mediolanum versus conuertebat: sed tamen ijsdem adhuc Vicetiæ restituendæ,& pecuniæ numerandæ difficultatibus permanentibus,incassum erant hi labores: quæ res in caussa erat,quominus pontifex Ferrarienſi bellum inferret: si enim pax inter Cæsarem & Venetos procederet, vires suas Venetorum auxilijs fultas,sola Hispanos, si opus esset,admouendi fama, ad victoriam adipiscendam satis fore existimabat: sin minus in vernum tempus expeditionem differre constituerat: cum enim Ferraria,situ,quod fluuio ambiatur,sit munita; eamque Alfonsus arte valde muniuisset,assidueque muniret, hyberno tempore difficillime expugnari posse videbatur. Ab eo quod mihi proposui,nimirum vt ea quæ extra Italiam gesta sunt non attingerem,si nunc eorum quæ anno eodem in Gallia gesta sunt mentionem fecero,alienum forte videatur; verùm quia illa ex his pendent,& quia vnius successibus sæpe alterius consilia, ac successus coniuncta erant,ea à me non erant sic omno tacitè præterunda. Iam per ipsa Maij initia Anglorum & Hispanorum nauibus,simul sex Anglorum peditum millia ad Fonterabiam,locum in Oceani litore situm,extremũ Hispanię Galliam versus oppidũ peruenerant,vt fœdere inter socerum ac generum suis cum Hispanorum viribus cõiunctis,Ghiennæ ducatum ex veterum distributione acmine,Aquitanię prouincię partem,inuaderent: contra quem motũ Galliæ rex,nec dum à Belgarum parte tutus,nouum octingentorum cataphractorum delectum adornabat: & ex inferioris Germaniæ partibus,quæ Cæsari non parent, magnum peditum numerum conscribebat: & quanti momenti ad Ghiennæ defensionem esset regnum Nauarræ,quod cum Catharinæ Foisseiæ dotale esset,Ioannes Alibretti filius,eius maritus vnà cum illa possidebat,animaduertens,patrem illius ad se vocauerat; illiumque sibi adiungere diligentissimè conatus erat: ad quod quidem Gastonis Foissei mors,cuius caussa, quum illud regnum nõ ad fœminas,sed ad se,qui ex Foisleia familia proximus inter mares esset,spectare diceret, Galliæ rex Ioannem erat persequutus,maximam præbuerat opportunitatem. Ab alia verò parte Catholicus rex,qui iam oculos in illud regnum cõuerterat,ab rege Nauarræ, vt inter se & Galliæ regem neutram factionem sequeretur, copijs suis quæ Galliam petebant, iter per regni sui fines liberum permitteret: atque ad horum fidem nonnulla munita loca,quæ se statim confecto bello restituturũ promitebat: ab eo sibi tradi petebat: quæ postulata cum rex Nauarræ quorsum spectarent intelligeret (antiquum enim Hispaniæ regum Nauarræ occupandæ desiderium notum

erat) se periculo incerto exponere, quàm certam iacturam facere malebat, quòd speraret sibi à Galliæ rege, cuius rebus bellum in Nauarra detinere commodissimum erat, promissa auxilia minimè defutura; & simul, siue vt auxilijs sibi destinatis plus spacij, quò venire possent, daret, siue vt se, si posset, his postulatis liberaret, cum Aragoniæ rege, qui pro more suo magna in his rebus arte vtebatur, hoc negotium tractabat. Sed non magis regi Nauarræ, Aragoniæ regis industria & vigilantia, quàm Galli negligentia, obfuit: qui ex eo, quòd Angli, qui Fonterabiam dudum venerant, nihil effecerant, securior factus; & Nauarræ regem se aliquandiu proprijs viribus tueri posse ratus, in auxilijs mittendis remissior fuit: quare quum Aragoniæ rex, qui Nauarri spes callidè fouerat, copias, quę vt Anglis coniungerẽtur erant cõparatę, summa celeritate eò conuertisset, Nauarrus quòd esset imparatus, belli sustinendi spe amissa, in Biernam regionem trans Pireneos montes fugit: sic Nauarræ regnum, nonnullis munitis locis, quæ pro fugitiuo rege custodiebantur, exceptis, derelictum absq; vllo sumptu, & labore; ac magis Anglorum, qui haud procul erant, metu, quàm proprijs viribus, in Aragoniæ regis potestatem venit: qui quum se illud legitimè possidere alio nomine affirmare non posset, occupationem iure pontificij imperij factam esse, sacrosanctæ sedis autoritate differebat: pontifex enim rebus in Italia feliciter gestis minimè contentus, paulo antè edictum in Galliæ regem promulgarat, quo illum nõ amplius Christianissimum, sed illustrissimum appellans, eum & quotquot illi studerent, omnib. hęreticorũ & schismaticorũ pœnis subijciebat: cuius fortunas, regna, resq; illorum omnes iure occupandi facta potestate, damnatos declarabat: eadẽq; acerbitate, quòd cardinales & reliquos Antistites qui Mediolano aufugerant, Lugdunũ recepti fuissent, indignatus, grauissimo edicto mãdauerat, vt nundinę, quæ quatuor quotãnis maximo mercatorum concursu Lugduni celebrari solitæ, deinceps Geneuæ, vnde prius illas Ludouicus XI ad regni sui cõmodum transtulerat, celebrarẽtur; ac demum vniuerso Galliæ regno sacris interdixerat. At Aragoniæ rex Nauarra occupata, quòd regnũ quamuis sit paruum, exiguaq; vectigalia habeat, tamen ob situm valde est opportunũ, & magnã Hispaniæ rebus securitatem affert: quod bellũ cum Galliæ rege trans alpes sibi vtile non duceret, vlterius sibi nõ progrediendum esse in animo fixerat: idcirco in Anglorum aduentu serò vires suas collegerat; & pòst, Nauarra occupata, Anglis vt copias suas cum illis cõiungeret, sicq; vnà Baionam ciuitatẽ Fonterabię proximam, ferè ad Oceanum positam peterẽt vrgentibus, alias expeditiones in locis à mari remotis proponebat, Baionam adeò munitam, sicq; militibus instructã esse, vt nulla eius expugnandæ spes haberi posset; quibus rebus quum Angli, qui reliqua omnia præ Baiona in Ghiennensi ducatu cõtemnebant, contradicerent, multumq; temporis in his altercationibus triuissent, Angli id molestè ferentes, seq; ludibrio haberi rati, absq; principis sui iussu mandatóue nauibus cõscensis, in Angliam redierunt; quocirca rex Gallię ab illa parte tutus, neq; iam Anglos qui se mari inuaserant metuens, ac deniq; classe tam potens, vt maris imperio ab Hispanico ad Anglicum littus potiretur, Nauarrę recuperandę, ad id etiam præter Anglorum discessum, impulsus, quòd ob res malè in Italia gestas, copias suas omnes in Galliam contraxerat, operam dare statuit. Aragoniæ rex eo tempore quo Anglis belli gerendi spem faciebat, vt Nauarræ regnum vniuersum occuparet, nõnullos milites ad sanctum Ioannem Pedeportum, extremum Nauarrici regni ad Pyrenei radices qua Galliam spectant, oppidum, miserat: deinde Gallorum viribus in proximis locis crescentibus, Federicum Aluæ ducem, copiarum omniũ pręfectum, cum omni suo exercitu eò miserat: tandem verò quum Gallicus exercitus ad quem Delphinus, Carolus Borboniorum dux, & Longauilla præcipui Galliæ principes venerant, longè superior factus esset, Aluæ dux exercitu in castris munitis inter montẽ & planiciem collocato, se, si Gallos Nauarræ ingressu prohiberet, satis facturum censebat, qui quum illum ob loci munitionem inde pellere non possent, constituerunt, vt rex Nauarræ cum septem ex suæ regionis incolis peditum millibus, & cum eo Palicia cum trecentis cataphractis Saluatierra, quod oppidum ab sancto Ioanne Pedeporto, vbi totus exercitus castra habebat, non longè distat, digressi, per Roncalis vallem Pyreneos transirent, & Pompelunę, quæ ciuitas Nauarræ regia est, in qua populi ex Gallorum propinquitate audaciores facti, iam ob regis sui desiderium, sæpius tumultuabantur, appro

pinquantes,Roncinuallenſe iter occuparent, quo ſolo commeatus in Hiſpanorum caſtra ferebatur, cum ipſi eo in loco ob regionis ſterilitatem, eius inopia laborarent: res autẽ in hunc eſt geſta modum.Rex Nauarræ & Palicia, aditu quodã in ſummis Pyrenęi iugis prius occupato,Borghettum,ad eorundem montium radices poſitũ,in cuius præſidio erat Baldes Aragoniæ regis ſtipatorũ præfectus,cum multis peditib.expugnarunt: & ſi ea celeritate qua debebant, ad Roncisuallenſes anguſtias occupandas cõtendiſſet, ſola fames Hiſpanicum exercitũ, vndiq; ab hoſtibus & regionibus præter modũ difficilibus ſeptum,debellare poterat;ſed anteuertit Aluæ ducis celeritas,qui mille peditibus tormentisque in Ioẽnis pedeporti oppido relictis,Roncisuallenſi itinere ante quàm ipſi eò peruenirent Pompelonam contendit: quocirca Nauarrus atq; Palicia, ad quos Delphinus denuò quadringentos cataphractos,& ſeptem Germanorũ peditum millia miſerat,hac ſpe fruſtrati, cum quatuor tormentis ,quæ ob montium aſperitatẽ difficillimè vexerant, Pompellonæ appropinquarunt ; deinde ea nec quicquam oppugnata, anni tempeſtate(erat enim menſis December)atq; ob regionis ſterilitatem,commeatus inopia compulſi,trans Pyreneos, in quibus ob itinerum difficultatem & incolarum impedimentum tormẽta relinquere ſunt coacti, redierunt:eodemq; tempore Lautrechius,qui cum trecentis cataphractis,& trib.peditum millibus,Biſcaiã vniuerſam prædas agendo atq; incendendo percurrerat,Sanſebaſtiani oppido fruſtra oppugnato, alpibus iterum ſuperatis,ad exercitum redijt:qui vndiq; timore,ac ſpe ſublatis, Nauarræ regno,Aragoniæ regi libero & pacato relicto, diſſolutus eſt. Eadem tempeſtate, quum patefactũ eſſet Ferdinandum Federici neapolitani regis filium, qui ſe Calabriæ ducem profitebatur,cum Gallię rege clàm pactum,fugam in Gallorum caſtra,quæ non procul ab Logronio oppido,in quo tunc rex erat,poſita erant,meditari;ab illo in Sciatiuæ arcẽ, qua Aragonij reges,tanquam eorũ qui aut generis nobilitate,aut virtute clari eſſent,carcere vtebantur,miſſus eſt: & eãdem ob cauſſam Philippus Copula neapolitanus,qui de his rebus clàm ad Galliæ regem iuerat, in quatuor partes eſt diſſectus:fortuna ſic hominum ſtatum immutante,vt ipſe eius cauſſa tam graue ſuppliciũ ſubiret,ab cuius paterno auo Sarnenſis comes ipſius pater ſecuri fuerat percuſſus. Hæc autem coniuratio detecta, nonnihil Italiæ rebus momenti afferebat; quæ à quodam monaco,quem Ferrarienſium dux occultè ad Ferdinandum miſerat, originem habuit:quo facto, rex Catholicus,iam ad pontificis obſequium propenſus, ira eſt accenſus multo maiore; adeò vt proregi,& ſuo apud pontificem oratori mandaret, vt quandocunque pontifici viſum eſſet, exercitum ſuum in Ferrarienſem ducerent; neque aliam pecuniam, præter eam quæ ad exercitum fouendum eſſet neceſſaria,peterent.Hæc illo anno in Italia,Gallia,& Hiſpania
1513. ſunt geſta. Sequitur annus quingenteſimus decimus tertius ſupra milleſimum, non minus quàm ſuperior, rebus memoria dignis plenus:in cuius initio, quia nec Veneti alios lacceſſebant,nec quiſquam contra illos mouebatur, armis vndique quieſcentibus,prorex cum tribus peditum millibus Tretium profectus, arce ea lege potitus eſt,vt qui intus erant cum rebus ſuis incolumes abirent: ſed rerum futurarum cogitatio omnium animos premebat; cùm præſertim Galliæ regem, regno ſuo ab externis armis liberato,& multis Germanis conſcriptis, cataphractorumque numero non parum aucto, audaciorem factum, nulla de re magis,quàm de Mediolanenſi imperio recuperando cogitare, notum eſſet: quod ſtudium quamuis in rege ardentiſſimum eſſet, & ſummopere bellum,dum Mediolanenſis & Cremonenſis arx in ipſius poteſtate eſſent, accelerare cuperet , nihilominus quum quantum impedimenti ſibi tot hoſtes afferrent cogitaſſet , nec quin proxima æſtate ab Angliæ rege maximis copijs oppugnaretur, ſatis tutus eſſet, niſi aut fœderatorum aliquem à communi concordia diſinngeret, aut cum Venetis fœdus haberet , nihil mouere ſtatuebat: quorum alterutrum fieri poſſe,iam anno ſuperiore varijs indicijs in animum induxerat: quoniam Gurcenſis, quum Roma Mediolanum contenderet , quodam Sanſeuerinatis cardinalis familiari , qui Galliæ reginæ nomine ad eum miſſus fuerat,in itinere benignè audito , vnum ex ſuis poſtea occultè in Galliam miſerat, per quem hæc proponebat: vt rex Cæſarem contra Venetos iuuaret: vt Secunda regis filia Carolo Cæſaris nepoti nuberet : cui rex dotis nomine Mediolanenſe imperium daret:eidemq; filiæ, ac futuro genero,iura quæ in re-

in regnum neapolitanum haberet, concederet:& ne Cæsari nudis verbis atq; promissis tantùm cautum esset, sponsa statim in eius potestatem transiret: cumque rex Mediolanense imperium recuperasset, Cæsar Cremonam & Giaraddadam possideret:sperabat præterea rex,Venetos ob Brixiam à porege occupatã, & multò magis ob ea quæ Romę inter pontificem & Cæsarem transacta fuerant iratos,sibi adiungere:ideò iam tunc Andream Grittum,qui Brixiæ captus in Gallia captiuus detinebatur,occultissimè ad se adduci iusserat;vt Ioannesiacobus Triultius,in quo magnam Veneti spem habebant,aliorum negotiorum specie suum ab epistolis ministrum Venetias mitteret, effecerat:offerebatur quoq; illi aliqua pacis cum Aragoniæ rege spes;qui vt sæpe sua per homines religioni deditos tractare solebat, binos monacos, qui se publici boni studiosos ostendentes, aliquid quod ad pacem vel communem, vel peculiarem inter duos reges pertineret, cum regina tractare inciperent, occultè in Galliam miserat: huius autem rei, quum Galliæ rex illum sibi Nauarram retinere velle sciret, ipsi verò eum regem,qui vt eius amicitiam ipsiusque auxiliorum spem sequeretur in tantam calamitatem esset redactus, deserere, durum valde,summæque indignitatis plenum videretur,exigua spes erat: nihil autem magis Galliæ regem premebat, quàm Heluetiorum sibi iterum conciliandorum desiderium; quod ex hac re certissimam victoriam pendere animaduerteret,ob maximam autoritatem, quàm tunc gens illa armorum suorum terrore,& quia non amplius velut mercenarij milites, neque vt pastores, sed vt homines in benè constituta republica in imperiorum administratione educati, vigilantes, rerumque successus obseruantes, nec vllum motum nisi ex arbitrio suo fieri permittentes, rempub.administrare cæpisse videbantur:idcirco omnium Christianorum principum legati in Heluetiam concurrebant:Pontifex,& ferè omnes Itali principes, vt in fœdus illorum admitterentur,& quotiescunq; illis opus esset, sui defendendi gratia milites ex illa gente conscribere liceret, quotannis certam pecuniæ summã illis pendebant:quibus rebus elati, & Carolum Galliæ regem ipsorum armis primum felicem Italię statum euertisse,ipsorũ quoq; armis Ludouicum eius successorẽ Mediolanense imperium occupasse,Genuam recuperasse,& Venetos debellasse memoria repetentes,cum omnibus imperiosè atque elatè se gerebant:& nihilominus Galliæ regi,cùm prẹter multorum eius gentis hominũ cohortationes,tum quòd se illos magnam pecuniam pollicendo flexurum existimabat, illud spem faciebat,quòd quum,qui Mediolano præerãt, Maximiliani Sfortiæ nomine Heluetiorum oratoribus,quamprimùm Mediolanense imperium & arces in eius potestate essent, centum & quinquaginta aureorum numũm millia,atq; in vigintiquinq; annos,quotãnis quadraginta millia, si ipsi vicissim se eius patrocinium susceпturos, & milites ad ipsius stipendia daturos se obstringerent,Heluetiorũ tamen pagi id nunquã ratum se habere testati erant:idcirco huius anni initio,etsi antea vt legati,quos ad hæc tractanda mittere volebat,audirẽtur, frustra tẽtasset, Lugani ac Locarni arciũ pactione, liberaq; cessione,vt in comitijs audirentur impetrauit; tanta indignitate magni principes gentis illius amicitiam ambiebant. Itaq; regis iussu Tramollia Lucernã,quo in loco comitia ad illum audiendum erant indicta, venit: & quamuis fronte hilari acceptus esset, mox tamẽ labores suos,quod ad Mediolanẽse imperiũ attinebat, vanos esse cognouit: quoniam ante paucos dies sex pagi fœdus cum Maximiliano Sfortia ictum signo addito comprobauerant: tres comprobare decreuerant: reliqui tres amplius deliberandũ esse censebant:quare iam nihil de Mediolanensibus reb. agens, vt saltẽ regem ad Genuã & Astam,quæ Maximiliani fœdere non comprehendebantur,recuperandas iuuarent,proponebat:quæ vt promoueret, Triultius,propriorum negotiorum tractandorum specie, vt sibi aditus ad comitia pateret, petijt: cui fides publica ea lege concessa, ne vlla de re quæ ad Galliæ regem spectaret ageret: imò quamprimùm Lucernam peruenit,Tramoliæ colloquio siue publico,siue priuato est illi interdictum:tandem communi consensu fœdus cum Mediolanensium duce ictum,ab omnibus ciuitatibus est comprobatum;omnia Galliæ regis postulata reiecta; & insuper,ne illi pedites ex ipsorum gente quibus aut in Italia aut extra vteretur conscribere liceret, additum. Rex igitur ab Heluetijs exclusus,pacem sibi aut cum Cæsare,aut cum Venetis, qui eodem tempore de ea cum Cæsare agebant,necessariam esse animaduertebat: quum enim in sociorum animis,Vene-

torum cum Galliæ rege reconciliationis ſuſpicio augeretur, Gurcenſis, vt ipſi Vicetiam retinerent, aſſentiebatur: ſed quum eædem rationes quæ hoſtibus timorem incutiebant, Senatui ſpem afferrent, niſi Verona, pro qua ipſi maiorem pecuniæ vim Cæſari eſſent daturi, ipſis reſtitueretur, pacem ſe velle negabant; quam petitionem quum difficilem inuenirent, eò magis ad Gallicum fœdus propenſi, cum Triultij ab epiſtolis miniſtro, ſe exprioris cum rege fœderis legibus quib. Cremona & Giaradadda illis darentur, cum rege fœdus ſancituros conuenerunt; qui in fœdere diſertè addidit, vt id nullam vim haberet, niſi intra certum tempus ab rege eſſet comprobatum; in regio autem Senatu, pax nè cum Cæſare, an fœdus cum Venetis magis eſſet optandum, variè erant ſententię: hanc Rubertettus magnę autoritatis regius ab epiſtolis miniſter, Triultius, & ferè omnes regij Senatus principes magis laudabant: Cæſaris inconſtantiã tanto cum detrimento præſenti experientia perſpectã; odium, quo in regẽ flagrabat, & vlciſcendi ſtudiũ, cum præſertim minimè leuibus autoribus, hoc tempore, nonnunquam hæc illius verba fuiſſe accepiſſent, quibus diceret, ſe 10 & 7 iniuriarũ ab Gallis acceptarũ memoriam fixam in animo habere, quarũ vlciſcendarum ſibi oblatã occaſionẽ nullo pacto eſſet prætermiſſurus; nec aliam ob cauſſam hæc ab illo tractari, niſi vt vel doloſa pace maiorem nocendi opportunitatẽ haberet, vel ſaltẽ vt ea, quæ cum Venetis agi ſciebat, impediret: vel deniq; belli apparatus remoraretur: quin verò ſemel ab aliquo deceptus eidẽ iterũ incautè fideret, eum nullam habere excuſationem, neq; miſeratione dignum eſſe diſſerebant: quibus contrà cardinalis Sanſeuerinas, potius, vt aduerſarij aiebant, factionũ aduerſus Triultium ſtudio, quia Mediolani cum fratribus ſemper Gibellinã factionem ſequutus erat, quàm aliaratione ductus, reſpondebat; nihil regi vtilius eſſe poſſe, quàm cum Cæſare reconciliata gratia, hoſtium concordiã infringere: præſertim ſi tali vinculo cõiungerentur, quod diuturnum fore ſperari poſſet: quum principum proprium ſit ſemper in ſuis deliberationibus vtilitatem, beneuolentiæ, odijs, alijsque cupiditatibus præferre: quid autem Cæſari vtilius quàm præſens contra Venetos auxilium & ſpes, nepotem Mediolanenſis imperij ſucceſſorem fore? Cæſare ab alijs diſiuncto, Catholicum regem, nepotis, aliarumúe rerum gratia ſeſe illius autoritati opponere non poſſe? nec quidquam vna hac re excepta, magis pontificem terrere? & contrà, fœdus cum Venetis, quo illis Cremona & Giaraddadda, tam propria Mediolanenſis imperij membra, quæ vt recuperaret, rex orbem vniuerſum cõcitauerat, concederentur, indignitatis plenum eſſe; nec tamen Venetorum amicitia niſi reliquorum ſocietas diſſolueretur ad victoriam conſequendam ſatis eſſe. Tandem hæc ſententia obtinuit, ob reginæ, quæ filiæ amplitudinis erat ſtudioſa, autoritatem, modò illud obtineri poſſet, vt apud matrem donec adoleſceret cuſtodiretur, quæ fidẽ ſuam obſtringeret, ſe Cæſaris nomine tanquã ſponſam eius nepoti deſtinatã cuſtodiret, & marito quamprimùm ætas ad connubium eſſet apta, traditurum; ſed poſtea rex, Cæſarẽ, hanc limitationẽ non admiſſurũ, quin potius hæc ab illo artificioſè, vt alijs eius cõſilijs moram inijceret, ꝓpoſita fuiſſe; certior factus, hoc conſilio reiecto Aſparotum Lautrechij fratrem, qui iam ab aula vt ad Gurcenſem cum hiſce mandatis proficiſceretur diſceſſerat, reuocauit. Ceterùm, fœderis inter regem & Venetos timore creſcente, Aragoniæ rex Cæſarem ad Veronam Venetis reddendam hortabatur; & vt ea pecunia quam à Venetis acciperet, & cum Hiſpanico exercitu bellum in Burgundiam transferret, proponebat: idem & Gurcenſis ſentiebat, qui ſe ſua præſentia Cæſarem mouere poſſe ſperans, in Germaniam redijt; quem non modò Petrus Durrea, qui cum illo venerat, ſequutus eſt, verùm etiam Ioannes baptiſta Spinellus Carriati comes, eiuſdẽ regis apud Venetos legatus, qui (prius tamẽ, ne nouis difficultatibus negotia ſuſcepta impedirentur, Senatu ad inducias cum Cæſare per totũ Martiũ paciſcendas inducto) Ceſarẽ, ſi illi intra certum tempus bina auri pondo millia & quingenta, quotannis autem etiam quingenta pondo penderentur, Veronam reſtituturũ, fidem dederunt. In hac rerũ agitatione, tamque grauibus temporibus, pontificem cupiditatibus curisque magis quàm antea vnquam extitiſſet, plenum (neque enim ſi optatis potitus fueris, cupiditates minuuntur, ſed indies magis & magis potius augentur) morbus inuaſit. Vere namque ineunte, tandiu exoptatam Ferrariæ, quæ ciuitas omni auxilio deſtituta, quum præter ipſius copias Hiſpanus quoque exercitus eſſet acceſſurus,

tenuem

tenuem propugnationem factura credebatur, expeditionem aggredi decreuerat: Senas vrbem triginta aureorum numûm millibus clàm ab Cæsare, vt ei dominum imponeret Vrbinatium ducem, emerat; cui vt sibi ecclesię potentię amplificandæ desiderij integram gloriam conseruaret, Pisauro excepto, nihil vnquam quod ad pontificiam sedem spectaret, concedere voluerat: Cæsari, Mutina pignoris nomine ab illo accepta, quadringentas auri libras mutuò daturus erat: Lucensibus, quòd in Ferrariensium ducis calamitatibus Carfinianam occupassent, eam sibi tradi postulans, minabatur; & Mediceo cardinali, quòd is magis Catholico regi quàm sibi adhærere videretur: & quia se non posse quemadmodum crediderat, Florentina vti ciuitate animaduertebat, iratus, iam nouas cogitationes nouaq; consilia ad Florentiæ statum immutandum agitabat: & in Sedunensem quoq; cardinalem, quia ex diuersorum fortunis bonisq; in Mediolanẽsi imperio sibi plusquam trecenta auri pondo annua conflauerat, indignatus, illum legati nomine priuauerat, Romamq; venire iusserat: vt Vrbinatium ducis res Senis vicinorum fœdere firmiores essent, Carolum Ballionem, vt Ioannempaulum cum Pandulfi Petruccij filijs paternæ potentiæ successoribus affinitate coniunctissimum, Perusia pelleret, denuò ad stipendia sua accersiuerat: Genuæ ducem nouum Octauianum Fregosium, Iano inde remoto, reliquis Fregosijs, quia gradus quem eorum maiores habuerãt magis ad illum spectare videbatur, in hoc consentientientibus, cõstituere volebat: quomodo, Heluetijs quos solos extollebat amplectebaturq; iuuantibus, Hispanicum exercitum aut Italia pellere, aut opprimere posset, assiduè cogitabat: vt regno neapolitano à se occupato, Italia (sic non raro dicere solebat) à barbaris libera, ocio perpetuo frueretur: & hanc ob caussam, ne Heluetij cum Catholico rege fœdus icerent, impediuerat: & nihilominus quasi in eius potestate esset, orbem terræ vniuersum eodem tempore percutere, in consueto aduersus Galliæ regem ardore persistens, quamuis Reginæ nuncio aurem præbuisset, Angliæ regem ad bellum concitabat: in quem Lateranensis concilij decreto Christianissimi regis titulum transtulerat; qua de re iam diploma erat confectum; quo etiam Galliæ rex regia dignitate atq; nomine spoliabatur; & regnum illud proscribebatur, prædęq; obijciebatur. In his talibus tantisq; cogitationibus, & fortasse etiã in alijs occultioribus maioribusq; (neq; enim in tam efferato animo vlla quantũuis vasta atq; immensa cupiditas incredibilis erat) post multorũ dierũ ægritudinẽ mors illũ oppressit: qua se corripi sentiens, purpuratorũ Senatu, cui ob ægritudinẽ ipse interesse nõ poterat, conuocato, edictũ antea à se in eos qui pontificatum simoniacis artibus & largitione adepti essent, promulgatũ sanciri: & successoris eligendi ius penes pontificũ collegium, non aũt penes concilium esse; & seditiosos cardinales quibus se iniurias sibi illatas condonare, deumq; vt ecclesiæ suæ factas quoq; condonaret orare dixit, ei concilio interesse non posse declarari voluit: deinde totum collegium vehementer rogauit, si sibi rem gratam facere vellent, Vrbinatium duci Pisaurum vicarij iure in perpetuum obtinendum concederent; eius ducis opera, potissimum in Ioannis Sfortiæ obitu pontificio imperio ciuitatem illam restitutam, in memoriam reuocabat: nulla prẽterea in re, priuatas propriasúe cupiditates præse tulit: imò Felici filiæ suæ, multisq; alijs eius gratia, vt Guidum Montefalchium, quòd eadem matre nati essent, in pontificum collegiũ cooptaret, vehementer supplicantibus, illum eo gradu dignum non esse apertè respondit; eandemq; in rebus omnibus qua ante morbum præditus esse solebat constantiam, seueritatem, & iudicium, animiq; vigorem retinens, sacramentis religiosè acceptis, nocte diei vicesimæ primæ Februarij, cum iam lucere inciperet, præsentium laborum curriculum absoluit: fuit autem princeps incredibili audacia atq; constantia præditus, sed vehemens, quiq; immensa animo agitaret: quibus quo minus præceps rueret, magis põtificatus maiestate, principum dissensionibus, & temporũ conditione, quàm ipsius moderatione aut prudentia factum esse: magna quidem gloria dignus si profanus aliquis princeps fuisset; aut si qua vigilantia atque animi contentione, ecclesiam, terrenis imperijs, belli artibus vsus, exaggerare conatus est, eadem in ea diuinis rebus augẽda atq; ornanda, pacis artibus ac studijs vsus esset: & tamen omnes priores pontifices clarissima atq; ornatissima memoria superauit; apud eos præsertim, qui veris rerum vocabulis amissis, rectaq; loquendi ratione confusa, magis pontificum munus esse censent, armis

& christianorum sanguine pontificię sedis imperium augere, quàm ad illorum salutem, cuius gratia ipsi se à Christo in terris vicarios constitutos iactitant, vitæ exemplo, & deprauatis moribus corrigendis atq; medicandis operam dare. Pontifice defuncto, neapolitanus prorex cum Hispanis militibus Placentiam profectus, illam ciuitatem sub Mediolanensium ducum imperium, vt esse solebat, redire coëgit: quorum exemplum eiusdem metus caussa & Parmenses sequuti sunt; & Ferrariensium dux statim, Aemiliæ oppidis recuperatis, Regio appropinquauit; sed quum nullus in ciuitate motus exoriretur, quia Hispanicus exercitus inter Placentiam & Regium castra habebat, ibi hærere non est ausus. Nullus præterea motus in pontificio imperio fuit; neq; Roma, vel pontificum collegium, vllam ex ijs difficultatibus sensit, quas in duorum proximorum pontificum morte senserat: quocirca exequijs de more absolutis, cardinales vigintiquatuor cõ claue (sic locum in quem ad nouum pontificem creandum includuntur vocant) pacatè sunt ingressi; sed tamen prius Mantuani marchionis filio qui apud Iulium obses erat iurisiurandi vinculo soluto, ad parentem redire permiserunt: Prima cura in conclaui fuit, in futuri pontificis autoritate, qua defunctum nimis immoderatè vsum aiebant, arctissimis legibus moderanda: quamuis non multo pòst, vt inter mortales alij se principi opponere non audent, alij verò illum sibi beneuolũ reddere studeant, ipsimet ferè omnes eas leges abrogauerint; septimo die nemine dissentiente, Ioannẽ Mediceum cardinalem, triginta & septem annos natum, qui Leo X appellari voluit, põtificem crearunt: quæ res inueteratam cõsuetudinẽ intuentibus miranda videbatur: cuius iuniorum cardinalium, qui multo antè occultè primùm pontificem ex suo numero creare simul constituerant, industria, potissima caussa fuit. Ex ea re penè vniuersa christiana resp. maximã percepit voluptatem: omnibus enim tum ob patris ipsius claram virtutis memoriam, tum eius liberalitatis comitatisq; famam, quæ passim exaudiebatur, tum quia castus, atque optimis moribus præditus habebatur; tum denique quia patris exemplo eruditorum omniumq; illustrium ingeniorum amans futurus sperabatur, illum præstantissimũ pontificem fore persuasum erat: quam expectationem augebat, quod candidè absque largitione, aut maculæ vllius suspitione lectus erat: iamq; deus huius pontificatum suo nutu probare incœpisse videbatur: quoniã quarto die postquam assumptus fuerat, cardinales abdicati, Cruceius & Sanseuerinas in eius potestatem venerunt; qui Iulij morte audita, cum Galliæ regis legato mari Romam contendebant: sed quum in Ligurni portu ad quem naues appulerant, Mediceum cardinalem nouum pontificem creatum intellexissent, eius lenitate freti, & præsertim Sanseuerinas ob necessitudinem quæ illi cum ipso eiusq; fratre intercesserat, fide ab Ligurni præfecto, quæ extra ipsius prę fecturæ terminos non extendebatur, impetrata, in continentem descenderunt; deinde nulla alia cautione quæsita, sponte Pisas sunt profecti: qua in ciuitate honorificè accepti, deinde Florentiam perducti, honestè ita custoditi fuerunt, vt discedendi facultatem nõ haberent, sic cupiente põtifice; qui per Orbitensem episcopũ hãc ob caussam missum, admodum benignis verbis, vt propriæ securitatis, & pontificatus tranquillitatis caussa, donec quo pacto illis Romam esset veniendum, decerneretur, Florentiæ morarentur: cumq; è cardinalium cõsortio iuris forma essent excluſi, eaq; res in Lateranensi concilio confirmata fuisset, cardinalium ritu non amplius incederent: humilitatis nanq; signa ostendentes, res suas in tutum portum perducendi, quemadmodum in animo haberet, facilem ipsi viam patefacturos monuit. Noui pontificis prima actio fuit, coronam more maiorum, in Ioannis Lateranensis basilica accipere: quod quidem tanta cum non modò ipsius familiæ & aulæ, sed & omnium Antistitum, & multorum principum qui eò accurrerant, populiq; Romani pompa factum est, vt Romam post barbarorum inundationes, eo die magnificentiorem, splendidioremq; non vidisse omnes faterentur: quo in spectaculo Alfonsus Estensis, qui vt interdictum suspenderetur adeptus, magna cum rerum suarum ob pontificis mansuetudinem componendarum spe Romam venerat, pontificium vexillum tulit: Rhodiorum verò equitum signum ferebat Iulius Medices, armatus generoso equo insidens; natura ad arma propensus, sed fatis illum ad sacerdotalem vitam, in qua fortunæ vicissitudinis admirabile exemplum esset, trahentibus: hunc autem diem magis memorabilem, atq; admirandum fecit, quòd is qui tunc tanto apparatu ac

tu ac magnificentia tantæ dignitatis insignia capiebat, eodē die superiore anno miserè captus fuerat. Hæc magnificentia planè regia, apud plebem expectationē de illo concepta confirmauit: omnes enim Romam sub pontifice tanta liberalitate tantoq; splendore ornato, fortunatā fore persuasum habebant: constabat proculdubio eo die centū aureorum numûm millia ab eo effusa fuisse: sed prudentes viri, tantum luxum minimè pontifices decere, neq; præsentium temporum statum, vt pecuniæ à defuncto pontifice cumulatæ inutiliter consumerentur postulare, censentes, maiorem grauitatem moderationemque desiderabant. Verùm nec pontificis mutatio, nec vlla res alia Italiæ quietem constabilire poterat, imò iam res apertè magis ad bellum, quàm ad pacem inclinare videbantur: quoniam Cæsar prorsus à Veronæ restitutione alienus, quòd Italiam ingrediendi facultate priuari videretur, quamuis induciæ in totum Aprilem prorogatæ essent, pacis capita Mediolani agitata contempsit; & Catholici regis oratorum in pace suadenda ardorem molestè ferens, Carriatij comiti dixit, ipsum, quandoquidem erga Venetos tantopere affectus erat, dignum esse, qui potius Venetus orator, quàm Hispanus appellaretur. Hanc autem propensionem multò magis auxerunt induciæ in annum inter Christianissimum & Catholicum regem de transalpinis modò rebus factæ; quibus Galliæ regi Hispanorum metu ab ea parte liberato, belli in Insubria renouandi maxima oportunitas dabatur. Catholicus rex semper à bello cum Gallis trans alpes gerendo abhorrebat: nam quum pecunia non abundaret, ideoq; Hispaniæ principum, atque populorum viribus vti cogeretur, aut minus prompta auxilia habebat, aut belli tempore ferè illis subiectus esse cogebatur; præsertim verò hoc tempore vetus eius consilium confirmabatur; quoniam regnum Nauarræ recenter partum, melius quiete poterat stabiliri; sed multò magis quia quum post Isabellæ reginæ mortem non iam Castellæ regni possessor, sed administrator tantùm esset, turbulentis temporibus non tam firmam autoritatem habebat; cuius rei exemplum recens in Nauarræ defensione viderat; in qua & si faustum exitum habuerat, nihilominus ob auxiliorum tarditatem in non pauca pericula penè incidisset: quæ quum vitare deinceps vellet, antequam de pontificis morte nuntios accepisset, inducias pactus est; quæ tamen non prius quàm de noui pontificis creatione certior fieret promulgatæ fuerunt: vt verò huius inexpectati consilij reprehensionem effugeret, fœdus sibi à pontifice & Venetis violatum fuisse asserebat; quia post Rauennensem pugnam, nunquam illi quadringēta auri pondo, quæ dum rex Galliæ aliquid in Italia possideret ipsi debebantur, dare voluerant: se vnum communi sociorum vtilitati studuisse; neque communis victoriæ præmia sibi vindicasse; ac ne turriculam quidem in Italia possidere, supra id quod antea possideret: Pontificem verò proprium commodum quæsiuisse; resque communes sibi vindicasse; Parmam, Placentiam, & Regium occupasse; neque aliud quàm de Ferraria occupanda cogitare: hac ipsius cupiditate factum esse, quo minus Mediolanenses arces, & Genuensis, quæ Laterna dicitur, potuerint obtineri: se omnem diligentiam, autoritatemque suam vt pacem inter Cæsarem & Venetos conciliaret, adhibuisse: pontificem verò proprij commodi gratia, illos à fœdere præcipiti consilio excludisse; eaque in re oratores suos imprudenter egisse; qui quum ipsius nomen in eo capite quo de fœdere ineundo agebatur, quòd hanc eius scirent esse sententiam, inferi nō permisissent; in eo deinde quo Veneti excludebantur, eundem nominari permiserint: neq; Venetos hac in re, in eo quod Vicetiam tanti fecerint, vt potius belli molestias quàm eius iacturam ferre voluerint, prudentiæ ipsorum opinioni satisfeciisse: se nullo modo exercitum quem in Italia habebat, nisi promissa stipendia persoluerentur, alere posse; & multo minus omnem belli vim in regni sui finibus, quemadmodum reliquos omnes optare ac procurare animaduertebat, sustinere posse: nec pontificem cogitationes suas de regno neapolitano ipsi adimendo iam dissimulare posse: se tamen hisce iniurijs ad sacrosanctam sedem, reliquamque Italiam deferendam minimè moueri, si modò ipsi quoque parem animum, vt par erat, ostenderent: sperare se illos his suis cum rege inducijs commotos, se cum pro communi defensione paratiores fore. Inducijarum tabulis, Cæsaris & Angliæ regis, & si nihil cum ipsis ea de re communicasset, nomina inserit: illud verò ridiculum fuit, quod ijsdem diebus quibus solemni ritu induciæ per totam Hispaniam promulgaban-

tur,venit Angliæ regis nuntius,vt ei significaret,quantis apparatibus rex ille in Galliam esset irrupturus;moneretq; , vti & ipse quemadmodum promiserat, in eam Galliæ partem,quæ Hispaniæ finitima est, arma inferret. Hæ inducie in Italia illorum animos quibus Gallorum imperium molestum erat, magnopere terruerunt: omnes enim Galliæ regem,exercitum quamprimùm in Italiam missurum,Venetosq; ob Cæsaris in pace facienda pertinaciam, cum illo fœdus inituros fore existimabant:quos simul coniunctos sustinere admodum difficile videbatur;quoniam Hispanicus exercitus,quamuis ex Mediolanensi imperio infinitis sumptibus exhausto,aliquando nonnihil pecuniæ extorsisset, vnde se aleret non amplius habebat. Noui pontificis nondum erat exploratus animus:vt Galliæ regis potentiã alpes terminarent, clàm cupere videbatur;tamen in pontificatu recens , & inducijs ab Hispano rege,eo tempore quo consilia sua ad bellum dirigere credebatur,factis , non minus quàm ceteri perturbatus,animi admodum dubius hærebat;eam quoq; ob caussam indignatus,quòd quum Parmam atq; Placentiam pontificio imperio restitui vehementer vrgeret,reliquis illas ciuitates Mediolanensi imperio conseruare cupientibus,& fortasse illum earum recuperandarum desiderio,eius imperij patrocinium susceperturum sperantibus, verba quæ spem facerẽt in promptu erant, res ipsa lentè procedebat. In Heluetijs certius potentiusq; præsidium positum videbatur; sed quia nec Maximilianus Sfortia,nec quisquam alius pecuniam,quæ ex pacto ad illos mouendos erat necessaria,explicare poterat,metuebant,ne,cum maximè opus esset,in Insubriam descendere recusarent. At rex Galliæ statim pactis inducijs,rationibus supra dictis victoriæ spem facientibus , exercitum in Italiam mittere statuit: quibus rationibus accedebat, quòd Mediolanenses tot tributis,mulctis,pensionibus,rapinis,stipendijs ab Heluetijs Hispanisq; vexatos , imperium suum vehementer exoptare sciebat, quum ex aliorum acerbitate , Gallicum imperium illis comparatum,expetendum esse cognouissent; quin etiam multi nobiles viri per proprios nuntios ad regem & Triultium,quem rex vt ex propinquiori loco cum Mediolanẽsibus ageret, Lugdunum miserat,vt quamprimum exercitum mitteret, hortabãtur: se statim vbi alpes transiuisset,aperte arma sumpturos : nec Triultij cæterorumq; exulum deerant stimuli;qui pro more illorum qui extra patriam exulant,rem valde facilem fore,præsertim Venetis sibi adunctis,differebãt:illud etiã illũ accelerare cogebat,quòd se huic bello ante finem impositurum sperabat,quàm Angliæ regis bellum inciperet,quod nisi post aliquot menses initium habere non poterat; quoniam regnum illud,quum multos annos in ocio vixisset, armis,tormentis , atq; omnibus ferè rebus ad bellum necessarijs carebat; & quia Angli nullam præter pedestrem militiam norunt , equites non habebat:cumq; etiam pedites minimè bello essent experti , cogebatur rex (validissimum enim exercitum in Galliam ducere volebat) aliquot Germanorum phalanges conscribere; quæ omnia sine longo temporis spacio fieri non poterant. His accedebat ille metus, ne arces ob commeatus inopiam dederentur , & præsertim Genuensis Laterna, in quam ante paucos dies naui ad hoc missa commeatus immitti non potuerat;quæ Albigauno,quousq; illam tres aliæ onerariæ naues,& vna magna longa comitatæ erant,prospero vento in altum lata,cuius vi inter Genuensium naues tutò inuecta , arci appropinquarat; ancorisq; iactis,& arci alligata , iam commeatum & reliqua quæ attulerat exonerare incipiebat;cum Andreas Auria,is,qui postea in maritimis rebus tã felix & celebris fuit, magno suo periculo,magna naui,cuius ipse erat dominus , inter Laternam & Gallicam nauim ingressus, funem qua arci erat alligata,& ancorarum rudentibus amputatis , strenuè pugnans,vulnere etiam in facie accepto,ea potitus est. Itaq; rex,quum bellum incipere statuisset,atq; vt in omnem euentum pararus esset , prius multis equitum turmis in Burgundiam , atque in Delphinatum missis, res iam multos menses cum Venetis agitatas,sed ab vtraque parte nonnihil intermissas , pressius vrgere cœpit : nam regem nunc pacis cum Cæsare spes, nunc Venetis Cremonam & Giaradaddam pertinaciter petentibus , dubium tenuerat: qua de re in veneto Senatu variæ fuerant sententiæ: multi enim magnæ in rep.autoritatis viri cum Cæsare concordiam suadebant; vtilius esse tantos sumptus eo tempore vitare ; seque periculis liberare , quo deinde ad occasiones amplectendas paratiores essent,quàm defatigata rep. & priuatorum fortunis exhaustis, vnà cum Galliæ rege,cuius

ami-

amicitia,quàm fida tutaq; esset, tam recenti exemplo discere potuerint,nouis se bellis implicare demonstrantes; nihilominus cum maxima Senatus pars,talem pristini imperij recuperandi occasionem rarò dari posse, nec se vel pace cum Cæsare facta, si Veronam retineret, molestijs periculisq; liberari censeret,fœdus cum Galliæ rege,Cremonæ & Giaraddadæ cogitatione depositа, ferire statuerunt: quæ per Andream Grittum, qui iam potius legati quàm captiui personam sustinebat, in regia aula, his legibus confectum fuit: qua Barptolomæo Aluiano & Andrea Gritto dimissis, Veneti Galliæ regi contra quemuis qui illum in Asta, Genua,& Mediolano recuperandis impedire vellet, se octingentos grauis, mille & quingentos leuis armaturæ equites, & decem peditum millia auxilio daturos receperunt:Rex vicissim illis,donec omnia prorsus,quæ ante Cameracense fœdus in Longobardia & Marca Taurisina possidebant, recuperassent, opem laturum repromisit : quibus in hunc modum constitutis, statim Ioannesiacobus Triultius, & Aluianus Segusium sunt profecti;alter vt inde quàm tutissimo itinere Venetias contenderet;alter verò vt ibi copias in id bellum destinatas,quæ cotinerent mille quingentos cataphractos,octingentos leuis armaturę equites,& octo Germanorum peditum millia,septem Gallorum colligeret:quibus vniuersis Tramollia prorex, vt maiori dignitate res gererentur,imperabat.Hoc ipso tempore rex summis precibus à pontifice, ne se in suo ducatu recuperando impediret,contendebat; se non modò post victoriam vlterius non progressurum , verùm etiam semper pacem ad eius arbitrium facturum promittebat: quæ etsi pontifex benignè audiret, & quo verba sua maiorem fidē inuenirent, in negotijs cum rege tractandis Iuliani fratris sui opera vteretur, multa tamen illum regi suspectum reddebant: rerum ante pontificatum gestarum memoria;deinde , quòd quamprimùm pontificatum est adeptus,Cinthium familiarem suum , cum humanis literis atq; mandatis, sed adeò communibus vt eius animum erga illum minimè propensum ostenderent,miserat: deniq; quòd Prosperum Columnam Mediolanensium ducis copiarum summum præfectum fieri , quòd Iulius odio quo in Columnios flagrabat , semper prohibuerat , permisisset : suspitionem quoq; multo magis augebat, quòd pōtifex Angliæ regi,se in fœdere,quod cū Cæsare,& Catholico rege, & ipso ictū erat,permanere velle significarat; & ad Heluetiorū ciuitates ita scripserat, quasi illos ad Italiæ defensionem hortaretur: neq; fœdus ab Iulio cum illis ictum,quo viginti aureorum numūm millibus quotannis ab ipso numeratis pontificij imperij patrocinium susceperant, se ratum habere velle,in eoq; perseuerare dissimulabat:illud etiam eius animi inditium erat,quòd Ferrarienſium ducē in suam gratiam nō recepisset; sed Regij restitutionem varijs excusationibus tamdiu distulerat , dum cardinalis eius frater , qui vt Iulij iram,& Galliæ regis vt ad Pisanum concilium iret stimulos euitaret,Agriam ad suū in Pannonia episcopatum se contulerat,Romam veniret.Illud verò maximè suspectum pontificem reddebat , quòd(quamuis occultissimè) venetum Senatum vt cum Cæsare componeret,hortatus erat;quæ res regis consilijs penitùs aduersabatur,quin etiā,quòd pontifex se non alia quàm pontificij muneris de caussa moueri præse ferens,breuem epistolam , qua ipsum vt arma non moueret,vt bello honesta pactione finem imponeret hortabatur , ad se misisset,sinistrè interpretabatur : quod quidem rex per se non vituperasset, si eodem pacis studio Angliæ regem ad Galliam non infestandam hortatus esset:& certè minimè vana erat regis suspitio,quoniam pontifex,siue quòd id ad communē securitatem, aut ad pontificatus amplitudinem vtilius duceret:siue quòd iniuriarum ab Galliæ regibus acceptarum memoriā in animo fixam haberet : nam quamuis pater maioresq; ipsius illis addictissimi fuissent, varijsq; occasionibus emolumenta honoresque ab illis accepissent, recentius tamen erat,quod Caroli aduentu ipse & fratres Florentia pulsi fuerant; & quòd hic ipse rex populari gubernationi fauens,aut ipsos semper contempserat , aut si quando se erga ipsos propensum ostenderat,id eò fecerat , vt illis velut instrumentis ad Florentinos , ea suspitione,in leges sibi ipsi vtiles,Mediceorū prorsus oblitus,pertrahendos abuteretur. Huc fortè accedebat,quòd post Rauennensem pugnam captiuus Mediolanum perductus fuerat: quodque rex ipsum in Galliam duci iusserat. Sed quamuis vel has,vel alias ob caussas sic esset animo affectus,quum firma & valida ad obsistendum firmamenta,quemadmodum cupiebat, non videret, cau-

tius omnia agere, & quantum poterat consilium suum tegere, semper postulata, & ea quæ cõtra regem afferebantur, cupidè audire: nam Heluetij ad arma pro Mediolanensi imperio tuendo capienda vehemẽter propensi, dummodò mediocris pecunię summa, quæ ob reliquorum inopiam ab vno pontifice sperari poterat, ipsis daretur, copijs longè maioribus se descensuros pollicebantur: proregis autem incerta erant cõsilia, varia, acta verba: nunc enim pontifici si modò & ipse apertè se ostenderet, & copias quæ suis coniungerentur mitteret, ac pedestres copias numero validas per tres menses aleret, sese Gallis obuiam iturũ aiebat: quod quò facilius crederetur, militibus suis ex Parmensi & Regiensi agro aduocatis, ad Trebiam amnem castra locarat: cumq; nonnulli è suis militibus in Dertonæ atq; Alexandriæ præsidio essent, eos nunquam reuocarat: nunc se à rege suo, eo ipso tempore, quo inducias factas sibi significasset, mandatum, vt exercitum Neapolim reduceret, accepisse aiebat: secus autem loquebatur Hieronymus Vichius orator apud pontificem; qui tamen eatenus cum illo consentiebat, quòd regem suum, si pontifex Mediolani patrocinium susciperet, nulla inducíarum habita ratione, se bellum Galliæ illaturum, quod ei etiam integra fide licere dicebat, pollicebatur. Ideò multorum opinio fuit, regem illum, inducíarum caussa neminem fore qui se Galliæ regi opponeret, veritum, proregi mandasse, vt nisi reliquos ad Mediolanensis imperij defensionem vehementer concurrere videret, Galliæ rege nullis nouis iniurijs lacessito, exercitum Neapolim reduceret: quam etiam ob caussam se ad pacem propensum regi ostendebat; & Cæsarem atq; Angliæ regem ad idem adducturum pollicebatur: & quo illum sibi minus acerbum, si fortè Mediolano potiretur, redderet, exercitum suum sese illi non oppositurum tantùm non certò promittebat. Prorex igitur quum discedere in animo haberet, milites qui sub Piscario Alexandriæ atque Dertonæ erant reuocauit; simulq; (vt fama fuit) vt ab Gallię rege gratia sibi pro discessu haberetur, quid facturus esset Triultio significauit; verùm quia Heluetij ad Mediolanensis imperij defensionem vehementissimi, publico decreto quinq; millia peditum miserant, & se multo maiorem numerum missuros spem faciebant, id non statim fecit; imò siue quòd Cæsari eas inducias molestissimas fuisse certior factus esset, siue quòd noua ab rege suo vt pontificis voluntati obtemperaret mandata accepisset, contrarium ostendens, Prosperum Columnam, qui, cum Heluetijs de loco in quo contra Gallos conueniendum esset, constitueret, misit: pontifex verò, hinc exigua spe, illinc propria propensione agitatus, in eadem ambiguitate versabatur; & nihilominus quum Heluetij in Dertonensem agrum, in quem locum Prosper proregem vt se illis coniungeret venturum ostenderat, venissent, varijs interpositis excusationibus vt ad Trebiam venirent postulauit: ex qua petitione, ipsi à verbis diuersum eum animum habere olfacientes, ferociter responderunt, proregem non hoc, vt hostibus frontem ostenderet, sed vt tutius terga verteret petere: nihil Heluetios morari, si ille pugnam cum Gallis formidaret; se eodem habere loco, siue abiret, siue maneret, siue aufugeret: se solos Mediolanense imperium contra quemuis tueri posse. Sed iam regio vniuersa tumultuabatur, & Mesuaci Comes Ioannisiacobi filius, nemine resistente, Astam, & deinde Alexandriam erat ingressus. Galli Segusio profecti appropinquabant. Mediolanensium dux quum tardius vt Alexandriã ingrederetur venisset, se cum Heluetijs prope Dertonam coniunxit: quo ex loco quum prorex se discedere statuisse illis apertè significasset, Nouariam vnà contenderunt: Mediolanenses ob proregis discessus famam, legatum, qui se duci excusaret, si quum nullum qui se tueretur haberent, quo extremum exitium vitarent, cum Gallis paciscerentur, Nouariam miserunt: ipse autem benignè se excusationem ipsorum admittere ostendit; quin etiam laudauit, quòd communis patriæ saluti piè consulerent: qua occasione Sacromorus Vicecomes, arcis obsidioni præfectus, ad Gallorum fortunam conuersus, commeatum in eam immisit. Prorex igitur à Trebia cum omni exercitu, in quo erant mille ducenti grauis armaturæ equites, & octo peditum millia, vt qui velut Insubriæ rebus desperatis, de exercitus tantùm salute esset solicitus, in regnum reuersurus discessit: sed eodem die acceptis in itinere inter Placentiam & Florentiolam ab Roma literis, fignis statim conuersis in eadem castra redijt: eius rei caussa fuit, quo pontifex, cui ijsdem ferè diebus Placentia & Parma restitutæ fuerant, quum experiri statuisset, num Heluetiorum

tiorum opera Mediolanense imperium defendi posset, Hieronymo Moronio, ducis apud se legato, quadraginta duo aureorum numûm millia, quæ ad Heluetios mitterentur, occultissimè dederat: id autem si forte alijs innotesceret, eo nomine, vt viginti millia, annuæ pensionis, reliqua tribus Heluetiorum pagis, qui ea à defuncto Pontifice, qui nunquam illis satisfacere voluit, sibi deberi aiebant, attribuerentur: ob proregis ad Trebiam reditum, & aliorũ Heluetiorũ aduentus famam, Mediolanenses præcipitis cõsilij sui pœnitẽtia ducti, Maximiliano Sfortię, se, quotiescunq; Heluetiorũ atq; Hispanorum copię coniungerentur, sub ipsius imperium redituros, spem faciebant: quam spem vt fo ueret prorex, apud quem erat Prosper Columna, se transiturum promittens, sed nunquam præstans, Pado pontem imponebat: cum enim potissimùm exercitus saluti studeret, & Gallos à fronte, à tergo Venetum exercitum, qui Cremona iam occupata, & ponte ad Cauam Pado impositio prope aderat, habere, periculosum ei videretur, ex rerum euentu consilium capere volebat. Aluianus longis itineribus Segusio Venetias erat profectus; vbi quum in Senatu, postquam nemine contradicente Giaradaddæ pugnæ culpam in Pitiliani comitem coniecisset, & de præsenti bello magnificè disseruisset, ab Senatu omnium copiarum imperator ijsdem legibus, quibus Pitiliani comes eum gradum habuerat, & fortasse (tam sæpe fortuna socordiæ mortalium illudit) eodem die quo ante quatuor annos, in hostium potestatẽ venerat, est salutatus: vnde statim ad exercitum, qui ad Sambonifacij Castellũ in Veronensi agro colligebatur, profectus; Theodorum Triultium tanquam Galliæ regis vicarium secum habens, summa celeritate eodem die quo Gallicus exercitus Segusio mouit, Veronæ portis, qua in ciuitate nonnulli vt illum intromitterent coniurarant, appropinquauit: sed postero die quingenti Germani pedites, Athesi fluuio Veronam sunt ingressi; & coniuratione patefacta, Aluianus eius capiendæ spe amissa, contra Veneti legati autoritatem ad Padum, vt Hispanos transitu prohiberet, aut prout rerum progressus postularent, se Gallis coniungeret, exercitum ducere statuit: neq; hoc consilium, nisi cum iam vnis castris procul à Verona esset, Senatui significauit: nam etsi totius belli euentum, ex Mediolanẽsis imperij successu prorsus pendere diceret, in quo si Gallis fortuna esset aduersa, quicquid alibi conarentur adipiscerenturúe vanum esset: ideoque totis viribus, Galli victoriam ibi esse adiuuandam, tamen non sine caussa, ne Senatus repugnaret, metuebat: id autem nõ tam ob Veronæ & Brixiæ prius recuperandæ studium, quàm quia nonnulli alij duces, si quid finistri accideret, quàm difficile esset incolumes per Veronensium & Mantuanorum fines, qui Cæsaris imperio aut parerent aut fauerent, pedem referre, ostendentes, vt ante quàm Gallorum progressus melius essent explorati, Mincius transiretur, nõ probabant: Vallegienses & Pischerienses eius minis territi, oppida dediderant: quare & arcis præfectus territus, exigua pecunia pro se, & nonnullis Germanis qui intus erant accepta, arcem tradidit. Iisdem diebus, nonnulli ex montanis locis præcipui viri, cum multis agrestibus Brixiam in Venetorum gratiam sunt ingressi; & nihilominus Aluianus, quamuis à Brixianis legatis, qui illum Gambaræ inuenerũt, rogatus, Veneto etiam legato suadente, Brixiam, vt vel vnum diem ad arcem, quæ proregis nomine custodiebatur, recuperandam, ibi moraretur, ire noluit; tantus erat prioris consilij citra moram exequendi ardor: qua celeritate, quum ad Cremonæ portas peruenisset, ibiq; Galeacium Palauicinum, qui à nonnullis Cremonensibus accersitus fuerat, pro Galliæ rege ingredientem offendisset, nec eius vrbis recuperatæ gloriam sibi cum alio communem esse vellet, illius copias fudit atq; diripuit; & vrbem ingressus, Cæsarem Fieramuscam, qui cum trecentis equitibus, & quingentis peditibus à Mediolanensium duce ad eius vrbis præsidium relictus fuerat, spoliauit. Nec verò opus erat in arce recuperanda tempus terere, cum illam semper Galli obtinuissent: & paulo antè ab Rentio Cerite commeatu fuisset instructa: qui quum Cremam, cuius præsidio erat præfectus, reuerteretur, & ducentos Alexandri Sfortiæ equites ad Cerianam obuios habuisset, illos fregerat: Inde igitur castris ad Cauam, cum ponte ad Padum traijciendum parato, positis, milites quin aliquando pontificis oppida infestarent, non continuit: deinde cùm iam ob Cremonæ mutationem, Soncinum, Lauda, & reliqua circumiecta oppida Gallorum signa erexissent, Picighitonum contendit: sed prius, quamprimùm Cremona potitus est, Rentium Ceritem

cum copiarum parte Brixiam,vt eius ciuitatis ſtatum firmaret,arcemq; reciperet,& multò magis, vt Germanorum ſecundos curſus cohiberet,miſerat: nam ferè ſtatim vbi ipſe Verona receſſit,Roccandulphus Germanorũ peditum dux,& cum illo Federicus Gonzaga Bozolenſis, cum ſexcentis equitibus,& duobus peditum millibus Verona egreſſi, ad Bonifacij fanum,vbi Aluianus trecentos expeditos equites,& ſexcentos pedites,Sigiſmundo Caballo, & Ioanne Forti, ducibus reliquerat,contenderunt:illi verò absque vlla militari diſciplina per agros diſpalati, hoſtium cognito aduentu,Coloniam confugerant; vbi Germani eos perſequentes, vi ingreſſi,illis omnibus captis, oppidum diripuerunt atq; incenderunt:idem poſtea Soauij fecerunt:pontem à Venetis Atheſi impoſitum reſciderunt;eodemq; impetu Vicetiam occupaſſent,niſi repentè maxima agreſtiũ hominũ copia in eã conueniſſet:quos progreſſus,maioris põderis faciebat, quòd alios pedites ex Tirolenſi comitatu Veronã aduentare rumor erat. Quo tẽpore Gallica claſſis cum nouem triremibus,alijsq; nauibus Genuæ appropinquauit: terreſtri verò itinere,Antoniotus & Hieronymus Adurnij fratres,cum litoralib. ſuæ factionis hominibus, alijsq; militibus regio ære conſcriptis,maxima occaſione, propter diſcordiam inter Fliſcos & Genuenſium ducem, cum quo antea contra Adurnios coniuncti fuerant, ortam moti:nam ſiue caſu orta rixa, ſiue ob ſuſpicionem conceptam,Hieronymus Ioannis Aloiſij Fliſci filius,prætorio egrediens, ab Ludouico, & Fregoſino ducis fratribus interfectus fuerat; ob quam iniuriam Ottobonus & Sinibaldus eius fratres, ad caſtella ſua profecti,paulo pòſt cum Galliæ rege conuenerant; & cum Adurnijs conſpiratione facta,ab altera parte cum quatuor peditum millibus Genuæ appropinquarunt. Dux per ſe Fliſcam atq; Adurniam factiones ſimul coniunctas ſuſtinere non poterat; neque ob aduerſariorum celeritatem auxilium ab prorege petitum, in tempore adeſſe poterat;& mille ipſius pedites in proximis montibus, quum maiorem numerum ſuſtinere nõ poſſent,fuſi,res penitùs perdiderunt. Quare dux vnà cum Fregoſino,vix tantum temporis vt propriæ ſaluti conſulere poſſent nacti, Ludouico altero fratre ad Caſtelleti cuſtodiã relicto,mari aufugerunt:victores autem Genuam ſunt ingreſſi;vbi Fliſci fratres vltionis impetu impulſi, Zachariam ducis fratrem, qui in pugna in montibus commiſſa captus fuerat,& vnà cum reliquis fratris cædi interfuerat,interfici, & deinde equi caudæ alligatum per totam vrbem raptari crudeliter fecerunt.Genua ſub Galliæ regis imperium redacta,Antoniotus Adurnius eius nomine præfectus vrbis eſt cõſtitutus; & Gallica claſſis Laternam militibus commeatuq; muniuit: deinde Spedia direpta,ad portum Veneris hæſit. Nihil amplius Galliæ regi, quin omnia quæ ſuperiore anno amiſerat recuperaſſet,deerat, præter Nouariam & Comum:quæ duæ ciuitates ſolæ in vniuerſo Mediolanenſi imperio Maximiliani Sfortiæ nomen tuebantur.Sed huius belli gloria,maximo cum reliquorum omnium dedecore, non Gallis,non Germanis peditibus,non Hiſpanorum,non Venetorum armis erat deſtinata; verùm,ſolis Heluetijs,contra quos Gallicus exercitus idoneo præſidio Alexandriæ ad transpadanas res tuendas relicto,totſucceſſibus,hoſtium,qui ſe mœnibus incluſerant,confeſſione, & Hiſpanorum iam aperto metu,ferox Nouariã contendit;præterea hominum memoriæ,quaſi quædam pręteritarum rerum imago & ſimilitudo obuerſabatur:hanc eandem eſſe Nouariam, in qua Ludouicus Sfortia huius ducis pater captus fuerat:eoſdem eſſe in Gallico exercitu duces, Tramolliam & Ioannemiacobum Triultium;& cum filio quædam eſſe vexilla,ac duces eorummet pagorum militare,apud quos pater proditus ferebatur:quas ob cauſſas Tramollia,ſe eodem in loco, in quo patrem captiuum dederat, filium pariter ipſi captiuum daturum ſuperbè ad regem ſcripſerat. Galli magno impetu mœnia verberarunt, ſed in huiuſmodi loco,vnde in vrbem deſcenſus difficilis admodum, & periculi plenus erat, Heluetijsq; adeò illos contemnentibus, vt vrbis portam eam,quæ caſtris aduerſa,nunquam claudi ſint paſſi; itaque ſatis magno mœnium ſpacio diruto, Galli valde ferociter impreſſionem in eam fecerunt;quam ſumma virtute qui intus erant propulſarunt:quare Galli in caſtra reuerſi, & nouos Heluetios eodem die Nouariam ingreſſos,atq; Altoſaxum,magni nominis ducem,cum longè maioribus copijs expectari certiores facti, eius expugnandæ ſpe deiecti,magis iam victoriam ex hoſtium perturbatione,& pecuniæ inopia,quàm armorum impetu ſperantes, ſequenti die ad alterum ab Nouaria lapidem receſſerunt:

ceſſerunt. Has verò ſpes fregit, Mottini vnius ex Heluetiorum ducibus ferocitas, virtusque ardentiſſima; qui multitudine in Nouariæ forum conuocata, ac vehementiſſimis verbis, vt Altoſaxi, qui proximo die venturus erat, ope minimè expectata, hoſtes in caſtra ſua adorirẽtur, illos eſt hortatus; neque gloriam atq; victoriam, quam ſibi propriam comparare poterant, cõmunem, imò prorſus aliorum heri patererentur: propterea quod vt ſequẽtia ea quę præceſſerunt ad ſe trahunt, & acceſſio id ipſum cui acceſſit, tegit & obſcurat; ſic non ipſi, ſed ijs, qui ſuperuenirent laus eius victoriæ omnis tribueretur. Quò res (aiebat Mottinus) difficilior periculoſiorq; videtur, eò faciliorem tutioremq; exitum habebit: nam quanto euenta magis improuiſa atq; inexpectata ſunt, tanto magis homines terrent ac perturbant: nihil minus nunc Galli quàm noſtrũ impetum expectant, cũq; hodie tantùm caſtra mutarint, ea non poſſunt niſi cõfuſa, & ſine munitione eſſe: ſolebant Galli absq; noſtro peditatu pugnã capeſſere nõ audere, ab aliquot autem annis ſine nobis, ſed nunquã cõtra nos pugnare ſunt auſi. Quantus, dij immortales, pauor, quãta erit cõſternatio, quum ſe tãto furore, tam improuiſo ab ijs, quorũ virtus atq; ferocitas illorũ cor & vires eſſe ſolebant, inuadi cernent? nec vos illorum equi tormentaq; moueant, quibus quantum illi cõtra nos fidant aliàs experti ſumus. Gaſto Foiſſeius tam ferox belli dux, cum tot cataphractis, tot tormentis, nõne ſemper nobis in planicie iter liberũ reliquit, quũ ante duos años nõ alijs armis quàm iſtis haſtis armatis ad Mediolani portas vſq; deſcendimus? habent nunc ſecũ pedeſtres Germanorũ copias; & hoc illud eſt quod me mouet, quod me accendit, quum eodẽ tẽpore ei qui tãta auaritia, tam ingrato animo labores ſanguinemq; noſtrũ contẽpſit, ipſum nunquam ſibi regnoq; ſuo peius cõſuluiſſe, & ijs qui illorũ operam ad victum noſtrũ nobis eripiendũ idoneam exiſtimarunt, Germanos Heluetijs nequaquã pares eſſe: eandem quidẽ linguam, eandem diſciplinam habere, ſed nõ eandem virtutẽ, eandemq; ferocitatem oſtendendi occaſionem habeamus: vnicus labor erit in tormentis occupandis; eum autẽ leuiorẽ faciet, quòd nõ munito in loco ſint poſita, inexpectata impreſſio, noctis tenebrę, inuadẽdi impetus: breuiſſimũ tẽporis ſpatiũ eſt, quo nos poſſunt lædere; idq; tumultu, timore, & ſubita cõfuſione interruptũ, reliqua facillima ſunt: nõ audebunt equites in haſtas noſtras incurrere; multo minus ignaua illa Gallorũ atq; Vaſconũ turba ſeſe nobis immiſcebit: non minus prudentia quã ferocitas noſtra in hac deliberatione elucebit: ad tantã rei militaris famã gens noſtra aſcendit, vt nõ minus noſtri gloria, niſi aliquid extra omniũ hominũ expectationẽ, & cõmunem conſuetudinẽ aggrediamur, iam cõſeruari nõ poſſit: & quãdo Nouarię ſumus, locus nos admonet, nos alia ratione veterem infamię notã in hac eadem vrbe Nouariæ cum Ludouico Sfortia contractã delere nõ poſſe: eamus igitur, Dei opt. max. impiorũ, execratorũ, nominisq; ſui hoſtiũ, vltoris ope freti: eamus in nõ dubiam facilẽq; ſi viri erimus, victoriã, è qua, quo periculũ grauius videtur, tanto erit nomen veſtrum illuſtrius, & maius: quãto maiore ſunt illi numero quàm nos, tanto magis illorũ ſpolijs ditabimur. Ad Mottini verba omnis multitudo ferociter acclamauit, ſingulis erecto brachio ſententiã eius approbantib. ipſe verò certa eis victoria promiſſa, vt quieti ſe darẽt, & corpora curarent, mandauit, quò tympanorũ ſonitu excitì in ordines ſuos ſinguli ſe cõferrent. Nunquã neq; ſuperbius, neq; ferocius gens Heluetiorũ cõſilium cepit: pauci cõtra multos, absq; equitatu, absq; tormentis, aduerſus exercitũ his rebus inſtructiſſimum nulla neceſſitate impulſi: Nouaria enim periculo erat liberata, & in diem ſequentem nõ paruam militũ acceſſionẽ expectabant; ſponte eam rationẽ potius, in qua eſſet ſecuritas minor, ſed glorię ſpes maior, quàm eam in qua maiorẽ ſecuritatẽ minor gloria ſequeretur, experiri ſtatuerunt. Maximo igitur impetũ, poſt mediã noctem ſexta Iunij die, Nouariã numero circiter 10 millia hominũ eruperunt, hoc ordine diſtributi: vt 7 millia ad tormenta, circa quæ erant Germani pedites, inuadenda procederẽt, reliqui vt haſtis erectis aduerſus equitatũ cõſiſterent: Gallorũ caſtra, tum ob tẽporis exiguitatẽ, tum quia nõ tã citò tantus motus expectabatur, cõmunita nõ fuerant: & primo tumultu quũ à vigilibus hoſtem adeſſe indicatũ fuit, res improuiſa, & noctis tenebræ, cõfuſionem terroremque augebant: nihilominus & equeſtres copiæ ad ſigna quæq; ſua turmatim extẽplò cõuenerunt; & Germani pedites quos reliqui ſequebantur, acies ſuas illicò inſtruxerunt. Iam tormenta ingenti ſtrepitu in Heluetios qui ad ea inuadenda properabant, magna cum

illorum clade diſplodebantur; quæ potius ex hominum clamoribus & voluntate, quàm oculorum, quorũ vſum nox impediebat, beneficio agnoſcebatur; & tamẽ admirabili ferocitate præſentẽ mortem cõtemnentes, neq; illorum qui circa ipſos cadebant caſu territi, neq; ordines ſoluentes, velociſſimè cõtra torméta procedebant, ad quę quũ peruenisſent, cum Germanis peditibus, vtrisq; acerrimè & multo etiã acrius propter mutuum vtriusq; gentis, & glorię cupiditatẽ dimicãtibus, ſunt cõgreſſi. vidiſſes (iam enim ſol ſuis radijs cuncta nundabat) nunc hos, nunc illos inclinare; ſæpe illos qui prius inferiores videbãtur, ſuperiores videri; ab vna eademq; parte & eodem tẽpore alios inclinare, alios progredi, alios difficulter reſiſtere, magna vi alios in hoſtes inſilire; vndiq; omnia cędib. vulneribus, ſanguine plena: duces nunc hoſtes percutiendo, & ſe ſuosq; defendendo, militũ munere fortiſſimè fungi: nunc hortando, prouidendo, ſuccurrendo, ordines reſtituendo, imperando, ducũ munia prudẽtiſſimè obire: in altera parte, in qua equitatus ad pugnã paratus cõſiſtebat, ſumma quies & otiũ: nam quũ in militibus Tramolliæ atq; Trivltij autoritas, cohortationes, imperia, preces, acclamationes, minæ timori cederent, nũquã in hoſtes quos in cõſpectu habebãt impreſſionẽ facere ſunt auſi. Heluetij autẽ illud vnũ ſpectabãt, vt equites à ferenda peditibus ope deterrerent: tandẽ in tanta ferocitate, in tanta vtrinq; pugnantiũ virtute, Heluetiorũ virtus ſuperior extitit; qui tormentis fortiſſimè occupatis, ijsq; in hoſtes cõuerſis, propria virtute & tormẽtorũ ope, eos fugarunt: peditũ fugæ, equitum pariter fuga cõiuncta fuit, quorũ nulla virtus lausúe emicuit: ſolus Robertus Martianus paterno ardore impulſus, cum equitũ turma, vt Florangium, & Daneſium filios ſuos, Germanorũ peditum duces, qui multis vulneribus acceptis humi iacebant, ſeruaret, ſeſe in Heluetios immiſit tãtaq; ferocitate pugnans vt Heluetijs ipſis nedũ alijs, permirum videretur, viuos tanto periculo eripuit. Pugnatum eſt circiter duas horas maxima cũ vtriusq; partis clade. ex Heluetijs circiter mille quingenti ceciderunt, inter quos Mottinus, tã præclari cõſilij autor, haſta dum ferociter pugnat in gutture acce pta occubuit: ex hoſtibus longè plures (ſunt qui affirment 10 millia) deſiderati: ſed Germanorũ maxima pars in ipſo conflictu, Gallorũ & Vaſcorũ peditum pleriq; in fuga ceſſit: omnis ferè equitatus euaſit: neq; enim Heluetij illos perſequi poterãt: qui ſi equos habuiſſent, facilè illos (tanto cum terrore fugiebant) fudiſſent. Omnia impedimenta, vigintiduo maiora tormenta, cũ omnibus equis tormentorũ vſui diſtinatis, in victorũ poteſtate remanſerunt: Victores tanquã triũphum ducentes eodẽ die Nouariã redierunt: quo facto tantũ ſibi apud cunctos mortales nomẽ cõciliarunt, vt multi cõſilij magnitudine, mortis euidentiſſima cotẽptione, in pugnando virtute, & exitus felicitate expenſis, hoc facinus, omnibus ferè præclaris Græcorũ & Romanorũ quæ leguntur rebus geſtis ante ferre auderent. Galli Taurinos fuga petierũt, vnde Triultio fruſtra reclamãte, ſtatim trãs alpes ſunt profecti. Hac victoria parta, Mediolanũ & reliqua oppida quæ Gallis adhęſerãt, legatos ad veniã petendã miſerunt: quæ illis ea lege cõceſſa fuit, vt magnã pecuniæ vim munerarent: Mediolanẽſſes auri pondo bis mille, reliqui pro cẽſus ratione: quę pecunia Heluetijs vniuerſa fuit attributa: quibus victoriæ ipſorũ virtute & ſanguine partæ, meritò nõ minus vtilitas, quàm gloria omnis debebatur: qui vt fructũ omnem, quoad fieri poſſet perciperent, in Montemferratũ, deinde in Taurinos obid quod Gallicũ exercitũ excepiſſe dicebantur, ſuus ingreſſi: vbi tũ diripiendo, tum miſeros populos mulctando, (vitæ tamen & honori parcentes) huberrimũ quęſtũ fecerunt. Nec verò Hiſpani victoriæ præmijs prorſus caruerunt: nã quũ Ianus proximè Genua pulſus & Octauianus Fregoſij, quorũ vterq; ſuę patrię principatũ ambiebat, poſt pugnã ad proregẽ cõfugiſſet ipſe Octauiano, pro quo veteris neceſſitudinis gratia pontifex vehemẽter inſtabat, prælato, & de 50 aureorum numũ millibus vbi Genuã veniſſet repræſentandis cautione accepta, tria peditũ millia Piſcario duce illi cõceſſit: ipſe cũ reliquo exercitu, Claſtidiũ ſe ſi neceſſe foret, vlterius progreſſurũ oſtendens petijt: ſed vbi Marchio & Octauianus Genuæ appropinquarunt, Adurnij fratres ſibi vires ad obſiſtendũ deeſſe animaduertentes diſceſſerunt; & Octauianus ingreſſus eius ciuitatis Dux creatus fuit: quæ ciuitas vno eodemq; anno, Gallos, Ianũ Fregoſiũ, Adurnios, & Octauianũ ſuæ adminiſtrationi præfectos vidit. At Barptolomæus Aluianus, Gallici exercitus clade audita, ne ſe Hiſpani ſtatim perſequerentur veritus, absq; mora aliquot tormentis quæ lentius vehebantur, ne tem-

tẽporis iacturam faceret in itinere relictis, Ponteuicũ se recepit: inde Rentio Cerite Cremę relicto, Brixiaq;, quia inutile erat, exercitũ, in quo adhuc erant sexcenti grauis, mille leuis armaturæ equites, & quinq; peditũ millia, imminuere, deserta, eadẽ celeritate, tantoq; timore, & regionis incolarũ alienatione progrediens, vt si quantũuis pauci illos essẽt insecuti, ipsi per se dilapsuri sesęq; perturbaturi fuerint, antequã vllo in loco, nisi quã tum hominũ atq; equorum recreandorũ necessitas cogebat, quieuissent, ad Tombã prope Athesim se cõtulit; ibiq; metu (nemo enim illũ insequebatur) cessãte hæsit: vbi vt quãta posset maxima cõmeatus copia ex Veronensi agro Patauiũ atq; Tauriſiũ importaretur operã dedit: eodẽq; tẽpore Ioannẽ Paulũ Ballionẽ cũ 60 grauis armaturę equitib. & 1200 peditibus Lineacũ misit: qui ab oppidanis (nullum enim aderat præsidiũ) statim admissus, arcẽ quam 100 & 50 partim Hispani, partim Germani pedites custodiebant, tormentis prius ab ea parte quæ forũ spectat concussam, inuadere est aggressus: quã in re virtus ne an fortuna plus potuerit, mihi dubiũ est: Etenim dũ pugnatur, igne ab oppugnationibus artificiosis instrumentis in tormentariũ puluerẽ iniecto, arcis pars cõflagrauit: quo in tumultu peditũ qui oppugnabant pars per dirutũ murũ, pars scalis ingressi, Hispano duce capto, omnes quotquot intus erãt aut interfecerũt, aut ceperũt. Lineaco capto Aluianus pontẽ ad Athesim posuit; deinde à nõnullis Veronensibus tumultus cõtra Germanos cõcitandi spe facta, ad Ioãnis vicũ, ad quartũ ab vrbe lapidẽ castra posuit: vnde postero die mane, portæ quæ à diuo Max. nomen habet, exercitu admoto, ingenti furore tormẽta contra portę turrim & murũ illi coniunctũ, attentè num interea in ciuitate aliquis tumultus exoriretur obseruans, collocauit; & circiter 40 muri vlnis præter turrim, quę ita corruit vt tutissimũ aggerẽ circa portã faceret, deiectis, ferociter admodũ oppugnationẽ est aggressus: sed in ciuitate erant 300 equites, & tria Germanorũ peditũ millia sub Roccãdolfo magni nominis duce, qui strenuè se defendebãt: à muri ruina ad solũ vsq; nõ paruum erat interuallũ; nec Veronenses, prout spẽ fecerant aliquẽ motum excitabant: quare Aluianus eius expugnandę difficultatẽ animaduertẽs, receptui canere iussit: & iã tormenta amouere incœperat, cũ repentè nuntio (vt credebatur) à ciuib. accepto, mutato cõsilio, peditib. ad mœnia redire iussis, maiori quàm antea ferocitate oppugnationẽ instaurauit: sed eædẽ quæ prius erant difficultates, eadẽ in ijs qui illũ vocauerant segnities, adeo vt victorię spe penitus abiecta, & plus quàm ducẽtis ex suis militib. cæsis, inter quos fuit Thomas Faber Rauẽnas peditũ dux, tormẽtis admirabili celeritate à mœnibus remotis, eodẽ die in ea castra ex quibus manè discesserat redierit, eo die nullã neq; cõsilij, neq; euẽtus laudẽ adeptus, sed per vniuersam Italiã celeritatẽ suam celebrẽ fecit, vt qui vnico die ea feciſſet, quę vix alij duces tribus vel quatuor diebus facere solent. Agros deinde populatus est, vt hoc terrore an Veronenses ad deditionẽ cogere posset experiretur. Sed iam Hispanicus exercitus aduẽtabat; quoniã prorex Lineaci cognita iactura, nulla iã re, Genuæ rebus feliciter succedentibus, impeditus, ne auersis ciuiũ animis Veronenses portas Venetis aperirẽt veritus, Cęsaris rebus absq; mora opem ferre statuit: ideo Pado ad Stradellã traiecto, & Bergomo, Brixia atq; Pischeria absq; difficultate deditione captis, Pischeriæ arcẽ quam 200 & 50 pedites custodiebant cinxit: quæ etsi (vt cõmunis opinio erat) aliquot dies defendi potuerit, tamen Veneto legato, & militibus qui in pugna nõ ceciderant captis, vi in eius potestatẽ venit. Aluianus Hispanis appropinquantibus, ad Alberẽ trans Athesim nõ modò aliquot peditibus qui in Rhodigina Polineso erant, sed & ijs quos Lineaci reliquerat, vt quoad eius fieri posset exercitũ augeret reuocatis, se recepit: & paulo pòst, quũ Germani pedites ad Martini fanũ sese proregi adiunxissent, & Lineaco recuperato Montanianã peterẽt, Veneti, quibus nihil in illis locis præter Patauiũ atq; Tauriſium reliqui erat, nulli rei, nisi illarũ vrbium custodiæ operã dantes, exercitũ in illas dispartiri iusserunt: vt Tauriſij essẽt 200 graues, 300 leues equites, & duo peditũ millia, Ioannepaulo Ballione duce; apud quem erant, Malatesta Solianius, & Vulpius eques: Patauij Aluianus cũ reliquis copijs qui munitionibus, & propugnaculis instruendis operã dabat: præterea quoq;, vt hostes nisi maximo labore & periculo, ingentiq; fabrorũ numero appropinquare nõ possent, per tria milliaria circumquaq; omnia ædificia solo ęquari, arboresq; omnes excindi curabat: sed dum res bellicæ hunc in modum se habent, pontifex, ecclesiæ seditionẽ à Pi-

ſano cõcilio introductam,ſumma induſtria tollere conabatur:quod quũ penitus ex Gal liæ regis arbitrio penderet,multis artibus eius animũ placare nitebatur;aiebatq; falſum fuiſſe pecunię à ſe ad Heluetios miſſæ rumorẽ;ſe aliud nihil quàm cõmunem pacẽ,& vt cõmunis omnium chriſtianorũ principum pater eſſet exoptare oſtendens,moleſtiſſimè quod eius cum eccleſia diſſidio,ſibi,quantũ ſua natura ad eius amicitiã eſſet propenſus oſtendẽdi facultas adimeretur;quòd ob ſacroſanctæ ſedis ſuæq; perſonæ dignitatẽ cum ſeparatim agere cogeretur,donec ipſũ ad eccleſiæ Rom. obedientiã reuerſum tanquã Chriſtianiſſimũ regẽ recipere,& vt primogenitũ filiũ amplecti fas eſſet. Rex proprij cõmodi gratia regni ſui cũ eccleſia Rom. concordiã, ab omnibus populis & vniuerſa aula vehementer flagitatã,& ad quam ab regina maximè incitabatur exoptabat; & præterea ſe nunquã in profanis rebus concordiam cum pontifice, niſi rerũ ſacrarum controuerſijs antea cõpoſitis ſperare poſſe videbat: quamobrẽ,ſiue eius verbis fidem haberet, ſiue habere ſimularet, Maſſilienſem epiſcopum qui hiſce de rebus cum illo ageret,ad eũ miſit; ad cuius aduentum,pontifex cõcilij decreto, Gallis epiſcopis alijsq; antiſtitibus, quos tanquam ſeditioſos defunctus minis ac denunciationibus acerrimè erat perſequutus,cõtumacię per totũNouẽbrem proximũ diluendę facultatẽ reſtitui curauit,eadẽq; hora qua ſic decretũ eſt,lectum fuit in cõcilio ſcriptũ quoddam Bernardini Caruaiallis,& Federici Sanſeuerinatis manu ſubſcriptũ,quo cardinaliũ nomine ſuppreſſo,omnia Lateranenſis cõcilij decreta cõprobabant: ſeq; illi adhæſuros,& pontifici parituros eſſe promittebant:quibus verbis,ſe iure è cardinaliũ numero expunctos,quod ab Iulio factũ ipſo viuente ab eodem cõcilio confirmatũ fuerat,fatebantur. Antea de illis reſtituendis agitatũ fuerat,ſed pòſt Cæſaris & Aragoniæ regis oratoribus,atq; Sedunenſi & Eboracenſi cardinalibus cõtradicentibus dilatũ: qui tantæ offenſionis,tamq; pernitioſi execrandiq; delicti autoribus,venię cõcedendę conſilij Iulij in illis perſequendis nõ ob aliã quàm publici boni cauſſam,ad extremũ vsq; vitæ ſpiritũ cõſtantiam cõmorantes tanquã rem ſacroſanctę ſedis maieſtate indignã,peſſimiq; exẽpli deteſtabantur.Sed pontifex Piſani cõcilij nomen clementia facilius quã ſeueritate penitus extingui poſſe ratus,& ne Gallię regis qui vehemẽter pro illis deprecabatur animũ irritaret,in mitiorẽ ſententiã inclinabat: neq; vllo priuato odio ab ea remouebatur,cũ ea iniuria ipſi nõ eſſet facta;quin potius ipſe & fratres ante pontificatũ ſuũ Federico cõiunctiſſimi fuiſſent: quas ob cauſſas propriũ iudiciũ ſequutus, illorũ deprecationẽ corã cocilij patribus legi iuſſerat;deinde reſtitutioni diẽ ſtatuit,quę hunc in modũ facta eſt: Bernardinus & Federicus clã noctu absq; cardinaliũ veſtitu & ſignis Romã ſunt ingreſſi, maneq; ſequenti cũ ſe corã pontifice in ſenatu cũ omnibus cardinalibus præter Heluetium & Anglũ qui intereſſe recuſarunt ſedente ſiſtere deberent,ſimpliciũ ſacerdotũ amictu,capite nigris tiaris cooperto,per omnia Vaticanę curię,in qua pernoctauerãt,publica loca ingẽti hominũ multitudine ad eos videndos accurrente, omnibusq; hanc tã publicã ignominiã immenſę Bernardini Caruaiallis ſuperbię,& Federici nõ minori arrogãtiæ, acerbiſſimũ cruciatũ eſſe affirmantibus tranſiuerunt. In ſenatũ admiſſi genibus in terrã poſitis abiecti ac ſordidati,omnia ab Iulio facta,& nominatim quòd ipſos collegij dignitate priuaſſet,nouiq; pontificis creationẽ velut legitimè factã cõprobantes,& Piſanũ cõciliabulũ tanquã ſeditioſum& execrandũ damnantes,à pontifice totoq; pontificũ collegio veniã petierunt: quæ res vt in tabulas ipſorũ manu ſubſcriptas eſt relata, erecti ſingulos cardinales qui ſe ſuis ſedibus nõ mouebant,reuerẽter ſunt amplexi,& deinde ſacra purpura induti in eundẽ locũ in quo antea ſedere cõſueuerant, ſunt admiſſi: purpurei galeri dignitate hunc in modũ recuperata nõ tamen ſacerdotia,ac beneficia quibus antea frui ſolebant recuperarũt: illa enim multo antè tanquã vacantia in alios trãſlata fuerãt. Hac re põtifex ſaltẽ ex parte Gallię regi ſatisfecit, ſed alijs in rebus nequaquã ſatisfaciebat, quia pacẽ inter Cæſarẽ & Venetos vt rẽ ob ea quæ acciderant factu minimè difficilem, ſolicitè procurabat:credebat enim Cæſarẽ,quòd liberius Burgundiæ rerũ trans alpes bene gerẽdarũ ocaſione inuitatũ nepoti recuperandę operã dare poſſet,libẽter hoc onus depoſiturũ;& multò magis Venetos Gallorũ clade territos,quiq; noſſent Gallię regem multis periculis proprio regno imminentibus,eo anno de Italiæ rebus nõ iam poſſe cogitare. Hiſpanicũ exercitum,cui qui Veronæ erant milites acceſſuri ferebãtur,aduẽtare audirent

audirent ipſi pecunijs exhauſti, militibus, pręſertim peditatu nõ ſatis inſtructi, ſoli to tũ belli impetũ ſuſtinere haberent, nulla propinqui luminis ſcintilla micante, id optare ſperabatur: & tamẽ ſenatus ſe nullã niſi Vicetia & Verona reſtituerentur pacis legẽ admiſſurũ conſtantiſſimè reſpondebat. Hoc tẽpore Cæſar à Pontifice 200 grauis armaturæ equites cõtra Venetos poſtulauit: quæ res etſi pontifici quia Gallię regẽ id ſi cõcederet ægre laturũ verebatur, neq; ſe tam leui de cauſſa Venetis ſuſpectũ fieri è ſua vel Cæſaris re eſſe duceret, fuerit moleſtiſſima, nihilominus Cęſare pertinaciter vrgẽte, quod petebat, Troilo Sabello, Achille Taurello, & Mutio Columna ducib. ei miſit: nolebat enim id negãdo eius qui in fœdere quod cũ defuncto põtifice ictũ fuerat perſeuerare nollet ſigna oſtendere, præſertim cũ ſe nulla re Venetis obſtrictũ duceret: qui pręterquã quòd ipſorũ exercitus quũ Aluianus prope Cremonã ageret, parũ amicè è Parmenſi & Placẽtino agro prædas egiſſet, nunquã legatos qui ſibi pro veteri more obedientiã præſtarẽt, niſi poſtquã Galli victi trans alpes redijſſent, decreuerãt, Venetos ea res terruit nõ tam ob eius auxilij vim, quàm quòd ne põtifex ex hoc initio vlterius procederet verebãtur; ex eo etiã apertè conijcẽtes, illũ nunquam ab hoſtibus diſiunctũ iri, nec tamen à priore ſententia vel latũ vngnẽ diſceſſerunt: imò quũ ſuperciliũ quantũ poſſent fortunę oſtẽdere decreuiſſent, maris præfecto qui Corciræ erat, vt quanto maximo poſſet nauium numero collecto, maritima Apulię loca inuaderet, mandarũt; quãuis paulo pòſt, quantũ referret Aragoniæ regẽ ita prouocare, ob eius potentiã, & quia ſemper ſe Cæſarẽ ad pacẽ hortari oſtenderat diligentius perpendentes, hanc ſententiã velut magis audacẽ quã prudentẽ reuocarint. Prorex quid faciendũ eſſet incertus, Montanianæ hærebat: Germanorũ enim cogitationes magnę erant, expeditiones quæ ſolæ Patauij vel Tauriſiij ex pugnãdi ſupererãt arduæ, & vires difficultatib. longè inferiores: in toto namq; exercitu nõ erant ſupra mille grauis, nec multi leuis armaturæ equites, & peditũ Hiſpanorum & Germanorũ ſimul 10 millia: quæ deliberatio quũ ex Gurcenſis epiſcopi qui breui in caſtra venturus erat voluntate penderet, eius expectabatur aduentus. Quo tẽpore quum Hiſpanus quidã quæſtor, qui 25 milliũ aureorum numũm mulctã ei ciuitati, quum ſeſe proregi dederet impoſitam exigebat, Bergomi eſſet, Rentius Ceres, Crema militũ ſuorum partẽ eò miſit, qui nonnullorũ ciuium ope noctu ingreſſi, quæſtore cum ea pecunia quam iam exegerat capto Cremã redierunt. Eodem quoq; tẽpore ad Genuę res denuò perturbandas apparatus fiebant, Mediolanenſiũ duce & Heluetijs in id cõſentientibus; ad quos Antoniottus & Hieronymus Adurnij quũ cõfugiſſent, duci parentũ ſuorum in Ludouicũ ipſius patrẽ officia in memoriã reuocabant; in primis verò quòd Adurniorũ ope Genuę imperiũ recuperaſſet, multosq; annos eo pacatè potitus fuiſſet, quo demũ Fregoſiorũ ducũ fraude ſpoliatus fuerat: & Adurnios Sfortianorũ aduerſæ fortunæ participes fuiſſe: eodem enim tẽpore quo Ludouicus Mediolanenſe imperium amiſerat, Adurnios Genua pulſos fuiſſe: quare æquum etiã eſſe, vt ſecundæ eius fortunæ participes fierent; eãdem beneuolentiã eandemq; fidem adhuc in ipſis eſſe, neq; eã ob rem re prehẽſione dignos eſſe, quòd nuſquã auditi, omni ſpe deiecti, nõ ſpòte ſed coacti, ad eũ regẽ à quo antea exacti fuerant, cõfugiſſent: viciſſim antiquũ Fregoſiorũ odiũ, quot iniurijs patrẽ ipſius affeciſſent, quotq; dolis illum circumueniſſent, Baptiſta & cardinalis Fregoſij, ambo ordine Genuenſiũ duces fuerant, memoria repeteret; & qua tatione Octauiano Fregoſio, qui pręter antiquũ odium, ſuperiorẽ in ea ciuitate nullũ habere volebat, fidere poſſet, cogitaret: Heluetijs verò vtilitatis, ſecuritatis, atq; honoris ſtimulos propoſuerant: ſe ſi illorũ opera in patriã reſtituerentur, tantã pecuniæ ſummã quantam Fregoſius Hiſpanis dederat eis daturos: ipſorũ virtute Mediolanenſe imperiũ cõſeruatũ fuiſſe, & ad ipſos eius patrociniũ ſpectare: eam ob cauſſam quàm ab eius imperij ſecuritate eſſet alienũ, Genuam vicinam tantamq; ciuitatẽ, duci, qui prorſus ex Aragoniæ rege penderet, parere, ipſos debere cogitare: rem fuiſſe ipſorum nomine & gloria indignã quòd Genua Nouarienſis victoriæ fructus, Hiſpanorum vtilitati ceſſerit: qui dum Heluetij tãta fortitudine in gallicorũ tormentorum fulmina incurrebant, dum, vt verius dicam, in necem properabant, ocioſi ad Trebiam, tanquã ex ſpecula rerum exitum, vt vel turpiter fugerent, vel victoriæ aliorum ſanguine partę prędia dolosè furarentur expectantes, ſedebant. His de cauſis accẽſi, iam dux copias ſuas, & Heluetij quatuor peditũ

millia mittebant: ſed proregis in ducem minæ,& pontificis cui Octauiani res maximè cordi erant,autoritas eos retinuit. prorex interea ad Battaliam ſeptem à Patauio milliaribus locum erat profectus; vbi Caruaialus cum paucis equitibus ad regionis ſitum explorandũ imprudenter obequitans,à Mercurio expeditorum equitum ſub Venetis præfectum,captus fuit. Quo tẽpore quum Gurcenſis in caſtra veniſſet,quid agendum eſſet deliberabatur: Gurcenſis Patauium obſidendũ eſſe docebat,ſeq; tantum Germanorũ & Hiſpanorum virtuti tribuere oſtendebat,vt omnes difficultates tandem ab illis ſuperatum iri crederet: paulò minus laborioſam eſſe Tauriſij expugnationẽ;ſed longè diuerſum victoriæ præmiũ; quòd Taurifio tantùm capto ad rerum ſummã parum accederet, ſed Patauio expugnato oppida Cęſaris belli periculis moleſtijsq; prorſus liberatum iri Venetisq; omnem amiſſi imperij recuperãdi ſpẽ penitus adimi. Contraria erat proregis & ferè omnium ducũ ſententia: Patauij namq; expugnationẽ, ob penè incredibiles munitiones,quòd tormentis omnibusq; rebus ad defenſionẽ opportunis maximè abundaret,militibusq; optimè eſſet inſtructa; in quam etiã,vt & aliàs fecerant,multi ex Venetæ nobilitate iuuenes venerant,potius fieri nõ poſſe,quàm difficilẽ eſſe exiſtimabãt;vrbẽ ambitu ampliſſimã eſſe dicebant; eamq; ob cauſſam,atq; ob propugnatorũ copiã aliasq; difficultates,binis exercitibus eam obſidere atq; oppugnare opus fore, quũ ipſi vix vnũ idoneum haberẽt:militũ enim numerũ paruum eſſe,in eoq; Germanos ſtipendiorũ morę impatientes,machinis bellicis minimè abundare,fabrorũ qui ad tam arduã oppugnationẽ maximè requirãtur inopia laborare.ſed enim tandẽ rationes à prorege & alijs adductas Gurcenſis voluntati cedere neceſſe fuit:quam ob cauſsã exercitus Patauio appropinquãs,ad Baſſianellũ,in dextera emiſſarij ripa,1000 & 500 paſſus à Patauio caſtra locauit;quo in loco quũ caſtra à nõnullis longiſſimis tormẽtis,in quodã vrbis vallo poſitis valde infeſtarentur,emiſſario traiecto,aliquãto longius ab vrbe metati ſunt; vnde peditibus ad Antonij fanũ quod 500 paſſus à Patauio aberat,miſſis,quo minore periculo propius poſſent accedere,aggerẽ prope Antonij portã moliri cœperunt:ſed opus imẽſum erat,& in regione ex qua omnes incolæ aufugerãt,ſumma operarũ paucitas:ideo opus lentè nec ſine periculo progrediebatur;quoniã milites crebris interdiu&noctu repentinisq; eruptionibus operas clade afficiebant:his acceſſit cõmeatus penuria; nam quũ minima tantũ vrbis pars ab hoſtibus obſideretur,Epyrotę quũ ab alijs ciuitatis partibus egrediendi facultatẽ haberent,per totam regionem liberè excurrentes,omnia ea quæ ad caſtra ferebantur impediebant: idem etiã nonnullæ naues armatæ ad hoc à Venetis in Atheſim miſſę factitabant:homines enim qui illis vehebantur,modò hîc modò illic agros omnes infeſtare nõ ceſſabant: quas ob res quũ prorex denuo rerum ſtatũ ad proceres retuliſſet, omnes , exercitu inde abducto imprudens conſiliũ minore infamia corrigi poſſe, quàm in errore perſiſtentes, maioris detrimenti cũ maiori ignominia cauſsã præbere apertè cẽſuerunt: qua ſententia à prorege corã multis ducibus Gurcẽſi qui cõcilio intereſſe noluerat expoſita,respondit,quum militarẽ diſciplinã ſibi nõ arrogaret,nequaquã ſibi turpe ducere , ſi ſe in bellicis rebus iudicio carere fateretur: quòd autẽ vt Patauiũ obſideretur ſuaſiſſet,in eo ſe nequaquã ſuum iudiciũ,ſed proregis autoritatẽ ſequutũ;qui & literis & nuntijs ſępius Cæſarẽ ad id hortatus,eius capiendæ maximã ſpẽ feciſſet:tandẽ quum difficultates, nec querelis nec diſputationib. amouerẽtur, imò expugnationis ſpes ſingulis horis minueretur,exercitus vbi decẽ & octo dies ante Patauina mœnia ſtetiſſet,diſceſſit: quumq; in diſceſſu et in itinere aſſiduè ab Græcis infeſtaretur, Vicetiã,quæ tunc habitatoribus vacua erat,& eorũ qui cãpeſtria obtinerent,præda,ſe recepit. Interea Mediolanenſiũ ducis copiæ,quibus prorex Antoniũ Leuam cum mille peditibus auxilio miſerat Ponteuicũ cœperunt:in cuius oppidi pręſidio erant 200 Venetorũ pedites, qui nec tormentis,nec cuniculis territi,quum oppugnationẽ fortiter ſuſtinuiſſent,intra menſem cõmeatus penuria ad deditionẽ fuerunt coacti: & circa hoc ipſum tẽpus Rentius Ceres Crema egreſſus,Siluiũ Sabellum,qui à Mediolanenſiũ duce miſſus,cum ſua turma & 400 Hiſpanis Bergomũ petebat, fudit: & paulo poſt,quũ quæſtor Hiſpanus ad pecuniã exigendam Bergomũ redijſſet,Rentius 300 equites &500 pedites eò miſit,qui ſimul & quæſtorẽ, & arcem in quam cũ pecunia accepta cõfugerat,quia pauci milites intus erant,cœperunt : quamobrem Mediolano ad Bergomum recu-

recuperandum missi sunt sexaginta graues,trecenti expediti equites,& septingenti pedites cum duobus millibus Briantij montis hominibus,Siluio Sabello & Cæsare Fieramusca ducibus: qui quã in itinere 500 expeditos equites & trecentos pedites qui ab Rẽtio Bergomũ mittebantur obuios habuissent,facilè eos fugã capessere coegerunt:quam ob caussam reliqui qui Bergomum occuparant,pręsidio in ea tantùm arce quæ in mõte extra vrbem posita Capella dicitur relicto,ciuitatẽ deseruerunt. Prorex atq; Gurcensis aliquot dies Vicetiæ cõmorati Hispanorum partẽ Prospero Columna duce,ad Bassianũ & Morosticum,nõ ob aliquod ipsorum delictum,sed vt miserorum populorum fortunis exercitus cui stipendia deerant,vt tum poterat aleretur,diripienda miserunt: Cæsar enim semper ijsdem difficultatibus opprimebatur : Aragonię rex solus tantum onus ferre nõ poterat; & Mediolanenses nimium ab Heluetijs præter modum grauati nihil alijs suppeditare poterant: Vicetiæ exercitus maximo cum incõmodo erat ob assiduas Græcorum molestias,qui dies noctesq; totam regionem percurrẽtes,cõmeatum,nisi valido septum præsidio(quo munere quum paucos admodum expeditos equites haberent cataphracti fungi cogebantur)eò ferri prohibebant: quare Gurcensis, vt hanc molestiam vitaret, cum Germanis peditibus non satis æquo erga proregem animo Veronam petijt: prorex verò lentius eum sequutus,ad Alberem prope Athesim castra posuit:vbi, vt Veronensibus vindemię atq; sementis faciendę spatiũ cõcederet,aliquot dies,Græcorũ tamen qui ad Veronę portas Germanis boues tormenta trahentes,rapuerunt,molestijs minimè cessantibus hæsit. prorex antea de exercitu in Brixiensi & Bergomensi agro in hyberna distribuendo,eodemque tempore Crema, quam solam Veneti vltra Mincium amnem obtinebant,infestanda cogitauerat, idq; diuulgatum circumiectam regionem adeo securam reddiderat,vt Patauinus ager incolis cõmeatuq; plenus esset: quamobrem prorex,qui nullam præter prędam exercitus alendi facultatem habebat,mutato consilio, Germanisq; peditibus accersitis Montanianam atque Atestę petijt:vnde ad Boualentam vicum profecti, maximaq; pecoris abacta præda, milites eum vicum compluraque magnifica ædificia, quæ circa erant, incenderunt: Boualenta prædæ cupiditate eos alliciente,& quòd Venetorum pedites in Patauij atque Tauriſij præsidia erant distributi,audaciam augente,prorex, Prospero Columna eam rem vt temerariã periculosamq; improbante,Venetijs appropinquare statuit:ideo Bachilione superato,& Sacci Plebe frequenti abundantiq; castello direpto,Mestriũ deinde Margheriam ad aquas salsas profecti, quo huius expeditionis memoria clarior esset, decem maiora tormenta Venetias versus disploserunt: quorum globi ad templum qui Diuo Secundo sacer est vsque peruenerunt; eodemque tempore regionem vniuersam cuius omnes incolæ aufugerant bellum iniquissimè contra muros gerentes, prædabantur & vastabant: nam ingenti pecoris atque supellectilis præda non contenti, summa immanitate Mestrium,Margheriam,&Liciafusinam,cum omnibus eius regionis oppidis atq; vicis,&prętera omnia ædificia quæ communem pulchritudinem & speciem excedebant, incenderunt:quibus in rebus haud minor apparebat pontificiorum reliquorumq; Italorum mili tum impietas; imò tanto maior,quanto minus decebat illos,quàm Barbaros,in communis patriæ magnificentiam ornamentaq; sæuire : at Venetijs quum per totam regionem villarum prædiorumq; suorum conflagrantium interdiu fumum,noctu verò flammam cernerent,inq; proprijs ædibus atq; domicilijs hostilium tormentorum, quæ non aliam ob caussam collocata fuerant,nisi vt ignominiã ipsorũ clariorẽ facerent,tonitrua audirẽt hominũ animi maxima indignatione doloreq; accẽdebantur:omnibus enim fortunam ita esse cõmutatam,vt pro tanta gloria totq; victorijs ante id tempus in Italia& foris terra mariq; partis,tunc exercitum si quum pristinis ipsorum viribus atq; potentia cõpararetur,paruũ,tam illustris reip.nomen tam ferociter atq; cõtumeliosè cõculare cernerẽt supra modũ acerbũ videbatur. Qua indignitate eius Senatus qui ad eum vsq; diẽ fortunã quauis vel maxima spe proposita periclitari minimè decreuerat,deliberationi cũ esset vis illata,vehementibus Aluiani suasionib.motus,vt militibus omnibus cõuocatis cũctisq; cãpestribus ac mõtanis hominibus cõmotis,reditum hosti pręcludere conaretur, annuit,quod Aluianus admodũ facile fore ostẽdebat:nam quum temerè tantum essent progressi,vt inter Venetias,Tauriſium atq; Patauium se cõiecissent,absq; maximo periculo

culo(quum præsertim tanta præda essent onusti)ob cõmeatus penuriã, & fluuiorũ difficiliumq; itinerum impedimenta nequaquam retrocedere poterãt: & iam Hispani hoc motu percepto Citadellã peruenerãt, quam quũ occupare, quia multi milites in ea erant,nõ potuissent, infra Citadellã prope Brentam,vt ad Conticellã villã quo in loco fluuius vado transiri poterat trãsirent,castra posuerũt:sed eos trãsitu prohibuit Aluianus ,qui acie instructa in altera fluminis ripa & tormẽtis dispositis solicitè nõ modò eũ locũ sed& plura alia in quibus nisi obstitissiet,facilis erat trãsitus,munierat:sed prorex se ab inferiori parte ad quã Aluianus vires suas omnes cõuerterat,trãsire velle fingens, se quẽti nocte absq; impedimento, ad vadũ quod Nouæcrucis dicitur,tria milliaria supra Citadellã traiecit;vnde quàmcelerrimè Vicetiã versus cõtendebant:sed Aluianus qui se illis in Bachilionis transitu opponere statuerat,illos anteuertit:adiunxerũt se illi ppe Vicetiã 200 & 50 grauis armaturę equites,& duo peditũ millia,qui sub Ioãnepaulo Ballione &Andrea Gritto Taurisio venerant.erat autẽ Venetorũ ducum cõsiliũ, cum hostibus qui Venetiã versus procedebant acie aperto in loco instructa nõ pugnare, sed angusta intinera & opportuna loca custodire, & in quamcumq; partẽ se cõuerterent, itinere illos prohibere:hanc ob caussam Ioannẽpaulum Manfronũ cum 4 millibus coactorũ militũ Monteciũ miserãt; Barberanũ verò ad montanũ iter intercludendũ 500 equites cũ multis alijs regionis incolis,& rusticos omnia itinera quib. in Germaniã iri poterat occupare,eaq; fossis,aggeribus,lapidibusq; & arboribus cõgestis munire iusserãt:ad Vicetię custodiã Aluianus Theodorũ Triultiũ cum idoneo pręsidio reliquit, ipse cũ reliquis copijs ad Vlmum,ad alterum ab Vicetia lapidẽ,in via qua Veronã itur situm,ea via aliaq; vicina,secturis, fossis & tormentis opportunis in locis collocatis , adeo impedita, vt vix vlla supereesset transeũdi facultas,castra locauit:sic destinatò Veronam versus itinere impedito,Hispanis qui secundem montes incedebant,etiam per regionem palustrẽ aquis q; refertam,sese explicare difficile erat; difficile item montanum iter angustũ, & multis armatis obsessum tenere,adeo vt ab hostibus ferè vndiq; à fronte,à tergo,à latere sepți, & magno expeditorũ equitum numero assiduè illos persequẽte, nullum,nisi difficile & maximè periculosum consiliũ inire possent:nocte ingruente, post leuia aliquot certamina quingentos passus procul ab Venetorũ castris metati sunt: vbi quũ noctu duces quid in tantis difficultatibus atq; periculis faciendũ esset,simul deliberasserẽt,signa Germaniã versus,vt deinde Tridentino itinere Veronã redirent,cõuertere minus periculosum est visum,quamuis ob itineris longitudinẽ,& leue ibi relictum pręsidium,Venetos prius id occupaturos ferè certò existimarent. Itaq; circa diluculum,hostibus(quo nihil exercitibus periculiosius magisq; horrendũ esse potest)terga vertentes,Bassianum versus mouerunt: & quamuis ordinibus instructis incederent, tam parua cum salutis spe, vt impedimentorum & minus vtilium equorum iacturam,minimum detrimentum ducerẽt. Aluianus discessum illorum tacitè absq; tubarum tympanorum ue sono factum nõ tam citò cognouit;nebula enim matutini temporis densissima,visum intercipiebat:sed quã primum id animaduertit cum toto exercitu,in quo mille grauis armaturæ,mille Epyrotæ equites & sex peditum millia esse dicebantur,Epyrotis & ingenti rusticorum qui ex montibus descendentes scloppis illos petebant,multitudine semper eos vndiq; infestãte,est persequutus: quo fiebat vt cum periculo incedendi difficultas assiduè augeretur, quam etiam carrorum impedimentorumq; multitudo,prædæ copia, itinera angusta, & fossis interrupta,& quæ complanationibus dilatare nõ potuerant,augebant: sed quamuis festinanter incederent, ordines tamen cõseruabat militum virtus, & ducum solicita diligentia; & nihilominus quũ circiter duo milliaria in tãtis angustijs essent progressi,sic diu pseuerare ipsismet difficillimũ videbatur:sed hostiũ temeritas donec tã pręclara occasio iã ferè ad maturitatẽ perducta prorsus matureſceret expectare nõ potuit:Aluianus enim qui nunquã sibi animi quadã impotẽtia moderari poterat, nõ tumultuaria, verùm ad prœliũ acie instructa,& tormentis in nouissimũ hostium agmen,quod Prosper Colũmna ductabat,impressionem fecit:certior fama est,quum Aluianus cunctaretur, Lauredanum vnum ex legatis, vehementibus verbis illum cur non impressionem faceret,cur iam fractos hostes incolumes abire pateretur, carpendo eum impulisse: quibus verbis præceps actus ferociſſimus imperator ,pugnæ signum ingenti furore dedit: alij huius

prœlij

prœlij autorem fuisse Prosperum Columnam aiunt, cuius consilio prorex potius pugnę incertam fortunam experiri, quàm alia ratione periculosissimam euadendi spem sequi voluerit; adduntq; Aluianum quum illi se Vicetiam versus redire velle finxissent, in vicinis suburbijs Ioannempaulum Ballionem cum copijs quæ Taurisio venerant hærere iussisse; ipsum cum reliquis copijs Creatiæ ad alterum ab Vicetia lapidem cõstitisse: eo in loco est paruus collis, ex quo cõmodè tormentis aduersus hostes vti poterãt: ad eius radices est vallis instructi exercitus capax; ad quam vnica eaq; angusta prope colles via paludibus ferè septa aditus patebat: quem locũ quum Prosper hostibus magis incõmodum fore animaduertisset, vt eo in loco prœlium cõmitteretur est hortatus. Vtcunq; res habebat, Prosper fortiter pugnare cœpit; & proregẽ, qui medium agmen ducebat vocari iussit: cumq; eodem tẽpore hinc Piscarij iussu Hispani pedites, illinc Germani mouerentur, Veneti milites maximo impetu perculsi extẽplò ferè in fugam sunt coniecti: pedites enim quum impressionis ferocitatem sustinere nõ possent, hastis abiectis statim turpiter fugæ se dederunt: huius verò tanti dedecoris primi, qui ceteris exemplũ darent pedites ex Aemilia, quorum dux erat Babo Naldius Bersigellensis, fuerunt: idem turpe exẽplum reliqui nemine pugnante, vel hostibus frontem ostendente sunt sequuti; hacq; tam repentina fuga ipsius etiam Aluiani virtus, nedum aliorum, concidit: qui absq; contentione victoriam hostibus quibus etiam tormenta cum omnibus impedimentis cesserunt, reliquit: pedites in varia loca sunt dissipati: equites pars montes, pars verò Patauiũ atq; Taurisium quo etiã se cõtulerunt Aluianus & Grittus fuga petierũt. Cęsi sunt Franciscus Calcionius, Antonius Pius dux veteranus vnà cum Cõstantio filio, Meleager Foroliuiensis, & Ludouicus Palmensis, & paulò minus quàm mortuus Paulus à Sancto Angelo, qui totus saucius euasit: capti autem Ioannes paulus Ballio, & Iulius Ioannis pauli Manfroni filius, Malatesta Solianensis, & pleriq; alij duces atque insignes viri: sed fortuna magis aduersa Lauredanus legatus, qui duobus militibus vtrius captiuus esse deberet, inter se dimicantibus, ab altero illorum immaniter fuit interfectus. In vniuersum partim cæsi, partim capti fuerunt circiter 400 grauis armaturæ equites, & quatuor peditũ millia; multis enim palus fugiendi facultatem ademit; & præterea illud fugę cladem auxit, quod Theodorus Triultius, ne victores cum victis vnà permixti ingrederentur, clausis Vicetiæ portis neminem admisit: quo factũ est, vt multi transire cupientes, in vicino flumine perierint, inter quos Hermes Bentiuolus & Sacromorus Vicecomes fuere. Hæc fuit illa clades quam Veneti septima Octobris die prope Vicetiã acceperũt, eam ob caussam memorabilis, quòd documẽto belli præfectis sit, ne pedestribus Italorũ copijs statarijs prælijs minus exercitatis fidant: & quia ferè tẽporis momento victoria ad eos qui minimã salutis spem habebant peruenit, quæ aut Taurisiũ aut Patauiũ etsi in hanc Aluianus, in illã Grittus cũ exercitus reliquijs cõfugerant, in discrimen adduxisset, nisi præter vrbiũ munitionẽ anni tẽpus iam imbribus vicinũ; & quòd milites quibus stipẽdia nõ dabantur à ducibus ad nouas expeditiones ex arbitrio flecti minimè poterant repugnasset: & nihilominus Veneti tot malis afflicti, atq; euentu spei ipsorũ vsq; adeo aduerso territi, nihil intentatũ relinquebant, vt illis vrbibus prospicerẽt: in quas præter reliquos apparatus, quemadmodũ in grauiorib. periculis cõsueuerãt, multos patritij ordinis iuuenes miserunt. Post pugnã res ab armis ad pacis cõsilia, quę apud pontificẽ tractabantur deuenit; ad quem Gurcensis eo præsertim nomine, vt ei Cæsaris & Archiducis nomine obedientiam exiberet profectus erat: cui se Franciscus Sfortia Bariensium dux, vt idem Maximiliani fratris sui nomine faceret, adiunxerat: & quamuis Gurcensis Cæsaris in Italiã, vt aliàs vicem gereret, tamen consueto fastu posito, Romam modestè erat ingressus: neq; in itinere cardinalis insignibus Pogibonzium vsque à pontifice ad se missis vti voluerat. In Gurcensis cardinalis aduentu pontifex ab ipso & venetis oratoribus omnium controuersiarum quæ inter Cæsarem & ipsorum remp. erant arbiter est cõstitutus: id verò potius nomine & signis quàm reuera: nemo enim tanti rem momenti suspecto arbitro, nisi clam & seorsim eum absq; suo consensu sententiã laturũ nõ esse fide ab illo accepta, committere voluit. Quo facto pontifex edicto promulgato, arma vtriusq; partis suspendit, atq; iniurijs abstinere iussit: quod etsi omnes hilari fronte cõprobarint, malè tamen ab prorege seruatum est: nam quum post victoriã nihil præter

prædas excursionesque feciſſet,caſtris inter Montanianam & Ateſte poſitis,& militum partem in Rhodigiam Polineſum miſſa,omnibus his locis nunc Cæſaris ditionem eſſet prætexens,nunc ſe Gurcẽſis literas expectare,magnas clades afferebat. Neq; iudicium finem ſortitum eſt feliciorem,quàm medium atq; principium habuiſſet,ob difficultates quæ in rerum tractatione extiterunt: quoniam Cæſar nullam aliam pacis rationem,niſi aliquas vrbes retineret,& pro reliquis maximã pecuniæ vim acciperet,admittebat:contrà vero Veneti omnes vrbes petebant,& exiguam pecuniã offerebant:opinio autẽ erat Catholicum regem,quamuis palam ſẽ hanc concordiam,vt antea quoq; fecerat,exoptare fingeret,clam tamen eam diſſuadere,dicebantq; illum,quo difficilius res componeretur,eodem tempore Brixiam, quam prorex à ſe,vt eum ad pacem propenſioré redderet, retineri affirmans,ad eum vſq; diem nũquam Cęſari concedere voluerat,cõceſſiſſe: cuius rei variæ afferebantur cauſſæ; ſiue quòd quum Venetos tantopere offendiſſet, vt ſibi cum illis ſinceram amicitiam deinceps eſſe non poſſe cenſeret;ſiue quòd ſuam in Italia exiſtimationem atq; potentiam in eo poſitam,vt exercitum illum aleret, eſſe animaduerteret,quem pecuniæ inopia aliter quàm amicos populos opprimendo atq; mulctando,hoſtium agros percurrẽdo diripiendoq; alere non poterat. Pontifex igitur rem imperfectam reliquit,& paulo pòſt Germani furtim exulum opera Maranum maritimũ in Foroiulij oppidum occuparunt:deinde Montefalconẽ ceperunt:& quamuis Venetis Marani,quod ſexaginta milliaribus ab vrbe diſtat,recuperandi cupidi,terra mariq; id oppugnarint,tamen fortuna ipſorum vbiq; ſimili,ab vtraq; parte cladem acceperunt.Solus hoc tempore Rentius Ceres ſumma cum laude illorum nomen nõnihil ſuſtinebat: qui quamuis Cremæ,cuius cuſtodiæ præerat,peſtis & annonæ penuria nõ leuis eſſet;& Mediolanenſes atq; Hiſpanicæ copiæ,ob anni tẽpeſtatẽ per vicina oppida in hybernis eſſent diſtributæ,adeo vt ea ciuitas penè eſſet obſeſſa,tamen repentè in Calcinariã Bergomenſis agri oppidum irrupit: & Cæſarem Fieramuſcam cum quadraginta grauis & ducentis leuis armaturę equitibus ex Proſperi Columnæ turmis,fudit,& ſpoliauit;paucoſq; dies pòſt,noctu Quintianum ingreſſus, Sanctæſeuerinæ comitis vicarium cepit; & quinquaginta grauis armaturæ equites debellauit: Treuij verò decem ex Proſperi cataphractis.In reliqua Italia res hoc ipſo tempore pace fruebantur;niſi quòd Adurnij atq; Fliſci cum tribus incolarum millibus,& fortè occulto Mediolanenſium ducis auxilio,Spedia atq; alijs orientalis litoris locis captis,ad Genuæ mœnia ſucceſſerunt:ſed re malè geſta,militum quos eò adduxerant parte,& aliquot tormentis amiſſis penè debellati diſceſſerunt. In Hetruria quoq; nouarum diſſenſionum initia apparuerunt:Floretini enim Lucenſes metu pontificis,Petræſanctæ atq; Mutronis reſtitutione pacem redempturos ſperantes,moleſtia afficere cæperunt: quòd illos eius fœderis, quod clam Piſanis auxilia dantes violauerant beneficio frui,minimè æquum eſſe dicerent: qua de re quum Lucenſes apud pontificem & Catholicum regem in cuius fide erant expoſtularent,nec malum auerti cernerent,tandem vt grauiora vitarent, pontificem arbitrũ conſtituerunt: qui & à Florentinis poteſtate accepta,huiuſmodi ſententiam tulit: vt Lucenſes qui antea Ferrarienſium duci Carfinianam reſtituerant, illa oppida Florentinis relinquerent,& inter ipſos perpetua pax atq; fœdus eſſet. Sub huius anni finem Mediolanenſis atq; Cremonenſis arx, quum antea,quia cõmeatus jam deficere cœperat,niſi intra certum tempus auxilium haberent,deditionem pacti eſſent, in Mediolanenſium ducis poteſtatem venerunt;neq; iam aliud quidquam rex Gallię in Italia præter Genuenſem Laternam obtinebat: quam Genuenſes ſub eiuſdem anni finem cuniculis actis euertere ſunt conati:ad quam ligneo pontone triginta cubitorum longo & viginti lato, trecentorũ hominum capaci, totoq; vt tormentorum ictibus reſiſteret,laneis tormentis munito,acceſſerunt: quæ res magno artificio erat facta atq; inuenta, ſed vt in huiusmodi machinis ſæpe accidit,periculo facto irrita fuit.

VNDECIMI LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DVODECIMVS.

Anglorum in Gallia bellum: Taruannæ & Tornai obsidio expugnatioq; inter Hispanos & Gallos induciæ: Riualti Venetijs incendium: Forliulij bella: inter Anglos & Gallos pax, eiusq; leges: Aluiani in Gallia cisalpina progressus: Ludouici duodecimi Galliæ regis obitus, & Francisci primi inauguratio: inter Venetos & Franciscum regem fœdus: eiusdem regis in Italiam aduentus: eiusdem ad Marinianum, siue ad S. Donatum cum Heluetijs pugna: Mediolanensium ducis cum rege pactio, atque in Galliam transitio: Leonis decimi & Francisci regis Bononiæ colloquium: Cæsaris in Italia progressus: pontificis in Vrbinatium ducem bellum: Veronæ obsidio; & quomodo ea in Venetorum potestatem redierit.

Hoc ipso anno in transalpinis regionibus periculosissima bella, quæ à me eandem ob caussam, eademque breuitate, qua superioris anni attigi, recensebuntur, extiterunt. His motibus Angliæ regis, ea æstate Galliæ regni maximis viribus terra marique oppugnandi consilium, initium dedit: cuius expeditionis, vt sibi victoriam faciliorem redderet, centum & viginti aureorum numûm millia Cæsari, vt eodem tempore, tribus equitum, & octo partim Heluetiorum, partim Germanorum peditum millibus in Burgundiam irrumperet, promiserat: Heluetijs quoque vt idem cum Cæsare coniuncti facerent, certam pecuniæ summam promisit: & Cæsar vt Burgundiæ partem tandiu, dum omnia stipendia illis penitus persoluerentur pignoris nomine retinerent, assentiebatur. Existimabat præterea Angliæ rex, Catholicum regem socerum suum, Cæsaris & suo fœderi, quemadmodum semper se facturum confirmarat, adhæsurum: eodemque tempore ex finibus suis bellum Gallis illaturum: idcirco inducíarum ipsius cum Galliæ rege nuntium, quamuis ardorem ad bellum gerendum non mitigarit, non modò ab ipso, sed & ab omnibus Angliæ populis tanta cum indignatione auditum fuit, vt manifestum sit, nisi Angliæ regis autoritas obstitisset, futurum, vt Hispanus legatus multitudinis impetu trucidaretur: his accedebat Archiducis imperij opportunitas, non tam quia suos contra Gallos stipendia accipere non prohibebat, quàm quia se ex eius imperij locis commeatum ad Anglorum castra conuehi permissurum promittebat. Contra tantos apparatus, grauissimasque minas nihil Galliæ rex, quod ad belli apparatum faceret, omittebat: etenim validissimam classem, quam Anglicæ opponeret comparabat, atque vt terrestribus copijs abundaret, vndique militem colligebat, & præcipue, quammaximum posset Germanorum peditum numerum sibi comparare conabatur: Heluetios quoque antea rogarat, vt postquam ipsum in Italia bellis iuuare nolebant, saltem ad Galliæ defensionem militem concederent: illi verò ad Mediolanense imperium firmandum penitus intenti, se illi, nisi ad ecclesiæ concordiam rediret: Mediolanensem arcem quæ nondum dedita erat, desereret; & eius imperij iuribus cedens; se neque Mediolanum, neque Genuam in posterum tentaturum sponderet, non concessuros respondebant. Et vt Angliæ regi propriarum rerum metum inijceret, rex, Suffolciæ ducem, tanquam eius regni competitorem in Galliam euocauerat: qua ex re vehementer concitatus Anglus rex, eius fratrem postquam à Philippo Castellæ rege, in Hispaniam nauigante eius patri traditus fuerat, ad eam vsque diem in carcere custoditum securi percuti

iussit. Neque spes pacis cum Hispano rege Galliæ regi deerat: is etenim rex vbi fœdus inter illum & Venetos ictum cognouit, Mediolanense imperium defendi posse diffisus, ex suis ab epistolis ministris vnum, qui noua fœderis capita proponeret, in Galliam miserat: & opinio erat, illi, quòd Cæsaris atque Archiducis potentiam sibi Castellæ administrationem perturbare posse animaduerteret, Galliæ regni depressionem non penitùs placere. Excitauit præterea Iacobum Scotiæ regem, sibi veteri fœdere iunctum, vt Angliæ bellum inferret; qui quòd Galliæ res aduersæ, regno suo periculum afferrent, multo magis propria causa motus, quinquaginta solummodo francicorum millibus, ad commeatum & tormentarium apparatum ab rege petitis, se magna alacritate comparabat. Sed tamen Galliæ rex in his apparatibus, tum quia ad Mediolanensem expeditionem consilia conuerterat, tum ob consuetam negligentiam, tum denique ob eam, quam ex inducijs cum Hispano rege pactis inaniter audaciam conceperat, lentius processerat; Angliæ rex multos menses in his apparatibus consumpsit: nam cum Angli complures annos bellis caruissent, & militiæ ratio longè esset immutata; arcusque & arma quibus superioribus temporibus vti consueuerant, iam inutilia essent, rex maximam armorum, tormentorum, rerumque ad ea spectantium copiam comparare, pedestres Germanorum copias vtpote bellis exercitatas; & quia Angli veteri more pedites tantùm in bellum proficisci consueuerant, multos equites conducere cogebatur. Ideo non ante Iulium mensem Angli mare traiecerunt: cumq; plures dies prope Bononiam Belgicam constitissent, Taruannæ (quod oppidum in Belgarum finibus in ijs populis quos Latini Morinos appellarunt positum est) castra admouerunt. Paulo pòst rex ipse qui in exercitu suo in vniuersum quinq; equitum ad pugnam, & supra quadraginta peditum millia habebat, traiecit; his copijs metati veteri Anglorum more, fossis, carris, alijsque ligneis septis, atque circumcirca tormentis castra munierunt, vt intra alicuius oppidi mœnia esse viderentur; oppidum multis ex partibus tormentis verberabant, cuniunculosque agebant; sed virtute, tantis apparatibus, ferocitatisue suæ famæ nequaquam respondentes, ab oppugnatione abstinebant. In ipso oppido, præter tormentorum ingentem apparatum, erant ducenti & quinquaginta cataphracti, & duo peditum millia, paruum quidem præsidium, sed non absque auxilij spe; quoniam Galliæ rex, constituto exercitu in quo essent duo millia & quingenti cataphracti, decem Germanorum peditum millia sub Gheldrensium ducis imperio, & totidem Gallorum peditum, comparando sollicitè incumbens, vt ex propinquo loco obsessorum spem foueret, Ambianum venerat: illi enim præter commeatus defectum (eo enim, excepto pane, Taruanna non satis instructa fuerat) metuentes, dies noctesque hostilem exercitum tormentis infestabant, à quibus occisus fuit summus regiæ magister, & Talbotho Caletij præfecto crus ablatum; Regem Taruannæ periculum vehementer angebat; sed quia serò & Gallica negligentia se comparare cæperat, atque etiam ob Germanorum peditum difficultatem, nondum copias omnes collegerat: itaque omni ratione pugnam cum hoste vitare decreuerat; quoniam si victus fuisset, vniuersum Galliæ regnum in manifestissimum discrimen coniecisset: cui rei plurimum hyemem, in illis frigidis regionibus iam ferè instantem profuturam confidebat: sed vbi copiæ omnes conuenere, eas sub Longauillæ, qui alio nomine Rotellini marchio appellabatur, ex regia stirpe principis, & regiæ nobilitatis præfecto, nec non & Paliciæ imperio, Here locum Taruannæ proximum cum huiusmodi mandatis misit, vt quamuis prœlij occasione subterfugientes, circumiectis oppidis quibus eadem negligentia, ad eam vsq; horam nõ satis prospectũ fuerat, muniendis & præsidio atq; cõmeatu si qua ratione possent. Taruannę introducendo, operã darent: quodcũ per se difficile esset, exigua ducũ cõcordia difficilius reddebatur: quorũ vterq;, alter quidẽ ob generis nobilitatẽ, alter verò ob longũ bellicarũ rerum vsum sibi imperij summã arrogabat: sed tamen quum qui Taruannę erant, militũ auxiliũ peterent, ab ea parte quæ magis ab Anglorũ castris distabat, mille & quingẽti cataphracti accesserunt, & quũ oppidani tormentis tria Anglorũ millia, qui itinera quædã obsidebant, ita verberassent, vt eis impedimẽto esse nõ posset, nec reliquus exercitus quibusdã aggeribus atq; fossis ab oppidanis factis, obstãtibus, eos prohibere posset, Frõtalia, militum dux ad portã profectus

octu aginta

octuaginta grauis armaturæ equites absque equis vt ipsi petierant introduxit: quo facto cum reliquis copijs incolumis abiuit: eodem modo commeatum si secum habuissent introducere potuissent: qua re Galli duces audaciores facti, alio die cum magna commeatus copia, vt eodem modo introducerent accesserunt: sed Angli ea re præuisa, noua munitione ab ea parte facta, illos appropinquare nõ permiserunt: & insuper equitatum suum cum quindecim Germanorũ peditum millibus, qui redeuntibus viam precluderent miserunt; ita, dum illi nihil suspicantes redeunt, quum iam vt commodius incederent paruos equos conscendissent, vt hostium impetum senserunt, statim nulla defensione facta, fugæ se dederunt: qua in perturbatione trecẽtos cataphractos Galli amiserunt; cum quibus capti fuere Longauilla, Baiardus, Folietta, & multi alij clari viri; captus fuerat etiam Palicia, sed forte fortuna euasit: opinio est, si victoria vti nouissent, aditum sibi ad Galliæ regnum occupandum patefacere potuisse: retro enim Germanorum validum agmen cataphractos sequutum substiterat: quo debellato, tanta afferebatur Gallico exercitui clades, vt certum sit regem, primo huius rei nuntio accepto, quum hos quoq; debellatos crederet, rerũ suarum desperatione ductum, cum miseris querelis atq; fletibus, iam de fuga in Britanniam citeriorẽ cogitasse: sed Angli, equitib. in fugam coniectis, de Taruanna capienda cogitãtes, signa & captiuos ante mœnia duxerũt: quare milites qui Taurannæ erant auxilij spe amissa, quum Germani extremã cõmeatus penuriam sine spe sustinere nollent, nisi intra biduum auxilium acciperent, vt cum suis equis incolumes exirent, pacti sunt. Neq; vlli dubium est, quin obsidio circiter quinquaginta dies ab illis perpessa, Galliæ regi admodum salutaris fuerit. Venerat ante paucos dies in Anglorũ castra Maximilianus; eaq; loca recognouit, in quibus, sibi ipse nunc dissimilis, olim adolescens Ludouici XI Galliæ regis exercitum tanta cũ gloria debellarat; dum ibi fuit, exercitus ex eius imperio pendebat. Nec verò in hac parte tantũ Gallię regis res fluctuabant; imò maiori periculo ab Heluetijs molestia afficiebantur; quorum multitudo, vt Galliæ rex Mediolanensis imperij iuribus cederet, desiderio flagrans, ideoq; donec id faceret, incredibili aduersus eum odio accensa, multas priuatorũ Lucernæ ciuiũ domos, quos Galliæ regis rebus immodicè fauere suspicabatur, incenderat: & assiduè simili suspicione notatos persequens, omnes præcipuos, pensiones suas se in commune posituros, iurare coëgerat; deinde armis publico decreto sumptis, numero ad viginti millia ferè populatim, tormentis & mille equitibus à Cæsare, qui vel sua varietate, vel quòd illos suspectos haberet, quamuis id & Angliæ regi, & ipsis promisisset, ipsemet cum illis ire noluit, acceptis, in Burgundiam irruperunt; & ad Diuionem Burgundiæ primariam vrbem, vbi erat Tramollia cum mille cataphractis & sex peditum millibus, castra admouerũt: cumq; multitudo ne qua ab ducibus, qui iam cum Gallis colloquio habere incipiebant, fraus fieret, verita, tormenta accepisset, ciuitatem verberare cæperunt; de cuius defensione non parum dubius Tramollia, ad extrema remedia decurrens, statim regio mandato nõ expectato, cum eis conuenit, ea lege, vt rex Mediolanensis imperij iuribus cederet; & certis temporibus sexcenta aureorũ numũm millia ipsis persolueret; atq; eius rei fidem, quatuor obsides claros magnosq; viros dedit: neq; Heluetij se vlli rei obstrinxerunt, nisi vt ad proprias domos redirent; ex quo in posterum Gallię regis amici esse non cogebantur; imò licebat eis quotiescunq; vellent, in regnum eius iterũ inuadere. Itaq; obsidib. acceptis, illicò discesserunt: quòd aũt sine Angliæ rege conuenerant, eam caussam afferebant; quòd promissam ab eo pecuniã ad diem dictã nõ accepissent. Hanc pactionẽ Galliæ regno salutẽ attulisse pleriq; existimarunt: nam Diuione capto, in Heluetiorũ potestate erat, absq; vllo impedimento ad Lutetiæ portas vsq; excurrere: & verisimile erat, Anglię regẽ, Sõma fluuio traiecto, sese illis adiuncturũ fuisse; quod Galli prohibere nõ poterant: nam quũ tunc temporis nõ plus quàm sex Germanorũ peditum millia haberent, nec dum Gheldrensiũ dux aduẽtasset, oppidis inclusi esse cogebantur: & nihilominus regi molestissimum fuit, & de Tramollia, ob promissæ pecuniæ summã, & multò magis, quòd se ad iurium cessionẽ, rem nimis grauem, & eius regni amplitudine & gloria indignã obligasset, vehemẽter querebatur: idcirco quamuis periculum si Heluetij indignati denuò erumperẽt, grauissimũ esset futurum, nihilominus hyemis propinquitate, & quòd non facilè tam citò iterũ conuenire

posſent,fretus; certus præterea vel extrema potius pericula ſubire, quàm vt ſe eius imperij,quod mirum in modum appetebat iure priuaret, non comprobare ſtatuit;ſed noua eis capita proponere cæpit; à quibus illi alieniſſimi,minabantur,niſi confirmatio intra certum tempus adferretur,ſe obſides interfecturos. Taruanna, quam Archidux ad ſe veteri quodam iure pertinere dicebat, Angliæ verò rex,vt iuſto bello partã ad ſe trahebat,capta, Cæſari & ipſi,vt diſſenſionum ſemina extinguerentur,viſum eſt, quamuis id pactione,cum Taruannenſibus facta vetitum fuiſſet, mœnia diruere. Cæſar deinde ſtatim Anglos,ex eo quod re ipſa in illis compererat,rei bellicę parum peritos,& temerarios eſſe aſſerens,ab exercitu diſceſſit. Taruanna,Anglię rex ad Tornacũ munitiſſimã, opulentiſſimam,& veteri propenſione Gallorum regum amantiſſimã vrbem, ſed Archiducis regione cinctam, quæq; eam ob cauſſam à Gallis dum in campeſtribus locis ſuperiores non eſſent,opem accipere non poterat,obſidendã exercitũ duxit:quæ res Galliæ regi gratiſſima fuit:metuebat enim, ne potiores regni ſui partes peterẽt; quod ipſum in multas difficultates coniecisſet: nam etſi iã validum exercitũ collegerat (habebat enim præter quingentos cataphractos, quos in Quintini fani præſidio collocarat, duo cataphractorum millia,octingentos Epyrotas leuis armaturæ equites, decem Germanorũ peditum millia, mille Heluetios, & octo Gallorum peditum millia) longè tamen maior erat Anglorum exercitus, in quem quum quotidie noui milites concurrerent, publica fama octuaginta militum millia eſſe ferebantur: quocirca rex,cum paruam Bononiæ, & reliquæ trans Sommam poſitæ regionis, quò ſe anglos conuerſuros metuebat, tuendæ ſpem haberet,Abeuillæ, Ambiani,reliquorumq; quæ ad Sommã ſunt oppidorum defenſioni,& vt eius fluminis tranſitu eos prohiberet,ſicque donec aut hybernum tempus adeſſet, aut Scotiæ regis bellum, in quo magnam ſpem habebat, aliquem fructum pareret,moram traheret, operam dabat: atque interea eius copiæ, ne hoſti tranſitum liberum relinquerent, ſecundum Sommam incedebant. Huius Anglorum certè militaribus viris, tantoque exercitu indigni conſilij, aut Cæſaris, qui ſi caperetur,eam vel tunc,vel temporis ſucceſſu,in nepotis ad quem iure ſpectare aiebat,poteſtatem peruenire poſſe ſperaret,ſuaſiones;aut quòd ſi alia loca petijſſent,commeatus penuriã,aut ne ab hoſtibus auxilio iuuarentur,metuerent,in cauſſa fuiſſe creditũ fuit. Tornacenſes quum externum militem non haberent, & auxilij nulla ſpes eſſet,mœniaque pluribus ex partibus tormentis verberarentur, non diu reſtiterunt: verùm vt ſe ciuiumque fortunas à calamitate redimerent, mille auri libras pacti,deditionem fecerunt. Nec alibi Gallorum fortuna ſe ſe magis benignam oſtendebat; quoniam rex Scotiæ,prœlio cum Anglico exercitu in quo erat Catharina Angliæ regina, congreſſus, maxima cum occidione victus fuit: eo namque in prœlio ſupra duodecim Scotorum millia, vna cum ipſo, & filio ex concubina nato, Andreæ fani Archiepiſcopo, multisque alijs eius regni antiſtitibus atque nobilibus viris ceciderunt. Poſt quas victorias, cum iam Octobris menſis finis adeſſet, Anglus rex, magno præſidio Tornaci relicto, Germanisque equitibus ac peditibus dimiſſis, nullum ex bello tantis apparatibus atque ſumptu incredibili confecto fructum, præter Tornacum captum referens (Taruanna enim mœnibus ſpoliata, in Galliæ regis poteſtate relinquebatur) in Angliam redijt. Impulit eum ad mare traijciendum, quòd quum in frigidiſſimis illis regionibus non vltra bellum geri poſſet, tanto cum ſumptu ibi hærere erat inutile; & præterea, de noui Scotiæ regis pupilli, ſororis ſuæ filij,adminiſtratione conſtituenda,quò etiam Albaniæ dux ex eadẽ regia ſtirpe natus profectus erat,cogitabat. Ob cuius diſceſſum Galliæ rex Germanis peditibus retentis,reliquum exercitum omnem dimiſit:præſentium quidem periculorum cura, ſed non grauiorum in proximum annum metu liberatus: quoniã rex Angliæ multis cum minis ex Gallia profectus, ſe proxima æſtate reuerſurum aſſerebat, imo ne tam ſerò belli initium faceret, iam nouos apparatus moliebatur: ſciebat etiam in Cæſare eandem in ſe voluntatem eſſe; & verebatur ne Catholicus rex, qui varijs modis inducias factas excuſauerat, quo minus illos à ſe penitùs alienaret, vnà cum illis arma caperet; cuius etiam rei magna extabant indicia: fuerant enim literæ quædam ab illo rege ad ſuum apud Cæſarem legatum ſcriptæ interceptæ, in quibus animum à verbis,quibus ſemper belli cõtra Chriſtiani nominis hoſtes gerendi,& ad Hiero

ſolymitanam

ſolymitanam expeditionem proficiſcendi, ſe vehementi deſiderio ardere præ ſe ferre conſueuerat, admodum alienum oſtendens; vt coniunctis viribus operam darent, quo Mediolanenſe imperium, ad Ferdinandum communem nepotem Archiducis minorem natu fratrem perueniret, proponebat; oſtendebatque hoc facto, ipſos reliquæ Italiæ leges daturos: & Cæſari, auxilijs præſertim ſuis coniunctis, quod poſt vxoris obitum ſemper exoptauerat, pontificatum adipiſci facile fore: quo adepto, Cæſaream coronam Archiduci traderet. Sed tamen res tam graues, niſi tempore & occaſionibus haud perfici poſſe ad extremum addebat. Notum etiam Galliæ regi erat Heluetiorum, quibus ampliſſimas conditiones offerebat in ſe animos, nulla ex parte mitigari; imò recenter, quia obſides à Tramollia dati, ne rege promiſſa non ſeruante capite plecterentur, veriti, clàm in Germaniam aufugerant, irritatos fuiſſe; ex quo iure verebatur, ne vel iam, vel ſaltem proximo anno, tot aliarum moleſtiarum ſuarum occaſione, in Burgundiam aut in Delphinatum impetum facerent: Hæ anguſtiæ aliqua ex parte in cauſſa fuerunt, vt ſacrarum rerum concordia pontifici aſſentiretur: cuius præcipuum caput erat, vt Piſanum concilium funditùs tolleretur: quæ res multos menſes agitata, varia impedimenta habebat; præſertim verò ea, quæ vel ex eius concilij auctoritate, vel contra pontificis auctoritatem acta fuerant: quæ probare, pontificia dignitate indigniſſimum videbatur: ijs verò improbatis, non erat dubium, quin maxima confuſio eſſet ſecutura: eam ob rem tribus cardinalibus ea cura demandata fuerat, vt quánam ratione huic malo obuiam iri poſſet cogitarent: nonnihil etiam difficultatis illud afferebat, quod regem niſi id peteret, cenſuris liberari, haud æquum videbatur: rex autem ne ſibi atque Galliæ regno ſchiſmatici (ſic enim appellant) notam inureret, id ſe petiturum negabat. Sed tandem rex ab hac moleſtia defatigatus, & omnium regni ſui populorum, qui eccleſiæ Romanæ reconciliari ſummopere cupiebant, voluntate excruciatus, reginæ etiam, quæ ſemper ab his controuerſijs alieniſſima fuerat, precibus impulſus, pontificis voluntati cedere ſtatuit: neque id ſine aliqua ſpe, pontificem hac controuerſia ſublata, quemadmodum artificioſè ei ſpem fecerat, ſe ab ipſius rebus minimè alienum declaraturum: quamuis ad veteres offenſiones noua acceſſiſſet quoniam pontifex, Scotiæ regi, ne Angliæ moleſtus eſſet per epiſtolam imperarat: nihilominus in octauo Lateranenſis concilij conſeſſu, qui ſub anni finem fuit, Galliæ regis procuratores, ipſius nomine eiusque mandato oſtenſo, Piſanum conciliabulum ſunt deteſtati, & Lateranenſi concilio adhæſerunt; & ſex antiſtites, ex ijs qui Piſano interfuerant, Romam vt totius Gallicanæ eccleſiæ nomine idem facerent, & inſuper alios quoque antiſtites, qui de pragmatica ſanctione eo animo, vt concilij ſententiæ ſe ſubmitterent, diſputarent, venturos promiſerunt; à quo in eodem conſeſſu omnium quæ contra Romanam eccleſiam commiſiſſent, ampliſſimam veniam ſunt adepti. Hæc anno decimo tertio ſupra milleſimum & quingenteſimum, in Italia, Gallia & Anglia ſunt geſta. Sequentis anni initio, Anna Gallię regina, que vix dum tantope re exoptata eccleſiæ concordia guſtauit, obijt: quæ certè fuit regina admodum præclara ac religioſa; obijt autem maximo cum totius regni & ſuorum Britanniæ citerioris populorum mœrore. 1514.

Galliæ regno ad eccleſiæ Romanæ obedientiam reuocato, Piſaniſque concilij auctoritate & nomine iam vbique extincto, nonnulli ex ijs qui Galliæ regis potentiam formidarant commoueri, & ne eadem nimium deprimeretur, vereri cæperunt: & præſertim pontifex, qui etſi Mediolanenſe imperium ab illo non recuperari cuperet, nihilominus veritus, ne rex tot periculis territus, & ſuperioris anni rebus ante oculos verſantibus, ad pacem cum Cæſare quemadmodum aſſiduè ex Cæſaris voluntate, Catholicus rex moliebatur; quo, filia vni ex illorum regum nepotibus deſponſa, Mediolanenſe imperium ei dotis nomine concederet, ineundam præceps rueret, Heluetijs ſuadere cæpit, cauerent, ne nimio in Galliæ regem odio, eò eum adigerent, vt conſilium, non minus ipſis quàm ſibi pernicioſum caperet: nam cum & ipſi ſcirent, quàm malè in eos eſſent Cæſar rexque Catholicus affecti, & pacem qua illi Mediolanenſe imperium adipiſcerentur, non minus ipſorum libertati atq; autoritati, quàm eccleſiæ, & totius Italiæ libertati periculoſam fore; debere quidem in eadem ſententia permanere, vt Mediolanenſe imperium à Galliæ rege recuperari non paterentur;

ſed & illud cauendum eſſe, ne (vt ſæpe in rebus humanis accidit) vnius extremi vitandi nimio ſtudio, in aliud æquè, & fortaſſe magis periculoſum atque pernicioſum incurrerent: vel ne ſupra quàm opus eſſet, vt illud imperium in Galliæ regis poteſtatem non rediret cauentes, in cauſſa eſſent, vt tanto maiori omnium periculo atq; pernitie, quanto minus, qui illis obſiſteret inueniri poſſet, quàm qui Galliæ regis potentiam refringeret inuentus erat, in aliorum manus deueniret: debere Heluetiorum rempublicam, quum tot præclarè geſtis rebus nobiliſſimisque victorijs nomen ſuum in bellicis artibus ad cœlum vſque extulerit, ex præſenti rerum ſtatu futura pericula prouidendo, ijsque prudentia & conſilio occurrendo, neque res eò vnde niſi armorum ferocitate atq; virtute reſtitui non poſſint, ruere permittendo, conari vt id pacis artibus nõ minus illuſtre reddatur: in bellis enim vt exemplis omnium temporum edocemur, ſæpe euenire, vt hominum virtus nimia fortunæ potentia opprimatur: melius conſilium eſſe Diuionenſem pactionem aliqua ex parte moderari, cum præſertim rex maiorem pecuniæ ſummam, & trium annorum cum Mediolanenſi imperio inducias offerret, modò iuribus ſuis cedere non cogeretur: quæ res cum ſpecie maior ſit, quàm re ipſa (quotieſcunq; enim regi eius recuperandi occaſio daretur, ipſa ceſſio non plus quàm ipſemet vellet impedimenti eſſet allatura) nõ debere eius gratia res in tantum diſcrimen vocari. Et viciſſim Galliæ regem, vt maioris incõmodi vitandi gratia potius pactionem Diuione factã comprobare, quàm proxima ætate tot hoſtes intra regni ſui fines expectare vellet, validis rationibus hortabatur. Sapientis principis eſſe, vt maius periculum vitetur, minus malum tanquam bonum & vtile amplecti; nec vnius periculi aut incõmodi declinandi gratia, in aliud grauius ignominioſiusq; incurrendũ: quam enim laudẽ ſibi cõpararet, ſi ijs qui natura ipſius hoſtes ſunt, quiq; ipſum tot fraudib. circumuenerunt, Mediolanenſe imperium tam manifeſta abiecti animi nota concederet? quam quitem, quamúe ſecuritatem ſibi promittere poſſet, exiſtimatione ſua adeò imminuta, eorumq; qui nihil aliud quàm Galliæ regnũ euertere ac delere dies noctesq; cogitant, potentia aucta? à quibus ipſemet ſciret, nulla promiſſione, nulla fide, nullo deniq; iureiurando ſe tutũ fore, vt grauiſſimo ſuo detrimento præteriti tẽporis ratione edoctus erat: durum quidẽ eſſe de ſuo iure decedere, ſed infamia minore; quòd aduerſarij eius exiguo ſcripto nihilo potentiores redderentur: cumq; ea promiſſio abſq; ipſius conſenſu ab eius miniſtris facta fuerit, eam ipſius ab initio voluntatem fuiſſe minimè dici poſſe; ſed maiorem tamen ad ea promiſſa ſeruanda excuſationem habere, quaſi promiſſis, & aliqua fidei obſeruatione cogatur: neminem eſſe qui neſciat, quanto periculo, ea pactione tunc Gallię regnum ſit liberatum: quod Heluetios alijs conditionibus in ſententiam ſuam pertrahere conaretur, id ſe laudare: ſe quoq; vt ob regni ipſius ſecuritatem, aliqua concordiæ ratio inter ipſos inueniatur, deſiderio ductum, omni ſtudio atq; officij genere in id incumbere, vt Heluetios ad eius voluntatem flectat: ſed ſi illi pertinaces eſſe vellent, paternè ipſum hortari, vt temporibus atque neceſſitati parere velit, cum alias ob cauſſas omnes, tum ne ſe ab hoſtium fœdere diſcedendi excuſatione priuet. Has rationes rex veras eſſe cognoſcebat (etſi pontificem ſuaſionibus tacitè minas immiſcuiſſe quereretur) & ſibi aliquod conſilium quo hoſtium numerus minueretur, neceſſariò capiendum fatebatur, ſed omnia potius pericula ſubire, quàm à Mediolanſis imperij iure diſcedere, in animo fixum habebat; atque ad idem illum omnis regius Senatus, & vniuerſa aula hortabatur: quibus etſi bella ab rege deinde in Italia geri moleſtiſſimum fuiſſet, nihilominus cum Galliæ regni dignitatis rationem haberent, illum tam turpiter cedere cogi, longè moleſtius erat. Haud abſimilis pertinacia in Heluetiorum comitijs cernebatur; quibus etſi rex quadringenta aureorum numûm millia in præſentia, & deinde varijs temporibus octingenta millia ſe perſoluturum polliceretur, & cardinalis Sedunenſis, multique ex præcipuis viris, imminens periculum, ſi Galliæ rex cum Cæſare & cum rege Catholico conſpiraret, animaduertentes, ad has conditiones accipiendas propenderent, tamen multitudo Gallico nomini infenſiſſima, quæque tot victorijs elata, ſe contra reliquorum principum omnium conſpirantem potentiam, Mediolanenſe imperium tueri poſſe exiſtimabat: nam & apud eam Sedunenſis autoritas multùm iam erat imminuta; & reliqui duces ob annuas penſiones quas

à Fran-

à Franco accipere ſolebant ſuſpecti, pertinaciſſimè, vt Diuionenſis pactio confirmaretur, inſtabat: quin etiam maxima temeritate concitata, de Burgundia denuò inuadenda agebat; quamuis Sedunenſis, & reliqui duces, non quidem aperta autoritate, ſed varijs artibus, rationibusq; obliquis, huic deliberationi ſe opponentes, rem ex vnis comitijs in alia protrahebant: quocirca rex Galliæ ab illis nec læſus, nec tutus, affinitatis cum Catholico rege negotium non intermittebat; in quo, vt & aliâs, præcipua difficultas erat, vtrum puella apud patrem, an apud ſocerum, tempus ad matrimonium perficiendum aptum expectare deberet: ſi enim pater eam retineret, Cæſar nullam ſibi rei perficiendæ ſecuritatem habere videbatur; & rex, dum aliqua ſpes eſſet, huius negotij famam, quam ipſe ſtudioſè diuulgabat, poſſe aliorum animos ſua ipſorum commoda ſpectantes, ſuo proprio beneficio mitigare, impedimenta quæ exoriebantur libenter foue-bat. Venit ad eum Quintana, Catholici regis ab epiſtolis miniſter, is qui eaſdē ob cauſas & ſuperiore anno apud eum fuerat; deinde ex eius conſenſu ad Cæſarem profectus, denuò ad Galliæ regem redijt: ad cuius reditum, quò commodius pacis impedimenta tolli poſſent, rex & Quintana, Catholici regis nomine, inducias ſuperiore anno factas, in alterum annum ijſdem legibus prorogarūt: quibus occultè admodū adiunctum fuit, vt toto induciarum tempore, Galliæ regi Mediolanenſe imperiū infeſtare non liceret: quæ cōditio neq; Genuam, neq; Aſtam cōplectebatur: quod caput ab ipſo occultatum, ab Hiſpano per totam Hiſpaniam promulgatum, & ſolemni ritu proclamatum fuit, hominibus interea, huius ne affirmatio, an illius negatio verior eſſet, incertis. Fuit eadem in pactione Cæſari & Angliæ regi, quos ambos Quintana in eam conſenſuros affirmabat, trimeſtre tempus, ſi adiungi vellent, reſeruatum: quod, quantum ad Angliæ regem attinebat, vanum erat, ſed Cæſari Aragoniæ rex, qui ſemper bellum ab Hiſpania procul remouere decreuerat, connubium, quo de agebatur, alia meliori ratione impetrari non poſſe perſuaſerat. Auxit hæc prorogatio pontificis ſuſpitionem, ne inter hoſce tres principes, maiorum rerum ad Italiæ perniciem conſilia, aut iam inita, aut propinqua eſſent: ſed cum nō ideò à priori ſententia, communi videlicet libertati valde perniciоſum fore, nō modò ſi Mediolanenſe imperium in Cæſaris & Hiſpani poteſtatem veniret, ſed etiam ſi ab Galliæ rege recuperaretur, ſibi diſcedendum duceret; ita progredi, & res ponderare, vt ea inſtrumenta, quæ ex vna parte prodeſſent, ex altera nō obeſſent, ei difficillimum erat; cum periculorum alterum ex Galliæ regis depreſſione, atq; metus alterum ex eiuſdem potentia & ſecuritate exiſteret: quare, vt eum regem hac cum illis regibus paciſcendi neceſſitate liberaret, Heluetios, quibus hæ inducię ſuſpectæ erant, vt cum illo conuenirent, hortari non deſinebat: atq; vt in quemuis euentum, aditum illi in Italiam intercluderet, de concordia inter Cæſarem & Senatum venetum pluſquam vnquam antea laborabat: ſed is quòd Cæſaris in eis oppidis quæ retinebat, res inducijs firmari cenſeret, conſtanti animo, aut integram pacem facere, aut in armis perſeuerare ſtatuebat; nullo caſu, nulloúe infortunio ab hac animi magnitudine dimotus: nā præter tot detrimenta, totq; res bello infeliciter geſtas; præterq; id, quod Galliæ regem eo anno in Italiam exercitum miſſurum eſſe ſperare non poterat, cum etiam, vel cœli iram, vel fortuitos caſus, qui ex fortunæ poteſtate pendent, aduerſos haberet, eius anni initio periculoſiſſimum incendium Venetijs fuerat: quod noctu ab Riuialti ponte initio facto, Aquilonibus eius impetum augentibus, nulla hominum diligentia laboreúe fieri potuit, quin in longiſſimum tractum flamma peruagata, eius vrbis frequentiſſimam opulentiſſimamq; regionem incenderit. Pontificis de pace interceſſione, ipſe denuò inter Cæſarem & illos arbiter, nullo certo tempore præſcripto, cumq; ampla & minimè definita poteſtate eſt conſtitutus; ſed tamen cū occulta promiſſione, ipſiuſmet chirographo confirmata, ſe abſq; vniuſcuiuſq; conſenſu ſententiā non eſſe laturum: hoc cōpromiſſo cōfecto, vtriq; parti, ab armis abſtinerēt, breui epiſtola imperauit; cui Hiſpani atq; Germani parum obtemperarūt: nam Hiſpani, qui in Polineſo Rhodigina, atq; Ateſte in hybernis erant, omnem circumiectam regionē diripuerūt: & prorex milites Vicetiam miſit, vt quo tempore ſententia pronuntiaretur, ipſe in eius poſſeſſione inueniretur. Frangipanius quoq; eodē tempore Foroiuliēſibus multa intulit damna; & Venetis nō cauentib. Germani nonnullorū exulum cōſpiratione, Maranum, maritimū in Furoiulij oppidum

prope Aquileiam ceperunt: idcirco Veneti Baldassarem Scipionium, cum certo militum numero, & Hieronymum Sauornianum cum multis alijs agrestibus terrestri itinere eò miserunt; quibus oppidum obsidentibus, & à mari classe idem oppugnante, quingenti Germani equites, & duo peditum millia oppidanis auxilio venerunt; quorum aduentu qui intus erant eruptione in Venetos facta, eos non parua cum occidione fuderunt, & tormenta ceperunt: quin etiam ab aliquot nauibus, eis triremis vna, cum multis alijs nauigijs adempta fuit: post quam victoriam, Monfalconem quoq; vi obtinuerunt. Maranensibus copijs post paucos dies additi sunt quadringenti equites, & mille ac ducenti Germani pedites, qui Vicetiæ fuerant; hiq; alijs peditibus atq; equitibus, quirecenter in Forumiulij venerant coniuncti, totam regionem percurrebant: ideò Malatesta Solianensis eius regionis præfectus, cum sexcentis equitibus & duobus peditum millibus, & Hieronymus Sauornianus cum duobus regionis incolarum millibus, quise Vrinum quod illis resistere non possent, contulerant, vbicunque poterant opem ferentes, Liquentiam fluuium traiecerunt: sed Germani in duas acies diuisi, Feltrio ab altera occupato, arma per circumiectam regionem circumferebant: at Veneti, qui itinera omnia obsederant, in alteram illorum aciem Bassiani, vbi imparatos eos offenderunt, impressione facta, cum numero inferiores essent, ex quingentis (tot enim erant) trecentos pedites cęciderunt, multisq; militibus, & ducibus captis, eos fuderunt: altera Germanorum acies ad Osopium, in asperi montis vertice situm castra posuerat; vbi quum arcem tormentis verberassent, & oppugnationem sæpius frustra tentassent, aquæ penuria qua intus laborabatur freti, deditione capi posse rati, ad obsidionē sunt conuersi: sed quum aquarum incommodo cœli benignitate prospectum esset (illis namq; diebus crebri & copiosi imbres fuerunt) denuò oppugnationē sunt aggressi, sed frustra; adeò vt & expugnationis & obsidionis spe amissa, inde castra mouerint. Hæc pontifici erant molestissima; sed longè molestius erat, quòd nullam concordiæ rationem inueniret, quæ vtrique parti satisfaceret: nam ex crebra rerum mutatione, quum spes ex illarum progressibus mutarentur, factum erat, vt cum Cæsar Verona retenta Vicetiam vellet relinquere, Veneti nisi Verona restitueretur, pacē recusarint: cum verò Veneti tot calamitatibus cōcussi, sola Vicetia cōtenti erant, Cæsar Verona non contentus, Vicetiā quoq; vellet: quibus difficultatibus fessus pontifex, etsi sententiā suam minimè probatā iri existimaret, tamē ne ipsius culpa esse videretur, pacem inter illos esse debere pronuntiauit, ea lege, vt statim vtrinq; arma deponerentur; sibi pacis leges intra annum declarandi facultate conseruata: quæ pax, & armorum depositio, Hispanum quoq; comprehenderet: Cæsar Vicetiam, & quicquid ipse atq; Hispani in Patauino & Taurisino agro possidebant; itemq; Veneti Cremam, in ipsius manus depositi nomine: reliqua, ad sententiæ vsq; promulgationem quisq;, vt possidebat, sic obtineret: hanc sententiam intra mensem omnes confirmarent: quo facto Veneti tunc Cæsari vigintiquinq; aureorum numūm millia, & totidem intra tres proximos menses repræsentarent: quòd si sententiam latam non omnes comprobarent, ea nulla esse intelligeretur. hanc ille nouam diiudicandi rationem, vt neutri parti displiceret, est sequutus; & quia qui Hispani regis nomine comprobandi facultatem haberet (etsi eius orator illum assensurum promitteret) nemo aderat, tantum vnicuiq; ad ratum habendum temporis concessit, vt mitti mandatum posset; sed quum Veneti ratum habere haud statuissent (eodem enim tempore pacis leges declarari voluissent) irritum fuit iudicium. Interea illorum in Cremæ, quæ intus pestilentia, & annonæ penuria, & foris hostili obsidione vexabatur, defensione res prosperè cedebant: ab vna nanq; parte Prosper Columna, cum ducentis grauis, ducentis & quinquaginta leuis armaturæ equitibus, & duobus peditum millibus, Efenengum, ab altera Vmbrianum Siluius Sabellus cum sua equitum turma, & duobus peditum millibus, venerat: vterque verò locus duo millia passuum à Crema distabat; vnde sæpe milites ad leuia cum hostibus prœlia committenda erumpebant: qui dum in Vmbriani castris incauti sedent, Rentius Ceres noctu cum militum suorū parte egressus, castris expugnatis, multisq; peditibus cæsis, eos fudit: quamobrem Prosper suas copias longius abduxit; & post paucos dies Rentius, Abduæ ex aquarum depressione traijciendæ occasionem nactus, Castillionem in Laudensi agro profectus, quinquaginta grauis armaturæ equites, qui illic erant debel-

debellauit:tantamq; laudem ex his tam secundis,tamq; industrijs rebus gestis retulit,vt communi omnium consensu,iam inter summos totius Italiæ duces numeraretur:Venetiq; deinde Iulijforum recuperare statuerunt, ideoque Aluianum cum ducentis grauis, quadringentis leuis armaturę equitibus & septingentis peditibus eò miserunt;qui Portumnaonis versus,vbi Germanorum pars erat,incedens,ipsius expediti equites qui prę currebant,Rizzano duci germano, qui ducentos grauis armaturæ,& trecentos expeditos equites secum habebat, ante oppidum occurrentes, cùm eo consertis manibus repellebantur;sed Aluiano cum reliquis copijs superueniente,acre certamen est cæptum; cuius exitus donec Rizzanus vulnere in facie accepto à Malatesta Solliano captus est, dubius fuit. Milites fusi ad Portumnaonis confugerunt; sed de oppido tuendo dubitantes aufugerunt, & oppidum desertum, cum multorum incolarum cæde direptum fuit. Deinde Aluianus Osopium denuò ab Frangipanio, atque ab altera Germanorum legione obsessum contendit: qui eius aduentu cognito abierunt; sed expeditis equitibus à tergo instantibus impedimenta atque tormenta amiserunt: quibus succesſibus cum regio ferè vniuersa sub Venetorum imperium redijsset, Aluianus Goritiæ expugnatione frustra tentata, ducentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus,& duobus peditum millibus(vt ipse Romam perscripsit)partim captis,partim cęsis,Patauium cùm copijs redijt; Germani verò eius discessu denuò aucti,Cromonium & Monfalconem ceperunt; & Venetos à Marani obsidione discedere coëgerunt, vbi ante paucos dies Frangipanius ex insidijs captus fuerat, ac Venetias perductus; sed auxilij aduentu cognito,fractis similes discesserunt: & paulo pòst Epyrotis in fugam coniectis, Ioannes Vitturius ipsorum legatus cum centum equitibus captus fuit: hæ verò vicissitudines in Foroiulij ob Germanorum qui imperatis tantùm militibus in ea regione vtebantur, vicinitatē sæpe fiebant:illi enim,cum regionem diripuerant, atq; percurrerant,vbi Venetarum copiarum quibus multi regionis incolæ coniungebantur aduentum audiebant, mox domos suas redibant;mox prout occasio ferret,reuertebantur. Veneti denuò alias copias miserunt: quamobrem prorex,Alarconem,vnum ex Hispanis ducibus,qui inter Atestę,Montanianam, & Coloniam castra habebant, cum ducentis cataphractis,centum expeditis equitibus, & quingentis peditibus, in Forumiulij contendere iussit: sed quum vindemiæ gratia inducias in regione factas in itinere cognouisset, ad priora castra redijt. Sic Italicis belliis lentè procedentibus,pacis atque concordiæ consilia minimè intermittebantur: rex etenim, Heluetios pro iuris cessione pecuniam accepturos spe non penitus amissa, id apud eos vehementer admodum agebat;à quo adeò abhorrebat multitudo, vt quum obsides aufugissent,Geneuæ magistratum minis, ad Gratianopolitanum iuris præfectum ab rege in eam vrbem, vt cum ipsis negotium tractaret missum, dedendum coëgerint; eumque postea multis quæstionibus, vt num aliquis ex ipsorum gente pensiones acciperet, consiliaúe occulta cum Galliæ rege haberet eliicerent, subiecerint: neque vlla humanitas vllaúe legitima purgatio illorum immanitatem comprimere poterat: neq; verò rex extra suspicionem erat, à pontifice quoque qui ob finium sibi propositorum diuersitatē, inter tot scopulos maximè circumspectè nauigare cogebatur,clàm vt Heluetij absq; ipsius opera secum non conuenirent prouocari: non quidem vt eos ad bellum incitaret (ab eo enim assiduè illos dehortabatur) sed vel vt in Diuionensi pactione persisterent, vel quòd ne hoc initio, ab sua societate disiungerentur,metueret:quocirca rex se quod non iam solus omnium mortalium impetū sustinere vellet,nimijs etiam sumptibus, & militū petulātia fessus, se in fœdus cum alijs præcipitaturū minabatur:nam quū viginti millia Germanorū peditū in Galliā duxisset, neq; omnes habere,nisi cum Anglię rex Tornacū obsidebat,potuisset,vt illos deinceps, si opus foret,in tēpore haberet,in Gallia retinuerat;qui ingentia regioni incōmoda afferebant: & querebatur rex quòd pontifex ipsum in Italia,reliqui verò principes in Gallia habere nollent.In his difficultatib. tantaq; rerum cōfusione,indignatio incredibilis, ab Angliæ rege ex inducijs à socero contra id quod sæpius ei se nullā pactionem cum Galliæ rege absque ipsius consensu facturum promiserat, renouatis concepta, viam illi ad securitatem,& in pristinā potentiam existimationemque redeundi spem aperire cœpit; de hac iniuria publicè conquerens,seq; ter à socero deceptum aiens, à belli contra Gal

los innouandi consilijs indies magis & magis alienabatur: qua re ad pontificem perlata, vel ne rex Gallię, si fortè ab illo molestia afficeretur, cum duobus regibus, quem dmodũ semper minabatur, pacẽ affinitatemq; contraheret, suspicione motus; vel quòd pacẽ omnino inter illos coiturã existimaret, ex eo quod prohibere non poterat, aliquã sibi sese interponendi apud Gallię regem gratiã promereri cuperet, Eboracensem cardinalẽ, regi suo, vt parta gloria cõtentus, & fide, quã in Cęsare, Hispano atq; Heluetijs inuenerat, in memoriã reuocata, Galliæ regno deinceps armis infestus ne esset, persuaderet, horta ri cæpit: certum est, pontificem, quum Galliæ regẽ Anglorum bello liberatum, statim, cõtra Mediolanense imperium arma moturũ, ei ostenderetur, se id periculum, videre respondisse; sed etiã periculũ, quod vicissim ex illorum regum discordia oriretur, considerandum esse; atq; in tam grauibus caussis difficillimũ esse, res tam perfectè põderare, & consilium quod his periculis prorsus careret, inuenire: Mediolanensi imperio Heluetiorum patrocinium in omnem euentum relinqui; & in tam incertis atq; difficilibus deliberationibus alteram partem casus & fortunæ arbitrio necessariò permittendã: vtcunque se res habeat, siue pontificis autoritate, siue proprio partium studio, pacis sermones inter Galliæ, atq; Angliæ regem mox haberi cæperunt: qui à pontifice cum Eboracensi cœpti, statim in Angliam sunt translati; quò hanc ob caussam Normaniæ quæstor, sed de Rotellini marchionis liberatione agendi prætextu, ab Galliæ rege missus fuit: in cuius aduentu, vt arma in continenti tantùm, dum quæstor in Anglia esset, inter vtrumque regem quiescerent, promulgatũ fuit. Angliæ regis ad pacem propensio nouis iniurijs augebatur: quoniam Cæsar, qui se inducias ab Hispano factas sine ipso non confirmaturum ei promiserat, confirmationis tabulas ad eum regem misit; qui tabulis, vt simulationibus artibusq; suis vti posset, apud se retentis, epistola ad Galliæ regem scripta Cæsaris nomine inducias confirmauit. Negotio hoc inter duos reges agitari cæpto, pontifex vtriusq; illorum gratiæ promeredę cupidus, Tricaricensem episcopum, vt omnem suam autoritatem atq; operam polliceretur, ad Galliæ regem per dispositos equos misit: qui eius consensu eandem ob caussam in Angliam traiecit. Hac in re initio multæ difficultates apparebant; quoniam rex Angliæ Bononiam in Belgis sibi tradi, & magnam pecuniæ summam petebat: tandem controuersia ad Tornaci negotium solùm redacta (nam rex Angliæ id retinere volebat) & Galliæ rex difficilem se in eo ostenderet, rex ille Tricaricensem episcopum mutatis equis ad Galliæ regem misit: sed qua in re maximè difficultas esset posita non indicata, ei mandatum fuit, vt eius nomine regẽ hortaretur, vt tanti boni ratione habita, ne tam subtiliter in quibusdam rebus insisteret: quam ob rem Galliæ rex, qui in populorum suorum reprehensionem incurrere nolebat, eo quod Tornacum nobilis ciuitas esset, & admodum notæ in Galliæ reges fidei, rem ad Senatum, cui omnes aulę principes interfuerunt, retulit: qui vno ore ad pacem etiam hac lege amplectendam eum sunt hortati: & quamuis eo tempore Hispanus, vt eam omni industria impediret, multa Galliæ regi polliceretur; & præsertim se illi ad Mediolanense imperium occupandum auxilia daturum, tamen vbi regem in Tornacensi re assentiri resposum in Angliam est allatum, initio Augusti pax inter vtrumq; regem dum viuerent, postque annum vnum confecta est, ijs legibus: vt Tornacum Anglus retineret, cui Francus sexcenta aureorum numũm millia persolueret; ita vt ex ea summa quotannis centum Francicorum millia numeraret: alter alterum ad suum imperium defendendum, si bellum terra gereretur, decem peditum millibus, si mari, sex, iuuare teneretur. Galliæ rex mille & ducentos cataphractos Angliæ regi ad quamuis expeditionem, & vicissim ille Galliæ regi decem millia peditum daret; sed tunc eius, qui opus haberet, sumptibus. ab vtroq; eorum nominati fuere, Scotiæ rex, Archidux, & imperium; Cæsar autem & Hispanus silentio præteriti: Heluetij quoq; nominati sunt, sed ea lege, vt quicunq; Mediolanense imperium, vel Genuam vel, Astam contra regem Galliæ tueretur, ab hoc numero esset excluſus. Quæ pax summa alacritate facta, affinitate corroborata est: quoniam Angliæ rex sororem suam Galliæ regi, ea lege in matrimonium dedit, vt se quadringenta aureorum numũm millia dotis nomine accepisse fateretur. Sponsalia statim in Anglia sunt celebrata; quibus rex ob ingens odium, quo Hispanum prosequebatur, eius oratorem interesse noluit. Et vix dum hæc pax erat confecta, cum inducíarum ab Cæsa-

Cæſare confirmationis tabulæ, ad Galliæ regem ſunt allatæ; & ſimul eius atq; Hiſpani regis, de affinitate inter Ferdinandum Auſtriam, & regis ſecundam filiam, quatuor tantùm annos natam qua de agebatur contrahenda mandata; quod negotium ob pacem factam prorſus excluſum fuit; quin etiam rex vt Angliæ regi ſatisfaceret, Suffolciæ ducem, qui omnibus Germanis peditibus, qui ei militabant præerat, Galliæ regno excedere voluit: is tamen ab rege honore affectus, & amicè tractatus, contentus diſceſſit. Quo tempore & pontifex noua fœdera fecerat; quoniam artibus & ſimulatione plenus, & Mediolanum à Galliæ rege recuperari nolebat; & illum ac ceteros principes pro ſua virili varijs artibus retinere cupiebat: ideò per cardinalem Sanſeuerinatem, qui Galliæ regis negotia Romæ procurabat, regi ſic propoſuerat, vt poſtquam non ea erant tempora, quæ maiorem, apertioremq; neceſſitudinem inter ipſos contrahi paterentur, ſaltem huiuſmodi initium ac fundamentum iaceretur, ex quo alio tempore arctiſſima coniunctio ſperari poſſet: itaq; capitum ſummam miſerat: ad quæ cum Francus, etſi id ſibi gratum eſſe oſtenderet, non tam citò reſpondiſſet (nam ſiue alijs occupationibus impeditus, ſiue aliquod reſponſum aliunde, vt ex rerũ progreſſu conſilium caperet expectaret, quindecim dies ſuſpenſum tenuit) Pontifex nouum cum Cæſare & Hiſpano in annum vnum fœdus inijt; quod tamen nihil aliud quàm communium ſtatuum mutuam defenſionem complectebatur; cùm antea Hiſpanus illum ad regnum neapolitanũ pro Iuliano fratre aſpirare, non fruſtra eſſet ſuſpicatus; qua de re iam aliqua cum Venetis agitauerat: & vix dum illud fœdus confecerat, cum Galliæ regis reſponſum eſt allatum; quo ea omnia quæ pontifex propoſuerat, comprobabat; illud vnum addens; vt poſtquã ſibi Florentinorum, Iuliani eius fratris, & Laurentij Medices nepotis, quẽ pontifex Florentiæ adminiſtrationi præfecerat, patrociniũ eſſet ſuſcipiendum; ſe quoq; viciſſim petere, vt ipſi ſe ad ipſius defenſionẽ obſtringerent: quo reſponſo accepto, pontifex, quòd ſe iam Cæſari atq; Hiſpano coniũxiſſet excuſauit: propterea quod cum in tam æqua petitione reſponſum tam diu differri videret, quin aliquid ſuſpicaretur facere non potuiſſet; ſed tamẽ id fœdus ad breue tempus ictum eſſe; nec quicquã quod in eius detrimentum eſſet eo contineri; nec cæptum inter ipſos negotium impediri: quibus rationibus ab rege admiſſis, pactionem inter ſe quandam, non publicis tabulis, quo res occultior eſſet, ſed vtriuſq; manu ſubſcripta ſchedula firmarunt. Pax inter Galliæ & Angliæ reges, omnium opinione celerius ac facilius facta, nemo enim vnquam tantum odium tam citò in beneuolentiam affinitatemq; conuerſum iri poſſe crediderat: fortaſſe pontifici, qui ſibi, vt & alij, inducias potiuſquam pacem futuras, vel ſi tamen pacem, eã Galliæ regi grauiores leges, vel ſaltem vt per aliquod tempus in Inſubria bellum non moueret impoſituram perſuaſerat, minus grata fuit: Cæſari autẽ vehementer diſplicuit; & Hiſpano qui vt nullum eſt in rebus humanis malum, cui non aliquod ſit adiunctum bonum, duplicem ſe inde voluptatem percipere aiebat; alteram quidem quòd Archidux eius nepos, ſororis Galliæ regi in matrimonium locandæ ſpe excluſus, & ab Angliæ rege alienatus, omnibus in rebus conſilium autoritatemq; ſuam ſequi cogeretur; alteram verò quòd cum rex Galliæ facilè filios mares habere poſſet, Angolismẽſium ducis, quem ipſe, quoniam Nauarræ regis in regnum ſuum reducendi cupidiſſimus erat, ſummo odio proſequebatur, ſucceſſio in dubium reuocaretur: ſoli Heluetij etſi priſtinum in Galliæ regem odium retinerent, tamen, quòd rex ille, vt credebatur, reliquis moleſtijs liberatus, bellum in Inſubria moturus videretur, ipſi virtutis ac fidei ſuæ cunctis oſtendendæ nouam habituri eſſent occaſionem, eam pacem ſibi gratam eſſe aſſeuerabant. Neq; vlli dubium erat, quin Galliæ rex, moleſtiarum trans alpes penè omni timore ſublato, conſuetum Mediolanenſis imperij recuperandi deſiderium haberet; ſed an ſtatim arma eſſet moturus, an verò in proximum annum dilaturus, incertum erat; occaſio enim præſens eſſe, ſed apparatuum ſigna nulla cernebantur: qua in ambiguitate pontifex, quamuis illud imperium à Galliæ rege recuperari ei moleſtiſſimum eſſet, vehementer, ne mora interpoſita præſentes occaſiones corrumperet, eſt eum hortatus; reſq; malè ad reſtendum eſſe comparatas, oſtendit: Hiſpanicum exercitum imminutum eſſe ſtipendijsque carere: Mediolanenſes omnes inopes, atq; ad extremam deſperationem redactos; nec quemquam eſſe qui pecuniam ad Heluetios euocandos conferre poſſet: quæ ra-

tiones idcirco maiorem habebant autoritatem, quia non multo antè quàm pax cum Angliæ rege coiret, se, vt ipse Genuam recuperaret, cupere ostendens, Octauiani Fregosij vt cum eo paciscereturflectendi aliquam spē fecerat. Certum est pontificem hæc parum candidè egisse; sed vel quòd cum res malè comparatas videret, & regem Galliæ etiam absq; suis hortationibus hanc expeditionem suscepturum suspicaretur, præsertim quòd videret eum cataphractos & multos Germanos pedites in promptu habere, huiusmodi arte eius amicitiā antè capere vellet; vel maiore astu vsus, id quod Cęsar atq; Hispanus asserebant, & Galliæ rex negabat, nō licere ei vigentibus inducijs, bellum in Insubria mouere, verum esse sciret; ideoq; regem eam expeditionem detrectaturū persuasus, bonā in eo suæ voluntatis opinionē gignere, sibiq;, si fortè alio tempore auxiliū ab se peteretur, excusationē parare vellet: cessit aūt ei res ex sententia: nam rex cum siue ob eam quam diximus causſam, siue ob pecuniæ inopiā, siue ob hyemis propinquitatē, ante Ver arma non mouere statuisset, etiam eo tempore sibi pontificis opem non defuturam sperare se ostendens, varijs adductis moræ causſis; ea verò quæ fortasse potissima erat induciarum, silentio prætermissa, respondebat. Sed tamen ad Genuæ res tentandas, vel saltem Laternæ quæ eius mandato eodem anno sæpius à paruis nauigijs quæ, se in Genuæ portum tendere fingentes, furtim ei appropinquarant, aliquem commeatum acceperat, opem ferendam, propensus erat: sed tanta erat commeatus penuria, vt cum arx illa subsidium expectare non posset, qui in ea erant sese Genuensibus, qui ingenti regis mœrore eam funditùs euerterunt, dedere coacti fuerint. Laternæ iactura regem à Genuæ tunc tentandæ consilio prorsus remouit; & totus ad apparatus quibus proximo anno Mediolanum inuaderet est conuersus; & adhuc pontificem ob beneuolum quem ostendebat animum; ob studium quod in negotijs cum Angliæ rege & Heluetijs declararat; & quia se ad eam expeditionem incitarat, sibi coniunctum ac fautorem fore sperabat; præsertim cum viciſſim pontifici polliceretur, nominatimq; se illi ad regnum neapolitanum, siue pontificio imperio, siue Iuliano fratri mallet subijciendum, auxilio futurum: sed noui casus de eo suspicari regem coëgerunt. Pontifex, Ferrariensium duces res, etsi initio sui pontificatus magnam ei Romæ spem feciſſet, & Regij restitutionē, vbi cardinalis eius frater ex Pannonia redijſſet, promisisset, nunquam componere voluerat; vbi autem ille redijt, varijs iniectis impedimentis distulerat: eadem tamen promissa ei non modò verbis, sed etiam tabulis confectis confirmauerat; & vt Regij vectigalibus, tanquam breui ad eius imperium redituri frueretur, concesserat; longè autem alia eius erat mens, ad Ferrariæ imperium occupandū inhians; & ad id ab Alberto Carpensi Cæsareo oratore, accerbissimo ducis inimico, & plerisq; alijs, qui sempiternæ ab Iulio, ob pontificium imperium ita auctum, adeptæ gloriæ exemplum proponebant, incitatus: nunc oportunam perampli dominatus Iuliano fratri tradendi occasionem dari; qui immodica spe sibi proposita, sponte Laurentio nepoti Mediceæ familiæ autoritatem quam Florentiæ habebat, concesserat. Pontifex igitur hæc consilia sequutus, à Cæsare, qui semper pecunia egebat, vt sibi Mutinam quadraginta aureorum numūm millibus acceptis pignori traderet, quemadmodum paulò ante Iulij obitum cum eo agitatum fuerat, facilè obtinuit; eo consilio, vt eam ciuitatem, Regio, Parmæ atq; Placentiæ adiungeret; earumq; perpetuum vicarium vel præfectum Iulianum constitueret: & ijs, si quando posset, Ferrariam adderet. Ea emptio non mediocrem Galliæ regi suspicionem mouit: videbatur enim magnæ cum Cęsare necessitudinis inditium, & ei pecuniam dari ægre ferebat; quamuis Pontifex eam sibi à Cæsare ob pecuniam antea acceptam, concessam excusaret: illud quoq; suspitionem auxit, quòd cum Turcarum princeps magnam contra Sophum Persarum regem victoriam esset adeptus, pontifex tanquam de re Christianis omnibus periculosa, ad omnes principes literas dedit; quibus vt armis quibus in mutuam perniciem abuterentur, in communem religionis hostem conuerterent hortabatur; illud autem pontificem totum patefecit, quod eodem colore Petrum Bembum suum ab epistolis ministrum, qui postea fuit cardinalis, Venetias vt eum Senatum ad pacem cum Cæsare flecteret misit: quo in negotio cum eædem quæ hactenus difficultates versarentur, non modò ei nō sunt obsequuti, verùm etiam Galliæ regi eius aduentus causſam indicarunt; quamobrem Francus, illum cum iam belli gerendi tempus

pus inſtaret,ſe ſociorum auxilijs ſpoliare conatum,moleſtè ferens,antea cępta cum Hiſpano negotia, vel vt pontificem hoc terrore moueret,vel ſi hoc non poſſet,vt ea perficeret,renouauit: tanto Mediolanenſis imperij præ cæteris rebus omnibus recuperandi deſiderio flagrabat. Hoc autem ipſo tempore nulli præterea,niſi contra Venetos in Italia motus extiterant, in quos etiam occultiſſimè inſidiæ paratæ fuerant : ſi enim quod Veneti ſcriptores narrant verum eſt,nonnulli Hiſpani pedites,ſe ex hoſtiũ caſtris transfugas ſimulantes,Patauium ingreſſi,ducum ſuorum mandato Aluiano necem machinabantur:eo namq; interfecto, ſi ſtatim exercitum Patauio tanti ducis morte perturbato admouerent, ſe facilè ea ciuitate potituros ſperabant:adeò præſentis militiæ ratio à veterum virtute diſceſſit:qui tantum abeſt vt percuſſores ſubornarent, vt ſi quod ſcelus in hoſtẽ parari intelligerent,id ei illicò patefacerent;propterea quòd hoſtem virtute ſuperare pulcrius ducerent, & ſe id poſſe facere confiderent:ſed ea machinatione detecta, ſcelerati milites meritas pœnas luerunt. Hiſpanicus exercitus non parum numero imminutus,inter Montanianã,Coloniam & Ateſte caſtra locarat: quem vt in regnum neapolitanum redire cogerent,Veneti claſſem cui Andream Grittum præfecerant,exornabant : quæ ad Apuliam inuadendam decreta, tandem varias ob cauſſas diſſoluta,& ſilentio obruta fuit.Hiſpani deinde à Germanis qui Veronæ erãt, ad Patauinorum agros vnà cum eis depopulandos inuitati, ad Turrim prope Vicetiam venerunt: ſed vbi multos dies eos in illis caſtris fruſtra expectaſſent,quia ad paruum numerum erant redacti; & ad promiſſa ob quæ eos vocauerant præſtanda minimè idonei, vaſtationis agrorum conſilio depoſito, & mille & quingentis peditibus ab eis impetratis, cum ſeptingentis grauis,totidem leuis armaturæ equitibus, & tribus millibus ac quingentis Hiſpanis peditibus, ad Citadellam oppugnandam,quo in oppido erant trecenti expediti equites, contenderunt:eò igitur cum ad ſecundam diei horam perueniſſent(totam enim noctẽ, expediti iter confecerant)ſtatim tormentis admotis eam percutere cœperunt: eodemque die ſecunda oppugnatione eam expugnarunt, omnesq; illos equites ceperunt, & in eadem caſtra ad tertium à Vicetia lapidem redierunt. Aluianus verò quòd pugnandi mandatum ab Senatu non haberet,cum ſeptingentis grauis,mille leuis armaturæ equitibus,& ſeptem peditum millibus, loco munito, iuxta Brentam amnem caſtra locarat: neq; his rebus vſquam mouebatur; ſed ex ſuis caſtris expeditis equitibus ſemper hoſtibus negotium faceſſebat: nihilominus autem poſtea ob maiorem exercitus ſecuritatẽ, ad Barcilionem ferè ante Patauinas portas caſtra promouit:cum verò regio vniuerſa vtriuſq; partis excurſionibus direptionibusq; eſſet conſumpta,Hiſpani commeatu deficiente,Vicetia,& Brendolę arce quæ ſeptem milliaribus Vicetia diſtat deſertis,ad priora caſtra ex quibus diſceſſerant, redierunt : neq; alijs ſubſidijs ſtipendijsúe, quàm multis quas Veronnæ, Brixiæ, Bergomi, & alijs circumiectis locis imponebant,alebantur. Hiſpanis regreſſis inter Batalliam & Patauium Aluianus in loco munitiſſimo metatus eſt; quo ex loco Ateſte paruo eoq; negligenti præſidio munitum eſſe certior factus,quadringentos equites & mille pedites noctu eo miſit;qui antequam audirentur ingreſſi,& octuaginta Corueriæ ducis qui in arcem confugit leuis armaturæ equitibus captis, in caſtra redierunt: ſed quum Veneti noua ſupplementa militum ad exercitum miſiſſent, Aluianus Montanianam profectus, proregi pugnæ poteſtatem fecit; qui quoniam viribus longè erat inferior, ea detrectata, in Rhodiginam Polinenſum ſe recepit:quamobrem Aluianus omni prorſus trans Atheſim obſtaculo liberatus,quotidie ad Veronenſes portas vſq; excurrebat:quæ res in cauſſa fuit,vt prorex eius ciuitatis periculo motus,trecentis cataphractis & mille peditibus in Polineſo relictis,cum reliquo exercitu in eam ſe contulerit.At in longè maioribus anguſtijs verſabatur Crema,à Mediolanenſium duecis copijs,quæ in vicinis oppidis & pagis erant, penè obſeſſa, & intus annonæ caritate, atque ingenti peſtilentia oppreſſa, in qua milites multos menſes abſque pecunia fuerant,tormentario puluere, alijsque rebus neceſſarijs ſæpius poſtulatis carebant: quam ob rem,Rentius,diutius obſiſtendi ſpe amiſſa, id Venetis cum obteſtatione denuntiauerat, & tamen eadem fortuna ſeſe ei adhuc benignam exhibente, Siluium Sabellum qui ducentos graues, centum expeditos equites, & mille & quingentos pedites habebat,repentè aggreſſus,illicò fudit.Siluius autem cum quinquaginta grauis armaturæ e-

quitibus, Laudem euasit. Veneti deinde Cremam iterum commeatu munierunt, & Nicolaus Scottus comes mille & quingentos pedites imposuit: quo præsidio cum Rentij animus & vires auctæ essent, post paucos dies à ciuibus vocatus, Bergomum est ingressus; Hispani verò in Capellam confugerunt: eodemq; tempore Mercurius, & Malatesta Ballio trecentos equites qui extra vrbem castra habebant, ceperunt. Sed quum post paucos dies Nicolaus Scottus cum quingentis Italis peditibus, Bergomo Cremam petens, in ducentos Heluetios incidisset, ab eis fusus, & captus, atq; ad Mediolanensium ducem, cuius iussu securi percussus est, ductus fuit: Bergomi amissio proregem & Prosperum Columnam excitauit, qui Hispanicis ac Mediolanensium copijs simul coniunctis, cum quinque peditum millibus eò profecti, tormenta ad diuæ Catharinæ portam collocarunt; quibus cum multùm in muro diruendo profeciſſent, Rentius qui intus erat, vbi se eos sustinere non posse animaduertit, ciuitate ad illorum arbitrium relicta, vt cum omnibus suis militibus & rebus eorum, sed absq; tubarum clangore, atq; vexillis depressis, abire posset pactus est. Prorex Bergomenses octingentis auri libris mulctauit. Dum autem hæc Cremæ & Bergomi gererentur, admodum illustre facinus, magnæque industriæ & celeritatis Rodigij Aluianus patrauit: nam quum plures quàm ducenti Hispani cataphracti illic castra haberent, seq; quòd inter ipsos ac Venetas copias Athesis fluuius interesset, tutissimè ibi degere arbitrarentur, Aluianus ponte prope Anguillariã oppidum repentè iacto, cum expeditis militibus, incredibili celeritate fluuium traiecit: & ad oppidum, cuius portam iam centum pedites rusticano more induti, ab ipso, mercatus qui eodem die celebrabatur occasione præmissi occuparant, peruenit; & ingressus omnes eos captiuos fecit: qua re territi reliqui Hispani qui in Polineso erant, ad Badiam velut totius regionis munitissimum locum confugerunt: deinde Polineso omni, atq; etiam Lineaco deserto, Ferrariam versus contenderunt. Rhodigio capto Aluianus cum exercitu Oppianum, quod prope Lineacum est, fluuiatili quoq; classe eò adducta, & inde Villacream, quæ non procul ab Verona abest, petijt: quo ex loco si minus Verona, in quo erant duo millia Hispanorum peditum, & mille Germani, capere posset, ei per totam hyemen negocium facesseret instituerat: sed trecentos graues, quingentos expeditos equites, & sex millia peditum ex hostili exercitu Lineacum versus contendere certior factus, ne sibi commeatum interciperent, vel vt ad pugnam cogerent veritus, inde discessit; & eos à latere est insequutus: petebant autem illi Athesim, eumq; ad Albetetum magna cum commeatus ob expeditorum equitum, & fluuiatilis classis molestiã, penuria, traiecerunt: quo in loco quum Hispanicum exercitum, Bergomo recuperato Veronam redire cognouisset, eum non expectare statuit; ideoq; equitatum terrestri itinere Patauium misit: ipse cum peditatu, impedimentis ac tormentis, vt pluuias atq; lutulenta loca vitaret, nocte secundo Athesi flumine vectus est; nec hostilis incursionis metu caruit; sed illis aquarum copia impedimento fuit: ipse autem nauibus deinde relictis, consueta celeritate incolumis pedibus Patauium peruenit, quo ante duos dies grauis equitatus venerat; & exercitum Patauij atq; Taurisij distribuit: Prorex autem Prosperq; Columna, copijs in Rhodigia Polineso in hyberna collocatis, Isprucam, vt cum Cæsare de rebus quæ incidebant deliberarent, sunt profecti. Hoc ipso anno Iulij forum, quod Frangipanio capto, iustrumentum illud, quod eam regionem præ ceteris turbabat, esset remotum, consueto pacatius fuit: quamobrem Veneti quanti interesset eum retineri, illum cum Ioannepaulo Ballione permutare recusarant: at Ioannespaulus, quum prius de eo cum Caruaialle permutando ageretur, ab Hispanis, nisi permutatio fieret in eorũ manus redeundi fide data, Romam proficiscendi potestatem acceperat: sed Caruaialle dum de permutatione agitur defuncto, Ioannespaulus se hoc casu liberatum asserens, in eorum quorum captiuus fuerat potestatem redire noluit. Ijsdemq; diebus, quod circa anni finem fuit, Adurnij & Flisci, occulta, vt opinio erat, Mediolanensium ducis ope, adiuti, noctu proditione Genuam iugressi, quum ad prætorij forum peruenissent, ab Octauiano Fregosio, qui cum prætoria sua cohorte eis extra septa occurrit, & ipse præceteris acriter pugnans, paruum vulnus in manu accepit, in fugam sunt coniecti: ex ijs capti fuerunt Sinibaldus Fliscus, Hieronymus Adurnius, & Ioannes Camillus neapolitanus. Præter ea quæ dicta sunt memoria dignum videtur, quòd hoc ipso anno Roma

Elephan-

Elephantos vidit, quæ belua fortaſſe poſt Romanorum triumphos & publicos ludos in Italia viſa non fuerat: nam quum Emanuel Luſitaniæ rex ampliſſimam legationem, ad obedientiam pontifici præſtandam mitteret, multa munera vnà miſit: & inter cetera duos Elephantos, quos ei ex India naues eius aduexerant; quorum in Vrbem introitus maximo concurſu celebratus fuit. At Galliæ rex hoc ipſo tempore alijs rebus quàm pompis ac ſpectaculis animo intentus, omnia ad bellum neceſſaria diligenter compara bat: & pontificis animi certò explorandi cupidus, ſed qualiſcunq; is eſſet in deſtinata expeditione perſequenda obfirmatus, vt ſuum erga ſe ſtudium declararet, poſtulauit; ſimulque, quæ ipſi antea pollicitus fuerat, confirmauit: qui ſi ab eius amicitia excluderetur, ſe à Cęſare atque Hiſpano iam reiectas conditiones accepturum: regni ſui potentiam, Venetorum fœdus, & ab eiſdem promiſſa auxilia, ei in mentem reuocabat: tenues tunc temporis in Italia Cæſaris & Aragoniæ regis vires eſſe; & vtrumque illorum pecuniæ egentiſſimũ: neq; ad proprios milites alendos, nedum ad Heluetios, qui niſi ſtipendijs acceptis ex montibus ſuis non eſſent deſcenſuri, mouendos, ſatis opum habere: omnes Inſubriæ populos poſtquam acerbum aliorum iugum eſſent experti, nihil aliud quàm Gallorum imperium exoptare: nec pontificem ſui, vt victoria in eum hoſtiliter vteretur, prouocandi cauſſam habere; quòd Galliæ regũ, & ſua ipſius in Italia potentia, ſemper ſacroſanctæ ſedi vtilis fuerit: quia ipſi ſemper ijs quę iure ad eos ſpectabant contenti, nunquam, quemadmodum toties res ipſa docuerat, de reliquæ Italiæ imperio occupando cogitarant: at longè aliam eſſe Cæſaris atq; Hiſpani mentẽ; qui nihil vnquam aliud cogitarant, niſi vt vel armis, vel affinitatibus, vel inſidijs, totius Italiæ imperiũ occuparent; & ſacroſanctam ſedem, ipſosque Romanos pontifices, non minus quàm reliquos, in ſeruitutem redigerent, antiquum eſſe Cęſaris deſiderium omnibus notum erat; itaq; eodẽ tempore, & pontificij imperij ſecuritati, & cõmuni Italiæ libertati, & ſuæ Medicææ familiæ amplitudini cõſuleret; quam occaſionẽ nullo alio tempore, alióue quàm ſuo fœdere eſſet habiturus. Nec verò pontifici in cõtrariã partem Cæſaris & Aragoniæ regis, vt ſe illis ad Italiæ defenſionẽ coniungeret, vehementiſſimæ cohortationes deerant; quibus ſe qui ſimul coniuncti Galliæ regem Inſubriæ imperio expellere potuerant, multò magis ad idem contra eum tuendum idoneos fore oſtendebant: iniuriam ei ſuperiore anno, ob pecuniam ad Heluetios cum eius exercitus in Italiam venit miſſam, ab ſe illatam memoria repeteret; & exiſtimaret regem ſi victoria potiretur, vno eodemque tempore de iniurijs à quouis acceptis vlciſcendis, & ſe à futuris periculis ac metu liberando cogitaturum. Sed magis pontificem Heluetiorum, qui in priſtino ardore perſiſtentes, ſe, ſi eis ſex Rhenenſium aureorum numûm millia ſingulis menſibus darentur, Cenisij, & Genebræ mõtis, & Finarij itinera, ſex peditum millibus obſeſſuros ac defenſuros: & ſi ipſis quadraginta eorundem aureorum numûm millia ſingulis menſibus numerarentur, cum viginti peditum millibus in Burgundiam irrupturos pollicebantur, autoritas & promiſſa mouebant. His fluctibus agitatus pontifex, animi dubius, quia quò eum cupiditas impellebat, inde retrahebat metus, ſingulis communia reſponſa ac verba reddens, mentis ſuæ ſenſum aperire quantum poterat differebat: ſed quum iam Galliæ rex ferè importunè vrgeret, tandem reſpondit neminem quantopere eius rebus faueret melius illo ſcire; qui quàm vehementer ipſum ad Italicam expeditionem eo tẽpore quo abſq; cæde & periculo victoria potiri poterat, eſſet hortatus, noſſet; easq; hortationes, propterea quòd arcanũ toties ab ſe repetitũ, ſeruatum non eſſet, cum vtriuſq; detrimento ad aliorum aures permanaſſe; ex quo factũ ſit, vt & ipſe ne ab eis læderetur, in periculo fuerit; & regis expeditioni aucta ſint impedimenta; quòd cæteri res ſuas ita compoſuerint, vt victoria abſque grauiſſimo periculo, & plurimi ſanguinis effuſione parari iam non poſſit: cumq; Turcarum principis potentia recenter tanto ſucceſſu creuiſſet, Chriſtianos principes ad mutua bella accendere, eisq; fauere, neque naturæ ſuæ conſentaneum, neque pontificij muneris eſſe; neque aliud quidquam poſſe, niſi eum vt aliqua meliori occaſione, opportunitateúe expectata ſuperſederet, hortari; quæ vbi appareret, idem illum in ſe eius gloriæ & amplitudinis ſtudium, quod ſuperioribus menſibus perſpicere potuerat, reperturum: quod reſponſum, etſi mentem eius non expreſſerat, ſi ad Galliæ regis aures peruenisſet, non modò illum eius ſocietatis ſpe priuaſſet,

sed etiam pontificem & consilijs & armis hostibus suis adhæsurum, certum penè reddidisset. hæc anno decimoquarto supra millesimum & quingentesimum gesta sunt. Sed mors, quæ sæpe vana hominum consilia in maxima spe præcidere solet, bello iam imminenti moram iniecit: nam Francus, dum ætatis suæque imbecillitatis oblitus, nouæ nuptæ decimumoctauum annum agentis, formæ atque ætati præstanti cupidè operam
1515. dat, febre oppressus, & alui profluio accedente, anni M. D. XV. primùm diem mortis suæ memoria notans, repentè ex hac vita migrauit: fuit autem rex iustus, & populis suis valde gratus, sed qui nec antè, nec postquam regnum est adeptus, vel aduersam, vel secundam fortunam vnquam constantem & firmam habuit: nam quum ex paruo Aurelianensium duce, Caroli ipso iunioris & duorum eius liberorum morte feliciſſimè Galliæ regnum esset consequutus, Insubriæ imperium, & deinde neapolitanum felicissimè occuparat; ita vt Italia vniuersa per multos annos ferè ex eius arbitrio penderet: Genuam rebellantem summa felicitate recuperauit: Venetos gloriosissimè vicit; atque his duabus victorijs ipsemet interfuit. contrà verò iuuenis adhuc, ab Ludouico vndecimo eius filiam sterilem ac penè monstrosam vxorem ducere coactus fuit; nec tamen eo matrimonio soceri beneuolentiã patrociniumúe sibi comparauit; & post eius mortẽ, ob Borbonij dominæ potentiam, ad noui regis pupulli administrationẽ non admissus; atq; in Britãniam citeriorẽ cõfugere penè coactus; deinde in Santalbini prælio captus, duos annos captiuus fuit: his addenda sunt, Nouariensis obsessio & fames, tot clades in regno neapolitano acceptæ; Mediolanensis imperij, Genuæ, & omniũ locorum Venetis ademptorũ iactura; bellũ à potentissimis hostibus Galliæ regno intra proprios fines illatum: quo tempore imperiũ suum ad grauissima pericula redactum vidit: sed tamen eo tempore obijt, quum secũda fortuna ad eum redire videbatur: suum enim regnũ defenderat: cum Angliæ rege pacẽ, affinitatẽ, maximamq; necessitudinẽ contraxerat, & in magnam Insubrici imperij recuperandi spem venerat. Ludouico XII Franciscus Angolismensis, illi inter regię stirpis mares cognatione proximus, atq; ex eodẽ Aurelianensium ducũ genere prognatus, defuncti regis filiab. in regni successione, Salicę legis in Galliæ regno vetustissimæ, qua dum ex eadẽ stirpe mares supersunt, fœminæ ab regia dignitate excludũtur, beneficio antepositus successit: de cuius virtute, animi magnitudine, diuino atq; generoso ingenio, tantam omnes spem conceperant, vt nullus esset, qui neminẽ à multis annis maiore expectatione ad regnũ peruenisse, nõ fateretur: summam enim illi gratiã conciliabant ætatis, cum 20 duorum annorum esset, flos, corporis egregia forma, ingens liberalitas, eximia erga omnes humanitas, & plena multarũ rerũ cognitio: in primis verò nobilitati cuius se summũ fautorẽ ostendebat, vnà cum Galliæ regis appellatione Mediolanensiũ quoq; ducis nomẽ, vtpote quod nõ modò veteri Aurelianensiũ ducũ iure, sed etiã diplomatis à Cæsare in Cameracensi fœdere cõcessi beneficio, ad se spectaret, assumpsit: nam & eodẽ quo superior rex, eius imperij recuperãdi desiderio flagrabat: ad quod nõ modò ipsum, sed & omnis Gallicæ inuentutis flos, Gastonis Foissei gloria, & tot à proximorũ regũ in Italia victoriarũ memoria incitabat: quamuis de suorũ consilio ne alios ante tempus, qui sibi resisterẽt inuitaret, eam cupiditatem dissimularit: interea vt in regni nouitate fit, amicitiæ cũ alijs principib. cõtrahendæ operã dabat: quorum multi statim legatos ad eũ miserunt: quos ille hilari fronte, sed præcipuè eos qui ab Anglo mittebãtur accepit: qui, quũ iniuria ab Hispano accepta recens esset, cœptã cum Ludouico rege amicitiã cum eo cõseruare cupiebat: venit & eodẽ tempore ab Archiducę legatio, cuius princeps fuit Nassouius regulus, cũ magnę submissionis tanquã erga supremum dominũ, quòd Flandrię comitatũ Galliæ regũ beneficio possideret, significatione: vtraq; legatio citò ac feliciter dimissa: nam cũ Anglo fœdus inter ipsum ac defunctum regẽ ictum, ijsdem legibus dum vterq; viueret, confirmatũ est, & Scoto trium annorũ ad deliberandũ num fœdere comprehẽdi vellet spatium cõcessum: cũ Archiducę verò multa quę plerisq; cõcordiã impeditura videbãtur sunt remota: sed Archiducẽ qui tutelã egressus, recenter regnorũ suorũ administrationẽ sumpserat, multæ ad hoc caussę impellebant: Flandriæ populorum bello cum Galliæ regno abstinere cupientium flagitationes: impedimentorum quæ sibi in aui morte, ad Hispaniæ regni successionẽ à Gallis afferri possent amouendorum studium: & quia absq; amicitiæ vinculo se mediũ inter

Galliæ

Galliæ & Angliæ reges fœdere iũctos relinqui periculosum existimaret: viciſſim quoq; Francus, omnes occasiones quæ illum ad aui paterni vel materni autoritatẽ cõsiliumúe sequendum cogere possent amouere summopere cupiebat. Itaq; Lutetiæ Parisiorũ pax inter eos & fœdus perpetuũ ictum: & Cæsari atq; Hispano, sine quorũ autoritate Archidux id agebat, locus in trimestre tẽpus relictus: quod toties agitatũ fuerat, vt Renata Ludouici regis filia, Archiduci in matrimoniũ daretur, de eo sic cõuenerunt, vt ei sexcenta aureorum numùm millia, & Berrienſis ducatus, ipſi eiusque liberis in perpetuum dotis nomine traderentur; eaque quia tunc admodum erat paruula, vbi ad nonum ætatis annum peruenisset, statim ei daretur; ea tamen lege vt omnibus quæ ad eam ex paternis vel maternis bonis hæreditario iure peruenire possent, & nominatim Mediolani, & Britanniæ citerioris iuribus cederet: Francus verò eum post Catholici regis obitũ nauibus ac militibus quibus in Hispaniã duceretur iuuaret. In Franci gratiam Gheldrenſiũ dux nominatus fuit, & prẽter ea quæ dicta sunt, nonnulli aiunt, pactũ fuisse, vt post tres menses legati vtriusq; nomine ad Aragoniæ regẽ mitterentur; qui, vt Archiducem illorũ regnorũ principem (sic illi eum ad quẽ regni successio spectat appellant) proclamari; eiq; populos sacramẽto obstringi iuberet. Nauarræ regnũ restitueret, & ab Insubriæ imperio tuendo abstineret, ab eo peterent. Nec dubium est quin hi duo principes in fœdere ineundo, magis prẽsentis cõmodi, quã eius in posterũ obseruãdi rationẽ habuerint: quod enim fundamentũ in cõnubio, quod pactũ fuerat, quũ sponsa nondũ 4 annũ attigisset, esse poterat? & quomodo Galliæ regi, Renatam Archiduci in matrimonium tradi placere poterat, cui cum ipse eius maiorẽ natu sororem vxorẽ haberet, in Britannię ducatũ actio cõpetebat? Britanni enim proprij ducis aliquando denuò recipiendi cupidi, quũ Anna princeps ipsorũ ad secundas nuptias transiuit, vt si maximus natu ex eius posteris Gallię regnũ adipiscereture, ad secundũ ducatus ille transiret, pacti erant. cum Hispano quoq; Francus, de inducijs cum superiore rege factis (sed Mediolanẽsis imperij illis vigentibus nõ infestandi lege sublata) prorogandis agebat, sperabatq; se postea facilè cũ Cæsare cõuenturum: quã ob causſam Venetis qui se ad fœdus cum superiore ictum renouandũ paratos offerebant, quia ad fœdus cum Cæsare cõtrà illos ineundũ liber esse volebat, nihil certi respondebat. At Hispanus rex, etsi vt semper bello in Hispaniæ finibus carere cupiebat, nihilominus quia quantã suspitionẽ inducię prorogatæ Heluetijs essent allaturę, idq; quum iam nec eius verbis fides haberetur, nec cõsilia audirentur, in causſa fore vt pontifex, qui ad eam vsq; diẽ anceps fuerat, Franci societatẽ amplecteretur, cogitabat; tandẽ se inducias nisi ijsdem legibus quibus eas cum superiore regẽ renouarat, prorogare nolle respondit. Franciscus igitur hac spe exclusus, & Cæsarem Hispano dissuadente secum minimè cõuenturum sperans, fœdus cum veneto Senatu ijsdem legibus quibus cum superiore ictum fuerat sanxit. Relinquebãtur pontifex & Heluetij: ab his vt suos legatos admitterent petijt; sed ipsi in eadem pertinacia persistentes, publicam fidem eis recusarunt: cum pontifice ex cuius arbitrio prorsus pendebãt Florentini, nihil tunc aliud egit, nisi illũ, vt se integrum liberũq; conseruaret, quò vbi rerũ successus eum ad sese declarandũ allicerent, meliorẽ partem posset eligere, est hortatus; illud addens eum nunquam ab vllo quàm à se sibi & familiæ suæ candidiorem beneuolentiam, integriorem fidem, ampliores conditiones habiturum. His igitur rerum suarum fundamentis iactis, rex magno studio maximam pecuniæ vim comparare, suum equitatum ad 4 millia supplere: hæc verò non quòd eo anno alios lacessere vellet, sed vt se Heluetijs, qui ei, nisi ea quæ defuncti regis nomine Diuione promissa fuerant præstaret, bellum vel in Burgundiam, vel in Delphinatum minabantur, opponeret, se facere aiebat: quæ simulatio apud multos veritatis fidem inuenerat; idque proximorum regum exemplo; qui semper primo regni anno noua bella vitarant: sed non eadem in Cęsaris & Aragoniæ regis animis opinio imprimebatur: quib. regis adolescentia, & totius Galliæ regni in quo tanta gratia atq; existimatione pollebat, viribus vtendi, qua præ ceteris regibus pollebat, facilitas erat suspecta; & noti ingentes apparatus ab Ludouico relicti; quorum causſa Angliæ regis metu sublato, non nouum bellum decernere, sed potius iam decretum exequi videbatur: idcirco ne repentè opprimerentur, pontificem & Heluetios sibi fœdere coniungere nitebantur: sed pontifex omnibus bona verba dans, omnes

varia ſpe fouere nitebatur; ſeq; quarum nam eſſet partium, prodere differebat. In Heluetijs primus ardor non modo perſeuerabat, verùm etiam continenter augebatur; quoniam eius cauſſæ quæ ex publico dolore, nimirum ob penſionum auctum denegatum; ob Germanos pedites ab Ludouico rege ad ſtipendia accerſitos; & ob contumelioſa, & faſtus plena verba, quibus in illâ gentẽ vſus fuerat, originem habuerant; dolore, angoribus, & cupiditatibus priuatis auctæ, ob inuidiã qua multitudo in multos priuatos ciues qui Franco donatiua, penſiones q; accipiebãt ferebatur: & quia illi qui ſe Gallicę factionis principibus, quos tunc vulgò Gallizantes apellabant, vehementius oppoſuerant, eã ob cauſsã plebis fauore, exiſtimationẽ potentiãq; adepti, ne ſi reſp. denuo Gallis cõiungeretur, ipſorũ autoritas minueretur mẽtuebãt, adeò vt cũ hæc nõ reip. caritate, ſed ambitione & ciuilib. diſſidijs agitarẽtur ac diſceptarẽtur; hi Gallicæ factionis ſtudioſos autoritate ſuperarẽt, effecerint, vt Galliæ regis maximæ imò immenſæ pollicitationes reijcerentur. In hoc animorũ rerumq; ſtatu, Cæſaris, Arogoniæ regis, & Mediolanenſiũ ducis legati, apud Heluetios ſimul cõiuncti, principum ſuorũ nomine cum eis fœdus ad Italiæ defenſionẽ, pontifici quinquaginta dierum ſpacio ad deliberandũ relicto, percuſſerunt: quo decretũ fuit, vt Heluetij 30 aureorũ numũm millib. ſingulis menſibus ab reliquis acceptis fœderatis, quo Galliæ regẽ Inſubrici imperij iurib. cedere cogerent, vel in Burgundiam vel in Delphinatũ erumperent; & Hiſpanus magnis copijs aut Perpenianum, aut Fonterabiam verſus, Galliæ regno bellũ moueret, vt Francus proprium regnũ tueri compulſus, ſi forte aliud in animo haberet, Mediolanum inuadere non poſſet. Regis conſiliũ ad Iunium menſem vſq; latuit, ſed tandem ob apparatuũ magnitudinem & diligentiam, tantus motus iam diſſimulari non poterat: erant enim immodici pecuniæ apparatus; maximum Germanorum peditum numerum conſcribebat; multa tormenta, Lugdunum verſus vehi iubebat; & demum Petrũ Nauarrum recenter ad ſtipẽdia ſua adſcitum, in Aquitaniam, vt in finitimis Nauarræ locis 10 peditum millia cõſcriberet miſerat: nam quum Aragoniæ rex, quia prœlij aduerſi exitus culpa magna ex parte illi tribuebatur iratus, ducentorum auri pondo ei impoſitã mulctam, quam defunctus rex Longauillano, vt ei aliqua ſaltem ex parte auri mille librarum mulctam quam in Anglia perſoluerat, farciret, dono dederat, nunquam vt eum liberaret ſoluere voluiſſet; nouus rex qui eius opera vti volebat, quum regnum eſt adeptus mulctam pro eo ſoluerat; deinde, quum Nauarrus prius honoris ſui tuendi gratia ſe apud Aragoniæ regem excuſaſſet, ſi ab illo deſertus neceſſitati cederet, & ſtatum quem eius beneficio in regno neapolitano poſſidebat, renunciaſſet, illum ad ſua ſtipendia adſciuerat. Quum itaque bellum in Inſubriam parari, & regem ipſum eò contendere ſtatuiſſe omnibus notum eſſet, rex apertè à pontifice vt ſecum faceret petere cæpit: & ad id præter multas rationes & inſtrumenta, Iuliani eius fratris opera vtebatur, qui recenter cum Philiberta Caroli Sabaudiæ ducis ſorore, & regis matertera matrimonium contraxerat, eiq; ex pontificis pecunia mille auri pondo dotis nomine dederat, quæ res pontificem ipſius amicitiæ cupidum eſſe, quum ſe illi tanta affinitate coniunxiſſet, ei ſpem fecerat; idq; eo magis, quia quum antea cum Catholico rege de Iuliano cum quadam eius cognata ex Cardonia familia coniungendo egiſſet, magis ipſius gratia quàm aliam ob cauſſam, has nuptias illis antepoſuiſſe videbatur: nec dubitabat quin Iulianus, alicuius dominatus, quo tanto matrimonio dignos ſumptus ferre, & perpetuam ſibi recenter à pontifice, Mutinæ, Regij, Parmæ & Placentiæ traditam præfecturam, qua niſi potentium principum fauore niteretur, poſt fratris obitum potiturum exigua ſpes erat, melius confirmare poſſet, eius ope adipiſcendi ſtudio, eam rem eſſet promoturus. Sed cito regis ſpes turbari cæpit, quoniam pontifex Aragoniæ regi, Hiſpanici regni duorum annorum in ſacrum bellum pecuniam deſtinatam, quæ ſupra decem millia auri pondo futura credebatur, conceſſerat, & Albertũ Carpenſem, atq; Hieronymũ Vichium, Cæſaris & Hiſpani oratores, qui ita aſſidui apud illũ erant, vt omnium eius conſiliorũ particeps eſſe viderentur, magna propenſione audiebat. Hanc dubitationẽ põtifex, grata verba reddens, mentemq; benignam iſs qui pro rege agebant oſtendens, fouebat: ſed nihil decernebat, vt qui prę ceteris reb. omnibus, Mediolanẽſe imperiũ ad exteros deinceps peruenire minimè cuperet: quamobrem Francus qui eius mentem exploratam habere cupiebat,

cupiebat, nouos ad eum legatos misit: inter quos fuit Guilielmus Budæus Lutetianus, vir in humanoribus literis tam Græcis quàm Latinis, inter omnes nostrorum temporum homines summa ac fortasse singulari eruditione præditus : post quos Antoniummariam Palauicinum, hominem pontifici gratum misit: sed irriti erant hi labores, quoniam iam ante eius aduẽtum, mense Iulio sese cum alijs occultissimè ad Insubriæ defensionem cõiunxerat, & quia id donec necessitate vrgente sese declarare cogeretur, occultissimum esse, & eius rei aliquem prætextum habere cupiebat, modò vt Parmam atque Placentiam pontificio imperio permitteret, modò alia ab rege petebat, vt si aliquid eorum sibi denegaretur, magis coactus quàm sponte cum regis hostibus facere videretur; modò regem sibi aliquid eorum, quæ non penitùs absq; honesti aliqua specie propone re poterat denegaturum, diffidens, varia, ambigua & dubia responsa dabat: sed erant viciſſim alij qui ijsdem artibus & calliditate cum eo certarent: nam Octauianus Fregosius Genuensium dux, potentissimos Galliæ regis apparatus veritus, cum etiam viciſſim fœderatorum ob Mediolanensium ducis ac Heluetiorum erga suos aduersarios propensionem, victoriam suspectam haberet, per Borbonium clàm cum Franco conuenerat, quum tamen & dum id ageret, & postquam perfectum est, semper constantissimè contrarium pontifici asseuerasset; qui quoniam Octauianus ipsi & Iuliano fratri veteri beneuolentia coniunctissimus fuerat, & ab ipsis ad Genuę principatum adipiscendum adiutus, tantam eius dictis fidem habuit, vt quum Mediolanensium dux suspitione ex ea fama concepta cum quatuor Heluetiorum qui iam Nouariam venerant millibus, & Adurnijs atq; Fliscis coniunctis ei bellum inferre statuisset, pontifex ne vlterius progrederetur autor fuerit. Fregosius in hunc modum pactus est: regi Genuæ imperium vnà cum Castelletto restituitor : Octauianus ducis nomine deposito, perpetuus pro rege Genuæ magistratuum ac munerum concedendorum cum potestate esto : ab rege centum cataphractis præficitor: diui Michaëlis equestri ordine, ac quoad vixerit, annuo stipendio donator: rex Codifensem arcem Genuensibus valde odiosam ne instaurato: eique ciuitati omnia capita & priuilegia quæ ab Ludouico rege sublata, & combusta fuerant, restituito : Federico Salernitano Archiepiscopo Octauiani fratri, certa è sacerdotijs vectigalia, certasue pensiones assignato: & Octauiano si quando contingeret vt Genua pelleretur, nonnulla Castella in Prouincia dato : quibus in lucem proditis Octauiano, quia omnes illum meritò Mediolanensium ducem & Heluetios metuere norant cõsilij sui iustam causſam afferre, minimè difficile fuit : illud solummodo aliquam ei notam inurebat, quòd toties pontifici à quo tot beneficijs affectus fuerat, verum negasset; ac de nulla citra eius consensum pactione cum quoquam facienda daram fide non seruasset : sed tamen copiosa epistola quam postea hac de causſa ad eum scripsit, omnibus causſis quibus motus id fecerat, omnibusq; excusationibus, quibus apud eum famam actionesq; suas, & quod obseruantiam qua eum velut pontificem, & à quo multa beneficia acceperat, non neglexisset tueri posset, accuratè enumeratis, tandem huius notæ dilutionem sibi, si ad priuatos homines, vel ad principem qui priuatis rationibus regnorum res metiretur scriberet, difficiliorem fore affirmauit: sed quum ad omnium eius ætatis principem sapientissimum, quiq; pro sua sapientia, suum ipsum statum alia ratione conseruari non potuisse perspiceret, literas daret, apud eum qui quid liceret, vel saltem quid principes non modò eum ad eum statum sunt redacti, verùm etiam imperij augendi vel in meliorem statum redigendi gratia, facere consueuerint, optimè cognosceret, sciretq; , se excusare superuacaneum esse. Sed iam res ex verbis & consilijs ad facta & expeditionem deueniebãt: rex cum omnibus Galliæ nobilibus, & Lotaringiæ ac Gheldrensium ducibus Lugdunũ profectus, exercitum alpes versus mouebat, omnium qui iam à multis annis ex Gallia in Italiam transiuissent maximum & florentissimum, ab omnibus transalpinis perturbationibus tutus : quoniam Aragoniæ rex qui antè ne tanti apparatus in se conuerterentur veritus, fines suos munierat; & vt populi ad Nauarræ defensionem alacriores essent, eam Castellæ regno in perpetuum coniunxerat; statim vbi bellũ apertè in Italiam progredi intellexit, omnes copias quas conscripserat, eius quod socijs promiserat, se eo anno bellum Galliæ finibus moturum, non maiore habita ratione, quàm eorum quæ ijsdem socijs superioribus annis recepisset, dimisit. Ad regis ad-

nentus famam neapolitanus prorex,qui quum multos menſes tacitas inducias cum Venetis habuiſſet,in Vicetinum agrum,vt hoſtibus qui munitiſſimo loco prope Vlmos,nō procul ab Vicetia caſtra habebant appropinquaret, venerat, exercitum vt(quemadmodum aiebat)Inſubriæ opem ferret Veronam duxit: & pōtifex vt & ipſe ei regioni opem ferret,ſuum ac Florentinorum equitatum, ſub fratris quem eccleſiæ copiarum imperatorem conſtituerat imperio, in Galliam ciſalpinam , quemadmodum ante multos dies cum ſocijs conuenerat mittebat : quanquam in conſuetis ſimulationibus perſiſtens , ſe eas copias ad Placentiæ modò & Parmæ , & Regij cuſtodiam mittere diuulgaret; & eò vſq; cum Galliæ regis oratoribus eſſet progreſſus,vt rex eius cōcordiam ſibi certò promittens , Lugduno ad legatos ſuos Parma atq; Placentia pontifici tandiu donec talem compenſationem à ſe acciperet,quam ipſemet pontifex probaret,conceſſa,tranſigendi poteſtatem miſerit:ſed eas ob cauſſas,quæ pòſt afferentur , erant hi labores inanes: erat enim in fatis vt ſolo Heluetiorum periculo & ſanguine , Inſubriæ imperium vel defenderetur vel amitteretur : hi nulla negligentia nec pecuniæ paucitate impediti,ſolicitè in Inſubriam deſcendebant:iamq; ſupra viginti millia illorum venerant;ex quibus decem millia ad alpes proceſſerant:illorum nanq; conſilium erat earum vallium,quæ ex Alpibus Italiam à Gallia diuidentibus in aperta loca deflectunt,faucibus occupatis Gallos diſtinere. Hoc Heluetiorum conſilium regis animum vehementer turbabat, qui antea ſibi ob virium ſuarum magnitudinem,quia in eius exercitu erant duo millia & quingenti cataphracti, viginti duo Germanorum peditum ſub Gheldrēſium duce millia: decem Vaſcorum(ſic Petri Nauarri pedites apellabant) & octo Gallorum millia;ac tria millia fabrorum , qui eodem quo reliqui pedites ſtipendio conſcripti erant,certam victoriam pollicebatur. rex etenim cum ſuis ducibus Heluetiorum virtute cognita , illos munitis & anguſtis locis niſi longè maioribus copijs deturbari nulla ratione poſſe;maiorum verò copiarum in tam anguſtis locis nullum eſſe vſum,difficile eſſe aliquid præclari breui tempore efficere , longè difficilius tanto cum exercitu in tam ſterili regione diu morari animaduertebat:quamuis maxima commeatus copia aſſiduè montes verſus comportaretur : quibus in difficultatibus nonnulli illos aliò diuertere quàm impetere tutius rati, vt octingenti cataphracti per Prouinciam , & Petrus Nauarrus cum decem Vaſcorum millibus maritimo itinere qui Sauonæ conuenirent mitterentur,ſuadebant:alij tam longo circuitu nimiam temporis iacturam fieri,vires eneruari , & hoſtium exiſtimationem eò quòd illis ſe non audere occurrere oſtenderent,nimis augeri aiebant. Itaq; aliquod iter quo non multum ab eo deflecterent,& vel non obſeruaretur,vel ſaltem minus diligenter ab hoſtibus cuſtodiretur,inueniendum eſſe , & vt Ematius Prianeus cum quadringentis cataphractis , & quinq; peditum millibus Genuenſe iter teneret,non quidē illos inde amouendi ſpe , ſed vt Alexandriam & reliqua ciſpadana oppida tentaret decretum fuit.Duo ſunt in Alpibus Lugduno in Italiam itinera; alterum per Ceniſium mōtem,qui in Sabaudi ducis ditione eſt , breuius , rectius , & tritius:aliud quod Lugduno Gratianopolim deflectens,per Genebram , Delphinatus montem ; vtroque Suſam vbi planities amplior eſſe incipit peruenitur: ſed Genebrenſi itinere, etſi nonnihil longius ſit,quia facilius eſt,& ad tormenta vehenda commodius,ſemper ſolebant Gallici exercitus venire.Heluetij igitur ad horum duorum itinerum,& eorum quę in propinqua loca deflectunt cuſtodiam intenti, Suſæ conſederant:inferiora enim ad mare vergentia itinera , adeò anguſta & aſpera erant , vt quum tanti exercitus equitatum per ea tranſire admodum difficile eſſet, tormenta vehi nullo modo poſſe viderentur. At Triultius cui rex huius rei curam demandauerat , ingenti fabrorum numero ſtipatus,& homines vehendis tormentis induſtrios & expertos quos ad propoſita loca exploranda mittebat, ſecum ducens , quānam ex parte Heluetiorum obſtaculo vitato facilior tranſitus inueniri poſſet ſcrutabatur : quam ob cauſſam exercitus magna ex parte inter Gratianopolim & Brigantiam extenſus , quid decerneretur expectans , lentè progrediebatur : ad quod etiam eos commeatus opperiendi neceſſitas cogebat : quo tempore ad regē iam Lugduno profectum,ab Angliæ rege miſſus nuntius peruenit, qui eum regis ſui nomine,vt ne Chriſtianæ reip.pacem turbaret , in Italiam non contenderet vehementer eſt hortatus : tantæ mutationis cauſſa ea fuit , quod cum ei regi , Galliæ regis cum Archi-

duce concordia, quia res illi ex eo nimis iam feliciter succedere videbantur, molesta fuisset: ex hoc initio Hispani legatis qui quàm Galliæ regis, qui tum ob insitum naturæ odium, tum quia militiæ suæ tyrocinium in eum exercuerat ei non inimicissimus esse non poterat, potentia ipsi esset pernitiosa, ostendere non desinebant, aures præbere cœpit: sed longè magis æmulatione, & illius gloriæ, quæ, siquidem ex Insubria victoriam reportaret, nimium ipsi augeri videretur, inuidia mouebatur: veniebat in mentem se quamuis regnum pacatum, & ob diuturnam pacem opulentissimum haberet, tantumque auri à patre congesti inuenisset, non tamen nisi post aliquot annos regnum Galliæ solum tot hostibus cinctum, tot molestijs fessum armis tentare ausum: hunc verò regem, se quum ad regni administrationem peruenit aliquanto iuniorem, quamuis regnum tot bellis fatigatum atq; exhaustum inuenerit, primis regni sui mensibus expeditionem in qua tot principes aduersos erat habiturus, aggredi audere: se tantis apparatibus totque occasionibus aliud nihil quàm Tornaci vrbem intolerandis tamen ingentibusque sumptibus, in Angliam retulisse: Galliæ autem regem, si, vt credi par erat, victoriam consequeretur, tam opulento dominatu parto glorioſissimum in regnũ suum rediturum; sibi quoque ad regnum neapolitanum inuadendum viam patefacturum, & fortasse antequam ex Italia reuerteretur eius rei occasionem captaturum: qui stimuli & aculei facilè antiquum odium in eius pectore excitarunt: sed quum ad eum armis impediendum tempus non haberet, & fortasse etiam iustiorem aliquam causſam quæreret, hanc legationem ad eum miserat: cuius gratia rex nihil immoratus Lugduno in Delphinatum venit: quo ijsdem diebus Germani qui Nigræ legionis nuncupãtur, Roberto Martiano duce aduenerant, quæ legio ex inferiore Germania, ob virtutem & fidem semper in Gallicis bellis declaratam, maximæ existimationis erat. Hoc ipso tempore Ioannesiacobus Triultius tormenta inter alpes maritimas & Coctias qua in Salutiarum fines descensus est, transuehi posse regi significauit; vbi quamuis penè incredibilis esset difficultas, eam tamen hominum & instrumentorum ingenti copia tandem superatum iri; & quum in hac parte neque in summis alpium iugis, neque in vallium fauci-bus vllæ essent custodiæ, melius esse, montium asperitatem & vallium prærupta loca, quòd hominum labore sed citra periculum fieret, conari superare, quàm vt adeò formidatos atque aut vincendum, aut ad moriendum obstinatos Heluetios, ab angustijs quas obsiderent depellere tentare; cum præsertim si obstaculum inueniretur, diu ibi hærere non possent; quòd nulla potentia apparatusue ad commeatum tantis copijs suppeditandum per tam aspera & inculta loca satis futura esset idonea: quo consilio comprobato, tormenta quæ in loco in quæ ad quamuis partem commodè verti possent cõstiterant, statim ad illud iter sunt conuersa: Transeundi difficultatem maximam fore Triultius quidem prædixerat, sed experientia longè maiorem ostendit: primo enim asperrimos altissimosq; montes conscendere erat necesse, quorum ascensus difficillimus erat, quia nullæ erant semitæ, interdumque tormentorum minimè capax locus, nisi quantum paulatim operarum, quorum ingens numerus præibat, indefessus labor, angustioribus locis dilatandis, eminentioribus deprimendis, aperiebat: ex summis montium iugis per valde præruptos scopulos, & ipso visu nedum incessu maximè horrẽdos, in profundissimas Argentariæ fluminis valles descendebatur; vbi quũ ea nec equi quorum ad trahendum copiosissimus erat numerus; nec operarum quæ comitabantur humeri sustinere possent, sæpe maximis funibus appensa peditum, qui in tantis difficultatibus quosuis labores subibant, manibus demitti erat necesse: nec primis montibus & vallibus superatis labor finem habebat; alij montes, aliæ valles eodem labore superandi erant: tandem quinque dierum spatio tormenta in Salutiarum aperta loca trans alpes sunt deducta: quo tanto labore peruenerunt, vt certissimum sit, si vel parua manus occurrisset, aut alpes, vt plerumque esse solent, niuibus tectæ fuissent, omnem laborem irritum futurum: sed ab hominum incursu eos liberauit, quòd quum nemo vnquam tormenta per tam asperos montes traduci posse cogitasset, Heluetij Susæ morantes locis per quæ qui Cenisium & Genebram, vel illis proximos montes transeunt iter facere solent, custodiendis operam dabant; & anni tempus (erat enim circa decimum Augusti diem) niuium quæ iam erant liquefactæ impedimẽtum remouerat. Iisdem diebus

non abſq; magno labore equeſtres pedeſtresq; copiæ, alij eodem itinere, alij eam viam quæ Dragoneria dicitur; alij verò per Perottæ & Cunij præcelſa iuga ad Prouinciã vergentia itinera tenebant: Hoc iter Palicia ſecutus, memorabilis facinoris patrandi occaſionem habuit; Singlario enim cum quatuor equitum alis profectus, longiſſimo itinere regionis incolis ducibus confecto, Villafrancam quod oppidum ſeptem millia paſſus Salutijs diſtat, quodq; haud procul Padus ille tam celebris fluuius originem habet, nomine clarius quàm oppidi conditio poſtulet, improuiſus ſuperuenit: in eo oppido Proſper Columna cum ſuo agmine ſine ſuſpicione, quòd hoſtes longe abeſſe ſciret: in quibus eam celeritatem qua ipſe natura valde lentus haud vti conſueuerat, minimè metuebat, morabatur: ſunt qui affirment, illum eo die in Heluetiorum caſtra ire voluiſſe; ſed vtut ſe res habeat, certum eſt, illum quum Paliciæ milites non ante quàm ad ipſam domum in qua erat peruenirent, ab quopiam auditi, quoniam oppidani cum quibus Palicia ad tantam prædam intentus antea occultè conuenerat, exploratores clàm ceperant, prandentem circumuentum fuiſſe: ſic decimaquinta Auguſti die Proſper Columna, tam clari nominis dux, & cùm autoritate, tum etiam fide qua in Inſubria pollebat, magni ad id bellum momenti, non vt eius antiqua gloria poſtulabat captus fuit; atque vnà cum illo Petrus Marganus Romanus, & militum ipſius pars, reliqui ad primum tumultum diſſipati, in varias partes aufugerunt. Gallorum tranſitus & Proſperi Columnæ caſus ſingulorum conſilia & rerum omnium ſtatum immutauit, nouaq; ſtudia in pontificis, Proregis, & Heluetiorum animis excitauit. Pontifex enim qui Heluetios Galliæ regem alpium tranſitu prohibituros, ſibi conſtantiſſimè perſuaſerat, & magnam in Proſperi Columnæ virtute ſpem collocarat, animo valde fractus, Laurentio nepoti Florentinarum copiarum præfecto: cui, quia Iulianus frater diuturna febre correptus Florentiæ manſerat, exercitus in ciſalpinam Galliam ducendi curam dederat: quiq; tres dies poſt Proſperi caſum Mutinam venerat, vt lentius progrederetur mandauit: qui Ruberiæ arcis, quam Guido Rangonius occupabat, pro qua tandem ei duo aureorum numûm millia numerauit expugnandæ occaſione captata, multos dies in Mutinenſi Regienſique agro conſumpſit: & præterea ad artes ſuas confugiens pontifex, Cynthium familiarem ſuum occultiſſimè ad Galliæ regem, vt res ad eam vſq; diem geſtas excuſaret; & Allobrogum ducis opera de fœdere cum illo ageret miſit; quo facilius ei eſſet ex hoc initio, ſi Mediolanenſis imperij defenſio aduerſum haberet exitum, vlterius progredi: ſed ad magis præceps conſilium pontificem impulerunt Bibiena cardinalis, & nonnulli alij potius priuatis affectibus, quàm principis ſui commodi gratia impulſi: nam cum ei metuendum eſſe oſtenderent, ne rerum ab Gallis feliciter geſtarum fama, & regis incitationibus & fortaſſe etiam auxilijs freti, Ferrarienſium dux ad Mutinam Regiumq; recuperandum, & Bentiuoli vt Bononiam redirent arma caperent; quamq; in tantis alijs moleſtijs cum tot hoſtibus pugnare difficile eſſet, melius & proculdubio prudentius conſiliũ fore affirmabant, illorum beneuolentiam beneficio antecapere, eosq; ſibi ad quemuis rerum euentum fidos amicos reddere; quod fieri poſſet, ſi Bentiuolos Bononiam redire pateretur, & Ferrarienſium duci Mutinam & Regium reſtitueret: quod quidem ſic illi perſuaſerant, vt abſque vlla mora factum fuiſſet, niſi Iulius Medices cardinalis & Bononiæ legatus, quem pontifex vt in tam grauibus illarum regionum res tueretur, & Laurentij adoleſcentiæ quaſi moderator conſultorque eſſet, Bononiam miſerat, contra ſenſiſſet: qui infamiæ notæ quæ ex tam abiecto conſilio maior profecto quàm Iulij in tanto imperio eccleſię adijciendo gloria extitiſſet, pontificis nomini inureretur doloſè, commotus, atq; etiam ne legationis ſuæ memoriam turpem atque infamen redderet, quòd ea vix adita, Bononiam pontificij imperij nobiliſſimam ciuitatem, in priſtinorum tyrannorum poteſtatem reſtituiſſet, totq; nobiles qui ſe contra illos pro ſacroſancta ſede ſtare profeſſi erant, prædæ reliquiſſet: idcirco proprijs hominibus ad pontificem miſſis, rationibus ac precibus eum in honeſtiorem ſanioremq; ſententiam reuocauit. Iuliũ fratrem pontifex quamuis ex non legitimo toro natum, Alexandri VI re, ſed non efficiendi ratione exemplum ſequutus, primis pontificatus ſui menſibus ſacra purpura donauerat: quoniam Alexander quum Cæſarem Borgiam filium ſuum in cardinalium collegium cooptauit, teſtibus productis quod res erat, quo tempore matrem eum genuit, virum

rum habuisse probauit; inde ex legum sententia filium potius marito quàm adultero tribuendum inferens: sed in Iulio testes hominis gratiam veritati anteposuerunt: probarunt enim matrem ex qua puella non autem nupta, natus erat, antequam Iulianum eius patrem ad complexus suos admitteret, occultam ab eo matrimonij fidem accepisse. Proregis quoque hi noui casus consilia variarunt: tum quòd militem sine pecunia inde mouere difficulter possent, tum etiam vt recentes copias à Cæsare qui Oenipontem venerat, quòd Veronæ & Brixiæ idonea præsidia relinquere erat necesse, expectaret, nondum Verona profectus, his alijsq; coloribus, vt quinam Mediolanensium rerum exitus esset specularetur, differe cœpit. Heluetios etiam hæc commouerunt; qui simulatque alpes à Gallis superatas viderunt, Pinariolum regressi, postea tamen regem copias Laurini coniungere certiores facti, quum Clauasium venissent, ob commeatum ipsis denegatum, illud oppidum expugnarunt ac diripuerunt: deinde rege Taurini agente, in ipsius penè oculis, Vercellis idem fecerunt: tandem verò Nouariam profecti, eis qui à Gallicis rebus non ita erant alieni ex rebus aduersis animum sumentibus, de pace cum Franco rege agere cœperunt: quo tempore illa Francorum exercitus pars quę Genuen se iter tenebat, cui se quatuor peditum millia, quibus Octauiani Fregosij opera à Genuensibus stipendia pendebantur, se adiunxerant, primò Castellacium oppidum, deinde Alexandriam & Dertonam quibus in ciuitatibus nullus erat miles ingressa, omnem Cispadanam regionem occupauit. Rex autem Vercellas venerat, quo in loco primùm intellexit pontificem sese illi aduersarium declarasse, quod ei Allobrogum dux illius nomine significauit: quæ res etsi ei supra modum molesta fuit, tamen indignatione consilium non perturbante, ne eum irritaret, per publicos præcones & in exercitu & militibus qui Alexandriam occupauerant, ne quis pontificium imperium lædere aut violare auderet, edixit. Aliquot deinde dies Vercellis, vt rerum quæ cum Heluetijs tractabantur, exitum expectaret, est immoratus: qui negotij quidem tractationem nõ intermittebant, sed tamẽ varietate ambiguitateq; se plenos ostendebant. Nouariæ tumultuari cœperunt, ex eo quod pecunia quam Aragoniæ rex promiserat nondum esset allata occasione sumpta; ab pontificijs quęstoribus pecuniam ab illo missam vi extorserunt; eodemque furore vt in patriam redirent Nouaria discesserunt: quòd multi illorum quum iam tres menses in Italia fuissent, pecunijs ac præda onusti, partas opes integras domum ferre cupiebant: sed vix Nouaria discesserant, cum pecunia quæ ab Aragoniæ rege debebatur est allata; quam etsi initio occupassent, nihilominus quũ quàm turpes essent tam præcipites deliberationes cogitassent, nonnihil ad se reuersi, & hanc & illam, vt eam à quæstoribus de more acciperent, restituerunt: deinde Galerate viginti millia peditum qui aduentare dicebantur opperientes se contulerunt; tria millia cum Sedunensi ad Papiam custodiendam profecti sunt: quocirca rex concordiæ spe tot variationibus imminuta, Vercellis Mediolanum versus contendit; Vercellis Sabaudiæ duce, & Bastardo eius fratre, & Lautrechio, & Mediolani quæstore relictos, qui cæpta cum Heluetijs colloquia prosequerentur: & quia in Heluetiorum discessu Nouariam obtinuerat, eius arcem obsessam reliquit; quæ tormentis quassata, intra paucos dies custodum vita ac rebus conseruatis, deditionem fecit. Rex postea Papia similiter deditione occupata, Ticinum amnem traiecit; eodemq; die Ioannes Iacobus Triultius copiarum partem, ad Christophori fanum Mediolano propinquum, & post ad Ticinensis portæ suburbium vsq; produxit, ratus ciuitatem, quam Heluetiorum atq; Hispanorum rapinas & mulctas pertæsam Gallorum imperium exoptare, nec milites habere sciebat, se intro missuram: sed ingens erat in Mediolanensibus Heluetiorum metus, & eorum quæ superiore anno, quum Heluetij se Nouariam recepissent, ipsi verò se Galliæ regi studere ostendissent, perpessi erant recens memoria: ideo, etsi regis victoriam exoptarent, rerum tamen exitum expectare certi, Triultium ne vlterius progrederetur rogarunt; & sequenti die legatos ad regem qui Bufalorij erat, qui eum vt Mediolanensis populi ipsius imperij studiosissimi, quiq; ad commeatum ei suppeditandum paratus esset beneuolentia contentus, magis apertam declarationem quæ ad belli summam nullius erat momenti, quemadmodum nec quod ipsi se superiore anno defuncto regi declarassent, ei quidquã profuerat, ciuitati vero maximorum incommodorum caussa extiterat, ab ipsis non ex-

peteret,ſupplices rogarent miſerunt:Vaderet igitur & hoſtes ſuperaret,ac Mediolanen ſes ipſum vbi acie victor extitiſſet,promptiſſimè admiſſuros exiſtimaret:ad quæ rex qui antea ob Triultium non intromiſſum valde erat iratus, illis humaniter acceptis,ſe illorum petitionibus ſatisfacturum reſpondit. Bufalorio rex exercitum Abiate duxit; vbi dum moram trahit, Allobrogum dux viginti Heluetiorũ legatis quos ad ipſum Vercellas miſerant auditis, deinde Galerate Baſtardo alijsq; ab rege ad id delegatis ſequentibus,profectus,regis nomine cum Heluetijs pacem his legibus ſanxit:Inter Galliæ regem & Helueticam gentem quoad rex vixerit, annosq; decem poſt eius obitum, perpetua pax eſto:Heluetij & Rheti valles ad mediolanenſe imperiũ ſpectantes, quas occuparunt,reſtituunto: Heluetij illud imperium à quadraginta milliũ aureorum numũm ſingulis annis perſoluendorum obligatione,liberanto:rex Maximiliano Sfortiæ Nemorij ducatum, itemq; duodecim Francicorum millia annuæ penſionis nomine, & inſuper lanceas quinquaginta & coniugem ex regia ſtirpe,dato: Heluetij antiquam quadraginta millium Francicorum penſionem reſtituito: omnibus Heluetijs qui tunc vel in Gallia ciſalpina, vel in itinere vt eò venirent erant, trimeſtre ſtipendiũ pendito:pagis ipſorum commodis temporum ſpacijs,ſexcenta aureorum numũm millia in Diuionenſi pactione promiſſa;& ob Vallium reſtitutionem trecẽta millia perſoluito: quatuor Heluetiorum millia regis ſtipendia perpetuò merento:in hoc fœdere de communi conſenſu,pontifex ſi Parmam & Placentiam reſtitueret,Cæſar,Sabaudiæ dux & Monferratenſis marchio nominati fuere:neq; Hiſpani regis,neque Venetorum,vlliuſũe alterius Itali vlla facta mentio. Hæc autem pax eodem ferè die facta,ac perturbata fuit; idq; ob alio rum Heluetiorum aduentum;qui ſuperioribus victorijs elati,nec ſe ijs quibus ſocios onuſtos videbant minores diuitias ex bello adepturos ſperantes, animo à pace alieniſſimo erant,& vt eam impedirent, vallium reſtitutionem detrectabant:itaq; cum eos priores Heluetij ab hoc ardore remouere non poſſent,numero triginta quinq; millia, vt in Mediolanenſibus ſuburbijs hærerent Modœtiam petierunt; à quibus Comenſi via, quam rex data opera apertam reliquerat,Albertus Petra magni nominis dux cum multis ſignis diſceſſit:ſic pace non prius facta quàm turbata,rex in eaſdem difficultates ambiguitatesq;, imò in longè maiores,quum nouæ vires nouiq; exercitus Inſubriæ appropinquaſſent, redierunt: quoniam prorex tandem M.Antonio Columna,cum centum grauis armaturæ,ſexaginta expeditis equitibus,& duobus Germanorum peditum millibus ad Veronæ præſidium,& mille ac ducentis Germanis Brixiæ relictis, cum ſeptingentis grauis,ſexcentis leuis armaturæ equitibus,ſex peditum millibus & ponte ad fluuium traijciendum parato,ad Padum prope Placentiam metatus erat;cui ne iuſtam cõquerendi cauſſam præberet Laurentius Medices,qui data opera multos dies cum exercitu in quo erant ſeptingenti cataphracti, octingenti expediti equites & quatuor peditum millia,Parmæ moram traxerat,Placentiam venit,prius tamen in Heluetiorum gratiam quadringentis expeditis equitibus Mutio Columna & Ludouico Pitiliani comite ducibus,quorum alter Pontifici,alter Florentinis militabat;quibus ad commeatum colligendum, dum in colloquio erant, vterentur miſſis: quos non tam communis cauſſæ promouendæ ſtudio,quàm ne Heluetijs,ſi cum Galliæ rege componerent,pontificis in fœdere prætereundi cauſſam præberet miſerat. Ab alia parte Aluianus qui ſe tantùm Hiſpanico exercitui negotij allaturum, vt ei nocendi facultatem non eſſet habiturus, regi ſpem fecerat; quamprimum proregem Verona diſcedere audiuit,è Rodigia Poline ſo profectus,Atheſi traiecto,& ſemper ſecundum Padum incedens cum nongentis grauis,mille & quadringentis leuis armaturæ equitibus,& nouem peditum millibus,cumque idoneo tormentorum apparatu ſumma celeritate ad Cremonæ mœnia venerat: quam noſtrorum temporum ducibus inuſitatam celeritatem ipſe iactitans,Claudij Neronis,quum vt Aſdrubali ſe opponeret,partem exercitus expeditam ad Metaurum fluuium duxit,celeritati æquare ſolebat:ſic belli ſtatus non modò varius,ſed etiam perturbatus valde atq; implicatus erat:prope Mediolanum ab vna parte Galliæ rex cum exercitu omnibus rebus inſtructiſſimo, qui vt Aluiano facilem ad ſeſe ei coniungendum viam aperiret; pontificios verò atq; Hiſpanos quo minus ſe hoſtibus coniungere poſſent impediret, Marinianum venerat: ab altera triginta quinq; Heluetiorum millia ferocitate

rocitate plena,& ad eam vsq; diem contra Gallos inuicta:Prorex ad Padum prope Placentiam, & in ea ipsa via qua Laudam itur,cum ponte ad traijciendum, vt se Heluetijs coniungeret,parato:Placentiæ autē vt se ad eum eandem ob causſam adgregaret, Laurentius Medices cum pontificijs & Florentinorum copijs ; Aluianus vigilans ac ferox cum Veneto exercitu, vt Galliæ regem aut coniunctis armis,aut pontificios atq; Hispanos diuertendo iuuaret, in Cremonensi agro ad Padi ripam considebant: Media inter Mediolanum atq; Placentiam relinquebatur Lauda Pompeia ab omnibus deserta; sed ab Rentio Cerite primùm tanquam Venetorum milite in eam ingresso direpta: qui ob dissidia inter ipsum & Aluianum orta, missione prius ab Senatu attestationibus ac ferè minis impetrata,cum ducentis grauis & totidem leuis armaturæ equitibus ad pontificis stipendia transierat: sed quum eum milites ipsius,quia Veneti multos Patauio vbi erant discedere non patiebantur, tam citò sequi non possent, vt equitum suorum numerum expleret, Lauda discessit: at Sedunensis cardinalis,qui primò suorum cum Galliæ rege colloquijs & Mediolanensium fluctuatione territus,cum mille Heluetijs & Mediolanē sium ducis copiarum parte Placentiam confugerat, deinde Cremonam, vt proregem ad progrediendum vrgeret profectus, antequam à Gallis impediretur Medioladense iter ingressus, nonnullos ex suis,non tamen multos, ad Laudæ custodiam reliquit:qui vt regis Marinianum aduentum cognouerunt consternati, ciuitatem deseruerunt: sed dum prorex ad Padum hæret, antequam Laurentius Medices Placentiam peruenirent, Cynthius à pontifice ad Galliæ regem missus ab eius militibus captus fuit: apud quem quum mandata & fidei literæ inuentæ essent, quamuis ob eius à quo mittebatur reuerentiam statim sit abire permissus , tamen ne spes facta pontificium exercitum secum trans Padum iturum vana esset, nō mediocriter vereri cœpit;idq; eo magis quia ijsdem diebus subolfactum fuerat, Laurentium Medicem vnum ex suis clàm ad eundem regem misisse, quod à vero minimè alienum erat: Laurentius enim vel proprio consilio, vel pontificis iussu, se si contra eum pontifici parendi necessitate impulsus exercitum duceret excusatum miserat;in ijs autem quæ absq; patrui offensione, & proprij honoris labe posset, quemadmodum semper expetiuisset,nuncq; maximè studeret,vt ei gratificaretur omnem operam daturum: sed quamprimum Laurentius Placentiam peruenit, eodem die inter proregem & illum,& homines qui eorum consilijs intererāt, num Padum vnà vt se ad Heluetios conferrent traijcere deberent, varijs vtrinq; rationibus disputari cœpit. Qui vt traijceretur suadebant, nullam rationem esse quæ ipsos Laudam ingredi prohiberet aiebant: vnde Aluiano quominus ad regem accederet,difficultates obiecturos: sibi verò siue Mediolanum versus ire placeret; siue Heluetios præstolari, cum eis se coniungendi viam patefacturos: quod si Galli,vt eos facturos fama erat,iter Laudā inter & Mediolanū occuparent, vel iam occupassent, hisce exercitibus in tergo ipsorum positis , eos nō sine metu & periculo futuros:& fortasse etiam quamuis maiore circuitu , Heluetios conueniendi viam haud difficilem ipsis futuram: hoc consilium ad rei summam,cùm vt Heluetijs omnes nouorum pacis colloquiorum occasiones adimerent, tum vt vires quibus contra tantum exercitum , equitatu præsertim quo carebant, opus habebant, eis augerent, admodum vtile,imò necessarium esse:sed id quoq; pontificis & Catholici regis , qui ex fœdere Mediolanēse imperium defendere tenerentur; quiq; toties id Heluetijs,qui, si se deceptos sentirēt,ex amicissimis inimicissimi essent futuri,promisissent, fidei honorisq; rationē postulare.Idem præterea ad sui cuiusq; status securitatem spectare : Heluetijs enim prœlio superatis , vel cum Gallo aliqua ratione pacatis, nullas in Italia vires reliquas esse, quibus quo minus per vniuersum pontificiū imperium Romam vsq; excurreret prohiberi possit. In contrariam verò sententiam multæ rationes afferebantur , ex quibus ea erat potissima,nullas à rege ad eam vsque horam copias Laudem missas , minimè verisimile esse; quæ si ibi inuenirentur,cum dedecore, & fortasse non absq; periculo ; quòd eodem tempore & Gallos & Venetos,vel à fronte vel à latere habere possent; nec pons absq; mora & cōfusione aliqua iterum posset transiri;quæ res,si periculū diguo pretio compensaretur,fortasse non esset reijcienda: quòd si etiam Laudam desertam ingrederentur, quémnam ea res fructum ad rei summam esset allatura ? qua ratione tam potenti exercitu inter Mediolanum & Laudam colloca-

to,aut ipsi Heluetios, aut Heluetij ipsos adire possent?nec forte satis tutum esse,omnes pontificis atq; Hispani regis vires, ex quibus omnium regnorum quæ possiderent salus penderet,temerariæ & ratione carentis gentis fidei committere, quum maximam illorum partem cum Galliæ rege pacem inijsse, atque inter hos atq; alios qui repugnabant maximas versari controuersias notum esset. Denique vt proximo die vterq; exercitus impedimentis omnibus relictis, & Parma atq; Placentia ob Veneti exercitus cuius expediti equites ijs diebus regionem vniuersam percurrerant diripuerantq; metum, valido præsidio munitis,Padum traijcerent decretum fuit:quę res vt tunc multorum opinio fuit,à neutra parte candidè est decreta: vterq; enim se transire velle simulando,absque suo periculo de culpa in alterum transferenda cogitabat: Prorex enim quum ex Cinthij profectione suspicionem cõcepisset, sciretq; quanto artificio pontifex in rebus suis vteretur, vt Laurentius vlterius non progrederetur,eius mentem esse existimabat: Laurentius verò, quàm inuitus prorex eum exercitum fortunæ arbitrio esset commissurus cogitãs,idem de alijs iudicium,quod alij de se,faciebat.Post meridiem Hispanicę copię pontẽ transire cœperunt, quas statim pontificiæ sequi debebant:sed quum nocte imminente,in crastinũ differre cogerentur,nõ modò non transierunt,sed etiam prorex,quòd à quadringentis expeditis equitibus, qui ab vtroq; exercitu ad hostium progressus explorandos præmissi fuerant, præcedenti die centum Gallos cataphractos Laudam ingressos significatum esset, cum exercitu cis amnem redijt: quare quum prorex & Laurentius in priora castra redijssent, Aluianus cum suo exercitu Laudam petijt.Rex hoc ipso tempore Mariniano discedens Sandonatum, ad tertium à Mediolano lapidem castra posuit:Heluetij verò omnes Mediolanum se receperunt:à quibus quum pars à bello,pars à concordia abhorreret, crebri conuentus tumultusq; fiebant. Tandem verò cum simul conuenissent, Sedunensis cardinalis,qui vt in bello perseuerarent ardentissimè hortabatur, vehementissimis verbis, vt nulla interposita mora eodem die ad impressionem in Galliæ regem faciendam erumperent, eos incitare cœpit;nec ita eis hostium equitatus ac tormentorum copiam ob oculos posuit,vt ea Heluetiorum ferocitatis,& victoriarum aduersus Gallos partarum memoriam perturbaret. Ergo,inquit Sedunensis,gens nostra tot labores pertulit,tot pericula subijt, tantùm sanguinis effudit, vt vnica die tantam gloriam, tantum nomen,toties à nobis deuictis hostibus relinqueret? nónne hi sunt illi ijdem Galli, qui nobiscum tot victorias sunt adepti? sine nobis semper ab omnibus victi?nónne ijdem sunt isti Galli, qui superiore anno, ab exiguis nostrorum copijs tanta cum gloria prope Nouariam fusi fuerunt?nónne illi sunt qui nostra virtute territi, maxima sua ignauia perturbati,Heluetiorum nomen ad cœlum vsq; extulerunt? clarum quidem nomen,quandiu cum illis fuimus, sed clarius longè postquam ab eis disiuncti sumus: qui Nouariæ erant equitatu ac tormentis carebant; auxilij proximam spem habebant;& tamen Mottino Heluetiæ gentis ornamento atq; splendori parentes,eos in suis castris fortiter aggressi,in illorum fulminantia tormenta impetu facto,tot Germanis militibus cæsis, vt & arma,& lacerti illorum occidione delassarent, eos fuderunt:& nunc illos quadraginta Heluetiorum millia, tam fortem tamque validum exercitum,vt quum reliquis mortalibus vniuersis simul coniunctis acie decertare possit, expectare ausuros creditis? Fugient, mihi credite,ad solam aduentus vestri famam;nõ sua virtute,sed dissensionum vestrarum spe freti Mediolano appropinquare sunt ausi:non eos regis persona præsentiaúe retinebit; quoniam aut vitæ aut regni sui in discrimen conijciendi metu,primus erit qui saluti suæ consulat,& reliquis idem faciendi exemplum dabit:si hoc exercitu, hoc est totius Heluetiæ viribus,eos adoriri non audebitis, quibus præterea viribus,qua spe eis resistere poteritis?quem ad finem in Longobardiam descendimus? ad quem finem Mediolanum venimus,si hostium occursum exhorrescimus? vbi essent magnifica verba? vbi totius huius anni feroces minæ? quum nos in Burgundiam irrupturos gloriabamur?quum Angliæ regis pace, pontificis ad fœdus cum Galliæ rege ineundum propensione lætabamur; quo plures in Mediolanense imperium coniurassent,eo maiorem nos gloriam consequuturos?melius erat,hisce annis tot illustres victorias adeptos non fuisse; Gallos Italia nõ expulisse; intra veteris nostræ famæ limites constitisse; si deinde omnes simul contra cunctorum mortalium expectationem

pectationem tam abiecto animo eramus futuri: hodie num nobis Nouarienſem victoriam virtus an fortuna tribuerit in totius orbis terrarum oculis declarandum eſt: ſi nos hoſtium conſpectum horrere oſtenderimus, ab omnibus ea vel caſui vel temeritati tribuetur: ſin eadem audacia vtemur, virtutem eam fuiſſe omnes fatebũtur: quòd ſi eodem euentu (de quo dubitandum non eſt) pugnabimus, non modò præſentibus formidabiles, verùm etiam poſteris venerabiles erimus, quorum iudicio & laudibus Heluetiorum nomen Romanorum nomini anteponetur: neque enim illos vnquam tanta audacia vſos, neq; victoriam aliquam tanta virtute adeptos legimus, neque nulla neceſſitate compulſos prœlium committere conditione tanto deteriore, cum hoſtibus voluerint: de nobis autem pugna prope Nouariam commiſſa legetur; vbi paruis copijs, ſine tormentis, ſine equitatu, potentem omnibusque apparatibus inſtructum, cui duo ſummi imperatores, quorum alter dubio procul in tota Gallia, alter in Italia primum obtinebat locum, præerant, exercitum fudimus. Legetur hæc ad Sandonatum memorabilis pugna, ijſdem incommodis, contra ipſum met Galliæ regem pugnantem, contra tot Germanorum phalanges depugnata, qui quo maiore numero ſunt, eo magis odium noſtrũ explebunt: tanto maiorem militiæ ipſorum in perpetuum delendę nobis facultatẽ præbebunt: tanto minus temerè cum Heluetijs in armorum certamen deuenire audebunt: proregem & pontificias copias nobis adiunctum iri certum non eſt; quin potius multis de cauſſis fieri non poſſe videtur: ad quem igitur finem expectandi ſunt? Quid quòd ne illorum quidem aduentus nobis neceſſarius eſt? & hoc impedimentum nobis gratum eſſe debet. gloria enim tota noſtra erit: noſtra erunt ſpolia, noſtrę diuitię, quibus tanti regis caſtra referta ſunt: Mottinus gloriam nec cum noſtris quidem, nedum cum alijs communicatam voluit; & nos tam ingnaui, noſtræ virtutis contemptores erimus, vt etſi illi nobis cõiungi poſſent, exteros quos tantę laudis tãti honoris participes faciamus, expectare velimus. maiorem morã longiora conſilia nõ fert Heluetiorum nomen, non rerum ſtatus poſtulat: nunc exeundũ eſt, nunc, nunc hoſtes ſunt inuadendi: iſta cõſilia timidorũ ſunt; qui nõ ut ſe periculis obijciãt, ſed ut ea fugiãt cogitant: at feroces bellicoſoſq; viros, cuiusmodi vos eſtis, hoſti ut primũ cõſpectus eſt occurrere decet: quamobrẽ Dei qui Gallorũ ſuperbiam iuſto odio perſequitur, ope freti, conſueta virtute haſtas veſtras rapite; tympana pulſate: quin ſtatim citra vllam morã vadimus: quin inquam vadimus ad arma noſtra delaſſanda, ad odiũ noſtrũ illorum qui ob ſuperbiã ſuam omnes vexare volunt, ſed ob ignauiam ſemper omnibus prædæ ſunt, ſanguine exaturandũ. Hac oratione incitati armis ſtatim furentiũ more correptis, & vbi Romana porta egreſſi ſunt agminibus ſuis inſtructis, quamuis loci nõ multùm ſupereſſet, tanta alacritate totq; clamoribus ad Gallorum caſtra contenderunt, vt eis rei neſcijs magnam aliquam victoriã adepti videri poſſent: dux militem ad iter accelerandum hortabatur: milites ducem, vt ci primum hoſtiũ caſtris appropinquaſſent, ſtatim pugnę ſignum daret, monebant, velle ſe campos mortuorũ cadaueribus tegere; velle eo die Germanorum peditum nomen extinguere; & præſertim eorum qui quodam mortis præſagio nigra ſigna geſtabant: hac ferocitate quum ad Gallorum caſtra perueniſſent, etſi duæ tantùm eius diei horæ ſupererant, in tormenta munitionesq; impetu facto, pugnæ initium fecerunt: quo impetu vix dum conſertis manibus, prima agmina perpulerunt fuderuntque; & tormentorum partem occuparunt: ſed quum eis equitatus cum magna exercitus parte, & ipſemet rex valido nobilium virorum agmine ſtipatus occurreret, & iam tantus impetus nõnihil repreſſus eſſet, atrox pugna eſt cœpta, quæ vario ſucceſſu & maxima cum Francorũ equitum, qui iam inclinabant clade, nõnullis ex Gallis ducibus iam cæſis, rege ipſo multis haſtarum ictibus appetito, ad quartam vſq; noctis horam protracta fuit: tunc quũ neutri arma iam prę laſſitudine manibus tenere poſſent, prælio absq; tubarum clangore ducũque imperio dirẽpto, Heluetij ijs in caſtris hæſerunt: nec alter alterum lædebat, ſed quaſi tacitis inducijs proximam lucem expectabant. Verùm cum prima Heluetiorum, quibus cardinalis vbi aliquantiſper quieuiſſent cõmeatum Mediolano adferri curauit, impreſſio tam fauſta fuiſſet, vt per totam Italiã nuntij mutatis equis hoſtium exercitum ab Heluetijs fuſum nuntiantes peruolarint; Rex noctis tempus quod ſupererat, non otioſè tranſegit: quoniam periculi magnitudine perſpecta, tormentis ad loca opportuna con-

trahendis,ac dispondendis:Germanorũ&Vasconũ ordinibus instaurandis,equitibusq; in suas turmas restituendis operã dedit:interea lux diurna superuenit;in cuius initio Heluetij, totius Italicę militię simul cõiunctę,ne dũ gallici exercitus, contẽptores,eodẽ impetu& temerè admodũ hostem sunt adorti;à quibus fortiter,sed prudẽtius,& maiore disciplina excepti,tormentis & Vasconũ sagittis, atq; ab equitatu oppugnabantur, ita vt à fronte & lateribus cęderentur:& in solis ortu affuit Aluianus,qui ea nocte ab rege accersitus,statim cum leuis armaturæ equitibus,& magis expedita exercitus parte iter ingressus,quum atrox maximè sæuiret Mars,resq; in summũ essent adductæ discrimen,reliquis copijs paulatim eum subsequẽtibus eo peruenit, ac Heluetios magno impetu à tergo est adortus; qui etsi semper audaciſſimè fortiſſimèq; pugnarent,tamen quum tam validè hostem resistere cernerent, & Venetorum copias adesse, de victoria desperantes, quum iam sol per multas horas terram illustrasset,receptui cecinerunt; & tormẽtis ijsdẽ quæ secum aduexerant,humeris sublatis,acies verterunt,& semper ordinibus cõseruatis lento gressu, tantaque cum Gallorum admiratione, vt ex toto exercitu nullus equitum peditumúe eos persequi sit ausus,Mediolanũ versus contenderunt; binæ tantùm illorum cohortes,quę in villam quandam confugerant,à Venetorum expeditis equitibus flaminis in eo loco extinctæ fuerunt:reliquus exercitus ordinibus suis integris,eandẽq; in vultu & oculis ferocitatẽ spirans,15 maioribus tormẽtis quæ hostib. primo impetu abstulerant,quòd ea vehere nõ possent,vt nõnulli aiunt in fossis relictis,Mediolanũ redijt. Cõmuni omniũ hominum cõsensu nulla à plurimis annis in Italia ferocior, ac formidolosior pugna cõmissa fuisse ferebatur: quoniã ob impetum quo Heluetij prœliũ inierunt,deinde ob noctis errores quibus totius exercitus ordinibus perturbatis,permixtè, absq; imperio,sine tessera pugnabatur, omnia fortunę penitus erãt subiecta:rex ipse pius in periculo versatus,salutẽ suã magis proprię virtuti& sorti quàm suorũ,à quibus ępius in tanta Martis cõfusione noctisq; tenebris desertus fuerat,auxilio,acceptã referre debebat: adeo vt Triultius dux qui tot res viderat, hanc nõ hominũ sed Gigantum pugnã fuisse,&18 pugnas quibus interfuerat,cum hac cõparatas,pueriles prorsus fuisse affirmaret:nec dubiũ erat,quin Heluetij primo impetu intra Gallorũ munitiones ingressi, & maxima tormentorũ parte occupata semper vlterius erant progressi,nisi tormẽta obstitissent,victores essent futuri: nec parui momenti fuit Aluiani aduentus; qui quum anciti marte adhuc pugnaretur superueniẽs,Gallis animos addidit,&Heluetios omnes Venetorũ copias cum illo esse opinãtes terruit. Cæsorũ numerus si qua in pugna,vt ferè solet, incertus fuit,in hac fuit incertissimus : quoniã uarij admodũ erant de eo hominium vel studio vel errore sermones: nõnulli supra 14 Heluetiorum millia cecidisse dixerunt: alij decẽ,moderatiores 8 millia: nec defuerunt,qui ad tria millia cõtrahere vellent; omnes tamen ferè ignobiles & obscuri nominis: at ex Gallis in nocturno cõflictu ceciderunt Franciscus Borbonij ducis frater,Imbricurtius, Sanserrius,Talamontius princeps Tramolliæ filius,Buffius Rotomagensis cardinalis olim nepos,Sasartij comes,Catelarthus Sabaudus,Busichius,& Moia,qui regiæ nobiliũ turmæ vexillum ferebat, omnes nobilitate,atque opibus vel honoris in militiæ gradu clari: ac de Gallorũ quoq; in hac pugna desideratorũ numero varię fuerunt sentẽtię:alij eum sex millia,alij non supra tria millia cecidisse asserunt: inter quos nõnulli Germanorũ peditum duces numerantur. Vbi Heluetij Mediolanum se recepissent, maxima inter eos,vtrum cum Galliæ rege paciscendũ,an Mediolanum defendẽdum esset,dissensione orta,duces illi qui antea de pace egerant,minus turpem discessus causſam quærentes,à Maximiliano Sfortia,quem dare nõ posse notissimum erat,pecuniã petierunt : deinde omnes Rostio legionum prẽfecto ad id cohortante, sequenti die Comensi itinere in patriam reuerterentur,Duci se breui,vt arci in qua mille ac quingenti Heluetij& quingenti Itali pedites relinquebãtur opem ferrent,reuersuros polliciti,discesserunt. hac spe fretus Maximilianus Sfortia, cũ Ioanne Gonzaga,Hieronymo Morono,& aliquot alijs Mediolanensibus nobilibus viris,Francisco Barensium duci fratri suo,quamuis ægrè,in Germaniam proficiscendi potestate data,sese in arcem inclusit: & Sedunensis se intra paucos dies reuersurum fide data,ad Cæsarẽ vt auxilia acceleraret est profectus. Mediolanensis autem ciuitas omni præsidio nudata, sese Gelliæ regi maxima pecuniæ summa promissa dedidit:qui,quasi

vrbem

vrbem quæ tota non sit in ipsius potestate ingredi rege indignum esset, dum hostes arce potirentur se ingressurum negauit. Rex eo in loco in quo victoriam erat adeptus, per tres dies solemnia sacra peragi curauit: primo die vt Deo de victoria gratias ageret; secũdo, vt pro eorum qui prœlio ceciderant salute preces funderet; tertio pro pace consequenda; eodemque in loco tanquam victoriæ trophæum ædem sacram erigi mandauit: Omnes Mediolanenſis imperij ciuitates & arces victoriæ fortunam sunt sequutæ, Cremonensi arce excepta atque Mediolanensi; cuius expugnationi quum præpositus esset Petrus Nauarrus, non sine omnium admiratione, quum arx esset munitissima, omnibusq; rebus ad propugnationem & obsidionem sustinendam instructissima, & in qua supra duo militum millia erant, se minore quàm mensis vnius spatio eam expugnaturũ affirmabat. Gallorum victoriæ nuntio accepto Cardonius prorex, paucos dies magis coactus, quòd ob pecuniæ inopiam difficulter exercitum mouere posset, quàm sponte in ijsdem castris moratus, tandem certa summa, & sex aureorum numũm millibus ab Laurentio Medice mutuò acceptis, in regnum neapolitanum proficiscendi consilio Ponstantiam mortalibus ostentarat, & sociorum oratores vt intrepidum vultum fortunæ obijcerent, Heluetiosque in ea propensione retinere conaretur; quòd si illi sententiam mutarent, vt Germani milites conscriberentur hortatus erat, nihilominus apparatus omnes periculis suis non nisi seros esse posse, seque primum omnium appetendum ratus, quòd, etsi ecclesiæ reuerentia regem ab ecclesiæ imperio violando deterreret, eum tamen à Parma atque Placentia tanquam Mediolanensis imperij membra inuadendis, & Florentinorum statu, qua in re omnis reuerentia cessabat, tantique ea offensio à pontifice fiebat, ac si ecclesiæ imperium læderetur, turbando, non ea de caussa temperaturum credebat. Nec vanus erat eius metus, quoniam rex Pado propè Papiam, vt ad Parmam atque Placentiam expugnandas mitteret, pontem imponi iam mandauerat: ijsque captis, si pontifex adhuc amicitiam ipsius sperneret, Pontremulensi itinere copias quæ Mediceos Florentia pellere conarentur missurus erat: sed iam eius mandato Sabaudus & Tricaricensis episcopus ipsius nuntius cum rege de pace agebant: qui tum ne noua in se fœdera inirentur metuens, tum ob Iullj dirarum in Galliam terrorem, qui totum Gallię regnum occupabat, ad sacrosanctę sedis obseruantiam propensus, pacem valde exoptabat: ideo repentè inter eos ad Italiæ defensionem fœdus ictum est; & nominatim vt rex pontificis, pontificijq; imperij, Iuliani item & Laurentij Mediceorum & Florentini status patrocinium sumeret: dominatum aliquẽ in Gallia atq; pensionem Iuliano daret: Laurentio quoq; pensionem, & quinquaginta cataphractis eum præficeret: pontificem proregi per pontificium imperium in regnum neapolitanum cum exercitu redeundi facultatẽ concedere pateretur: pontifex milites suos Verona & ab Cæsaris contra Venetos auxilijs reuocaret: Parmam atq; Placentiã Galliæ regi à quo vicissim cõpensationis nomine acciperet: vt Mediolanensis imperij populi salem quo vterentur, Ceruiæ accipere tenerentur; qua ex re magna emolumẽta pontificio imperio accedere credebantur (quod & iam pontifex in fœdere cum Mediolanensiũ duce pactus erat) restitueret: Sabaudię duci num Florentini fœdus cum Ludouico rege ictum violassent cõpromisso iudicandũ permitteretur, idemq; si eos violasse cõperisset, pœnã pronuntiaret; quod rex se magis honoris sui gratia, quàm aliã ob caussam petere aiebat. His hunc in modum cõstitutis, Tricaricensis statim mutatis iumentis vt pontificem ad ea confirmanda flecteret Romam contendit: & Laurentius, vt prorex Cardonius citius discedendi causam haberet, copias quæ Placentiæ erant Parmã & Regium contraxit; & ipse ad regem, vt eum sibi conciliaret, eiq; ex patrui artificiosis mandatis, se in omni rerum euentu ex eo pendere velle persuaderet, est profectus. Pontifex haud facilè ad confirmandum flecti potuit: erat enim illi molestissima Parmæ & Placentiæ iactura; & libenter prius quid Heluetij decernerent, cognouisset: qui Comitij Tigurum (quę ciuitas inter omnes Heluetios primũ locum obtinet Gallisq; est infensissima) de Mediolanensi arce tuenda deliberabant; quamuis valles & Bellizzonam, atq; Locarnum, arcibus tamen exceptis, nisi quòd rex Locarnensi arce sex aureorum numũm millibus eius præfecto datis potitus est, deseruissent. Rheti verò Clauennam non deseruerãt

nihilominus quum ei Tricaricenſis, ne rex absque mora Parmam atque Placentiam inuaderet, & copias in Hetruriam mitteret periculum oſtenderet; & cladem ab Heluetijs in prœlio acceptam exaggeraret, ea moderatione tamen, ne ipſe vel eius procuratores Parmam & Placentiam traderent, ſed militibus ac miniſtris ſuis nudatas regi occupandas permitteret: pontifex ne Cæſarem hac iniuria afficeret, milites ſuos Verona reuocare ne teneretur, ſe tamen citò eos aliqua opportuna occaſione reuocaturum occultè promittebat, & Florentini fœderis violati crimine liberarentur, confirmauit: additum etiam fuit, vt rex nullius qui pontificio imperio beneficiarius ſubiectusúe eſſet, patrocinium ſuſciperet: non modò pontificem ab eis perſequendis, & vt ſupremum dominum decet puniendis prohiberet, verùm etiam ſi id ab eo peteretur, ipſi auxilium ferret: tractatum etiam eſt, ut pontifex et rex aliquo in loco vtrique commodo ad colloquium venirent; quod ab rege propoſitum fuit, ſed ab vtroque expetitum: ab rege quidem vt hanc amicitiam fortius ſtabiliret; amicorum quos in Italia habebat res in tuto collocaret; & quia ſe ſua præſentia, nec non amplis fortunis pontificis fratri ac nepoti promiſſis, vt eius conſenſu regnum neapolitanum quemadmodum vehementiſſimè cupiebat, ſibi inuadere liceret, conſequuturum ſperabat: à pontifice autem vt huiuſmodi officio, & ſuis ad hominum animos ſibi conciliandos aptiſſimis moribus, regem dum in tanta felicitate erat demulceret: quamuis multis id conſilium vt pontificia maieſtate indignum (affirmabant regis eſſe, ſi cum illo loqui vellet, Romam venire) improbarent. Sed pontifex ſe eò deſcendere aiebat, vt regem à regno neapolitano infeſtando, ſaltem Hiſpano rege (cuius vita quòd iam ante annum in morbum inciderat, breuis futura credebatur) viuo, remoueret. Interea Petrus Nauarrus Mediolanenſis arcis expugnationi incumbebat; & arcis teſtudine quadam qua Cremenſem portam reſpicit in foſſa potitus, & ambulatorijs turribus, ac vineis ad foſſam atque arcis murum ſubiens cuniculum eo in loco agebat: deinde impediendi facultate illis adempta, plures alios agere cœpit; & in arcis angulo magnam muri partem ſcalpris ſuccidit, eamque, vt quum ignis cuniculis inijceretur rueret, trabibus ſubiectis fulſit: quę etſi multorum iudicio ad arcem niſi longo temporis ſpatio magnisque laboribus obtinendam non ſatis eſſent; & iam Heluetios ſe quemadmodum in Tigurinis comitijs decretum fuerat ad opem ferendam comparare certò audiretur, tamen quum inter Ioannem Gonzagam ducis militum præfectum, qui in arce erat, & Borbonium eius propinquum de deditione agi cœptum eſſet; quumque poſtea his conſilijs cum Borbonij duce Hieronymus Moronus & duo Heluetij duces ex his qui in arce erant, intereſſent, magna omnium cum admiratione, & ingenti Hieronymi Moroni, quaſi ipſe vel nimio metu vel fluxa fide duci ſua autoritate, quæ apud eum erat maxima, id perſuaſiſſet infamia: quam ipſe in diſſenſionem inter Heluetios & Italos milites ortam excuſans reijciebat, quarto Octobris die his legibus conuenerunt: Maximilianus Sfortia Mediolanenſem & Cremonenſem arces ſtatim Galliæ regi tradito: omnibus eius imperij iuribus eidem cedito: rex illi certam pecuniæ ſummam qua æs alienum diſſoluat repræſentato: in Galliam, vbi ei rex ſingulis annis triginta aureorum numûm millia penderet, vel eum pari conditione cardinalem fieri curaret, proficiſcitor: rex Galeatio Vicecomiti & nonnullis alijs Inſubriæ nobilibus viris, qui multùm pro Maximiliano cotenderant ignoſcito: ſex aureorum numûm millia Heluetijs qui in arce erant dato: Ioanni Gonzagæ bona in Inſubria ei à duce donata confirmato; eiq; certam penſionem aſſignato: Morono pariter & propria & ab duce tradita bona, & in repub. officia quæ habet, permittito; eumque ſupplicum libellorum in regia magiſtrum facito. Quo facto Maximilianus ob paternum nomen cognomento Morus, arce egreſſus, ſe Heluetiorum ſeruitute, Cæſaris dilaceratione, & Hiſpanorum fraudibus liberatum aiens, in Galliam contendit: omnes tamen fortunam magis, quòd illum citò è tanto gradu deiecisſet, quàm quòd antea hominem qui ob ſocordiam ſuam, cogitationes ignauas & ſordidiſſimos mores, omni principatu erat indignus extuliſſet, laudabant. Sed ante Mediolanenſis arcis deditionem, quatuor ex Veneti Senatus ſummis ornatiſſimisque uiris legati ad regem venerunt, Antonius Grimanus, Dominicus Triuiſanus, Georgius Cornarius

narius, & Andreas Grittus, vt ei victoriam gratularentur, atque ab eo peterent, vt quemadmodum fœdere tenebatur, ipsos ad sua recuperanda iuuaret; quæ res nullum præter Cæsaris & eorum militum copias, quas M. Antonio Columna nomine pontificis Veronæ teneret, impedimentum habebat: quoniam prorex vbi ex Placentino agro copias eduxisset, aliquandiu vt num pontifex pacem cum Galliæ rege confirmasset cognosceret, in Mutinensi agro expectasset, confirmatione audita per Aemiliam Flaminiamque Neapolim contenderat: rex statim ad illorum auxilium Sabaudiæ Bastardum & Theodorum Triultium cum septingentis cataphractis, & septem Germanorum peditum millibus adlegauit, qui dum, siue vt Mediolanensis arcis euentum expectarent, siue quòd rex eosdem milites ad Cremonensis arcis expugnationem mittere vellet, discessum protrahunt, Aluianus cui Veneti, quia si fieri posset absque aliena ope Brixiam & Veronam expugnare cupiebant, vt proregem persequeretur non concesserant, exercitum Brixiam versus duxit: sed quum mille Germani pedites paulo antè eam vrbem essent ingressi, Aluianus quia Bergomum ante multos dies Venetis deditum fuerat, ad Veronæ expugnationem, tum quòd minus esset munita, tum ob maiorem commeatus opportunitatem, tum quia Verona capta, Brixiæ quæ sola relinquebatur, & eo in loco vbi difficile auxilia ex Germania posset accipere, facilis erat expugnatio, prius ducere statuebat: sed eum ab incœpto remorabatur, metus, ne prorex & pontificiæ copiæ quæ in Regiensi & Mutinensi agro erant, Ostiæ, vt Veronæ rebus succurrerent Padum traijcerent: qua suspicione vbi proregis discessus sunt liberati, impedimento fuit morbus Aluiani, qui Ghedij in Brixiensi agro ægrotans sexagenario minor, initio Octobris, magno cum Venetorum, sed longè maiore militum suorum mœrore excessit vita; qui quum eius desiderium ferre non possent, eius corpus vigintiquinque dies in exercitu ipsum quocunque progederentur, maxima pompa ferentes retinuerunt; quumque eum Venetias ferre vellent, non tulit Theodorus Triultius vt fides publica, quemadmodum multi monebant, à M. Antonio Columna per Veronensium fines transeundi petereturne qui viuus nunquam hostes reformidasset, mortuus timoris ederet signa: Venetijs Senatus consulto maximo cum honore in Diui Stephani templo, vbi hodie quoque eius sepulcrum conspicitur, sepultus fuit: funebrem orationem habuit Andreas Naugerius patritius Venetus multæ eloquentiæ iuuenis: fuit autem (vt omnes fatebantur) magnæ audaciæ imperator, quique ea quæ à Senatu decreta erant summa celeritate conficeret: verùm sæpius siue fortuna parum propicia, siue vt multi aiebant, quòd præcipitis consilij esset, ab hostibus fuit superatus; imò fortasse nulla vnquam victoria potitus, vbi ipse summus esset exercitus imperator. Ob Aluiani obitum, rex à Venetis rogatus, Triultium qui exercitui ipsorum præesset ob rei militaris peritiam, & autoritatem; & quia ob commune Gulfæ factionis studium semper cum ea republica beneuolentia necessitudineque iunctus fuerat exoptatum, eis concessit; qui dum in castra proficiscitur, Venetorum copiæ Pischeriam expugnarunt: sed prius aliquot equites & trecentos Hispanos milites, qui vt Pischeriæ ferrent opem contendebant, fuderunt: deinde Asula & Lunato à Mantuano marchione desertis, sunt potiti. Ad Triultij aduentum, Senatu ad id impellente, copiæ ad Brixiam ductæ, etsi expugnatio absque Gallicis copijs difficilis videretur: nam & ciuitas erat munita, & in ea duo millia partim Germanorum, partim Hispanorum peditum, maximus præterea Guelforum numerus ex ea pulsus: hyems autem iam imminebat, & aëris temperies pluuias minabatur; neque rei exitus imperatoris iudicium fefellit: nam quum mœnia tormentis ad fossam ab ea parte vnde Garzeta effluit positis verberare cœpissent, qui intus erant, & sæpe erumpebant, semel mille & quingentis partim Germanis partim Hispanis peditibus ad tormentorum præsidia, vbi centum grauis armaturæ equites, & sex peditum millia erant oppugnanda emissis, sclopetariorum etiam, qui in ciuitatis mœnibus ad id erant collocati, grandine obruti, facilè omnes, etsi Ioannes paulus Manfronus cum triginta grauis armaturæ equitibus aliquandiu illorum impetum sustinuerit, fuderunt, & circiter ducentos pedites interfecerunt; tormentarium puluerem

incenderunt, & decem tormenta in vrbem ex hoſte capta traxerunt: quamobrem Triultio cum exercitu donec Galli aduenirent recedendum eſſe viſum eſt; & Cuchaium duodecim à Brixia milliaribus receſſit; Venetis interea alijs tormentis & rebus ad ea ſpectantibus mittendis operam dantibus: vbi verò Gallos adeſſe ſenſerunt, Brixiam oppugnatum redierunt. Binis igitur caſtris hoc eſt ad Pilarum prope arcem, & ad Sancti Ioannis portam collocatis, ita vt ab vna parte Gallicus exercitus, ad quem Germanis peditibus, quia ciuitates quas Cæſar poſſideret oppugnare nolebant, dimiſſis, Petrus Nauarrus cum quinque Vaſconum & Gallorum peditum millibus venerat, caſtra haberet: ab altera Triultius cum Venetis militibus, cui quòd Baſtardus è caſtris æger diſceſſerat, omnis ferè imperij ſumma relicta eſt: mœnibus concuſſis, quia qui intus erant multas munitiones conſtruxerant, & ſumma diligentia atque virtute omnia quæ ad defenſionem erant neceſſaria faciebant, oppugnatio non eſt tentata: quare Petrus Nauarrus ad conſuetas artes conuerſus, cuniculos agere & ſimul mœnia ſcalpris ſuccidere cœpit: quo tempore M. Antonius Columna cum ſexcentis equitibus & quingentis peditibus Verona egreſſus, quum Ioanni paulo Manfrono & M. Antonio Buæ, qui cum quadringentis grauis & totidem leuis armaturæ equitibus in Vallegij præſidio erant in campis occurriſſet, eos debellauit: qua in pugna Iulius Ioannis pauli filius equo eius occiſo in hoſtium poteſtatem venit; & pater Goitum fugit; deinde Lineacum vbi aliquot Venetos patritios cœpit, occupauit: tandem quum oppugnatio, quia Petri Nauarri cuniculi eius promiſſis non reſpondebant, quotidie durior difficiliorque appareret, & octo peditum millia ex Germania, quos, qui Brixiam obſidebant ſe impedire poſſe non ſperabant, aduentare dicerentur, Veneti vt aliqua ratione diſceſſus ignominiam tegerent, cum ij qui Brixiæ erant, vt niſi intra trigin ta dies auxilium acciperent, vrbem explicatis ſignis cum tormentis omnibusque rebus ſuis (ſic Veneti permittebant) exeuntes deſererent pacti ſunt: quam pactionem, quòd auxilia certò expectarent, omnes vanam eſſe norant: ſed Brixiæ militibus interea moleſtijs liberari minimè erat inutile: Veneti poſtea Brei Lodronenſium comitum caſtello octo peditum millia impoſuerunt: ſed hi vbi Germanos quibus Anfo caſtellum deditum erat, progredi cognouerunt, turpiter ad exercitum ſunt reuerſi; nec maior in ducibus fuit animus, qui ne eodem tempore ab his & ab illis qui Brixiæ erant, & à M. Antonio Columna cum militibus qui Veronæ erant opprimerentur veriti, Ghedium, quo antea iam hac de re certi maiora tormenta & ferè omnia impedimenta præmiſerant, ſe receperunt; Germani autem Veronam absque impedimento ingreſſi, vbi eam commeatu & maiore præſidio confirmaſſent, in Germaniam redierunt. Interea pontifex & rex Bononiam conuenire ſtatuerunt: quamobrem rex, ne Mediolano tam procul abeſſet, cum præſertim aſſiduè à Sabaudiæ duce de concordia inter ipſum & Heluetios ageretur, potius quàm Florentiam elegerat: tum etiam, quòd ſi in Hetruriam proficiſceretur, quòd ipſum minore quàm olim Carolus rex feciſſet pompa Florentiam ingredi non deceret, multos milites ſecum ducere cogeretur: ad quam pompam adornandam aliquot dierum mora opus eſſet: quę regi cùm alias ob cauſſas, tum quia diutius totum exercitum, cuius etſi ingens eſſet ſumptus, nullam adhuc partem dimiſerat; nec, dum in Italia verſaretur dimiſſurus erat, alere cogeretur, grauis erat. pontifex igitur octauo Decembris die Bononiam eſt ingreſſus; biduo autem poſt, rex; ad quem in Regienſis agri finibus accipiendum duo pontificij legati, Fliſcus & Mediceus cardinales miſſi erant, absque militibus nec admodum frequenti aula eſt ingreſſus, & pro more in purpuratorum ſenatum ad pontificem introductus, ipſemet ſummo Cancellario pro eo verba faciente, obedientiam quam antea non exibuerat præſtitit: deinde triduum ſimul ſub eodem prætorij tecto fuerunt; maximæ beneuolentiæ & amoris ſigna ſibi inuicem oſtendentes: quo tempore, præterquam quòd verbis atque promiſſis iam ictum fœdus confirmarunt, multa de regno neapolitano ſimul egerunt: ad quod inuadendum quum rex tunc paratus non eſſet, efficaci pontifice ſe quotieſcumque Aragoniæ rex moreretur, quod communi iudicio breui fore credebatur, vel fœdus quod cum illo habebat, & intra ſedecim menſes finem erat habi-

habiturum, esset extinctum, ei ad eam expeditionem auxilio futurum spe facta, contentus fuit. egit etiam rex vt Mutina & Regium Ferrariensium duci restituerentur: quod pontifex si ei dux quadrigentas auri libras quas ipse pro Mutina Cæsari dederat, & præterea in sumptus in vtraque ciuitate factos, certam pecuniæ summam daret, se facturum promisit. pro Franciscomaria Vrbinantium duce rex est deprecatus; qui quum pontifici cum ducentis grauis armaturæ equitibus militaret, & vnà cum Iuliano Mediceo ad exercitum proficisci deberet, quum postea ob illius aduersam valetudinem Laurentius exercitui præpositus esset, non modò se quòd contra dignitatis suæ rationem, vt tanquam dux alterius autoritati subiectus in pontificio exercitu, cuius toties summus imperator fuerat esse vellet veteri Iuliani amicitiæ concesserat, Laurentio concessurum negauit; verùm etiam quum se equitatuum suum missurum recepisset, eum ex itinere reuocauerat: iam enim clam cum Galliæ rege pactus fuerat, aut paciscí procurabat: & post regis victoriam, vt eum aduersus pontificem per proprios homines incitaret, nihil prætermiserat: quarum pontifex iniuriarum memor, & iam de eius principatu familiæ suæ attribuendo cogitans, regis petitioni nomine annuit: sed dulcissimis verbis quàm ecclesiæ obfuturus esset, si tam pernicioso exemplo, subiectorum ad defectionem acueret audaciam, demonstrauit: quibus rationibus, & pontificis voluntati, rex patienter cessit, quamuis proprij honoris gratia, eos qui quòd ipsi adhæsissent in periculum inciderant seruare cuperet; eumque multi ex ipsius senatu & aula, quàm imprudens fuisset superioris regis, in eo quòd Valentino paruos Italiæ regulos opprimi passus erat consilium, ex quo ille ad tantam potentiam ascenderat, vt si diutius Alexander eius pater vixisset, proculdubio regis rebus obstaturus fuerit differentes, ad idem hortarentur. Promisit pontifex regi se ei potestatem daturum, vnius anni decumas à totius Galliæ regni sacerdotibus exigere. Concessit quoque regi sacrorum beneficiorum nominationem, quæ antea ad eorundem templorum collegia conuentusque spectabat: quæ res quum inde tot opulentissimorum sacerdotiorum ex arbitrio suo tribuendorum facultatem habeant Galliæ reges, magno eis est emolumento, & vicissim rex pontifici, vt annui sacerdotiorum fructus, quas Annatas vocant, non ex vetere censu, qui longè minor erat in posterum soluerentur, sed ex vero & nouo, in quo falsus est pontifex; nam quum ab eis qui verum censum occultabant, in Galliæ regno exigendus esset, ad idq; quæstores in Gallia constituendi, nemo erat qui contra eos qui sacerdotium erant adepti agere vellet, aut exigere; vnde factum est, vt omnes in eo veterem censum sequerentur. Ad hæc eò pontifex regem adegit, vt nullius in Hetruria ciuitatis patrocinium reciperent, quamuis non multo post sibi Lucenses, qui ducentas & quinquaginta auri libras pollicebantur in fide accipere, ad quod se superioris regis obligatione teneri aiebat, ab eo concedi postularet; quod ei pontifex denegauit, se tamen nullam eis molestiam allaturum promisit. Præterea Egidium Augustinianorum Sodalium principem præstantissimum concionatorem, pontificis nomine, ad Cæsarem, vt eum ad Brixiam & Veronam certa pecunia accepta Venetis concedendas flecteret, mittere statuerunt: quibus rebus inter ipsos peractis, nullis tamen literarum monumentis comprehensis, eis exceptis quæ ad sacerdotiorum nominationem, annatasque ex vero censu pendendas, pertinebant, pontifex in regis gratiam Adrianum Boyssiuum magni Franciæ magistri fratrem, qui in reipublicæ administratione primum apud regem locum obtinebat, cardinalem nominauit. Ab hoc colloquio rex animo admodum lætus & pontificis in se beneuolentiæ spe plenus discessit: qui etsi eodem modo se affectum esse mirificè ostenderet, secus tamen sentiebat: quia vt antea illum Insubriæ imperio potiri ei molestum erat, Placentia & Parma cessisse molestius; nec minus molestum Mutinam & Regium Ferrariensium duci restituere, quamuis id non multo pòst vanum apparuerit: nam quum pontifex Florentiæ vbi Bononia profectus circiter mensem vnum est moratus, pecuniæ quamprimum ciuitatibus illis potiretur persoluendæ promissionem à duce accepisset, & tabularum quæ inter eos conficiendæ erant capita de communi consensu concepta essent, pontifex nihil negans, sed varijs excusationibus ac dil atio-

nibus interpositis semperque promittens, ea perficere recusauit: Rex Mediolanum reuersus, septingentis cataphractis, sex Germanorum peditum, & quatuor Gallorum millibus, ex ijs qui ab illis Venturerij quasi Venturientes & fortuiti dicuntur, à veteribus Voluntarij appellati, ad eius imperij præsidium retentis, illicò exercitum dimisit: ipse verò pontificio fœderi innixus, & quia ijsdem diebus cum Heluetijs conuenerat, se res suas in Italia constabiliuisse ratus, & Carolo Borbonio cum imperio relecto anni M. D. XVI. initio maximis itineribus in Galliam contendit: Heluetij enim quamuis Angliæ rex eos
1516. ad bellum denuò Galliæ regi inferendum incitaret, fœdus cum illo renouauerant, seq; semper & in Italiam & extra, ad defensionem & offensionem contra quemuis nomine & signis publicis, eum peditum numerum quem petijsset, ad eius stipendia missuros pontifice, Imperio, & Cæsare quòd ad offensionem attinet, exceptis, receperūt: & vicissim rex eis veteres pensiones confirmauit, sexcenta aureorum numûm millia Diuione promissa se certis temporibus soluturum; & trecenta millia si ei oppida & valles ad Mediolanense imperium spectantes restituerent, promisit: quod quum quinque pagi qui eas tenebant recusarent, nec concordiam ratam habere vellent, rex reliquis octo pagis pecuniam pro rata portione sua repręsentare cœpit; qui ea conditione expressa, ne contra quinque pagorum cohortes eius stipendijs militare cogerentur, eam acceperunt. Eiusdem anni initio Petruccius episcopus pontifici veteri familiaritate iunctus, eius & Florentinorum ope, Borghesio Pandolfi Petrucij filio patruele suo, qui rempublicam administrabat, Senis pulso, sibi eandem autoritatem vendicauit: quod pontifex ideo fecit, vt ei ciuitati inter pontificium & Florentinorum imperium sitæ, homo ipsi fidus præesset: & fortasse multo magis quòd temporum opportunitate se eam cum ipsius episcopi consensu, vel fratris vel nepotis imperio subiecturum speraret. Res in Italia inter Cæsarem & Venetos Brixiæ & Veronæ Galliæ regis ope recuperandarum cupidos, accensæ remanserunt: reliqua satis pacata videbantur: sed mox motuum qui Aragoniæ regis opera excitabantur, initia apparere cœperunt; is enim, ob Galliæ regis potentiam regno neapolitano metuens, cum Cæsare & Angliæ rege bellum denuò excitandi consilia agitabat: quod non modò Cæsari semper rerum nouarum studioso, quique per se vix ciuitates Venetis ademptas tueri poterat, persuadere haud difficile fuerat; verùm etiam Angliæ rex præsenti in Galliæ regem æmulatione & odio, fidei à socero violatæ memoriam superante assentiebatur: incitabat præterea Anglum vt Scotiæ regis pupilli curæ præessent homines vel ab ipso dati, vel ex ipsius autoritate pendentes, efficiendi desiderium; quæ maiori consilio & viribus tentata fuissent, nisi dum agitarentur Aragoniæ regis mors incidisset: qui diuturno morbo grauatus mense Ianuario dum Sibiliam peteret, Madrigalegij obscurissimo vico, obijt: rex certè præstantissimo consilio & virtute, in quo, si modò in promissis seruandis constantiam retinuisset, vix aliquid reprehensione dignum inuenias: quoniam eius in sumptibus tenacitas quæ ei tribuebatur, mors facilè falsam declarauit: nam, quum quadraginta duos annos regnasset, nullam tamen collectam pecuniam reliquit, sed ob deprauatum hominum iudicium plerumque accidit, vt in regibus magis profusio, quam uis ei rapacitas sit annexa, quàm parsimonia cum alieni abstinentia coniuncta, laudetur. Huius regis singulari virtuti accessit eximia perpetuaque totius vitæ (si vnici filij mortem excipias) felicitas, quoniam fœminarum & generi casus, vt ad mortem vsque potentiam suam retinuerit, in caussa fuerunt; & Castellæ regno post coniungis obitum cedendi necessitas, potius fortunæ iocus quàm vulnus fuit: in reliquis rebus omnibus fortunatissimus. Cum secundus Aragoniæ regis filius, maiore fratre defuncto illud regnum est adeptus, matrimonio cum Isabella contracto ad Castellæ regnum peruenit; aduersarios eiusdem regni competitores cum victoria expulit: deinde Granatæ regnum quo religionis nostræ hostes paulò minus octingentis annis potiti erant, recuperauit: neapolitanum, Nauarræ, Oraniq; regna cum multis locis in Africæ litoribus opportunis, imperio suo adiecit: Victor ferè hostiū suorum, ac domitor fuit: suas cupiditates cunctas propè honesti religionis studij, & sanctæ ad commune bonum promouendū mentis colore velauit: qua in re fortuna cum industria manifestè coniuncta apparuit: mensem

menſem ferè ante eius mortem, ſupremum diem clauſit Magnus Conſaluus extra aulam, nec ſatis æquo in eum animo: ſed tamen rex ob eius virtutis memoriam ei à ſe & vniuerſo regno, honores in Hiſpania, niſi defunctis regibus fieri conſuetos exhiberi voluit; idque maxima omnium populorum approbatione, quibus Magni Conſalui nomen ob eximiam eius liberalitatem erat gratiſſimum, & ob prudentiæ opinionem, tum quòd in militari ſcientia omnium ſui temporis imperatorum virtutem ſuperaret exiſtimarent, in ſumma erat veneratione. Hiſpani regis obitus Galliæ regis animum ad regni neapolitani expeditionem accendit: ad quam Borbonij ducem cum octingentis gallicis lanceis, & decem peditum millibus, ſe regno regis morte perturbato, nec ſatis ad defenſionem comparato, quum Archidux in tempore ei ſuccurrere non poſſet, facilè victoria potiturum perſuaſus, mittere volebat: nec dubitabat quin pontifex ob ſpem ſibi in colloquio Bononienſi factam, & beneuolentiam illo colloquio contractam; nec minus propria cauſſa, quaſi ei nimia Archiducis tot regnorum hæredis, & Cæſari ſucceſſuri potentia moleſta eſſet, ſecum facturum ſperabat: præterea Archiducem quum ſibi eius inimicitiam in Hiſpaniæ regnis confirmandis, & præſertim in Aragoniæ regno, ad quod ſi cum æquitate coniuncta potentia fuiſſet, nonnulli ex eadem familia aſpiraſſent, plurimum obeſſe poſſe animaduerteret, moderatè ſecum acturum: nam etſi defuncto rege eiusq; vxore Iſabella viuis, in totius regni concilijs veteres eius regni conſtitutiones fœminas ab regni ſucceſſione excludentes, maribus ex eis natis quum inter mares demortui, regis fratres, patrui, vel nepotes, vel qui eo qui ex eiusdem ſtirpis fœmina natus propior, vel ſaltem pari gradu eſſet, non reperiebantur, minimè obeſſe; ideoque ſucceſſionem poſt Ferdinandi obitum ad Carolum Archiducem ſpectare, exemplo quod Martino Aragoniæ rege abſque maribus liberis mortuo, iudicum ad id totius regni conſenſu delectorum ſententia, Ferdinandus huius Ferdinandi auus, quamuis ex fœminina ſtirpe eſſet, Vrgellij comiti, alijsque Martino per maſculum genus, ſed remotiori quàm Ferdinandus gradu coniunctis antepoſitus fuerat adducto, declaratum fuiſſet; tamen ſemper tacita apud populos querela fuerat, Ferdinandi & Iſabellæ potentiam in hac interpretatione ac declaratione æquo iure plus valuiſſe; quia multis minimè æqua interpretatio videbatur: vt fœminis excluſis, liberi earum admittantur: & in ſententia ſecundum Ferdinandum ſeniorem lata æquitatem armorum ipſius metu fuiſſe ſuperatam: quæ quum Galliæ regi nota eſſent, & quum etiam Aragoniæ prouinciæ, Valentiæ, & Cataloniæ comitatus populos, qui omnes ſub Aragoniæ regno comprehenduntur, proprium regem exoptare ſciret, Archiducem ne tantam hæreditatem totáque regna in diſcrimen adduceret, tandem ab regno neapolitano ipſi aliqua honeſta pactione concedendo, non alienum fore ſperabat: quo tempore, vt ſeſe præter alias vires benefaciendo quoq; communiret, Proſperum Columnam qui liberandi ſui gratia trecentas & quinquaginta auri libras pollicebatur, media tantúm parte ſoluta liberum dimitti voluit: quo factum eſt, vt multi crediderint Proſperum ei clam ſe arma contra eum non ſumpturum, vel fortaſſe ei in bello neapolitano adfuturum, ſed cum aliqua exceptione honoris ſui promiſiſſe. Rex itaque hęc animo agitans, & iam bello moram nullam interponere ſtatuens, nouis caſibus animum ad propriam defenſionem cõuertere coactus fuit; quoniam Cæſar mille & ducentis auri libris ſecundum ea quæ prius cum Aragonię rege agitari cœpta erant acceptis, ad Mediolanenſe imperium quemadmodum cum illo rege conſtitutum fuerat, vbi Veronæ & Brixiæ rebus ſuccurriſſet, inuadendum ſe comparabat: quoniam Veneti cum exercitu, cui Iacobo Triultio Mediolanum reuerſo, Theodorus Triultius præerat, ad ſextum à Brixia lapidem metati, ſuis Epyrotis regionem omnem percurrebant; quum verò qui Brixiæ erant milites eruptionem die quodam feciſſent, & vtraque pars ſuis auxilio accurreret, multis ex illis cæſis, & ciuitatis præfecti fratre capto, eos in vrbem compulerunt. Paucis diebus poſt Lautrechius gallici exercitus imperator, & Theodorus Triultius tria millia Germanorum peditum, qui pecuniam in ſtipendia militum comitabantur, Brixiam aduentare certiores facti, vt eos itinere prohiberent, Ianum Fregoſium, & Ioannem Conradum Vrſinum cum militibus ex vtroque exercitu, ad Anfo arcem miſe-

runt,qui circiter octingentos ex illis interfecerunt;reliqui vnà cum pecunia Lodronem confugerunt: miserunt deinde Veneti duo milla & quingentos pedites in Sabiæ vallem vt Anfo castellum munirent,qui Lodronem & Astorium incenderunt. Ne Brixia ita pressa& in tantis molestijs constituta dederetur periculum,Cæsaris aduentum accelerauit; qui equitum quinq;,quindecim è quinq; pagis Heluetiorum,& decem partim Hispanorum,partim Germanorum peditum millia secum ducens, Tridentino itinere Veronam venit:quare Gallicus & Venetus exercitus Vicetia atq; Patauio præsidio confirmatis, se Cæsarem Mintij fluminis transitu prohibituros asserentes, Pischeriam se contulerunt: sed vt sæpe accidit,exitus consilio non respondit: nam vt hostes appropinquare audierunt,ea audacia in acie ad perficiendum, quam sub tentorijs ad deliberandum habuerant,non retenta, hostis existimationem audaciamq; augentes, suamq; minuentes,trans Olium profecti Cremonam petierunt.Cęsar siue malo cõsilio,siue fortuna sua tractus,ad Asulæ quam centum grauis armaturæ equites & quadringenti Venetorum pedites custodiebant,oppugnationem hæsit; vbi multos dies frustra contriuit : quæ mora eum victoria priuasse certissimè creditur. Asula profectus ad Orcinouos Olium fluuium traiecit,&hostes trecentis cataphractis & tribus peditum millibus Cremonę relictis,trans Abduam eo consilio vt eum transitu prohiberent, recesserunt: quamobrem regio omnis inter Olium, Padum & Abduam posita, Cremona & Crema,quarum alteram Galli,alteram Veneti tuebantur exceptis,sub Cæsaris imperium est redacta.Cæsarem Sedunensis cardinalis, & multi Insubriæ exules,& M. Antonius Columna pontificis miles cum ducentis catap hractis sequebantur: quas ob res tanto magis Gallis metus crescebat; quorum potissima spes erat, si decem Heluetiorum millia quibus trium mensium stipendium numeratum erat statim venissent. Trans Olium profectus Cæsar,ad Abduam vt eam Picighitonij traijceret accessit:vbi quum difficilem transitum inuenisset, Riuoltam venit, Gallis ad Cassianum trans fluuium metatis : qui sequenti die quum Heluetij non venissent, & Abdua pluribus in locis vado transmitti posset, Mediolanum recesserunt; idque non sine Lautrechij, qui se Cæsarem cui statim vbi traiecit Lauda dedita fuit, eius fluminis transitu prohibiturum iactauerat, & ad regem scripserat,infamia : deinde quum propius Mediolanum venisset fœcialem misit, qui Mediolanensibus se nisi intra triduum gallicum exercitum pellerent, ei vrbi maiorem quàm Federicus Barbarossa,qui eius incendio & ruina non contentus ,ad iræ suæ & ipsorum rebellionis memoriam salem in ea spargi iussit,feciisset, cladem illaturum minatus , ciuitatem sibi dedi postularet. Sed inter Gallos qui maximo cum terrore Mediolanum se receperant, varia fuerant consilia; nonnullis quòd se hostibus pares non censerent; nec Heluetios , quamuis iam in itinere esse scirentur , quia ciuitates illorum vt ab vtriusque stipendijs discederent , ipsis vel iam mandasse vel mandare velle audiebantur ; & eos qui in itinere erant , ijs qui iam in hostium castris essent,ad parendum promptiores fore , magis suspicandum videbatur , venturos crederent , ad Mediolanum turpiter deserendum propensis : alij verò qui discessum vt infamiæ plenum detestabantur, & meliore Heluetiorum aduentus ac Mediolani tuendi spe freti , vt propugnationi incumberetur hortabantur ; & vt pugnæ cogitatione penitus deposita , omnibusque peditibus cum octingentis cataphractis Mediolani retentis , reliqua grauis leuisque & sua & Venetorum armatura per vicina oppida vt ea custodirent, & hostibus commeatum interciperent distribuerentur : nihilominus prius consilium sequuti essent , nisi Andreas Grittus , & Andreas Triuisanus Venetorum legati dissuasissent : quorum autoritas quum aliud efficere non posset, id effecit , vt de discessu aliquanto lentius deliberaretur ; adeo vt quum iam discedere vellent , nuntij Albertum Petram sequenti die cum decem partim Heluetiorum , partim Rhetorum millibus Mediolani adfuturum venerint:quamobrem resumptis animis, sed non tamen se suburbia tueri posse sperantes,suburbijs ex Venetorum legatorum consilio , qui siue quòd id ad vrbis defensionem necessarium ducerent , siue quòd ea occasione antiquum inter Mediolanenses & Venetos odium explere vellent , sic suaserunt incensis , in ciuitate constiterunt: multos quoque ex Gibellinæ factionis principibus,tanquam ad imperij nomen ob factionis studium propensos, & quia multi ex eadem

eadem factione in castris erant, vrbe expulerunt, vel sub honesta custodia retinuerunt. Cæsar autem Lambrate alterum ab vrbe lapidem metatus est: interea Heluetij Mediolanum peruenerunt; qui se ad eam vrbem tuendam paratos ostendentes, cum alijs Heluetijs pugnare recusabant: eorum aduentus Gallis spiritus restituit sed longè maiorem terrorem Cęsari incussit, qui antiquum eius gentis in Austriam familiã odium secum perpendens, & quid Ludouico Sfortiæ, quòd Heluetij in vtroq; exercitu erant, accidisset memoria repetens, ne sibi idem accideret vereri cœpit: verisimilius ratus eos se, qui ad stipendia persoluẽda difficultate laboraret, quàm Gallos, quibus pecunia neq; ad stipendia persoluenda, neq; ad eos corrũpendos esset defutura, decepturos: augebat quoq; suspitionem, quòd Iacobus Staflerus Heluetiorũ militum in suis castris prẹfectus, arroganter admodũ stipendia ab ipso petierat; quæ præter alia impedimẽta, ideo quoq; protrahebãtur, quia pecunia quę ex Germania afferebatur, ab Hispanis peditibus qui Brixiæ erant, pro iam emeritis stipendijs retenta fuerat: quãobrem huius periculi timore mirũ in modum cõmotus, vasis statim cõclamatis Abduam versus se recepit: neq; vlli dubiũ erat quin, si triduo antè (quod tẽpus circa Asulam consumpsit) Mediolano castra admouisset, Galli de Heluetiorũ aduentu multo magis incerti & dubij trans alpes rediturí fuerint, imò nisi tam citò discessisset, vel Gallos, quòd hi Heluetij eorum qui cũ Cęsare erant rationẽ se habere ostendebant, nõ satis fidentes, prius consiliũ sequuturos: vel ipsosmet Heluetios magistratuũ suorũ mandato, quod iam mittebatur prætextu, Gallos deserturos fuisse pro certo habetur. Cæsar sine Heluetijs, qui se nisi intra quatuor dies stipendia repræsentarẽtur, discessuros minitantes, Laudæ constiterant; Abduam traiecit; & in Bergomẽsi agro moratus semper, quòd se pecunias ab Angliẹ rege expectare diceret, satisfaciendi spẽ faciebat, & se Mediolanum rediturũ minabatur: quę res Gallis de Heluetiorũ fide tunc maximè dubitantibus metum augebat: nam præterquam quòd data opera tardè venerunt, seq; cum hostilis exercitus Heluetijs pugnare nolle semper dixerant, pagorũ mandata vt à Gallorũ stipendijs discederent erant allata; cuius rei causa iam citciter duo millia ex eis discesserant: & ne reliqui quoq; idem facerẽt timebatur; tametsi ciuitates se suis contrariũ occultè mandasse regi affirmarent. Tandem Cæsar qui 16 aureorum numũm millibus à Bergomensibus acceptis, cõiurationis cuiusdã spe Cremam versus contenderat, re infecta in Bergomensem agrum reuersus, Tridentũ se recipere statuit: quamobrẽ consilio suo militũ præfectis indicato, seq; ad id pecuniæ cõparandę gratia moueri asserens, cum qua, atq; cum ea quę ab Angliæ rege mittebatur, & iã in itinere erat, statim esset reuersurus, vt ipsius reditũ expectarent eos est hortatus: qui Lauda direpta, arceq; sine tormentis expugnata, ac Sãctangeli castello spoliato, cõmeatus penuria pressi in Giaradaddã se cõtulerãt. Post Gęsaris discessum aliqua spes fuit Heluetios cum quibus ad Romanũ se totus exercitus coniunxit, quia Brandeburgensis marchio in castra, & Sedunensis cardinalis cum trecentis auri libris quas Angliæ rex mittebat Bergomum venerat, Abduam denuo trãsgressuros: cuius metus causa Borbonius à quo ferè omnes Heluetij discesserant, cum Venetis militibus exercitum ad alterã flumenis ripam duxerat: sed hostium cõsilia facilè euanuerunt; quoniã Heluetij quum allata pecunia ad præterita stipendia persoluenda minimè par esset, per Turrhenã vallẽ in patriam reuersi sunt: eandemq; ob causam tria partim Hispanorũ partim Germanorũ peditum millia, in Gallorũ ac Venetorũ castra transierunt: qui Abdua fluuio traiecto per multos dies hostibus leuioribus prœlijs atq; excursionibus vario euentu negotiũ facessere non destiterunt: in quibus modò hi, modò illi grauius detrimentũ accipiebant: nam Galli in graui quadam prope Bergomum velitatione circiter ducentos cataphractos amiserunt: ex hostibus verò in simili incursione Cæsar Feramusca captus fuit; reliquæ copiæ aureo nummo in singulos tributo ad vrbem accesserũt; sed M. Antonius Columna quũ magnum ab expeditis exquitibus incommodum acciperet, cum Germanis & nonnullis Hispanis peditibus Veronam se cõtulit; reliqui omnes dissoluti sunt. Hunc finem habuit Cæsaris motus; in quo pontifex regi valde suspectus fuit: nam quũ ex fœdere quingẽtos grauis armaturæ equites ad Mediolani defensionem, vel saltem ad eius fines mitteret, & quemadmum eam Antoniomariæ Palauicino obtulisse aiebant, in tria Heluetiorum millia stipendia daret, ob eo petijsset, pontifex quo ad Heluetiorum stipendia fri-

gidè reſpondens: & de copijs quoniam ſuæ non ſatis inſtructæ eſſent, ſe Florentinorum copias miſſurum promittebat; quæ cum nonnullis ex ipſius militibus lentè admodum Bononiam & Regium verſus ire cœperunt. Illum autē Cęſaris aduentus impulſorē fuiſſe Bernardi Bibiennæ cardinalis, qui ſemper apud pontificem Gallorum res impugnare ſolebat, vbi eum Italiæ fines attigiſſe cognouit, ad eū legatio; & multò magis M. Antonio Columnæ Cęſaris exercitū cum ſuis copijs ſequendi poteſtas data ſuſpitionē auxit: ſed re vera Cæſaris cum tantis viribus aduentus pontifici propria de cauſſa moleſtus fuit: verebatur enim ne ſi victor exiſteret, veterē propenſionem ſuam ſequutus Italiā vniuerſam opprimere conaretur: ſed metu ductus, & quia ea ratio naturæ ipſius cōueniebat, conſilia ſua occultans, ſe quanto minus poterat vtriq; parti odioſum reddere nitebatur: eam ob cauſſam M. Antonium reuocare, regiúe debita auxilia mittere nō eſt auſus, & legatum miſit quum Cæſar iam Mediolano receſſiſſet, vt legatus morbo ſimulato Ruberiæ, vt antequā vlterius progrederetur, quam in partē res inclinarent ſpecularetur hęreret effecit: deinde vt regis animū mitigaret, voluit aut Laurētius nepos in clientelæ ſimulatione quā Mediolani cæperat permanēs, ei à Florentinis pecuniā, qua vnius mēſis ſtipendiū tribus Heluetiorū millibus daretur, donari curaret: quam pecuniā etſi rex acceperit, tamen vt pontificis artes ſibi notas eſſe oſtēderet, ſe poſtquā pōtifex ipſi ſemper in bello eſſet aduerſus, nec fœdus cū illo ictum ſibi periculorum tēporibus profuiſſet, aliud fœdus quo in pace ſolū & tutis tēporibus teneretur, cū eo inire velle dicebat. Cęſaris exercitu diſſoluto, Veneti Gallis minimè expectatis Brixiā exiguo propugnatorū numero freti (neq; enim plures quā 600 Hiſpani pedites & 400 equites in ea ciuitate relicti erant) noctu admotis ſcalis eam capere tentarunt: ſed quū ſcalæ nō ſatis longæ eſſent, & qui in ciuitate erāt fortiter reſiſterent, nihil effecerunt. venit deinde Gallicus exercitus Odetto Foiſſeio recēter Borbonio qui ſponte Mediolanēſis imperij adminiſtratione ſe abdicauerat, ſuffecto duce. Hæ igitur Brixiā quatuor ex partibus, ne obſeſſi in tot varias partes diſtracti ſuſtinere poſſent, tormētis oppugnarunt: illi verò dum ſeptē millia peditū qui ex Tirolēſi comitatu Cęſaris iuſſu ad Montē vſq; venerāt vlteriūs progreſſuros ſperant, oppugnationē ſuſtinuerunt: ſed vbi id Venetis ad Anſo arcē & alijs in locis ſeſe opponentibus, nō ſucceſſit, ipſi qui hoſtiū impreſſionē quæ magna mœniū parte iam diruta ſequenti die erat futura, expectare nollent, pacti ſunt, vt milites niſi intra diē vnum auxiliū acciperent, cum rebus ſuis vrbe & arce excederent. Hoc ipſo tēpore pontifex qui ſe ad Franciſcūmariam Ruuereū Vrbinati imperio armis ſpoliandū cōparabat cenſuris in eum agere cœpit edictū monendi cauſſa promulgauit; in quo hę perſecutionis cauſſæ exponebantur: Vrbinatē militibus pro quibus ſtipendiū acceperat quū eccleſiæ ſtipendia mereret pontifici denegatis cum hoſtibus cōueniſſe: antiquū cardinalis Papienſis interfecti crimen quo nō iure, ſed gratia exēptus fuerat, alięq; cędes ab illo cōmiſſæ, eum in maximo belli feruore inter Iuliū pontificem cuius & nepos & beneficiarius & exercitus præfectus erat, & ad Galliæ regem Baldaſſarem Caſtilionem vt ad eius ſtipendia tranſiret miſiſſe: eodem tēpore nōnullos milites qui ſe eccleſiæ exercitui coniungere volebant, itinere prohibuiſſe: & in ea ditione quam ſacroſanctæ ſedis beneficio poſſidebat eiuſdē ſedis milites ex Rauēnenſi prœlio fugientes perſequutū eſſe. Pōtifex iam ante multos menſes, præter recētes iniurias, etiam quia ſibi & fratri vt Florentiā reducerentur opem ferre recuſauerat indignatione motus, eum bello perſequi in animo habuerat: ſed eum nōnihil pudor ab eius pontificis, cuius opera eccleſia tantā potentiam erat adepta, nepote perſequēdo retrahebat; & multo magis Iuiliani fratris, qui quū exilij ipſorum tēpore multos annos in Vrbinatiū ducum aula primū apud Guidum, deinde eo defuncto apud hunc ipſum egiſſet, eum ab ipſismet eo imperio in quo ipſe & ſuſtentatus & honore affectus fuerat ſpoliari ferre non poterat preces: ſed Iuliano Medice poſt diuturnum morbū Florētię defuncto, quū Cæſaris motus vanus extitiſſet, pontifex ab Laurentio nepote et Alfonſina eius matre, eius imperij ſibi vendicandi cupidis, incitatus, nullam amplius moram interponere ſtatuit, atque ad ingrati notam quæ ei à multis obijcebatur diluendam, non modò iniurias ab illo acceptas; & pœnas quibus ex iuris præſcripto beneficiarius in dominum ſuum contumax, miles ſacramento obſtrictus & pecunia accepta milites ei qui ſoluerat denegaret, ſubijci-

tur

tur, adducebat: sed multò magis quòd periculosum esse eum in sui imperij viscer-
bus ferre: qui quum iam ipsum nulla fidei & honoris habita ratione lædere incœpisset,
quanto maior occasio daretur, tanto promptior ad idem in posterum patrãdum procul-
dubio esset futurus. Huius belli progressus fuit, quòd quamprimùm Laurentius cũ exer
citu ex pontificij & Florentinorum imperij subiectis collecto, eius imperij fines attigit,
Vrbinates & reliquę ciuitates, duce, qui se Pisaurũ contulerat, vt postquam eos tueri nõ
posset, saluti suæ cõsulerent consentiente, sponte sese pontifici dediderunt. Pisaurenses
quoq; vbi hostilis exercitus appropinquauit, idẽ fecerunt: nam etsi in ciuitate essent tria
peditũ millia, vrbs ipsa munita, & mare apertũ, Franciscus maria Tranquillo Mondolfẽ-
si sibi fidelissimo in arce relicto, siue quòd militib. quorũ maxima pars stipendiũ non hã
bebat, minimè fideret, siue vt pleriq; dicebãt, metũ amoris colore tegens, quòd vxoris
absentiã ferre nõ posset, Mantuam quo prius vxorẽ & filium miserat, petijt: sic Vrbini du
catus vnà cum Pisauro & Senogallia 4 tantũ dierum spatio, Senogalliæ, Pisauri S. Lei &
Maioli arcibus exceptis, in pontificis potestatẽ venit: sed Senogalliẽsis arx statim dedi-
tionẽ fecit; & Pisaurensis biduũ tormentis verberata, nisi intra 20 dies, quo tempore nul
lum munitionis genus circa eã fieret, auxiliũ accepisset, deditionẽ pacta est: quæ pactio
malè seruata, in caussa fuit, vt Tranquillus etsi intra præscriptũ tempus auxilia nõ acce-
pisset, eã tradere noluerit; & tormentis denuò iaculari incipiens, in obsidentes eruptio-
nem fecerit: quamobrẽ durior eius fuit cõditio: nam Laurentio vbi ciuitate potitus est,
Florentiã reuerso, duces in exercitu relicti fossas circa arcẽ duxerant, & nauigia quædã,
ne auxiliũ accipere posset, in mari posuerant. Itaq; 20 diebus elapsis statim eã verberare
cœperunt: sed milites qui intus erant eodẽ die tumultu in Tranquillũ excitato, eũ vt se
ipsi seruarẽt ducib. tradiderunt; à quibus in pacti violati pœnã damnatus suspendio vi-
tam finiuit. Post paucos dies & Maioli arx deditionẽ fecit: locus ad Sanleũ obsidendũ
necessarius, vt mille tantũ passus dissitus, atq; è regione positus. Ad S. Leum obsidẽdum
posita sunt duo millia hominũ, quoniã ob munitissimũ situm, nulla eius nisi extrema fa-
mis necessitate capiendi spes erat; & nihilominus post tres menses furtim arx cuiusdã fa
bri lignarij artificio capta fuit: is quũ nocte quadã longissimis scalis difficillimã eius mõ
tis rupẽ ascendisset, & scalis inde amotis, totã noctẽ eo in loco moratus, vbi primũ dies
apparuit, quibusdã ferreis instrumentis ascendere cœpit, ita vt ad montis summum vsq;
peruenerit, vnde postea descendẽs, & ferreis instrumentis ascensus difficultate lenita, se
quenti nocte ijsdẽ scalis, vt ipse monuerat, appositis, in castra redijt: vbi ascendẽdi facul-
tate demonstrata, constituta nocte per eosdem gradus centum & 50 delectis militibus
eum sequentib. ascẽdit: cum quib. in rupe hęrens, vbi diluxit (neq; enim noctu altius vl-
la ratione progredi poterãt) per angustissima illa loca singuli ascendere cœperũt: & iam
circiter 30 vno cum tympano & sex signis ad mõtis fastigium peruenerant; humiq; pro-
strati socios ascendentes operiebantur: sed quum iam multũ diei esset, vnus ex vigilibus
qui è statione sua discedebat, eos sic prostratos vidit; cũq; is rumorẽ cõcitasset, illi se de-
tectos animaduententes socijs minimè expectatis, exercitui quemadmodũ cõuenerãt,
signũ dederũt: qui statim vt constitutũ fuerat, montẽ multis ex partib. plurimis scalis, vt
arcis custodes distraherent, inuaserũt: illi aũt singuli ad loca sua currentes, quod 6 signa
iam intus quæ montis planicie percurrebant & nonnullos ex ipsis interfecerãt cõspice
rent, territi; in arcẽ quæ in mõte ipso cõstructa erat, sese incluserunt: quũq; post primos
plures montẽ coscendissent, portã qua ascensus ad montẽ patebat aperuerũt: per quam
alijs qui nondũ ascenderant ingressis, sicq; mõte occupato, qui in arce erant, quãuis illa
omnib. rebus optimè esset instructa, secundo die eã dediderũt. Ea igitur prouincia, quæ
vnà cum Pisauro & Senogallia mẽbris ab Vrbinati ducatu seiunctis, nõ supra 25 aureo-
rũ numũm millia pendebat, armis occupata, Leo cœptã actionẽ persequutus, sententia
lata Franciscum mariam eo imperio spoliauit: & post in Senatu id Laurentio nepoti suo
diplomate ea de re cõfecto adiudicauit; & quo id vim haberet maiorẽ, ab omnibus car-
dinalibus propria manu subscribi voluit; quos tamen Dominicus Grimanus Vrbini e-
piscopus, & duci illi valde amicus sequi noluit: quãobrẽ pontificis irã metuens post pau
cos dies Roma discessit, neq; est illo viuo reuersus. Galliæ regi Vrbinatium ducẽ ob ea
quæ cum ipso tractauerat oppressum spoliatumq; fuisse molestum erat; & multæ aliæ

pontificis actiones moleſtiores: nam quum Proſper Columna ex Gallia rediẽs Boſſetij quod oppidum Palauicinorum eſt hæſiſſet; deinde ob Gallorũ metum Mutinam quo & Hieronymus Moronus ſibi & ipſe à Gallis qui cõtra promiſſa ipſum in Galliam ire iuſſerãt, nonnihil metuens confugerat, veniſſet, aſſiduè dum Proſper Mutinę & poſtea Bononiæ fuit de aliquo magni momenti loco in Mediolanenſi imperio nonnullorum exulum opera furtim occupando conſilia agitabant; quibus & Mutius Columna, cui pontifex harum rerum conſcius cum ſuis militibus in Mutinenſi agro agendi poteſtatẽ fecerat, intererat: hortatus præterea erat pontifex Catholicũ regem (ſic poſt aui materni obitũm Archidux appellabatur) vt nullũ nouũ cum Galliæ rege fœdus iniret; & apud Heluetios Ennius Verulanus epiſcopus põtificius internuntius, qui pòſt penè decrepitus in pontificũ collegium cooptatus fuit, præter multa alia regi moleſta officia, quinq; pagos ad Cæſaris amicitiam ſequendam hortabatur: quocirca quum eodẽ tempore inter Cæſarem qui inter Tridentum & Oenipontem hęrens, Gallos magis oſtentatione quadam quàm factis terrebat, Angliæ regẽ & Heluetios, de Mediolanenſi imperio denuò inuadendo ageretur; Gallię rex hæc cum pontificis cuius ab ipſo alienus animus alijs quoq; in rebus perſpiciebatur, conſenſu agitari metuebat: varijs enim exceptionibus, in ſacrorum Galliæ regni beneficiorũ decumas quas Bononiæ promiſerat, ipſi cõcedendis difficultates interponebat: & nihilominus (tanta eſt pontificatus maieſtas) rex eum multis officijs placare nitebatur: quapropter quum poſt Cæſaris diſceſſum Mirandulæ, Carpij, & Corregij velut Cæſaris oppidis vt ab eis pecuniam eliceret, moleſtus eſſe vellet, ob pontificis qui illorũ oppidorum dominos in fide acceperat querelas abſtinuit: & Mauritanis inferum mare multis nauibus infeſtantibus, ei ſe ad eam oram tuendam multas naues quas Petrus Nauarrus Maſſiliæ ex ipſius cõſenſu, vt cum 6 millibus peditum ſola prædandi ſpe Africæ litora quæ Barbaria dicitur infeſtaret, adornabat miſſurũ obtulit; ſed tamen pontifex in ſententia ſua permanens, quamuis hæc ex parte negaret, ex parte excuſaret, nunquam ei vt ſaltem Verulanum epiſcopum ex Heluetia reuocaret, quod ipſe vehementiſſimè petierat, eſt aſſenſus: nec vnquam Mutium Columnam ex Mutinenſi agro, in quo ſe propria auroritate agere fingebat, remouit, niſi quum Proſpero Bononia profecto, & rebus omnibus quæ agitabantur euaneſcentibus, eius mora nullius iam momenti eſſet: cui diſceſſus infeliciſſimus extitit: nam haud multò poſt cũ Columniorum viribus & nonnullis Hiſpanis peditibus noctu per inſidias Firmum ingreſſus, intra paucos dies, vulnere eadem nocte dum ciuitati diripiendæ operam daret accepto, interijt. In hoc rerũ ſtatu veneto Senatu de Verona recuperanda ſatagente, Lautrechius qui ſex Germanorum peditum millia pro quibus Veneti ad hanc expeditionẽ ſeſtipendia daturos promiſerant, in exercitu habebat, ad Atheſim vt eum Vſolingi traijceret, & vnà cum Veneto exercitu Veronam obſideret venit: ſed pòſt Heluetiorum aduentus fama creſcente, & ob Proſperi Columnæ Mutinæ moræ ſuſpitionem, quia in eadem ciuitate cardinalis Bibienna hæſerat auctam, non abſque Venetorum querela copijs cis & trans Mintium diſtributis Piſcheriam ſe recepit: quo in loco etſi iam dictæ ſuſpiciones ſublatæ eſſent, & Verona ſupra duo partim Hiſpanorum partim Germanorũ peditum millia ad Venetorũ ſtipendia tranſiuiſſent, quotidieq; alij tranſirent, vltra menſem pecunias, vt aiebat, ex Gallia, & vt Veneti maiorem rei numarię, tormentorũ & reliquorum apparatuũ copiam ſuppeditarent, expectans hæſit: veriſſima aũt huius rei cauſſa erat, quod quid in rebus quæ inter ſuum & Catholicum regem agitabantur futurum eſſet pręſtolabatur: quoniã Galliæ rex quàm ſua amicitia regi illi, ad ſuę in Hiſpaniã profectionis impedimenta remouenda, & regna conſtabilienda, neceſſaria eſſet animaduertens, ijs quæ antea Lutetiæ tranſacta fuerant minimè contentus, duriores ei leges imponere, & eius opera pacem cum Cæſare, quod niſi Verona Venetis reſtitueretur fieri non poterat, inire nitebatur: Hiſpanię verò rex Ceurenſis conſilio cuius autoritatẽ quum 15. eſſet annorum prorſus ſequebatur, conſilia ſua temporibus ac neceſſitati accõmodare non recuſabat: ideò Nouiodunũ pro Gallię rege Lutetianus epiſcopus, ſummus regię domus præfectus, & Lutetiani ſenatus princeps; & pro Catholico rege, idem Ceurenſis, & magnus Cęſaris Cancellarius: harum rerum exitum dum Lautrechius expectat, arma in miſeros colonos vt noſtri æui militiæ mos eſt, cõtinenter exercebantur:

nam

nam & Latrechius ad Monzarbanium vicum ponte posito, Veronensis agri segetes demetebat; ac expeditos equites vndiq; excurrere iubebat: quin etiã copiarũ parte in Mantuanum agrum missa, eam regionẽ maximis cladibus afficiebat; qua molestia, vt se liberaret Mantuanus marchio, ei duodecim aureorum numûm millia dedit: & milites qui Veronæ erant, quotidie, in Vicetinum & Patauianum agrum excurrentes, miseram Vicetiam diripuerunt. Tamẽ postea Lautrechius grauissimis Venetorũ querelis incitatus Athesim ponte Vsolingi facta transiuit; & ingenti in agris quia nunquã exercitum ad eam partem venturum crediderant præda facto; Clusio interea regionis incolarum ope, vt auxilijs quæ ex Germania venirent difficiliorem transitum redderet occupato, Veronæ exercitum admouit: sed eodẽ die, Germani pedites, siue sponte, siue clàm à Cæsare incitati, etsi iam tertium mensem Venetorũ pecunijs alerentur, se vbi non de ipsius Galliæ regis commodo præcipuè ageretur, ciuitatem qua Cæsar potiretur oppugnare nolle sunt attestati: quare Lautrechius trans Athesim denuò reuersus, mille passus ab Veronæ mœnibus recessit; & Venetus exercitus, in quo erant quingenti grauis, totidem leuis armaturæ equites, & quatuor peditum millia, se minimè in ea fluminis parte tuto agere rati, sese illi coniunxerunt. Quo tempore duorum regum legati, decimaquinta Augusti die Nouioduni his legibus fœdus percusserunt. Inter Galliæ atque Hispaniæ regem perpetua pax, & fœdus ad ipsorum regna & prouincias contra quemuis tuendas esto: Galliæ rex filiam annum vnum natam Catholico regi in matrimonium dato; eique iura quæ in regnum neapolitanum secundum diuisionem ab ipsorum maioribus olim factam haberet, dotis nomine cõcedito: donec autem filia ad ætatem connubio aptam peruenerit, Catholicus rex in eius sumptus quotannis Galliæ regi mille auri libras pendito: quod si ea antè ex hac vita migrauerit, & regi alia nata fuerit, ea ijsdem legibus Catholico regi nubito: & si forte nulla superfuerit, Renata, quæ ei Lutetiæ desponsa fuerat, vxor eius esto: quacunque autem illarum in matrimonio absq; liberis defuncta, ea regni neapolitani pars, Galliæ regi restituitor: Catholicus rex, antiquo Nauarræ regi intra certum tempus regnum restituito: quod ni fecerit, Galliæ regi eum ad id recuperandum iuuare fas esto: sed vt post Hispani aiebant, si is prius se ius habere probasset, Cæsar intra duos menses huic fœderi sese adiungendi facultatem habeto; quod etsi fecerit, tamen Gallię regi Venetos ad Veronam recuperandam iuuare licitum esto: quam vrbẽ si Cęsar Catholico regi in manus deposuerit, cum potestate eã Gallię regi, vt quod ei visum fuerit de ea ex arbitrio suo statuat, tradendi, Galliæ rex ei mille auri libras repręsentato: & totidem Veneti partim quo tempore tradetur, partim sex post menses numeranto; & circiter trium millium auri librarũ quas ab Ludouico rege quum fœderè iuncti essent accepit, obligatione Cæsar liber esto: quod si fiat, 10 & 8 mensium induciæ inter Cæsarem & Venetos sunto: Cæsar Tridentinam Ripam, Roueretũ, cum ijs omnib. quæ in Foroiulij possidet obtineto: Veneti verò Cæsaris castella vti tunc possidebãt, sic, donec Galliæ & Hispaniæ regis finium inter ipsos controuersias composuerint, possidento. vtraq; pars pontificem nominauit. Veneti ob pacem Nouioduni factã, qua, num Cæsar pacem esset cõprobaturus incertum erat, & quia ob pecuniæ quæ soluenda erat summam, eam potius armis obtinere cupiebant, Lautrechiũ vt exercitum Veronę admoueret vrgere minimè destiterunt: at Galliæ regi vt pacẽ cum Cæsare sanciret, concordia quàm bellum erat gratior: sed tamen Lautrechius, quia Veneti magnum peditũ numerũ conscripserant, & omnia quæ ille petierat comparauerant, nec Germani iam cum alijs ire recusabant, quum nullam amplius haberet excusationem, voluntati illorum est assensus: quamobrem exercitus separatim Athesim fluuium superarũt: alter ponte supra, alter infra ciuitatem posito. Gallici exercitus qui ad Tombam metatus erat tormentorũ pars, ad sanctæ Luciæ, altera cum Germanis ad sancti Maximi portam collocata fuit: vt deinde omnia eam partem vbi murus inter Citadellam & ciuitatem, cum vrbis muro coniungitur, verberarent: sicq; quum eodem tempore & in Citadellam, & in vrbem pateret ingressus, qui intus erant, propter interiectum murum in duas partes sese diuidere cogerentur: Venetus autem exercitus infra Veronam in campum Martium transiuit: & vt hostibus ipsos lędendi facultatem adimeret, & episcopi portam, imbecilliores minusq; munitas partes verberaret, ad Michaëlis templum inter fluuium & riuum meta-

tus est: duobus primis diebus loca satis munita, ex quibus quæ offendi & quidem à latere poterant, eis sunt adempta; sed difficilius à Venetorum castris, ex tribus propugnaculis lædendi facultas adempta; quo facto cœpit vtraque pars, mœnia decem & octo maioribus, & quindecim mediocribus ab vtraque parte tormentis concutere: tertio autem die vterq; seorsim exercitus septuaginta muri vlnas disiecerat; & vt ampliorem aditum sibi patefacerent, verberare nõ cessabant: & tamen Veneti à quorũ parte minus munita erant mœnia, quãuis ferè omnia propugnacula, munitionesq; disiecissent, nunquã tamẽ quo minus à latere lęderentur, penitùs tollere potuerunt: erant enim tam depressa loca, & ferè in ipsa fossa, vt tormentorum globi vel superuolarent, vel antequam eò peruenirent, in terrã impingerent. Eodem quoq; tempore mœnia malleis scindebãtur, quæ etsi suffulta essent, ante tempus constitutum corruerunt. Veronæ erant octingenti equites, quinq; Germanorum peditum millia, & mille ac quingenti Hispani; quibus omnibus præerat M. Antonius Columna, nõ iam pontificis sed Cęsaris miles; hi sollicitè corrupta reparantes, & vbi opus esset prospicientes, ac fortiter propugnãtes, celsi animi virtutem, cum M. Antonij Columnæ qui vulnere quamuis leui sclopi glãde in humero accepto, nõ tamen vlla diei vel noctis hora omnibus laboribus ac periculis interesse desinebat, summa laude ostendebant. Iam tormenta à Gallis quatuor in locis vbi turres erant, inter Citadellæ & sanctæ Luciæ portã collocata, tantam ruinã fecerant, vt singulis in locis tantũ spacium esset, vt milites acie instructa recipi possent: nec multo minorem progressum Venetorum tormenta fecerant; & tamẽ Lautrechius, Venetis frustra reclamantibus, atq; vt in vrbem irruptio fieret, stimulantibus, libenter quamuis moræ occasionem amplexus, plura tormenta vt plus muri deijceret petebat: acciderat autem vt quum per Veronæ planitiem octingenta tormẽtarij pulueris dolia, cum alijs rebus multis ad ea necessarijs carris in castra veherentur, & qui boues ducebant sibi inuicem præcurrere vellent, ita accelerarint, vt ignis ex rotarum collisione excitatus, pulueremvnà cum carris & bobus conflagraret. Obsessis verò alia difficultas adiungebatur; quoniam in ciuitate iam tot menses hostium propinquitate vexata, commeatus, quem nisi in parua copia ex montibus accipiebant, deficere incipiębat. Veronæ rebus hoc in statu positis, nouem Germanorum peditum millia à Cæsare, vt ei ciuitati opem ferrent missi, venerunt: qui quum Clusium peruenissent, id deditione obtinuerunt, & Coruariam castellum in monte prope Athesim Tridentum versus, quod ijs in bellis inter Cæsarem & Venetos sæpius ab vtraque parte captum fuerat, occuparunt. Horum militum aduentu, Lautrechius vel metuens, vel metum simulans, contra Venetorum voluntatem Villafrancam, & cum eo Venetarum copiarum pars se recepit; reliquæ copiæ Ioannepaulo Manfrono duce ad Bosetum cum ponte parato se contulerunt: quare Veneti Veronæ expugnandæ spe amissa, omnia maiora tormenta Brixiam miserunt. Itaque Germani pedites quum nullum haberent impedimentum, ad Tombam vbi antea erat Gallicus exercitus, consederunt: vnde pars illorum vrbem est ingressa, reliqui foris metati commeatu in vrbe importando operam dabant: quo facto septem aut octo Germanorum peditum millibus, quia maxima Hispanorum pars cum Germanis non bene conueniens, Maldonato duce in Venetorum castra transierat, ad Veronæ custodiam relictis, discesserunt: quod subsidium, quia non plusquam viginti Rhenensium aureorum numũm millia ab Angliæ rege missa secum attulerant, & dum illic fuerunt tantum commeatus, vt ferè eius quod importarunt summam æquaret, consumpserant, omnes exiguum esse censuerunt. Copijs Villafrancam, vbi Veronensem & Mantuanum agrum deuorabant, profectis, Veneti ne Galli quos regis imperium retinere non poterat, in patriam redirent, vt Brixienses eis omnem necessarium commeatum donarent, curare sunt compulsi: qui sumptus quotidie mille aureorum numũm summam superabat: tandem res apertè ad pacem inclinare cœperunt: intellectum est enim Cæsarem, quamuis antea nepotem à fœdere cum Franco ineundo remouere magnopere esset conatus, demum tamen pecuniæ cupidita te, odio quo suapte natura Gallicum nomen persequebatur, & veteribus Italiæ imperij occupandi cogitationibus anteposita, pacem & accepisse, & confirmasse, ac Veronam iuxta eius pactionis formam restituere statuisse: ex quo aliud Galliæ regis commodum est se-

est sequutum; vt videlicet omnes Heluetiorum ciuitates arma inter Cæsarem & illum deponi cernentes, quemadmodum antea Rheti fecerant, cum eo fœdus percusserint: quam rem Galeatius Vicecomes multùm promouit: qui quum exul esset, regemq; sibi iratum haberet, hanc ob causam ab eo in patriam est restitutus, ac temporis progressu multos honores commodaq; est adeptus. fœderis capita fuerunt hæc: vt rex Heluetijs intra tres menses ter mille & quingentas auri libras, in perpetuum verò annuam pensionem. Heluetij certum peditum numerum quotiescunq; petijsset ad eius stipendia publico decreto mittere tenerentur: in hoc autem diuersam rationem sunt sequuti: nam octo ciuitates etiam ad aliena inuadenda se concessuras promiserunt, cæteræ autē quinque ciuitates solùm ad proprium imperium tuendum. Lugani & Locarni arces loca magni ad Mediolanensis imperij securitatem momenti, Galliæ regi restituere in Heluetiorum potestate esset; quòd si eas restituere vellent, rex eis trecenta aureorum numûm millia penderet: quas arces statim post fœdus initum diruerunt. Hæc in Italia anno 1516. 1517.
sunt gesta. Sed primis sequentis anni diebus Tridentinus episcopus Veronā profectus, Lautrechio, cum quo inter Villafrancam & Veronam est loquutus, se Galliæ regi intra sex menses quemadmodum fœderis capitibus cōstitutum fuerat, eam ciuitatem quam se Hispaniæ regis nomine tenere aiebat traditurum est pollicitus: sed quum in eo controuersia esset, num tempus illud ab eo die quo Cæsar fœdus cōprobarat, an ab eo quo Veronā in Hispaniæ regis potestate esse cognitum erat inciperet, ea de re aliquot dies altercatum est: sed quum milites qui Veronæ erant tumultu excitato stipendia peterent, Tridentinus episcopus rem accelerare coactus fuit: idcirco ab eo die quo Cæsar eius rei mandata & potestatem ei dederat initio sumpto, Veronam decimaquinta Ianuarij die illi se traditurum promisit; quo die primis quinquaginta aureorum numûm millibus, itemque quindecim millibus, quæ ex pacto pedestribus copijs quæ Veronæ erant debebant, à Venetis acceptis, quum Lautrechius se tormenta quæ Veronæ erant Tridentum missurum promisisset, Lautrechio Galliæ regis nomine recipiente eam ciuitatem tradidit: quam Lautrechius statim eiusdem regis nomine veneto Senatui, eiusque nomine Andreæ Gritto legato, patritijs ac populo Veneto quòd tam diuturni ac periculosi belli, quamuis post ingentes sumptus ac molestias, tam felicem finem sortiti essent, incredibili lætitia affectis, restituit: nam vt quidam rerum ab illis gestarum scriptores asserunt, toto hoc bello post Cameracense fœdus confecto, quinquaginta millia auri pondo insumpserunt: cuius summæ quinq; millia auri pondo ex publicorū officiorum venditione contraxerunt: sed non minus Veronenses & omnes reliquæ ciuitates ac populi illius reip. subiecti gaudebant; pacis enim beneficio quiescentes, se à tot vexationibus ac molestijs, quot modo ab his, modo ab illis tandiu miserè pertulerant, liberatum iri sperabant.

DVODECIMI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DECIMVSTERTIVS.

Hic liber Franciſcimariæ Vrbinatium ducis, imperij recuperandi gratia bellum continet: Leonis pontificis veneno tollendi detectam conſpirationem: Selymi Turcarum imperatoris victorias: Triultij, & Maximiliani Cæſaris obitum: Caroli Auſtrij, & Franciſci Andiouini, imperij ambiendi artes: Caroli V. creationem: bellorum inter Cæſarem & Galliæ regem cauſſas: Lutheranæ ſectæ originem: Ioannispauli Ballionis obitum: tumultum in Hiſpania peruerſæ Cæſarianorum adminiſtrationis cauſſa exortum.

ITALIA tot malis vexatâ atq; concuſſa, armis inter Cęſarem ac Venetos depoſitis, belliq; cum Cæſare & Catholico rege gerendi occaſionibus ab Galliæ rege remotis, per annos aliquot quietem habitura videbatur: nam & Heluetij, rerum ſtatum turbare cupientibus validum inſtrumentum, in veterem cum Galliæ rege amicitiam redijſſe, nec tamen animo ab reliquis principibus alieno eſſe videbantur: & fœdus Nouiodunicum huiuſmodi ſpem faciebat, vt ad maiorem inter duos reges neceſſitudinem contrahendam, vt Cameraci ad colloquium conuenirent ageretur; quo ad ea quæ ad illorum congreſſum neceſſaria erant conſtituenda, Ceures, magnus Franciæ magiſter, & Ruber tettus præceſſerant; nec minus in Cæſare, qui præterquam quòd Veronam reſtituerat, duos etiam legatos qui pacem initam vel ſacramento addito confirmarent, ad Galliæ regem miſerat, pacis ſtudium apparebat. Non igitur ſine cauſſa concordia & pax inter tam potentes principes, omnium Italiæ diſſidiorum bellorumq; ſemina extinctura cenſebatur: & nihilominus ſiue aduerſo quodam noſtro fato, ſiue quòd quum Italia tot principes habeat, atq; in tot potentatus ſit diuiſa, ob eorum qui ei dominarentur varia ſtudia, cupiditatesq; vix aliter fieri poſſet, quin continuis moleſtijs eſſet obnoxia: ecce vix dum armis inter Cæſarem ac Venetos poſitis, imo Verona nondum reſtituta, nouorum tumultuum initia à Franciſcomaria Ruuereo profecta extiterunt: is namq; Hiſpanis peditibus qui & Veronæ & in Gallico, & Veneto exercitu ad eius ciuitatis obſidionem militauerant, vt ſe ad ſuum vnde eadem æſtate à pontifice pulſus fuerat principatum recuperandum ſequerentur, perſuaſerat: quod quidem facillimum fuit; externis enim militibus, in bellis, oppidorũ direptionibus, regionumq; prædæ atq; rapinis aſſuetis, nihil pace ad quam omnes Italiæ res inclinatas videbant, moleſtius erat. Quapropter circiter quinq; Hiſpanorum peditum millia, quorum omnium dux erat Maldonatus, homo ex eadem gente natus, & multis in bellis exercitatus, eum ſequi ſtatuerunt: quibus ſe adiunxerunt circiter octingenti leuis armaturæ equites ſub Federico Bozzolo, Gaioſo Hiſpano, Zuchero Burgundo, Andrea Bua, & Conſtantino Boccola Epyrota ducibus exercitatis, & nominis in armis minimè contemnendi: inter quos cum ob familiæ ſplendorem, tum ob gradus quos iam à teneris annis in militia habuerat, maximæ dignitatis erat, Federicus Gonzaga Bozoli dominus potiſſimum huius conſpirationis inſtrumentum fuit: non modò nominis ſui in re miltari nouis bellis augendi ſtudio, atque intimæ cum Franciſcomaria neceſſitudinis cauſſa, verùm etiam odio in Laurentiũ Medicem implſus, qui quum in eum ob Iuliani eius patrui ægritudinem omnium pontificatus ac Florentinarum copiarum imperium eſt translatum, pedeſtrium copiarum præfecturam, antea ab Iuliano conceſſam, ipſi denegauerat. Hic itaq; exercitus longè maioris ob virtutem, quàm ob numerum, vel apparatus ad bellum ſuſtinendum idoneos, faciendus, quia nec pecunias, nec tormenta, nec deniq;, præter equos & arma, ex ijs tantis apparatibus qui exercitus ſequi ſolent quidquam habebant; eodem die quo

Verona

Verona Venetis fuit restituta, vt in Vrbinatem ditionem contenderet castra mouit; quæ res pontifici nuntiata vehementer eum perturbauit: exercitum enim ob ducum odium, & Hispanorum virtutem nomenq; formidabile esse animaduertebat: & eius prouinciæ populorum erga Franciscummariam, quod diu sub mansueto Feltriæ familiæ, cuius studium in eum qui apud eos educatus & ex Guidi ducis sorore natus erat transtulerant, dominatu vixissent, beneuolentiam nouerat: illud præterea pontifici molestissimum erat, quòd sibi cum exercitu qui quum nihil amittere posset, prædæ modò ac rapinarum cupiditate mouebatur; quarum suauitate ne multi milites ob pacem initam sine quæstu relicti se illis adiungerent metuebat, bellum gerendum esse videret: quod verò omniũ maximè animum eius angebat, erat metus, ne Galliæ rex huius motus particeps esset: nam præterquam quòd bellum contra Franciscummariam gestum ei molestum fuisse sciebat, quòd minus æqui in se animi gerendi causſas dedisset sibi ipsi conscius erat: quòd in Cæsaris aduentu fœdus post Mediolanense imperium occupatum cum illo iectum non seruasset; quòd Romam reuersus diploma de Galliæ atque Insubriæ sacerdotiorum collatione ab eo quod pactum inter eos Bononiæ, sed ob temporis exiguitatem nõ subsignatum fuerat, diuersum, quod rex indignatus accipere noluit, ei misisset, quòd cum alijs principibus & cum Heluetijs occulta contra illum consilia agitasset; quòd paulo antè, quum Veronæ expugnationem apertè impedire cuperet, Hispanos pedites qui Neapoli ad eius auxilium mittebantur, se, quòd non satis ad eos itinere prohibendos potens esset, vt coniuncti transirent, causſam prębere nolle excusans, per pontificij imperij fines separatim iter facere passus esset; quòd ei decumas non quemadmodum Bononiæ promiserat, sed implicatis conditionibus concessisset; quòd denique Ferrariensium duci ciuitates non restituisset: quæ omnia illi iustissimam de regis voluntate suspicandi causſam præbebant; sed nonnulla quoque eius animi alienati indicia sibi animaduertere videbatur: nam quum hic motus in Veronæ obsidione esset comparatus, quin ante multos dies ad Lautrechij aures peruenisset, fieri non posse: qui cum reticuisset, consensisse censeri poterat: huc accedebat quòd Federicus Bozolensis ad eum vsque diem regis stipendia meruerat, nec quòd Lautrechius sui excusandi gratia afferebat, nimirum eius militiæ tempus exactum esse, verum esset, nec ne, ignorabatur: dubitabat etiam pontifex de Venetorum voluntate, quorum legati, quòd is Senatus ob rerum præteritarum memoriam non satis æquo in se animo esset, neque eius magnitudine lætaretur: qui pontificatus beneficio, tantam esset potentiam autoritatemque adeptus, vt Florentinorum imperium ex arbitrio gubernaret, hac in re elaborasse dicebantur: & hæc quidem illum terrebant, nec tamen eum solabatur in spemque erigebat, reliquorum principum siue fiducia siue coniunctio: nam præterquam quòd recenter cum Galliæ rege vel pacẽ vel fœdus inierant, nemini ipsius occulta atq; artificiosa agendi ratio erat grata: in quibus etsi erga illos animo propensus fuisset, tamen quum in se declarando difficilis extitisset, & in promissis, decretisque obeundis ac perficiendis lentus singulis parum satisfecerat; imò cum sæpe omnes metueret, paulo antè Nicolaum natione Germanum, vitę genere monachum Mediceo cardinali ab episto lis ministrum ad Catholicum regem, vt eum à Galliæ regis colloquio quo de agebatur, ne inter eos maius in fraudem suam fœdus iniretur veritus auerteret, miserat. In hac tamen animi ambiguitate nec ipse nec Laurentius copias in Flaminiam partim ex nouis, quos ipsi habebant, partim ex Florentinorum delectibus mittere desinebant: vt Rentio Ceriti, ac Vitellio qui cum suis militibus Rauennæ erant coniuncti, hostes progredi prohiberent: sed ipsi Pado ad Ostiam traiecto, aliorum apparatus sua celeritate præuertentes, Centensi ac Butriensi itinere per Bononiensem agrum profecti, in Ferrariensium ducis ditionem peruenerant; quibus ex locis Granariolo quod Fauentini agri castellum est direpto, Fauentiæ, vt num Fauentini in cuiusdam ex Manfredorum familia iuuenis, qui in exercitu erat gratiam motum aliquem facturi essent experirentur, exercitum admouerunt: sed quum nullus in ea motus exoriretur, nulla ex reliquis Flaminiæ ciuitatibus, ad quarum omnium custodiam vel equites vel pedites erant, & quo Ariminum in officio retinerent, Rentius ac Vitellius eo se mari contulerant tentata, inter suum sunt sequuti. Venit & Laurentius Cesenam vt illic &

Arimini copias suas colligeret; sed quum iam hostes transiuissent, nec tamē interea multis in locis milites conscribere desinebat, quorum maior quàm voluisset cogitasset ue copia ad eum confluxit: nam quum duo millia & quingenti Germani pedites, & supra quatuor Vasconum millia à Lautrechio in patriam redituri discederent, Ioannes Poppius Laurentij ab epistolis, qui multos menses eius nomine apud Lautrechium fuerat, siue quòd hunc peditatum, nisi ab aliquo stipēdio acciperet, Franciscummariam sequuturum, sibi vanam suspitionē inijci permisisset; siue his viribus mox victoriam obtineri posse leuiter persuasus, eos suo iure Lautrechij, cum ducibus autoritate vsus, conduxit & statim Bononiam versus duxit; adeò vt pontifici & Laurentio, quibus ob id quòd de rege suspicabantur, molestissimum fuit, nec cum tantum progressi essent sese hostibus coniungerent metuentibus, nullus eos recusandi locus relictus fuerit. Progrediebatur interea Franciscusmaria, & Vrbinatem ditionem ingressus, quum nullus in ciuitatibus miles esset, magno vbiq; populorum applausu accipiebatur: Laurentinus enim quum ad tot loca munienda non satis temporis habuisset, solùm de Vrbini quæ ciuitas eius imperij sedes & caput est defensione cogitauerat; eamq; ob caussam Vitellij consilio, duo ex Ciuitatecastelli peditum millia, & Vitellij qui id munus recusauit loco, Iacobū Rossettum, qui & ipse indidem erat, eò miserat; qui multis, vt cum populus suspectissimus esset, omnes eos qui ad arma tractanda erant apti ex ciuitate pelleret suadentibus, facere recusauit. At Franciscusmaria nulla temporis iactura alibi facta, Vrbinum petijt: & quamuis cum primo ad mœnia accessisset, vanus eius extiterit conatus; tamen quum iterum redijsset, Iacobus Rossettus, siue vt multi crediderunt fluxa fide, siue quòd populus vniuersus esset concitatus, metu motus (neq; enim hostes qui & tormentis & alijs quæ ad ciuitates expugnandas necessaria sunt carebant, timendi caussam habebat) ciuitatem ei dedidit. Milites, quemadmodum pacti erant, cum rebus suis incolumes abierunt: Vitellius episcopus qui noui ducis nomine eius imperii administrationi præerat, & cuius auspicijs nihil feliciter succedere videbatur, captiuus mansit: Vrbinatium exemplum, Sancto Leo, quod ob munitissimū situm paruo præsidio defendebatur, excepto, sequuta sunt reliqua omnia eius imperij loca. Eugubini quoq; qui ab initio Franciscimariæ nomen inclamauerant, deinde conuersa voluntate, sub Laurentij imperium redierāt, tam felicibus successibus visis idem quod reliqui fecerunt. Reliquæ erant in Laurentij potestate, Pisaurū, Senogallia, Gradaria, & Mondainū, ab Vrbinati ducatu disiunctæ. Vrbino in potestatem suam redacto, Franciscusmaria, ad aliquem maritimum locum occupandum animum conuertit: & quia Pisaurum ac Senogalliam multi milites confluxerant, se Pisaurum petere fingens, Fanum versus, cuius expugnatio semper facilior fuit, & de qua quòd is nunquam ea potitus esset, minor erat suspicio, contendit. Sed Rentius Ceres qui Pisauri erat eius cōsilio cognito, statim Troilum Sabellum cum centum grauis armaturæ equitibus ac sexcentis peditibus eò misit. Hostes cum quinq; non admodum magnis tormentis quæ Vrbini inuenerant accesserunt; cumq; etiam pulueris penuria laborarent, non plus quàm viginti muri vlnas, neq; eas absq; difficultate deiecerunt: sed tamen oppugnationem in qua circiter centum & quinquaginta milites amiserunt, sunt aggressi: neque ea clade territi, sequenti die tanta virtute, vt muri diruti spacium ferè desertum fuerit oppugnationem instaurarunt; & proculdubio nisi Fabiani Gallesij, Troili vicarij virtus, qui cum paucis equitibus in mœnibus stans & mirum in modum propugnans eos sustinuit, obstitisset, vrbe potiti fuissent. Postero die tertiò oppugnationem tentassent, sed ea nocte quingentos pedites mari Pisauro missos ciuitatem ingressos esse certiores facti, inde discesserunt; & Montisbaroccij castellum in valde arduo monte situm, ac loci natura munitissimum, vnde Forum sempronij ac Vrbinum versus facilis, at Pisaurum versus difficilis asperrimusq; est descensus petierunt; quo in loco manentes, quum nullam præterea tunc opportunam occasionem haberent, Vrbini ducatum qui ipsis à tergo erat custodiebant. Ab altera parte, quum Germani & Vasconcs pedites Ariminum vbi Laurentius Medices erat venissent, multis præterea Italis peditibus & mille ac quingentis alijs Germanis ex his qui in Veronæ præsidio fuerant, conscriptis, & omni penè pontificis ac Florentinorum equitatu collecto, Laurentius qui rei bellicæ imperitus ex ducum consilio pendebat, cum graui equitatu Pisaurum

saurum profectus, pedites in hostium castris oppositis montibus metari iussit. Pisaurum vrbs in vallis cuiusdam Vrbinum versus spectantis faucibus situm est: è qua fluuius qui ab incolis, quòd sua profunditate è mari naues ingredientes admittat, Portus dicitur, egrediens, ciuitatẽ ab ea parte qua Ariminum spectat alluit: arx ad mare est; & inter fluuiũ ac ciuitatẽ multæ sunt domus ad merces custodiendas factæ: quas Rentius ob ciuitatis securitatẽ diruerat: maximã ciuitatis partem montes vndiq; ambiunt, qui non ad mare vsq; protenduntur, sed inter mare & illos planities aliqua relinquitur; quæ ab ea parte qua Fanũ itur circiter duo millia passus dilatatur: & in colle duo sese extollunt vertices inter se oppositi; qui magis ad mare est Candelaria, alter Vrbinum versus Nugolaria nuncupatur; & in vtriusq; fastigio castellum est eiusdẽ cum monte nominis: itaq; Itali pedites ad Candelariæ, Germani & Vascones ad Nugolariæ castellum magis hostibus propinquum castra locarunt: neq; id cum eis nisi leuibus prælijs congrediendi consilio fiebat, sed vt eos liberè per regionem vagari, vel aliquid aggredi prohiberẽt. Pontificis nanq; consilium erat, vt nisi ferè certa victoriæ spe traherentur, cum hostibus prœlio aperto non dimicarent, quòd & cum strenuis militibus, quiq; ob præmij inæqualitatem facilè se periculis obijcerent, pugnare periculosum etsi ipsius exercitus vinceretur, quia pontificium ac Florentinorum imperium in apertum discrimen cõnijceretur, pernitiosissimum: contrà verò, quum pecuniæ & in tam sterili ac inopi regione cõmeatus inopia eos dissipatura esse manifestis rationibus sperari posset; nec non quia ipsius exercitus tum vsu militari, tum quia paulatim lectioribus militibus supplebatur, melior fiebat; tum quia res suas quotidie auctum iri sperabat, defensioni studentes, cunctari tutum esse animaduerteret: huius etenim motus initiò, etiam pontificali autoritate vsus, omnium principum, cum illorum oratoribus qui Romæ erant, & cum ipsismet per literas conquerens, vehementer opem implorauerat: sed nõ eadem cum omnibus ratione: nam quum Cæsari & Hispaniæ regi conspirationem ab Franciscomaria Ruuereo, & Hispanis peditibus in Galliæ regis exercitũ, atque adeò in eius Proregis oculis factam significaret, huiusmodi verba literis inseruit, ex quibus intelligi poterat, eum non obscurè suspicari hęc illius regis cõsensu facta esse, sed cum Christianissimo rege aliquam de Lautrechio suspicionem præ se tulit; neque vlterius eius querelæ processerunt. Ea res hos principes variè affecit: Cæsar enim & eius nepos pontificem hanc sibi iniuriam ab Galliæ rege illatam existimare libenter audiuerunt: nam Cæsar ob vetus odium ac suam inconstantiam iam ab Galliæ rege alienatus, denuò cum Angliæ rege fœdus pepigerat; & cum nepote prope Antuerpiam loquutus, ne cum Galliæ rege in colloquium veniret, eum erat hortatus: quod tandem cum vtriusque regis consensu intermissum est; & in Catholico rege fœdus cum illo ictum, æmulationem suspicionemque delere minimè poterat: quamobrem pontifici operam suam promptè obtulerunt, omnibus imperij sui subiectis vt à bello quod contra pontificem gerebatur discederent mandarunt; & Catholicus, Potentiæ comitem, in regnum neapolitanum, vt grauis armaturæ equitum turmis instauratis quadringentos cataphractos ad eius auxilium duceret misit; & ad maiorem voluntatis suæ declarationem, Franciscummariam tanquam perduellem Sorensi ducatu quem à patre emptum, in Leborinis campis possidebat spoliauit: at Galliæ regi aliam ob causam põtificis vt principis qui animo esset à se alieno molestiæ gratæ erant: ideò initio eius exemplum sequutus vana illum spe fouere statuens, magnam se ex eo molestiam sensisse respondebat; seq; vt Lautrechius illius reb. faueret effecturũ promittebat; & tamen pontificẽ ijs quæ pateretur causam præbuisse subijciebat: neq; enim Hispanos nisi illorum numerus is qui illius consensu Neapoli Veronã venerant esset auctus, tantã rem aggredi ausuros fuisse. Hoc fuit primum regis consiliũ, sed quum postea põtificem à se defectum, sine vllo fræno in Hispaniæ regis amicitiã præcipitem ruiturũ cogitasset, ei opem ferre, & simul aliquem ex eo fructũ percipere statuit: quo circa quum pontifex ab eo auxilium peteret, trecentos cataphractos Mediolano mitti iussit; & simul propterea quod fœdus Bononiense, multis modis à pontifice violatum nullius amplius momẽti erat, nouum inter ipsos iniri debere proposuit; & pollicitationib. multas querelas addebat: modò enim se à pontifice apud ceteros principes suspicionibus grauari; modò quòd, vt ipsi iniuriam & Sedunensi cardinali rem gratam faceret, Georgium Suprasa-

xum qui rebus ipsius apud Heluetios studeret, sacris interdixisset, querebatur. Præterea, regina regis mater magnæ apud eum autoritatis, pontificem, quod principem proprio regno deiecisse minimè contentus, eum postea censuris quoque subiecisset & dote, vel alimentis viduæ duci, iuniorique principis vxori denegatis, sic vt illæ vnde vitã tuerentur non haberent, in causſa esset, impietatis apertè accusabat: quæ verba ad pontificis aures perlata, ei suspicionem augebant, sed in tot difficultatibus constitutus, quum eius auxilia non ad aliquid gerendum, sed ob illorum existimationem ac nomen cuperet, trecentis cataphractis, qui Mediolano veniebant, à pontifice qui suspicionem dissimulare non poterat, multos dies in Mutinensi ac Bononiensi agro, ac deinde ab Laurentio Arimini, quòd cum ea ciuitas ab hostibus esset remota, isthic minorem nocendi facultatem habebant, hærere sunt iussi. Nec verò hæc suspicio fœdere quod ferè hoc ipso tempore Romæ est ictum, imminuta est; quia rex antequam fœdus sanciret, nouas interposuit difficultates, quarum causſa res multos dies in dubio fuere: tandem verò pontifice in multis cedente, rex id fœdus comprobauit. Fœdus id mutuam inter pontificem & regem cum certo militum numero defensionem, & duodecim in singulos menses aureorum numûm millium obligationem continebat: inter Galliæ regem ac Florentinos, quibus Laurentij Medicis cum Vrbinati imperio autoritas coniuncta erat, eadem sed cum minore militũ numero; & sex in singulos menses aureorum numûm millibus: rex pontifici quum sacræ sedis subiectos ac beneficiarios persequi vellet, opem ferre teneretur: regi sacerdotiorum nominatio & decumæ secundum ea quæ Bononiæ ei promissa erant, ea lege vt pecunia ad bellum contra Turcas gerendum (hic erat honestę concessionis prętextus) deponeretur concessæ fuerunt: verùm tacita spe, vt vniuersa pecunia deposita, alia breui epistola conditione sublata, liberè in regis vsum conuerti posset: Pontifex separato scripto regi se nunquam ab illo auxilium contra Ferrarienſium ducem petiturum promisit; imò vt rex eius patrocinium susciperet, permisit: Longa altercatio ob Regij, Mutinæ & Ruberiæ restitutionem, quam rex iuxta ea quæ ipsi Bononiæ promissa fuerant, vehementer vrgebat, fuit: nec pontifex id denegabat, sed eas cum bello premeretur restituere se valde indignum & extremæ necessitatis inditium esse afferens, in aliud tempus reijciebat: tandem verò quum magna appareret futura, si rex magis vrgere vellet pontificis alienatio, & Franco Anglus infensus esset, Cæsar, Hispaniæ rex & Heluetij suspecti, vt pontifex diplomate quod ipsi traderetur, se, Ferrarienſium duci Mutinam, Regium, & Ruberiam intra septem proximos menses restituturũ sponderet, annuit: sed pontifex, si ipsius pericula ante id tempus finem habuissent, non maiorem diplomatis quàm verborum Bononienſium rationem habere statuerat: regi autem quum sine maximæ indignationis periculo nihil maius obtinere posset, fidem & promissa scripto apparere, alicuius momenti videbatur. Dum hæc agerentur, quũ Laurentij exercitus, qui præter multos Italos antè cõscriptos, pontifex Romæ mille Hispanos & mille Germanos pedites conscripserat, satis esset auctus, iam tempus quo se hoc bello liberare niteretur adesse videbatur: ad quod efficiendum propter hostilium castrorum munitionem vnica spes erat, eos commeatus penuria ad discedendum cogere: eam itaq; ob causſam Camillus Vrsinus cum septingentis expeditis equitibus, ad eam oram quæ Vicariatus nuncupatur, cuius commeatu maxima ex parte alebantur percurrendam missus fuit: Quo tempore per præconem ex hostili exercitu Pisaurum missum, ab Laurentio publica fides qua Suares Hispanus dux & si quem vnà secum ducturus esset, tutò ad eum venire posset petita fuit: quam Laurentius eum ducem cum quo occulta consilia habebat ratus, facile concessit: sed alius eiusdem nominis dux venit, & cum eo Oratius Firmanus Franciscimarię ab epistolis; & in publico loquendi facultate petita, Suares Franciscimariæ nomine exposuit, quum ipsorum controuersiæ singulari certamine, vel certo aliquo cum quouis ipsorum numero definiri possent, æquius esse alterutrum eligere, quàm eam rationem sequi, qua populi impiè, & in eius qui illorum princeps esset futurus detrimentum affligerentur: idcirco Franciscummariam ei vtrum vellet, optionem dare: post quæ verba quum scriptum quod in manu habebat legere vellet, id ei interdictum fuit. Laurentius suorum ducum consilio se dummodo Franciscusmaria ea quę vi occupauerat relinqueret, libenter hanc conditionem

tionem amplexurum respondit: quibus dictis ab Rentio Cerite incitatus vtrumq; in carcerem conijci iussit: eos enim quòd insolenter egissent, pœna dignos esse Rentius aiebat: sed quum ceteri duces fidem violatam reprehenderent, Suare liberato, Oratium solum retinuit, violatæ fidei infamiam falsis cauillationibus quasi Oratium in fidei literis ecclesiæ quòd ad originem attinet subiectum, & hostis ab epistolis ministrum nominare necesse fuerit, excusans; sed id vt ab illo Franciscimariæ arcana & præsertim cuiusnã consilio autoritatéue bellum incœpisset cognosceretur, fiebat. Quibus de rebus quum in quæstionem vocatus esset, fama increbuit eius confessionem eiusmodi fuisse, vt de Galliæ rege conceptam suspicionem auxerit: sed Laurentij Hispanis Vicariatus commeatum adimendi desiderium, maiores vires postulabat: nam expeditorum equitum excursiones nihil quod magni momenti esset efficiebant; & iam exercitus talis erat, vt sese hostibus audacter posset opponere: collegerat enim Laurentius mille grauis & mille leuis armaturæ equites, & quindecim millia peditum ex diuersis gentibus; inter quos erant supra duo millia Hispanorum Romæ conscriptorum, omnes pedites in armis exercitati atq; selecti: nam & Itali pedites cum nusquam præterea esset bellum, & quia duces pro inutilibus peditibus primo tumultu collectis, paulatim vtiliores ascisscendi, & inutiles reijciendi tempus habuerant, totius Italiæ peditatus flos ibi erat. Itaque Sorbolongum Fanensis agri castellum, quinq; milliaribus à Forosempronij remotum, quo ex loco facilè à Vicariatu commeatus hostibus impediebatur, castra transferre statuit. Forumsempronij ad Metaurum Romanorum contra Asdrubalem Cartaginensem victoria illustrem fluuium situm est; qui fluuius quum ad eum vsq; locum angusto inter montes alueo decurrat, vbi Sempronij forum præterijt, per ampliorem vallem decurrere incipit: quæ quo magis ad mare quod ab Forosempronij 15 passuum millibus distat accedit, tanto magis dilatatur: in quod mare Metaurus prope Fanũ ab ea parte qua Senogalliam spectat, ingreditur. Ad dexterã secundum flumẽ situs est is ager, qui Vicariatus appellatur, totus vberrimis collibus & castellis refertus, qui longo tractu mare versus protenditur: & ad sinistram quoq; fluminis sunt colles; sed si quis longius recedat, altos asperosq; montes inueniet: planities autẽ quæ Fanum versus extenditur supra tria milliaria in latitudine patet. Quum itaq; Laurẽtius Sorbolongũ castra transferre statuisset, ne hostis vbi ipsius exercitum moueri cognouisset id præoccuparet veritus, mane ante lucem Ioannem Medicem, Ioannembaptistam Stabium, & Brunorum Foroliuiensem cum quadringentis expeditis equitibus ad id castellum occupandum misit; & peditibus qui Candelariæ & Nugolariæ erant, vt per montium tramites Metaurum versus quo se reliquis coniungerent contenderent, mandauit; ipse cum omni reliquo exercitu, Guido Rangonio cum centum & quinquaginta grauis armaturæ equitibus ad Pisauri custodiam relicto, oriente sole Pisauro Fanum versus secundũ maris litus iter est ingressus, & Forumsemprouij versus vbi vallis incipit deflectens, meridie ad locum quendam qui Molinum Madonnæ vulgò dicitur, ad fluuium situm, peruenit; quem omnes equites, Italiq; pedites vado transierunt; sed Vascones & Germani, tanta tarditate per põtem ad hoc paratum, vt quum exercitus eodem die quemadmodum constitutum fuerat, Sorbolongum peruenire non posset, eos ad Sanctum Georgium, Orcianum, & Mondainũ castella quingentos passus ab inuicem remota, metari necesse fuerit. Sed neq; quod expeditis equitibus mandatum fuerat meliore fortuna perfectum est: nam quum Ioannes Medices, in quo in hoc iam militiæ tyrocinio futuræ ferocitatis ac virtutis signa elucebant, in itinere, longiorem viam errore ducti sequi viderentur, ceteris qui eius consiliũ negligebant relictis, aliquot horas ante noctem Sorbolongum peruenit: reliqui duo duces post longum circuitum, ab itineris duce (vt aiebant) decepti, tandem ad exercitum redierunt: nec Ioannes Medices cum sua tantùm ala relictus eam noctem Sorbolongi hærere potuit: nam eiusdem diei mane Franciscusmaria, hostium motu audito, quo tenderent animaduertens, maxima celeritate cum omni exercitu castra mouerat: qui nulla re in fluminis transitu, quia Forosempronij vbi lapideus pons est transierunt, impeditus, ante noctem Sorbolongum peruenit: quorum aduentu quum se Ioannes eos sustinere non posse animaduerteret, hostium equitibus à quibus multi ex ipsius equitibus capti fuerunt persequentibus Orcianum se recepit: vbi Laurentij hospitium ingressus, maxi-

ma indignatione commotus,ei dixit:Brunorij & Ioannisbaptiſtæ Stabij qui coram aderant,vel negligentiam,vel ignauiam eo die illum eius belli victoria ſpoliaſſe. Hæc fuit prima, ſed non ſola rei bene gerendæ occaſio quam Laurentij exercitus amiſerit: nam & pòſt alias maiores elabi permiſit; ſemperq; pernicioſiores errores malis cõſilijs cum aduerſa fortuna coniunctis,ſunt ſequuti. Orcianum & Sorbolongum caſtella edito loco ſita, paulò plus duobus milliaribus inter ſe diſtant: in cuius tractus, qui collibus ac monticulis refertus eſt, medio, eſt quoddam caſtellum Barti nuncupatum, in quo Franciſcimariæ copiarum pars erat; qua exercituum propinquitate ſequens dies velitationibus totus eſt tranſactus. Varia erant Laurentij exercitus ducum conſilia: aliqui enim ijque præſertim à quorum ſententia deliberatio non pendebat, fortè quòd nec ſe nec alios periculo obijcientes, audacibus conſilijs inaniter propoſitis, fortium ſibi nomen comparare exiſtimarent, hoſtes adoriendos eſſe dicebant:ſed Rentius & Vitellius à quorum ſententia nunquam recedebat Laurentius,id diſſuaſerunt: hoſtes enim caſtra munito in loco & caſtellum à tergo ad quod difficillimus erat acceſſus habebant; ijs etiam in locis morari tanquam inutile conſilium, quodq; eum fructum cuius cauſſa Piſauro erant profecti non eſſet pariturum,improbabant:quum enim Sorbolongum in Franciſcimariæ poteſtate eſſet,eis Vicariatus commeatum intercipere admodum difficile erat:quibus rationibus alijs ſententijs omnibus reiectis,neceſſariò retrocedendum eſſe oſtendebant; & ne id fugæ ſimilitudinem haberet,non vt exercitus in priora caſtra rediret,ſed vt Montebarotium, & ea loca ex quibus hoſtes diſceſſerant,vnde Vrbinum verſus progredi poſſent, occuparent proponebant:quo conſilio exercitus ſequenti die diluculo caſtra mouit: verùm ea,non receptus, ſed fuga cenſebatur;eaq; opinione per totum exercitum diuulgata,factum eſt,vt duo grauis armaturæ equites ad Franciſcummariam transfugientes, hoſtes terrore plenos inſtar fugientium vaſa colligere ei nuntiarant: quapropter ſe ferè certam victoriam habere ratus,ſtatim exercitum transuerſo per montes itinere, quo eis vt ſperabat, vbi in planiciem deſcendiſſent occurreret duxit: exiſtimabat enim illos breuiori ac faciliori itinere ituros: quod ſi feciſſent, neutra pars pugnam euitare potuiſſet: ſed fortuna voluit, vt tormenti cuiuſdam quod præcedenti die ob rotam currus fractam relictum fuerat, conſeruandi gratia,Laurentij exercitus, ad eandem Madonnæ molam qui locus quatuor milliaria infra eum ad quem illos breuior ac facilior via duxiſſet,erat,Metaurum iterum tranſiuit:ex tam leuibus cauſſis & euentis ſæpe in bellis maximi momenti res immutantur:equites ac pedites omnes vado,ſed ſumma tarditate tranſierunt;& qui tranſierãt, ſtatim ordine Foroſempronium verſus iter capiebant: iam peditatus tranſierat,cumq; grauis & leuis armatura, quæ in nouiſſimo agmine erat,tranſitum adornaret,ecce tibi hoſtium expediti equites qui multi erant ijq; ſelecti, velitari cum illis cœperunt; qua in velitatione captus fuit Conſtantinus Ioãnispauli Ballionis filius,quin etiã & nepos & filius: erat enim illi ex ſorore natus; ideò Ioannespaulus qui ante non multos dies in caſtra venerat, & primum agmen ducebat, omni opera vt eum recuperaret nitens,tandiu moratus eſt,vt primum agmen poſtremum ſit factum; & Laurentius qui medium agmen ducebat in eius locum & in medij agminis locum Troilus Sabellus qui poſtremos ordines ducebat,ſucceſſerit:Rentius enim atq; Vitellius cum pedeſtribus copijs præcedebant; ſed vbi Franciſcusmaria & eius duces,hoſtes, vbi fluuium tranſiuiſſent Foroſempronium verſus contendere viderunt, illos non fugiendi ſed Montisbarocij occupandi ſtudio mouiſſe animaduerterunt: ideò priore pugnæ cupiditate quæ cogitato hoſtium terrore nitebatur ſedata,impedimentis relictis, ſtatim ſumma celeritate abſque vllo ordine,ſigna humeris portantes, vt anguſtum fluminis tranſitum qui Tauernellæ dicitur, vbi natura præruptam foſſam, quæ totam planiciem tranſuerſam ad montem vſq; ſecat fecit, nec alibi quàm vno in loco qui ad viam aperiendam factus eſt tranſiri poteſt, occuparent,contenderunt:ad quem locum ſi Laurentij copiæ quæ vbi fluuium traiecerant, ad eam partem deflectebant,ante illos veniſſent,Hiſpani ad manifeſtiſſimũ periculum redigebantur: & quamuis Ludouicus Liuerotti Firmani filius,qui eodem die cum mille peditibus in Laurentij caſtra venerat, & quidam Hiſpanus regionis periti, Laurentium eiusq; duces ea de re admonuerint,nihil profecerunt:nam etſi Germani & Vaſcones ſe ad pugnam paratiſſimos

mos ostenderent, idemq; à toto exercitu acclamaretur, nec Laurentius alienus esse videretur, tamen Rentius Ceres & Vitellius, hostibus non occurrendum, sed in vicinum quendam collē, vnde nulli se periculo obijcientes, cum expeditis equitibus magnū eis in fluminis transitu impedimentū afferre possent, recedendum esse censuerunt: sic angusto illo itinere relicto, Rentius se mōtes versus conuertit; Hispani verò vbi eum locū occuparunt, Germanis quibus viciniores scloppettorū tinnitu erant salutatis, clamore ad lætitiæ maximæ signum sublato, sese ex aperto periculo in salutē ferè certam redactos agnoscere significarunt: sic siue imprudentia, siue metu (nisi fortè malæ artes locum habuerunt) Laurentius omnium iudicio eo die victorię occasionem amisit: ea nocte ipsius exercitus ad propinquum quoddam castellum, qui Saltaria dicitur, est metatus; sed Francischmariæ exercitus, iter suum summa celeritate ad non paruam noctis partem vsq; sequutus, Montembaroccium peruenit; duobus peditum millibus quos Laurentius ad eum locum occupandum præmittebat anteuersis: Laurentius autem sequenti die, duo millia passuum supra Saltariam Montembaroccium versus, depresso tamen loco, in ea parte quæ ad mare vergit, castra locauit. His in locis duo exercitus circiter vnum milliare inter se distantes consedere: sed maius incommodum sentiebat Laurentij exercitus, qui sæpe commeatus penuria laborabat: nam cum Pisauro Fanum commeatus mari veheretur, & aduersi venti nauigationem impedirent, terrestri itinere ferri necesse erat: ad id autem plurimum impedimenti adferebant Franciscimariæ expediti equites, qui ab incolis de quouis vel minimo hostium motu certiores facti, regionem vniuersam percurrebant. Quo tempore Franciscusmaria Tubicinem ad Vascones misit; qui quasdam literas inter Laurentij scribarum scripta, quæ eo die quo ab Saltaria castra mouit vnà cum eius impedimentorum parte ab hostili equitatu rapta fuerant repertas, eis ostenderet: in quibus pontificem Vasconum quibus singulis mensibus stipendia immoderatissimè augere fuerat coactus nimia cupiditate fatigatum, omnem operam vt trans alpes redire compellerentur adhiberi cupere, animaduertebatur: quam ob causam periculum erat, ne eodem die tumultum aliquem excitarent, nisi Carbo dux illorum & Laurentius Medices, literas fictas, & hostium dolos esse persuadere cōnati, eos cohibuissent: sed tamen huius rei suspicio, commeatus penuria, & quòd eo in loco castra haberent, vbi detrimenti periculum, emolumenti spem longè superaret, quamuis toties ab hostibus recedere ignominia non carere videretur, in causa fuerunt, vt inde discedere, & eam Vicariatus partem quæ mari propior est ingredi, ad finem vsq; Forosempronium versus progredi statuerint: quod consilium exercitus omnis, non sine Rentij & Vitellij nota comprobabat; omnium enim militum voces, si hoc ab initio factum fuisset, hostes in magnam cōmeatus penuriam conjectos fuisse affirmabant: imò Laurentius ipse, magis quàm ceteri eos reprehendebat, & quòd vel vt bellum proprij commodi causa protraherent, vel vt ipsum rei bellicæ gloria, fortè ex ipsius potentia eiusmodi opera, cuiusmodi in familias ipsorum Valentini ducis potentia ediderat metuentes defraudarent, tam potentē exercitum, & hostibus numero ac viribus tanto superiorem, in tantas angustias atq; pericula conieciissent, querebatur. Exercitus igitur Sanconstantium Vicariatus castellum petijt: cuius loci homines, etsi quum iam tormenta murum percuterent, sese dedere vellent, tamen eius expugnandi facilitate cognita, Laurentius Vasconum tumidos animos mitigare cupiens, reliquis militibus omnibus ab oppugnatione reuocatis, eis solis vt ab eis solis diriperetur, eius expugnandi facultatem attribuit. Eo capto exercitus eodem die Mondolfium binis ab eo loco milliaribus, totius Vicariatus munitissimum atque optimum castellum, in colle edito situm, fossa & muro ipso situ terra pleno, minimeque contemnendo cinctum, in cuius præsidio erant ducenti Hispani pedites, petijt: tormenta eadem nocte ad meridiem; sed Rentij Ceritis, cui hæc cura demandata erat, vel negligentia, vel imprudentia, aperto in loco & sine aggere collocata fuerunt: adeò vt antequam sol horam vnam terram collustrasset, ab castelli tormentis, octo homines tormentarij, & multi fabri fuerint interfecti: & Antonius Cruceius tormentorum præfectus vulneratus: qua re animo commotus Laurentius, quamuis omnes duces, vt quod per alios curare poterat, ipse tanto cum periculo non exquereretur eum admonerent, ipsemet aggeri faciendo præesse voluit; vbi

cum ad meridiem vsq; laborasset,& opportunè prospexisset, vt sub quibusdam arboribus, vbi se montis vertice tegi existimabat quiesceret recessit:sed dum eò se conferret, collis altitudine deficiente, arcem ab latere ad occasum sitam vix conspexit; quum scloppo ignem admoueri animaduertit; cuius ictum vt vitaret, dum se pronum in terrā abijcit,sed antequam se prorsus humi deiecisset,glans quæ alioqui in corpus fuisset impacta,capitis verticem percussit,& inter cutem & caluariam lapsa,per occipitium emersit. Laurentio vulnerato, duces etsi murus dirutus esset,nimis sublimen terram relinqui animaduertentes, cuniculum agere cœperunt: quo turrim diruto muro coniunctam subeuntes, quinto die ignem iniecerunt: qui quum in meridie maximo impetu turrim, & magnam muri adnexi partem euertisset, statim oppugnationem, sed confusè & ferè casu sunt aggressi; quæ non alium quàm eum quem plerunque oppugnationes ordine carentes parere solent, fructum peperit:sed tamen quum nox iam adesset, nec milites, quia Franciscusmaria siue ne eius loci iacturam faceret, siue aliam ob caussam, Montebaroccio castra non mouerat, auxilium sperarent, loci incolis turpiter prædæ relictis, vt ipsi cum suis rebus incolumes abirent, castellum dediderunt. Ob Laurentij vulnus cuius caussa in maximo vitæ periculo versabatur, pontifex cardinalem Bibienam legatum ad exercitum misit; qui fortuna iam peruersæ administrationi coniuncta infelicibus auspicijs legationis suæ manus obire cœpit:nam postero die postquam ad exercitum peruenit, certamine casu inter Italum & Germanum peditem orto, & propinquioribus accurrentibus,singulisque gentis suæ nomen inuocantibus, tumultus totum exercitum peruasit; adeò vt quum eius motus origo & caussa ignoraretur, omnes pedites tumultuariè armorum capiendorum gratia tentoria sua peterent: sed qui interea alterius sermonis milites obuios habebant, magna ex parte ab eis interficiebantur;illud autem maioris perturbationis caussa fuit, quòd quum Itali pedites acie instructa, eum locum in quo tumultus erat cœptus petijssent, illorum tentoria à Vasconibus direpta fuerunt: exercitus duces qui tunc in concilio erant, vt tantum tumultum sedarent accurrerunt;sed quum magnam & periculosam consternationem esse animaduerterent,singuli proprię salutis caussa communium rerum cura relicta, se ad tentoria sua receperunt,& equitibus suis extemplò collectis, nulla de re nisi de illorum salute cogitantes,cum illis circiter mille passus ab exercitu recesserunt;solus legatus Bibiena, ea constantia ac solicitudine quam munus ipsius postulabat, seipsum sæpius ob concitatæ multitudinis furorem in nō paruum vitæ discrimen conijciens, comunem caussam non deseruit:cuius opera non sine magno labore,multis peditum ducibus intercedentibus, tandem tumultus,quo diuersis in castrorum locis supra centum Germani pedites,supra viginti Itali,& aliqui Hispani,interfecti fuerunt, sedatus est. Ea res in caussa fuit,vt quia verebantur ne si exercitus simul maneret, milites offensionibus acceptis irritati, vel quauis leuissima de caussa manus inter se consererent, tunc nihil aggredi, sed exercitum disiunctum retinere statuerint: quapropter pontificis ac Florentinorum vniuersus equitatus & Itali pedites Pisauri sua castra habere sunt iussi: Galli enim equites, quòd controuersiæ inter pontificem & regem nondum compositæ essent,nunquam Arimino se commouerant:Vascones in planicie quingentos à Pisauro passus, castra locarunt:reliqui pedites in Imperiali monte qui supra Pisaurum, Ariminum versus est,in quo sunt magnificæ ædes ab priscis Malatestis ædificatæ, hoc ordine fuerunt distributi & collocati: Hispani in montes vertice, Germani infra in montis descensu;& Corsi ad montis radices:sic viginti tres dies, nulla re præter expeditorum equitū velitationes gesta hæserunt: quoniam Franciscusmaria quum tam magni exercitus prælio superandi nullam spem haberet, nec ob illorū propinquitatem vllius loci expugnationem tentare posset, partis conseruandis operam dans, & ipse loco se non commouebat:sed quarto tandem ac vicesimo die, noctu Montebaroccio profectus,in aurora ad summū montis in Hispanorum castra peruenit; cū quibus si nō cum omnibus,saltē cum parte illorū ex eo quod rei progressus ostendit, occultā conspirationē habuisse creditus est:vbi eò venisset,statim Vrbinatis Hispani ad ceteros,vt qui incolumes esse vellent,ipsos sequerētur clamarunt:qua voce audita, maxima pars illicò viridium frondiū ramusculis singuli quem admodū illi habebāt capitibus suis impositis, eos est sequuta:soli duces,cum circiter 800. pediti-

peditibus, Pisaurum se receperunt: illi sic coniuncti Germanorum qui Hispanorum propinquitate freti nullas ab ea parte excubias habebant, castra petierunt; cumque illos incautos offendissent, supra sexcentos partim interfecerunt partim vulnerarunt, reliqui in Corsorum castra fugientes vnà cum illis Pisaurum versus profugerũt. Vascones vbi tumultum audiuerũt, acie instructa nunquam locum mutare voluerunt. Germanis cæsis, & maxima Hispanorum peditum parte ad se tracta, Franciscus maria, inter Vrbinũ ac Pisaurũ, Vascones cum ijs Germanis qui eodem tempore ex Lautrechij castris egressi, semper vnà cum illis iter fecerant, & castra cõmunia habuerant ad se transituros spei plenus, est metatus. Erat inter Vascones Ambra Carbonis ducis æmulus; qui iuuenis nobiliori stirpe natus, & Lautrechij propinquus, maiori apud eos autoritate pollebat: is iam multos dies de illis peditibus ad Franciscummariã ducendis occulta consilia agitauerat; eiq; occasionem dabat quòd illi stipendijs immoderatè auctis minimè contenti, denuo insolenter longè maiora petebant; quæ cum à pontificijs ministris denegarẽtur, Carbo & Gallorum equitum præfectus, qui eam ob causam Arimino Pisaurũ venerãt, vt eos conciliarent, sese interponebant: sed quinq; vel sex dies post Hispanorum & Germanorũ in Imperiali monte casum, Franciscus maria cum exercitu vniuerso se illis propinquũ ostendit: quorũ pars Ambram sequuta, cum sex tormentis eius generis quos sagros vocant acie instructa, & Germanis eos sequentibus, Carbone frustra eos precibus ac vehementibus verbis retinere nitente, se illi coniunxit: cum Carbone manserunt septem duces cum mille 300 peditibus, reliqui omnes vnà cũ Germanis eum deseruerũt: & vt in rebus bellicis semper offensionibus, nouæ offensiones accedunt, Itali pedites, quantũ ipsis opus esset animaduertentes, sequenti mane tumultũ excitarunt; ad quẽ sedandum, quũ nec maior pudor, nec minor auaritia in ducibus quàm in militibus esset, eis immoderata stipendia promittere necesse fuit: & certè mirũ erat, in Franciscimariæ exercitu, in quo militibus nunquã stipendia dabantur, tantũ consensum, disciplinã atq; concordiã esse; nec verò id tam (quemadmodũ de Annibale Cartaginensi summa cum eius laude dicitur) ex imperatoris virtute autoritateúe, quã ex militũ ardore ac pertinacia proficiscebatur: contrà verò in pontificio exercitu, vbi immodica stipendia suis temporibus nõ deerant, tantam discordiam ac perturbationẽ, tantumq; in militibus in hostium exercitum transeundi desiderium esse: ex quo facilè patet sæpe non tam pecunia, quàm alijs causis concordiã disciplinamq; in exercitibus conseruari. Legatus & ceteri qui consilijs intererant, tot casibus territi, quum diu quaratione esset afflictis rebus succurrendũ perquisissent, nec in erroribus corrigendis prudentiores cõsilijsúe abundantiores essent, quàm in ijs antequam contingerent auertendis fuerant, proprijs etiã cupiditatibus & caussis moti, pontificem vt Bentiuolis antequam ipsi ex rerum inclinatione audaciores facti, vel ab alijs incitati aliquẽ motum facerent, Bononiam restitueret, hortandum esse statuerunt: cui motui an occurri posset, ex eo liquere, quòd tam difficulter bellum vnico in loco sustinerent; & quo maiorem ea sententiã autoritatem haberet, quo magis in omnem euentum omnibus cautum esset, eam scripto explicatam, & legati atq; Vrsini archiepiscopi, quorum alter Bentiuolis veteri necessitudine, alter affinitate coniunctus erat, & omnium ducum manu subscriptam, per Robertum Buschetum patritium Mutinensem & comitem, ad pontificẽ miserunt; quam ille non modò contempsit, verùm etiã acerbissimis verbis, sibi à suis ministris, & ab ijs qui tot à se beneficijs essent affecti, & singulis horis plura sperare possent, tam parua fide & amore consilia non minus pernitiosa, quàm quæ ab hostibus sibi inferrentur, mala proponi questus est: & in Vrsinum Archiepiscopum forte quòd huius consilij præcipuus autor fuisset, vehementer inuehebatur: quæ indignatio fortasse eum purpureo galero, qui illi ab omnibus primo quoque tempore promissus fuerat, priuasse credita fuit. At Roucreus quum eius vires ita essent auctæ, aduersariorum vero imminutæ, necessitate quoque impulsus, animum ad maiora erexit: pedites enim qui cum eo venerant tres totos menses sine stipendio fuerant, & ijs qui postremò accesserant nullam pecuniæ dandæ facultatẽ habebat; cumq; ea regio exhausta esset, ac ferè penitùs spoliata, non modò milites prædandi facultatem non habebant, sed vix etiam satis ad victum commeatus: sed in expeditione eligenda, aliorum voluntas ei fuit sequenda; ipse enim ad imperij sui firmamentum ante

quam quidquam aliud aggrederetur, Fanum vel aliquam aliam maritimam ciuitatem denuò oppugnare cupiebat: sed ob militum prædæ ac rapinis inhiantium cupiditatem se potius in Hetruriam, vbi quia regio plena, sine suspicione, & ad defensionem imparata erat opimam prædam sperabant, conuertere statuit: incitabat eum præterea mutationis Perusiæ & Senis per Carolum Ballionem, & Borghesium Petruccium faciendæ spes: ex quo res ipsius, ac pontificis & nepotis molestiæ magnum accepissent incrementum: Itaq; postridie quàm Vascones collegisset, Perusiam versus castra mouit; sed vbi in Eugubinam planiciem peruenit, suam de Maldonati atque aliorum quorundã perfidia suspicionẽ, imò ferè certam notitiã aperire statuit. Res in hunc modum originẽ habuerat, & ei innotuerat: Quum exercitus per Flaminiã iter faceret, Suares vnus ex Hispanorum præfectis ægritudinẽ fingens, retrò mansit, seq; data opera capi ab hostib. permisit: captus Cesenam ad Laurentiũ perductus, Maldonati & duorũ præterea Hispanorũ ductorum nomine, ipsos nõ aliam ob caussam, nisi vt postquam hunc motũ impedire in ipsorum potestate nõ fuerat, pro põtifice & ipso aliquod insigne facinus edendi occasionem haberẽt, Franciscomarię adhęsisse ei significauit; & suo ac illorũ nomine ipsos quã primũ opportuna occasio daretur, id effecturos promisit: quæ cũ Franciscomariæ minimè nota essent, ex quibusdã verbis ab Rentio Cerite cuidam Hispanorũ tympanotribæ incautè dictis suspicionem arripuit: is enim quasi iocans in eum quando (inquit) illi Hispani nobis ducem vestrum captiuum dedent? quæ vox altius in Franciscimariæ pectus immissa, num quæ in exercitu fraus esset diligenter obseruandi ei caussam præbuit; tandem verò ex scriptis cum Laurentij impedimentis interceptis, Maldonatũ alicuius fraudis autorem esse animaduertit; quod cum ad eum vsq; diem dissimulasset, neq; amplius dissimulandũ censeret, Hispanis peditibus omnibus ad concionẽ conuocatis, ipse editiore in loco medius inter eos stans, vehementissimis verbis pro ijs quæ tanta animorũ propensione ipsius caussa gesserant, gratias eis agere cœpit; & nullius neq; recentiorib. tẽporibus, neq; in veterũ historijs principis, ducisue, qui tantũ militaribus viris, quantũ ipse se illis debere agnoscebat, debuisset, memoriã extare fassus est; quòd cum ipse nec pecuniam haberet, nec etsi imperium suum omne recuperasset, vtpote tenuis princeps, eos remunerandi facultatem esset habiturus, nec aliquo bẽneficio eos vnquam affecisset, nec ex eadem gente esset, vel in ipsorum castris militasset, se tamen tam promptè cõtra tam potentem tantæq; autoritatis principẽ, neq; id, cum se in sterilem inopemq; regionem duci scirent, prædæ cupiditate essent sequuti: pro quibus factis, cum eis nisi voluntatis & animi candore gratiã referre nõ posset, se quòd ipsi sibi nõ modò per vniuersam Italiã, sed per omnes quoq; Europę prouincias illustre nomẽ cõparassent, summopere esse gauisum; ab omnib. enim ipsorũ, quòd numero pauciss̃imi, absq; pecunia, absq; tormentis, absq; vllo bellico apparatu, toties exercitũ pecunia & reliquis rebus omnib. abundantiss̃imũ, in quo tot bellicosæ gentes militabant, contra maximi pontificis & Florentinorũ imperij, quibus Galliæ & Hispaniæ regũ nomen & autoritas coniuncta erat, potentiã, terga vertere coëgissent; quòdq; militariũ virorũ fidei & famæ cõseruandę gratia propriorũ principum imperia neglexissent, egregiam fidem & virtutẽ in cœlum vsq; extolli: ex quibus quemadmodum nominis ipsorum gloriæ caussa maximam voluptatẽ caperet, sic contrà ea omnia quæ tantũ splendorẽ obscurare possent, sibi summopere molesta fuisse & esse; se profectò inuitũ, & cum ingenti dolore ad ea quæ ipsos aliquem ex ijs quorum singulorũ antea dum spiritũ duceret, perpetuò & peculiariter seruus esse statuerat, lædere cogerẽt manifestanda deuenire; sed tamen ne cœptum malũ suo silentio augeretur, & ne aliquorũ peruersitas tantã gloriã ab illo exercitu partam extingueret, cum etiã ipsum maiorem omnium famæ & honoris quàm paucorũ cõmodi rationẽ habere æquum esset, ipsis significare, quatuor in eo exercitu esse, qui omnium gloriã & salutem proderent; de suaq; neq; dicere quicquam, neq; queri, propterea quòd ipse tot fluctibus agitatus, & sine sua culpa fortunã tam in se acerbam expertus, interdũ vitæ minus quàm mortis cupidus esset: sed neq; illorũ in se merita, neq; ingentẽ beneuolentiã qua eos meritò prosequebatur ferre, vt eis morbũ non indicaret, Maldonatum, in quo maior omniũ salutis & gloriæ cura esse debebat, & Suarẽ, illum qui vt tantã fraudẽ struere ret, morbo simulato se in Flaminia hostibus capiendũ præbuerat, cũ duobus alijs ducib.

scelera-

sceleratis consilijs ipsos Laurentio Medici prodituros promisisse: quæ consilia vigilantia sua impedita fuerant; qua vigilantia fretus non antea tantum scelus patefacere voluerat: nunc verò quum se & ceteros omnes non diutius in tam graui periculo detinendos censeret, id eis aperuisse, quod ipsi multo antè notum fuerat: hæc fide dignis literis inter Laurentij intercepta scripta repertis, & multis inditijs ac coniecturis constare; quæ omnia ipsis vt tanti sceleris iudices essent, & ijs auditis, quæ contra rei responderent audientes, id consilium quod ipsis æquum exercituiq; salutare & decorum videretur capere possent, proponere vellet. vbi finem dicēdi fecit, inditia recitari atq; exponi iussit; quibus maxima ab omnibus attentione auditis, communi omnium iudicio Maldonatus, Suares, & reliqui duo ordinum ductores, non auditi, tanquam de re compertissima sunt condemnati; statimque inter hastatorum ordines transire iussi, militari more sunt interfecti. Hoc igitur supplicio omni scelere (vt aiebant) expiato, Perusiam versus iter suum sunt sequuti; quò iam venerat Ioannespaulus Ballio; qui vbi cōsilium illorum cognouit, Pisauro eò profectus, amicis armatis, multisq; ex agro & vicinis locis introductis, sese ad defensionem comparabat: ad quem legatus Camillum Vrsinum generū suum, Florentinorum militum ducem cum turmæ suæ cataphractis, & ducentis ac quinquaginta expeditis equitibus ei auxilio miserat; quibus viribus hostium impetum sustinere posse credebatur, cum præsertim multi apparatus ad illorum progressus impediendos iam facti essent: Vitellius enim cum suis grauis armaturę equitibus, & Siseus cum gallicis lanceis, Galli enim quia fœdus inter pontificem & regem sancitum fuerat, nō amplius erant suspecti) Castelli ciuitatem petierant: & Laurentius Medices qui ex vulnere sanitati restitutus, paulo antè Ancona Pisaurū venerat mutatis equis, vt illinc quæ ad eius imperij & vicinarum ciuitatū conseruationem necessaria erant pararet, Florentiam cōtenderat; & legatum cum reliquis copijs, vt Franciscummariam ad Hetruriæ expeditionem deserendam cogeret, Vrbinatem ducatum, ad cuius custodiam nemo præter incolas erat relictus, ingredi iusserat. Franciscusmaria non sine alicuius conspirationis spe exercitum Perusiæ admouit; vbi Ioannespaulus obequitans, in media via à quodam ciue telo petitus fuit, cui cum res non successisset, statim eorum qui Ioannempaulum comitabantur cōcursu, fuit interfectus: atq; hoc in tumultu is nōnullos alios sibi suspectos interfici curauit; sicq; ab insidijs liberatus extra omne periculum esse videbatur: hostes enim qui iam multos dies Perusiam obsederant, vi capiendæ facultatem non habebant: & tamen Ioannespaulus quo tempore pontifex id minimè sperabat, Perusinum populum cui ipse repugnare non posset agri vastationem amplius ferre nolle, sui excusandi gratia afferens, se decem aureorum numûm millia, & commeatum ad quatuor dies daturum; arma contra Franciscummariam eo in bello non capturum; vt ipsi statim Perusino agro excederent cum illo exercitu pactus est: quæ res pontifici valde molesta, atque in sinistram partem accepta fuit: opinionem enim iam eius belli initiò, cum tam lentè promissa auxilia ad exercitum duxit, de illo conceptam confirmauit; quod videlicet ei Laurentij potentiæ minimè fidens, Franciscummariam Vrbinati imperio potiri cuperet. Fuerat quoq; Ballioni molestum, quòd dum in castris apud Laurentium fuerat, Rentius & Vitellius maiorem ipso autoritatem habuissent; quarum rerum memoria fortasse sequentibus temporibus eius calamitatum potissima causa fuit. Franciscusmaria cum Perusinis pactus, Ciuitatem castelli versus contendit; vbi quum Sansepulcri vrbem versus Florentinorum imperij aggrediendi consilio aliquot excursiones fecisset, proprij imperij periculum eum aliud cōsilium capere coëgit; legatus enim Bibiena pedestribus copijs denuò conscriptis, id quod Pisauri constitutum fuerat sequutus, reliquum exercitum Forosempronij admouerat; quæ ciuitas tormētis verberata, tertio die capta atq; direpta fuit. Pergulam deinde exercitum duxit, vbi sequenti die Potentiæ comes cum quadringentis Hispanis cataphractis ab Hispaniæ rege ad pontificis auxilium missis, se eius exercitui coniunxit. Pergulæ nullus erat miles, sed tantùm Hispanus quidam centurio, & multi regionis incolæ, qui territi deditionem moliebantur: sed dum id tractatur, cēturione qui in muro stabat in facie vulnerato, milites absq; vllo ordine ducumue imperio irruptione facta, oppidum expugnarunt. Pergula exercitum Callium ducere cogitabant, sed Franciscummariam Forosempronij iactura audita, summa cele-

ritate in eam regionem redire certiores facti, retrocedere statuerunt: quocirca eadem nocte qua legatus eius rei nuntios accepit, Pergula discesserunt, & Monteleonem profecti, cum iam vt illic pernoctarent, metari incœpissent, nouis nuntijs hostium celeritatem opinione maiorem esse, eumque mille equites qui singuli peditem vnum in clunibus ferebant, vt eis lentius ire coactis, tempus exercitui ad eos assequendos daretur, præmittere certiores facti, septem millia passus ad locum quendam cui Bosco nomen est sunt progressi: quo ex loco sequenti die ante lucem profecti, iam ferè à tergo hostium equites, qui tanta celeritate venerant, vt si quatuor modò horis serius se recepissent, vix pugnæ necessitatem vitaturi fuerint, habentes, Fanum se contulerunt. Interea verò aliæ quoq; pontificis actiones haud feliciorem bellicis rebus successum habebãt: cuius vitæ Alfonsus Senensis cardinalis pontificem laborum ac periculorum quæ Pandulfus Petruccius eius pater, vt ipse & fratres Florentinum imperium recuperarent pertulerat, & eorum quæ ipse vnà cum alijs iunioribus cardinalibus vt eum ad pontificatum promoueret in conclaui egerat oblitum, pro tot beneficijs, Borghesium & se Senis pelli curasset: quamobrem paternis etiam bonis spoliatus splendidè vt solebat purpurei galeri dignitatem tueri minimè poterat, indignatus insidiabatur; odioq; ardens, & ferè ad desperationem redactus, iuuenili consilio de eo per seipsum vi & armis trucidando cogitauerat: sed periculo & rei difficultate potius quàm exemplo vel communi per vniuersum Christianum orbem si cardinalis quispiam sua manu pontificem interfeciisset offensione retentus, cogitationes suas omnes ad illum per Baptistam Vercellium chirurgum celebrem sibiq; familiarissimum veneno tollendum conuerterat: cuius consilij (si tam nefarius furor hoc nomine dignus est) hic debebat esse ordo; vt ipse postquã aliam occasionem inuenire non poterat, eius peritiam summis laudibus celebrans, vt pontifex qui ob antiquum vlcus quod sub imis natibus habebat eius generis medicorũ opera assiduè vtebatur, bona de eo cõcepta opinione illius opera vti vellet efficere conaretur: sed Alfonsi impatientia huius rei spem valde difficilem reddidit: dum enim in hoc tractando multùm temporis interponitur, Alfonsus, qui se quin palam de pontificis ingrato animo quereretur continere non poterat, quotidie odiosior factus, & ne quid contra pontificis imperium moliretur suspectus, tandem vt saluti suæ consuleret Roma discedere penè coactus fuit: sed Antonium Ninum suum scribam in vrbe reliquit; cumque inter eos assiduè literæ vltro citroq; mitterentur, pontifex ex nonnullis quæ interceptæ fuerunt vitæ suæ insidias parari animaduertit: quamobrem quasi Alfonsi rebus consulere vellet, publicæ fidei literis ei datis, & eius non violandi fide proprio ore Hispaniæ regis oratori data, Romam eum aduocauit: qua re fretus quamuis tanti sceleris conscius esset, imprudens ad pontificem profectus, ipse & Bandinellus Saulius Genuẽsis cardinalis qui & ipse Leonis ad pontificatum promotionem iuuerat, sed tanta familiaritate Alfonso coniunctus, vt omnium consiliorum particeps esse crederetur, in ipso pontificis cubiculo capti, & inde in Angelicam arcem perducti sunt; statimq; vt Baptista Vercellius qui tunc Florentiæ artem suam exercebat, in vincula conijceretur, & illicò Romam mitteretur, mandatum est. Hispaniæ regis orator vehementissimis verbis attestationibusq; fidem sibi vt eius regis oratori datam, non secus ac si regi ipsi dedisset seruandam asserens, vt Alfonsus liberaretur efficere conatus est: sed pontifex, nullis quantumuis ampliss imis, validisq; ac peculiaribus promissis plenis fidei literis, vnquam ei qui in põtificis vitam deliquisset, nisi eius delicti expressa mentio facta esset, cautũ esse intelligi potuisse: eandem quoq; exceptionẽ & in veneni caussa requiri à qua diuinę & humanæ leges tantopere abhorrerent, vt peculiari & singulari expressione opus haberet, respondebat. Illis interrogandis pontifex Marium Perusc um Romanum fisci procuratorem præfecit, à quo seuerè habita quæstione, delictum ab Alfonso, Bandinello conscio machinatum, sunt confessi; quod & Baptista Chirurgus, & Pocointesta, Bagnacauallus, qui sub Pandulfo eius patre, & Borghesio eius fratre, diu præsidij quod Senis in foro habebatur præfectus fuerat, confirmarunt; eamq; ob caussam publicè in quatuor partes sunt discerpti. Sed postquam id sunt confessi, in proximo purpuratorum Senatu, Raphael Riarius Sancti Georgij cardinalis sacri ærarij præfectus, qui opibus, aulę magnificentia, & longo tempore quo in ea dignitate fuerat, proculdubio primum in eo collegio lo-

gio locum obtinebat, captus, & in arcem perductus fuit: qui id consilium sibi non communicatum fuisse, sed tamen Senensem cardinalem, secum de pontifice conquerentem eiq; minantem sæpius huiusmodi verba protulisse, ex quibus illum si occasio daretur, vt in eius vitam aliquid tentaret in animo habere, animaduertere potuerit, confessus est. Questus deinde altero consessu, in quo cardinales violari non assueti, omnes animo deiecti & consternati erant, est pontifex, quòd tam crudeliter & nefariè, ab ijs qui in tanta dignitate constituti, quique quòd sacrosanctæ sedis præcipua membra essent, præ ceteris omnibus se tueri deberent, vitæ suæ insidiæ struerentur, aduersam sibi fortunam vehementer accusans: quodque nihil ipsi profuisset, in omnes etiam eò vsq; vt à multis vituperaretur, beneficum & gratum extitisse, & continenter esse: alios quoque cardinales huic delicto implicitos esse subiungens, quibus si antequam Senatus dimitteretur delictum sponte confiterentur, se ad clementiam, & eis ignoscendum paratum esse: Senatu autem dimisso, iusticiæ seueritate in eos qui tanto sceleri essent affines vsurũ. Ob quæ verba Adrianus Cornetanus, & Franciscus Soderinus Volaterranus cardinales genibus ante pontificis sedem flexis, Senensem cardinalem ijsdem secum verbis quibus cum Sancti Georgij cardinale vsum fuisse dixerunt. Quæstionibus habitis & illorum responsis in Senatu publicatis, Alfonsus & Bandinellus sententia in publico Senatu lata, purpurei galeri dignitate, & sacris exuti, & rerum capitalium iudicibus traditi sunt. Alfonsus proxima nocte in carcere strangulatus fuit; Bandinelli verò suppli cium pontificis beneficio in sempiterna vincula cõmutatum est: quem etiam pontifex non multo pòst, non modò è carcere liberauit, verùm etiam certa pecunia accepta, etsi iustiorem in eum indignationis caussam haberet, quia semper beneficijs ab ipso affectus, & benignè admodum acceptus, non aliam ob caussam nisi ob magnam quam cum Alfonso habebat necessitudinem, & quòd Mediceus cardinalis in quorundam beneficiorum petitione ipsi antepositus fuisset, à pontifice alienatus fuerat, haberet, purpureum ei galerum restituit: nec tamen homines fortasse maligni, qui ei antequam è carcere egrederetur pontificis iussu eius generis venenum, quod non statim hominem tollit, sed temporis progressu accipientis vitam paulatim absumit propinatum fuisse iudicarent, defuerunt. Cum sancti Georgij cardinale quod leuius deliquisse videretur (etsi leges à principibus ad status sui securitatem latæ & explicatæ, in maiestatis crimine non modò eos qui machinati fuerint, sed & qui aliquem contra maiestatem nutum feciſſe norint, & multo magis cum de principis vita agitur, capitali pœnæ addictos esse velint) pontifex illius ætatis, autoritatis & maximæ necessitudinis, qua diu ante ipsius pontificatum coniuncti fuerant, ratione habita, mitius egit: ideò etsi vt seueritatis autoritas conseruaretur, eodem iudicio purpureo galero exutus fuerit, statim ferè maxima pecuniæ summa promissa, priuilegio excepto suffragij vel ferendi, vel accipiendi iure, quod tamen ei nec dum anno vertẽte fuit restitutum. Adriano, & Volaterrano nulla fuit allata molestia; nisi quòd clàm certam pecuniæ summam pontifici persoluerunt: sed quum neuter se tutò vel cum sua dignitate Romæ agere posse speraret, Volaterranus accepta à pontifice venia Fundos, vbi sub Prosperi Columnæ patrocinio ad pontificis obitum vsque vixit, se contulit: Adrianus verò clàm Roma profectus, quicquid tandem eo factũ sit, nullo vnquã amplius in loco, quod sciatur, vel inuẽtus vel visus fuit. Huius casus atrocitas pontificẽ quum totum ferè collegium horum supplicio, aliasq; ob caussas animo à se vehementer alienatũ animaduerteret, de nouis cardinalib. creandis cogitare coëgit; qua in re tam immoderatus fuit, vt vnico die in Senatu cardinalibus metu & non voluntate cõsentientibus 30 & vnũ cardinales pronuntiarit: qua in copia, multis suis consilijs obsequẽdi, & omnis generis homines in Senatum legendi facultatẽ habuit: duos enim sororum suarum filios, & nonnullos ex ijs qui cum ipsi & in põtificatu & ante operã dedissent, & cardinali Mediceo atq; ipsi varias ob caussas grati fuissent, nullã aliã ob caussam tanto gradu digni erant, promouit: in multorum cooptatione magnis principibus est gratificatus: cõplures quòd pecunijs exhaustus esset, & in maxima egestate, pecunia cooptauit: fuerunt & nonnulli eruditionis fama clari, & tres, Augustini, Dominici, & Franciſci sodalium principes (Generales inter illos quæ supremæ dignitatis appellatio est, vocantur) & quod rarissimum fuit, duos eadẽ promotione ex Triultia familia, alterũ

quia ipſius cubicularius fuerat, & vt Ioanniiacobo ſatisfaceret, alterum ob eruditionis famam aliqua pecunia ſuffultam: quod verò maiorem admirationem peperit, fuit, Franciotti Vrſini, Pompeij Columnæ, & quinq; aliorum Romanorum ex præcipuis familijs, qui vel hanc vel illam factionem ſequebantur promotio, conſilio defuncti pontificis decreto prorſus contrario; quodq; imprudens iudicatum eſt, atq; eius propinquis exitu parum felix: nam quum Iulius quòd ſemper Romanorum procerum potentia pontifices depreſſerit ac turbarit, veteribus illarum familiarum quas Alexander VI vt proprijs regnis ſpoliaret acerbè perſequutus fuerat, cardinalibus defunctis, neminem vnquam ex illis in ea dignitate collocare voluiſſet, Leo tam immoderatè contrarium egit; nec tamen eorum meritis impulſus fuiſſe dici poterat: Franciottus enim ex militia ad cardinalatum promotus fuit: & Pompeio qui quamuis epiſcopus eſſet, ex Iulij põtificis morbo occaſione ſumpta, populum Romanum contra ſacerdotum imperium ad tumultum cõcitare conatus fuerat, à quo hac de cauſſa epiſcopatu ſpoliatus fuerat, eius facti memoria obeſſe debebat. Interea verò Franciſcusmaria, poſtquam ob hoſtium receptum ſeu fugam potius pugnandi facultatem nõ habuerat, quum exercitum valde potentem haberet, propterea quòd ad eam famam, quæ vbiq; erat diffipata, eius copijs in campeſtri pugna qui ſe opponeret, eſſe neminem, noui ſubinde milites prædæ ſpe allecti accurrebant, Picenum eſt ingreſſus; vbi Fabrianum ac pleraq; alia oppida agros ſuos à direptionis ac rapinarum periculo pecunia redimentes, cum eo conuenerunt: nonnulla alia diripuit, in quibus fuit Ieſium ciuitas, dum de deditione ageret oppreſſa: deinde Anconam, ad quam tuendam legatus copias miſerat acceſſit; circa quam magno cum rerum ſuarum ob temporis iacturam detrimento complures dies non pugnans, ſed de pactione cum Anconitanis agens hæſit: qui tandem ne iam maturam meſſem amitterent, nulla alia in re à conſueta pontificij imperij fide declinantes, ei octo aureorum numûm millia dederunt. Deinde Oſimum ciuitatem parum feliciter oppugnauit: tandem verò Corinaldo exercitum admouit; quo in oppido erant ducenti auxiliarij pedites, à quibus & oppidanis tam fortiter propugnatum fuit, vt quum illud 20 duos dies obſediſſet, tandẽ magna cum eius exercitus, quod nullũ ex ijs locis quæ paciſci noluerant expugnaſſet, terroris diminutione, eius occupandi ſpe amiſſa diſceſſit: cuius tamen rei neq; ducũ imperitia, neq; militũ ignauia cauſſa erat: ſed quòd tormẽta niſi pauciſſima eaq; parua nõ haberent, ac rebus ad ea opportunis carerent; & nihilominus neceſſe fuerat vt oppida quæ ei cedere noluerant, ipſa per ſe conſtantiã virtutemq; ſuam oſtenderent; quoniam pontificij exercitus duces, inter quos Potentiæ comes primum locum obtinebat, etſi milites ad Vrbini mœnia vſq; prædatum miſerant, & Siſeus ex Ciuitatecaſtelli in Flaminiam reuerſus, Montemfeltrium pòſt erat aggreſſus, ac Seccianum cum nonnullis alijs paruis oppidulis ceperat, ad quintum à Piſauro lapidem, ea mente vt nulli loco opem ferre, neq; inde niſi retrocedere cogerentur, pedem mouere vellẽt caſtra locarant: nam cum res dum viribus tanto ſuperiores erant, tam infeliciter ſucceſſiſſent, nunc peditatu tanto inferiores hoſtis appropinquantis famam, nedum aliud ſuſtinere non eſſent auſi: qua in ſententia ex pontificis mente facta, ſex millium Heluetiorum quos pontifex Galliæ regis conſilium ſequutus conſcribi iuſſerat, aduentus ſpes eos cõfirmabat: rex enim poſt fœdus ictum pontificis victoriam exoptabat, & ſimul tamen idem quod antea de illo ſuſpicabatur: eius ſuſpicionem alebant Galeatij Vicecomitis & M. Antonij Columnæ verba; quorum alter ab exilio in patriam reſtitutus, alter quòd labores ſuos à Cęſare non remunerari videret, honeſtis conditionibus ad regis ſtipendia tranſierant, pontificem, cum Cæſare & Heluetijs contra illum vehementer elaboraſſe ei retulerant: & multo magis regem mouebat, quòd pontifex occultè nouum cum Cæſare, cum Hiſpano & Anglo fœdus inierat; quod etſi ei facere licuerat (erat enim ad defenſionẽ ſolummodo factũ) non parum tamen eius animum turbabat: vt eum bello liberari cuperet efficiebat timor, ne pontifex ſi auxilia ſua prompta nõ uidiſſet, cum ijſdem principibus arctius ſeſe coniungeret: præterea Vrbinatis exercitus cuius heruus erant Hiſpani ac Germani pedites, ſecunda fortuna ei moleſta & ſuſpecta eſſe incipiebat: quapropter præter quàm quòd pontifici vt ſe Heluetijs peditibus armaret ſuaſerat, trecentos cataphractos, quos Thoma Foiſſeio Scuti domino, Odetti fratre, duce miſſurus eſſet cum præter viri exiſtimationem

mationem atq; virtutem, in Aquitanis peditibus, apud quos hi Foiſſeij fratres nobiliſſima in Aquitania ſtirpe nati maxima autoritate pollerent, à Franciſcomaria ſeparandis ipſi vtilem fore afferens, obtulit. Pontifex eam oblationem acceperat, ſed, quòd, vt antea, de regis voluntate dubitaret, animo valde dubio, cuius ſuſpicionem Aquitanorum peditum fuga quam occulta Lautrechij opera factam eſſe ſuſpicabatur auxerat. Et certè qui eo tempore principum actiones ponderaſſet, mutuam illorum de alijs ſuſpicionem ex ipſorũ pectoribus nullo officij beneficijúe genere, nullo fœdere euelli poſſe apertè cognoſcere potuiſſet: neque enim ſolùm inter Galliæ regem & pontificem reciproca ſuſpicio erat; ſed neq; Hiſpaniæ rex, vbi de Heluetiorum & Thomæ Foiſſeij profectione agi audiuit, ne pontifex & rex ſimul coniuncti, de ſe regno neapolitano ſpoliando cogitarent, metu caruit; quæ res pontificis rebus profuiſſe creduntur: vterq; enim illorũ ne ei ab amicitia ſua diſcedendi cauſſam prætextumúe præberet, eum beneficijs auxilijsq; confirmare ac deuincire nitebatur. Sed Franciſcusmaria Corinaldo relicto, vt populorum ſuorum meſſem tueretur, in Vrbinatium fines redijt; & cum, quemadmodum ſemper fecerat, Piſauro qua in ciuitate Potentię Comes cum ſuis copijs erat, potiri vehementer cuperet, ei exercitum admouit; & vt eos commeatu prohiberet, aliquot naues in mari poſuit: ſed contrà Arimini ſexdecim partim Barchæ, vt vocant, partim Brigantini, partim Schiratij, quæ ſunt nauigiorum huius temporis genera, inſtruebant: quæ vbi exornatæ fuerunt, & naues quaſdam commeatu onuſtas Piſaurum comitarentur, Franciſcimariæ naues obuias habuerunt, cum quibus congreſſæ, præcipua illorum naui depreſſa, reliquas omnes cœperunt: quamobrem ipſe Piſauri expugnandi ſpe deiectus, diſceſſit. Scutus interea cum trecentis cataphractis progrediebatur, ſed Heluetij, quia ciuitates illorum antequam vetera ab illo ſtipendia accepiſſent, militem ei concedere nolebant, cunctabantur; ex qua ſententia quum remoueri non poſſent, nec pontifex ob grauiſſimos ſumptus ſoluẽdo eſſet, eius miniſtri, vbi multos dies in hoc negotio conſumpſiſſent, duo priuatorum peditum millia ex ea gente abſq; publico decreto, & quatuor partim Germanorum, partim Rhetorum millia conſcripſerunt: qui quum tandem veniſſent, & Arimini in ſuburbijs quæ ab reliqua ciuitate flumine interlabente diſiuncta & mœnibus ſepta ſunt, caſtra poſuiſſent, Franciſcusmaria, noctu ſub egregij mar morei pontis, qui ſuburbium ciuitati coniungit fornices ingreſſus, fluuium maris reflu-xu auctum pertranſire non potuit. Pugna inter ipſius copias & milites qui in ſuburbijs erant atrox fuit; in qua cecidit Gaſpar pontificis prætorianæ cohortis dux, qui eos duxerat; ſed maior fuit hoſtium clades, Balaſtichino & Vinea Hiſpanis ducibus cæſis: & Federico Bozolo vulnerato, atq; ipſo Franciſcomaria ſcloppi glande in lorica tacto: exercitum deinde magis neceſſitate, quàm ſpe ductus, in Hetruriam duxit: neq; enim tantus exercitus in prorſus exhauſta regione ali poterat. In Hetruria aliquot dies inter Stephani plebem, Sanſepulchri Burgum, & Anglarium, Florentinorum ciuitates moratus, & Montedolio, minime munito paruiq; momenti loco occupato, Anglarium ciuitatem magis fide & hominum virtute, quàm mœnium firmitudine alioúe munitionis genere munitam diu oppugnauit: qua non capta ſub Apenninum inter Sanſepulchrum, & Caſtelliciuitatem ſe recepit, vnde quatuor tormentis Mercatello afferri iuſſis, minus quingentis paſſibus ab Sepulchri Burgo remotus in ea via qua Vrbinum itur, quid ſibi agendum eſſet incertus caſtra locauit: nam quum hoſtes poſt illum in Hetruriam veniſſent, multi Itali milites Sanſepulchrum erant ingreſſi; Vitellius cum altera Italorum parte in Ciuitate caſtelli hęſerat, Anglarium, Stephani plebem, aliaque circumiecta oppida, Germani, Corſi, Rheti, & Heluetij pedites petierant. Venit quoq; quamuis ſerius & Laurentius Medices Florentia ad Sanſepulchrum, circa quam ciuitatem Franciſcusmaria multos dies otioſè contriuit; quibus in locis cum commeatus penuria laborare incipe-ret, nec vllius rei bene gerendæ ſpem præſentem videret; cumque ipſius exercitus, qui præda & rapinis vitam tueri cogebatur, iam non minus amicis quàm hoſtibus formidabilis eſſet, ipſemet rerum ſuarum minimè felicem exitum videre incipiebat; & militibus qui eum erant ſequuti, quum nec ſtipendia, nec, quia tormentis cum rebus ad ea opportunis ad ciuitates expugnandas carerent, opimæ prædæ ſpem amplius vllam haberent, & commeatus penuria laborarent; hoſtes verò, quibus ſe tot principes tanto ſtu-

dio fauere oſtendebant, viribus & exiſtimatione auctos cernerent, belli ex quo iam neque tempeſtiua pugna, neque temporis ſucceſſu felicem exitum ſperabant, diuturnitas moleſta eſſe incipiebat: & viciſſim pontifici pecunia exhauſto, ad ea quæ exercitui erant neceſſaria comparanda per ſe tenaci; & quemadmodum ſemper de regum & præſertim de Galliæ regis qui cunctanter pecuniam ex fœdere debitam mittebat; & quia Scutus qui pontificis iuſſu in Flaminia hæſerat, cataphractorum ſuorum, quòd ſe eos diuidere nolle diceret, partem in Hetruriam mittere recuſarat, fide dubitanti idem vſu veniebat: idcirco & antequam exercitus trans Apenninum venirent, & multo magis rebus in hũc ſtatum redactis, varia inter legatum & Franciſcummariam vnà cum eius ducibus, Scuto, & Vgone Moncada Siciliæ prorege, ab Hiſpaniæ rege in hunc finem miſſo intercedentibus, de pace colloquia habita fuerant: ſed ob legum à Franciſcomaria propoſitarum duritiem, nihil ad eam vſq; diem effectum fuerat. Tandem verò Hiſpani pedites, difficultatibus quæ apparebant, & Vgonis qui ad eos profectus, & minas autoritati addens, hanc eſſe expreſſam Hiſpaniæ regis voluntatem oſtenderat, ſermonibus moti, ad concordiam inclinarunt: quæ Franciſcomaria quamuis non libenter conſentiente, & Auellini epiſcopo à legato miſſo, pro pontifice ſtipulante, Aquitanis quoq; peditibus Scuti opera conniuentibus, hunc in modum componebatur: Pontifex Hiſpanis peditibus aureorum nũmũm quadraginta quinq; millia, quæ, vt aiebant in quadrimeſtre ſtipendium debebantur, Aquitanis & Germanis ſimul coniunctis ſexaginta millia; omnes intra octo dies Eccleſiæ, Florentinorum, & Vrbinati imperio excederent: Franciſcusmaria ijs omnibus quę poſſidebat eodem quo erant ſtatu relictis, tutò Mantuam ire poſſet; tormenta, omnemq; ſuam ſupellectilem, & nominatim celebrem illam bibliothecam, quæ tanto ſumptu & diligentia à Federico eius materno auo, omnium ſui temporis belli ducum clariſſimo, ſed & inter multas alias egregias virtutes literarum tutela, & fauore claro, comparata fuerat, ei aſportare liceret: Pontifex eum ſacris cenſuris eximeret: omnib. Vrbinati imperio ſubiectis, alijsq; omnibus qui ei hoc in bello aduerſi fuiſſent, ignoſceret: quarum rerum ſumma dum prolixius in tabulas refertur, Franciſcusmaria quædam verba, quæ Hiſpanos eos eſſe, qui põtifici Vrbinatem ducatum promittebant innuerent, inferi volebat: quod cum illi vt honori ipſorum contrarium recuſarent, contentio eſt inter eos orta; quare Franciſcuſmaria ne ſe pontifici venderent veritus, repentè cum expeditorum equitum parte, atque Italis, Aquitanis, ac Germanis peditibus, & quatuor tormentis in Seſtinæ Piuierium ſe contulit: Hiſpani pacis negotio tranſacto, pecuniaq; accepta, ad circiter ſexcentos equites, & quatuor peditum millia quum diſcederent redacti, in regnum neapolitanum contenderunt: idem & ceteri pedites perfidiæ ſuæ præmio accepto fecerunt: ſolis Italis nihil vel datum vel promiſſum; ideo & Franciſcusmaria cuius ſalutis Scutus peculiarem curam habere eſt viſus, à Federico Bozolenſi & centum equitibus ac ſexcentis peditibus comitatus, vbi ſe ab omnibus deſertũ conſpexit, paci antea tractatæ adhærens, per Flaminiam Aemiliamq; & Bononienſem agrum Mantuam eſt profectus. Hunc finem habuit Vrbinatis imperij bellum, octo menſes maximo victoris ſumptu & probro geſtum: à pontifice enim octo millia auri pondo expenſa fuerunt; cuius auri maximam partem Florentina reſp. ob magnam illius in ea ciuitate potentiam perſoluit; & duces penes quos rerum ſumma erat, ab omnibus ſummæ ignauiæ & perturbatæ admodũ adminiſtrationis, & à nonnullis parum ſinceræ mentis notabantur: in eius enim belli initio quum Laurentij vires valde magnæ eſſent, hoſtium verò imbecilles, nulla vnquam, neq; apertæ virtutis, neq; induſtriæ vel prouidentię occaſione ſunt vſi: quibus initijs ob exiſtimationem amiſſam, militum diſciplina collabente, belli progreſſu multarum rerum in caſtris penuria acceſſit; ac tandem fortuna ex illorum erratis voluptatem capiens errores erroribus adeò cumulauit, vt belli res eò deuenerint, vt pontifex vitæ ſuæ inſidijs detectis, in Eccleſiæ dominatu moleſtijs exagitatus, & aliquando non parum Florentino imperio metuens, omnium auxilia precibus & nouis obligationibus implorare coactus; ſe tamen, niſi ex propria pecunia ijs hoſtilis exercitus copijs, quæ belli origo fuerant, vel ipſius ſtipendijs conſcriptæ poſt multas extorſiones arma in ipſum turpiter conuerterant, tot moleſtijs liberare non potuerit. Hoc ipſo anno ac ferè ſub eius finem, Hiſpaniæ rex felici nauigatione, à Galliæ rege

rege,inter quos (vtroq; internum animi consilium tegente) amica admodum vtrinque signa edebantur, vt sibi sex mensium spacium primam mille auri pondo quæ illi postremæ inter ipsos pactionis debebat, solutionem prorogaret, adeptus,regnorum suorum possessionem adijt: & Veneti fœdus, quod cum Franco rege ad mutuam defensionem habebant,in biennium renouarunt;cuius amicitia freti,ceterorum omnium amicitiam parui faciebant; ita vt nondum legatos ad pontificem adorandum misissent; qui quòd Altobellum Polanum episcopum legatum Venetias misisset,quasi ipsius maiestate rem indignam egisset, in hominum incidit reprehensionem.Sequitur annus MD XVIII. quo 1518.
Italia,quod iam ante multos annos non contigerat, ne minimum quidem belli motum sensit; imò idem in omnibus Chtistianis principibus studium apparebat; inter quos pontifice autore, sed potius speciosis sermonibus,quàm grauibus consilijs,de communi totius Christianæ reipublicæ contra Selymum Turcarum principem expeditione agebatur:qui superiore anno ita imperium suum auxerat,vt eius potentia nec minus dominandi cupiditate, virtute, ac ferocitate cognita, ne,nisi Christiani eum primo adorirentur, intra non multum tempus, victricia arma in nos conuerteret, meritò dubitari posset. Selymus enim quum Baiasethum patrem suum,iam valde senem, de Ahcomate maximo natu filio in imperij successione firmando cogitare præuidisset, contra eum coniuratione facta, prætorianis militibus largitione corruptis,armis illum, vt sibi imperij ius cederet coëgit: quin etiam communis opinio fuit,illum,quo prorsus ab illo securus esset, veneno eum nefariè sustulisse; & fratrem quidem prælio victum apertè vita priuauit: idem & Corchuto minimo natu fratri fecit:neque nepotum atq; omnium qui ex illa stirpe viuebant ex Ottomannorum consuetudine cæde contentus, aliquando(tam fuit acerbo & immiti ingenio)de Solymano vnico filio necando cogitasse creditur. Ex his initijs bella ex bello serens, Adulitis siue Aladulis montanis & ferocibus populis deuictis, in Persidem contra Sophum progressus, eum prœlio vicit: Taurim eius imperij sedem, cum maxima Persiæ parte occupauit,quam pòst, non quidem hostium,qui ipsius exercitus timore sese in montana silueſtriaque loca receperant virtute, sed cum eo anno summa sterilitas fuisset,commeatu deficiente,deserere coactus est.Ex hac expeditione Constantinopolim reuersus, & multis militibus qui seditionum autores fuerant supplicio affectis, copijs per aliquot menses refectis,ac suppletis, se iterum ad Persas debellandos redire velle simulans, in Assyriç & Aegypti Sultanum arma conuertit. Erat is princeps non modò in ea religione vetustissima reuerentia & dignitate maximus, verùm etiã imperij amplitudine,maximis vectigalibus, & Mamaluchorum, quorum armis imperium illud per trecentos annos summa cum dignitate possessum fuerat,militia potentissimus; cum enim ei imperio Sultani,qui non successione,sed suffragijs ad supremum gradum euehebantur, ad quem nulli nisi spectatæ virtutis viri, & per omnes militiæ gradus ad prouinciarum exercituumque administrationem prouecti extollebantur,preęssent; cumque illorum militiæ neruus non ex mercenarijs externisque militibus, sed delectis viris qui ab infantia ex vicinis prouincijs abrepti, ac per multos annos in victus parcitate, laborum tolerantia, & assidua armorum equestris omnisque militaris disciplinæ exercitatione educati, in Mamaluchorum ordinem referebantur: defunctorum haud quidem Mamaluchorum liberis,sed alijs qui ab infantia in seruitutem abducti,eadem disciplina ijsdemque artibus,quibus priores,paulatim ascendebant,in eorum locum ordine succedentibus,constaret:hi numero non supra 16 vel 18 millia,omnes Aegypti, Assyriæque populos armis omnibus spoliatos, & equorum vsu interdictos accerbissimo seruitutis iugo premebant:& cum tanta virtute ac ferocitate essent præditi, vt ipsi per se bella gererent (ex illorum enim numero & ab ipsis Sultani creabantur)ac penes ipsos erãt omnes illius opulentissimi ditissimiq; imperij honores,emolumenta,& magistratus,nõ modò multas vicinas gentes domuerãt,Arabesq; afflixerant, sed multis etiam cum Turcis bellis gestis,complures victorias ex illis reportarant;ipsi autẽ rarò,vel nũquam potius ab eis victi fuerant. Contra hos igitur cum exercitu suo profectus Selymus,eisq; pluribus prelijs in quib.cæsus fuit Sultanus,& deinde alio prælio alter Sultanus, qui illi successerat captus, & ab illo publicè turpi supplicio affectus in acie deuictis,ingentiq; cæde facta;imò Mamaluchorum nomine penè extin-

cto, Cayro frequentissima vrbe, in qua Sultani sedem habebant expugnata, breuissimo temporis spacio omnem Assiyriam, omnemq; Aegyptum occupauit; adeò vt quum tam breui tempore ita imperium suum auxisset, imperij Ottomannici vectigalia ferè duplicasset, ac tam potentes tantæq; existimationis æmulos amouisset, nõ sine caussa christianis esset formidabilis. Præterea illud quoq; meritò timorem augebat, quòd tantæ potentiæ ac virtuti, ardens dominandi, nominisq; sui victorijs apud posteros gloria illustrãdi cupiditas coniuncta esset, qua (vt fama erat) quum sæpe res ab Alexandro Magno & Iulio Cæsare gestas legeret, quòd res à se gestæ, nulla in parte tot illorum victorijs atq; triumphis essent comparandæ, mirum in modum animo excruciabatur: cumq; assiduè copias militiamq; suam suppleret, maximum nauium numerum fieri curaret, nouosque ad bellum necessarios apparatus faceret, alij ne vbi paratus esset, Rhodum christianæ reip. in oriente propugnaculum, alij Pannoniæ regnum quondam ob incolarum ferocitatem à Turcis formidatum, tunc verò, quòd pupillum regem, cuius curæ regni Antistites & proceres inter se dissentientes præerant, haberet, eneruatum, oppugnatum vaderet metuebant. Alij verò eius cogitationes omnes in Italiam, vtpote ad quam inuadendam, eum principum discordiæ, quodq; quàm diuturnis bellis esset lacerata minimè ignoraret, & Mahumetis aui sui qui viribus longè minoribus paruaq; classe in regnum neapolitanũ missa, repentino impetu Hydruntum expugnarat: & nisi eum mors obruisset, ianuam sibi aperuerat, sedemq; ad Italos assiduè vexandos fixerat, memoria alliceret atq; inuitaret, conuersas aiebant. Quamobrem pontifex vnà cum vniuersa Romana curia, tanto successu territus, & se vt tam graui periculo occurreret, prius diuinã opem implorare velle ostendens, religiosissimas supplicationes, ad quas ipse nudis pedibus incessit, ad omnia vrbis templa ac delubra decreuit: deinde ad humanorum auxiliorum cogitationem conuersus, ad omnes christianos principes epistolas dedit, quibus eos de tanto periculo admoneret; atq; vt dissidijs contentionibusq; depositis, religioni & communi saluti, quæ nisi animis omnium, viribusq; coniunctis bellum in Turcici imperij fines transferretur, hostisq; intra proprios parietes oppugnaretur, grauissimis periculis assiduè esset subiecta, tuendæ promptè operam darent hortabatur: qua de re multorum militarium virorum, & regionum, ac prouinciarum situs, eiusq; imperij virium & armorum peritiam habẽtium sententijs rogatis, sic decernebatur: Necesse esse, vt maxima pecuniæ vi ex voluntaria principum contributione, & omnibus christianis populis impositio censu, collecta, Cæsar Pannonico Sarmaticoq; bellicosarum, & assiduis cum Turcis bellis exercitatarum gentium equitatu, & tali Germanorum equitum & peditum legionibus quales tanta expeditio postularet, stipatus, Danubio in Bossinam, quæ veteribus Mysia dicebatur, nauigaret; inde in Thraciam transiret, & Constantinopolitanæ vrbi, Ottomanorum imperij sedi appropinquaret: Galliæ rex cum omnibus regni sui & Venetorum, reliquorumq; Italorum viribus, & Heluetiorum pedestribus copijs, ex Brundusino portu in Epyrum facili breuissimaq; nauigatione traijceret; vt inde in Græciam christianis incolis refertam, eamq; ob caussam, & ob Turcici imperij acerbitatem ad defectionem paratissimam irrumperet: Hispaniæ, Lusitaniæ, Angliæq; reges classibus suis Cartaginæ, & in vicinis Hispaniæ portubus coniunctis, ducentis nauibus Hispanis peditibus alijsq; militibus refertis Gallipolitanum fretum, vt Dardanellis siue castellis expugnatis, Constantinopolim oppugnarent peterent: quo & pontifex ipse cum centum rostratis nauibus Ancona soluens nauigaret: quibus apparatibus, quum terræ & maria tegerentur, Turcarumq;, qui præcipuam defensionis spem in campestri pugna ponunt, imperium tot ex partibus oppugnaretur, diuino præsertim præeunte præsidio, tam pij belli felicissimus exitus sperari posse videbatur. Hæc vt tractarentur, vel saltem ne pontificio muneri defuisse dici posset, Leo principum animis prius exploratis, in purpuratorum Senatu inter omnes christianos principes, grauissimis in eos qui non paruissent sacrosanctæ potestatis adiectis minis, quinq; annorum inducias promulgauit: & vt ea quæ ad tantam expeditionem spectabant, de quibus etiam assiduè cum principum oratoribus agebat, probarentur & tractarentur, sancti Xisti cardinalem ad Cæsarem, Bibienam ad Francum, Egidium, ad Hispanum, & Laurentium Campegium ad Anglum reges, omnes aut negotiorum tractandorum peritia au

doctri-

doctrinæ opinione, aut pontificis familiaritate magnæ autoritatis cardinales legatos deſtinauit: quæ etſi magna expectatione cœpta fuerint, induciæque ab omnibus confirmatæ, & omnes ſe contra Turcas ſi ceteri concurrerent, verborum oſtentatione & magnificentia, ad tam iuſtam cauſſam paratos oſtenderint, tamen cum ab omnibus periculum incertum & valde remotum, magisque ad vnius, quàm ad alterius poteſtatem ſpectare cenſeretur; cumq; tantum omnium ardorem conſenſumq; conciliare difficile admodum eſſet, multumq; temporis poſtularet, priuatæ rationes & cõmoda vincebant: adeo vt hæc nõ modò eò vſq; vt ſpes aliqua haberi poſſet nõ ſint perducta, verùm etiam leuiter & ad oſtentationem tantùm tractata fuerint; cum etiam hominum naturæ inſitũ ſit, vt ea quæ initio terrori fuerunt, indies ſic paulatim minuantur, ac deleantur, vt niſi noui caſus qui terrorem renouent incidant, exiguo tempore terrere homines prorſus ferè deſinant: quam in publicis rebus negligentiam, & propriorum commodorum immoderatum ſtudium, non multo pòſt Selymi mors magis confirmauit; is enim cum ob diuturnum morbum bellicos apparatus diſtuliſſet, tandem eo conſumptus, tanto imperio Solymanno filio ſuo, ętate quidem iuueni, ſed mitiori ingenio, & animo (quãuis res ipſa contrarium pòſt oſtenderit) nõ vſq; adeo bellorum cupiditate accenſo habitus, relicto, ex hac vita migrauit. Quo tempore inter pontificem & Galliæ regem maximę neceſſitudinis ſigna apparebant: rex enim Laurentio eius nepoti Magdalenam ex Illuſtri Bolonienſis familiæ ſtirpe natam, cum decem aureorũ numûm millibus in annos ſingulos partim ex regis liberalitate, partim ex ſponſæ patrimonio, in matrimoniũ collocauit: cumq; regi filius natus eſſet, à pontifice qui illum ipſius nomine ad ſacrum fontem ferret, infantem, mitteret petijt: quam ob cauſſam Laurentiũs, quò celerius inſtitutas nuptias cõficeret, per diſpoſitos equos ad regẽ eſt profectus; vbi ab rege amicè admodũ acceptus, & honore affectus fuit, apud quem ille ſeſe totum ei tradere oſtendens, ſeq; omnẽ eius fortunam ſequuturum promittens, plurimùm ſibi gratiæ conciliauit. Attulit etiam regi pontificis diploma, quo ei pecuniam ex decumis & ad ſacrum bellum collectam, ad arbitrium ſuum tandiu, donec contra Turcas eſſet vtenda, modò ſe eam quotieſcunque ad eum finem ad quem collecta fuerat, neceſſaria foret, reſtituturũ promitteret vtendã concedebat; ſed tamen ex ea 50 aureorum numûm millia in Laurentij vſum conuerti volebat: & rex qui Mutinæ & Regij quæ Ferrarienſi fieri debuerat reſtitutionẽ quemad modũ diplomate pontifex ipſe promiſerat, non factam ad eam vſq; diem etſi iam ſeptẽ menſes vltra prę ſcriptum tẽpus eſſent elapſi, diſſimulauerat, nihil pontifici moleſtius ab ſe quàm eam reſtitutionẽ vrgere, fieri poſſe animaduertens; & vt ſæpe fit maiore habita potentiorum ratione, quàm infirmiorum, promiſſi diploma in Laurentij manibus manet, permiſit. Veneti quoq; ferè eodem tẽpore Galliæ regis opera inducias cum Cæſare in quinquennium prorogarunt, ea lege, vt ei quotannis toto quinquennio, ducentas auri libras, & ciuitatum ſuarum exulibus, qui Cæſarem erant ſequuti, quartam fructuum ex bonis quibus antea fruebantur partem; quæ ad ſummam 50 auri libras quotannis aſcendebant: & fortaſſe Cæſar ſi ei maiorẽ pecuniæ vim adieciſſent, ad pacem inclinaſſet; ſed regi, quo Veneti nõ prorſus ſecuri, amicitiæ ſuæ diligenter cõſeruandæ maiorem cauſſam haberent, & nec Cæſari ea pecunia quam ab illis acciperet, alicuius nouæ rei tentandæ facultas daretur, gratiores erant induciæ, quinetiam rebus ab omni parte ad concordiam ſpectantibus, controuerſiæ inter Galliæ & Angliæ regem quoq; pace, vt firmior eſſet, noua affinitate confirmata, ſunt cõpoſitæ: quoniam Angliæ rex filiam ſuam vnicam ad quam quum alios liberos non haberet, regni ſucceſſio peruentura ſperabatur, Delphino regis maximo natu, cum 4 millibus auri libris dotis nomine deſpondit; qui ambo ætate vſq; adeo tenera erant, vt antequam ad eam ætatẽ qua ad matrimoniũ perficiendũ eſſent apti peruenirent, innumeri caſus exoriri poſſent: fœdus quoq; ad mutuã defenſionem, cuius principes Cæſar & Hiſpanus, ſi id intra certum tẽpus ratum haberent, nominabantur, inter eos eſt ictũ; & Anglus ſe Tornacum, cuius cuſtodia grauem ei ſumptum afferebat, ſi ei Gallus in ſumptus factos duo millia & 600 auri pondo in præſentia numeraret, tria millia ſe dotis nomine accepiſſe fateretur, & alia tria millia 12 annorum ſpatio diſſolueret; et ſi neq; pax, neq; affinitas contraheretur Tornacum reſtituturũ promitteret cuius rei gratia, legatis ad fœderis affinitatisq; cõfirmationem & fidem accipiendã vltrò

citroq; missis, hæc in vtriusq; aula maximo cum gaudio & ceremonia sunt peracta; constitutumq; vt hi duo reges inter Caletū & Bononiam ad colloquiū cōuenirēt: nec multo pòst Tornacum restitutū. Eodem quoq; tēpore Galliæ regis filia quæ Hispaniæ regi in matrimoniū erat destinata defuncta, pax inter eos & primum fœdus, cum alterius filię in matrimoniū dandę promissione, vtroq; principe hāc necessitudinem maximis in specie beneuolentiæ signis celebrante, fuit confirmata. Hispaniæ rex qui ei iam mille auri pondo Lugduni dari curarat, diui Michaëlis equestris ordinis torquē die qui eidem Michaëli sacer est publicè gestauit: & viciſſim Galliæ rex, die diuo Andreæ sacro palam aurei velleris insigne tulit. Sic Italiæ & transalpinis rebus pacatis, solus Ioannes Iacobus Triultius, illum neq; ętate iam penè ea ad extremā senectutē redacta, neq; virtute toties pro Gallię regibus explorata quicquam iuuante, exagitabatur: nam eius fortasse ambitione minimeq; tranquillo ingenio aliqua ex parte occasionē prębente, occultissimis suorum æmulorū insidijs oppugnatus, Lautrechio quoq; multis in rebus eum persequente, regi suspectus redditus fuerat, ne ipse cum sua familia, ob Gulfę factionis studiū, veterēq; necessitudinē Venetis, quorū copijs præerat Theodorus Triultius, quiq; paulo antè Renatum ex eadem familia conduxerant, nimis esset acceptus: quocirca rex quum pòst Frāciſci Bernardini Vicecomitis obitum, Galeatius Vicecomes Gibellinæ factionis principatum obtinuisset, quo eum maiori cum autoritate Triultio opponeret, Michaëlis equestri ordine & annua pensione eum donauerat; & ipse & Lautrechius quauis occasione eius autoritatem augebant: quæ quum nō sine Triultij qui dissimulare nō poterat, & sæpe querebatur, depressione fierent, quotidie magis inuisus suspectusq; reddebatur: illud verò Lautrechio & alijs qui illū apud regem caluminabantur occasionē auxit, quòd ab Heluetijs ciuitate donatus erat; quasi illorum patrociniū aduersus regem suscepisset, vel fortasse maiora animo versaret: ad quę crimina diluenda cū in ea senectute se in Galliam contulisset, nō modò Lautrechius, vbi ipse discessit regis mandato eius vxorē cum nepote ex Mesauci comite eius vnico filio iam defuncto nato, Vigleuani sub honesta custodia retinuit, sed neq; ab rege consueta benignitate & honore acceptus fuit: imò illum quòd Heluetius esset factus reprehendēs se ab eo vt dignus erat puniendo, nulla re nisi eius in Galliæ regnum meritorum fama supra veritatem diuulgata retineri dixit; & quod fecerat rescindere coactus fuit: paulo antem pòst dum aulam sequeretur, Carnuti in morbum incidens, in aliam vitam migrauit: vir omnium iudicio (vt multis documētis constat) magna in militari disciplina virtute prędituſ, & toto vitæ suæ cursu fortunæ, quę illum modò secundis rebus amplectebatur, modò aduersis exagitabat, incostantiæ obnoxius; cuiq; meritò id quòd ipsius mandato eius sepulcro inscriptum fuit, cōueniret, videlicet: Eo in tumulo Ioānem iacobum Triultium quiescere qui antea nunquam quieuisset. Hoc ipso anno Cæsar Imperij Rom. pòst obitum suum in alterum ex nepotibus successionis firmandæ cupidus, cum Septemuiris, vt vnum ex illis Rom. regem quem gradum qui est cōsecutus Imperatore defuncto, statim absq; alia suffragatione vel cōfirmatione in Imperio succedit, crearent agebat; & quia id antequam, qui Imperator designatus erat imperij coronam sit adeptus, fieri nō potest, apud pontificem, vt nouo exemplo sibi per aliquos cardinales ad id munus delegatos, coronam in Germania imponi curaret, instabat. Et quamuis Cęsar Ferdinandum nepotem suum, quòd maior natu frater tot regna tantamq; potentiam obtineret, hoc gradu sustentari ęquum censeret, & quo familia maiorem splendorē conseruaret, ac ob quęuis aduersa, quæ maximo natu accidere possent, duos potentes habere quàm vnum tantùm melius esse ratus, in ea dignitate collocari antea exoptasset; tamen multis familiaribus, ac Sedunensi cardinale præsertim, ijsq; omnibus qui Gallorum potentiā & formidabant & oderant contrarium suadentibus, priore sententia reiecta, ad Hispaniæ regem ad eam dignitatem promoueri curandum animum conuertit: ostendebant enim illi, ad Austriæ familiæ amplitudinē longè vtilius esse potentiam omnē in vnum cumulare, quàm ea in plures partes distributa, illos ad cogitata perficienda minus potētes reddere: tanta & talia esse Caroli magnitudinis fundamenta, vt eum, Imperij dignitate accedente, Italiam omnem & maximam christiani orbis partē sub vnum Imperium redacturum esse sperari posset: quæ res nō modò ad posteriorum potentiā, verùm etiam ad subiectorum trāquillitatem, & ob sacrosanctæ religionis

gionis hostes ad totius christianæ reip. cõmodum spectaret, eius munus esse de Cęsarea dignitate quam tot annos ipse & Austria familia obtinuisset, & quam (quum ad eam diẽ cùm ipsius, tum maiorũ suorum tenuitatem, titulo & nomine maior quã re ipsa & factis fuisset) nisi in Carolũ transferretur, eiusq; potentiæ adiungeretur, erigi atq; in pristinũ splendorẽ reuocari posse sperandum nõ esse, augenda & extollenda cogitare; cuius res occasionem naturæ & fortunę ordine oblatã, non debere ipsum impedire sed potius augere: veterũ imperatorum Cęsaris Augusti multorumq; eius successorũ exemplis cerni, illos cum liberis alijsq; ex sua stirpe natis carerent, vt dignitas quam ipsi obtinuerant, nõ extingueretur minuereturúe studiosos, cognatione remotos, vel etiã nulla ex parte sanguine iunctos, adoptionib. successores quæsiuisse: recẽs esse Catholici regis exẽplũ, qui quũ Ferdinandũ assiduè apud se educatũ vt filium diligeret, neq; vnquã Carolũ vidisset, imò illum in extrema sua ętate, præceptis suis parũ obtẽperantem esset expertus, tamen eius quẽ vt filium amabat inopiæ minimè misertum, nullã ei tot regnorũ suorum, ne ex illis quidem de quibus cum ipsemet ea acquisisset, ex arbitrio suo constituere poterat partẽ dedisset; imò ei quem ferè tantùm vt alienũ agnoscebat, omnia legasset: memoria tenere Cęsarẽ se ab eodem rege semper vt Ferdinando noua regna pararet, sed Imperiũ Carolo relinqueret hortatũ fuisse, illumq; vt successoris potentiã maiorem redderet, cõsilio à multis improbato, & fortasse iniusto, sed non aliã quàm hanc ob caussam, propriã familiam tam nobilem tamq; illustrẽ Aragoniæ regno spoliasse, & contra ominum ferè cõmune desideriũ, familiæ suæ nomen extingui & in nihilum interire permisisse. Huic Cæsaris petitioni Galliæ rex, cui tot Hispaniæ regis regnis atq; imperijs Cæsaream dignitatẽ, quæ viribus ex tanta potentia recuperatis omnibus formidabilis fieret adiungi molestissimũ erat, omni arte atq; industria intercedebat, & id apud Septẽuiros occultè impedire nitebatur; & apud pontificem ne nouo exẽplo Cæsari coronam mitteret instabat, & ad Venetos vt secum ad hæc cõsilia infringenda facerent, põtificem & illos periculi ex tanta potentia ipsis imminentis admonens, legatos miserat: sed tamen Septemuiri iam magna ex parte in Cęsaris sententiam pertracti erant; & iam ferè de pecunia ab Hispaniæ rege eis in eum finẽ promissa certi: is enim bina millia auri pondo hãc ob caussam in Germaniã miserat, nec honestè, nec fortè etiam sine offensionis periculo, pręteritorum exẽplorum ratione habita id ei denegare poterant; nec pontifex quãuis ei molestissimũ esset, vt Cæsar in Germania per legatos Imperij coronam acciperet, quum Romam ad coronã capiẽdam proficisci, etsi cum maiore sacrosanctę sedis dignitate fieret, reliquas omnes ob caussas, magis ad ritũ quàm ad rem ipsam spectaret recusaturus credebatur. In his consilijs & actionibus sententia nondum à Septemuiris lata finẽ habuit annus MDXVIII. ea verò deliberatio Cæsaris qui anni MDIX. initio obijt, morte magis anceps ac difficilis est reddita. Obijt Lintij in Austriæ finibus, vt semper, ferarũ venationibus intentus, eademq; cum qua semper ferè vixerat fortuna comitante; quæ in maximis occasionibus offerendis cum liberalissima fuisset, an vicissim quo minus eas arriperet ei aduersa fuerit, an potius ijs quæ à fortuna illi in domũ importabantur, eum inconstantia, & non satis moderata atq; ab reliquorũ hominũ iudicio sępe discrepantia cõsilia cum immensa pecuniarum profusione cõiuncta, quæ illi omnes successus & occasiones frangerent, priuarit, nescio. Fuit autem alioqui princeps rei bellicę peritissimus, diligens, tacitus, laboriosissimus, clemens, benignus, multisq; egregijs dotibus atq; ornamentis plenus. Maximiliano mortuo, Galliæ & Hispaniæ rex apertè ad Imperiũ aspirare cœperunt; quę controuersia etsi de tanti momenti re, & inter tam potentes principes esset, modestè tamen inter eos tractata fuit: ita vt nec ad verborũ contumelias, nec ad armorũ minas ventũ sit; sed vterq; sua autoritate & instrumentis Septẽuirũm animos ad se allicere nitebatur: imò Galliæ rex admodũ laudabili cõsilio, ea de re cum Hispaniæ regis legatis verba faciens, vt vterq; ipsorum, honesta ratione se tantæ dignitatis, quæ diuersis tẽporibus, in suis, maiorumq; suorum familijs fuerat splendore ornare niteretur, decere dixit; sed nõ ideo alterũ sibi ab altero iniuriã fieri censere, vel beneuolentiã necessitudinemq; minui debere: imò exẽplum quod aliquando in duobus amore captis iuuenibus cernitur, qui etsi eandem ament, & vterq; illorum omni arte & industria quãtum potest adhibita, ea potiri nititur, non tamen ideo aliquod inter eos dissidium oritur

1519.

ab ipſis eſſe ſequendum. Hiſpaniæ rex Imperiũ quòd multos annos in Auſtria domo perſeueraſſet, nec Septẽuiris eum eſſe morem, defuncti poſteros absq; manifeſta eorũ indignitatis cauſſa imperij dignitate priuare, iure ad ſe ſpectare exiſtimabat: nec aliquẽ in Germania tantæ vel potentiæ vel autoritatis eſſe, qui ea in re ipſius cõpetitor eſſe deberet: neq; æquum aut veriſimile videri Septẽuiros tantã dignitatem, quę iã à multis ſeculis in Germanica gente permãſerat, in externũ principẽ transferre velle; quòd ſi quis pecunia vel alia ratione corruptus, aliã mentem haberet, & ſe illis armis opportuno tẽpore paratis terrorẽ incuſſurum, & reliquos Septẽuiros ſeſe illis oppoſituros, vel ſaltem ceteros omnes Germaniæ principes ac liberas ciuitates, tantã omniũ ignominiã tantumq; dedecus minime laturas ſperare, præſertim ſi de ea in Galliæ regẽ transferenda agere tur: quod quidẽ aliud eſſet nihil, quàm regis ipſorũ nationis hoſtis potentiã augere vel le, vnde certò ſibi perſuadere poterãt, eam dignitatẽ nunquã in Germaniã rediturã; itaq; quod ab auo agitatum fuerat, quũ iam cum ſingulis Septẽuiris de præmijs & donatiuis eſſet conſtitutũ perficere facile exiſtimabat. Ab altera verò parte Galliæ regis nec cupiditas, nec ſpes minor erat: quę ſuffragiorũ à Septẽuiris maxima pecunię vi emendorum opinione præcipuè nitebatur; quorũ aliqui ipſi veteri amicitia & penſionibus cõiuncti, rei facilitatem demonſtrantes, eum ad rem aggrediendã incitabant, quam ſpẽ (vt morta limu animi facilè quod cupiunt ſibi perſuadent) rationibus potius veriſimilibus quàm veris fouebat: ſciebat enim Germaniæ principibus nimiã Cæſarum potentiã, ne forte ea freti omnia vel ſaltem aliqua imperij iura autoritatẽq; à multis occupata recognoſcere vellent, eſſe moleſtã: ideo illos nulla vnquam ratione Hiſpaniæ regẽ, ne ſe ipſos, omniũ quotquot poſt priſcorũ Cęſarum memoriã fuiſſent potẽtiſſimo Imperatori ſponte ſubiecerant, admiſſuros perſuaſum habebat; quę quidẽ in ipſo nõ per omnia ſimilia videbantur: cum enim nec vrbes nec veteres clientelas in Germania haberet, eius potentia illis tam ſuſpecta eſſe nõ poterat, qua etiã re in liberis ciuitatibus gentis gloriæ rationem nõ modò cõpenſari, verùm etiam vt ſolent in hominibus proprij cõmodi ſtimuli, cõmunis boni rationẽ longè ſuperare, penitus opprimi exiſtimabat: multis præterea illuſtribus in Germania familijs, quæ ſe ad eã dignitatem idoneas ducebant, Imperiũ tot annos in eadem familia permanere: & id quod iam vni, iã alteri ſuffragijs tribuendũ erat in eadẽ ſtirpe ferè hęreditario iure permanere cœpiſſe, quòd is eligendi modus quo à proximis ex defunctorũ Cæſarum ſtirpe recedere nõ auderent, ſucceſſio appellari poſſet, moleſtiſſimũ eſſe norat: ſic ab Alberto Auſtrio imperiũ ad Federicum eius fratrem, à Federico in Maximilianũ eius filium veniſſe, & nunc de eo à Maximiliano in Carolũ eius nepotem transferendo agi; quæ Germanię principum ſtudia & indignationes, illorum inter ſe diſſidia æmulationemq;, cum ſępe in contentionibus accidere ſoleat, vt qui ſe vel eum cui ipſe ſtudet excludi videt, omni ratione poſthabita, potius ad aliquem externum aſſumẽdum præceps ruat, quàm vt ei qui ipſius ſententiæ eſt aduerſatus cedat, cauſæ ſuæ profuturã ei ſpem faciebant. Pręterea Francus pontificem cum ob neceſſitudinem & beneuolentiam quam ſe cum illo contraxiſſe exiſtimabat, tum quia Carolũ tam potentem principem, quiq; quum regnũ neapolitanũ pontificio imperio finitimũ haberet, ob Ghibellinæ factionis procerũ ſtudium iter ad vrbis portas vſq; apertũ haberet, Imperium quoq; adipiſci ei placere poſſe minimè credebat, ſibi fauturum ſperauit; neq; hanc contra Carolũ veriſſimã rationem, ſibi quoq; aduerſam eſſe animaduertebat: neq; enim vel pontifici, vel cuiuis alteri, Imperiũ in ipſo cõiunctũ minus formidoloſum quàm in Carolo eſſe debebat: non ſi fortè alter plura regna & plures prouincias obtinebat idcirco minoris alter erat faciendus, quòd potentiã ſuam ſparſam & in varia loca diuulſam nõ haberet, ſed regnum collectũ atq; cõiunctum, cum populorum mira obedientia, & maximis opibus refertum: tamen cum id in ſe non perſpiceret quod facilè cernebat in altero, ad pontificem conuerſus, vt ſibi, quo cum ſuis regnis ſemper vt proprio filio vti poſſet fauore vellet, ſupplex ab illo petijt. Huius electionis cauſſa, quod quemuis illorum Imperiũ adipiſci ob pontificatus & reliquę Italię ſecuritatem, ei moleſtiſſimum eſſet, pontificem vehementer angebat; eumq; non tantam apud Septemuiros autoritatem haberet vt ſe multum ea proficere poſſe ſperaret, in tam graui re prudentiam & artes neceſſarias eſſe cenſuit: Galliæ regem à Septemuirũm aliquo deluſum, nullam in ea re partem habiturum

rum,nec vel in eiusmodi hominibus largitiones tãtam vim, vt Imperium ex Germanica gente in Gallię regẽ turpiter transferrent habituras,ſibi perſuaſerat.Hiſpaniæ regem quòd ex eadem gente eſſet, ob prenſationem à Maximiliano cœptã, multasq; alias ob cauſſas,niſi validum admodum illi obſtaculum inueniretur, facilè id cõſequuturum cẽſebat; id autem nulla alia ratione,niſi vt Galliæ rex eadem inſtrumenta eandemq; pecuniã qua pro ſe ipſo vtebatur,ad vnum ex Septemuiris promouendum conuerteret inueniri poſſe: regi autem dum in vanæ ſpei ardore eſſet id perſuaderi nulla ratione poſſe videbatur: idcirco illum quo vehementius & maiori ſpe,ſeſe in eam prenſationem immergeret,eo facilius vbi conſilia ſua irrita reddi animaduertere inciperet, ſe iam in æmulatione detectum & irritatum animaduertens, ad tertium quempiam non minori ardore quàm pro ſe ipſo feciſſet, promouendum præcipitem ruiturum ſperabat: interea, verò fieri poſſe, vt vbi ſibi apud regem quòd ei faueret, quodque idem quod ipſe exoptaret fidem conciliaſſet, autoritas conſiliumque ſuum admitteretur; fieri etiam poſſe vt ſi initiò Galliæ regis partes validè promouerẽtur,alter rex deſiderio ſuo difficultates interponi animaduertens, & ne rex æmulus ſuus aliquam partem haberet metuens, pari ratione in tertij alicuius ſententiam ſe præcipitem daret: quocirca non modò ſe vt ipſe Imperium adipiſceretur ſummopere cupere Galliæ regi oſtendit, verùm etiam multis rationibus adductis vt in id vehementer incumberet, ſe illi tota pontificatus autoritate affuturum largiſſimè promittens eſt eum hortatus; cumque eam eſſe mentem ſuam nulla alia ratione melius oſtendere poſſe videretur, quàm ſi eo in negotio huiusmodi hominem adhiberet, quem Gallus magis ex ſe quàm ex quouis alio pendere exiſtimaret,ſtatim Robertum Vrſinum, Rhegienſem archiepiſcopum,hominem regi deditum, ſuum in Germaniam internuntium cum huiuſmodi mandatis, vt & ſeorſim, & vnà cum regis procuratoribus qui illic erant,quãtum poſſet apud Septemuiros eius deſideriũ promoueret,deſtinauit;monens tamen illum vt maiore,vel minore prout in Germania Septemuirùm ſtudia & rerum ſtatum inueniret, moderatione vteretur: quæ à pontifice prudenter excogitata,& ſumma ſimulatione tecta,in Galliæ rege & eius miniſtris qui in Germania erant,maiore prudentia,in pontificis autem miniſtris maiori grauitate & fide opus habebant. Sed dum hæc conſilio & armis tractantur, Galliæ rex, Petrum Nauarrum cum viginti triremibus alijsque nauibus in quibus erant quatuor peditum mercenariorum millia,Maurorum myoparones quæ cum iam per multos annos nemine reſiſtente maria noſtra percurriſſent, eo ipſo anno plusquam antea prædebantur,reprimendi,et ſi pontifici viſum eſſet,Mauros in ipſa Africa adoriẽdi colore;ſed præcipuè, vt pontifex qui ſe prorſus ipſi in Imperij cauſſa fauere declararat,Hiſpaniæ regis, qui magis rerum ſuarum timore quàm alios laceſſendi ſtudio claſſem quam ad regni neapolitani cuſtodiam mitteret ſolicitè adornabat, vires metuendi cauſſam non haberet, è portu ſoluere iuſſit; & nihilominus cum in his ſuſpicionibus & mutua diffidentia vterque rex in amicitiæ ſimulatione perſeueraret,illorum nomine magnus Franciæ magiſter & Ceures in quibus ſingulis ſui regis cõſilium & mens omnis ſita erat, Montempeſſulum,vt de ſecundæ Galliæ regis filiæ cum Hiſpaniæ rege matrimonio firmando,& multo magis vt de Nauarræ regni rebus cuius reſtitutio priori regi in pace Nouioduni facta promiſſa, quamuis pro ea Galliæ rex vehementer inſtitiſſet, ab Hiſpaniæ rege variis excuſationibus ad eam vſque diem dilata fuerat decernerent, conuenerunt: ſed Magni magiſtri mors, quæ antequam ſimul loquerentur incidit,huius conuentus ſpem ſuſtulit. Hocipſo tempore & Laurentius Medices cum matrimonio infelicibus auſpicijs peracto è Gallia redijſſet (nam & vxor paucos dies antè enixa, moriens ei viam munierat) continuo fermè morbo oppreſſus obijt. Ob Laurentij mortem pontifex Florentinorum potentiam dum viueret ſacrę ſedis cõiunctam cupiens,nonnullorum qui vt quum præter ipſum nemo ex Coſmi Medicis qui tantæ potentiæ fundamenta iecerat poſteris, qui ab eo per mares ex legitimo connubio originem traherent ſupereſſet, patriæ ſuæ libertatem reſtitueret ſuadebant, conſilijs neglectis, ſiue familiæ ſuæ nominis conſeruandi deſiderio, ſiue odio in reipublicæ nomen ob exilium concepto ductus,Mediceum cardinalem eius imperij adminiſtrationi præfecit, & Vrbini ducatum ob populorum erga veterem ducem beneuolentiam, difficile filiæ vnicæ ab Laurentio

relictæ,quæ in diplomate patri conceſſo comprehendebatur nomine retineri poſſe ratus,eum vnà cum Piſauro & Senogallia eccleſiæ reſtituit: cumque ne id quidem ad populorum ardorem reprimendum ſatis eſſe cenſeret,Vrbini aliorumq; eius imperij præcipuorum locorum mœnia dirui iuſſit, Eugubio excepto, in quam ciuitatem quòd ea tanquam Vrbini æmula non ita Franciſcimariæ ſtudioſa eſſet, quaſi eius imperij caput conſtitutam gratiam omnem exiſtimationemq; conuertit: & vt eius imperij vires imbecilliores redderet,SanctiLei arcem,cum omni Montisfeltrij agro,& Seſtinę Priuerium quod in Ceſenatium ditione eſſe ſolebat,Florentinis,quibus id minimè ſatisfaciebat, ſed eius voluntati repugnare non poterant,pro ea pecunia quam in Vrbinati bello pro ipſo expoſuerant,cuius eos antea in ſacri ærarij tabulis creditores cõſtituerat, tradidit. Reliqua erat Imperij controuerſia,quæ omnẽ chriſtianã remp.maximè ſuſpenſam habebat: in qua vterq; rex maiore quàm antea vnquam contentione perſiſtebat: & Gallię rex quotidie magis ingentibus Brandeburgenſis marchionis Septemuiri,qui ingenti pecunia promiſſa &fortaſſe aliqua ex parte repræſentata,clam nõ modò ſuum,ſed & Maguntini Archiepiſcopi fratris ſui,qui ex tribus Antiſtitibus Septemuiris vnus erat,ſuffragium illi policitus fuerat promiſſis,allectus decipiebatur. Plurimum quoq; rex ſibi de altera Septemuirũm parte pollicebatur; et ſi paria eſſent ſuffragia,in Bohemię regis ſuffragio, quòd reliquis ſex,quorũ tres ſunt Antiſtites et tres principes,diſſidentibus controuerſiam dirimit,ſpem habebat; idcirco maximam pecuniæ uim quæ Septemuiris daretur, ad oræ maritimæ præfectum,quem Ammiralium vocant, qui antea hanc ob cauſſam in Germaniam erat profectus,miſit: & cum multas liberas ciuitates vnà cum Virtembergenſi duce ijs qui Imperium in externum transferre vellent minantes, multos milites conſcribere audiret,alias pecunias vt ſeſe ijs qui quo minus ipſe eligeretur prohibere vellent armis opponeret, colligebat. Sed magnum erat Germaniæ populorum, vt Imperij dignitas ex ea gente non remoueretur, ſtudium; quin etiam Heluetij Germaniæ communis patriæ amore ducti, pontificem vt nemini qui Germanici ſermonis non eſſet, faueret rogarant: is tamen Galliæ regi, illum ſi ſe tam pro eo vehementem oſtenderet,maiorem conſilijs ſuis fidem habiturum ſperans fauebat: & tandem vt Imperij adipiſcendi ſpe depoſita, eodem ardore pro quouis alio ex Germaniæ principibus procuraret, ei perſuadere eſt conatus; cuius conſilij,quia Ammiralius & Robertus Vrſinus, illorum qui vt pecuniam ex Gallorum manibus extorquerent certiſſimam ſpem faciebant, promiſſis decepti, & factionis ſtudio alter quod Gallico ingenio & regis miniſter eſſet, alter natura leuis & gratiæ ſibi apud eum conciliandæ cupidus occupati, quotidie magis illum leuibus nuntijs in ſpe confirmabant,nullum fructum retulit. Quibus conſilijs, cum ij penes quos,non antiquiori conſuetudine,illaúe firma ratione, ſed Gregorij Quinti Romani pontificis natione germani priuilegio, Romani Imperatoris eligendi ius eſt,veterem conſuetudinem ſecuti,Francofurti quæ inferioris Germaniæ ciuitas eſt, conueniſſent, dum vt tempore inſtitutis ipſorum decreto Cæſarem eligant, varijs in altercationibus tempus terunt, ecce exercitus Hiſpaniæ regis,qui ad exercitum pecunia conſcribendum, quàm ad eandem Septemuiris largiendam promptior fuit,iuſſu collectus,Francofurto quaſi eos qui Septemuiris vim afferre vellent prohibiturus eſſet,appropinquans,Septemuiris qui eius cauſlę fauebant,animum auxit,nutantes in aliorum ſententiam pertraxit; & Brandeburgenſem qui Galliæ regi fauebat, ita terruit,vt reliquorum conſenſus ſpe amiſſa,totius gentis odium & infamiam apud eam metuens,mentem ſuam aperire non ſit auſus: itaque cum ad deliberationem veniſſent, vigeſima octaua Iunij die,Carolus Auſtrius Hiſpanię rex,quatuor Septemuirũm,hoc eſt Maguntini & Colonienſis Archiepiſcoporum, Comitis Palatini,& Saxoniæ ducis ſuffragijs Imperator eſt renuntiatus: ſed Treuirenſis Archiepiſcopus, Brandeburgenſi marchioni ſuffragium dedit,qui & ipſe de ſe tulit: neque dubium eſt, quin ſi ob ſuffragiorum æqualitatem res ad ſeptimi iudicium deueniſſet, idem euenturum fuiſſet, quoniam Ludouicus Bohemiæ,qui idem & Pannoniæ rex erat,Carolo ſuffragium ſuum promiſerat. Ea res Galliæ regis & eorum qui in Italia ab illo pendebant animum magnopere depreſſit,& contra ijs qui contrariam ſpem conſiliaúe habebant cum tantam potentiam in vno principe eoque iuuene; & cui maximum imperium & mira felicitas multis

vaticinijs portendi audiebatur, coniunctã viderent, ſpem auxit: & quamuis non perinde vt Galliæ rex pecunia abundaret, tamen exercitus ſuos Germanico Hiſpanicoq; peditatu, qui magnæ exiſtimationis & virtutis erant, replere poſſe maximi fiebat: quod in Galliæ rege contrà accidebat: nam cum in regno ſuo pedites quos his opponeret non haberet, grauibus bellis niſi maximo ſumptu, & nonnunquam difficultate ab exteris nationibus pedeſtres copias conduceret, ſeſe implicare non poterat: quæ res eum magno ſumptu & diligentia Heluetios demulcere, & multas ab illis ferre cogebat; cum tamen nunquã de conſtantia fideq; illorum certus eſſet; neq; vlli dubium erat quin inter duos principes iuuenes, & inter quos multæ erant æmulationis ac controuerſiarum cauſſæ, tandem grauiſſimum bellum eſſet exoriturum. Galliæ namq; regi regni neapolitani, in quo ſe ius habere exiſtimabat, recuperandi deſiderium in animo fixum hærebat; & vt Ioanni regi Nauarræ regnum reſtitueretur: qua de re tandem vanam ſibi ſpem factam animaduertebat, illi curæ erat. Cæſari verò annua mille auri pondo Nouioduni promiſſa ſoluere moleſtum, & regem conuentione antea Lutetiæ facta contempta, ſuæ in Hiſpaniam neceſſariæ profectionis occaſione immoderatè vſum ſe ferè ad nouam actionem coegiſſe cẽſebat: ſemper inter eos recens erat Gheldrenſium ducis cauſſa: quę ſola, quòd rex Galliæ eius patrocinium ſuſtineret, quem Flandri ſibi inimiciſſimum iudicarent, eos ad arma concitare poterat: ſed præcipuè Burgundię ducatus ab Ludouico vndecimo Caroli Burgundiæ ducis, qui Cæſaris patris maternus auus fuit, mortis occaſione occupatus, ſemper eorum qui ſucceſſerant animos excruciauerat, ardentiſſimis aculeis noui Cæſaris animum pungebat. Neque Mediolanenſis imperij cauſſa ſtimuli ſeu controuerſiarum ſemina deeſſe poterant: cuius nomine cum hic rex poſt Ludouici duodecimi mortem diploma nec obtinuiſſet nec petijſſet, multęq; tum quòd non eſſet validum, tum quòd cauſſa excidiſſet, exceptiones contra iura ex diplomate defuncto regi cõceſſo manantia prætexerentur, hoc ad bellum inter eos excitandũ ſatis eſſe videbatur: ſed tamen eos tunc aliquem motum cõcitare nec tempora, nec occaſiones patiebantur: nam præterquam quòd Cæſari, vt Aquisgrani aliorũ imperatorum more coronam caperet, in Germaniã redire erat neceſſe, accedebat, quòd cum vterq; illorũ potẽs eſſet, mutuę offenſionis difficultas eos à bello antequã ceterorum principũ, & præſertim ſi bellũ in Italia eſſet gerendum pontificis mentẽ exploratam haberent, inferendo retinebat: pontificis verò mens eius ſimulationibus artibusq; recondita quãuis potius quòd id niſi eius animo grauiter offenſo denegandi occaſionẽ non haberet, quàm libera voluntate, Carolo contra regni neapolitani diplomatis leges, quibus è veterum diplomatũ forma id ei expreſſe interdicebatur, Imperij ad ſe delati accipiendi poteſtatẽ cõceſſiſſet, nemini erat nota, ac ne ipſi quidẽ forte ſemper cõſtabat. Italia igitur has ob cauſſas pace fruebatur, etſi ſub huius ipſius anni finẽ pontifex Ferrariã nõ apertis armis, ſed inſidijs occupare ſit conatus: nam etſi opinio fuerit illum ob Laurentij nepotis ſui mortem, cum iam eius familiæ viri potius quàm dominatus deeſſent, à Ferraria cui ſemper antea inhiauerat occupanda, animum auerſurum fuiſſe nihilominus vel odio in illum ducem cõcepto vel Iulij glorię aut æquandę, aut quantum poſſet ad eam accedendi cupiditate incitatus fratris ac nepotis morte nullam huius ardoris partem depoſuerat: ex quo facilè deprehendi poteſt, ſacerdotum ambitionem nullum maius quàm ex ſe ipſa fomẽtum habere: cumq; temporum ratio, & eius ciuitatis quam Alfonſus mira diligentia munitiſſimã reddiderat ſitus, & munitiones, vt de ea aperto marte expugnanda cogitaretur ferrent, cum præſertim ille pulcherrimorum tormentorum, & pulueris ac globorum ingentem ferè copiam haberet, & ſumptibus omnibus limitatis, nouis vectigalibus portorijsque additis, ſuisque fructibus omni ratione excitatis, ac multis in rebus induſtriæ ſic exercendæ intentus, vt potius mercator quàm princeps videretur, maximam (vt opinio erat) pecuniæ vim cumulaſſet, niſi temporum ſtatus mutaretur pontifici nulla alia eius niſi occultis inſidijs ac proditionibus conſequendæ ſpes relinquebatur: quas cum antea per Nicolaum Eſtenſem, & plerosque alios fruſtra tentaſſet, & Alfonſus quòd illum amplius his rebus operam dare non audiret, ferè non eius voluntatis, ſed inſidiarum ſuſpicionem depoſuiſſet, pontifici ob rationes propoſitas, & quod Alfonſus diuturno morbo grauatus eò redactus eſſet vt de ipſius ſalute propemodum deſperare-

tur, eius verò frater Hippolytus cardinalis ne parua cum gratia in Romana curia versaretur, in Pannonia ageret, alicuius rationis quæ à nonnullis Ferrarienſibus exulibus,& illorum nomine ab Alexãdro Fregoſio, Albintimilij epiſcopo, qui tunc Bononiæ agebat, proponebatur, tentandæ opportunum tẽpus eſt viſum: nam cum Alexander ad principatum in ſua ciuitate quem cardinalis eius pater obtinuerat aſpiraret, Octauiano Fregoſio ſuſpectus erat; & qui in ſuis vt in propriã patriã rediret conatibus perficiendis parum felix extitiſſet, eorum quæ pro alijs in aliena tractabat, feliciorẽ exitũ pollicebatur. Epiſcopus itaq; quaſi armis Genuã reditum quærere vellet, 10 aureorũ numũm millibus clam à pontifice acceptis, partim in pontificia ditione, partim in Lunigiana duo peditum millia conſcripſit: ad cuius rei famã cum ſe Octauianus Fregoſius terra mariq; inſtruxiſſet, ipſe quaſi cõſilijs ſuis detectis, Genuenſis reip. tunc turbandæ ſpe eſſet fruſtratus, Federico Bozolenſi, cuius ope magna ex parte Concordia contra Ioannem Franciſcum Mirandulæ comitem defendebatur, ipſum ijs copijs, donec mẽſtruum ſtipendium cõfectum eſſet, vti poſſe ſignificauit; & ſic Apennino ſuperato, in Corregij agrum lento greſſu Concordiã verſus tendens deſcendit; huius verò conſilij caput erat Padum traijcere, ad quem finem quidam Alberti Carpenſis, qui huius conſpirationis conſcius erat, miniſtri, frumenti coëmundi ſpecie multas naues quæ in Seciæ fluminis ore (ſic eius regionis incolæ locũ illum vbi Seciæ aquæ in Padũ fluunt appellant) erant, conduxerant; quibus Pado traiecto, epiſcopus citiſſimè Ferrariã venire in animo habebat; vbi quum ante paucos menſes fuiſſet, quandã ciuitatis partem ad Padum poſitam, vbi ſupra 40 muri vlnæ ceciderant obſeruarat; qui locus apertus facilem admodũ ingreſſum præſtabat; & cum murus ille non multo antè corruiſſet, ideo non tam citò inſtauratus fuerat; quia & fluminis propinquitas, & quòd nihil ſuſpicaretur, eius qui his rebus diligentiſſimè proſpicere ſolebat negligentiam fouerat: ſed vbi in circumiectа regione Albintimilium cum his copijs Apenninum ſuperaſſe eſt auditum, Mantuanus marchio non quidẽ aliqua peculiari ſuſpicione, ſed veteri alienos milites fluminum tranſitu prohibendi cõſuetudine ductus, omnes naues quæ in Seciæ hoſtio erant Mantuam contraxit, adeo vt Epiſcopus cum nauibus cõductis trãſire nequiret; nec tam citò alias præſertim vicinarũ pontificij iuris ciuitatum præfectis huius cõſilij minimè conſcijs, qui ne ſi conſcij quidẽ fuiſſent, ſeſe huic negotio immiſcendi mandatum habebant, inueniret, dum ipſe & Alberti miniſtri aliquam traijciendi rationem quærunt, cum ſuis militibus Corregij & in circumiectis locis hærere cogeretur, vbi dum multis incautè locutus, conſilioq; ſuo etiã nonnullis patefacto, Mantuanus ea de re certior factus, per miniſtrum ſuum rem Ferrarienſium duci, qui adeo ab hac ſuſpicione erat alienus, vt difficulter crederet, ſed tamen diruti muri inditio magis, quàm vlla alia re motus, ſeſe militibus munire cœpit: & quamuis ſecus ſentiret, nihil de pontifice ſuſpicari ſimulans, inſidijs quæ ſibi ab epiſcopo parabantur, ei indicatis, vicinis præfectis, vt ſi opus foret, ſibi auxiliũ ferrent mandaret, eum ſupplex rogauit: quod pontifex benignis epiſtolis promptè præſtitit, ſed tamen ſimul alia occulta mandata eis dedit. Apparatuum qui Ferrariæ fiebant fama, Padi traijciendi difficultati addita, omnem epiſcopo ſpem ademit: quocirca copijs prope Concordiam ductis, dum cum ijs qui in ea erant, quibus iam ſuſpectus erat, de Mirandula oppugnanda agit, vt hominibus ſe non Ferrariæ, ſed Concordiæ occupandæ cauſſa in ea loca veniſſe perſuaderet, copijs repentè nocte quadam Concordiæ mœnibus admotis, oppugnatio nẽ tentari iuſſit: ſed ea irrita fuit; idcirco copiæ ex eius voluntate ſunt diſſolutæ, & in multis atq; in ipſo Alfonſo talem de ſe opinionẽ reliquit, vt illũ niſi ei Padi traijciendi facultas fuiſſet adẽpta, Ferraria, vbi nullũ præſidium erat nullaúe ſuſpicio, dux graui morbo affectus, & populus tali in eum animo, vt pauciſſimi in penè repentino tumultu arma capturi, vel ſe periculo oppoſituri viderentur, diruti muri ope potiturum fuiſſe crederent.

1520. Sequitur annus MDXX. quo quum eaſdem ob cauſas quibus ſuperiore anno pax in Italia conſeruata fuerat, tunc etiam perſeueraret, doctrinæ nunc demũ cõtra Rom. eccleſiæ autoritatẽ excitatę vehemẽter augeri cœperũt; quę res in Saxonia Germanię prouincia, ex Martini Luteri Auguſtinianã ſodalitatẽ profeſſi concionibus maxima ex parte veteris Bohemorum ſectæ, quæ Conſtantienſi cõcilio damnata, & Ioãne Huſſio ac Hieronymo Pragenſi duobus huius ſectæ pręcipuis autoribus eiusdem autoritate cõbuſtis, diu intra Bohe-

Bohemiæ fines incluſa fuerat, excitatoris originem habuit. Vt autem hæc in Germania denuo excitarentur, occaſionem dederat pontificatus autoritas, quâ Leo nimis licenter vtebatur; qui in ijs quas Indulgentias vocant, quæ à pontificibus in ſacerdotijs & alijs ſacris rebus concedi ſolent, Laurentij Puccij Quatuor ſanctorum cardinalis conſilium ſequutus, nullo temporum & locorum habito delectu, per vniuerſum orbem ampliſſima priuilegia, quibus non modò viuis delictorum veniã conſequendi, ſed & defunctorum animas eius ignis in quo delicta expiari dicuntur, pœnis eximendi facultatem pollicebatur, promulgarat: quæ quia pecuniæ tantum à mortalibus extorquendæ gratia concedi notum erat, & à quęſtoribus huic negotio pręfectis impudenter adminiſtrabantur, magnam pleriſq; in locis indignationem, offenſionemq; concitarant; & præſertim in Germania, vbi à multis ex eius miniſtris huiuſmodi mortuos pœnis liberandi facultas paruo pretio vendi, vel in cauponum tabernis aleæ ſubijci cernebantur: quam indignationem auxit, quòd pontifex qui ob naturæ ſuæ facilitatem, multis in rebus paruâ cum maieſtate pontificio munere fungebatur, multarum Germaniæ partium ex huiuſmodi venia exactionium emolumentũ Magdalenæ ſorori ſuæ dono dederat; quæ cum Aremboldũ epiſcopum eius muneris quod per ſummã auaritiam & extorſionẽ exercebat, dignum miniſtrum huic exactioni præfeciſſet, & per totam Germaniã eam pecuniã quæ extorqueretur, nõ ad pontificẽ ſacrumúe ærarium, vnde fortaſſe vt aliquâ eius pars in bonos vſus conuerteretur fieri potuiſſet, deferri, ſed ad mulieris cupiditatem explendã deſtinatã eſſe fama loqueretur, non modò eam exactionem & miniſtros ad eã delegatos, verumetiam eius qui tam incõſultè ea concedebat nomen autoritatemq; deteſtãdam reddiderat: qua occaſione arrepta Lutherus, hæc contemnere, & in his pontificis autoritatem accuſare: cumque in hac cauſſa populorum auribus grata, magnus auditorum numerus accurreret, pontificis autoritatem indies magis apertè conuellere cœpit. Ex his initijs vel honeſtis, vel ſaltem ob iuſtam illorum occaſionem, aliqua ex parte ferendis, ambitione, populari aura, & Saxoniæ ducis fauore incitatus, non modò in pontificum poteſtatem, & Romanæ eccleſiæ autoritatem immoderatus fuit, ſed etiam Bohemorum ſectam incurrens, temporis progreſſu, imagines ex templis auferre, ſacra loca bonis ſpoliare, religionem ſodalitatesque profeſſis viris, & virginibus, matrimonia permittere, hancque ſententiam non ſolùm autoritate & argumentis, ſed & ſuo ipſius exemplo corroborare: pontificis poteſtatem extra Romanum epiſcopatum non extendi, & cuiuis epiſcopo idem in ſuo epiſcopatu ius quod pontifex Roma habere eſſe docere, omnia cõciliorum decreta, omnia illorum qui eccleſiæ doctores apellãtur ſcripta, omnes Romanos canones & pontificum ſanctiones, ſolùm veteris fœderis volumen, Euangelij libros, Apoſtolorũ acta, & quicquid noui Teſtamẽti nomine cõprehenditur, & Diui pauli epiſtolas amplexus; ſed ijs omnibus nouos & ſuſpectos ſenſus, interpretationesq; inauditas affingens, cõtemnere cœpit: nec ſe tamen huius ipſiusq; ſectatorũ infantia hiſce limitib. cõtinuit, ſed vniuerſa ferè Germania eos ſequente quotidie vlterius progrediẽtes & errores erroribus addentes, ad Rom. eccleſiæ ſacramẽta vulneranda, ieiunia, pœnitentiã, confeſſionemq; contemnenda penetrarunt: quinetiam ex his nonnulli, ſed iam aliqua ex parte ab eius autoritate recedentes, eò procurrerunt, vt peſti fera ac nefanda in Euchariſtia excogitarent: quæ quum ex conciliorum & ſacrorum doctorum autoritate reiecta manarent, cuiuis nouo cõmento prępoſteræque interpretationi aditum fecerunt: & quia huiuſmodi doctrinam qua homines multis præceptis à cõciliijs, pontificum cõſtitutionibus, Rom. canonũ autoritate, & doctorum ſanis interpretationibus ad cõmunem ſalutẽ introductis, liberati, ad liberũ, & ex arbitrio ipſorũ pendẽs vitę genus reduci videntur, cõtinẽt, in multa etiam extra Germaniam loca ſunt propagata. Pontifex initiò hanc peſtiferã doctrinã extinguere nitebatur, ſed medicamentis & rationib. ad tantũ morbũ ſanandis idoneis non vtebatur: nam Martinũ quidẽ Lutherum Romã venire iuſſit, cõcionandi munere ei interdixit, & deinde ob eius cõtumaciã diris eũ denuntiationib. eſt perſequutus; ſed tamẽ à multis pernicioſi exẽpli rebus quæ à Lutheró iure improbatæ omnib. erant moleſtiſſimę, nequaquã abſtinuit: quo factũ eſt vt ſacra arma quibus illũ perſequebatur, Martini apud populos autoritatẽ nõ diminuerint, ſed auxerint potius, quaſi ea magis ob vitę innocẽtiam, & doctrinę ſanitatem, quàm alia

ex cauſſa ei infligerentur: pontifex multos religioſos homines qui cõtra illum cõciona-rẽtur in Germaniã miſit; multas quoq; epiſtolas ad principes & antiſtites ſcripſit: ſed cũ neq; id, neq; alia multa ad eum reprimẽdum, ob populorũ erga illum propẽſionem, & Saxoniæ ducis gratiã quidquam proficerent, hæc cauſa in Romana curia indies grauior videri, & ne ex ea pontificis potentię, Rom. curiæ emolumentis, & religionis concordiã grauiſſimũ aliquod detrimentum importaretur, ſuſpicio augeri cœpit: hanc ob cauſſam Romæ eo anno crebro ſenatus habebatur, multa cardinaliũ ac Theologorũ ad id delectorũ in pontificis cubiculo, vt huic malo continenter gliſcenti medicamenta inuenirẽtur, colloquia fiebãt: & quamuis nõ deeſſent qui ea quæ ad eam vſq; diem aduerſus illũ facta fuerant, quia in ſe ipſis quę damnari poterant nõ correxerant, ei exiſtimationẽ beneuolentiamq; populorũ auxiſſe, in memoriã reuocarẽt, & minore malo eam rem, quæ fortè ſe ipſa eſſet diſſolutura diſſimulari potuiſſe, quàm ignem flatu accẽdere, atq; augere dicerent; nihilominus vt homines natura ad vehementia medicamenta adhibenda magis ſunt proni, nõ modò illũ & reliquos eius ſectatores, quos vulgò Lutheranos apellant, acrius eſt perſequutus, verùm etiam grauiſſimũ edictum minasq; in Saxoniæ ducẽ decretum, quo irritatus, illius cauſſæ vehementius fauit: quæ res aliquot annorũ curriculo ita creuit, vt periculum fuerit, ne totius chriſtianus orbis hoc cõtagio inficeretur: neq; res vlla ita eius curſum retardauit, quàm quòd huius doctrinæ ſectatores nõ minus principum poteſtati, quàm Rom. pontificum autoritati viderentur infeſti: quæ res in cauſſa fuit, vt multi principes, proprij cõmodi cauſſa hanc doctrinam vigilanter & ſeuerè à regnorũ ſuorum finibus arcere ſint conati: & contra nihil iſtorũ errorum pertinaciã quæ aliquãdo ob nimiã ipſius capitum inſolentiã, & ſententiarum varietatem, atq; etiam inter ipſos repugnantiam ſeſe propemodũ confuderunt, & euerterunt; & nihil tam diu ſuſtinuiſſe cenſetur, quàm licentioſa viuendi ratio, quam ſibi populi ex ea ſumpſerunt, & principũ auaritia, ne tẽplorum bonis quæ occuparunt, ſpolientur. Nihil hoc anno memoria dignum accidit, niſi quòd cum Ioãnespaulus & Gentilis ex eadem Ballionũ familia Peruſię eſſent; Ioãnespaulus, ſiue controuerſia inter eos exorta, ſiue quòd maiori imperij parte & autoritate minimè contentus, totũ ſibi imperium arrogare vellet, Gentilẽ Peruſia expulit; quòd cũ põtifici moleſtũ eſſet, diem ei quo ſe Romę ſiſteret indici iuſſit; qui ſibi metuens Malateſtã filium ad ſe purgandũ, & vt ſe in omnibus pariturũ pollicere tur miſit: ſed pontifice vt ipſemet veniret vrgente, vbi multos dies anceps fuiſſet, tandẽ partim veteri clientela qua ſemper eius familię iunctus fuerat, fretus, partim à Camillo Vrſino genero ſuo alijsq; amicis, qui autoritate ſua & validis apud pontificẽ inſtrumentis vſi, vel expreſſam ab illo, etſi non ſcripto, fidẽ impetrarunt, vel ſaltem pontifex ſummo aſtu huiusmodi verbis eſt vſus, taliaq; indicia dedit, vt ij qui ſe eius mentem elicere poſſe cenſebãt, eum tutò venire poſſe rati ad id ſint hortati: perſuaſus eò ſe conferre ſtatuit: ſed vbi Rom. peruenit, pontificem, vt aliàs quoq; ſæpe ſolebat, animi recreandi ſpecie, ante paucos dies ſe in Angelicã arcẽ contuliſſe reperit: quo cum inſequenti die mane Ioãnespaulus, vt ſe corã illo ſiſteret, iuiſſet, antequam ad eius conſpectũ peruenire, ab arcis prẹfecto in carcerẽ eſt cõiectus; deinde per iudices ad id delegatos, ſeuerè quęſtio habita eſſet, multa grauiſſima delicta, cùm ad tyrannidis cõſeruationẽ, tum ad nefandas voluptates, aliaq; eius priuata commoda ſpectantia eſt faſſus; quorũ cauſſa vbi ſupra duos menſes in carcere fuiſſet, ex iuris præſcripto capite pœnas dedit: quod pontifex quia in Vrbinati bello multis inditijs Ioannẽpaulum à ſe alienatũ eſſe, cum Franciſcomaria cõſilia habuiſſe, nec ſe quouis caſu firmã in eo, nec dũ is eo in ſtatu eſſet in Peruſinis rebus ſpem collocare poſſe animaduertit, feciſſe credebatur; & vt Peruſinorum ſtatũ ex ſententia ſua cõponeret, quia Ioannispauli filij, vbi de eius captiuitate certiores ſunt facti, aufugerant, Syluium Cortonenſem cardinalẽ veterem ſuum familiarẽ & alumnum ei legationi præfecit; & Gentilẽ, cui bona quę Ioannis pauli fuerant dedit, in eam ciuitatẽ reſtituit; ac valde imbecilli fundamẽto nixus, autoritatẽ potentiamq; in eum cõuertit. Hoc ipſo quoq; anno pontifex occaſionẽ ab Albintimilij epiſcopo amiſsã caſui potius vel imprudẽtiæ, quàm alij rei tribuens, in nouis inſidijs cõtra Ferrarienſiũ ducẽ tentãdis perſeuerauit, idq; per Vbertũ Gambarã pontificium protonotariũ, cum Rodolfello Germano principis ſatellitũ, qui & ipſi Germani erãt duce, qui ſe ei arcis Theobaldianæ portam

tũ ad eius arbitriũ traditurũ promiserat; quo cũ milites qui Bononia & Mutina mitterẽtur Pado nõ alibi quàm ad ligneũ pontẽ qui ante illam portã est traiecto peruenire posset, Guido Rãgonio & Mutinæ præfecto, vt copijs alio pretextu collectis illã portã repentè occuparẽt; & tãdiu donec auxilia Mutina & Bononia, vnde cõstitutũ erat vt populus pe nè vniuersus moueretur, adesset, tuerẽtur mandatũ fuit: sed iã die quo id fieret cõstituta Rodolfellũ cui pontificis iussu ab Vberto Gambara circiter duo aureorũ numũm millia data fuerãt, omnia iã ab initio cũ Alfonso comunicasse cognitũ est: Alfonsus enim vbi sa tis pontificis mentẽ, eiusq; consilia explorata habuit, cum rem vlterius progredi nollet, vt Rodolfelli dolus diuulgaretur effecit. Eodem etiã anno Cęsar mari ex Hispania in Flã driã est profectus, & ex itinere, nõ vt pater fecerat coactus, sed sponte Angliã vt regem illum qui cum cõcordia firmata est, alloqueretur, attigit. Ex Flandria deinde in Germa niã profectus mense Octobri Aquisgrani, antiqua Caroli Magni sede ac sepulcro nobili vrbe, maximo concursu primã coronam, eam videlicet ipsam (vt fama est) quæ Carolo magno imposita fuit, ex veteri more Germaniæ principũ autoritate impositam accepit; hanc verò eius felicitatẽ motus recenter in Hispania excitati turbarunt: illorũ enim re gnorũ populis eius ad Imperium promotio, quia illũ maximo omnium incõmodo & de trimento, varijs de caussis maximã tẽporis partem extra Hispaniam acturum animaduer tebant, molestissima fuerat; sed multo magis eos mouerat odium ingens in illorũ ex quo rum cõsilio pendebat auaritiã, & præsertim in Ceurem qui se insatiabilẽ ostendens, om nibus rationibus maximã pecuniæ vim coegerat: idem quod Ceures & reliqui Flandri, magistratus Hispanis attribui cõsuetos exteris pretio vendentes, & omnes immunitates priuilegia, literas, & cetera quæ in aula petebantur venalia habebant, fecerant; adeo vt omnibus populis in Flandrorũ nomen cõcitatis, in Cęsaris discessu Valliadulitani tumul tũ excitarint, & illo vixdũ ex Hispania profecto, omnes nõ (vt aiebant) contra regẽ, sed cõtra peruersos ministros concitati, & cõsilijs simul cõmunicatis, regijs ministris nõ am plius parentes maximæ populorũ partis conuentũ habuerant: sicq; reip. forma cõstituta eam sanctæ Giuntæ nomine (sic populorum cõmunem conuentũ apellabant) adminis strabãt: cõtra quos cum regij prẹfecti & ministri arma cœpissent, & res ad apertũ bellum deuenisset, eò vsq; erant progressi, vt Cæsar exiguam autoritatẽ obtineret, quæ res in Ita lia & extra, illorũ qui tantam potentiã minui cupiebant spem augebat. Eius tamen con tra Mauros classis Gerbas Insulã occuparat; & in Germania Franci regis existimatio ali qua ex parte fuerat repressa: nam cum ille, vt discordias in ea prouinciã aleret, Virtem bergensiũ ducem à Sueuico fœdere dissentientẽ adiuuaret, eius fœderis populi eũ prin cipatu suo potenter expulerant: eamq; prouinciã Cæsari Franci clientes deprimendi cu pido, sese ad eam cõtra quẽuis qui ei molestiam afferret tuendã obligantes, vendiderũt: quãobrem dux ille Galli auxiliorũ spe frustratus, fortunis omnibus euersus, ad Cæsaris clementiã confugere, atq; ab illo leges impositas accipere cõpulsus: nec tamen ideo in principatũ suum restitutus fuit. In eiusdem anni fine circiter tria Hispanorũ peditũ millia qui multos menses in Sicilia fuerant, cum ad Cæsaris mandatũ in Hispaniã redire nollẽt ducum autoritate neglecta, Rhegiũ in Calabriã traiecerunt, & maxima passim damna in ferentes, pontificiũ imperium versus progressi, grauem pontifici, in cuius animo Vrbina tiũ rerum memoria erat fixa, metũ incusserunt; ne vel ab alijs principibus incitati, vel Franciscomariẹ duci, Ioãnispaulli Balionis filijs, & alijs suis inimicis cõiuncti, incẽdiũ aliquod excitarent; cum præsertim Neapolitani proregis & ipsius cõditiones, qui partẽ illorũ se cõducturos, & reliquis aliquam pecuniã dono daturos pollicebantur, recusa rent: quibus rebus illi audaciores facti, Truentũ amnẽ versus, nõ per angustã Capitina tã regionẽ, sed lato Apuliæ itinere cõtendebant; & alijs assiduè peditibus ac nonnullis equitibus accedentibus, semper formidabiliores euadebant: sed tamen hic motus homi num opinione facilius & citius finem habuit: nam cum Truentum vt Picenum quo pontifex multos milites miserat, ingrederentur traiecissent, & ad Ripam transonam me tati essent, eius oppugnatione magna vi tentata, multis ex ipsis cæsis retrocedere sunt coacti: quapropter audacia existimationeq; ipsorum valde imminuta, à Cęsa ris ministris cõditiones, eis quas reiecerant longè deteriores, cupidè acceperunt.

DECIMITERTI I LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DECIMVSQVARTVS.

Hoc libro Leonis pontificis incertus erga Galliæ, vel Hispaniæ regem animus: Nauarræ bellum à Gallis gestum, idemq; regnum priori regi ab ijsdem restitutum: occultum inter Leonem & Carolum Quintum Cæsarem contra Galliæ regem fœdus: Gallorum in Italiam ad Mediolanensis imperij defensionem Scuto duce aduentus: Cæsaris & pontificis in Insubria bellum: eiusdem belli tam à Cæsarianis quàm à Gallis Lautrechio duce progressus: Mediolanum à Cæsarianis & Francisco Sfortia, Gallis pulsis, occupatum: Parmense bellum, & qua ratione Parma & Placentia in Pontificatus potestatem peruenerint: Leonis pontificis obitus: Adriani creatio: ad Bicoccam pugna: & multa alia bella in Umbria, Hetruria, & Cisalpina Gallia gesta continentur.

1521. Hoc leui motu qui magis ob recentem Hispanorum qui in Vrbini imperium irruperant memoriã, quàm quòd probabiles timoris causſę apparerent, timebatur anni vigesimi primi supra millesimum & quingentesimum initio sedato, non multos menses post Italiæ res ambitione duos potentissimos reges, mutua amulatione, odio, & suspicionibus tumidos, ad potentiã suam omnẽ, odiumq; in Italia, quæ cum circiter annos tres in pace quãuis dubia & suspicionibus plena vixisset, cœlum, propriũ fatum, & fortunam, vel quietis suæ inuidos, vel ne si diuturniori pace frueretur, in pristinã suam felicitatem rediret metuentes, habere videbatur, exercendum incitante, longè diuturnioribus, & magis quàm superiora periculosis bellis turbari cœperunt. Nouis motibus initium dederunt ij, qui cum magis quàm ceteri paci studere debebãt, sæpius quàm quiuis alius eam turbant, & omni industria autoritateq; sua adhibita, ignem, quem si alia ratione non possent, proprio sanguine extinguere conari deberent, accenduntnam etsi inter Cæsarem & Francum odia indies gliscerent, nõ tamen adeo graues ad præsens bellum causſas habebant; neq; ita alter alteri potentia in Italia aliaúe oportunitate superior erat, vt absq; aliquorum Italorũ principum societate se inuicem possent offendere: cum enim Galliæ rex Venetos ad Mediolani defensionem socios haberet, neq; Heluetij amplius ad bella proprijs auspicijs gerenda essent propensi, sed solùm aliorũ stipendia militum more merere parati, nullum Cæsaris neq; ex regno neapolitano, neq; ex Germania motum metuendi causſam habebat; neq; vicissim Cæsari in regno neapolitano, nisi pontificẽ quem vterq; varijs promissis & artibus sibi cõciliare nitebatur, ad eam expeditionem socium haberet, nocere facilè poterat; adeo vt opinio fuerit, si pontifex medius inter vtrunq; in odijs pontificia autoritate, & fide quam ei moderatio conciliaret, mitigandis, & inquietorum cõsiliorum origine reprimenda, vigilans & solicitus fuisset, pacẽ potuisse cõseruari. Neq; vlla causſa quod illũ ad bellũ exoptandũ excitandũúe cogere cernebatur, nam & antea infeliciter arma tentauerat; & cum vteruis horum principum tam potens esset vt is qui victor existeret, nullum impedimentum frænumúe quo minus Italiam vniuersam imperio suo subijceret habiturus perspicuè animaduerteretur, vtrius libet illorum victoria æquè erat ei formidanda: amplissimo sacræ sedis imperio tranquillissimè & maxima obedientia potiebatur; Romaque & aula vniuersa in summo flore & felicitate erat collocata; plenam in Florentino imperio, quod tunc potens, opulentissimumque erat autoritatem habebat: ipse autem natura otio & voluptatibus deditus, tunc verò etiam ob nimiam licentiam potentiamque supra modum à negotijs alienus, musicis, iocis ac histrionibus totũ diem audiẽdis immersus, & præter decorũ volupta-

voluptatib. deditus, à bellis penitùs alienus esse debere videbatur: huc accedebat quòd cum in eius animo tanta magnificentia & splendor inesset, vt vel in quouis qui longissima successione à potentissimis regibus oriundus esset, summa admiratione digna fuisset: neque in sumptibus, muneribusúe dandis modum delectumúe seruaret, non modò breuissimo temporis spacio Gazam ab Iulio cumulatam, incredibili profusione exhausserat, verùm etiam cum ex ijs quæ in curia expediuntur, multisque nouis & ad pecuniam emungendam excogitatis muneribus, ingentem auri copiam cumulasset, adeò profusè sumptus fecerat, vt subinde nouas rationes quibus immanes illos sumptus, in quibus non modò perseuerabat, verùm etiam eos augebat, sustinere posset, excogitare cogeretur. Aliquem ex suis euehendi stimulos non habebat: & quamuis Parmæ ac Placentiæ recuperandæ & Ferrariæ occupandę libidine premeretur, hæ tamẽ minimè idoneæ causæ, quæ illum ad totius orbis terrarum tranquillum statum vertendum, sed potius ad cunctandum oportunitatemque & occasionem opperiendam mouere deberent, videbantur. Sed quod vulgò dici solet, nimia felicitate homines, maiorem hostem non habere, verissimum est: ea enim illos effrenatos suiq; præfidentes, ad malum audaces, & proprij commodi nouis rebus turbandi cupidos facit. Leo igitur in huiusmodi statu cõstitutus, siue quòd Parmæ & Placentiæ quas tanta cum gloria ecclesiæ imperio adiecerat Iulius, iactura sibi maximo dedecori esse duceret, siue Ferrarię occupãdæ libidine victus; siue quòd si antequam aliquid magni gessisset moreretur, pontificatus sui memoriam sibi infamẽ relinquere videretur; siue (vt ipse aiebat) ne hi duo reges ambo, à fœderis sui spe excluſi, eamq; ob causſam ad se mutuò lędendos non satis apti, tandem ad aliquod inter se fœdus quod ad pontificium imperium, & totam reliquam Italiam deprimendam spectaret ineundum deuenirent metuens; siue (vt ego postea ex Mediceo cardinale omnium eius occultorum consiliorũ cõscio audiui) quòd se Gallis Genua & Mediolano pulsis, facilè Cæsarẽ regno neapolitano electurum; ficq; eam sibi Italiæ liberatæ gloriam, ad quam antea apertè defunctus pontifex aspirauerat, vindicaturum speraret: quod cum proprijs viribus præstare non posset, se Galliæ regis animo, aliquo prius homine illi grato in cardinaliũ collegiũ cooptato, atq; ad alia ei promptè concedenda se facilẽ ostendens, mitigato, ab eo contra Cęsarẽ, quasi is idem Cæsari cõtingere quod sibi accidisset, solatij loco esset accepturus, auxilia impetraturũ existimabat. Quæcunq; verò tandẽ illum causſa mouerit, siue vna, siue plures, siue omnes simul, omnes cogitationes suas ad bellum & ad fœdus, cum horũ principum altero, cui coniunctus arma in Italia contra alterum moueret ineundum cõuertit: ad quod vt paratior esset, nec interea ab vllo opprimi posset, dum cum vtroq; id negotium, sed cum Franco pressius tractaret, Antonium Puccium Pistoriensem episcopum, qui pòst in pontificum collegium est cooptatus, in Heluetiam ad legionem Heluetiorum conscribendam, & in pontificium imperium ducendam misit: quos cum ab illis ciuitatibus ob fœdus post Vrbini bellum cum eis renouatum facilè impetrasset, per Insubriam itineris faciendi facultate accepta, in pontificium imperium duxit; & cõplures menses in Aemilia, Flaminiaq; & Piceno aluit, cumq; omnibus, nullo in Italia motu apparẽte, ad quem finem tantum sumptum inutiliter faceret, dubium esset, ipse illos à se, cum sciret sacrosanctæ potestatis perduelles quotidie res nouas moliri, vt tutus viuere posset accersitos aiebat: quæ causſa cum minimè verisimilis videretur, variæ cogitationes hominibus in mentẽ veniebant: alij illum ob Galliæ regis metum; alij aliquo Ferrariæ occupandæ consilio; alij verò Cęsaris regno neapolitano spoliandi studio, sese armis munijsse censebant. Sed inter illum & regẽ de eo regno communibus auspicijs adoriendo occultè agebatur; ea lege vt Caieta, & quicquid inter Garilianum fluuium & pontificij imperij fines positum est, põtificatui adijceretur: reliquum regni secundo natu Galliæ regis filio cederet; qui quòd impubes esset, tandiu donec ad pubertatem peruenisset, vnà cum regno, pontificij legati qui Neapoli sedem haberet, tutelæ esset subiectus. Continebat præterea id fœdus, vt rex eum contra pontificij imperij subiectos & beneficiarios iuuaret, quod caput nõ modò ad eorum quæ pontificatus possidebat firmamentum, sed & ad Ferrariæ adipiscendæ cupiditatem, qua pontifex ardebat, spectabat: quo tempore admodum ad hæc consilia

opportunè Galliæ rex Hiſpaniæ tumultuum occaſione inuitatus, & (vt poſtea conquerens aiebat) pontificis hortatu, exercitum Aſparoto Lautrechij fratre duce in Nauarram, vt illud regnum priori regi reſtitueret, miſit; eodemque tempore Robertus Marcianus & Gheldrenſium dux in Flandriæ fines arma infeſta inferre cœperunt: Hiſpaniæ diſſidia Aſparoto facilem ad Nauarræ regnum omni auxilio deſtitutum, & in quo nondum prioris regis memoria erat extincta, recuperandum viam fecerunt; qui præterea Pompelunæ arce tormentis expugnata, Cataloniæ regni fines ingreſſus, Fonterabiam occupauit; & Logronium vſq; excurrit: quo factum eſt, vt (quemadmodum ſæpe in rebus humanis accidit) Cæſari id quod homines illi maximè obfuturum credebant, profuerit: quoniam Hiſpaniæ res ad eam vſq; diem variè agitatæ, in maximam perturbationem erant redactæ: ab vna enim parte populares & plebei ſimul coniuncti erant; ab altera multi principes, qui rerum ſuarum cauſſa popularem licentiam metuebant, quæ ad apertam rebellionem perducta, alicuius autoritate prædíti capitis habendi cupida, Calabriæ ducem ex Sciatiuæ arce extraxerat; qui tamen contra Cæſarem arma ſumere recuſans, è carcere diſcedere noluit, pro Cæſare arma ſumpſerant. Sed Galliæ regis in ipſorummet fines irruptio, ita populorum qui abſq; vlla moleſtia Nauarræ regni quamuis illud defuncti regis decreto ipſorum regni membrum eſſet factum, iacturã tulerant, animos commouit, vt cum hac de cauſſa, tum aliquo Cæſarei exercitus felici ſucceſſu omnia Hiſpaniæ regna mutuis inter ſe odijs facilè depoſitis, ad ſui regis obedientiam redierint. Huic Galliæ regis ob tam facilem regni Nauarræ victoriam felicitati, maior (ſi occaſione vti nouiſſet) ſucceſſus acceſſit: nam Heluetij apud quos erant ipſius & Cæſaris legati, qui ſinguli illos ſibi coniungere nitebantur, Cæſaris amicitia, contra multorum opinionem, & contra ſpem ei factam reiecta, Galliæ regis fœdus ſunt amplexi; quo ſe illi quantaſcunque & ad quamcunque vellet expeditionem copias eius ſtipendijs, & præterea nemini contra illum conceſſuros, promiſerunt. Reliqua erat fœderis Romæ inter ipſum & pontificem, ſanctio; quæ cum ab ipſo peteretur, dubitatione illi à multis iniecta, anceps eſſe cœpit: pontificis ſimulationis & odij quod ſemper poſtquã pontificatum erat adeptus, in ipſum oſtenderat habita ratione, fraudem aliquam eſſe metuendam; neq; enim veriſimile eſſe, pontificẽ vt regnum neapolitanum in ipſius filiorumúe poteſtatem veniret cupere; quòd cum eo regno & Inſubria potiretur, nimis ipſius potentiam eſſet formidaturus: tantam profectò tam repentè natam beneuolentiam dolo non carere; rebus ſuis diligenter à fraudibus caueret; ne cum ſe regnum neapolitanum adepturum crederet, Inſubriæ imperium amitteret: ſi enim exercitum Neapolim mitteret, in pontificis qui ſex Heluetiorum millia haberet poteſtate fore, cum Cæſarianis cõſpiratione facta eum extinguere; & ſic Mediolanum propugnatoribus nudare: nec mirum videri debere, ſi pontifex, qui vt ei illud imperium viribus eriperetur, tentauerat, eius alia ratione adipiſcendi ſpe fruſtratus, dolis id perficere niteretur. Hæ rationes regem ita commouerunt, vt cum de fœderis ſanctione dubitaret, & fortaſſe aliunde reſponſum aliquod expectaret, pontificẽ & legatos ſuos ancipites dimittens, nihil Romã ſcriberet: ſed pontifex, ſiue quòd re vera conſuetis artibus vtens, animũ ab rege alienũ gereret, ſiue vbi omne reſpondendi tempus elapſum vidit, id quod res erat, ſuſpicatus; & ne rex conſilia ſua Cæſari aperiret, ſicq; inter eos fœdus cõtra ſe hac de cauſſa oriretur veritus; atq; etiam Parmæ & Placentiæ imperio ſuo iterum ſubijciendæ, & rei alicuius memorabilis gerendę cupiditate incenſus; & prẽterea Lautrechij, & Tarbenſis epiſcopi eius miniſtri, qui nulla pontificia edicta mandataúe in Inſubria admittentes, ſuperbiſſimis inſolentiſſimisque verbis ea contemnebant, inſolentia commotus, fœdus contra Galliæ regem cum Cæſare, qui Nauarrico bello irritatus, à multis Mediolanenſibus exulibus incitatus, & à nonnullis ex ſuo Senatu Ceuris, qui ſemper ne à Galliæ regis amicitia diſcederet ſuaſerat, autoritatis deprimendæ cupidis incitatus, idem cogitauerat, inire ſtatuit: ad quod Cæſarem Heluetiorum cum Galliæ rege fœderis, pontificis & ſua autoritate, antequam rex id muneribus ac beneficijs corroboraret, facilè infirmandi ſpes impuliſſe creditur. Pontificis quoq; animum in maiorem ſpem traxit, quòd Cæſar cum Martinum Lutherum ad ſe ſub publica fide vocatum, in Vormatienſibus Comi-

Comitijs audiuiſſet, eiusque res à multis theologis,qui eam doctrinam erroribus ſcatere, & chriſtianæ religioni pernitioſam eſſe retulerant, diſcuti iuſſiſſet,vt pontifici rem gratam faceret,illum Cæſarea autoritate proſcripſerat: quæ res ita Martinum terruiſſe dicitur, vt niſi ſancti Xiſti cardinalis pontificij legati contumelioſa ac minarum plena verba eum irritaſſent,opinio fuerit, illum aliqua dignitate vel honeſta viuendi facultate oblata, ab erroribus ſuis diſceſſurum fuiſſe. Sed quicquid in cauſſa fuerit,fœdus inter pontificem & Cæſarem, Ceuri,qui ad id vſque tempus ſumma apud eum autoritate polluerat, quique opportunè ijſdem ferè diebus obijt inſcio, ad communem etiam Mediceæ familiæ & Florentinorum defenſionem ictum eſt; additumque, vt bellum in Inſubria eo tempore & ratione qua inter ipſos conueniret, mouerent; eaque occupata,Parma & Placentia pontificatui à quo ijſdem iuribus quibus antea eas obtinuerat poſſiderentur, cederent: cumque Franciſcus Sfortia, qui Tridenti exulabat, ius in Mediolanenſe imperium ob diploma patri conceſſum, & fratris ceſſionem haberet, ſi id obtinuiſſent, ei traderetur; & fœderati illum in imperio tueri ac conſeruare tenerentur; nullo alio ſale in Inſubria niſi Cerüino vti liceret: pontifici non modò in ſubiectos ac beneficiarios ſuos agere permitteretur, verùm etiam Cæſar vbi Mediolanenſe bellum confeciſſet,ei contra illos, & nominatim ad Ferrariam occupandam opem ferret: regni neapolitani tributum auctum fuit: Medicео cardinali quotannis decem aureorum numûm millia, ex Toletani archiepiſcopatus, cuius archiepiſcopus paulo antè mortuus erat, cenſu; & Alexandro Medici Laurentij olim Vrbini ducis extra matrimonium nato, in regno neapolitano principatus, è quo tantundem perciperet,promiſſus: ad quarum rerum declarationem, quænam imperij in Mediolanenſem ducatum iura hoc tempore Cæſar prætenderet, breuiter explicandum videtur. Cæſariani, Aurelianorum ducum vetera in eum principatum iura, quòd Valentinæ ſucceſſionis pactum Cæſarea autoritate confirmatum non fuiſſet, nullius eſſe ponderis; nunc autem quòd diploma Ludouico Sfortiæ, pro ſe & liberis ab auo ſuo conceſſum tot exceptionibus adiectis reſciſſum, vt ea reſciſſio meritò in filiorum præſertim detrimentum, qui cum id nunquam obtinuiſſent,iuris ſpem, ſed non rem ipſam habebant, vim obtinuerit, illud directò ad imperium ſpectare aiebant; ideoque diploma Ludouico regi pro ſe & Claudia filia conceſſum,ſi ea Carolo nuberet, & ea lege,vt ſi minus matrimonium,abſque tamen Caroli culpa,perficeretur,id nullam vim haberet,& Mediolanenſe imperium iurè ad Carolum cui ei ratione Philippo patre præſente eius traditum ius fuit,tranſiret, validum eſſe. Ex hoc autem ſequi ſecundum diploma eidem Ludouico regi pro ſe & pro eadem Claudia, & pro Angoliſmenſium duce in Caroli pupilli & ſub Maximiliani tutela conſtituti fraudem datum, nullius eſſe ponderis: quo cum hic rex niti non poſſet, multo minus eum ducatum ſibi nouis iuribus arrogare poſſe; quod à Cæſare nunquam diploma vel obtinuiſſet, vel petijſſet; & ceſſionem à Maximiliano Sfortia, quum ei Mediolanenſem arcem tradidit factam,quia beneficiarium imperium propria voluntate alienatum ſtatim ad ſupremum dominum redit, & quia Maximilianus quamuis Cæſaris conſenſu admiſſus, cum antequam diploma vnquam accepiſſet in eo ſtatu obijſſet, iura quæ ad ipſum non ſpectabant, in alium transferre minimè poterat, ei prodeſſe non poſſe. Fœdere igitur occultè inter Cæſarem & pontificem contra Galliæ regem icto, commune vtriuſque conſilium fuit, vt antequam apertè arma mouerent, vel inſidijs vel repentina irruptione vno eodemque tempore exulum opera Genuam & Mediolanum oppugnarent. Conſtitutum itaque eſt, vt Cæſaris triremes, quæ Neapoli erant, & pontificiæ, duobus Hiſpanorum peditum millibus inſtructæ,& Hieronymum Adurnium, cuius autoritate & clientelis litorum incolis Adurniæ factionis, ſimul eius opera concitatis,tumultum in ea ciuitate exoriturum ſperabant, ſecum habentes, repentè ſe in Genuenſi portu oſtenderent. Ab alia parte à Franciſco Sfortia, & Hieronymo Morono, qui cum multis potentioribus exulum Tridenti apud illum erat, conſtitutum fuerat, vt Parmæ, Placentiæ & Cremonæ repentè in Gallos milites qui in ijs locis erant,& Mediolani quoque impreſſio fieret; & Manfredus Palauicinus, atque Mattus Brintius factionis in montanis illis locis princeps,Germanos pedites per Comenſem lacum ducerent, eamque vrbem in qua occultam con-

ſpirationem ſe habere aiebant, oppugnarent: quòd ſi hæc omnia vel aliqua ſaltem ex grauioribus ſuccederent, Mediolanenſes exules, inter quos magnus erat nobilium numerus, qui ſe occultè Regium, vbi die conſtituta & Hieronymus Moronus erat futurus transferre debebant, tribus peditum millibus quanta fieri poſſet celeritate cõſcriptis, in Mediolanenſe imperium irrumperet: ad quem vſum põtifex decem aureorũ numũm millia Franciſco Guicciardino, qui iam à multis annis Mutinæ & Regij præerat, miſit, Morono ad pedites qui ad harum rerũ ſucceſſum parati eſſent, clàm conſcribendos daret: quas res Guicciardinus, ſed tamen occultè, & ita vt Galliæ rex ex miniſtrorum actionibus vel conqueri, vel minus bonam de pontifice opinionem concipere non poſſet, promoueret. Sed nulla harum rerum felicem exitum eſt ſortita. Claſſis ſeptem triremium, biremium quatuor & aliquot onerariarum nauium Genuam miſſa, quia Fregoſius dux illorum aduentu antè cognito ciuitatem opportunè munierat, fruſtra ad portum acceſſit: quare cum nullum tumultum exoriri perciperent, in Orientale litus receſſerunt: & in Inſubria cum ea quæ parabantur & Hieronymi Moroni Regium aduentus in multorum exulum ore eſſent, Federicus Bozolenſis ea re cognita Mediolanum contendit: & id Scuto qui Mediolani fratris paulo antè in Galliam profecti locum obtinebat, ſignificauit: is autem equeſtribus copijs ex varijs locis in quæ erant diſtributæ collectis, & Federico mille peditum ex ſuis caſtellis ducendorum cura commiſſa, ſtatim cum quadringentis cataphractis Parmam petijt: quo in itinere ea quæ ſibi ab Federico narrata fuerant, vera eſſe ſingulis horis certius comperit; quoniam exules id quod conſtitutum fuerat, vt occultè conuenirent non ſeruantes, apertè in omnibus vicinis locis milites petentes, & ſe abſq; mora res nouas aggreſſuros vbiq; manifeſta indicia edentes, Regium erant profecti: quam rei gerendæ rationem & Hieronymus Moronus, qui poſt illos venit, fortaſſe vt, quo res apertior fieret, eo maius odium inter pontificem & regem exoriretur, eſt ſequutus. Horum conſiliorum leuitas iam omnibus manifeſtè conſtabat, & nihilominus Scutus vbi Parmam veniſſet, ſequenti mane, qui dies Ioannis Baptiſtæ natiuitati ſacer erat, ſe vel omnes vel partem exulum, ſiue ipſius aduentu cognito extra ciuitatem aufugerent, ſiue cum nulli peregrini milites adeſſent, fortaſſe præfectus homo ab rebus bellicis alienus territus illos ipſi captiuos dederet, ſiue in ciuitatis trepidatione aliquam ingrediendi occaſionem ſibi datam iri ſperaret, capiendi facultatem habiturum ſperans, pro Regij portis ſe oſtendere ſtatuit. Huius conſilij aliquam partem ſubolfecit præfectus, & quamuis cum Genuæ oppugnatio nondum eſſet nata, Scutum abſq; regis ſui mandato belli ferè initium facientẽ, in pontificij imperij fines cum armis venturum, nequaquam ei veriſimile videretur; tamẽ quales ſæpe Gallorum impetus eſſe ſoleant perpendens, ne prorſus eſſet imparatus, ſtatim Guido Rangonio qui in Mutinenſi agro erat, vt eadem nocte Regium veniret mandauit: & ex peditibus ab Morono conſcriptis, qui magis vicinis in locis erant, eadem quoque nocte in vrbem venirent; & vt ciues quos à Gallis alienos eſſe nouerat, ad campanæ ſonitum portarum cuſtodiam vnicuique cura ſua attributa adiret, iuſſit: venit ſequenti die mane Scutus cum quadringentis cataphractis, quos, ſed aliquot milliarium interuallo, Federicus Bozolenſis cum mille peditibus ſequebatur; cumque, vbi prope vrbem veniſſet, Bonauallius vnum ex ſuis ducibus ad præfectum vt colloquij facultatem peteret, miſiſſet, vt Scutus ianiculum, quo in eius portæ, quæ Parmam verſus ſpectat propugnaculum aditus patet, adiret, quo & præfectus mutua fide tutus veniret conuenerunt. Itaque Scutus progreſſus, pedes cum multis nobilibus viris ad eam portam venit: è qua cum præfectus eſſet egreſſus, ſimul loqui cœperunt: & ſic alter in pontificij imperij ciuitatibus contra fœderis capita, exules vt regis imperium turbarent conuenientes recipi & foueri; alter quòd ipſe armato exercitu pontificij imperij fines repentè eſſet ingreſſus querebatur: quo in colloquio dum ſunt, cum aliqui ex populo contra imperium portam vnam, vt currum farina onuſtum introducerent aperuiſſent, Bonauallius qui è regione illius portæ erat, quia Scuti milites circa mœnia diſpoſiti partem ambiebant, cum aliquot cataphractis vt ingrederetur eſt progreſſus; ſed cum magno ſtrepitu clauſa porta repelleretur, rumor ad eum locum vbi Scutus & præfectus colloquebantur perlatus, in cauſſa fuit, vt ciues & nonnulli

nulli exules quibus propugnaculi murus plenus erat, scloppis in eos qui prope Scutum erant disploſis, Alexandrum Triultium grauiter vulnerarent, quo vulnere (hac profectò calamitate qui eam Regium profectionem dissuaserat indignus) biduo post interijt: reliqui fuga saluti suæ consuluerunt, neque aliud quidquam Scutum seruauit, nisi illorum qui in eum iaculari volebant, ne præfectum attingerent metus: sed cum ille terrore plenus esset, & fidem sibi fractam quereretur, neque vel consistendi vel fugiendi consilium capere sciret, præfectus eius manu arrepta, eumq; vt ipsius fide fretus sequeretur hortatus, nemine ex suis præter Mottam nobilem Gallum illum commitante, in propugnaculum introduxit: illud autem mirari licet, quòd omnes cataphracti, vbi Scutum ingressum esse audiuerunt, illum captum esse rumore inter illos diuulgato, tanto cum timore fugæ se dederunt, vt multi ex illis hastas passim abiecerint, & pauciſſimi Scutum expectarint; qui post longum colloquium, tumultumq; à suis ortum edoctus, à præfecto qui ob datam fidem, & mandata à pontifice ne aliquod contra regem alienati animi signum proderet eum retinere noluit, dimissus est; neq; si retinuisset, vt multi existimarunt, Mediolanensis imperij defectio esset sequuta: nam equites tametsi in fugam coniecti, nemine, quod Regij pauciſſimi equites erant, illos persequente, cum in Regiensium finibus Federicum Bozolensem, qui cum mille peditibus progrediebatur obuium habuissent, constiterunt, & in ordinem redierunt; & terror Parmæ ac Mediolani quòd primi nuntij Scutum captum, & equites fractos retulissent cœptus, vbi equites incolumes esse cognitum fuisset, præsertim cum nullus in vicinis locis exercitus, nullæue quæ motum aliquem excitare possent vires existerent, & multi alij equitum præfecti supereſſent, desijsset. Scutus itaq; equitibus ac peditibus collectis Coriagum Regiensis agri vicum ad sextum à ciuitate lapidē se recepit: vnde post paucos dies trans Lentiam fluuium in Parmensem agrum est reuersus; & Mottam Romam ad pontificem vt suæ Regium profectionis cauſſas afferret, & regis perduelles iuxta fœderis inter regē & ipsum initi capita pontificio imperio pelli postularet, misit. Iisdem verò diebus casus quidam qui Mediolani accidit Gallorū animos quasi manifestis de cœlo signis futuras calamitates portendentibus, valde terruit: nam eo die qui Apostolorum principis mortis memoriæ sacer est, post Solis occasum sereno cœlo, instar ignis per aërem desuper ante arcis portam, quò multa tormentario puluere referta dolia, ex arce vt in quasdam alias arces mitterētur perlata fuerant, decidit: quocirca maximo repentè incendio cum ingenti fragore oborto, marmorea turris pulcherima, suprà portæ imposita, in cuius summo erat horologium, funditùs euersa est: nec turris tantùm, sed & arcis muri atque cubicula turri coniuncta, omnibus arcis ædificijs & tota ciuitate eodem tempore, ob immensum tonitruum tantamq; ruinam trementibus corruerunt; & saxa lapidesq; ingentes ex ruinis huc atq; illuc per aëra, tremendum in modum incredibili impetu, nunc multos ictibus collidentes, nunc alios ruinis opprimentes, quibus saxis (mirum) tota arcis area obtecta erat volitabant; & nonnulla ingentis magnitudinis saxa, vltra quingentos passus peruolarunt: erat autem eadem ipsa hora qua mortales refrigerationem ex calore aucupātes, in ipsa area obambulabant, idcirco supra centum & quinquaginta milites, ex ijs qui in arcis præsidio erant interierunt; & minoris arcis quæ Rocchetta dicitur, atq; etiam ipsius arcis maioris præfectus cum reliquis ita obstupefacti, animoque & consilio spoliati sunt, tantumq; muri spacium dirutum, vt populo si arma cœpisset admodum facile fuerit ea nocte arcem occupare. At pontifex vbi de Scuti ad Regij portas aduentum certior factus est, inde actiones suas defendendi occasione sumpta, in cardinalium Senatu ea de re grauissimè est questus, & fœdus iam antea cum Cæsare occultè ictum, & vtriusq; triremes ad Genuam oppugnandam missas reticens, ex eo quod Scutus Regium occupare voluisset, inimicam Galliæ regis in sacrosanctæ sedis imperium mentem perspici ostendit; ideoq; ad eius defensionem, se ad fœdus cum Cæsare, cuius nullum vnquā nisi christiano principe, cum in alijs omnibus eius actionibus, tum quòd nouissimè religionis patrocinium tanto ardore Vormatiæ suscepisset, dignum facinus esset visum, ineundum cogi. Sic fœdus illud quod iam antea contractum erat, tunc primùm cum Ioanne Emanuelle Cæsaris oratore contrahi simulantes, statim Prosperum Columnam cui vt eius expeditionis administratio committeretur constitutum erat, Ro-

mam vt cum illo qua ratione & quibus viribus arma postquam insidiæ non processissent,apertè essent mouenda deliberarent aduocarunt.Nam neq; Comi res felicius succesſerant;quum enim Manfredus Palauicinus,& Mattus Brintius cum octingentis partim Italis partim Germanis peditib.noctu ad Comi mœnia accessissent, Antoniũ Ruscã eius vrbis ciuem tantum muri spacium prope domum in qua habitabat vt ciuitatem in qua quia pauci Galli erant se nullum qui resisteret inuenturos putabãt ingredi possent diruturum sperantes, & diu frustra expectassent,ciuitatis præfectus Gallis omnibus & nonnullis Comensibus quos maximè fidos existimabat collectis, longè tamen minori quàm oppugnantes essent numero,illos repentè aggressus,tam facilè eos fudit,vt multi militum Germanorum ducem ab illo vel pecunia vel promissis corruptum fuisse crediderint.Tres naues in lacu submerserunt; septem verò atq; ex hostibus complures,inter quos Manfredus & Mattus qui montes versus fugiebant cœperunt: Germanis verò omnibus dimissis,reliqui Mediolanum sunt perducti,vbi Manfredus & Mattus,Bartholomeum Ferrerium Mediolanensem,haud paruæ autoritatis hominem Moroni cõsiliorum conscium esse prius fassi, publicè in quatuor partes sunt dessecti; & Bartholomeus vnà cum filio in carcerem coniectus, quòd se ab Morono occultis nuntijs ad res nouas contra regem solicitatum fuisse non aperuisset, eodem supplicio fuit affectus. Quo tempore pontifex quantum Mantuæ imperium ad Insubriæ bella esset opportunum animaduertens, Federicum Mantuæ marchionem Ecclesiæ copiarum imperatorem appellauit:eiq; ducentos grauis & totidem leuis armaturę equites attribuit,qui antequam ab illo conduceretur se diui Michaëlis equestri ordine in quem ab Galliæ rege cooptatus fuerat regi aureo torque remisso abdicauit.Romæ autem Prosperi Columnę consilio, à pontifice & Cæsaris oratore belli gerendi ratio & modus constitutus fuit;vt videlicet quamprimùm fieri posset ex pontificij imperij finibus pontificis & Florentinorum cataphractis,qui Marchionis turmis adnumeratis in vniuersum sexcenti erant simul collectis,& Cęsaris qui in regno neapolitano erant grauis armaturæ equitibus fere totidem ijs adiunctis, ac sex Italorum peditum millibus cõscriptis,Mediolanensi imperio bellum inferretur, & duo Hispanorum peditum millia qui cum Adurnio in Liguria erant, ad exercitum qui inter Mutinensem & Regiensem agrum conuenturus erat venirent, duo item millia ex regno neapolitano adduceret Piscarius marchio: & quatuor Germanorum ac duo Rhetorum peditum millia communibus Cæsaris & pontificis sumptibus conducerentur: his duo Heluetiorum millia qui sponte ad pontificis stipendia remanserant (reliqui enim tam diuturni ocij pertæsi tum quia messis tempus instabat, antequam Scutus Regium veniret,pontifice postquam centum & quinquaginta aureorum numũm millia in eis alendis inutiliter insumpserat, frustra eos retinere conante,ad domos suas redierant)adiungerentur.Decretum præterea fuit vt pontificis & Cæsaris autoritate coniuncta, cum Heluetiorum ciuitatibus ageretur, vt sex peditum millia(tot enim ex pontificis cum eis fœdere debebant)pontifici darent,& Galliæ regi, quod pontifex suum cum illis fœdus, Gallico fœdere antiquius esse diceret denegarẽt: his verò impetratis in Mediolanensem agrum Comum versus irruptionem facerent;ob exulum enim ex honestissimis familijs multitudinem, & quia beneuolentia qua populi Ludouici regis nomen prosequi solebant, in haud mediocre odium erat conuersa, facilè defectionem exorituram sperabant: nam cum equitibus qui semper ad eius imperij custodiã erant, regis qui partim necessitate coactus,partim voluntate nimijs sumptibus oneratus fuerat, culpa satisfactum non fuisset,magna licentia vsi erant:neq; regij præfecti, regis negligentia audaciores facti, ius quemadmodum defuncti regis qui erga Mediolanenses optimè affectus, semper eius commodorum peculiarem rationem habuerat temporibus administrari solebat, administrabant. Illud præterea graue illis erat, quod Galliæ more Gallos ministros atq; milites hospitio accipere cogebantur: quod etsi nullum eis sumptum afferret,tamen cum perpetuum esset, maximè incommodum molestumq; ducebant: & quamuis hoc idem onus defuncti regis qui Parisiorum ciuitatis exemplo adducto, nunquam Mediolanenses eo liberare voluerat, tempore sustinuissent,nihilominus alijs malis coniunctum,grauius videbatur: his accedebat populorum rerum nouarum cupida natura;& mortalium se à præsentibus malis liberandi

tam

tam ardens ſtudium, vt quid in poſterum ſit futurum non cogitent. Belli à Cęſare & pontifice tantis apparatibus decreti fama ad Galliæ regis aures perlata, eum de Inſubria nō minoribus copijs tuenda cogitare compulit: in quo prima deliberatio fuit vt Lautrechius qui propriorum negociorum cauſſa ad aulam ſe contulerat, ſtatim Mediolanum rediret; qui etſi regis & illorum qui adminiſtrationi præerant varietatem & negligentiam metuens, niſi prius ipſi trecenta aureorum numūm millia, quę ſibi ad imperium illud tuendum ſatis fore putabat, numerarentur, diſcedere recuſaret; nihilominus maximis regis & matris eius precibus victus, & fide ab illis & à miniſtris pecuniarum adminiſtrationi præpoſitis ipſum non antè Mediolanum peruenturum, quàm petita pecunia iſtuc eſſet allata ſibi data fruſtratus, ſumma celeritate redijt; & ijs quæ ad defenſionem erant, cuius gratia vnà cum rege neceſſaria comparandis diligentem operam nauabat, egerat, vt regijs cataphractis qui tunc in Inſubria erant, ſexcentorum grauis armaturæ equitum & ſex peditum millia ab Venetis qui ea promptè offerebant, & iam equitatum in Veronenſem & Brixienſem agrum mittebant, adiungerentur; decem item Heluetiorum millia, quæ noui fœderis vi minimè defutura ſperabant conſcriberentur, & ſex voluntariorum militum millia ex Gallia in Italiam mitterentur, quibus omnibus aliquis Italorum peditum numerus adderetur: quibus viribus ſe vel non magno periculo prœlij fortunam experiri poſſe, vel ſi minus, ſatis magnas ad id vires haberet ſaltem ciuitatibus & oppidis idoneis præſidijs munitis, defenſioni incumbendo hoſtes quorum alter ob naturæ ſuę inſitam profuſionem, & ob ſumptus in Vrbinati bello factos pecunijs erat exhauſtus; alteri ſua regna non tantam copiam ſubminiſtrabant, vt tam graue bellum diu ſuſtinere poſſe crederetur ſe fatigaturum ſperabat. Exiſtimabant præterea Alfonſum Eſtenſem, proprij imperij ſi pontifex victoria potiretur tuendi ſpe amiſſa, vel ſua recuperare conaturum, vel ſaltem armis arreptis pontifici talem iniecturum ſuſpicionem, vt multos milites ad vicinorum locorum finiumq; ſuorum cuſtodiam relinquere cogeretur. Hæc erant vtriuſq; partis conſilia & apparatus, rege tamen interea nulli labori ſed fruſtra, vt pontificis animum mitigaret parcente, nullamúe induſtriam omittente. Erat hoc tēpore Proſper Columna Bononiæ, vnde copijs quæ ex regno neapolitano erant venturæ, neq; Germanis peditibus expectatis, ceteris militibus collectis, & Mutina, Regio, Bononia, Rauenna & Imola ob Ferrarienſium ducis metum præſidio munitis, ad Lentium fluuium quinq; à Parma milliaribus, Gallos ab Heluetijs peditatum non impetraturos, illosq; cum hanc ob cauſſam tum ob populorum in eos odium potius de Inſubria deſerenda, quàm tuenda cogitaturos ſpe plenus exercitum duxit: ſed res ſecus ſucceſſit, nam Heluetiæ ciuitates etſi Sedunenſis cardinalis, & pontificis Cæſarisq; oratores vehementiſſimè id diſſuadere niterentur, regi quemadmodum poſtremo fœdere tenebantur milites dare ſtatuerunt; qui dum colligerentur Georgius Supraſaxus cum quatuor Valeſiorum millibus Mediolanum venerat: quare Lautrechius Parmam tueri volens, Scutum fratrem ſuum cum quadringentis cataphractis, & quinq; Italorum peditum millibus quorum dux erat Federicus Bozolenſis eò miſit. Audiebatur quoq; Venetos copias ſuas ad Ponteuicum vt eas ad Galliæ regis auxilium mitterent colligere, & Ferrarienſium principem milites conſcribere: idcirco Proſper maioribus viribus opus eſſe animaduertens, ſeptem dies in illis caſtris permanſit; quo tempore quadringenti Hiſpani cataphracti Antonio Leua duce ex regno neapolitano profecti, & Mantuanus cum copiarum ſuarum parte in caſtra venerunt: nec tamen ob Mantuani pontificiarum copiarum præfecti aduentum, Proſperi Columnæ, cui ex pontificis & Cæſaris voluntate non nomine, ſed re totius exercitus cura erat commiſſa, autoritas immutabatur; imo ſuprema omnibus pontificis copijs, & nominatim Mantuano marchioni imperandi poteſtas penes Franciſcum Guicciardinum erat, qui totius exercitus legati nomen habebat, ſed ſupra communem legatorum morem ſummam obtinebat autoritatem. Proſper deinde exercitum ad Lazari fanum, quod mille ab Parma paſſus diſtat, in Regienſi via, eo animo vt donec Piſcarius qui cum trecentis cataphractis & duobus Hiſpanorum peditum millibus ex regno expectabatur, & Germani pedites aduenirent, vlterius nō progrederetur, duxit: quo tempore nulla alia moleſtia Parmenſibus afferebatur, niſi aquas auertere conando molasq; frangēdo molendi difficul-

tatem eis afferre. Hominum autem expectatio ad Germanorum aduentum erat conuersa,ad quos itinere prohibendos Veneti in Gallorum gratiam copiarum suarum partem in Veronensem agrum mittebant: illi verò cum Oenipontem veniissent,primi mensis stipendium sibi Tridenti dari, & aliquot equites ad Motisbaldi, per quem se iter facere velle aiebant radices, quò tutius progredi possent, obuiam mitti postulabant: quamobrem Prosper ducentos expeditos equites Mantuam miserat,vt duobus in Mantuano agro peditum millibus imperatis cõiuncti,& cum Mantuani, qui omnibus in rebus vt pontificis ac Cæsaris grãtiam promereretur, se non vt eorum miles,sed vt in propria causa gerebat, tormentis illis obuiam procederent. Difficile erat eis Tridenti stipendia numerare: nam cum pecunia omnis etiam quàm Cæsar debebat à pontifice exponeretur,ea per Venetorum fines nisi graui periculo ferri minimè poterat. Audito deinde Venetorum apparatu Germani maiora auxilia flagitarunt, etiam in ipso montis transcendendi tempore & itinere sententiam variantes:& quamuis Piscarius qui in Mutinensem agrum peruenerat, ad quem centum cataphracti & trecenti Hispani pedites ab exercitu missi erant,eam ob causam in Mantuanum agrum deflecteret,tandem Germani remporis quod ipsi præscripserant expectandi impatientes, se quinq; dies antè venire velle, sed equitatum ad Montisbaldi radices vnum solummodo diem expectaturos;qui si eo die non venirent, se retroceſſuros denuò significarunt:intra quod tempus cum Piscarius minimè eò peruenire posset, necesse fuit vt ex castris Guido Rangonius & Ludouicus Gonzaga mitterentur; quæ omnia præter necessitatem fiebant: nam vt semper dixerat Prosper, Veneti sex peditum millia,quot erant hi partim Germani partim Rheti,quorum phalanx illorum equitatus impetum sustinuisset,neque Itali pedites sese illis opponere essent ausi,itinere prohibere non poterant:quam etiam ob causam, & quia Senatus cum à belli intra proprios fines reuocandi occasionibus abhorrebat, magis signis quàm factis Gallis satisfacere voluerat: Venetorum copiæ eo die qui illum quo Germani erant transituri præcessit,Veronam versus se receperunt: quare Germani absq; impedimento Valegium,& altero die in Mantuanum agrum venerunt. Sed vbi Piscarius in castra peruenit, exercitus qui tredecim dies ad Lazari fanum fuerat,sequenti die ad Martini est metatus;cui eodem die se Germani & Rheti pedites adiunxerunt. Cum itaq; omnes decretæ copiæ conueniissent,quid porrò agendum esset deliberari cœpit:pars autem,vt Parmæ,quòd ea prima finium ciuitas esset,& quam à tergo relinquere neq; exercitui progredienti ob commeatus, & pecuniarum aliarumq; rerum quæ in castra conueherentur incommoda,tutum; neque ciuitatibus quæ inter Parmam & Bononiam relinquebantur vtile erat,expugnationi incumberetur,suadebãt: Pedites qui in ea ciuitate erant maiori ex parte ferè raptim collectos,haud magnifaciendos esse;& ex illis cum ob stipendiorum difficultatem,tum quia Parmæ farinæ penuria laborabatur, quotidie aliquem in castra transfugere: magnum esse ciuitatis ambitum,populum malè affectum, qui etsi animo deiectus, vbi exercitum circa mœnia sentiret,audacior esset futurus; adeò vt cum ciuitas pluribus in locis oppugnaretur,Gallis foris oppugnantium impetum sustinere,& simul sibi ab ijs hostibus quos intra mœnia haberent cauere difficile esset futurum: alij verò ciuitatem optimè munitam esse; præsidij quantum satis esset habere; pedites qui transfugissent omnes inutiles ac viles esse; vtiliores & belli peritiores mansisse; tot Gallos cataphractos omnes ad fortiter propugnandum paratos adesse:neq; enim alioqui Scutum, FedericũBozolensem, totq; alios duces sese inclusuros fuisse; quàm ciuitatũ expugnatio, ob militiæ rationem & propugnandi artes breui temporis spacio mutatas difficilis esset reddita, omnes intelligere:& nisi primum quod aggrederentur obtinerent, quo loco illius exercitus autoritas esset futura, diligenter animaduertendum esse; tormenta circa Parmam duobus in diuersis locis collocari debere omnibus constare; vbi autem in castris tormentorum & reliquorum apparatuum satis? neq; ea nisi aliquot dierũ spacio aduehi posse:quæ mora cum iam nimium temporis contriuisset, vt Lautrechio qui quotidie Cremonæ expectabatur, Venetorum copiæ,& maior Heluetiorum quorum iam pars venerat numerus,& voluntarij milites qui ex Gallia expectabantur,qui omnes iam appropinquare audiebantur,coniungerentur,occasionem daret:quid futurum esset si exercitu circa Parmam occupato, ille in vi-

in vicinum aliquem locum veniret? vnde se ad prœlium cogi non permittens, commeatum qui quotidie Regio afferebatur impediret, & militibus qui commeatum ferentes comitabantur, qui iam à militibus qui Parmæ erant assiduas molestias accipiebant, negocium facesseret. Melius consilium esse, aliquot dierum commeatu comparato & Parma relicta, repentè Placentiam petere, qua in vrbe circuitu longè maiore, pauci milites erant, neque munitiones neque tormenta essent; populus autem eodem modo quo Parmensis affectus; verùm quòd non perinde afflictus, & tam pauci milites adessent ad vlciscendum aptior, quas ob causas si eò accederent, quin statim eam caperent minimè dubitandum esse aiebant: in hanc sententiam Prosper admodum inclinabat; asserebatque se locum per quem ingressus prohiberi nulla ratione posset, nosse: erat autem is ipse locus, per quem olim contra Venetos, qui eam post Philippimariæ Vicecomitis obitum occuparant, Franciscus Sfortia tunc Mediolanensis exercitus præfectus, victor erat ingressus: Placentiam maximam esse commeatus copiam; locum adeò ad Mediolanum oppugnandum opportunum, vt Galli ferè omnes suas vires eum in locum essent necessariò conuersuri; & sic ciuitates Parmæ propinquas in nullo periculo fore; imò Prosper sibi si modò cum expeditis equitibus Padum traijceret, celeriterque Mediolanum peteret, illam ciuitatem suo nomine audito tumultuaturam esse pollicebatur: & hæc eadem fuerat eius iam antequam Bononia proficisceretur sententia; cuius caussa sibi ad nullius loci expugnationem hærendum ducens, magnam tormentorum aliorumq; apparatuũ copiam recusauerat. In hac sententiarum varietate ab ijs qui eius rei autoritatẽ habebant, occultè admodum decretum fuit, vt quamprimum tantam panis & farinæ copiam, quanta ad exercitum saltem quatuor dies alendum satis esset comparassent, quingenti cataphracti, expeditorum equitum pars, Hispani pedites, mille & quingenti Itali milites summa celeritate Placentiam versus contenderent: & hos reliquæ copiæ, quibus quum tormenta, commeatus totq; impedimenta secum vehenda essent, lentius procedendum erat, sequerentur: equidem credebatur ciuitatem illam, vbi primi eò peruenissent, ecclesiæ nomen acclamaturam: quod si non succederet, saltem se ne præsidia ingrederentur prohibituros, adeò vt simulac reliquus exercitus aduenisset, proculdubio vrbe essent potituri. Sed accidit vt pridie quàm exercitus castra moturus esset, aliquot Galli equites Pado traiecto, Bussetum vsq; excurrerint: ex quo fama fuit omnem Gallicum exercitum Padum traiecisse: quæ res propterea quòd consilium eorum impediret, tandiu donec eius rei veritas, ad quam indagandam Ioannes Medices pontificiorũ leuis armaturæ equitum præfectus cũ quadringentis equitibus missus fuit, cognosceretur, profectio est dilata: sed nihil magis hoc consilium turbauit, quàm Prosperi & Piscarij, etiam ante id tempus inter se diffidentium, æmulatio: Prosper se primum agmen ducere velle proponebat: Piscarius contrà, Hispanos pedites quibus ipse omnibus præerat, nisi ipso præsente, ad vllam expeditionem ire æquum esse negabat: quæ inter duces (vt sæpe accidit) principum rebus pernicioſa æmulatio, in caussa fuit, vt quamuis post non multas horas illam Gallorum partem trans Padum redijsse; & Lautrechium castra non mouere cognitum fuerit, non tamen prius consilium sint sequuti; imò ob sententiarum varietatẽ, & Prosperi innatam tarditatem fiebat, vt omnia lentius administrarentur; nisi eos pontificius legatus vehementibus verbis, quàm meritò pontifici ea cunctatio esset molesta; neq; eam tantã moram ad eam vsq; diem primùm Hispanorum, deinde Germanorũ expectationis prætextu sustentatã, vllo amplius colore apud illum tegi posse, demonstrando accendisset: quibus verbis vix ab illo dictis, tumultuariè potius quàm maturo cõsilio, vt Parmæ exercitus admoueretur, ijsdem illis qui priori die contrarium suaserant, præsertim quia ob pecuniæ & panis penuriam multi pedites assiduè egrediebantur, victoriam sperandam affirmantibus, est decretum: sed adhuc aliquot dies vt duo tormenta Bononia adueherentur, multaq; alia ad oppugnationem necessaria, quæ vt antè dictum est, Prosper antea recusauerat, comparare ntur expectare fuit necesse: quæ siue negligentia siue consilij mutatio maximum expeditioni detrimẽtum attulit: interea enim Lautrechius plus temporis ad copias quas ex Gallia, & à Venetis atq; Heluetijs expectabat colligendas habuit: vsq; adeo sapientum imperatorum est, quàm sæpe in bellis ex casuum varietate consilia sint immutanda per-

pendendo, apparatus ab initio quoad fieri potest ad omnes casus consiliaq; accommodare. Quo tempore exercitu in ocio agente, nihil aliud præter leuissima certamina circa Parmam fiebant. Tandem verò decimatertia die ex quo in Martini castris erant, exercitus noctu trans Parmam annem profectus, in Romana via, & in eius portæ qua Placentiam itur, quæ à sancta Cruce appellatur, suburbijs quæ Scutus priore die de illorum aduentu aliquid suspicatus incendi iusserat, est metatus. Parma ciuitas eiusdem nominis flumine non tamen tantis aquis, quin valde pluuijs temporibus exceptis, vado transiri non possit diuiditur; cuius minor pars à tenuioribus habitata, & quæ totius ciuitatis tertiam partem proportione efficit, ab incolis Codiponte (id est pontis caput) apellata, Placentiam versus sita est. Hunc locum duces cùm vt facilius auxilia ingredi prohiberent: tum verò quia mœnia ab illa parte non satis munita erant; eoq; modo posita, vt hostium latera petere non possent, elegerunt. Piscarius qui pridie cum aliquot ducibus ad locum explorandum iuerat, eodem die mœnibus verberandis initium fieri posse retulerat, sed quia vt propugnandi facultas ciuitati adimeretur, turrim portæ impositam ex firmo solidoq; muro, prius verberare fuit necesse, totus is dies in eo est consumptus, in quo & tormentum ex eo genere quod Colubrinas appellant, satis magnum disruptum est. Sequenti nocte tormenta contra mœnia ad sinistram ingredientibus portæ latus, sunt collocata; & vt idem etiam ad dexteram fieret, & sic porta vtrinq; oppugnaretur constitutum erat: nam cum non plura quàm sex maiora tormenta, & duo ex ijs quas Colubrinas appellari diximus, magna satis aduecta essent, & idcirco tormenta in duob. disiunctis locis collocari non possent, ex eo quòd propugnatores sese in longum spacium ad defensionem disponere cogerentur, idem effectus proficisci videbatur: id verò ideo factum non est, quia in illa parte ad fossam quæ mœnia cingit, agger erat tanta altitudine, vt nisi prius complanaretur vel aperiretur (quod tam breui tempore haud fieri poterat) quo minus tormẽtorum globi mœnia attingere possent, obstaret: murus quòd antiquus & minimè munitus esset, tormentorum ictus non sustinebat: quæ cum iam duo satis ampla foramina in muro fecissent, de oppugnatione eodem die aggredienda inter duces, quamuis dubitanter, agebatur: sed cum Piscarius, cui vnà cum Hispanis peditibus omnis oppugnationis cura erat commissa, quosdam pedites ad foramen, vt si fieri posset, qua ratione intus munitum esset viderent, misisset, illi vbi dirutum murum conscendissent, clara voce vt exercitus accederet & ingrederetur clamare cœperunt: quare Hispani atqne Itali pedites per tumultum absque ordine ad mœnia cursu contenderunt; quò cum venissent, & iam per muri ruinas vbi Hieronymus Guicciardinus peditum dux fuit interfectus, ingredi inciperent, duces ad eum rumorem accurrentes, & infirmam ac inordinatam oppugnationem, imò potius tumultum nullum fructum parere posse cogitantes, receptui cani iusserunt: qui casus aut ardorem restinxit, aut oppugnationis eo die ordine non aggrediendæ excusationem attulit. Sequenti die muro qui inter ambas ruinas integer manserat, & turris quæ ad portam erat interiori lateri concutiendo operam dederunt: sed cum inter milites fama dissipata esset, vrbem, ob magnas munitiones ab Gallis intus factas simplici oppugnatione expugnare difficillimum fore, duces ex vnaquaque lingua binos pedites ad muri ruinam explorandam miserunt; qui uel nimio timore occupati, vel exigua diligentia, vel fortasse, vt nonnulli sunt suspicati, ab alijs corrupti, ex diruto muro ad solum vsq; supra quinq; vlnarum altitudinem supereſſe, altissimam fossam in interiore parte, & eiusmodi alias munitiones retulerunt, vt duces eam alia ratione expugnari posse diffisi, cuniculos ad disiecti muri latera agendos, & coniunctum murum scalpris malleisq;, vt ijs ruinis fossa quæ ab interiori parte facta dicebatur repleretur, & ingressus facilior redderetur, aperiendum esse decreuerint: vt ijs perfectis, & duobus præterea tormentis quæ Mantua aduehebantur, ijs quæ in castris erant additis, murus vbi ad portæ dexteram recta linea in longum spacium protensus, tandem sese inflectens, angulũ efficit, quateretur: per quem angulum, muro deiecto, qui pro muro stabãt à latere percuti poterant: sic in ea parte vbi murus deiectus fuerat, fossa duci cœptus est, & item post paucos dies alia, vt murus cuniculis subuerteretur: sed opus propterea quòd quum aliud fuisset Prosperi consilium, nondum omnes apparatus ad huiusmodi res necessarij in castris essent; tum verò quia in fo-

in fodiendo propter soli duriciem ac soliditatem, vehementer laborabatur; lentè procedebat: cui operi dum eo consilio opera datur, vt non antequam illa essent absoluta oppugnationem aggrederentur, Lautrechius qui ob militum qui ad exercitum veniebant tarditatem tamdiu hæserat, cum iam maximam partem collegisset, quinque milliaria vlterius, sed tamen secundum flumen est progressus: habebat autem secum quingentos cataphractos, circiter septem Heluetiorum millia, quatuor alia peditum millia qui eodem die Sanualerij regulo duce ex Gallia aduenerant, & sub Theodori Triultij Venetarum copiarum præfecti, & Andreæ Gritti eorũ dem legati cura, quadringentos grauis armaturæ equites, & quatuor peditum millia; hunc verò exercitum sequebantur Vrbinatium dux, & Marcus Antonius Columna, hic vt regius sine imperio miles, alter communes exulum spes secutus: præter has copias sex Heluetiorum millia, ab illorum ciuitatibus concessa, quę in itinere erant, expectabantur; sed hi more suo lentè & multis cum difficultatibus progrediebantur: quas copias vbi coniunxisset Lautrechius, vt Parmæ succurreret prœlij fortunam experiri minimè recusasset: ideò illorũ aduentum vrgens, eosq; expectans in itinere nusquam à pado recedens cunctabatur: sed ne interea frater cũ hostibus pacisceretur metuens, tarditatem suam ex eo quòd maiorem Heluetiorum qui iam propè aderant numerũ expectaret, & quòd ij quos secum habebat se ad Padum traijciendum difficiles redderent, per nuntios apud eum excusauerat; se tamen in locum Parmæ propinquum venturum; eiq; pluribus tormentorum tonitruis signum daturum; & sequenti die ad hostium castra vt eos oppugnaret, propius accessurũ: & aliquot equites ad leuiora prœlia vt & ipse interea exeundi, & se ipsi cõiungendi facultatẽ haberet, præmissurum: ad hoc enim illum Scutus quòd non plusquàm duos vel tres dies in ea ciuitatis parte, & deinde trans fluuium duos item dies se tueri posset, vrgebat: propterea quòd vrbs ampla & parum munita esset; ipse verò non supra duo peditum millia, quia plurimi discesserant haberet; neque equites, cum non plures quàm trecenti essent, qui omnium laborũ onus sustinerent, si pluribus ex partibus oppugnarentur possent consistere. Eo postmodum die quo se hostibus appropinquaturum promiserat, Gibellum castellum minus viginti milliaribus Parmæ propinquum venit; quo ex loco quadringentos equites, qui ad hostium castra vsq; excurrerunt, misit: quorum cuniculus cum iam ad mœnia vsque perductus, & deinde ad eam partem ad quam ignis apponi debebat inflexus esset, Guido Rangonius cum Italis peditibus quibus omnibus præerat, tormenta ad alteram mœnium partem collocauit: sed Galli strepitu qui in ijs mouendis fiebat audito, duabus horis antè Codiponte deserta, ordinatè & absq; tumultu vnà cum suis tormentis trans amnem se receperant. Quare ab obsidẽtibus mane sub aurorã cognita, pars scalis, pars per muri ruinas sunt ingressi; & à Parmẽsibus sub pontificium imperium redeundi cupidissimis summa lætitia, mox, quia domus illorum non secus ac hostium direptæ fuerunt, in amarissimum fletum conuersa, sunt excepti. Nec dubium fuit, quin si ante aliquot dies eo in loco tormẽta fuissent collocata, Galli eodem modo Codipontem deserturi fuerint. Deinde portis quæ terra erant obstructæ aperiendis ac frangendis operam dederunt, per quas tormentis ad fluminis ripam tractis, murus quo altera ripa est munita, verberari est cœptus; sed cum ea esset diei hora, vt in proximum diem vsque nihil magni geri posse animaduerteretur. Eodem verò die Lautrechius, ad Tarum fluuium septem à Parma milliaribus castra promouit, ex quo aliqui illum vt prœlio dimicaret, alij vt cum fratre qui si se diutius tueri non posset, noctu Parma cum omnibus suis copijs egressus ab ipso colligeretur, constitueret; vel vt si cum hostibus pacisci vellet, cum omnibus militibus incolumis & ab omni obligatione liber exire permitteretur, eò venisse conijciebant: & iam antè aliquot dies Federicus Bozolensis, qui dum aggeres circumspiceret sclopi glande in humero læsus fuerat, cum Piscario ea de re agere cœperat; sed nondum colloquium eò vsq; erat progressum, vt Scuti certa voluntas conijci posset. Res autem, ex ijs quæ post cognita sunt, sic habet: Lautrechium nisi Heluetij venirent, pugnare noluisse: nam etsi equitum numero & virtute nonnihilo superior, & tormentorum copia instructior esset, ab hostilis exercitus peditatu superabatur, in quo numero ad rei veritatem exacto erant nouem partim Germanorum, partim Hispanorum, duo Heluetiorum & supra 4 Italorũ peditum mil-

lia.Sed hic mihi quisq; secum reputet, quàm ex leuibus sæpe momentis,maximæ res in bellis pendeant: nam ea ipsa nocte,quæ eum diem quo exercitus Codipontem est ingressus secuta est,nuntij Mutina & Bononia sunt allati, Alfonsum Estensem, cum centum grauis, ducentis leuis armaturæ equitibus,& duobus peditum millibus,ex quibus mille partim Corsi partim Itali ab Lautrechio ad eum missi fuerant, & duodecim tormentis Ferraria egressum,repentè Finalis & Sanfelicis castella expugnasse; & ne vlterius progrederetur metuendum. quæ res etsi multo antè,cum quantum ad id ab Gallis vrgeretur notum esset, huius motus suspicio fuerit, nec tamen Mutina tali præsidio munita fuisset, quòd in huiusmodi casu ad eius ciuitatis securitatem satis esset; quia Prosper semper contrariam opinionem pertinaciter defendens, siue quòd ducis sibi amicissimi, cum quo etiam pontificis iussu se ad aliquam pacis rationem inueniendam interposuerat, verbis fidem haberet; siue quòd non libenter exercitum eo tempore quo hostium aduentus metuebatur, cum præsertim ipse ea esset natura,vt res suas tutò expedire vellet, ideoq; semper maiores quàm opus foret vires exoptaret, minui paterentur, siue quòd si fortè clam aliud spectaret, hæc occasio illi non displiceret, milites ab exercitu Mutinam mitti nunquam voluerat, ducum animos valde perturbauit: itaque ea nocte qua eius rei nuntium acceperunt, ducibus statim conuocatis,vt Guido Rangonius cum ducentis expeditis equitibus & octingentis peditibus, qui septingentis peditibus qui prius aderant, adiuncti,idoneum contra Alfonsi vires præsidium videbantur, Mutinam illicò peteret, decretum fuit:eo autem constituto, cum ad lucem vsq; plures horæ interessent, & paulo antè Lautrechium superiore nocte ad Tarum castra locasse sed vera falsis permiscendo, nuntiatum esset; relatum enim fuerat,eodē die Heluetios secum eo coniunxisse; neque quos secum habebat vel multis ab illo precibus coactos haud vlterius quàm ad Tarum se venturos promisisse, notum esset, quòd duces aliam ob caussam conuenerant; neq; quum nondum luceret alijs negotijs seorsim operā dandi occasionem necessitatemúe haberent,vt inter illos ferè temporis fallendi gratia,non deliberandi, quo in statu res,si Lautrechius propius accederet,essent futuræ,sermo haberi cœperit, occasionem præbuit:quo in sermone Prosperi,Piscarij & Vitellij verba in hanc sententiam inclinare videbantur. Videlicet Parmam,nisi ab altera quoq; ciuitatis parte mœnia concuterētur, difficulter capi posse:propterea quòd muro in ea parte quæ præcedenti die verberari erat cœpta diruto,non paruus à fluminis alueo in ripam ascensus restaret;nec eam sine graui periculo tentari posse: quoniam tormenta & sclopi in tribus eius fluminis pontibus atq; in circumiectis ædificijs collocata oppugnantes à latere læderent: Lautrechij propinquitatem si aliquo propinquo in loco Padum versus meretur,etiamsi animo à fortuna periclitanda esset alienus,ne citra graue periculum oppugnatio fieri posset,effecturam:ad hæc cogitādum esse,multos milites eius partis quæ capta erat præda onustos discessisse; reliquos raptis rebus conseruandis, quàm pugnæ intentiores fore;nec sine multis difficultatibus atq; incommodis, vel etiam sine periculo ibi supersederi posse; propterea quòd non modò ob prædatorum, verùm etiam pecuniarum & commeatus qui singulis diebus longissimo circuitu circa Parmæ mœnia adferebatur securitatem,quotidie maxima præsidia emittere esset necesse;quibus emissis, accidere posset, vt exercitui eodem tempore & cum Gallico exercitu qui foris esset, & cum ijs qui in vrbe erant, esset pugnandum.Præterea si Ferrarienſis copiæ augerentur, maioribus viribus exercitum ob Mutinæ & Regij securitatem minuendum necessariò fore;eundem etiam ducem cum ijs copijs quas haberet, excursionibus ipsis cō meatum impedire posse; id verò si faceret,inde discedere cogerentur; quandoquidem rebus ita in angustum redactis, fortasse non absq; periculo fieret.Hi sermones animos ad castra inde mouenda propensos declarabant; nec tamen ita afferebantur,vt aliquis eam esse sententiam suam intelligi vellet.Tandē verò,vbi aliquandiu in huiusmodi sermone fuissent, Piscarius se iam aliorum mentem animaduertisse ratus dixit. Video in nobis omnibus eandem esse sententiam, sed singuli sui tantùm rationem habentes, tacent, atque alium qui se suæ autorem faciat, expectant;me verò,ea res non terret,quo minus liberè proferam quod sentio: Equidem nos hic cum periculo,& sine fructus spe versari, ideoq; nostro minore malo hinc cedendum esse aio.Subiecit Prosper,marchio

id dixit,

id dixit, quod nisi ille occupasset ego eram dicturus; & Vitellius idem confirmauit: Sed Antonius Leua vt diutius illic non manerent probans, num Lautrechium adoriri melius esset, cõsiderandum esse proponebat: ad hoc autem respondebatur, hostes nisi difficillimè ad pugnam cogi nõ posse; ibi verò moram trahere, eadem impedimenta obstare quę circa Parmam habebant, & maiora erant futura; & fieri etiam facilè posse, vt duo Heluetiorum millia quæ aderãt, sequi nollent: nam præterquam quòd iam ante multos dies à magistratibus suis vt à pontificis stipendijs discederent mandata acceperant, illos cum exercitu in quo tot ex eadẽ gente pedites militabant pugnaturos minimè versimile videri; neq; etiam negari posse, quin ob prioris diei prædã peditatũ incompositũ mouere difficilius esset: quare hoc consilio neglecto, omniũ ducũ sententijs inde abeundũ esse decerni videbatur: sed Prosper & Piscarius multa seorsim loquuti, deniq; legatum quam pontificis mentẽ si inde discederent fore crederet interrogarũt; & legatus ad Piscarium cõuersus, quid? non igitur hodie quemadmodũ heri vesperi aiebas Parmã capere possumus? Piscarius Hispanicis verbis, neq; hodie neq; cras, neq; perendie inquit. Tunc legatus, dubiũ nõ esse quin is discessus pontifici maximã molestiã esset allaturus; vt quę omnẽ ei victoriæ spem adimeret, huius aũt deliberationis statũ in veritate aut falsitate fundamentorũ quę ipsi iecissent, situm esse; si enim mora cũ periculo & sine spe esset, nõ esse dubiũ, quin imprudẽtię sit, inde nõ discedere: sin sese res secus haberet, maximum in discessu errorẽ fore; quapropter exercitus statũ & rei magnitudinẽ, vtrũ maius sit periculũ an spes ponderantes, maturè discuterent, respõdit. Ad quę verba cũ Prosper & Marchio, omnes belli rationes vt vasa colligerẽt, monere respõdissent, neq; legatus se tantæ autoritatis ducibus opponere auderet, vt eodẽ die castra mouerentur, & statim tormenta à mœnibus remouerentur cõstitutũ fuit: quod vbi in exercitu est diuulgatũ, vt nimis timidũ consilium ab omnib. ijs qui consilio nõ interfuerant vituperatũ fuit: quãobrem legatus & Moronus simul cõiuncti Prosperũ ab hac sententia reuocare sunt conati: qui se ab ea iterũ in cõcilio proponenda minimè alienũ ostendens, imò verbis magna, & eo maiore quo sapientiores sunt qui ea dicũt laude dignis vsus, se eo ingenio prędituin esse dixit; vt quotiescunq; meliores rationes ostenderentur, sententiã mutare nõ puderet: simulq; eosdẽ qui in cõsilio fuerant iterũ conuocari iussit, sed Piscarius tormẽtis retrahẽdis occupatus, & à priore sententia mutãda alienus, venire noluit, ficq; re potius in incertũ cõstituta, quã certa deliberatione facta, id quod antea decretũ fuerat sunt sequuti. Itaq; eodẽ die qui fuit 12 postquam eò venerant, in Lazari castra non sine maximæ in castris mouendis perturbationis periculo redierunt: Germani etenim pedites, in stipendijs tam iniqua vt concedi nõ possent, postulantes, exercitum sequi recusabãt; & veteribus ducib. qui repugnabant reiectis, nouũ ducẽ huius seditionis autorẽ elegerãt; & periculum erat ne cũ Gallis conuenirent: sed tamen tandẽ iam cũ exercitus discessisset, & nemo illos sententiẽ mutaturos speraret, sequuti sunt. Qua in perturbatione, cum exercitus ob tam repentinũ motum & Germanorũ tumultũ terrore plenus esset, nullũ dubium est, quin si Lautrechius veniisset facillimè eos debellaturus fuerit. Id pontifici, qui suos Parma potiri sperabat, quòd sibi contra omnẽ rationem victoriæ spe decidisse videretur, & se profundissimo pelago immersum grauissimoq; oneri subiectũ cerneret, mirum in modũ fuit molestũ; nam præter grauẽ equitatũ & Hispanos, ipse reliquũ belli sumptũ omnem sustinebat, & quod peius erat, de Cæsarianorũ ducum fide dubitabat, quam in dubitationẽ multi alij concurrebant; qui exercitum Parmã non metu sed arte à ducibus, vt qui pontificẽ Parma & Placentia recuperatis, cum nihil amplius in Insubria speraret, belli cogitationẽ remissurum; & aliorum caussa tantos sumptus tantamq; molestiam ferre recusaturum suspicarentur, abductum fuisse censebant; cuius rei fidem faciebat, quòd tã lentè ei exercitũ admouissent: q̃ locũ minimè aptũ, si quidẽ minori ciuitatis parte capta eadẽ in altera oppugnanda difficultas relinquebatur, elegissent; quòd tam cunctanter & lentè, quasi studio Gallis veniendi spacium concederent, oppugnarant; & tandẽ cũ iam ciuitatis parte potirentur, solo Lautrechij aduentantis nomine audito, quamuis ille minorẽ haberet exercitum, turpiter eam deseruerãt; alij, Prospero inscio, Piscarij qui eius gloriæ inuidus erat, & quantũ poterat de ea detrahebat, artẽ fuisse suspicabantur: sed tamen fortasse sanior sententia illorũ fuit, qui nullã fraudem subesse

neq; aliud quàm Lautrechij metum, illos primis nuntijs qui longè eius vires exaggerauerant, deceptos mouisse crediderunt. Certum est Gallos duces, quia Heluetij magis naturę suæ quã illorum à quibus stipendia accipiebant necessitati parentes, lentè admodum progrediebantur, in exiguam Parmæ tuendæ spem redactos, magis quàm quisquã alius, admiratos. Quare multi ex illis hostiũ discessum timori nõ tribuentes, potius Prosperum tanquã callidissimũ imperatorẽ, quàm ciuitatũ direptio exercitatus perturbare soleat cogitantẽ, & milites à Parmæ direptione arcere difficile admodum fore, eius expugnationem hostili exercitu tam propè posito valde periculosam iudicasse interpretabantur. Quæcunque tandem caussa fuerit, Lautrechius, Parma nouo præsidio munita, ad Fotanellam metatus, post tres dies exercitus partem ad Roccabianam Parmensis agri Pado vicinum castellum expugnandum misit; quod vbi tormentis verberatum fuit, Orlandus Palauicinus eius loci dominus, auxilij spe amissa, oppidum & arcem abeundi facultate accepta, dedidit. Exercitus deinde inter Sansecundũ & Tarum vt ex hostium progressu consilium caperet, iam cum ob Parmæ opem latam, tum ob reliquorum Heluetiorum Cremonam aduentum audacior factus, castra locauit. Heluetiorum autem aduentus etsi Lautrechius eos Cremonæ subsistere iusserat, in caussa fuit vt hostium exercitus se ad Sanlazarum haud tutum esse ratus, ad eam Lentij fluminis partem quæ Regium spectat, eo cõsilio, vt si Galli progrederentur, longius recederent, se contulerint: imò duces nisi eæ pontificis & Cæsaris procuratorũ querelæ, ei ignominia quam apud totũ exercitũ ad se peruenire sentiebant retinuissent, eis minimè expectatis longiorem receptũ feciſſent. Exercitus in hunc modũ multos dies manserũt, Lautrechij tamen interea & illorũ qui Parmæ erant equitibus, crebrò Regium vsq; per montanam viam non paruo cõmeatus, qui Regio ad hostes ferebatur impedimento, & parua cum Prosperi in expeditis equitibus ad excursiones mittẽdis, & in omnib. vel minimis motibus natura lẽtissimi laude, excurrentibus. Haud dissimilẽ fortunam habebant Cæsaris trans alpes res: nam cum ex Flandria in Galliæ regis fines cum potenti exercitu irrupissent, & Maseriæ cũ magna eius capiendæ spe exercitum admouissent, difficiliori expugnatione inuenta, & valido Galliæ regis auxilio aduentante, maximo cum exercitus sui amittendi periculo est regressus. In Italia verò belli cogitationes ob infaustos successus nihil deferbuerant; quia Gallorũ hostes, de Parmæ aliarumúe ciuitatum expugnatione nihil amplius cogitantes, tot Italis peditibus vt in vniuersum sex millia essent, qui conscribebantur exercitui additis, vlterius intra Mediolanensis imperij fines progredi statuebãt: ad quod illos audaciores reddebat, quod præterea 12 Heluetiorum millia ad põtificis stipendia ventura sperarẽt: quos etsi ab initio Sedunensis cardinalis qui in comitijs apertè cõtra Gallos agebat, & Ennius Verulanus episcopus pontificius internuntius, ac Cæsarei oratores, quia ad põtificij imperij defensionẽ tantũ & cum expresso, ne cõtra Gallię regis imperiũ irent, mandato cõcedebantur recusarant, tamẽ cũ alia ratione impetrari non posse viderẽt, se illos vbi in Italiã descẽdissent, natura eorũ mobili & auidæ, corruptelisq; & artibus, quib. cum ducibus vterẽtur, adminiculantib. ad exercitũ in Mediolanense imperiũ sequendũ impulsuros sperantes, tandẽ etiã hac lege accepe-
rant. Nec verò hoc concesso quã in partẽ iter esset capiendũ magnopere ambigebatur: in bello enim cis Padũ gerendo maxima impedimẽta apertè cõspiciebãtur: Parmę expugnandæ spes amissa, ea vrbe à tergo relicta cum hostib. prælium erat cõmittendũ, quod manifestè perniciosum erat; quia castra munito in loco habebãt, & ijs maximã tormentorum copiã opportunis in locis dispositã: inter Parmã & illos morari, vel vlterius progredi, nisi pugnaretur, nõ poterãt: cũ enim inter ciuitates imperio illorũ subiectas & exercitum essent, pauciſſimorũ dierũ spacio cõmeatus, qui neq; ex hostili regione haberi, neq; ex longinquis locis adferri posset defuisset; hæc omnia incõmoda si bellum vltra Padũ transferretur vitabantur: in ea enim regione suapte natura fertili, quæ belli detrimenta non sensérat, magnã se cõmeatus copiã inuenturos, & nullũ ad Abduã fluuiũ vsq; impedimẽtũ habituros sperabãt, quoniã Cremona ad sinistrã relicta, & Ollio appropinquantes nulla erat ciuitas quæ ipsis posset resistere: & Senatũ venetũ copias suas aliorũ caussa prœlij fortunę nõ subiecturũ psuasi, Gallos in Abduę tantũ trãsitu se opposituros credebãt: imò multorũ spes erat, si exercitus Venetorũ fines adiret, illos propriarũ rerũ tuendarum

tuendarum gratia,maximam auxiliorum partem à Gallis reuocaturos:ac præter ea omnia(haud parui fiebat)Padi transitus ad se Heluetijs coniungendũ maximè erat opportunus: sed dum multa ad hanc nouam deliberationem, vtpote tormenta & reliqua ad ea spectantia,fabri,pontes & commeatus comparantur,dum in Hetruria, Flaminia,Aemiliaq; Itali pedites cõscribuntur, Guido Rangonius pontificis iussu cum millitũ qui iam conscripti erant parte, & cum ijs quos secũ habebat,Mutinæ montana petijt: quæ loca neq; dum Mutina sub Cæsare fuerat,neq; pòst sub pontificio imperio,aliũ quàm Ferrarienſium ducem dominum agnouerant:sed vbi hunc motum & simul multos pedites in Hetruria coactos aduentare audiuerũt,regionis incolæ,nulla oppugnatione expectata, Ecclesiæ nomen inclamarunt. Eodem tempore Bonifacius Vicecomes Alexandrinus, Franciscibernardini Vicecomitis olim filius,quia quædã quæ contra Gallos agitabat in lucem venerunt,Mediolano aufugit.Patefacta est etiã conspiratio Cremonæ per Nicolaum Varolũ, ex eius ciuitatis exulibus nõ postremũ facta: quam ob caussam de aliquot Cremonensibus,qui conscij erant,sumptũ est suppliciũ.Et vtrum hos tẽpore maior fuerit aduersa Insubriæ exulũ quorum maximus numerus exercitum sequebatur, fortuna, an verò temeritas & imprudentia, nõ facilè dixerim:quoniã nõ modò omnia quę ab illis tentabantur infelicẽ exitum habebant,verùm etiã regioni vniuersæ diripiendæ intenti,cõmeatum difficilem reddebant:neq; hæc incõmoda aliqua diligẽtia(semper Moronum excipio)vel exploratione sarciebant;imò cum eos Prosper multo antè Placentiam versus misisset,vbi maxima detrimenta amicis & inimicis intulissent,dissensione inter illos de prædæ diuisione orta, Petrus Scottus Placentius vnus ex prẽcipuis inter illos ab Estorre Vicecomite & nonnullis alijs cæsus fuit. Prosper hoc ipso tempore Gallorũ naues quæ paruo cũ prẽsidio prope Cremonã ad pontem faciendũ erãt contractæ,vt dum Lautrechius naues ad pontẽ reficiendum necessarias colligeret,ipse tanto plus ad progrediendũ temporis haberet,incẽdere est conatus; sed itineris longitudo in caussa fuit, vt Ioannes Medices,ad hoc cum 200 expeditis equitibus & 300 Hispanis peditibus missus ante lucẽ eò peruenire non potuerit:quare nautæ rumore quẽ regionis incolæ excitarunt audito, naues in medium Padum, ficse ab hostibus in ripa hærentibus lædi non posse rati,cõtraxerunt.Tandem rebus omnibus ad Padum traijciendum cõparatis,exercitus Brixellũ vbi erat naualis pons venit;sed antequã traijceret de suis rebus defendendis cogitandi necessitate alios lędendi cogitationibus adiuncta,ad pontificij imperij ciuitatũ quæ à tergo relinquebantur defensionem missus fuit è Vitellia familia Vitellius cum centum & 50 grauis,totidemq; leuis armaturæ equitibus,& duobus ex Florentino rum delectu peditum millibus; quò & Pistorienſis episcopus cum duobus Heluetiorũ millibus,quia illos cõtra Gallos cum quibus tot eiusdẽ gentis pedites publico decreto & signis dati militabãt;ducere minimè tutũ videbatur, est profectus;cũ præsertim quid alij Heluetij de quorũ progressu cũ Curiæ cõueniſſent, singulis horis certi nuntij expectabantur facturi essent nõ cõstaret:episcopo & Vitellio nõ modò vt Mutinã & reliquas pontificij imperij ciuitates, si quis cõtra eas motus oriretur tuerentur,sed etiã vt Ferrarienſium ducẽ qui Parmę liberatę Finalis,& sancti Felicis occupati sibi gloriã tribuens, vlterius non progrediebatur,adorirentur mandatum fuit.Pontifex enim odio hac iniuria aucto,sacrę potestatis censuris & cõminationibus ad eum Ferrarienſi ducatu spoliãdum progrediebatur.Exercitus prima Octobris die Padũ traiecit,& ad Casalemaius est metatus;quo in transitu ob incredibilẽ inutilis turbæ & impedimentorũ multitudinem, ducum qui ante meridiẽ omnes transituros sibi persuaserant,iudicio hac in re decepto, totum diem & non paruam noctis partem consumpserunt:quo factum est,vt ob postremorum defatigationem & noctis tenebras,tormentorũ pars,multus illorum apparatus, & innumeri milites, cuiuis vel minimo hostium numero prædæ expositi, inter Casalemaius & Padũ dissipati ea nocte subsiterint:imò nulli dubiũ est quin si Lautrechius,qui Heluetijs omnibus collectis Colornij, eodem die quo hostes Brixelli fuerunt, castra habuit, eo quoq; die quo illi traiecerunt ponte suo & ipse ad Casalemaius quod tribus milliaribus Colornio distat traiecisset,vel meridie illam exercitus partem,quę nondum traiecerat esset adortus (Brixellum enim & Colorniũ sex millia passuũ inter se distant) aliquam præclaram occasionẽ habiturus fuerit:sed in bellis occasiones innumeræ,quia

ducibus non ſemper hoſtium errores & difficultates ſunt notæ, amittuntur. Caſalemaius eadem nocte Mediceus cardinalis à pontifice ad exercitum delegatus, venit: pontifex enim etſi iam occultiſſimè Galliæ regis legato aures accõmdare cœpiſſet, ne aduerſæ res, & ferè totum belli onus ſibi relictum, Cæſari vel eius miniſtris ſe, vt tot moleſtijs ac periculis liberaretur, animum ad noua conſilia conuertiſſe ſuſpicandi occaſionem daret, nihil illos magis quàm hac ſuſpicione liberare, ideoq; etiam ad bellum ardentius gerendum incitare poſſe cenſuit: in quo, quòd pontifici ſanguine proximus erat, quodque etſi aſſiduè ferè Florentiæ ageret, nullum graue pontificatus negotium ſine eius conſilio tranſigebatur, eadem ferè autoritas erat quæ in ipſo pontifice. proderat hoc ipſum ad expeditionis iam declinantem exiſtimationem ſuſtinẽdam; & vt tanti viri præſentia res à ducibus maiori conſenſu agerentur efficiebat: quotidie enim magis aperta inter Proſperum Columnam & Piſcarium diſſenſio apparebat; quam præter alia etiam auxerat, quòd Piſcarius vbi exercitus Parma diſceſſit, vt eius rei notam in alios transferret, id ſine ſuo cõſilio & ſe inſcio decretum fuiſſe Romam ſcripſerat. Caſalemaius exercitus vbi diem vnum quieuiſſet, per Cremonenſem agrum Ollium verſus caſtra mouit; quo quaternis caſtris peruenit: neq; interea aliquid memoratu dignum accidit, niſi quòd dum ad vicum qui Corte de Frati dicitur metarentur, magna ſeditio inter Hiſpanos atque Italos pedites eſt exorta; in qua Hiſpani, magis opportunitate vſi, quàm viribus, multos ex illis interfecerunt; ſed tamen ducum autoritate & diligentia mox eſt ſedata: & præcedenti die Ioannes Medices contra hoſtes qui eodem die quo alij Caſalemaiore caſtra habuerant, Padum magis Cremonã verſus traiecerãt, excurſione facta, Venetorũ Epirotas, quibus Mercurius præerat, fudit: cũ quibus & nonnulli Galli equites erant, ex quibus captus fuit Ludouicus Caietanus Traiectenſis ducis filius; cuius tamen principatu Proſper Columna potiebatur: cum verò exercitus ad Olliũ fluuiũ meta retur, fortuna pontificis ac Cæſaris res lætioribus oculis aſpiciens, ducum infauſtum cõſilium, qui vt exercitus ex fratrum Corte ad Bordellanũ oppidum octo milliaria procul inde, ad eundem tamen fluuium ſitum, caſtra trãsferret, ſtatuerant, impediuit: fieri enim ob viæ difficultatem non potuit, vt tormenta eò veherentur; ideoq; ad Rebeccæ oppidũ in medio itinere inter quod & Ponteuicum Venetorũ oppidum Ollius tantùm fluuius intereſt, hærere ſunt coacti: quo in loco dum metantur, Lautrechium Venetorũ copijs eum ſequentibus, & impedimentis Cremonæ relictis, eodem die ad Martini fanũ, quod quinq; milliaribus inde diſtabat, eo animo, vt ſi hoſtes vlterius progrederẽtur ſequenti die ſe illis acie opponeret, veniſſe eſt nuntiatũ. Id Medicei cardinalis & omniũ ducum animos mirũ in modum turbauit: nam cum Venetus Senatus copias ſuas cũ Lautrechij exercitu coniunxit, hanc deliberationẽ pontifici huiuſmodi verbis ſignificauit, vt non Galliæ regis victoriæ deſiderio, ſed quòd iuſtã fœderis frangendi cauſſam nõ haberet, moueri videretur: idcirco Andreã Grittũ occultũ mandatũ ne illas copias pugnare pateretur habere, & antea ſibi perſuaſerãt, & hanc opinionẽ cardinalis aduentus cõfirmarat: quod cũ falſum eſſe videretur, à priori ſententia recedere erat neceſſe: nemo enim quin hoſtilis exercitus in quo præter validiſſimum equitatum, & ſeptem partim Gallorum partim Italorum peditum millia, erant decem Heluetiorum millia, viribus ſuperior eſſet dubitabat: in pontificio verò Cæſarianoq; exercitu, Germanorum numerus ita erat imminutus, & aliqua ex parte etiam Hiſpanorum, vt vix ſeptem millia in vniuerſum eſſent; & in ſex Italorum millibus, quia recenter erant conſcripti, magis numerus quàm virtus ponderabatur. Proſperitaq; & ceteri eo in loco Heluetiorum aduentũ expectare ſtatuerunt; qui quòd iam in itinere eſſent, & quia Sedunẽſis cardinalis qui eos ducebat nullo in loco hæſuros ſignificauerat, intra tres vel 4 dies ad ſummum venturi credebantur: quocirca ſequenti mane duces loci ſitu diligẽter inſpecto, caſtra veſperi ferè cõfuſè poſita, quòd ex oppoſito Põteuici oppido tormẽtis atrociter lędi poſſent, periculo minimè territi, in meliorẽ formã redegerũt: quia Mediceus cardinalis in priore adhuc ſententia perſiſtens, Venetos qui Gallię regi nihil aliud niſi copias ad Inſubriæ defenſionẽ debebant, vt ex ipſorũ oppidis pontificis ac Cęſaris exercitus moleſtia afficeretur, nunquam permiſſuros pro certo habebat. De Heluetijs opperiendis decreto cõmeatus penuria apertè repugnabat: quę cũ exercitu ferebãtur, multis dieb. nequaquã ſufficere poterant;

terant; & ob detrimentorum quæ præsertim à Mediolanensibus exulibus regioni afferebantur terrorem, & omnium incolarum fugam, exigua admodum commeatus copia adferebatur; eaq; decrescebat in horas; id circo Guicciardinus legatus commonefecerat, vt quando ob commeatus penuriam eo in loco se sustentare non possent, multasq; ob causas vt Heluetiorum aduentus tardior esset fieri posset, fortasse melius fore vt diu tius illinc non hærerent; sed quinque aut sex millia passus ad eundem fluuium, ad Mantuani agri fines vbi amicam regionem à tergo habentes commeatu destitui nõ possent, retrocederent: & quod tunc tutò fieri poterat accidere posse, vt id hostibus appropinquantibus, non sine graui periculo essent facturi. Hoc consilium re vera ducibus nõ displicuisset, sed tam recens è Parma receptus infamia, & quòd Heluetios breui affuturos sperarẽt, qui quinq; vel sex dierum spacio Curia in Bergomensium fines, vnde ad exercitum breuissimus erat transitus, venire poterant, quo minus liberè loquerentur retinebat. Cum itaq; illos Rebeccæ expectare statuissent, farina cum exercitu aduecta, manipulatim proportione distribuebatur; ex qua quia in castris furni qui circumferuntur non habebantur, & domus in quibus erant, à militibus erant occupatæ, singuli partem suam in prunis coquebant: quod incommodum, farinę distribuendę parcitati additum, in causa fuit, vt multi ex Italis peditibus, etsi vini & carnium abundè haberent, clàm aufugerent. Sed Lautrechius qui Bordellani hæserat, tormentorum partem meridie trans Ollium vectam Veneto legato, etsi, contrarium simularet consentiente, Ponteuicum misit; vnde eodem die sub noctem in hostium castra displodere cœperunt: quorum duces manifestissimo periculo cognito, etsi se in locũ vbi nonnullis collibus tecti fuissent, transferre potuissent, nihilominus commeatus penuria territi, & Heluetiorum tarditatis metu crescente, vasis sequenti die ante auroram absq; tubarum ac tympanorum sonitu collectis, impedimentisq; ante primam aciem constitutis, maximo ordine & quadrato agmine incedentes, Gabionetã oppidum, quinq; milliaria procul inde, & in Mantuanorum finibus situm, omnibus se partim fortunæ beneficio, partim hostium imprudentia grauissimo periculo liberatos confitentibus retrocesserunt: constat enim nisi eo die quo Bordellanum ire constituerant Rebeccę hæsissent, nullam vel exiguam salutis spem eis reliquam futuram, quia eædem vel maiores angustiæ illos retrocedere coëgissent: qua in re, cum longius iter, & hostes propinquiores essent habituri, manifestissimum periculũ inerat. Illud quoq; certum est, Lautrechium si eo die quo tormenta Ponteuicum misit, vt multi, & inter ceteros Heluetiorum duces suadebant, prope hostes castra posuisset, quibus ob eius propinquitatem tutò discedendi facultas non relinqueba tur, cum præsertim à Ponteuici tormentis aciem instruere prohiberentur, neq; ob famẽ eo in loco supra tres vel quatuor dies morari possent, proculdubio victoria potiturum fuisse: sed dum pro more suo reliquorum omnium consilia contemnit, periculo prius ostentato quàm illato, repentino discessu vitandi occasionem eis dedit. Itaq; non sine causa Heluetiorum duces loci situ inspecto (Lautrechius enim vt hostibus appropinquaret castris motis, vbi illos discessisse animaduertit Rebeccæ castra locauit) se stipendium, quod militibus qui prælio victores extiterunt, datur, quod per ipsos quin victoria potiretur nõ stetisset, meritos esse ei dixerunt. Gabionetæ castris optimè munitis sociorum exercitus multos dies est moratus; sed cum Heluetiorum aduentus indies magis protraheretur, & Gallici exercitus, qui longè potentior, eos inuadere velle videbatur, propinquitatem metuerent, Ollio traiecto Ostianum Ludouici Bozolensis castellum, eo consilio, vt ante Heluetiorum aduentum inde non discederẽt, se contulerunt: cui cõsilio prudenter capto, fortuna quoq; non defuit, quoniam exercitus in Gabionetæ castris depresso admodum loco situs, imbrium ingenti copia quæ statim est sequuta, minimè paruum incommodum accepisset: sed dum hi exercitus alter Ostiani, Rebeccæ alter ocioſi morantur, Pistorienſis episcopus & Vitellius, Heluetijs Italisq; peditibus simul coniunctis, in Ferrarienſiũ ducis copias quæ ad Finale castra habebãt, impetũ fecerunt; & quamuis in loco natura & arte valde munito essent, nihilominus Heluetij ferociſſimè periculum adeuntes, eos multis cæsis fuderunt: inter quos & Cauriana eques pugnans fuit interfectus, tanto cum Ferrarienſium ducis qui Bondini erat, terrore, vt illo Castello statim deserto, nauibusq; quibus eodem in loco pontem imposuerat, eadem celeri-

tate ne se hostes persequerentur retractis, Ferrariã cõfugerit. Heluetij interea in Bergomensem agrum descenderant; & nihilominus controuersiarum difficultatumq; plenum Mediolanense imperium, quemadmodum Sedunensis cardinalis & pontificij Cæsareique procuratores postulabant, oppugnare recusantes, progressui moram interponebant: quin etiam se cum exercitu qui illos Ostiani expectabat, vtpote qui contra Galliæ regem esset progressurus coniungere difficiles præstabant: se in quemcunq; ecclesiæ imperij locum ad cuius defensionem stipendium acceperant, pontifex iussisset, ituros, & nihilominus (vt sæpe res imperitè interpretantur) se ad Parmã atq; Placentiam vt ciuitates apertè ad ecclesiæ statum, aut saltem incerto iure ad Galliæ regem pertinentes, oppugnandas ituros annuebãt. Petebant quoq; vt antequam castra mouerent, trecenti expediti equites, quorum ope commeatum in regione per quam iter faciebant colligere possent, ab exercitu ad se mitterẽtur. Tandem cum equites qui repentè & summa celeritate per Venetorum imperij fines iter fecerant, ad eos venissent, vt in locum aliquẽ exercitui vicinum, vbi quid ipsis esset agendum commodius deliberari posset irent, castra mouerunt; & in itinere aliquas Gallorum ac Venetorum copias, quæ vt illos itinere prohiberent, ad Pontolium vel Eupilum lacum constiterant, fuderunt. Vbi propius accesserunt, eis persuadere conati sunt, vt se cum eis ad Gallos oppugnandos comparare, quam ob caussam multi nuntij & legationes vltro citroq; mittebantur, & à Mediceo cardinale Capuanus archiepiscopus ad eos est missus: tandem Tigurini, qui vt maiore pollent autoritate, sic maiorem in rebus suis grauitatem profitentur, constanter recusarunt: ceteri post multam hæsitationem, neq; expressè recusarunt, neq; petitioni consenserunt; exercitum enim sequi non recusabant, sed num eius vestigia in Mediolanense imperiũ essent sequuturi, non exprimebant: itaq; Sedunensis & illorum ducũ, quorũ voluntas multis promissis victa fuerat consilio, illos cum sequi non recusarent, facilè in quemcunque locum exercitus iuissent duci posse sperantes, progrediendum esse statuerunt. Sic Tigurinis qui numero erant quater mille, Regium versus conuersis, exercitus qui partim Gabionetæ, partim Ostiani circiter mensem vnum fuerat, Gambaræ se ceteris Heluetijs duobus legatis Sedunensi ac Mediceo cum argenteis crucibus, inter tot arma ac tormenta (tantus est hodie religionis abusus) inter impios, homicidas, raptoresq;, medijs procedentibus coniunxit. Ternis castris per Venetorum imperij fines ad Vrceos veteres illorum castellum apud Senatum hoc iter ipsis necessarium esse, neq; illos lædendi desiderio fieri excusantes, peruenerunt; quemadmodum & illi Andream Grittum legatum suum Lautrechio vt tormenta Ponteuicum mitteret coactum concessisse excusarant. Ad Vrceos veteres, nuntij ab Heluetiorum magistratibus missi, qui Heluetios ab exercitu discedere iubebant venerunt: nec dissimile mandatum per alios nuntios, ijs qui in Gallico exercitu erant, miserunt; quòd nimirum nomine suo indignum esset, in duobus contrarijs exercitibus milites suos cum publicis signis inueniri: horum verò mandatorum diuersi fuerunt exitus; quia nuntij qui ad fœderatorum exercitum mittebantur, de industria in itinere retenti, ad eos qui cum Sedunensi erant non peruenerunt: at Heluetij qui cum Gallis erant ferè omnes, non tam (vt creditur) acceptis mandatis, vel militiæ diuturnitate, cuius præ ceteris gentibus impatientes esse solent, quàm quia Lautrechio, cum ei pecunia ex Gallia non mitteretur, nec quam acerbè in Mediolanensi imperio exigebat satis esset, ipsis satisfaciendi facultas deerat moti, repentè discesserunt. Qua in re operæprecium est attendere, quantum malignitas & imprudentia apud principes possit, qui vel negligentia negotia non curant, vel imprudentia bona consilia à malis per se non dignoscunt: nam cum trecenta aureorum numûm millia quæ Lautrechio quemadmodum ei promissum fuerat, parata essent, regis mater nõ tam potentiæ eius augendę cupida, quàm vt proprij filij cõmodum obliuioni traderet, eam pecuniam rege insscio per quæstores in alios vsus cõuerti curauit. Quare Lautrechius animo perturbatus, & curarum plenus, cum ob Heluetiorum discessum rerum successus, quem antea sibi faustum pollicebatur, valde dubius esset redditus, Cremona & Picighitone præsidio munitis, cum reliquis copijs se exercitum Abduæ transitu, cùm ob alias difficultates in quibus sunt exercitus in fluminibus traijciẽdis, cum in oppositа ripa sunt qui resistant, tum quòd eo in loco ripa Mediolanum versus tanto altior sit, vt maius dam-

num

num tormentis hostibus inferatur, quàm ab illis accipiatur, prohibiturum sperans, Cassianum petijt. Ab altera parte pontificij legati & duces ab Vrceis veteribus profecti, & Ollio fluuio iterum traiecto, trinis castris commeatus penuriam, quia Giaradaddæ oppida à Gallis deserta, magnam eius copiam subministrabant, haud iam sentientes, Riuoltam peruenerunt. Hìc exercitibus altero flumen transire, altero eum prohibere conante, Prosper & reliqui duces se ad pontẽ inter Riuoltam & Cassianum iaciendũ parabant; quæ res ob hostium impedimentum anceps valde ac difficilis erat: vbi cum duos vel tres dies varijs disputationibus & consilijs triuissent, tandem Prosper consilijs suis Piscario, ne gloriæ particeps esset, non communicatis, & ne ei innotesceret, Hispanorũ peditum opera reiecta, & duabus lintribus ex Brembo flumine occultè acceptis, noctu maximo silentio aliquot Italorum peditum cohortes ad fluuium è regione Vaprij oppidi traijciendum misit. Vaprium oppidum est apertum & sine mœnibus ad Abduæ ripã, quinq; milliaribus ab Cassiano positum, locus ad fluuium traijciendum opportunus, & in medio paruum muri ambitum paruæ arcis instar habet. Huius loci custodiæ præerat Guido Pepolus, qui Octauiano Fregosio equitum turmam ab Galliæ rege attributam pro eo ducebat: is strepitu audito, si hosti in ripa opposuit; sed scloppetorum grandine facilè cedere coactus est; qui se equitibus quos secum habebat, aliquem scloppetariorum numerum, quemadmodum ipse se ab Lautrechio petijsse aiebat, coniunctum habuisset, facilè illos repulsurus fuisse creditur. Milites vbi traiecerant in editiorem quendam oppidi locum atq; aliquo modo munitum, auxilium à Prospero promissum expectantes se contrahebant. Prosper autem vbi de felici initio est certior factus, ferè omnẽ exercitus peditatum, qui in varia Giaradaddæ castella erat distributus, cum huiusmodi mandato, vt qui primi eò peruenissent, & sic deinceps alij ordine statim fluuium ijsdem lintribus, & duabus alijs quas cum exercitu ad flumina traijcienda vehebant, & eadem nocte terrestri itinere ad eandem ripam tractæ fuerant, traijcerent, eò conuertit; & ipse quoq; cum ceteris ducibus ac Mediceo cardinale, Riuoltæ, vt si Galli recederent statim pons imponeretur mandato relicto, idem iter est ingressus. Vaprij verò per aliquot horas anceps fuit Martis arbitriũ: si enim Lautrechius quamprimum hostes traiecisse certior est factus, exercitus partem eò conuertisset, quin eos oppressurus fuerit nulli dubiũ est; sed ille vbi per plures horas quid sibi esset agendum dubitasset, Scutum cum quadringentis cataphractis & Gallis peditibus, & pòst illos aliquot tormenta misit; qui celeriter eò profecti magna vi locum in quem hostes se receperant eodem tempore quo in altera ripa auxilia, quorum spe illi se fortiter defendebant, conspiciebantur, oppugnare cœperunt: & Scutus cum omnibus grauis armaturæ equitibus equis relictis, in viarũ angustijs fortissimè pugnabat: neq; dubium est quin si tormenta in tempore adfuissent, eos fuerint debellaturi: sed iam ab altera ripa Teganes Rhetorum peditum præfectus, & duæ Hispanorũ cohortes Medicei cardinalis & ducum cohortationibus motæ, quantum nauiculæ ferre poterant assiduè transitum accelerabant: sed nullius hortatu, propria animi magnitudine, & immensa gloriæ siti incitatus, Ioannes Medices Thracio equo insidens, ad alteram ripam transnatauit: eodemq; tempore hostibus terrorem incussit, & amicis spem auxit. Tandem Scutus, etsi eodem tempore tormẽta sint aduecta, victoriæ spe, & vexillo vno amisso, se Cassianum recepit: vnde Lautrechius copias omnes Mediolanum contraxit: quò vbi peruenit, vel ne concepti odij explendi occasionem amitteret, vel vt huius spectaculi atrocitate hominum animis terrorem incuteret, Christophorũ Palauicinum, spectaculo ob familiæ splendorẽ, viri amplitudinem, ætatem, & quia multos mẽses ante bellum in carcerẽ coniectus fuerat miserando, publicè capite plecti iussit. Abduæ transitus Prosperi nomẽ quod antea ob Parmẽsem receptũ, atq; eiusdem in rebus gerendis tarditatem, Romæ & per vniuersum exercitum infame erat, ad cœlũ vsq; tulit: cum enim sæpe nouissimæ res præcedentium memoriã deleant, eius laudes quòd sine sanguine & sine periculo, sed consilio & industria prorsus peritissimo imperatore digna, eius fluminis transitum, quo Lautrechius tam certò se illum prohibiturum sibi pollicebatur, vt præter ea quæ palam prædicabat, id etiam per literas regi penitùs affirmasset, hostibus surripuisset, passim celebrabantur: nec tamẽ deerant qui aut veris aut verisimilibus rationibus huius facti gloriã, quòd neq; in inueniendo, neq;

in perficiẽdo virtus vlla rara,ſeu induſtria enituiſſet: propterea quòd ipſa natura per ſe, omnes quì in fluminum tranſitu aut viarum anguſtijs impedimentum inueniunt, vt vel ſupra vel infra vbi non eſt qui impediat, tranſire nitantur doceat, imminuere conarentur: Vaprij tranſitum propinquum, maximè opportunum & ſemper tritum fuiſſe; Lautrechium verò in eo muniendo negligentem extitiſſe; eiusq; negligentiam induſtrię locum nullum reliquiſſe aiebant: qua enim alia in re Proſperi prouidentiam, niſi quòd naues occultè comparaſſet, & rem neceſſario ſilentio adminiſtraſſet commendari poſſe? nimis diligentes rerũ iudices, & ad dubios errores reprehẽdendos, quàm ad certa facta laudandanda promptiores, eius induſtriæ famam minuiſſe non contenti, neq; prudentiam neq; decẽtem ordinem in eo fuiſſe reprehendebant: nam cum militibus ad opem ferendam deſtinatis, qui Treuij, Carauagij & varijs in locis erant, vt ſe non antè itinerarent mandaſſet, quàm Vaprium à præmiſſis peditibus occupatum cognouit, primi nõ ante meridiem ad fluminis ripam vltra quatuordecim horas poſtquam alij tranſierant peruenire potuerunt: ita vt dubium non ſit, quin ſi Lautrechius quamprimum id cognouit, idem quod pòſt multas horas fecit, ſtatim feciſſet, Vaprium recuperaturus, & pedites qui tranſierant, quia ſerò auxilia peruenisſent debellaturus fuerit. Hi tamen hominũ ſermones, Proſperi gloriã minimè obſcurarunt: quanquam hoc plerunq; facimus, vt cõſilia euentis ponderemus: & cui benè quid proceſſerit, multùm illum prouidiſſe; cui ſecus, nihil ſenſiſſe dicamus. ſic ſit, vt ſæpe numero quæ à conſilio profecta ſunt, fortunæ, & quæ à fortuna, conſilio tribuamus. Lautrechio ab Abduæ ripa recedente, quin hoſtes qui ſequenti die Riuoltæ & Caſſiani pontem iecerunt, quamprimùm fieri poſſet Mediolanum petere deberent, nulli dubium erat; & nihilominus Proſper, cuius conſilium à vulgo improbatũ, ab rei militaris peritis probabatur, primo die longiori circuitu Mariniani, quod oppidum æquè à Mediolano & Papia diſtat, metari voluit; cum enim ob tempeſtatem iam frigidam, & pluuiã, in campis metari non poſſet, Mediolano ab ea parte, à qua ſi (vt credebatur difficilis foret expugnatio) ſe illicò Papiam, vbi Lautrechius vires omnes Mediolani collectas haberet, nullum præſidium reliquerat, vt in ea vrbe omnium rerum copia affluente, atque opportuna, belli ſedem locaret conuertere poſſet, exercitum admouere magis opportunum duxit. Ab altera verò parte Lautrechius qui exiguas admodum peditũ copias habebat, primo de vrbe ſolùm tuenda cogitauerat, pòſt ſuburbijs deſertis hoſtibus locum caſtris oportunum & ſic expugnationi ocioſè incumbendi facultatem relinqui animaduertens, ſuburbia quoq; tueri ſtatuit: quod conſilium certè ſi eam vigilantiam quam poſtulabat coniunctam habuiſſet, validum ac prudens erat: & cuius ope ob improuiſos caſus qui intra pauciſſimos dies euenerunt, res longè diuerſum quàm habuerunt ſucceſſum habuiſſent: Fœderatorum verò exercitus cuius maxima pars Mariniani & Heluetij vlterius ad Clarauallenſe cœnobiũ caſtra habebant, tres dies tormentorum quæ ob viarum difficultatem aduehi nõ potuerant expectandorum gratia, ijs in caſtris moratus, decimanona Nouembris die Mediolanum verſus, niſi eodem die ciuitatem ingrederetur, ſequenti die Papiam ad quàm occupandam iam expeditorum equitum pars miſſa fuerat, petendi conſilio iter cœpit: accidit autem eius diei mane res memorabilis: nam cum legati & præcipui exercitus duces, in prato quodam propè Clarauallem, vt Heluetijs prę eundi ſpacium darent conſtitiſſent, ſuperuenit homo quidam ſenex, aſpectu & habitu plebeius, qui ſe à ſancti Syri curialib. miſſum aiens, maximis obteſtationibus vt progrederentur vrgebat: ptopterea quod ordine ſic conſtituto nõ modò eius parœciæ curiales, ſed & vniuerſus Mediolanenſis populus, vbi exercitus appropinquaſſet, ad omnium campanarum ſonitum contra Gallos arma ſumptutus eſſet; quæ res eo admiratione eſt viſa maiore, quòd quantacunque diligentia perquiſitus, neq; qui fuerit, neq; à quo miſſus, inueniri vnquam potuit. Exercitus itaq; acie ad pugnam inſtructa Romanam portam verſus maioribus tormentis ad cuius dam viæ quæ Papiam ducebat caput hærere iuſſis, contendit; cuius primum agmen in quo erant Hiſpanorum pedeſtres copię, quem Piſcarius ducebat nocte iam imminente, ad foſſam inter Romanam & Ticinenſem portas acceſſit; & ſclopetarijs contra vallum quod Vicentinnm dicitur prope eam portam quę Ludouica nuncupatur, magis tentandi gratia quàm victoriæ ſpe collocatis, Veneti pedites quibus eius valli cuſtodia erat commiſſa

geniti filij nomen obtinebat, detrimentum in Insubria hærerent, apud illos quereretur, nullum aliud responsum aliamúe sententiam tulit, nisi se id futuri pontificis iudicio permittere. Heluetiorum qui Placentiæ erant pars cum Pistorienſi episcopo, Mutinam petierunt, vt illam ciuitatẽ & Regium cõtra Ferrarienſium ducem tuerentur: qui post Leonis obitum, cum centum grauis trecentis leuis armaturæ equitibus & duobus peditum millibus egressus, Bondino, Finali, Mutinæ montem & Caferoniana, ex incolarũ voluntate, & Luco ac Bagnauacauallo, alijsq; Aemiliæ oppidis paruo labore receptis, Cento exercitum admouerat, Placentiæ ex Heluetijs Tigurini manserunt, à quibus quòd disiungi nollent, vt mille ad Parmæ custodiam irent impetrari non potuit: quæ ciuitas, quod ferè deserta esset, Lautrechio qui cum sexcentis cataphractis & duobus ac quingentis peditum millibus Cremonæ erat, vt eam expugnare niteretur, præsertim Federico Bozolensi, cui quòd peculiarem illarum rerum notitiam haberet, plurimum hac in re tribuebat, ad id eum incitante, animos addidit: idcirco vt Bonauallius cum trecentis cataphractis, & Federicus atque Marcus Antonius Columna, alter cum ijs quos Gallí conduxerant, alter cum Venetorum peditibus, numero in vniuersum quinq; millia, ex tempore illam vrbem adoriretur, constitutum fuit: in qua septingenti Itali pedites & quinquaginta Mantuani cataphracti erant, & populus pontificij imperij studiosus, sed penè inermis, & ob Gallorum, & Federici acerbitatum memoriam animo deiecto: his accedebat, quòd illa ciuitatis pars quam pontificius exercitus expugnarat, muris deiectis patebat: inuitabat præterea pontificatus interregnum, in quo populorum animi nutare, & præfecti cuius gratia se periculis obijciant ignorantes, magis propriæ salutis quàm ciuitatum tuendarum studiosi esse solent. Hac igitur spe, Gallorum peditatu noctu secundo Pado Turricellam vsque misso, vbi se illis equites qui terrestri itinere Cremona venerant coniunxerunt, multisque nauibus Cremonia aduectis, noctu Padum Turricellæ duodecim procul ab Parma milliaribus Marco Antonio Columnæ vt cum Veneto peditatu, qui ad Olliũ castra habebat, sequeretur, significãtes traiecerunt: quod cum eadem nocte subolfeciſſet Franciscus Guicciardinus, qui Mediolano Medicei cardinalis iussu, ad Parmæ custodiam erat profectus, noctu populo conuocato, eoq; ad sui ipsius defensionem excitato, & mille hastis quas ante biduum, quæ accidere possent metuens, Regio adferri curauerat, distributis, multas difficultates ob paruum militum qui aderant numerum, ad eam sine populi auxilio in quo in rebus inopinatis ac periculosis ob multitudinis naturam firmum fundamentum iaci non potest, tuendam minimè idoneum animaduertens, rebus ad defensionem necessarijs comparandis diligenter operam dabat: cumq; hostes Codipontis ingressu prohiberi non posse videret, milites & ciues omnes in alteram ciuitatis partem contraxit; quod non sine maxima difficultate est factum: propterea quòd cum multis ex populo, illam defendi posse leuiter esset persuasum, & eius partis incolis propria tecta deserere durum videretur, neq; rationibus neque autoritate, nisi quum hostes appropinquarunt ad id flecti poterant; qui quòd Parmenses nimis diu distulerant parum abfuit, quin illis permixti alteram ciuitatis partem in qua multæ erant difficultates, & præcipuè pecuniæ minimè opportuno tempore penuria (erat enim is ipse dies quo militibus qui se nisi intra vnius diei spacium stipendia penderẽtur, vrbe egressuros attestabantur, satisfieri debebat) ingrederentur. Primo die Federicus Bozolensis, cum tribus peditum millibus & nõnullis expeditis equitibus Codipontẽ desertam est ingressus: sequenti die adfuit Bonauallius cum Gallis equitibus, & M. Antonius Columna cum duobus ex Venetorum exercitu peditum millibus, duobus tantùm maioribus tormẽtis, quos Sagros ipsi vocant, aduectis; propterea quòd eo anni tẽpore in depressis & Pado vicinis locis eiusmodi viæ sunt, vt nulla ratione vel saltem summa cum difficultate murales huiusmodi machinæ, præsertim paulo grandiores, idq; non sine temporis iactura ipsorum consilijs in celeritate positis, prorsus aduersa vehi possint: nam si moram aliquam interposuissent, metuebant (& si frustra) ne vel Mutina vel Placentia auxilia mitterentur: populum tamen ex agricolarum fugientium sermonibus maiora tormenta aduehi opinio inuaserat: qua re mirum in modum territi, & multo magis quia Federicus Bozolensis cum quosdam ciues in agro cœpisset, eosq; quorundam Parmensium exulum quos secum habebat opera artificiosè, cum Marco

Anto-

Antonio Columna & Gallis magnas copias cum tormentis aduentare, opinione imbuiſſet, Parmam ire permiſerat; qui cum multa ſupra veritatem de hoſtium viribus retuliſſent, omnem populum tanto terrore repleuerunt, vt non modò plebs paſſim in omnibus vijs ea de re ageret, ſed & ipſorum Senatus, & illi magiſtratus qui publicę rei curam habebant, præfectum, vt quo ſe & milites ſuos captiuitatis & ciuitatem direptionis periculo liberaret, ipſos cum hoſtibus paciſci pateretur rogare cœperint: quibus dum præfectus rationibus ac precibus obſiſtit, & tempus altercationibus teritur, noua acceſſit difficultas: milites enim cum ſtipendij numerandi tempus adeſſet, ſe exire velle ſignificantes tumultuabantur: præfectus tamen multis adductis rationibus à ciuitate vt pecuniarum partem quam cum antè promiſiſſet pòſt dare neglexerat ſubminiſtraret, id ipſos apud futuros pontifices quodcunq; tandem conſilium capturi eſſent, non parum excuſaturum oſtendens, impetrauit: qua pecunia tumultum, vt potuit, ſedauit: vnde & in populo metus creſcebat; & milites ſe quòd pauci eſſent, in illorum poteſtate relinqui animaduertentes, & totius ciuitatis animos vacillare intelligentes, in maximum ne intus & foris eodem tempore oppugnarentur metum redacti, potius vt ciuitas ipſis ſaluis pactione dederetur, quàm in hoc periculo manere cupiebant: qua in rerum non parua confuſione, valde neceſſaria fuit præfecti conſtantia; qui modò milites ſuo cum illis communicato periculo, confirmans, modò ciuitatis primores in conſilium conuocatos cohortans, & cum eis differens, timorem vanum eſſe oſtendebat; affirmans hoſtes magna tormenta non aduehere, ſine quibus illos ſcalis in ciuitatem cuius iuuenes militibus coniuncti longè maiorem impreſſionem repellere poſſent, irrupturos timere ridiculum eſſet: ſe ad auxilium petendum Mutinam vbi Heluetij, Vitellius, & Guido Rangonius cum copijs ſuis eſſent miſiſſe; nec ſibi dubium eſſe, quin ad ſummum per totum inſequentem diem huiuſmodi auxilia eſſent affutura, quibus hoſtes recedere cogerẽtur: illos nanq; honoris ſui ratione, & ne Parma amiſſa maiores errores ſequerẽtur timore, cum tantas copias haberent, ad id cogi: ad eundem quoq; finem Placentiam, vnde ſibi eaſdem ob cauſſas maxima ſpes fieret miſſiſſe: deberẽ ipſos cogitare, ſibi pontifice illo à quo ornatus & euectus fuerat defuncto, nullam amplius cauſſam aculeumúe ſibi relinquum eſſe, quo ſi res in eo ſtatu quem ipſi ſibi fingerent, eſſent, vt ſponte ſe tam manifeſto periculo exponere deberet, propterea quòd, vt ſemper res ipſa docuerat, defuncti pontificis miniſtri ab futuro pontifice honores præmiaúe nulla expectare poſſent, imò facilè fieri poſſe, vt nouus pontifex Florentiæ patriæ ſuæ hoſtis eſſet futurus: quo fieret, vt neq; publicis neq; priuatis de cauſſis ſibi pontificij imperij potentia eſſet exoptanda: contra verò multa accidere poſſe ob quæ eius depreſſio gratiſſima ſibi eſſet futura: ſe Parmæ neq; coniugem neq; liberos vllaúe bona, quæ ciuitate ſub Gallorum imperium redeunte, illorum libidini, inſolentię, & rapinis ſubiecta fore, ſibi metuendum eſſet, habere: quocirca cum ſibi neq; Parma defenſa proprium commodum vllum eſſet ſperandum, neq; ſi eadem dederetur, mala quæ ſub acerbo Gallorum iugo erant experti metuenda: cumq; ſi ea vi caperetur, ipſe ijſdem periculis quibus ceteri eſſet ſubiectus, conſtantiæ ſuæ nullã aliam cauſſam eſſe, niſi quòd hoſtes cum magna tormenta (vt certum erat) non haberent, ad eam expugnandam minimè idoneos eſſe manifeſtè perſpiceret: poſſe ipſos cogitare, ſi id metueret, ob commune in omnibus hominibus propriæ ſalutis ſtudium, ſe deditioni non repugnaturum; cum præſertim & quòd interregnum eſſet, & quòd ipſe tantas vires vt ſe populi voluntati opponere poſſet Parmæ non haberet; huius ipſorum conſilij culpa ſibi obijci minimè poſſet: quibus rationibus nunc multos ſeorſim alloquendo, nunc cum omnibus ſimul diſputando, nunc mœnia obeundo aliaque comparando, tempus fallens, totam noctem eos detinuerat: animaduerterat enim illos, etſi vehementer, non aliam ob cauſſam quàm ob ſummum expugnationis direptionisq; metum deditionem meditarentur, eo tamen retineri, quòd ſi abſq; eius conſenſu deditionem facerent, perduellium notam ſe vitare non poſſe intelligerent: ſed diei qui Thomæ apoſtolo ſacer eſt aurora illuceſcente, cum iam ex duorũ tormentorũ, quæ ea nocte collocata fuerant, pilis directorum, tormenta ad mœnia verberanda non adeſſe cognoſci incœpiſſet, præfectus ſe ſi in Senatum rediret omnium ſententias mutatas, animosque confirmatos, inuenturum credidit; ſed prorſus contrarium reperit: &

metum

metum eo magis auctum, quo ipsi quòd iam lucis initium adesset periculo se propinqui ores esse putabant, adeo vt iam nihil auscultantes, non modò apertissimè vrgere, verùm etiam attestationibus, & ferè tacitis minis vt deditioni assentiretur instare inciperent: quibus cum disertè respondisset, sibi cum ipsis hos sermones hęcq; consilia, quē admodū si maiores vires Parmæ haberet esset facturus, impedire in potestate sua nō esset, nullam aliam iniuriæ quā sacrosanctam sedem & se eius ministrum afficere meditabātur cō pensationem relinqui, nisi quòd illos si deditionē facerent, in dominum suum perduellium & fidei violatorum notam vitare non posse videret, sacramentumque quo se ante paucos dies in augustiori ciuitatis templo pontificiæ sedi ipso stipulante solemni ritu obstrinxerant, vehementissimis verbis exprobās, ipsos certò sibi persuadere posse etiam si certissimā sibi ob oculos necem proponerent, nisi aut nouæ copiæ, aut maiora tormenta ad hostium exercitum superuenirent, alióue casu succumbendi periculum, quàm defensionis spes maior esset, cerneret, nullam aliam à se sententiam extorsuros affirmauit. quibus dictis cum partim vt maiori autoritate auribus pectoribusque illorum infixa manerent, partim vt multa quę si hostes (vt credebatur) eo die oppugnationem aggrederentur, erant necessaria, constitueret, Senatu esset egressus, diu dubij & ferè attoniti hæserunt. Tandem timore omnes alias rationes superante, cum in omnem euentum qui de deditione agerent emittere statuissent, aliquot ex suo numero ad præfectum, qui ipsos si is in eo obstinatè persisteret vt ipsos saluti suæ consuleret assentiri nollet, quo manifestissimum direptionis periculum vitarent suo iure id facere statuisse, illi significarent miserunt: sed eo ipso tempore quo legationem expositurі erant, illorum qui ad portarum & mœnium custodiam erant clamores, & altissimæ turris campanæ hostes acie instructa Codiponte egressos, ad mœnia oppugnanda accedere significantes audiri cœperunt: quare præfectus ad illos, qui nondum loquuti erant conuersus, dixit: etsi omnes maximè vellemus non est iam paciscendi tempus; necesse est vt aut nos fortiter tueamur; aut turpiter diripiamur; aut captiui simus, nisi Rauennam & Capuam imitari placeret, quæ dum cum hostibus in mœnibus paciscerentur, direptæ fuerunt. Ego huc vsq; quod ab vno homine præstari poterat præstiti, vosq; comodi vestri caussa eò perduxi, vt aut vincere aut mori sit necesse; si nunc solus vrbem tueri possem, nulla ratione deessem; sed id sine vestra ope fieri non potest: quapropter videte ne ad vitam & bona vestra, & coniugum liberorumque pudicitiam, quod facilè potestis, tuenda minus fortes ac vehementes sitis, quàm in Gallorum, qui vt omnes nostis, vestri capitales hostes sunt, iugo nulla necessitate coacti expetendo importuni fueritis. Quibus dictis cum equum in aliam partem conuertisset, omnibus timore, & quòd aliorum remediorum experiendorum non iam tempus esse eis videretur perturbatis, & deditionis sermonibus depositis, propugnationi operam dare fuit necesse, quoniam hostium pars, cum magno scalarum numero pridie ex agro collecto, ad propugnaculum, quod Padum versus Federicus fieri curarat, accesserat, idque fortiter oppugnabat: eodemque tempore altera pars, portam quà Regium itur acriter expugnare nitebatur; nec segnius interea in duobus alijs locis pugnabatur: qua in re tanto maiorem in propugnando qui in ciuitate erant laborem sustinebant, quo hostes minus fatigati, & magis ducum ac præsertim Federici verbis accensi, & ciues terrore pleni (paucis exceptis) mœnia non accedebant: imò maxima ex parte quasi singulis momentis extremum ciuitatis excidium expectarent, domibus inclusi manebant. Hæc oppugnatio sæpius instaurata, quatuor horas continuit, ciuitatis periculo, non solum ob hostium quibus cum pluribus ex partibus verberarentur ac sauciarentur animus deficiebat, fatigationē, verumetiā quia cum ciues propugnationē feliciter succedere viderent, audaciores facti, paulatim ad mœnia accurrebant, subinde decrescente: nec præfectus interea omnibus rebus necessarijs diligenter comparandis defuit; adeo vt antequam pugna finem haberet, non modò populus vniuersus, & ipsi religiosi homines ad mœnia propugnanda accurerent, verùm etiam innumerę mulieres viris suis vinum, aliaq; ad eorum vires reficiendas adferentes: itaq; hostes victorię spe abiecta, cum multorum ex suis cæde ac vulneribus in Codipontem regressi, sequenti mane abierunt: & vnum aut alterum diem circa Parmam morati, Federico se hac in expeditione, cuius autor fuerat, nulla alia re se deceptum af-

firmante,niſi quòd præfectum virum minimè militarem,quique paulo antè in eam ciuitatem venerat, pontifice mortuo, ſe potius absque vlla emolumenti ſpe periculo obiecturum, quàm cum id abſque ſuæ exiſtimationis iactura infamiæue nota facere poſſet, ſaluti ſuæ conſulturum non crediderit, trans Padum redierunt. Parmæ defenſio Gallorum rebus plurimum obfuit; quia Mediolanenſem, & ceteros eius imperij populos ad ſe tuendos audaciores,quàm antea eſſent fecit; præſertim verò quòd paucos in ciuitate milites fuiſſe, nullaque auxilia acceſſiſſe notum erat: quoniam neq; Placentia ſe quisquam mouit, neque Heluetij qui Mutinæ erant, neque Guido Rangonius Vitelliusue Parmenſibus opem ferre voluerunt; & Guido quidem quòd etſi Ferrarienſis cum Centum,quod Bononienſes tuebantur, expugnare non potuiſſet, in Heluetiorum aduentu ſe Finale recepiſſet, tamen ne Mutinam præſidio nudatam oppugnatum veniret periculum eſſe diceret: Piſtorienſis verò inter vehementiſſimas Guicciardini preces.& Vitellij, qui propria cauſſa illum vt cum Heluetijs ad Vrbinatium ducem itinere prohibendum in Flaminiam tranſiret incitabat,ſuaſiones, vacillans, & implicatus dubiusque hærens, tantum in conſilio capiendo temporis interpoſuit, vt neutrum fecerit: nam & Parma proprijs viribus fuit defenſa, & Heluetij tandem ſtipendijs non acceptis, caſtra mouere noluerunt, Vrbinatium duci,nullus in Flaminia impedimento fuit: qui vt vnà cum eo Malateſta & Horatius Ballionij fratres, ille vt amiſſum imperium recuperaret, hi vt Peruſiam redirent, ducentis grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus,& 3 peditũ millibus,qui partim amicitiæ gratia,partim ſpe prædæ ſponte illos ſequebantur, Ferrariæ collectis ibant: neque enim vel à Gallis vel à Venetis aliam opem impetrare potuerunt,niſi quòd militibus ſuis illos ſequendi poteſtatem fecerunt; & Veneti Malateſtæ & Horatio à ſtipendijs ſuis diſcedere permiſerunt. Itaque Ferraria Lucium Pado profecti, nullo in pontificio impedimento qui obſtaret inuento, vbi ad Vrbini fines acceſſerunt dux à populis vocatus, ſtatim omnia (ijs quæ Florentini poſſidebant exceptis) ſua recuperauit: deinde Piſaurum conuerſus, eadem facilitate ciuitatem recepit: & paucorum dierum ſpacio etiam arcem; ac fortunam ſecundam ſequutus Ioannemaria Varano veteri domino ciuitatis, qui quo illuſtrior fieret,ducis nomen à Leone erat adeptus Camerino pulſo,Sigiſmundum adoleſcentem ex eadem familia, qui ſe in eo melius ius habere aiebat, priori duce tamen,qui Aquilam confugerat,arcem obtinente, in regno locauit. His geſtis cum Malateſta & Horatio Ballionijs ſe Peruſiam,quam ciuitatem Florentini non tam proprio conſilio,quàm Medicei cardinalis voluntate defendendam ſuſceperant conuertit.Mediceus autem cardinalis ad id vel odio & inimicitia,quæ illi cum Vrbinatium duce & Ballionijs intercedebat, vel quòd illorum propinquitate ſuam Florentiæ autoritatem in diſcrimen conijci poſſe exiſtimaret, vel cum ad pontificatum aſpiraret,quòd ipſe ſolus in interregno pontificij imperij defenſor eſſet, exiſtimationis ſibi conciliandę ſtudio motus;quoniam cardinalium collegium omni prorſus pontificij imperij partis;ſiue cuiusquam in Gallia ciſalpina, ſiue in Hetruria, ſiue alibi eſſet tuendæ,ſolutum erat,partim quia cardinales in varias factiones erant diſtracti,& ſinguli in pontificatus adipiſcendi cogitationibus immerſi; partim quia neque in ſacro ærario,neque in Angelica arce vlla erat ab Leone relicta pecunia; qui vt erat in omni ſumptu profuſus, non modò pecuniam ab Iulio relictam, & ingentem auri vim ex quibusdam aulæ muneribus recens creatis quadringentorum auri pondo ex annuis pontificatus cenſibus diminutione conſumpſerat, verùm etiam magnum æs alienum reliquerat; & inſuper omnes pontificiæ gazæ gemmas, aliasque precioſas res oppignorauerat: ita vt argutè à nonnullis dictum fuerit: reliquorum pontificatum pontificum morte terminari, ſed Leonis pontificatum multos annos poſt in uita futurum: Tantum cardinalium collegium Vrſinum archiepiſcopum, vt Balliones inter ſe conciliare niteretur Peruſiam miſit:ſed cum is Gentili ob Ioannispaulis filiorum affinitatem ſuſpectus eſſet, & leges non ſatis tutæ proponerentur, nihil eſt factum,ſicque penultima anni die Vrbinatium dux, Melateſta & Horatius Balliones & Camillus Vrſinus, qui aliquot militibus ſponte ipſum ſequentibus, ſe iterum illis coniunxerat, ad ſancti Ioannis pontem ſunt metati; vnde Baſtiam vſque & ad vicina loca caſtra pro-

protenſis, dies noctesque Peruſiam infeſtabant; quò præter quingentos pedites à Gentile conſcriptos, Florentini quibus dux dum ſe Piſaurum conuertit, ſpacium dedit, duo peditum millia, centum leuis armaturæ equites Guido Vaina duce, & centum ac viginti grauis, cum centum leuis armaturę equitibus Vitellio duce miſerant. Quo tempore in Inſubria in ſummo ocio viuebatur, & nihil vtrinque præter prædam excurſiones que fiebat; quas vt etiam in pontificij imperij locis facerent, Galli qui cum duobus millibus Cremonæ manſerant, pontem Pado impoſuerant, quo ſæpe in Placentinum & Parmenſem agrum excurrentes, totam regionem infeſtabant: & quamuis Proſper à ceteris ducibus incitatus ſe ad Tretium oppugnandum ire velle diuulgaſſet, iamque tormenta præmiſiſſet, id tamen quod vt ſi fortè Galli aliquem in pontificio imperio ſucceſſum habere cœpiſſent, ei opem ferre poſſet exercitum alicubi implicari minimè opportunum eſſe diceret, non perfecit: qua in re mentem à verbis diſſimilem habere videbatur; nam cum ei exercitum Parmam proficiſci eſſet ſignificatum, nullo auxilij ferendi ſigno oſtenſo, exitum expectandũ eſſe dixit: imò cũ Placentia, quia Heluetij Tigurini magiſtratuum ſuorum iuſſu repentè diſceſſerant, omni præſidio eſſet ſpoliata, Proſper ſumma diligentia vt Mantuanus marchio Mediolano ſuis copijs ne diſcederet efficere eſt conatus: qui tamẽ Placentiam profectus ſuæ ditionis militibus, & pecunia aliquoties mutuo data, ſumma cum laude illam ciuitatem defendit. Neque tantis periculis nouo pontifice creando obuiam ibatur; quæ tanto cum pontificij imperij detrimento, vt abſentibus Cardinalibus Romam eundi ſpacium concederetur, tandiu fuit dilata; & poſtremò quia Eporedienſis cardinalis, cum ſe Taurino Romam conferret, Proſperi Columnæ mandato, ne, quia Gallis fauebat, conuentui intereſſet, in Inſubria retentus fuerat, in collegio, vt tot dies in conclaue ingreſſus differretur, quot dierum Eporedienſi cardinali impedimentum eſſet allatum, afferendum'ue eſſet decretũ eſt: idcirco eo dimiſſo cõclaue viceſima ſeptima Decembris eſt clauſum; in quo fuerũt XXXIX cardinales; ita enim Leonis cuius creationi non plures quàm vigintiquatuor cardinales interfuerant, immoderata promotio numerũ auxerat. Primus anni MDXXII 1522.
motus fuit Peruſiæ ſtatus mutatio communi hominum iudicio non minus propugnatorum ignauia facta, quàm oppugnatorũ virtute; qui voluntariorum militum numero ad ducẽtos grauis trecẽtos leuis armaturę equites, & quinq; peditũ millia vſq; auẽto, & ſancti Petri ſuburbium à propugnatorib. deſertum ingreſſi, quarto eius anni die plurimis ſcalis, à Petri, Soliorum, & Bronia portis multiſq; alijs ex partibus ſeptem campeſtribus tormentis, quæ à Ferrarienſium duce mutuo acceperant, prius vt eis propugnandi facultatem adimerent, varijs in locis collocatis oppugnationẽ ſunt aggreſſi: quæ dilucu lo cœpta, & ſæpius inſtaurata ferè totum diem tenuiſſe dici poteſt: & quamuis duabus tribus'ue ex partibus in ciuitatem quam ſoli milites, quia populus non mouebatur, defendebant, irruperint, ſemper tamẽ cum multorum ex ipſis cæde repulſi ſunt: quare Gentilis & Florentinus legatus audaciores facti, ſeſe non minus feliciter alijs quoq; diebus defenſuros ſperabant: ſed Vitellij timor, vt res longè diuerſum exitum habuerint in cauſſa fuit; quoniam ne populus magis Ioannis pauli filiorum quàm Gentilis ſtudioſus arma pro illis caperet metuẽs, & illos ſuburbium inter duas Petri portas occupaſſe minimè parui momenti eſſe ratus, ſed præſertim quòd propriam vitam, ſi res infeliciter ſuccederent, propter Vrbinatis & Ioannispauli filiorum in ſe odium in periculo fore ſuſpicaretur, motus, illa nocte ceteris ducibus, ſe, quòd cum præcedenti die in propugnatione ſclopi glande in minori dexteri pedis digito læſus fuiſſet, ita dolore victus erat, vt decumbere cogeretur, nihil amplius ſua præſentia prodeſſe poſſet, diſcedere velle ſignificauit: & quamuis Gentilis ac ceteri, quàm eius diſceſſus militum ac populi animos eſſet fracturus oſtendentes, illum multis precibus ab hac ſententia remouere ſint conati, cum in ſententia perſiſteret, eum ſequi ſtatuerunt. Sic eadem nocte Ciuitatem caſtelli ſe contulerunt: & Peruſini incredibili cum illorum omnium qui cum literis eadem nocte ſcriptis de felici præcedentis diei propugnationis ſucceſſu certiores facti fuiſſent, poſt paucas horas ciuitatem à Vitellio & reliquis turpiter deſertam intellexerunt admiratione, Balliones fratres intromiſerunt. Nondum hoc tempore nouus pontifex ob cardinalium diſſenſionem ex eo potiſſimum ortam lectus erat, quòd Me-

ceus ad pontificatum aſpirans, & amplitudinis ſuæ, opumque exiſtimatione, & gloria ad Mediolanum parta potens, quindecim aliorum cardinalium qui ad id vel priuatis de cauſſis, vel amicitia qua illi iuncti erãt, vel beneficiorum ab Leone acceptorũ memoria, & nonnulli illum vbi pontificatus adipiſcendi ſpe excluſus foret, ijs qui ab ipſo fuiſſent fauturum cogitantes mouebantur, ſuffragia ſibi adiunxiſſet. Huic autem Medicei cardinalis deſiderio multa repugnabant: multis enim defuncto pontifici alium ex eadem familia ſurrogari, vt quod quaſi hęreditario iure in pontificatu ſuccedendi exemplum foret, valde pernicioſum videbatur: opponebãt ſeſe omnes ſeniores cardinales, qui tantã dignitatem ad ſe ſpectare exiſtimabant, neq; minorẽ quinquaginta annis eligi ferre poterãt: omnes illi qui Gallicam factionem ſequebantur, & nonnulli etiam ex Cæſarianis, quia Columnius cardinalis, quamuis initiò ſe ei fauere velle oſtendiſſet, poſtea ſeſe illi apertè admodum oppoſuerat, ei erant aduerſi: Cardinales verò quibus Leo gratus non fuerat acerrimi hoſtes; & nihilominus in his difficultatibus efficaciſſima illum ſpes ſuſtinebat, quòd cũ qui ipſum volebant, tertiã partẽ excederẽt, dum cõiuncti manerẽt abſq; illorum conſenſu nihil fieri poterat, ex quo temporis progreſſu aduerſarios inter quos multi ob ætatem diuturnum incommodum ferre minimè poterant, vel defatigatum, vel diſiunctum iri ſperabat: & quia in ipſo non creando inter ſe conſentientes in alio eligendo dum quilibet vel ſibi vel amicis ſuis ſuffragari cogitat, multiq; ne alteri cederent, pertinaciſſimè inſiſtunt, diſſentiebant. Medicei verò cardinalis pertinaciam, Peruſinarum rerum mutatio nonnihil emolliuit: quia Petruccius cardinalis ex eorum qui illi fauebant numero vnus, cum Senenſis reip. princeps eſſet, ne eius ciuitatis ad quam Vrbinatium dux cum illis copijs ſe conuertere velle ferebatur, ſtatus ſe abſente mutaretur veritus, vt nouus pontifex eligeretur vrgebat: in cuius gratiam, atque etiam metuens ne Senenſium ſtatu immutato, Florentinis quoque rebus periculi aliquid crearetur, Mediceus cardinalis in eandem ſententiam, ſed nondum penitùs cui ſuffragium dare vellet certus, inclinare cœpit. Sed cum quodam mane dum de more ſortitio in conclaui fieret, Adrianus Dertoſanus cardinalis natione Belga, ſed qui Cæſaris in pueritia præceptor, eiusque opera ab Leone in pontificum collegium cooptatus fuerat, & eius in Hiſpania vices gerebat, nemine de illo eligendo cogitante, ſed tantùm vt tempus illud extraheretur eſſet propoſitus, & aliquod pro illo ſuffragium apparere cœpiſſet, ſancti Xiſti cardinalis perpetua ferè oratione eius virtutes eruditionemque commendauit: quare nonnullis cardinalibus ei cedere incipientibus, reliqui ordine potius impetu quàm conſilio ducti, ſunt ſequuti: ita vt omnium ſuffragijs tunc ſummus pontifex fuerit lectus: ſic vt illi ipſi qui eum elegerant, cur in tantis eccleſiæ moleſtijs ac periculis barbarum hominem, tanto regionum interuallo abſentem, & cui neque anteactæ vitæ merita, neque cum alijs cardinalibus quibus vix eius nomen erat cognitum, aliqua cõſuetudo, gratiam conciliabant, quique Italiam nec viderat vnquam, nec ſe viſurum vel ſperabat vel cogitabat, pontificem creaſſent, rationem afferre nullo modo poſſent: quam præpoſteram electionem quum aliter excuſare non poſſent, eius cauſſam id diuinum ſpiritum qui (vt aiebant) in pontificibus eligendis cardinalium mentes afflare ſoleret, transferebant. Eius rei nuntium ipſe Victoriæ apud Cantabros ciuitate accepit; quo accepto priori nomine minimè mutato, Adrianus VI appellari voluit. Peruſię ſtatu immutato, vbi copiæ non paruo reliquarũ rerum ſuarum detrimento, aliquot dies eodẽ in loco hæſiſſent, vt ab amicis pecuniam corrogarẽt, Peruſia & Todio in quam ciuitatẽ Camillus Vrſinus exules reſtituerat, Vrbinatium dux & ceteri, Malateſta Peruſiæ relicto diſceſſerunt; & ſumma celeritate Lactãtium Petruccium qui ab Leone Soanenſi epiſcopatu ſpoliatus fuerat, quia Borgheſius & Fabius, Pandulfi Petruccij filij à Cæſaris miniſtris Neapoli diſcedere fuerant prohibiti, ſecum habentes, Senas verſus contenderunt. Senis qui remp. adminiſtrabãt, nullam præter Florentinorũ, Medicei cardinalis cauſſa auxilij ſpem habebant; in cuius gratiã, eius clientes qui illo abſente Florentinam remp. adminiſtrabant, vbi de ducis Peruſia diſceſſu certiores ſunt facti, ſtatim Guidum Vainã cũ centum expeditis equitibus, & pecunia qua ab Senenſibus conſcriptis militibus aliquem peditũ numerum addere poſſet, Senas miſerunt: ſed præcipua illorũ ſpes ijs viribus de quibus multos dies antè cogitárant nitebatur; nam vbi primum Vrbinatiũ ducis

& Bal-

& Ballionum motum audiuerunt, Hetruriæ rebus metuentes, de Bernensis ciuitatis Heluetijs, qui numero paulo plures quã mille, magistratuũ suorũ ut in Heluetiã redirẽt mãdato neglecto, cũ Pistoriẽsi episcopo Bononię mãserant, cõducendis agere cœperant: quo in negotio etsi ob multa à Pistorienſi episcopo illas copias futuro pontifici offerendi cupido interposita impedimenta, plus quàm necesse fuerit temporis sit insumptũ, tãdẽ tamẽ grauissimo sumptu quadringẽtis quoq; Germanis qui se Heluetijs Bononiæ adiũxerant conductis, ad finem est perductum: Ioannem Medicem quoq; ex cisalpina Gallia quin his præsidijs modò in tempore adessent, Senenses res in tuto essent collocaturi non dubitantes, aduocarant: quæ, quòd maxima populi pars eum statum odio haberet, et quia ob antiquum in Florẽtinos odium oẽs illorũ copias Senas ingredi ægrè ferebãt, in maximum periculum erant redactę; quod etiam Petrucij Cardinalis absentia agebat, ut pro quo, etsi Franciscus omnem operam ad res sustinendas quantum posset adhiberet, non tamẽ ea pollebat autoritate qua Cardinalis: idcirco ciuitatis principibus, qui ut periculum quouis modo uitarent aut differrent operam dabãt, minimè repugnantibus, iam ad Vrbinatium ducem quamprimùm Senensis imperij fines attigit legatos miserant; qui quamuis initio triginta aureorum numũm millia & status mutationem postulasset, pòst tamen mitiora proposuerat, adeò ut ne uel eorum qui remp. administrabant consensu, uel populi contra illorum uoluntatem motu, inter Senenses & ducem pactio aliqua fieret. non mediocriter timeretur: sed tamen quum assidue Florentinorũ milites vrbem ingrederentur, quanquam Ioannẽ Medicem cũ Heluetijs iam propè adesse fama ferret, qui à pactione erant alieni maiore animo impediebant. itaq; dux exercitu in quo non supra septem millia hominũ, eosq; hinc inde collectos habebat, Senarũ mœnibus admoto, ubi diem unũ circa ea hæsisset, pactionis spe frigescente, & Heluetijs iam non longius quã unius diei itinere procul inde metatis, ut in suos fines reuerteretur à mœnib. recesit. Senis liberatis eædẽ copiæ Florentinis ad id quod magnopere cupiebant, ex eo quod à cardinalium collegio cuius nomine pontifice absente Ecclesiæ imperium administrabatur, ut id facerent rogati fuissent, occasionem capientib. Perusiam uersus iter ceperunt: ideo Cortonensis cardinalis iam Leonis tempore Perusiæ legatus ipse met cum exercitu procedebat: in collegio uerò non maior post pontificem creatum erat concordia constantiáue, quàm in conclaui fuisset; imò magis conspicua uarietas: constituerant enim ut singulis mensibus tres cardinales, qui Priores vocarentur, administrationi præessent, quorum munus erat ceteros conuocare, & quæ decreta fuissent perficere. Tres igitur ex istis paulo antè id munus adepti sese Mediceo cardinali qui statim pontifice creato Florentiã redierat, opponentes, ne Florentinorũ copiæ põtificij imperij loca infestarent exclamare cœperunt; quæ cum iam Pasinianum oppidũ, quòd eas recipere noluerat, diripuissent, & deinde Vlmi ad tertium ab Perusia lapidem cum ferè certa eius ciuitatis capiendæ spe castra locassent, nisi mox huius spei lenitatẽ agnouissent, hæc mandata cõtempsissent, quoniam Balliones multos milites Perusiam conuocarant, longeq; maior erat illorũ, quã Gentilis qui exercitũ sequebatur apud populũ autoritas: quãobrẽ uictoriæ spe deposita, & pactione frustra tentata, quasi se Collegij voluntati opponere nollent, ex Perusino agro discesserũt; & Monfeltrensem regionẽ quæ tota Sancto Leo & Maioli arce exceptis, sub Vrbinatiũ ducis imperium redierat, sunt ingressi: qua facilè recuperata, arma in ea parte quasi tacito partium consensu sunt deposita: quia dux non satis ad bellũ cũ Florentinis diu gerendũ uiriũ habebat, neq; ipsi uel proprij cõmodi caussa, uel aliorũ gratia eũ molestia afficiendi caussam habebãt: collegium enim in quo Medicei cardinalis aduersarij potentia præstabãt, eodẽ tẽpore cũ illo vt donec põtifex in Italiã ueniſſet, & ulterius, si ei uideretur, recuperatũ imperium posideret, nec Florẽtinis, nec Senensib. esset infestus, nulli principi militaret, eiúe opẽ ferret cõuenerant. Huc usq; insubrię res quòd alteri parti milites, alteri pecunia deesset, ideoq; Cæsariani milites stipendijs non persolutis castra mouere nollent, tranquillæ fuerant, tantũ ad Alexandriã expugnandã cũ sua acie & alijs militib. præsertim Mediolanẽsibus missus fuit Ioannes Saxatellus, qui in belli initio, certo bono cũ spe incerta permutato, Venetorũ relicto stipendio, Mediolanensiũ duci exuli se adiũxerat, quo cum uenisset Alexandrinorũ Guelforũ, qui magis quã Galli milites ciuitatẽ defendebãt, teme

ritas,id quod omnibus difficile uidebatur,facilè reddidit:quum enim hoſtes,in quos eruptionem fecerant,ſuſtinere non poſſent, ut ipſis permixti ciuitatem, quæ victoribus prædæ fuit,ingrederentur, occaſionem dederunt: eademq; facilitate poſt paucos dies nõnulli è Gallicis militib.à Guelfis Aſtam introducti,inde ſunt pulſi.Sed iam huic breui dubiæque quieti magnarum moleſtiarum initia appropinquare cernebantur: nam quamuis in Heluetiorum comitijs grauis ob Galliæ regis poſtulata, Tigurinis Suitenſibusq; illi pertinaciter aduerſantibus, Lucernenſibus prorſus fauentibus, reliquis inter ſe diſsidentibus, & priuatorum quorum alij penſiones, alij vetera ſtipendia ab rege petebant,auaritia publicas res turbante,extitiſſet contentio, tandem tamen milites ad Mediolanenſe imperium recuperandum ei conceſſerant; qui numero ſupra decem millia iam Sabaudiæ Baſtardo, & Galeatio Seuerinate,quorum hic Archippocomus erat, ille magnus Franciæ magiſter ductoribus, per Bernardi & Gothardi alpium iuga in Inſubriam deſcendebant. Contra hunc motum Cæſar non parua pecuniæ ſumma ab Angliæ rege, qui à Galliæ regis amicitia iam erat alienatus, mutuo accepta, Hieronymum Adurnium ut ſex Germanorum peditum millia, unà cum ipſo Franciſco Sfortia cuius aduentus eo tempore ad Mediolanum & reliquas eius imperij ciuitates, quæ illum ſummopere exoptabant magis in officio retinendas, & ad pecuniam cuius ſumma erat penuria eius autoritate & gratia facilius exigendam, magni momenti cenſebatur,Mediolanum ducendos conſcriberet, Tridentum miſerat. Quo etiam tempore quũ apparatus ab Cæſare factus Mediolani ignoraretur, Mediolanenſes pecuniam ad quatuor peditum millia conſcribendam Tridentũ miſerant:qui quum eo tempore quo Adurnius eò uenit,iam eſſent parati,ipſe dum reliqua ſex millia colligerentur, ſtatim cum his Mediolanum uerſus,ut per Turrhenam vallem Comum veniret contendit; ſed Rhetis itineris faciendi facultatem denegantibus,repentè & tanta celeritate in Bergomenſem agrum,& inde in Giaradaddã tranſiuit,ut Veneti magiſtratus qui Bergomi erant in tempore prohibere non potuerint; ijsq; Mediolanum perductis,eadem celeritate Tridentum vt Franciſcum Sfortiam & reliquos pedites Mediolanum duceret redijt: qua in ciuitate præter ceteros apparatus magno ſtudio ad populi in Gallos odium,quod erat uehemens augendum,quo ad defenſionem promptiores eſſent,& publicis neceſſitatibus libentius pecuniam propriam contribuerent opera dabatur: quæ res fictis literis, & falſis legationib. alijsq; artibus,Moroni diligentia & calliditate excogitatis,haud parum iuuabatur: uerùm multo etiam magis,quàm credi poſsit Andreæ Barbati,Sodalis Auguſtiniani conciones; qui cum maximo populi concurſu concionaretur, illos uehementiſsimè ad ſe ipſos tuendos,& ad patriam à barbarorum eius ciuitatis atrociſsimorum hoſtium iugo, Poſtquam à Deo opt. max.eius excutiendi facultatem acceperant, liberam conſeruandam hortabatur.Parmæ paruæ atque imbecillæ,ſi cum Mediolano comparetur,ciuitatis exemplum afferebat: maiorum quorum nomen per uniuerſam Italiam celebre fuerat res geſtas commemorabat:& quid homines pro patriæ ſalute facere deberent,pro qua ſi gentes quæ nullum niſi gloriæ humanæ præmium expectabant ſponte mortem oppetebant,quid Chriſtianis quibus pro tam ſancta cauſſa mortem oppetentibus, præter gloriam apud mortales, immortalitas in cœleſti regno proponeretur, eſſet faciendum? quod excidium ei ciuitati eſſet allatura Gallorum uictoria cogitarẽt; qui ſi antea nulla de cauſſa tã acerbi moleſtiq; fuerant, quid nunc cum ſe tam grauiter læſos iniuriaq; affectos cenſerent eſſent facturi? nulla populi Mediolanẽſis ſupplicia illorũ immanitatem& immenſum odium ſaturatura:nullas opes auaritiã expleturas:nunquã ſibi ſatisfacturos,niſi Mediolanenſiũ nomẽ ac memoriã prorſus extinxiſſent,niſi horrẽdo exẽplo Federici Barbaroſſæ ferã immanitatẽ ſuperaſſent.His artibus uſq; adeò Mediolanenſiũ odium inflammatũ fuit, & Gallorum uictoriæ formido aucta,ut iã magis moderãdi quã prouocãdi eſſe uiderentur. Proſper interea ſumma diligẽtia propugnaculis & foſſatũ aggerib. inſtaurãdis reficiendisq;, quòd Mediolani cõſiſtere cogitaret, operã dabat: qua in urbe etſi ſex illa Germanorũ millia non ueniſſent, ſe aliquot mẽſes tueri poſſe ſperabat; & de reliquarũ quoq; ciuitatũ propugnatiõe ſollicitus,Philippum Torniellũ Nouariã, & Monſignorinũ Vicecomitẽ, Alexandriã,alterũ cũ duobus millib.alterũ cũ mille & quingentis Italis peditib.qui quòd ſtipendia nõ haberent

berent ex populorum fortunis alebantur; Papiam Antonium Leuam cum bis mille Germanis & mille Italis miserat; Mediolani uerò septingenti grauis, totidem leuis armaturæ equites & duodecim peditum millia retinuit. Reliquum erat imminens periculum, ne Galli per Mediolanensem arcem ingrederentur, cui periculo ut obuiam iret, eademque opera commeatum aliaue necessaria in arcem introducendi facultatem adimeret, artificio summopere celebrato, & ferè hominum iudicio admirando extra arcem inter portas Vercellensem & Comensem binas fossas circiter uiginti passus inter se æquidistantes agebat, binumq; ex ea terra quæ effodiebatur, aggerem attollebat: harum longitudo circiter mille passus quantum hortorum pomarijue post arcem inter binas illas uias spatium patebat; & ad fossarum capita vallum præaltum munitumque, ut tormentis in illis collocatis, hostibus, qui ab illa parte accederent, incommodum afferri posset, fieri curauit: inter has fossas, atque aggeres milites disposuit: qui ne quisquam ab ea parte ingrederetur, egredereturue, eodem tempore prohiberent: quod inuentum non minus felix, quàm ingeniosum futurum fortuna initio fausto omine ostēdit; dū id opus, sine detrimento perfici posse dedit; nā cū nix altissima terrā cooperuisset, Prosper cœli beneficio usus, ante lucem binos aggeres ad quorum exemplum munitionem fieri uolebat, ex niue faciendos curauit; quibus fabri pòst in reliquis operibus faciēdis à tormentis quæ in arce erant defendebantur; ad quæ perficienda, maius adiumentum attulerunt copiosissimę in alpibus niues, quæ Heluetiorum transitum impediebant. Quo tempore Lautrechius quum aliquot militibus transpadum missis, Ludouici Gonzagæ expeditorum equitum turmā Florentiolæ negligenter in dormientem spoliari curasset, exercitum suum instaurabat; & Venetotum copiæ sub Andrea Gritto & Theodoro Triultio circa Cremonam colligebantur; quæ tandem Heluetijs coniunctæ Calendis Martijs, Lautrechio, cuius autoritas Magni Franciæ magistri, & Archippocomi aduentu, nihil erat imminuta, totius exercitus imperatore Abduam traiecerunt. Venit ad hunc exercitum eodem tempore Ioannes Medices, qui etsi de Francisci Sfortiæ stipendijs accipiendis vehementer ageret, iamque Mediolanū uersus, ubi ob magnam eius ferocitatis expectationem summo desiderio expectabatur, iter esset aggressus, nihilominus maioribus certioribusque Galliæ regis stipendijs allectus, & promissam pecuniam ad se Mediolano non missam excusans; ex Parmensi agro Busseto oppido propter hospicium denegatum, direpto, in Gallorum exercitum qui duo milliaria prope arcem inter easdem uias Vercellensem & Comensem est metatus, transiuit. Tertio die ex quo uenerant, acie instructa quasi munitionem oppugnare uellent processerunt; id tamen siue quòd ea fuerit ab initio Lautrechij sententia, siue quòd militum qui intra munitiones erant numero, populi studio, & propugnatorum alacritate cognita manifesta rei difficultate deterritus fuerit, non perfecerūt; sed eadem die domus cuiusdam ab eorum qui in ciuitate erant tormentis verberatæ saxa, Marcum Antonium Columnam maximæ expectationis ducem, & Camillum Triultium Ioannis Iacobi ex non legitimo toro filium, qui prope illam domum inambulantes vallum è quo tormentis inter binas hostium munitiones iaculari possent, describebant, interfecerunt. Sed Lautrechius Mediolanum capi non posse existimans, temporis progressu se uictoria potiturum sperabat; quoniam equitum suorum & tot exulum qui ipsum sequebantur multitudine, qui maximam regionis partem excursionibus terrebant, ne commeatus in urbem conueheretur magnopere impediebat; molas omnes frangi curarat; & aquas ex riuis & emissarijs, ex quibus ea ciuitas plurimum commodi percipit, auerterat: sperabat etiam militibus in urbe degentibus, qui quoniam à Cæsare ex regno neapolitano alijsque locis parcè admodum pecuniæ mittebantur, Mediolanensium pecunijs ægrè sustentabantur, stipendia defutura: sed incredibile erat populi Mediolanensis in Gallos odium, mirum noui ducis desiderium: quas ob res quoduis incommodum patienter ferentes, non modò in tantis molestijs sententiam non mutabant, sed iuuenib. ad arma concitatis, & ducibus in singulis urbis regionib. cōstitutis, ijsq; promptissimè dies noctesq; ad loca ab exercitu remota custodienda concurrenti bus, milites magno labore leuabant: quo tempore quum ob molas fractas farina deficeret, molis trulatilibus mox huic incommodo occurrerunt: sic bello à celeris expugna

tionis spe, ad diuturnæ obsidionis curas laboresq; redacto, Mediolanensium dux, cuius discessus ob pecuniæ penuriam, multos dies dilatus fuerat, diutiusque fuisset, nisi ei Mediceus cardinalis nouem aureorum numùm millia commodasset, tandem cũ sex Germanorum peditum millibus Tridento profectus, & Croariæ arce quæ Venetorum erat, ut sibi iter aperiet occupata, absq; impedimẽto per Veronensium fines iter fecit: unde per Mantuanum agrum Pado ad Casalemaius traiecto Placentiam peruenit; & Mantuano marchione inde ipsum cum trecentis pontificijs cataphractis comitante Papiæ occasionem Mediolanum penetrãdi intentus opperiens, facultas cõstitit: in ea enim urbe eius aduentus cupidissimè expectabatur: quippe, cum indies magis cogendæ pecuniæ facultas ad militem sustentandum minueretur, necessarium cẽsebatur, quam primùm cum Germanis coniungi, ut in aciem prodeuntes, finem bello imponere tentarent: verùm difficilis erat transitus; quia Lautrechius vbi illos Placentiam peruenisse cognouit, Casini ad quintum Mediolano lapidem, in Papiensi uia metatus erat: & Venetos Binaschi in eadem uia utriusque exercitus castris bene munitis ac septis collocarat; ubi cum aliquot dies hæsissent, intereaq; Santangeli & Sancolumbani Castella cepissent, Lautrechius Scutum fratrem suum ex Gallia, qui ad rerum statum regi indicandum erat profectus, cum pecunijs reuersum, & militibus Genuæ conscriptis in Insubriam peruenisse certior factus, Federicum Bozolensem, cum quadringentis cataphractis, & septem partim Italorum partim Heluetiorum peditum millibus ei obuiam misit; ob quorum aduentum Mantuanus Papia egressus Gambolate ut se illis opponeret, est profectus; sed cum illi (ut ipse aiebat) metu sese Ticinum uersus contrahere simulassent, suam Gambolate moram non amplius necessariam ratus, siue (ut potius credo) illos, quòd plures essent quã ipsi metuens, Papiam redijt: illi uerò Gambolate uenerunt, & Scuto coniuncti Nouariam petierunt; atq; arcis qua ipsi potiebantur tormentis captis, eaque oppugnata tertia impressione peditibus qui in ea erant magna parte cæsis, & Philippo Torniello capto, sunt potiti. Quamobrem Mantuanus, qui crebris Tornielli literis nuntijsque ut sibi opem ferret incitatus iterum Papia erat egressus, statim ubi id cognouit, copijs suis Vigeuano deductis, & arce præsidio munita Papiam redijt. Gallis, quòd Scuto se coniunxerint, quodque Nouariam expugnarint, maiore in re obfuit; quoniam Francisco Sfortiæ cum Germanis Mediolanum eundi facultatem aperuit: qui re cum Prospero constituta noctu clam Papia, ad cuius custodiam duo peditum millia & trecenti equites Mantuano duce, qui tam procul ab pontificijs imperij finibus recedere recusans, vlterius progredi noluit, manserunt, profectus, per deuia Sextium peruenit; ubi à Prospero qui ei cum copiarum parte obuiam processerat, exceptus, Mediolanum est deductus: quanta autem lætitia à populo Mediolanensi fuerit acceptus, dictu incredibile est: obuersabatur enim hominum oculis eius felicitatis in qua is populus sub eius patris & cæteris Sfortianis ducibus uixerat memoria; & proprium principem ut populorum suorum magis amantẽ, quiq; eos magis respicere, maiorisq; facere, neque ob nimiam potentiam contemnere cogeretur, summopere habere cupiebant. Ducis Papia discessus Lautrechio eam urbem expugnari posse spem fecit; quocirca exercitu statim collecto, eò contendit: quãobrem Prosper, manifesto periculo cognito summa celeritate mille Corsos pedites & aliquot Hispanos manipulos eò misit, qui quũ repentè ad Galica castra peruenissent, partim pugnantes, partim incedentes multosque cẽdentes, incolumes Papiam, ubi præter alia incommoda summa erat tormentarij pulueris penuria, peruenerunt. Interea Lautrechius Papiæ mœnia duobus in locis, hoc est ad Mariæ Perticariæ suburbium Ticinũ uersus, & ad Burgorattũ verberabat; & deiectis ad triginta muris ulnis, frustra oppugnationem est aggressus; cunque eos qui in urbe erant strenuè resistere, & ad defensionem paratos animaduertisset, rei benè gerendæ spem amittere cœpit: multę præterea difficultates accedebant; pecunia enim quã frater ex Gallia attulerat deficere incipiebat; nõ parua cõmeatus erat penuria ex maximis imbrib. orta; quorũ causa ad exercitũ terrestri itinere uenire admodũ difficile erat: nec minus Ticino aduerso vehi; qa naues nimis aquarũ fluctib. uiolẽtis repulsę, cõtra fluminis cursum progredi nõ poterãt. Qua tempestate, Prosper cum omnibus copijs Mediolano ut Papiæ appropinquaret egressus,

egreſſus, ijſdem pluuijs impeditus Binaſchi, quod medium inter Mediolanum & Papiam eſt, hæſerat: vnde poſtea cum ad Cartuſianorum ſodalium cœnobium quod in Papiæ ferarum ſepto ad quintum ab vrbe lapidem eſt, omnium fortaſſe totius Italiæ cœnobiorum pulcherrimum progreſſus eſſet, Lautrechius nulla amplius Papiæ expugnandæ ſpe relicta, cum exercitu Landrianum ab hoſtibus in diſceſſu niſi leuibus quibuſdam velitationibus laceſſitus receſſit. Landriano quo facilius pecuniam quæ ex Gallia mittebatur, acciperet, Modoetiam eſt profectus; quæ pecunia Aronæ reſtiterat, propterea quòd Mediolano in hunc finem Buſtium prope Aronam Anchiſes Vicecomes miſſus, vt vlterius progredi non poſſet efficiebat. Hoc impedimentum Gallorum res ad extremam confuſionem redegit: quoniam Heluetij quorum ſtipendijs multorum dierum mora erat interpoſita, moræ vt ſolent, impatientes, duces ſuos ad Lautrechium queſtum miſerunt; quòd cum gens illa ſemper pro Gallici imperij amplitudine proprium ſanguinem profudiſſet, per ſummam iniuriam debitis ſtipendijs fraudaretur; iſtaque ingrati animi atq; auaritiæ ſignificatione, cunctis mortalibus quam parui virtus fidesque ipſorum fieret, oſtenderetur; cumq; tot dies fruſtra expectaſſent, iam diutius expectare, neque ijs promiſſis quæ ipſos toties fefellerant fidem habere ſtatuiſſe, idcircò omnino in patriam redire velle; ſed tamen prius vniuerſo terrarum orbi teſtatum velle, ſe ad hoc non metu quòd hoſtes in aciem prodierant, non periculorum quibus militares viri ſunt ſubiecti, quæ Heluetij ſemper, vt tot exemplis conſtabat, contempſerant, vitandorum ſtudio impelli; quod vt certius cognoſcerent, ſe paratos eſſe die ſequenti collatis ſignis cum hoſte dimicare; eo conſilio vt perendie in patriam redirent: duceret ipſos in hoſtes, alacritatis ipſorum occaſione vteretur; ipſosque in totius exercitus fronte collocaret; ſperare ſe qui longè minoribus viribus Gallicum exercitum in proprijs caſtris ad Nouariam fudiſſent, Hiſpanos quoque in ſuis caſtris debellaturos; qui etſi aſtu, dolis & inſidijs Gallos ſuperarent, tamen vbi animi ferocitate armorumque virtute pugnandum ſit, eos minimè ſuperiores exiſtimarent. Lautrechius quantum ſit periculum hoſtes intra caſtrorum munitiones adoriri animaduertens, hunc furorem temperare eſt conatus; pecuniarum tarditatem, non regis culpa, ſed ex itinerum periculis profectam oſtendens; quæ tamen intra pauciſſimos dies eſſet adfutura; ſed quum illos nec autoritate, nec precibus, nec promiſſis, nec rationibus vllis flectere vel retinere poſſet, potius cum præſertim ipſi primi periculo eſſent obijciendi, maximo incommodo Martis fortunam experiri, quàm recuſando belli vniuerſam rationem prorſus euertere: nam euerti manifeſtum eſſe; ſiquidem pugnæ alea recuſata, Heluetij diſcedere ſtatuiſſent. Hoſtium exercitus ad Bicoccam villam, ad tertium à Mediolano lapidem caſtra habebat: vbi ſuburbanę ædes ſatis amplæ, ac non paruis circumcirca hortis ſeptæ, quorum limites ſunt profundæ foſſę, circumiecti campi fontibus ac riuis illius regionis moræ ad prata irriganda deductis, ſcatēt: ad quem locum Lautrechius Modoetia cum exercitu accedens, & hoſtes cum tam munita caſtra haberent, ad illorum propugnationem permanſuros ratus, eos hunc in modum inuadere ſtatuit: vt Heluetij cum tormentis caſtrorum frontem & hoſtium tormenta, ad cuius loci cuſtodiam erant Germanorum legiones Georgio Fronſpergio duce, oppugnarent: in ſiniſtro cornu Scutus cum trecentis cataphractis & Gallorum atq; Italorum peditum agmine, via quæ Mediolanum ducit, pontem verſus, quò in hoſtium caſtra patebat ingreſſus vaderet: ipſe ſibi cum equitum agmine in illorum caſtra magis arte quàm aperta vi irrumpendi prouinciam ſumpſit: nam vt illos falleret, omnes ſuos rubram crucem Cæſarianis militis notam pro candida, qua Galli milites inſigniuntur, aſſumerent. At Proſper Columna, ob loci munitionem victoriam ſibi certam pollicitus, idcirco hoſtes (vt aiebat) ad foſſam opperiri certus, exercitu, vbi de illorum aduentu certior eſt factus arma capere iuſſo, & ſingulis in loca ſua diſtributis, ſtatim Franciſco Sfortiæ, vt cum populi armata multitudine ad exercitum extemplò veniret, ſignificauit: qui quadringentis equitibus & ſex peditum millibus ad Campanæ ſonitum collectis, ab illo vbi venit ad pontis cuſtodiam fuit collocatus. At Heluetij vbi ad caſtra propius acceſſerunt, etſi ob foſſarum ſupra ipſorum opinionem eminentium altitudinem,

tormenta vt primò sperauerãt adoriri non possent, audacia tamen non ideò imminuta, in fossam magna ferocitate eam superãre conantes impetum fecere : eodemque tempore Scutus pontem versus profectus, cum illum præter opinionem tam magno præsidio munitum inuenisset, retrocedere fuit coactus : nec Prosperum diu Lautrechij latuere dolitideoq; suis vt spicarum herbarum ue manipulos capitibus imponerent mandans, eius dolos irritos fecit: qua propter cum Heluetij qui ob loci iniquitatem, & virtutem defensorum absque vllo fructu maximum detrimentum non modò ab ijs qui in fronte pugnabant, sed & à multis Hispanis sclopetarijs qui in segetibus iam penè maturis latentes ipsorum latera acriter petebant, accipientes laborabant, totum prælij pondus sustinerent: vbi multo sanguine temeritatis suæ pœnas dedissent retrocedere coacti, Gallis coniuncti, omnes simul agminibus instructis & cum tormentis nullo in regressu detrimento accepto Modoetiam redierunt. Piscarius & ceteri duces Prosperum, vt postquam hostes terga dedissent eos persequendi signum daret importunè vrgebant: sed ipse id quod erat, illos integris ordinibus non autem fugientes abire ratus, & à nonnullis etiam qui ipsius iussu quasdam altas arbores conscenderunt ea de re certior factus, se victoriam iam certò partam fortunæ arbitrio committere, vel sua temeritate aliorum temeritatis memoriam delere nolle respondit: crastina lux, inquit, quid hodie sit factum vobis patefaciet: quoniam hostes vulnera vbi deferbuerint magis sentientes, animo fracti alpes transcendent : sic siue periculo consequemur, id quod hodie cum magno periculo adipisci niteremur. Ex Heluetijs ad fossam circiter tria millia ex ijs qui vt fortiores ferociores que promptius sese periculo obijciebant, & viginti duo copiarum præfecti cecidere runt. Ex hostibus pauciſſimi, nec quisquam præter Ioannem Cardonium Culisani comitem, qui sclopi glande per galeam traiectus interijt, alicuius nominis præfectus est desideratus. Sequenti die Lautrechius omni penitus victoriæ spe amissa, Modoetia vt Abduam prope Tretium traijceret castra mouit: vnde Heluetij per Bergomatium fines iter facientes, numero & multo magis audacia, quia certum est illos clade ad Bicoccam accepta ita afflictos fuisse, vt per multos annos consuetam virtutem non ostenderint, imminuti, in montes suos rediere. Discesserunt vnà cum illis Archippocomus, & Galliæ Magnus magister multique alij Gallorum præfecti. Lautrechius cum equitatu Cremonã vt eam vrbem ad defensionem muniret redijt: vnde post paucos dies fratre illic relicto, non victorias vel triumphos, sed sui ipsius defensionem, & in alio pro tanti imperij partim ipsius culpa, partim eorum qui apud regem erant negligentia & imprudentibus consilijs, partim, si licet vera fateri, fortunæ malignitate amissi iactura querimonias referens, trans alpes est profectus. Mandauit quoque Lautrechius antequam Cremona discederet, vt Laudem Pompeiam, quæ toto belli tempore semper regi paruerat, cum sex equitum alis, & idoneo peditum præsidio Bonaualius & Federicus Bozolensis peterent: quoniam Cæsarianis ducibus quo minus statim arma eò conuerterent impedimento fuerat tumultus ab Germanis, qui cum Francisco Sfortia Tridento venerant, menstruum stipendium in victoriæ præmium postulantibus; quod quidem militiæ præfecti non iure postulari aiebant; propterea quòd non idem sit, aliquem se contra impetum hostis tueri, & eum qui inuadit vincere: nec hostes victos dici posse, qui non fugientes, sed aciebus instructis, tormentis atque impedimentis saluis retrocessissent, & tandem Germanorum insolentia, rationem autoritatemq; ducum superãte, se intra certum tempus satisfacturos promittẽtes, assentiri sunt coacti. Sed quum plures dies ea in re insumpsissent, accidit vt eodem die quo Galli equites quos pedites sequebantur, Laudẽ erant ingressi, ab alia parte Cęsarianus exercitus, & ante omnes Daualus cum Hispanico peditatu, antequam Galli excubias inter se distribuissent, imò cũ omnia adhuc cõfusione & tumultu, vt quũ equestres copię aliquod oppidũ hospitij causſa ingrediũtur accidere solet, esset plena, venerit: qua occasione arrepta, Daualus marchio summa celeritate ciuitatis suburbiũ muro cinctũ est adortus: quod quia leuiter defendebatur, paruo labore obtinuit: quocasu Galli, qui in vrbe erãt territi, quia ipsorũ peditatus nondũ erat ingressus, nullo ordine pontẽ quẽ Abduæ imposuerãt fuga petierunt: sed Hispani eodẽ tẽpore in vrbẽ muris aggeribusque

que superatis ingressi, eos ad fluuium vsque multis militibus, & præter Federicum ac Bonauallium, ducibus ferè omnibus in fuga captis, eos sunt persequuti; eodemque impetu miseram illam ciuitatem diripuerunt. Laude, Marchio Picighitonem profectus deditione id obtinuit: & paulo pòst Prosper cum omnibus copijs Abduduam vt Cremonam peteret traiecit; cui vbi exercitum admouit, Scutus ad concordiam inclinauit: nam quum non aliam sustinendi, quàm in Ammirallij aduentu, quem rex eorum quæ adhuc in ea prouincia possidebat tuendorum cupidus, cum quadringentis lanceis & decem peditum millibus in Italiam mittebat, spem haberet, satis rebus suis consulebat, si se periculo non obijciens, quid illius aduentus esset parturus ociosus expectare posset; & vicissim Prosper vt antequam hostium auxilia in Italiam veniissent, Adurnios fratres Genuam reducere niti posset, se citò Cremonensibus rebus explicare cupiebat. Pacti igitur sunt, vt Scutus intra quadraginta dies, nisi ante id tempus quod vigesima sexta Iunij die finem erat habiturum, huiusmodi auxilium veniret: quod vi Padum traijceret, vel vnam ex Insubriæ ciuitatibus in qua præsidium esset, caperet, cum omnibus militibus signis explicatis, & cum tormentis ei abeundi facultate data Cremona discederet; efficeret quoque vt ea omnia quæ regis nomen in Insubria, Mediolani, Cremonæ ac Nouariæ arcibus exceptis tuebantur, relinquerentur: ad cuius rei fidem, quatuor obsides daret. Captiui tunc vtrinque restituerentur, & Gallis tutum cum tormentis fortunisque suis in Galliam iter concederetur. Quibus rebus sic compositis, obsidibusque acceptis, Cæsariani mox Genuam versus castra mouerunt; ad quam duabus ex partibus accesserunt: Piscarius cum Hispanis & Italis peditibus, ad eam partem quæ Codifaria dicitur; Prosper cum equitatu ac Germanico peditatu ad oppositam Bisamnis partem consedit. Genuæ tũc Octauianus Fregosius ducis autoritate præerat; qui princeps equidem præstantissimis virtutibus ornatus, ob iustitiam aliasque insignes dotes tantum in ea ciuitate diligebatur, quantum princeps aliquis in factionibus plena ciuitate, & in qua pristinæ libertatis memoria nondum prorsus in hominum mentibus erat extincta, diligi possit. Is bis mille Italos pedites conscripserat, in quibus solis omnem defensionis spem collocabat; quia populus in partes diuisus, etsi tam potentem exercitum & tam varijs linguis mixtum circa se haberet, ijsdem oculis quibus antea alias molestias in quibus sine illorum qui arma non capiebant periculo, publica autoritate ex vna familia in aliam translata, nulla nisi aliorum in prætorio habitantium, aliorumque præfectorum ac militum ad fori custodiam mutatio cernebatur, aspicere solebat; in ocio rei progressum intuebatur. Exercitu ciuitati admoto dux statim Benedicto Viualdio Genuense ad exercitus præfectos misso de concordia agere cœpit: sed ea res Petri Nauarri, qui cum duabus triremibus à Galliæ rege ad Genuæ præsidium missus eodem tempore portum est inuectus, aduentu nonnihil deferbuit. Sed tamen vbi Daualus mœnia tormentis quatere cœpit, maiori studio ad pacis colloquia redierunt: cumque iam conueniissent, neque vlla difficultas amplius appareret, Hispani pedites qui eo die turrim prope portam quatefecerant, ijs qui intus erant fortasse ob pacis spem negligenter custodientibus, eam occuparunt: & tum per illam, tum per muri ruinam extemplò in vrbem ingredi cœpere: qua propter tota illa exercitus parte occurrente, Marchio acie instructa, & rei successu Prospero indicato signoque dato vrbem occupauit; in qua militibus ciuibusque omnibus aut fugientibus, aut sese domibus includentibus, nulla propugnatio fiebat: Salernitanus archiepiscopus, & præsidij militum dux cum multis ciuibus ac militibus, nauibus conscensis à litore in altum se receperunt: Dux verò ipse, qui ob morbum mouere se non poterat, prætorio occludi iusso sese Piscarij marchionis apud quem non multos menses pòst obijt, potestati tradendum misit: captus fuit Petrus Nauarrus, omnes ciuitatis fortunæ victoribus prædæ fuerunt: multæ diuites familiæ huic aut illi militum cohorti magna pecuniæ summa promissa, illisque vel pignoribus vel mercatorum chirographis cauentes, domos suas à direptione redemerunt. Eodem modo & Catinus ille tam celebris, qui tanta reuerẽtia in augustissimo vrbis tẽplo asseruatur, cõseruatus est: argenteorũ vasorũ gem-

marum, pecuniæ & opulentissimæ supellectilis præda, quòd ciuitas illa ob mercaturæ frequentationem infinitis opibus sit referta, fuit incredibilis. In hoc minus acerba fuit tanta calamitas, quòd Adurniorum fratrum precibus, quia ciuitas nullum hostilis animi inditium dederat, & quia iam composuisse dici poterat, duces vt nullus Genuensis caperetur fieret, & nulla mulier violaretur cauerunt. Dux Genuensibus impositus fuit Antoniottus Adurnius, qui vbi exercitus discessit, cum tormentis sibi à Florentinis commodatis Castelletto obsidione cincto, tertio die Cittadellam & Francisci templum cepit: & sequenti die Castellettum certis legibus à præfecto traditum obtinuit. Genuensium rerum mutatio, Galliæ regi omnem penitus Insubriæ rerum sustinendarum spem ademit; idcirco exercitus postremò ab ipso missus, qui in Astensem agrum peruenerat trans alpes redijt: & Scutus, etsi nonnullarum controuersiarum ob Tretij, Leuci, & Domossulæ arces ortarum causa, aliquot dies vltra præscriptum tempus hæsisset, his tamen expeditis cum copijs in Galliam est profectus: cui non modò fides est seruata, sed etiam in omnibus locis per quæ iter fecit honorificè acceptus fuit. sed dum hæc in Gallia cisalpina geruntur, ob has molestias & pontificis absentiam Bononia non prorsus pacata fuerat, & multo minus Hetruria: Bononiæ enim Annibal Bentiuolus, & cum illo Annibal Rangonius circiter quatuor militum millibus clam collectis, quodam die in aurora cum tribus tormentis ad illam partem quæ ad montes vergit appropinquauit: cumque nullum in ciuitate motum excitari audirent, multi fossam transiuere & scalas mœnibus admouere: sed qui intus erant, & pridie illorum aduentum cognouerant, rumore quum opportunum est visum excitato, & igne tormentis admouere cœpto, multisque contra illos egredientibus, statim tormentis relictis sese fugæ mandarunt: qua in fuga Annibal Rangonius vulnus in tergo accepit. Id Mediceo cardinale conscio tentatum fuisse credebatur; qui ne pontifex vel proprio consilio, vel aliorum suasu, vbi in Italiam venisset, potentiam suam minuere conaretur veritus, vt tanta pontificij imperij iactura perturbatus, non modò alijs rebus quàm se persequendo operam dare, verumetiam ab ipso opem consiliumue implorare cogeretur, cupiuisset. Sed longè diuturniores, & maiores fuerunt Hetruriæ molestiæ ac pericula: vix dum enim Senesi imperio Vrbinatium ducis molestia liberato, & Perusiæ ac Montisfeltrij rebus pacatis, Galliæ rege Volaterrani cardinalis hortatu Rentio Ceriti qui in Latio otiosus agebat, vt Florentiæ statum, Volaterrani Cardinalis, qui se cum suis omnibus regis amicum fœderatumque declararat, fratribus atque nepotibus in eam ciuitatem restitutis immutare niteretur, mandatum fuerat, cuius expeditionis gratia, quia rex tunc in summa pecuniæ angustia erat constitutus, necessaria pecunia, eius certo tempore restituendæ promissione ab rege accepta, ab cardinale explicanda erat. Quæ dum se Rentius ad id comparat, ad Medicei cardinalis aures perlata, ne & Vrbinatium dux moueretur veritus, vt citra iuris quod Florentini & dux in Monsfeltrensis regionis terras haberent, fraudem, dux eius reipublicæ copiarum imperator per annum vnum certò, & alterum vt libitum foret esset, quod tempus proximis Calendis Setembris inciperet, cum illo paciscì coegerunt. Eandem quoque ob caussam Horatium Ballionem ad Florentinorum stipendia, sed ea lege ne eius stipendij tempus ante Iunium mensem, quòd eo vsque Venetis esset obligatus inciperet, conduxit: quæ pactio etsi Malatestam quoque eius fratrem comprehenderet, ab illo tamen non fuit confirmata, quia quum antea pecunias; vt se Rentio Ceriti cum duobus peditum millibus, & centum leuis armaturæ equitibus coniungeret, accepiesset, neque apertè proprio honori deesse vellet, ne vicissim nouis caussis cardinalis ac Florētinorum in se odium prouocaret: quamobrem se in morbum incidisse fingens, duo peditum millia, centum leuis armaturæ equites, & quatuor campestria tormenta Rentio qui ad Plebis castellum venerat, se quo minus ipsemet veniret morbo impediri excusans misit: & cardinali, se nullam deinceps pecuniam ab hostibus stipendij accepti tempore finito pactionem factam confirmaturum; interea verò in ijs quæ ob acceptam pecuniam subterfugere non posset, quammaxima posset moderatione vsurum spem faciebat. Rentius deinde cum

decum quingentis equitibus & septem peditum millibus Senensium fines, ijsdem exulibus qui Vrbinatium ducem erant sequuti, & ipsum sequentibus vt eius reipublicæ statum mutare niteretur est ingressus; quod si successisset, cum ex eo in Florentini imperij viscera eo modo penetrandi facultatem esset habiturus, quin idem in Florentinis rebus effecturus fuisset nemini dubium erat. At Florentini hoc periculo prouiso, & vt hostes Senis non appropinquarent cupidi, omnes copias suas Guido Rangonio quem in hoc tumultu toti exercitui præfecerant duce, in Senensem agrum miserant; hoc consilio vt hostes, quibus pecuniam nisi aliquem felicem successum haberent, mox defuturam certum erat, distinere, eodemque tempore quoad eius fieri posset eis commeatum intercipere conaretur: quocirca ex hostium progressu consilium capiens, modo huic modò illi ex magis vicinis Florentini ac Senensis imperij oppidis præsidio muniendo operam dabat: qua in militum ex vno loco in alium transmigratione accidit, vt dum Vitellij equites Turrita Asinalongam peterent, à trecentis hostium equitibus funderentur; & Hieronymus Populus Vitellij vicarius cum viginti quinque grauis armaturæ equitibus & duobus signis caperetur. Primus Rentij motus in Clusium vrbem antiquitatis & rerum à Porsenna eius rege egregiè gestarum memoria, quàm ob præsentem statum clariorem, fuit: qua, quum quatuor tantùm falconettos (id est tormenti genus non magni) haberet, quibus oppida à militibus defensa expugnare admodum difficile erat, non expugnata, vlterius inter Turritam & Asinalongam, vt Senis appropinquaret est progressus: sed quum inter hostiles ciuitates commeatus penuria laboraret, Turritæ arcem à centum Guidonis Rangonij grauis armaturæ equitibus, & centum ac quinquaginta peditibus custoditam expugnare est conatus; vnde re infecta discedens, iter suum sequutus Montelifrium, & inde ad Rapolani thermas, quæ duodecim à Senis milliaribus absunt, qua in vrbe Florentini iam ab initio Pitiliani comitem constituerant, petijt. At Guido omnia eius consilia diligentia & celeritate anteuertens, eodem die cum ducentis expeditis equitibus exercitu qui sequebatur post se relicto, Senas est ingressus. Quapropter tum auxiliorum propinquitas, tum Rentij existimatio hac in expeditione & apud suosmet & apud hostes valdè imminuta, tum quòd in magnam commeatus penuriam redactus esse sciretur, eorum qui Senis mutationi studebant audaciam repressit; & nihilominus castra quingentos passus ab vrbe posuit: vnde quum nullus motus oriretur, post vnum diem discessit: quo die, sed post eius discessum, Florentinorum copiæ Senas venerunt; & quamuis illum sequi cœpissent, tamen quia multum iam itineris confecerat, eius assequendi spe amissa, expeditis equitibus & nonnullis peditibus qui antea Senis erant, à quibus parum incommodi accepit, illum insequi permissis, ibi constiterunt: sed quum ille fortasse non minus fame quàm timore impulsus celerrimè abiret, tormenta quæ magno eius cum dedecore in hostium potestatem peruenere, in via reliquit. Aquæpendenti, quia Florentinorum copias pontificij imperij fines attingere nolle sciebat tutus, vt exercitum valde imminutum recognosceret, consedit: sed pecunia iam deficiente, & Volaterrano, Montano atque Comensi cardinalibus cum quibus Galliæ regis mandata res suas tractabat ipsum contemnentibus, cum illis paucis copijs quas reliquas habebat, ad Senensis agri maritimam oram, vbi Orbetellum frustra tentauit, diripiendam excurrit: quocirca Florentini qui exercitum suum ad Centinæ pontem, qui in Senensium & pontificij imperij finibus est miserant, exercitum ab Rentio non prorsus dissolui animaduertentes, se eius oppida oppugnaturos minabantur: ideo cardinalium collegium cui hoc incendium intra pontificij imperij fines accendi molestum erat, sese ad pacem quæ omnibus æquè grata fuit, Florentinis quidem, vt sumptum qui sine fructu fiebat vitarent, Rentio autem quia non satis erat paratus, & maiorum virium colligendarum cum præsertim Gallorum res in Insubria declinarent spe carebat, conciliandam interposuit. Quæ pax nihil aliud complectebatur, nisi se inuicem inter Florentinos atque Senenses ab vna parte, & Rentium ab altera non lædendi mutuam promissionem, quæ vt seruaretur, in quinquaginta aureorum nu-

mûm millia fideiussores Romæ sunt dati; & quod ad prædas factas attineret, pontificis cum in Italiam venisset, sententiæ parerent. Lucæ hac ipsa hyeme grauis casus acciderat: quoniam Vincentius Poggius nobili genere natus, & Laurentius Tottus, priuatarum discordiarum colore, aut ambitione potius & egestate impulsi, arreptis armis in curiæ prætorio eius ciuitatis Vexilliferum interfecerunt; deinde per vrbem excurrentes tanto omnium terrore, vt nemo se illis opponere auderet, nonnullos alios ciues aduersarios suos occiderunt: sed tamen vbi primus impetus deferbuit, ijs qui alijs terrori fuerant, ob commissi delicti magnitudinem sibi ipsi timere incipientibus, & multis ciuibus intercedentibus, certis legibus ex vrbe discesserunt: quo facto Lucenses illos vbique terrarum atrocissimè sunt persequuti. Galliæ cisalpinæ Hetruriæque rebus vt dictum est sedatis, sed pontificij imperij cura ob pontificis absentiam & cardinalium dissidia ambitionemque à collegio prorsus neglecta, Sigismundus Pandulfi Malatestæ filius, antiquus Ariminensium princeps, illam ciuitatem ferè solus leui conspiratione in ea facta, occupauit: & quamuis Mediceus cardinalis à collegio rogatus, Bononiam tanquam eius ciuitatis legatus, vt Ariminum recuperaret, & ceteras Aemiliæ res valde perturbatas componeret, Mantuanum marchionem pontificiarum copiarum imperatorem ipsi opem laturum fide à collegio accepta se contulisset, nihil tamen ob pecuniæ penuriam, & quia cardinales illius aduersarij, omnia quæ eius autoritatem augere posse viderentur impediebant, est factum.

DECIMI QVARTI LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DECIMVSQVINTVS.

Pontificis Romam aduentus: Rhodus à Solymanno Turcarũ rege expugnata: inter Carolum V. Venetos, & Adrianum pontificem fœdus: Borbonij ducis ab Galliæ rege defectio: Gallorum in Italiam aduentus: Galliæ ciſalpinæ bellorum ſucceſſus: Adriani obitus: Clementis VII. creatio: inter Clementem & Franciſcum primum Galliæ regem fœdus: Cæſarianorum contra Gallos victoriæ: Cæſaris in Gallia bella: Gallorum trans alpes reditus: Franciſci Galliæ regis in Italiam reditus: Papiæ obſidio: prælium & Regis captiuitas hoc libro continentur.

NOVA contra Gallos victoria, etſi Inſubriæ res pacauerit, non tamen idcirco quin Galliæ rex, quum eius regnum pacatum integrumque eſſet, duces q; & equitatus quos in Italiam miſerat, incolumes redijſſent, breui Mediolanenſe imperium iterum eſſet oppugnaturus, quum præſertim Heluetij vt antea ad eius ſtipendia ſequenda eſſent parati; & Senatus venetus in veteri fœdere permaneret, ſuſpicionem imminuerat: cuius periculi ratione Cæſariani duces exercitum alere, eique ſtipendia perſoluere cogebantur: quod quia neque à Cæſare, neque ex regno neapolitano pecuniam accipiebant, & Mediolanenſe imperium ita erat exhauſtum, vt ipſum per ſe ſolum neque tot milites alere, neque tantos ſumptus ferre poſſet, difficilè admodum erat: idcirco populis & cardinalium collegio fruſtra reclamantibus, maximam copiarum partem in pontificij imperij loca miſerant: cumque Carolus Lanoius tunc recens ob Raimundi Cardonij obitum, Neapoli prorex deſtinatus, Roma iter faceret, vnà cum Ioanne Emanuele vt in tres proximos menſes ſingulis menſibus à Mediolanenſi imperio viginti aureorum numũm millia, à Florẽtinis quindecim, à Genuenſibus octo, à Senenſibus quinque, à Lucenſibus quatuor millia ſoluerentur conſtituit: quam impoſitionem etſi omnes reclamarent, nihilominus ob eius exercitus metum, illis propterea quòd ex illius exercitus conſeruatione Italiæ ſalus penderet neceſſariam eſſe aſſerentibus, omnes fere ſunt coacti: poſt quod tempus iterum, ſed longè minori ſumma imperata. Quo in rerum ſtatu Italia continuis malis oppreſſa, & maiorum in poſterum metu territa, pontificis vtpote inſtrumenti ob pontificiam autoritatem ad multa diſſidia componenda, & multa mala auertenda opportuni, aduentum cupidè expectabat; qui à Cæſare ijſdem diebus mari in Hiſpaniam profecto, quique in itinere cum Angliæ rege loquutus erat; vt ſe Barcinonæ quo ipſemet, vt illum videret, & tanquam pontificem coleret proficiſci volebat, expectaret rogatus; ſiue quòd ob Cæſaris qui adhuc in extremis Hiſpaniæ partibus erat longinquitatem, ne tantum temporis vt ſibi deinde incommodis temporibus eſſet nauigandum tereret, vereretur; ſiue quòd Cæſarem ſuam in Italiam profectionem differre conari ſuſpicaretur; ſiue vt multi dixerunt, ne opinionem de ſe initiò conceptam eum tantopere Cæſari deditum fore, vt ipſi in communi inter chriſtianos pace concilianda, quod in animo habebat, impedimento eſſet, augeret, id facere recuſauit. Romam igitur nauigauit, quam vrbem vigeſima nona Auguſti die maximo populi, & totius aulæ concurſu eſt ingreſſus: & quamuis eius aduentus, quia Roma pontificibus abſentibus, ſolitudini potius quàm ciuitati ſimilis eſt, ſummopere exoptatus eſſet, hoc tamen ſpectaculum quum ſe pontificem natione barbarum, Italicarum & curiæ rerum prorſus imperitum, neque ſaltem ex illis gentibus quæ iam diuturno commercio Italiæ familiares erant habere cogitarent, omnium animos commouit: quarum cogitationum mœſtitiam auxit, quòd peſtis quę Romæ in eius aduentu cœperat, id quod ad eius pon-

tificatus siniſtrum omen referebatur, per totum autumnum, innumeros mortales ſuſtulit. Prima huius pontificis deliberatio fuit Arimino recuperando operam dare; & controuerſias quas Ferrarienſium dux cum ſuperioribus duobus pontificibus habuerat componere; ideò mille & quingentos Hiſpanos pedites, quos vt tutò nauigare poſſet ſecum adduxerat, in Aemiliam miſit. Quibus rebus dum operam dat, Cæſar Venetos ab Galliæ rege diſiungi, magni ad Italiæ ſtatum confirmandum momenti eſſe ratus, & illum Senatum Gallicarum rerum ſpe imminuta, animo ad quietem propenſum eſſe, neque aliorum cauſſa, belli in imperij ſui fines transferendi periculum ſubire velle ſperans, conſilijs cum Anglo rege, qui pecunia prius Cæſari contra Galliæ regem clàm mutuò data, diſſimulatione pòſt depoſita iam apertè in cauſſam deſcendebat, comunicatis, legatos ad Venetos, qui vt fœdus cum Cæſare ad Italiæ defenſionem inirent ab illis peterent, miſerunt: fuerunt autem legati Cæſaris quidem Hieronymus Adurnius, Angli verò Riccardus Pacceus: vbi & Ferdinandi Cæſaris fratris Auſtriæ archiducis, quem quòd multæ inter Venetos & ipſum controuerſiæ eſſent, cuiuis pactioni quæ cum illis fieret intereſſe erat neceſſe, legati expectabantur. Et Angliæ rex fœcialem ad bellum Galliæ regi, niſi trium annorum per vniuerſum terrarum orbem inducias, quibus eccleſia Romana, Mediolanenſium dux, & Florentini comprehenderentur, paciſceretur indicendum; quodque quingentas auri libras, quas ipſi quotannis dare debebat ſoluere deſijſſet, queſtum miſit. Rex ſe inducias factarum negauit, & pecuniam ijs, qui pecunia hoſtes ſuos iuuarent dari minimè æquum eſſe apertè reſpondit: quare odijs inter illos accenſis, legati vtrinque ſunt dimiſſi. Hoc anno Ioannes Emanuellus qui ſumma cum autoritate Cæſaris Romæ orator fuerat, ex Italia diſceſſit; isque in diſceſſu Florentinis chirographum confecit, in quo cum expoſuiſſet Cæſarem quidem ſuo chirographo menſe Septembri anno MDXX. confecto, Leoni pontifici ſe Florentinis ſtatus, autoritatis, & omnium quæ poſſidebant priuilegia, ſex menſes poſt prima comitia, quæ poſt coronam Aquiſgrani acceptam fierent, quod antea intra quatuor menſes poſtquam eſſet electus promiſerat, confirmaturum, denuò conceſſurum promiſiſſe, eum id tunc iuſtis de cauſſis facere non poſſe: quibus rebus expoſitis, & ipſe Ioannes Cæſaris nomine idem repromiſit: quod ſcriptum Cæſar menſe Martio anni MDXXIII. confirmauit; eorumque omnium diploma ampliſſimum tradidit. Cæſar vt ſuprà dictum eſt, hoc anno in Hiſpaniam eſt profectus; vbi complures ſeditionis autores ſeuerè eſt perſecutus; reliquis omnibus condonauit, eosque pœnis omnibus exemit: atque vt cum iuſtitia & clementia grati animi, remunerationisque documenta coniungeret, Ferdinandum Calabriæ ducem, concitatæ multitudinis ducatu recuſato, è Sciatiua arce diſcedere noluiſſe, memoria repetens, magno cum honore illum ad aulam vocauit; eique non multo pòſt Germanam quæ Hiſpani regis vxor fuerat, diuitem quidē, ſed ſterilem, vt in illo Alfonſi ſenioris Aragoniæ regis progenies (nam duo eius fatres ætate minores antea alter in Gallia, in Italia alter ex hac vita migrarant) extingueretur, in matrimonium elocauit. Illud autem hunc ipſum annum ſumma cum chriſtianorum principum infamia infelicem reddidit: quòd ſub eius finem Solymannus Ottomannus Rhodum Inſulā, ab Rhodijs equitibus, antea Hieroſolymitanis nuncupatis cuſtoditam cepit: qui poſtquam Hieroſolymis pulſi fuerant, eo in loco ſedem habentes, etſi inter Turcam & Sultanum tanta potentia principes poſiti, maxima cum ordinis ſui gloria eam diutiſſimè cōſeruarant, & tanquam chriſtianę reipublicæ in illo mari propugnaculum extiterant: etſi quòd dum aſſiduè ad chriſtianæ religionis hoſtium naues deprædandas excurrunt, nonnunquam etiam in chriſtianorum naues licentius incurriſſent, infamiæ notam non effugerint. Circa eam inſulam, ingens exercitus ipſeque Turca multos menſes conſedit, ne minimo temporis momento nunc atrociſſimis oppugnationibus, nunc cuniculis & foſſis, nunc ingentibus ex terra & lignis tumulis, qui vrbis mœnia ſuperarent ab eis infeſtandis deſiſtens; quibus operibus maxima cum ſuorum cæde perfectis, propugnatorum quoque numerus valde erat immunitus, adeò vt aſſiduis laboribus feſſi, & tormentario puluere deficiente, quum magna mœnium parte tormentorum ictibus diruta, cuniculisque multis in locis in vrbem in qua ipſi primis partibus expugnatis

se assiduè magis coarctabant, penetrantibus, tot molestias amplius sustinere non possent, tandem in extremas angustias redacti, cum Turca his legibus conuenerunt: Magnus eius ordinis præfectus ciuitatem dederet: ipse cum omnibus equitibus, & Rhodij incolumes abeundi, & quicquid ferre possent secum auferendi facultatem haberent: Turcarum imperator vt ipsis aliqua ratione cautum esset, classem ex eo mari cedere iuberet; & terrestrem exercitum per quinq; milliaria ab Rhodo remoueret: cuius pactionis vi Rhodus in Turcarum potestate mansit; & christiani fide ipsis non violata, in Siciliam, mox in Italiam nauigarunt: & in Sicilia quidem quarundam nauium classem quæ vt primùm secundum ventum nacta esset commeatũ & tormentarium puluerem, aliaq; necessaria Rhodum veheret, sed pontificis culpa serò nimis instruebatur, inuenerunt: illis autem Rhodo profectis Solymãnus ad maiorem christianæ religionis cõtemptum, in illam ciuitatem eo ipso die qui in Dei filij natalis memoriã celebratur est ingressus; quo die qui in christianorum templis infinitis cantibus & musicis harmonijs celebratur, ipse omnia Rhodiorum templa Christi cultui dicata, in Moscheas (sic illi sua templa apellant) conuertit; suoq; more omnibus christianorum ritibus eiectis, Mahumetis cultui dicauit. Hunc igitur christiano nomini contumelioſum exitum, hunc inter principes nostros discordiarũ fructum tulit annus M D XXII. qui quidem si saltem præteritæ cladis exemplo in posterum docti fuissent, ferri poterat; sed dissidijs inter principes perseuerantibus, minimè minores fuerunt anni M D XXIII. calamitates: cuius anni initio Malatestij se pontificis vires sustinere nequaquam posse animaduertentes, Vrbinatium duce interueniente, se aliquod subsidium quo Pandulfus ali posset accepturos, quod factum non est, spe incerta tamẽ accepta, Arimino & arce cesserunt. Vrbinatium dux postea ad pontificẽ est profectus, à quo illustri Iulij pontificis memoria ei & apud illum & apud maximam aulicorum partem gratiam conciliante, vt censuris absolueretur, & Vrbinatis imperij diploma, sed ne quid in Florentinorum quibus Monsfeltrius traditus fuerat, quiq; se Leoni ad illud imperium tuendum trecenta & quinquaginta aureorum nummũ millia mutuò dedisse, & post eius obitum varijs in locis pro pontificij imperij conseruatione supra septuaginta millia exposuisse aiebant, fraudem fieret exceptione addita, impetrauit. Ferrarienſium quoq; ducem pontifex in gratiam recepit; eiq; non modò Ferrarienſis imperij & eorum omniũ quæ ante bellum ab Leone Gallis illatum ad pontificium imperium spectantia possidebat diploma concessit; verùm etiam cum graui eius vel ministrorum qui ipsius imperitia malè vtebantur nota, Sanctifelicis & Finalis castella, quæ ab illo cum Leoni bellum intulit capta, & deinde ante eius mortem amissa, interregni occasione iterum occuparat, ei permisit. Ferrarienſium dux se ad pontificatum, quotiescunq; ad eius imperij defensionem opus foret, certo militum numero iuuandum obstrinxit; & si quid in posterum in sacrosanctam sedem committeret, grauissimis pœnis, etiam priuilegia & omnia sua iura amittendi subiecit. Non paruam quoq; ei pontifex Mutinæ & Regij restituendi spem fecit. quamuis ab hac sententia rei magnitudine, & superiorum pontificum exemplis macula quæ inde in ipsius nomen redundaret illi postea ostensa, indies magis ab ea sententia discederet. Quo tempore Mediolanensis arx, omnium rerum (pane excepto) penuria pressa, & morbis plena, nisi per totum decimum quartum Aprilis diem subsidium acciperet, deditionem rebus & hominum vita conseruatis est pacta, quo tempore quum pactis stetissent, bonam eorum qui intus erant partem interijsse constitit. Cæsar minimè parua apud Italos cum laude eam Francisci Sfortiæ ducis potestati tradi est assensus: neq; Galli quidquam amplius in Italia præter Cremonensem arcem rebus necessarijs adhuc copioſè munitam possidebant: hi tamen successus eius imperij ab Cæsariano exercitu, propterea quòd stipendia non acciperet, supra modum pressi populorum infelicitatem nihilo leuiorem reddebant: nam quum is exercitus Astam & in Astensium fines se cõtulisset, eandem ob causam tumultu excitato totam regionem Vigeuanum vsq; diripuit: adeò vt Mediolanenses, vt populorum calamitatem periculumq; auerterent, certa stipendia, quorum summa ad circiter mille auri pondo ascendebat, eis promittere fuerint coacti; nec tamen hæc acerbitas eius populi in Gallos odium vlla ex parte mitigabat: illos partim iniuriarum quibus Gallos affecerant, metu; partim spe fore aliquando vt Gallorum metu

1523.

sublato, quia Cæsari non amplius milites in ea regione essent alendi, tot onera cessarent, sustentante. Hoc ipso tempore assiduè de pace inter Cæsarem & Venetos agebatur: quæ ob multa impedimenta quæ oriebantur, & varias moras ab illis interpositas, omnium animos futuri expectatione suspensos habebat. Huius rei moram, ac fortasse etiam difficultates auxit Hieronymi Adurnij mors; qui quum magni ingenij, multarum rerum vsu (etsi iuuenis) esset, eam rem magna autoritate & prudentia singulari tractabat: cuius loco Cæsaris nomine Mediolano missus fuit Marinus Carracciolus Romanæ sedis protonotarius; qui post multos annos à Paulo tertio pontifice in cardinalium collegium fuit cooptatus. Hæc Venetijs, quia ex altera parte Galliæ rex assiduè per suos legatos, maximam vt contrarium suaderet diligentiam adhibebat; & modò literis, modò per proprios homines se mox cum maximo exercitu in Italiam venturum pollicebatur, multos menses sunt agitata: magna enim erat inter patres sententiarum varietas, assiduæq; disputationes: multi enim Gallię regis fœdus, illum citò exercitū in Italiam missurum sperantes, non deferendum censebant: quam spem rex summa diligentia fouere nitens, præter multos alios denuò Rentium Ceritem qui hoc idem polliceretur, & iam omnia parata esse ostenderet, Venetias miserat: alij verò eius regis in rebus perficiendis negligentia ex præteritarum rerum memoria perspecta, illum venturum non credebant: hanc opinionem Ioannis Baduerij ipsorum in Gallia oratoris literæ augebant: is enim Borbonij ducis qui cum iam occultissimè in regem suum conspirasset, Venetos cum Cæsare coniungi cupiebat, verbis credens, Galliæ regem eo anno in Italiam nec venturum nec exercitum missurum affirmabat. Alios Galliæ regis aduersa & Cæsaris secunda fortuna terrebat: tum quòd in Italia Mediolanensium ducem, Genuenses, & Florentinos cum tota Hetruria, quod & pontifex facturus credebatur, Cæsarem sequi, & extra Italiam Archiducem eius fratrem Venetorum imperij finibus propinquum, atque Angliæ regem qui assiduè bellum in Belgis gerebat, Cæsari coniunctos esse viderent. Qua in sententiarum varietate, quæ non minus in Senatus principibus quàm in alijs erat, quum rebus tam ad maturitatem perductis, & Cæsaris legatis vehementer vrgentibus deliberatio differri vltra non posset, Rogatorum consilio tandem hanc ob causam conuocato, Andreas Grittus vir ob grauissimarum rerum administrationem & res præclarè admodum gestas summæ in ea rep. autoritatis, & nominis per vniuersam Italiam atq; apud exteros principes valde clari, in hanc sententiam loquutus fertur:

Etsi animaduerto præstantissimi Senatores, multos fore, qui sine ab Galliæ regis fœdere discedamus suasero, plus in me diuturnam cum Gallis consuetudinem meam, quàm reip. vtilitatem posse, sint existimaturi, non tamen ideo à sententia mea quod boni ciuis est proprium liberè explicãda abstinebo: inutilis est enim & ciuis & Senator is, qui quauis de caussa ab eo, quod ipse reip. commodum esse ducit, alijs suadendo remouetur: quamuis mihi ipse persuadeam, eã suspicionẽ apud prudentes viros minimè locũ habituram: illi enim non modò meos in omni tempore mores & facta ponderabunt, verùm etiam me nihil vel cum Galliæ rege vel cum eius ministris, nisi tanquam vester minister, vestroq; mandato & iussu egisse vnquam cogitabunt: me præterea rationum quæ me in hanc sententiam trahunt momenta, ni fallor, tuebuntur. Quæritur à nobis, num nouum cum Cæsare fœdus, fidei à nobis datæ, & fœderi quod cum Francorum rege habemus contrarium sit ineundum: quod meo quidem iudicio nihil aliud sibi vult, nisi Cæsaris potentiam iam omnibus formidabilem, ita confirmare, vt quum nulla vnquam post hac ratione retineri, deprimiúe possit, continenter ad manifestissimam perniciem nostram crescat. Nullam caussam habemus quam huic deliberationi prætexere possimus: quia rex semper fœdus nobiscũ inuiolatum cõseruauit: quòd si facta ad bellũ in Italia renouandum non tam prompta fuerunt, quum ad id suarum rerum caussa incitaretur, id non aliunde quàm ex impedimentis quæ in Galliæ regno habuit, & etiam num habet manasse perspicuè cernitur; quæ eius consilia quidem differre potuerunt, extinguere autem non poterunt: est enim in eo tam ardens Mediolanensis imperij recuperandi studium, tantaque potentia, vt vbi hos primos hostium impetus sustinuerit, quos quidem facilè sustinebit, nulla illum res quo minus maximas iterum copias cis al-

pes

pes mittat sit remoratura. Vtriusque rei exempla sæpius in Ludouico rege vidimus; qui quum Gallia longè potentioribus armis quàm hæc quæ nunc molestiam ei afferre conantur oppugnaretur, ac ferè vniuersus terrarum orbis in eum conspirasset, virium suarum magnitudine, locorum quæ in finibus sunt firmitate, & populorum fide, facilè his omnibus restitit; cumq; omnes homines illum tantis bellis fatigatum aliquandiu quietè opus habiturum arbitrarentur, repentè maximas copias in Italiam misit. Quid? nónne & hic rex primis regni sui annis, quum nemo esset qui illum quòd nouus in regno esset, quodq; ærarium immensis prioris regis sumptibus exhaustum inuenisset, bellum in alterum annum differre coactum iri non crederet, idem fecit? Hęc itaq; mora nos minimè terrere debet; neq; ad incõstantiam nostram tegendam est satis idonea, quia socius non voluntate sed ingruentibus impedimentis retardatus, alteri socio iustam conquerendi caussam, vel honestum à fœdere discedendi colorem non dat. Hoc à nobis honesti, hoc veneti Senatus dignitatis, sed nec minus vtilitatis, imò nostræ salutis ratio exigit. Quis enim quàm vtile nobis sit, quot periculis nos liberet, quantamque quietem per multos annos rebus nostris pariat Gallorum ad Insubriæ imperium restitutio ignorat? Hoc nos superiorum annorum exempla docent: nam quòd eo hic rex potiretur, in caussa fuit, vt nos qui antè maximis sumptibus ac periculis vix Patauium atque Taurisium tuebamur, Brixiam & Veronam recuperaremus; vt dum ille id regnum tranquillè obtinuit, nos omni imperio nostro summa in pace securitateque potiremur; quæ exempla nos multo magis quàm antiqua Cameracensis fœderis memoria mouere debent; quoniam tunc Galliæ reges quod rationibus non viderant, quantum ex eo quòd à fœdere nostro discessissent detrimentum acceperint, experientia didicerunt: quod etiam procul dubio longè melius hoc tempore cognoscent, quum hic rex æmulum habeat Cæsarem tot regnorum tantæque amplitudinis principem: cuius potentia illum ad societatem nostram expetendam, gratamq; cogit: contra verò Galliæ rege ab Italiæ rebus penitus excluso, in quanto periculo res nostræ essent futuræ, quis non videt? quis non agnoscit? quis enim Cæsarē quo minus Insubriam suam vel fratris propriam faciat prohibere potest? cuius imperij diploma nunquam adhuc Francisco Sfortiæ tradere voluit: quod si (vt luce meridiana clarius est) id efficiendi potestatem habebit, quis est qui de eius voluntate aliquid certi affirmare possit? quis quum Mediolanensis ducatus sit ad totius Italiæ imperium gradus æquitatis honestique rationem, ambitione & omnium magnorum principum propria atque ipsorum naturæ insita cupiditate maiorem in Cæsare vim habituram polliceri possit? Sed fortasse nos hoc metu liberabit eius in Italia ministrorum moderatio & temperantia: atqui omnes ferè sunt Hispani, gens infida, rapacissima, & supra reliquas omnes insatiabilis. Quòd si Cæsar aut eius frater Ferdinandus Mediolano potiatur, quo in statu erit imperium nostrum, ab illis quà Italiam quà Germaniam spectat septum? quod nam nostris periculis remedium sperare possumus? quum regnum neapolitanum in eius sit potestate, pontifex & ceteri Italiæ principes ab illo pendeant; amici verò nostri omnes ita exhausti & viribus attriti vt nullam ab eis opem sperare possimus? si autem Galliæ rex Mediolanensi imperio potiretur, rebus inter duos tantos principes æquatis, qui vnius potentiam metuendi caussam haberet, ob alterius potentiam illæsus pacatusque relinqueretur: imò solus eius aduentus timor reliquos omnes tutos reddit, quia Cæsarianos sese non mouere nulliq; expeditioni implicari cogit; idcirco eorum qui se nisi cum Cæsare faciamus, exercitum in nos conuersuros minantur, leuitas mihi potius ridicula quàm formidabilis videtur; quasi veneto Senatui bellum mouere sit res facilis, & ex qua citò victoria sperari possit; & quasi hæc regem in Gallia distinere posset, ac non potius ad expeditionem cisalpinam incitare: nam cui dubium est nos ab illis prouocatos, necessitate coactos talia regi proposituros, quæ etsi animo ab eo esset alienus, illum tamen vt in Italiam transiret, possent inducere? Nónne hoc ipsum Ludouici regis tempestate accidit, vt iniuriæ nobis ab istis illatæ & proditiones, nos ad eum regem, quum ego exeius captiuo vester legatus sum factus, ita extimulandum coëgerunt vt eo tempore quo à finitimis potentissimè inuadi in Gallia metuebat, exercitum suum, quamuis infelicibus auspicijs in Italiam miserit? Nolite credere Cæsarianos, si nos ad amicitiam suam pertrahendi, vel

Galliæ regis aduentum impediendi rationem, in bello nobis inferendo positam existimarent, ad hunc vsq; diem eius initium dilaturos fuisse; quasi verò duces illorum prædis & bellorum quæstu ditari non cupiant: quasi vt amicam prouinciam oneribus leuarent, ijsque remotis pecuniæ eliciendæ facultatem haberent, exercitum in aliena alere opus non habuerint: sed potentiam nostram obstare quo minus ab eis cogi possimus: atq; è re ipsorum nõ esse, quum bellum à Galliæ rege quotidie metuant, sese alteri bello implicare; vel reip. viribus & pecunia potenti, Gallos magnitudine præmiorum inuitandi causſam præbere, cognouerunt. Dum in his suspicionibus, ambiguitatibusq; versabuntur, Mediolanense imperium sibi non occupabunt; nos nisi inanibus minis offendere non tentabunt: si autem nos illos hoc metu liberabimus, vtrumque erit in illorum potestate; quòd si, vt verisimile est, fecerint, quem nos alium, quàm nosmetipsos accusare, quàm nimium nostrum timorem, pacisq; immoderatum desiderium, iustius poterimus? quæ quidem pax quum suspicionibus liberat, quum periculum non auget, quum quiescendi, & sumptuum minuendorum facultatem adfert, expetenda sanctaq; est; sed quum omnia parit contraria, sub insidioso pacis nomine pernicioſum bellum latet, & salutaris medicamenti specie pestilens venenum. Si igitur nostrum cum Cæsare fœdus rex Galliæ ab Italiæ rebus excludatur, Cæsari Mediolanensis imperij pro libidine sua occupandi, eo occupato de nobis deprimendis cogitandi facultas datur; inde sequitur nos maximo nominis nostri dedecore, huiusq; reip. fidei macula eius principis, cuius ambitio minimè arctioribus limitibus quàm potentia continetur, quiq; vnà cum fratre omne nostrum continentis imperium ad se spectare censeat, amplitudinem emere? & eũm principem, qui sua potentia reliquorum omnium libertatẽ tutam reddit, qui que nobis coniunctissimus esse cogeretur Italia excludere: qui igitur has rationes tam euidẽtes tamq; solidas proponit, is certè partiũ magis quàm veritatis studio, & proprijs cõmodis magis quàm reip. charitate moueri dici non potest: de cuius salute si Deus vestris sententijs tantum felicitatis dederit, quantum sapientiæ huic præstantissimo Senatui tribuit, nobis minimè dubitandum erit. In contrariam verò sententiam Georgius Cornelius patritius pari autoritate præditus, & prudentiæ fama æquè ac quiuis alius in eo Senatu celebratus, huiusmodi habuit orationem.

Magna quidem res P. S. & difficilis admodum est ea quæ nunc in deliberationem affertur; sed tamen quum huius tempestatis principum ambitionẽ perfidiamq;, & quàm illorum natura ab rerum publicarum more, quę non vnius libidine, sed multorum consensu administratæ, maiore in rebus suis moderatione, pudoreque vtuntur: nec vnquam vt illi sæpe faciunt, ab eo quod aliquem iusti honestiq; colorem habet impudenter discedunt, sit dissimilis, intueor, Mediolanense imperium in principis qui nobis potentior sit potestatem venire nobis pernicioſissimum esse non fateri non possum: huiusmodi enim vicinitas, nos in suspicionibus molestijsq; perpetuis versari; & quamuis pace fruamur, ferè semper in belli cogitationibus esse quocunq; tandem fœdere aut pactione cõiuncti cum eo simus, cogit. Huius rei in antiquis historijs innumera exempla leguntur, in nostris aliqua: sed quodnam maius clariusque eo, cuius acerba memoria in omnium nostrũm animis mentibusq; est insculpta? Introduxit hic Senatus Aloysium Galliæ regem in Insubriam, cui infaustæ deliberationi multi ex nobis interfuerunt; fœderis fidem quamuis ingentibus præmijs ab Hispanis & Germanis varijsq; oblatis occasionibus, vt ab eo discederemus solicitati, & quamuis multa sæpe ab illo contra nos agitari certò sciremus, ei semper incorruptam seruauimus. Eius verò animum tanta nobis nocendi libidine incensum, vt tandem hanc ob causſam veteribus acerbissimisq; hostibus suis reconciliatus, pernicioſissimum Cameracense fœdus contra nos percuteret, non acceptum beneficium, non data fides, non deniq; tot nostra perpetua in eum officia flectere potuerunt. Quocirca ad pericula quæ rebus nostris ex magnorum principum insidiosa & fraudulenta vicinitate assiduè imminerent vitanda cogimur (nisi fallor) omnia nostra consilia ad hunc finem dirigere, vt neq; Gallius, neq; Germanus, sed vel Franciscus Sfortia, vel quiuis alius qui maiora regna imperiaũe non habeat Mediolanensi imperio potiatur, ex quo nunc securitas nostra pendet, & in posterum si præsentium temporum status mutaretur, magnum imperij nostri incrementum oriri posset. Agitur à nobis, vtrum

vtrum cùm Galliæ rege amicitia ſit conſeruanda, an cum Cæſare fœdus faciendum; horum alterum Franciſcum Sfortiam à Mediolanenſi imperio prorſus excludit, & Galliæ regi principi nobis tanto potentiori ad id aditum patefacit: alterum ad Franciſcũ Sfortiam in eo imperio confirmandum & cõſeruandum ſpectat; quem Cæſar vt præcipuum in hoc fœdere proponit; eiusq; conſeruationem Angliæ regi promittit: quare ſi illum eo imperio ſpoliare niteretur, non modò nobis & ceteris Italiæ principibus iniuriam faceret, & animum ad Gallos conuertendi cauſſam præberet, verùm etiam Angliæ regi, cuius vt omnibus notum eſt maximam rationem habere cogitur: & omnes Inſubriæ populos Franciſci Sfortiæ ſtudioſiſſimos in ſe prouocaret; ſicq; ſeſe multis periculis difficultatibusque, & maximæ infamiæ ſubijciens, fidem ſuam violaret: cuius ab illo contemptæ, quod equidem de Gallis dicere non poſſumus, nullum ad huc ſignum vidimus: imò quum poſt Leonis pontificis obitum, Franciſcum Sfortiam in illud regnum reſtituerit, arces paulatim vt captæ ſunt, & poſtremò contra multorum opinionem Mediolanenſem quoque ei tradiderit, contraria fidei ſuæ inditia dediſſe dici non poteſt. Quin igitur non id potius conſilium per quod noſtri propoſiti compotes fieri poſſumus, quã illud per quod manifeſtè à propoſito fine longius abducimur, ſequi contendimus? At reipublicæ magis periculoſum fuerit, Inſubriam in Cæſaris quàm in Galliæ regis poteſtate eſſe; quòd is rex ob Cæſaris potentiam eiusque æmulationem ferè in noſtro fœdere perſeuerare cogeretur; in Cæſare verò tum ob potentiam, tum ob id quod ipſe & frater ſe in noſtrum imperium ius habere cenſent, ſecus omnino ſe res habet. Eos qui ſic de Cæſare ſentiunt, equidem magnorum principum natura amoreq; perſpectis, minimè falli credo. Vtinam non fallerentur ij qui idem de Galliæ rege non ſentiunt. Multa ex ijs quæ allata ſunt in ſuperiorem regem quadrabant, & nihilominus maiorem cupiditas & ambitio quàm honeſti & propriæ vtilitatis ratio vim habuerunt: Qui quòd illæ cauſſæ quæ eum nobis amicum conſeruare deberent, perpetuæ non ſunt? ſed pro rerum humanarum natura ſingulis momentis variationi obnoxiæ? nam & Cæſar vt reliqui homines morti eſt obnoxius; & quemadmodum multi principes qui illo maiores fuere, varijs fortunæ caſibus ſubiectus; & quamdudum eſt, quum vniuerſa Hiſpania in eum concitata, miſeratione potius quàm inuidia dignus videbatur? ac ſaltem hæc pericula non tantum inter ſe differunt, quantum ea ſententia, qua à propoſito fine citra controuerſiam adducimur, ab ea qua ad ipſum ſcopum propius ſaltem accedere licuiſſet. Præterea hæ rationes futurum & longinquum tempus ſpectant; ſed ſi præſentem rerum ſtatum intueamur, dubium non eſt, quin Cæſaris ſocietate reiecta, in maiores nunc moleſtias ac pericula incidamus: nobis enim à Galliæ rege diſiunctis, illum ad meliora tempora & occaſiones bellum dilaturum credibile eſt: quod ſi cum illo fecerimus, fieri poſſit, vt ſe ad bellum gerendum ſtatim conuertat, quæ res neceſſariò nobis moleſtias ſumptusq; adferet: ſed qua in parte belli exitus ſit nobis periculoſior futurus videamus. Si cum Cęſare fœdus inierimus, victoria ferè certa ab hac parte ſperari poteſt; quod quidẽ aut ita ſperare cum Gallo coniuncti poſſumus: & nobis cum Cæſari coniunctis, regis victoria non ita periculoſa foret, atq; in contraria parte; quia tunc omnia victoris arma in nos conuerterentur; & Cæſar ad Inſubriam occupandam non modò minore fræno, & minoribus impedimẽtis retineretur, ſed ad id premendũ cogeretur. Ad id verò quod de fœderis vinculo obijcitur, facilis eſt reſponſio: nos enim Gallię regi ad ea quę in Italia poſſidebat tuenda, non autem ad amiſſa recuperanda auxilia promiſimus: non hoc fœderis noſtri tabulæ loquuntur; nec eædem nõ tenent rationes: nos quod debebamus tunc præſtitimus, quum Mediolano illorum negligentia ab hoſtibus capto, maiorem noſter quàm Gallicus equitatus cladẽ accepit: præſtitimus, quum Lautrechio cum Heluetijs redeunte, noſtra illi auxilia miſimus; exceſſimus autem quum tot menſes vana eius ſpe ac promiſſis freti, eius exercitum expectauimus. Si eum voluntas retinet, cur eius culpæ pœnam ſubire quærimus? Si neceſſitas, nónne hæc ſola ratio etiam ſi teneremur, ſatis eſt ad nos culpa liberandos? Quid amplius cum nos primi derelicti fuerimus, Galliæ regi debeamus, ignoro. Quid vltra ſocius ſocio debeat, quidúe illi pericula noſtra prodeſſe poſſint, neſcio. Cæſarianos duces bellum contra nos nunc meditari non affirmo; ſed neque contrarium affirmare auſim; cum eorum in milite in aliena regione

alendo neceſſitatem mecum reputo ; ſpem qua forte tenentur, nos hac ratione in fœdus ſuum pertrahi poſſe, præſertim ſi Galliæ rex non ſit venturus : de quo qui dubitat, meo quidem iudicio haud ſine ratione dubitat, ob eius gentis negligentiam; quòd pecunia deſit; quòd bellum trans alpes cum duobus magnis principibus habet; nec qui hac in re legato veſtro fidem habent, reprehendi poſſunt: Legati enim & oculi & aures regnorum ſunt: ſed vt dicendi finem faciam, illud ipſum in quo meæ orationis ſumma continetur, repetam : nobis videlicet ſummopere enitendum eſſe, vt Franciſcus Sfortia Mediolanenſi imperio potiatur : ex quo ſequitur, id conſilium quod nos ad eum finem perducere poteſt, eo quo prorſus ab hoc excludimur, vtilius eſſe.

Duorum tantæ prudentiæ virorum autoritas rationumq; momenta, ſenatorum animos magis dubios quàm certos reddiderãt; quare Senatus, tum ſua natura, tum rei magnitudine, tum Galliæ regis actionũ progreſſum cognoſcendi, deſiderio, & multis difficultatibus quæ ex pace cum Archiduce neceſſariò oriebantur, inductus, rem quantum poterat protrahebat. Augebat quoq; in illorum animis ſuſpenſionem, quòd Galliæ rex ſe ſollicitè ad bellum comparans, Baiocenſem epiſcopum, eos vt per totum proximum menſem, ſe ante eius finem, cum maiori exercitu, quàm illa ætas vnquam in Italia vidiſſet, venturum aſſerens, deliberationem protraherent rogatum miſerat: qua in ambiguitate dum verſantur, Antonio Grimanno eius ciuitatis duce defuncto, in eius locum ſuffectus eſt Andreas Grittus, qui Gallicis rebus potius obfuit, quàm ſecus: quoniam ipſe in eo gradu collocatus, deliberatione patribus prorſus permiſſa, nũquam deinceps vel verbo vel facto ſe vllius partis ſtudioſum oſtendere voluit. Tandem verò, quum rex aſſiduè alios homines cum maximis promiſſis ad Senatum mitteret, & Anna Memorantius qui poſtea Galliæ equitum magiſter creatus eſt, ac Federicus Bozolenſis eandem ob cauſſam aduentare dicerentur, Cæſariani & Angli oratores, quibus mora erat ſuſpectiſſima, ſe poſt tres dies rebus omnibus infectis diſceſſuros ſunt conteſtati. Quamobrẽ Senatus ad aliquid decernendum coactus, & quòd tot menſes ipſos Gallus vana ſpe fouiſſet, ac multo magis ijs quæ ipſorum apud eum legatus affirmabat, Galliæ regis promiſſorum fidem eleuante, Cæſaris amicitiam amplecti ſtatuit: cum quo his legibus pepigit fœdus: Inter Cæſarem, Ferdinandum Auſtrię archiducem, & Franciſcum Sfortiam Mediolanenſium ducem ab vna parte, ac venetum Senatum ab altera, perpetua pax & fœdus eſto : Senatus vbi opus fuerit ad imperij Mediolanenſis defenſionem ſexcentos grauis, totidem leuis armaturę equites & ſex millia peditum mittito: idem ad regni neapolitani (ſed hoc ſi à chriſtianis bellum inferatur, quia Veneti ne Turcarum arma in ſe prouocarent exceptionem addi voluerunt) defenſionem facito: ad idem & Cæſar, pro omnium quæ Veneti in Italia poſſiderent contra quemuis defenſione tenetor: Archiduci octo annorum ſpacio, ob veteres controuerſias & pacem Vormatiæ factam ducenta aureorum numûm millia ſoluunto: quibus rebus conſtitutis, Senatus Theodoro Triultio iam à ſtipendijs ſuis remoto, Franciſcummariam Vrbinatium ducem ijſdem legibus copiarum ſuarum omnium imperatorem creauit. Communis ferè omnium per vniuerſam Italiam opinio fuit, Galliæ regem, quum ea auxilia quæ ipſi antea propitia eſſe debebant, ſibi contraria fore cerneret, à bello in Inſubria gerendo eo anno quieturum; ſed tamen quum pòſt non modò in apparatibus perſeuerare, verùm exercitus iam moueri audiretur, qui eius victoriam formidabant, nouum inter ſe, vt ei obſiſterent, fœdus inierunt, pontifice vt eius fœderis caput & princeps eſſet inducto. Pontifex communis pacis ſtudioſus cum primùm in Italiam venit, Cæſarem, Gallum & Anglum, vt ſecundis Turcarum ſucceſſibus perſpectis arma chriſtianæ reip. tam pernitioſa deponerent, & ſin guli ſuos oratores in his negotijs ampliſſima cum autoritate Romam mitterent petiuerat: quod ab omnibus vt videbatur promptè factum eſt; ſed rebus poſtea diligentius tractari cœptis, labores irritos eſſe ſtatim eſt animaduerſum: quia in pace concilianda innumera inueniebantur impedimenta: breues induciæ, præter quòd ferè inutiles videbantur, Cæſari non placebant; longas autem Gallus reijciebat: quare pontifex, ſiue veteri erga Cæſarem beneuolentia in eo excitata, ſiue Galliæ regis cõſilia à pace alienaratus, plus conſueto, ijs qui ne illum regem Inſubria iterum potiri pateretur eum hortabantur, aures accomodare cœpit. His de cauſſis Mediceus cardinalis qui antea æmulorum ſuorum

rum & præcipuè Volaterrani cardinalis,cui pontifex magnam fidem habere videbatur, vexationem metuens,Florentię agebat,animum resumens,Romam à tota ferè aula maximo honore acceptus,venit:vbi vnà cum Suessano duce Cæsaris legato,& cum Anglię regis oratoribus, huic ipsi caussæ apud pontificem studebat. Quo tempore Volaterrani cardinalis aduersa fortuna,quæ ferè semper eius prudentiam,calliditatem,& artes perturbabat, ei damnum ac periculum, Mediceo autem cardinali maioris gratiæ autoritatisque sibi apud pontificem,qui prius erga Volaterranum, quia calliditate sua & verbis non minus vehementibus quàm ornatis, se communis christianæ reipublicæ pacis admodum studiosum esse ei persuaserat, valde propensus erat,conciliandæ aditum patefecit. Nam cum Suessani ducis opera,Franciscus Imperialis exul à Sicilia qui in Galliã proficiscebatur Castellonoui prope Romam captus fuisset,sunt apud illum inuentæ Volaterrani ad Santonum episcopum nepotem suum literæ,quibus Galliæ regem ad Siciliam insulam classe adoriendã accendebat;propterea quòd Cęsaris armis ad eam tuendam conuersis, ipsi Insubriam occupare facilius esset futurum: quamobrem pontifex admodum miratus, seque eius artibus delusum existimans,à Suessano quoque duce & Mediceo cardinale vehemẽter incitatus,illum ad se vocatum in Angelica arce custodiri iussit:deinde iudices qui de illo velut pontificiæ maiestatis violatæ reo,propterea quòd Galliæ regem, ad Siciliam cuius insulæ supremum ius ad pontificium imperium spectaret,armis oppugnandam esset hortatus, quæstionem haberent constituit: qua in re etsi mitius actum cum eo sit, & quæstionibus habitis, eique per caussidicos & procuratores defendendi sui potestas data fuerit, non tamen eadem in bonis eius moderatio est adhibita:eodem enim die quo cardinalis est captus,pontifex omnes quæ in eius domo erant opes occupauit. Eiusdem quoque Imperialis captiuitate coniuratio,quæ pro Galliæ rege in Sicilia conflabatur, est detecta: cuius caussa Cameratæ comes, Magister Portulanus,& eius insulæ quæstor in partes dissecti fuerunt. Quas ob res pontifex tanto magis in Galliæ regem commotus, & quotidie cum Mediceo cardinale consilia agitans, tandem Gallorum aduentus fama quotidie magis crescente, quum sese illis opponere statuisset,in pontificum collegio consueto periculorũ à Turcarum principe imminentium exordio facto, Galliæ regem solum in caussa esse,vt tantũ periculum à christianæ reip.finibus non arceretur exposuit:propterea quòd is inducij,quę tractabantur, pertinaciter assentiri recusaret: cumq; sui,vtpote Christi vicarij & Apostolorũ principis successoris muneris esset, quantum posset vt pax cõseruaretur prouidere,se communis salutis studio, cum ijs qui in id vt Italiæ status non turbaretur, quòd ex eius quiete vel perturbatione totius terrarum orbis quies aut perturbatio oriretur, incumbebant facere,cogi. Itaque hanc sententiam sequutus,quum neapolitanus prorex eam ob caussam Romam venisset,tertia Augusti die, inter pontificem,Cæsarem,Angliæ regem,Austriæ archiducem,Mediolanensium ducem,& Mediceum cardinalem vnà cum Florentino imperio;item Genuenses,fœdus ad Italiæ propugnationẽ est ictum;& societas quę socijs viuis & annum vnum post singulorum mortẽ staret, cõstituta: alijs omnibus dummodo à pontifice, Cæsare, Angliæ rege & Archiduce admitterentur,& se suas controuersias iure non armis disceptaturos cautionem darent, sese adiungendi locus est reseruatus. Vti exercitus qui bellum cuiuis sociorũ in Italia inferenti opponi posset colligeretur:ad quem pontifex ducentos grauis armaturæ equites, Cæsar octingentos, Florentini ducentos,Mediolanensiũ dux 200, & todidem leuis armaturę attribueret. Põtifex, Cæsar & Mediolanensium dux,tormenta & omnem eorum apparatũ suppeditarent: ad pedestres copias cõscribendas aliosq; sumptus in bellis necessarios faciendos, põtifex singulis mensibus 20 aureorũ numũm millia daret;todidẽ Mediolanensiũ dux, & Florẽtini:Cæsar 30 millia, Genuenses,Senenses & Lucenses simul 10 millia:ita tamẽ & Genuenses classem atq; alios ad suã ipsorũ propugnationẽ necessarios sumptus facere tenerentur:ad hanc verò pecuniã omnes per tres menses, & tanto diutius quantũ pontifici, Cęsari & Anglię regi visum esset persoluerẽt.In põtificis & Cęsaris potestate esset totius belli imperatorẽ eligere,q vt neapolitanus prorex esset,Mediceo cardinale,cuius apud Cęsarianos summa erat autoritas,ob odiũ quo in Prosperũ Columnam flagrabat,præcipuè in id adnitente agebatur. Huic fœderi extra ordinẽ adiunctus fuit Mantuanus mar

chio,quem pontifex ac Florentini cõmunibus ſumptibus copijs ſuis omnibus præfecerunt.Sed neq; Venetorũ cum Cæſare contracta ſocietas, neq; tot principum cum tantis apparatibus fœdus,Galliæ regis ardorẽ mitigarunt:is enim Lugdunũ profectus,ſe vt cũ maximis copijs in Italiam vbi iam ad illius aduentus famã noui tumultus exoriri incipiebant veniret, cõparabat; & Leonellus Alberti Pij frater Carpium,ab Ioanne Coſſia quẽ Proſper Columna, cui Cæſar, Alberto velut Imperij Rom.perduelle eo ſpoliato,id oppidum donauerat, ei præfecerat,negligenter cuſtoditum,furtim recuperauit. Sed grauioris periculi circa Mediolanum res accidit: dum enim Franciſcus Sfortia Modoetia Mediolanum mulæ inſidens veniret, eiusq; præſidij equites, vt conſueuerãt,quo principi puluis qui æſtiuis temporibus maximus ab equitibus in Galliæ ciſalpinæ planis locis excitari ſolet,minus obeſſet, nonnihil ab eo longius procederent,Bonifacius Vicecomes, iuuenis magis familiæ ſplendore quàm diuitijs,gradus dignitate, aliaúe re notus, odio ex Monſignorini Vicecomitis qui ante paucos menſes Hieronymi Moroni opera, nõ ſine(vt credebatur)ducis voluntate,Mediolani interfectus fuerat, morte cõcepto,permotus, quum Turcico inſidens equo prope illum eſſet,vbi ad quadriuiũ peruenerunt, equo in eum concitato,pugione caput eius petens eſt adortus;ſed mula ſeſe metu commouente, nec equo præ ferõcitate conſiſtente,& Bonifacius ſua & equi proceritate ſuperemineret, non caput principis,vt voluerat, ſed humerum ferro percuſſit: quo facto, gladium vt aliud ei vulnus infligeret ſtrinxit;ſed vulnus leuiſſimũ fuit vtpote cæſim inflictum: cumq; multi iam accurriſſent,in fugam ſe, equitibus præſidiarijs inſequentibus coniecit;ſed equi pernicitate præcurrens,in Taurinos incolumis euaſit.Facinus equidem ſi audaciæ atq; induſtriæ fortuna reſpondiſſet, eiuſmodi, vt rarò ſimile & fortaſſe nunquam contigerit; vt aliquis ſolus meridie,in publica via,tantum principem, tot armis militibusq; ſtipatum, in ipſis imperij ſui viſceribus occidiſſet,incolumis aufugiſſet.Dux vulneratus,quũ quin aliquaMediolani coniuratio eſſet facta ſibi perſuadere non poſſet, Modoetiam redijt: Mediolani verò Proſper & Moronus eiuſdem ſuſpicionis cauſſa ſtatim Alexandrinum epiſcopum Monſignorini fratrem cuſtodiæ tradiderãt; qui quum ſe ſponte Proſperi fidei cõmiſiſſet, quæſtionibus habitis,pòſt in Cremonenſem arcem, hominibus vtrum huius facti cõſcius fuiſſet nec ne diuerſum ſentientibus, captiuus eſt miſſus. Per eos ferè dies accidit, vt Galeatius Biragus cum alijs Inſubriæ exulibus, & cum aliquot Gallorum militum,qui iam in Taurinis erant ope,ab Valentinæ arcis præfecto natione Sabaudo in ciuitatem introductus fuerit:quo audito, Antonius Leua, qui cum expeditorum equitum & Hiſpanorum peditum parte Aſtæ erat, illico eò contendit: quumq; ciuitas quod hoſtes ob temporis exiguitatem facere nõ potuerant,minimè eſſet munita,tormentis collocatis altero die eam expugnauit:pòſt arce pulſata,eam pariter cepit:in vtraq; expugnatione viri circiter quadringenti ſunt cæſi; & multi, inter quos fuit Galeatius ipſe huius motus princeps,capti. Gallicus exercitus interea continenter alpes tranſcendebat; quem rex ſequi conſtituerat: eius verò conſiliũ Borbonij ducis detecta coniuratio turbauit: is enim quum & regiæ ſtirpis nobilitate,& principatus amplitudine, & Magiſtri equitum dignitate,nec non virtutis ſuæ clariſſima fama, omnium totius Galliæ principum maximus,maximæque autoritatis eſſet, tamen iam à multis annis regi minimè erat acceptus; idcirco nec ad eos gradus promouebatur, nec ad ea arcana conſilia admittebatur, quibus tanta amplitudo digna videbatur: his quoq; acceſſerat,quòd regis mater veteri quodam iure excitato in eum in Pariſienſi foro actionem intenderat,qua ab eo eius principatum repetebat:is igitur vbi nullum ab rege huic rei remediũ adhiberi animaduertit,indignatione plenus, Beureni ſummi Cæſaris cubicularij,cuiq; plurimum Cęſar confidebat opera,ante paucos menſes cum Cæſare & Angliæ rege occultiſſimè cõſpirauerat; ea lege vt quo res arctiori vinculo firmarentur, Cęſar ei Eleonorã ſororem ſuam,Emanuelis Luſitaniæ regis morte viduam relictã,in matrimonium locaret.Ipſorũ conſilia eo fundamento nitebãtur, quòd Franciſcus rex ipſemet ad bellum proficiſci ſtatuiſſet: qua in ſententia vt permaneret, Angliæ rex ſe eo anno Galliam non infeſtaturum ei artificiosè ſpem fecerat: Borbonius quamprimum rex alpes ſuperaſſet, cum duodecim peditum millibus,qui Cæſaris & Angliæ regis ære occultiſſimè colligebantur, in Burgundiam irrumpere conſtituerat, nec ob regis

gis abſentiæ occaſionem, & ſuam in tota Gallia gratiam, quin maximum progreſſum eſſet habiturus dubitabat. Ex ijs quæ occuparentur, Prouinciam ſibi, Comitis Prouinciæ appellatione in regis nomen commutato, retineret: cuius dominatum iure ab Andiouinis repetito ſibi arrogabat: reliqua omnia Angliæ regi cederent. Quamobrem ne regem in Italiam ſequi cogeretur, Molinij quod eſt Borbonij præcipuum oppidum, ſe in morbum incidiſſe ſimulauit; quò cum rex ad quem iam aliquod huius conſpirationis leue indicium peruenerat, Lugdunum proficiſcens, veniſſet, alios ſibi hanc ſuſpitionem inijcere conatus minimè diſſimulans, eius virtutis ac fidei toties expertæ opinionem apud ſe vim habere maiorem, quàm quorundam ſermones oſtendit: Dux verò quòd tanta libertate & animi candore ſecum egiſſet, gratias cùm regi ampliſſimis egit verbis, tum Deo qui ſibi eiuſmodi regem conceſſiſſet, cuius grauitatem falſæ delationes & calumniæ minimè poſſent commouere; ſe quamprimùm (quod obmorbi leuitatem, intra pauciſſimos dies fore ſperabat) conualuiſſet, Lugdunum vt illum quocunque iret comitaretur, venturum promiſit. At rex vbi Lugdunum peruenit in Burgundiæ finibus Germanum peditatum colligi certior factus, hacque ſuſpicione prioribus inditijs, & quibuſdam literis quæ clariorem notitiam adferebant interceptis addita, Sanualerium, Boyſium Palitiæ fratrem, regiorum tabellariorum magiſtrum, & Autunenſem epiſcopum, coniurationis conſcios in carcerem duci imperauit, & illicò Magnum regiæ magiſtrum cum quingentis equitibus & quatuor peditum millibus Molinum ad Borbonium capiendum miſit: at ſerò; quoniam ipſe iam id ſuſpicatus, & itinera cuſtodiri veritus, mutata veſte occultiſſimè in eam Sequanorum partem quæ Francus comitatus dicitur tranſierat. Hac igitur tam graui de cauſſa motus rex, à profectione ſua ſuperſedere ſtatuit: ſed tamen copiarum ad nouum bellum paratarum parte apud ſe retenta, Boniuetum Ammirallium, cum mille & octingentis cataphractis, ſex Heluetiorum, duobus Rhetorum, duobus Valleſiorum, ſex Germanorum, duodecim Gallorum, & tribus Italorum peditum millibus in Italiam tranſire iuſſit: cum quo exercitu quum alpibus ſuperatis ad Mediolanenſis imperij fines veniſſet, ſe Nouariam petere velle oſtēdit: quare illa ciuitas, nec militibus, nec alia re ſatis munita, Mediolanenſium duce aſſentiente, & arce eius nomine retenta, deditionem fecit: idem eandemque ob cauſſam Vigeuanum fecit: ex quo omnes ea regio quæ vltra Ticinum amnem eſt, in Gallorum poteſtatem venit. Proſper Columna diuturno iam morbo detentus, Galliæ regem Venetis contra illum facientibus, & poſt Borbonij ducis coniuratione patefacta, in Mediolanenſis imperij eo anno inuadendi ſententia permanſurum non crediderat: idcirco milites per varia loca diſtributos, non ea qua opus erat diligentia & celeritate collegerat; neque res contra tantum motum neceſſarias comparauerat: iam verò hoſtibus appropinquantibus totus ad hoſtes Ticini tranſitu prohibendos, quoniam quid ſibi contra Lautrechium ad Abduam ſucceſſiſſet oblitus, tam certò ſibi pollicebatur, vt Mediolanenſium ſuburbiorum propugnaculis aggeribusq; , quorum maxima pars quod neglecta fuiſſent ferè corruerat, inſtaurandis nullam curam adhiberet, intentus, copias diligenter conuocabat, exercitumq; ad fluuium inter Abiate, Bufalorium, & Turbicum loco ad id cōmodo, & Papiæ ac Mediolani opportuno colligebat. Galli verò qui Vigeuanum venerant aquis depreſſioribus, quàm Proſper exiſtimaſſet repertis, pars vado, pars nauibus quatuor milliaria procul à Cæſarianorum caſtris ponte etiam ad tormenta tranſuehenda in loco, vbi nec præſidium nec vllum impedimentū inuenerunt facto, traijcere cœperunt: itaq; Proſper totam belli gerendi rationē hoc inopinato caſu mutare coactus, ſtatim Antonium Leuam cum centū cataphractis & tribus peditum millibus ad Papiæ cuſtodiam miſit; ipſe cum reliquo exercitu Mediolanū conceſſit; vbi ducum concilio habito, omnes vna voce in hanc ſententiam venerunt: Mediolanū nulla ratione ſi Galli ſine mora venirent defendi poſſe: propterea quòd ſuburbiorum munitiones poſt bellum neglectę maxima ex parte corruiſſent; nimia enim Proſperi illos ſe Ticini tranſitu prohibiturum fiducia, vt illis inſtaurandis operam non dediſſent in cauſſa fuiſſe: nec minori quàm trium dierum ſpacio eò vt defendi poſſent perduci poſſe: quocirca id conſilium capiendum eſſe, quod vtrumque euentum ſpectaret, hoc eſt ſumma diligentia munitioni incumbendum, & nihilominus

si Gallî primo,secundo, vel tertio die venirent, discessum, vt si Papiensi itinere venirent Comum,si Comensi,Papiam se recipere possent,adornandum.Sed Gallorum aduersa fata,mentibus illorum,vt aliàs quoque fecerant,occęcatis,illos tanta occasione vti non permiserunt:nam siue socordia,siue vt totum exercitum cuius minimè exigua pars à tergo manserat,colligerent,tres totos dies ad Ticinum amnem hęserunt:vnde pòst,omnes inter Mediolanum,Papiam & Binascum collecti,ad Sanchristophorum ad primũ à Mediolano lapidẽ inter Ticinensem & Romanam portã venerũt:& cõplanatis locis,tormẽtisq; in primo agmine collocatis,se ciuitatem oppugnare velle finxerunt;& tamen nulla re tentata,eo in loco sunt metati: ex quo paucis diebus pòst profecti, ad Claraualleńse cœnobium castra locarunt; quo ex loco quia tunc Mediolani pręter multitudinẽ armis instructissimã,in quo vetus in Gallicum nomen odium vigebat, erant circiter octingenti grauis ac totidem leuis armaturæ equites; & quatuor Hispanorũ peditum millia, sex millia & quingenti Germani, & tria Italorum millia, potius de obsidione quàm de oppugnatione cogitantes,molas corruperunt,& vrbi aquam ademerunt. In hoc rerum statu Adrianus pontifex quartodecimo Septembris die, non sine sociorum,quibus pręter pontificiam autoritatem,pecuniaria quoq; cõtributio,quam fœderis lege debebat,defuit incommodo, è viuorum numero decessit. Obijt autem parua sui siue ob temporis quo regnauit breuitatem, siue quòd rerum esset imperitus opinione relicta;& cum totius aulæ(vtpote quę vel Italum,vel saltem in Italia educatum hominẽ in ea sede videre cuperet)incredibili voluptate.Pontificis morte,pontificij imperij ciuitates,in quib.iam ante eius ægritudinem,paruę quædam futuri incẽdij,quod nisi partim casu partim aliorum diligẽtia ei occursum fuisset,vel ipso viuente augeri poterat,scintillæ apparere cœperant,perturbari cœperũt:nam quum pontificũ collegiũ, ante pontificis in Italiam aduentum, Regij & Ruberiæ custodiam Alberto Pio cõmisisset,ipse adhuc illorum locorum arces Adriani vt eas restitueret postulatis, ex eius imperitia occasione sumpta, per multos menses varijs coloribus & diuersis excusationibus elusis, retinebat. Erat quoque ab eodem Alberto cum Rentio Cerite constitutum, vt vbi primùm belli initium apparuisset, Rentius cum aliquot equitibus & multis peditibus Ruberiæ hæreret,vt eius loci opportunitate Romanam viam inter Mutinam & Regium, quo pecuniam & alia quæ Roma, Neapoli,& Florentia, Mediolanum mittebantur interciperet; & pro vt occasio sese daret,ad maiora progrederetur,excursionibus infestaret. Cum autem Franciscus Guicciardinus illarum vrbium præfectus, hoc consilium maturè præsensisset, & pontifici ad quem finem Alberti dulcia verba precesq; tenderent,ac periculum in quo vniuersum ecclesiæ imperium ab illa parte esset futurum ostendisset, tantum effecerat, vt pontifex iratus,& vim se adhibiturum minis ac signis declarasset,Albertum,qui Gallorum res nondum multum processisse animaduertens, sese illi opponere non ausus fuerat, ad eas restituendas coëgerit. Sed cum Pij postea Carpium oppidum recuperassent, Prosper eius iterum occupandi cupidus, vt sociorum nomine Guido Rangonius cum centum grauis, ac totidem leuis armaturæ equitibus, & mille peditibus conduceretur, & vt mille Hispani pedites quos Suessanus dux Romæ vt eos Mediolanum quo ceteris coniungerentur mitteret conscripserat, Mutinæ eandem ob caussam hærere iuberentur autor fuit: quæ dum parantur Rentius Ceres ad quem ob eius autoritatem & prædæ spem, multi equites pediteśque accurrebant, vias excursionibus obsidere, ac regionem omnem infestam habere cœpit: & pontifice iam defuncto, nocte quadam repentè Ruberiam oppidum cum duobus peditum millibus est adortus; oppidanis autẽ fortiter propugnantibus, quum expugnatio difficilis admodum esset, eo non est potitus;& Tristanus Corsus vnus ex eius peditum ducibus captus fuit: hæ autem copiæ varijs de caussis in his locis collectæ,maioribus rebus occasionem dederunt. Quoniam pontifice mortuo,Ferrarienśium dux de illarum restitutione promissis fessus, & ex venia ab Adriano impetrata, minus difficile esse de rebus occupatis veniam,quàm de amissis restitutionem impetrare animaduertens, & idem quod vulgò omnibus erat persuasum, videlicet ob cardinaliũ discordias subinde post Leonis mortem auctas futuri pontificis creationem diu protrahendam existimans, Mutinæ & Regi; oppugnationi operam dare statuit:ad quod præter alia Rentij Ceritis

qui

qui iam ducentos equites & supra duo peditum millia collegerat sibi adiungendi opportunitas eum alliciebat: idcirco dux tribus peditum millibus conscriptis, & tribus aureorum numûm millibus Rentio missis, Mutinam versus contendit: qua in vrbe nullum aliud præsidium erat præter Guidum Rangonium cum ijs copijs, cum quibus à fœderatis conductus fuerat: & quamuis Estensis familiæ imperium populo esset odiosum, nihilominus quia mœnia minimè munita, & veteri more absque propugnaculis ad latera positis, extructa erant, fossæ plenæ, nec iam diu reparatæ, maiore præsidio opus esse videbatur: quapropter præfectus & Comes qui nonnullis dissensionibus quæ inter illos fuerant depositis, vno animo res peragebant, vt quemadmodum antea constitutum fuerat, Hispani pedites, qui quum iam in Hetruriam peruenissent, vtrum Mutinæ hærere an progredi vellent varia & ambigua responsa dantes, lentè procedebant, Mutinam venirent summam adhibebant diligentiam: tandem tamen multis precibus vt Mutinæ essent annuerunt. Quæ res ad Ferrarienſium ducem qui cum ducentis grauis, quadringentis leuis armaturæ equitibus & tribus peditum millibus Finale venerat perlata, ferè illum ab incœpto reuocauit: sed tamen quum res integra non esset, & Rentio Cerite sibi adiuncto se saltem Regio potiri posse speraret, quum etiam in hostium peditatu ob stipendiorum difficultatem aliquam perturbationem exorituram spe minimè careret, progredi decreuit: nec verò hæ spes leuibus de caussis erant conceptæ; quoniam quum pontificum collegium, cui præfectus celerrimè imminentia pericula significarat, nihil prospiceret; imò ne ad nuntios quidem & literas acceptas responderet, militibus ex publica pecunia satisfaciendi facultas non aderat: & forte dies quo Hispanis secundi mensis stipendium persolui debebat venerat: quod si etiam omnibus satisfieret, nulla erat plurium conscribendorum spes: his verò partim Mutinæ, partim Regio attributis, neutra erat tuta: neque Regij milites vlli erant; populi autem studium à Mutinensium studio diuersum. Quibus in angustijs quum præfectus & Comes Guido Mutinam præcipuè, vt maioris ob Bononiæ propinquitatem momenti vrbem ecclesiæ imperio magis coniunctam, & quo auxilia & res necessariæ facilius importari poterant, tueri statuissent; quingentos pedites sub Vincentij Maiati Bononiensis Guidi militis cura, Regium miserunt; eique vt si vrbs defendi non posset, in arcem se reciperet mandarunt; & quia eam per aliquot saltem dies propugnari posse sperabant, Ioanni Baptistæ Smeraldo Parmensi eius præfecto pecuniam ad trecentos pedites conscribendos miserunt; & Regiensem populum quamuis frustra, vt quum non minus de ipsorum quàm de pontificij imperij securitate ageretur, aliquam pecuniam qua alij milites conscribi possent mutuo daret rogarunt. Mutinæ periculo præfectus cum alia ratione ob pecuniæ defectum prospicere non posset, multis ciuibus conuocatis, res eò esse redactas, vt nisi Hispano militi satisfieret, & pecuniæ ad multa alia facienda haberentur, vrbem, quæ si pecuniæ adessent defendi posset, necessariò Ferrarienſium ducis potestati esse permittendam, ostendit: neque aliam pecuniæ inueniendæ rationem esse, nisi ipsimet præsenti necessitati succurrerent: sibi enim certò persuasum esse, ijs quæ in posterum deinde accidissent, aut nouum pontificem aut pontificum collegium prospecturum. Neminem in eo consessu esse, qui Ferrarienſium ducis ac pontificium imperium non esset expertus; idcirco vtrum ex his duobus amabilius aut acerbius esset, ijs quos experientia doctissset, rationibus aut argumentis ostendere velle superuacaneum fore: rogare se tantummodo illos ne exigua illa pecunia quæ mutuo petebatur commouerentur; propterea quod ea & reipublicæ & priuatorum vtilitatis ratione si cum eis commodis, quæ ex eo principe qui ipsis magis satisfaceret, habendo consequi possint conferatur, haud magni sit facienda. Quibus verbis ab illorum in quibus idem erat studium animis libenter auditis, censu interse ipsos habito, eodem die quinque aureorum numûm millia repręsentarunt: quibus quum Hispanis esset satisfactum, alijque apparatus facti, Ferrarienſium ducis arma nihili faciebant; qui proprijs viribus non plus quàm par esset, tribuens, Mutina ad sinistram relicta, & Rentio Cerite secum in itinere adiuncto, Regio exercitum admouit; quæ ciuitas statim illum admisit; &

sequenti die arcis præfectus paucis tormentorum globis expectatis Vincentium Maiatum à se vocatum ingredi noluisse; & pecuniam à præfecto ad se missam, prope Parmam quò ad militem conscribendum miserat interceptam fuisse, sui excusandi gratia afferens, deditionem fecit. Rentius Ceres, à Galliæ Ammirallio euocatus, ab duce statim post Regium captum discessit: quare ille cum paucis peditibus relictus, vbi per aliquot dies ad Secciam amnem hæsisset, Ruberiæ oppido castra admouit; cuius custodiæ à Guido comite præfectus fuerat Vecchius Couianus cum ducentis peditibus: perexiguam verò dux eius obtinendæ spem habebat: Ruberia enim paruum est castellum, & fossarum altitudine latitudineque, ac quia mœnibus ab interiore parte terra circumquaque aggesta est valde munita; nihilominus cum sequenti die murum qui portæ adhæret tormentis verberare cœpissent, militum præfectus, siue quòd clàm sic conuenisset, siue quia oppidanis tumultum excitare incipientibus territus, de mœnibus prosiliens, & oppidum ac seipsum ducis arbitrio potestatique tradidit: qui statim oppidum ingressus, tormentisque arci admotis, ita eius præfectum cui Tito Talliaferro Parmensi nomen erat, terruit, vt quamuis arx munita, & militibus, tormentis, omnibusque necessarijs rebus satis instructa esset, ne vnico quidem tormenti ictu expectato, ante noctem eam dediderit: qua capta dux, peditatum qui Mutinæ erat pontificatus interregni diuturnitate dissolutum iri sperans, & simul vt infrà dicetur, aliarum quoque rerum spe, ibi cum exercitu constitit. Interea Boniuetus Mediolani expugnandi spe amissa, castris ad Sanchristophorum inter Ticinensem & Romanam portas loco aquis & fossis munito positis, Modoetia capta, Baiardum, & cum eo Federicum Bozolensem cum centum cataphractis & octo peditum millibus ad Laudam expugnandam miserat: quo cum quingentis equitibus & totidem peditibus ex ijs quos à pontificatu & Florentinis, in sua habebat potestate venerat Mantuanus marchio: qui sibi ipsi metuens Ponteuicum concessit; & ciuitas derelicta Gallos intromisit. Lauda capta Federicus ponte ad Abduam posito, cum ijsdem copijs in Cremonensem agrum vt Cremonensi arci, cuius fame oppressæ, illi qui in ea erant regium exercitum in Italiam veniisse ignorantes, ijsdem diebus quibus Ammirallius Mediolano castra admouerat, nisi intra vigesimum sextum Septembris diem auxilia acciperent deditionem erant pacti, opem ferret transiuit. Arci absque vlla difficultate appropinquauit Bozolus, quam vbi commeatu aliisque rebus recreasset, eo quòd paruum à Prospero Columna præsidium esset relictum, quamuis Mantuanus id metuens, centum grauis totidemque leuis armaturæ equites, & quadringentos pedites eò misisset, fretus, vrbem oppugnare statuit: sed quum se in vrbem per arcem operibus quæ ciuitatem ab arce diuidebant, ab ijs qui in ciuitate erant, obiectis, ingredi non posse censeret, ad dexteram deflectens, mœnia vbi minus firma erant verberare statuit. Mœnibus verò tormentis concussis frustra expugnationem tentauit, & pòst maiori ruina tormentis edita, aliam oppugnationem, sed eadem fortuna est adortus: quare se ad Sanmartinum contulit; vbi Rentium Ceritem cum ducentis equitibus & duobus peditum millibus ex Regiensi agro redeuntem expectauit: qui vbi venit ad mœnia reuersi, ea per multas horas magno impetu verberarũt; sed imbribus admodum copiosis impeditus, & se difficulter victoria potiri posse animaduertentes, ab incœpto destiterunt. Eo autem die Mercurius cum Venetorum quorum copiæ Ponteuicum conueniebant expeditis equitibus, Ollio traiecto ad illorum castra vsq; excurrit. His frustra tentatis, cum in castris cõmeatus penuria laboraretur, & Rentij milites, quòd aliam pecuniam nisi eam quam Ferrariensium dux Rentio dederat, non accepissent, diffluerent, Cremona profecti Soncinum haud dissimili fortuna petierunt: deinde Carauagium oppidũ vbi aliquot dies sunt morati diripuerunt: quæ mora veneto Senatui, quo minus quæ debebant auxilia Mediolanensium mitterent, vel excusationem vel impedimentum attulit: nam copiarum colligendarum tarditate, cõmuni etiam Cæsarianorum ducum opinione, qua existimabant, Gallos eo anno Venetorũ à rege separatione territos non venturos excusata, se, simulac qui in Cremonensi agro erant trans Abduam redijssent missuros affirmabant. In hoc rerum statu, vtraq; parte bello citò finem imponi posse diffidente, nemo rerum summam in dis-

in discrimen adducere tentabat. Boniuetus de Mediolano oppugnando nihil cogitans, hostium copias vel pecunia deficiente dissolutum, vel commeatus penuria Mediolanū deserere coactum iri confidebat: qua in vrbe etsi frumenti copia esset, tamen in tam frequenti ciuitate illorum qui eo alendi erant penè innumera erat multitudo; cumque ipse aquas eis ademisset ac molas disiecisset, magna erat molendi difficultas. Quamobrem copijs ex Giaradadda reuocatis, vt Mediolanenses, quibus commeatus qui Laudensi & Papiensi via adferebatur erat ademptus, eo quoque quem ex Briantiæ monte accipere solebant priuarentur, eas Modoetiam inter & Mediolanum hærere iussit: sed neq; hac ratione exoptatum finem assequi poterat. Ab altera parte Prosperi Columnæ etsi corpus graui morbo pressum, nec minus animum, quòd ob primi loci obtinendi cupiditatem neapolitani proregis aduentū ferre nō posset, fatigatum haberet, cōsilio, vt hostib. cōmeatus qui ex altera Ticini parte adferebatur, impediretur, summa adhibebatur diligentia: quia loci in quo castra habebant natura, nullā eos armis pellendi spem relinquebat. Ideo Prosper vt Mantuanus, ob cuius aduentum Galli ponti suo metuentes, alium pontem Torligij, vigintiquinq; millia passuum à Papia posuerunt, Papiam iret effecit. Vrgebat præterea Vitellium, qui cum cataphractorum turma quam ab Florentinis, qui in belli initio illum Genuam miserāt habebat, & cum tribus ex Genuensium stipendio peditum millibus, præter Alexandriam omnem transpadanam regionem occuparat, vt fluuium traijceret, quo commeatum qui ex Laumelina ad Gallorum castra ferebatur interciperet. Hoc autem Genuensium dux ob Fregosij archiepiscopi, qui Alexandriæ erat, propinquitatem, rebus proprijs metuens, minimè concessit. Et quia Veneti quorū exercitus Ollium traiecerat, Bergomo dum ea Gallorum pars quæ Carauagio discesserat prope Modoetiam castra haberet metuentes, Abduam traijcere recusabant, Prosper vt quadringentos expeditos equites & quingentos pedites quibus commeatum quo alebantur eis interciperent, Tretium mitterent impetrauit. Quibus rebus dum vtrique operam dant, nihil in bellicis rebus præter leuia prælia, prædas excursionesq; in quibus Galli ferè semper & nonnunquam cum insigni clade erant inferiores, fiebat; nam quum Ioannes Medices cum ducentis grauis, trecentis leuis armaturæ equitibus & mille peditibus, commeatui qui Tretio Mediolanum afferebatur obuiam esset progressus, & in octuaginta Gallos cataphractos, quorum maxima pars ex Bernaboi Vicecomitis turmis erat incidisset, eosque persequi cœpisset, mox callidè retrocederet, eos in quingentorum scloppetariorum insidias ab se positas pertraxit: illisq; paruo labore fusis, maximam partem aut interfecit aut cepit: alio quoq; prælio Zucherus Burgundus sexaginta cataphractos ex Archipocomo siue magni Scuderij turmis fregit: sæpius etiam Hispani pedites, Gallos aggeres qui vt ad munitiones vsq; tutò penetrari posset fiebant custodientes, adoriebantur: nec paruum illorum numerum interficiebant: eodemque tempore Paulus Luzzascus, qui cum centum & quinquaginta expeditis equitibus Picighitonij manserat, in totam circumiectā regionem excurrens, ijs qui Cremonæ erant maximam molestiam afferebat. Nec verò Boniueti insidiæ felicius quàm cetera succedebant: nam quum clàm cum Morgante Parmensi, vno ex Ioannis Medices decurionibus, Iannicolo Lanzio eius leuis armaturæ equite, & quatuor alijs tantùm conscijs, vt vbi primùm ei cuiusdam portæ valli quod extra munitiones omnes protendebatur custodia obtigisset, milites suos intromitteret conueniisset, accidit vt destinata nocte, Morgantes sibi pluribus ad id perficiendum socijs opus esse ratus, cum alio quodam ex suis contulerit; qui se huic perfidiæ assentiri simulans, vt Prosperi Columnæ nomine excubijs vt si quid audirent ne se mouerent mandaret, ei suasit: ne videlicet hominem quem ad milites qui venturi erant accersendos missurus esset, impedirent: Quamobrem Boniuetus eadem nocte quinq; millia peditum ei parti, vt signo accepto parati essent, admouerat; & exercitum omnem instruxerat: sed dum Morgantes ad id exequendum it, alter statim, ad rem Ioanni Medici aperiendam properat: qui ad vallum cum venisset, proditores cepit, qui interrogati, ex castrensis iuris more hastis sunt confossi. Et iam vndique Gallorum res inclinare videbantur: nam propter agri Mediolanensis vbertatē, & quòd domesticis molis molendi difficultati occurrissent, eam ciuitatem commeatu priuandi spes quotidie minuebatur; & ob crebras clades circa vrbem acceptas, mille & quingen-

tos partim vtiles, partim inutiles equites amisisse credebantur: qua re territi, castris nisi cõmeatus & calonum præsidij caussa, non egrediebantur; idq; semper magno numero; cuius rei ignominiã, Ammirallius in gloriam suam conuertens, se bellum non reliquorũ Gallorum ducum impetu, sed Italica moderatione maturitateque administrare dicere solebat: & nihilosecius quotiescunque illorum aut equites aut pedites in hostes inciderant, se longè ad fugam quàm ad pugnam promptiores ostendebant. Itaque Cæsarianos duces armorum & famis metu liberatos, imò se hostibus commeatus difficultatem iniecturos sperantes, nulla res magis quàm pecuniæ difficultas augebat; sine qua milites Mediolani alere difficile; ex vrbe verò, si ita belli vsus postulasset, educi nulla ferè ratione possent: cui rei quum multis rationibus mederi niterentur, inter cetera Prosper Neapolitano prorege & Suessano duce clàm consentientibus, ferè statim post pontificis obitum, eum Ferrarienssium duce rem agere cœpit: qui multis sibi ab Ammirallio propositis, post Regium captum, vt ad Cremonam oppugnandam duceret, conditionibus reiectis, tandem cum Prospero vt si Mutina eius opera potiretur, statim triginta aureorum numûm millia, & viginti millia intra duos menses ei daret conuenit: res factu facilis videbatur; quia si Prosper Guidoni Rangonio fœderatorum militi & Hispanis peditibus vt Mutina discederent mandaret, nihil obstare poterat, quo minus illa ciuitas derelicta, non statim in ducis potestatem esset ventura: Prosperum ad id præter publicam caussam, priuatæ cupiditates vehementius impellebant; nimirum cum Alfonso Estensi necessitudo, commune in Romanis proceribus pontificum potentiæ deprimendæ studium; & Mutina atq; Regio à pontificatu alienatis, Parmam & Placentiam facilius in Mediolanensium principis potestatem venturas, spes: quæ dum occultissimè tractãtur, ad Guidonis aures perlata, atq; ab eo Guicciardino indicata, alia ratione, nisi vt Hispanis ducibus qui lautè accepti, & amplis stipendijs affecti libenter in ea vrbe erant, vt se antequam ad exercitum peruenissent Prosperi Columnę autoritati subiectos esse negantes, Mutina nisi Suessani ducis cuius mandato venerant iussu discedere recusarent, persuaderetur impediri nõ posse animaduertit: nam etsi præfectus hæc Suessano consentiente agitari certò crederet, id tamẽ sibi pollicebatur, illum cum Cæsaris Romę orator esset, pontificum collegio reclamante, non modò huiusmodi rem mandare non ausurum, verùm etiam cardinalium vt apertè contrarium imperaret petitioni minimè repugnaturum: res vt cogitauerat successit; quia quum Prosper Rangonio comiti & Hispanis & belli rebus sic postulantibus Mediolanum venirent mandauit, comes multis rationibus se pontificio imperio subiectum, & Mutinensem esse afferens excusauit: Hispani verò duces sic ab illo & à præfecto persuasi, se nemini in huiusmodi rebus nisi Suessano duci parere debere responderunt: quibus à præfecto pontificũ collegio nuntiatis, quum illi Suessanum ducem statim ad conclaue vocassent, & ipse se & simul Cæsarem suspectum reddere nollet, quin literis suis ijs ducibus ne discederẽt mandaret, recusare nõ potuit: quin etiam vt sæpe res secus atq; homines cogitarant, cadunt, factũ est, vt nonnullis Prosperi literis à Præfecto interceptis, quib. totus rei progressus aperiebatur in collegio lectis, Gallicæ factionis cardinales qui antea pecuniam quę Medicei cardinalis opera Mutinam mitti erat cœpta, impediebant, id perfici regi pernitiosum esse animaduertentes, apertè pecunijs Mutinam mittendis fauerent: idem & Columna cardinalis, vt se pontificatus vtilitatem ceteris rebus omnibus anteferre ostenderet fecit; quæ diligentia etsi ijs quæ cum Alfonso Estensi constituta erant, moram interposuerit, tamen quum horum consiliorum fundamentum minimè esset remotum, in animo habebant vt neapolitanus prorex, qui lento gressu cum quadringentis cataphractis & duobus peditum millibus Mediolanum veniebat, Mutina iter faciens Hispanos pedites abduceret. Mediolani verò hoc ipso tempore commeatus copia creuit: nam Ammirallius ne à militibus qui Papiæ erant, pons ab se ad Ticinum quò res necessariæ ad exercitum ferebantur factus occuparetur timens, minorem exercitum vt tria peditum millia ad pontis custodiam mitteret Modoetia eduxit: ex reliquis partem ad se vocauit: reliquos partim Mariniani, partim Abiate prope pontem collocauit: quo fiebat vt ad Cæsarianos Modoetia recuperata maior commeatus copia perferretur. Erant hoc tempore in Gallico exercitu, cuius munitissima castra à Clarauallensi cœnobio ad Papien-

sem

sem viam, ab hac Mediolano ad tormenti iactum propinqua protendebantur; octingenti leuis armaturæ equites, sex Heluetiorum, duo Italorum, decem partim Vasconum partim Gallorum peditum millia: ad Ticini pontem mille Germanos pedites habebant & mille Italos, totidem Abiate vbi erat Rentius Ceres, Nouariæ ducentas lanceas; Alexandriæ & Laudæ duo peditum millia: Mediolani verò erant octingenti cataphracti, totidem leuis armaturæ equites, quinque Hispanorum, sex Germanorum, & quatuor Italorum peditum millia, præter vrbanam multitudinem animo & factis in Gallos concitatissimam: Papiæ Mantuanus marchio cum quingentis cataphractis, sexcentis leuis armaturæ equitibus, duobus Hispanorum & tribus Italorum peditum millibus: Castellonoui in Dertonensi agro cum Vitellio erant tria peditum millia; quamuis paulo pòst, quum nonnulli Galli milites Alexandriam versus iuissent, ne sibi Genuam redeundi facultas impediretur metuens, Serrauallem concesserit: & Veneti habebant sexcentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, & quinque peditum millia; ex quibus mille pedites à Prospero illorum auxiliorum fama vtendi cupido Mediolanum, & paulo pòst alteram partem coniurationis cuiusdam metu Cremonam miserunt. Tandem verò Ammirallius commeatus penuria, frigidissima tempestate ingentibusque niuibus, & Heluetiorum qui tot incommoda diutius ferre nolebant querelis attestationibusque coactus, Mediolano recedere statuit; sed prius quàm consilium suum aperiret, vt Galeatius Vicecomes, Claram, genere atque eximia corporis forma clarissimam, sed multo magis eximio Prosperi Columnæ amore clariorem visendi facultatem peteret, curauit. Is igitur Mediolanum ingressus de inducijs colloquia serere cœpit, quorum causa sequenti die prope mœnia simul conuenerunt Alarco, Paulus Victorius Florentinorum legatus, & Hieronymus Moronus: pro Gallis verò Ammirallius, Galeatius Vicecomes & Normaniæ quæstor, qui vt induciæ in totum Maium mensem fierent proposuerunt; quod si fieret, se copias in oppida distributuros pollicebantur; ac tandem etiam trans Ticinum se recipere annuissent: sed Cæsariani duces inducijs victoriæ spem impediri improbantes, se nihil absque proregis consensu constituere posse responderunt: quare Ammirallius post duos dies mane ante auroram tormenta Ticinum versus educi iussit, ipse vbi illuxit, cum omnibus copijs sic dispositis, vt pugnam minimè detrectare videretur est sequutus: quod ab ijs qui in vrbe erant est perspectum, non modò milites & populus, altissimis vocibus se in eos duci postulabant, verùm etiam duces ipsi & summæ autoritatis viri, idem à Prospero victoriæ facilitatem ei ostendentes flagitabant: quòd viribus haud quaquam se hostibus inferiores, animo verò ac virtute longè superiores essent censerent: quòd fieri non posset, quin is receptus maxime illius exercitus parti haud leuem timorem iniecisset: quod & multi Itali milites eadem hora ab illorum castris profecti confirmabant. Proponebant illi infinitam gloriam, nominisq; ipsius immortalitatem, si tot iam partas victorias, hac postrema laude & triumpho confirmaret. At in Prosperi animo semper, vt quantum posset ne se fortunæ arbitrio subijceret fixum erat, ideoque in sententia sua haud secus ac firmissima turris contra ventorum impetum immotus permanebat; & minimè sapientis imperatoris esse populi vocib. moueri, vel milites suos in eos hostes ducere, quibus nulla alia præterquam defensionis suæ spes reliqua esset, respondebat: satis magnam victoriam, & satis amplam gloriam partam esse in eo quod hostes sine suo periculo & sanguine discedere coëgissent; neq; hominum cupiditatem infinitã esse debere, posse vnumquemuis per se facilè videre, longè maius si res improsperè cederet fore detrimentũ, quàm emolumentũ si prospere eueniret: Se res suas semper his artibus ad honoratũ finem perduxisse; semperq; plus ducib. temeritatis infamiã obfuisse, quàm victoriæ gloriã profuisse, experientia didicisse; propterea quod in eius partẽ nemo veniret, tota & integra imperatori tribueretur: rerum verò in prælijs feciliter gestarũ laudem hominũ saltẽ opinione cũ multis cõmunicari. Nolle se quum iam morti proximus esset noua consilia sequi, eaq; deserere, quibus in tota vita retentis gloriam, vtilitatem, amplitudinemque esset adeptus. Galli in duas partes abiere: Boniuetus ipse cum maxima exercitus parte Abiate, quod oppidum quatuordecim millia passuum Mediolano distat, concedit: reliquos Rosate septem ab vrbe milliaribus situm misit. Paucis au-

tem diebus pòst quàm Boniuetus ex illis castris exercitum mouerat, cum iam cardinales quinquaginta dies inclusi fuissent, est nouus pontifex creatus: Cum enim initiò trigintasex cardinales essent ingressi, post etiam tres accessissent, animis ipsorum nõ modò diuersis Cæsaris & Galliæ regis studijs, verùm etiam Medicei cardinalis potentia diuisis, tantum temporis vanis contentionibus consumpserunt: is autem ab ijs omnibus qui regis autoritatem sequebantur, & etiam à nonnullis qui ab Cæsare pendebant, oppugnatus, sexdecim cardinalium, qui ipsum omnino & præterea neminem absque eius consensu eligere cõstituerant, coniuncta suffragia in manu sua habebat; & præterea occulta à quinq; alijs cũ de ipsomet eligendo ageretur, suffragij pro ipso ferendi promissa acceperat: eidem & Cæsaris legatus & ceteri qui eius autoritatem sequebantur omnes studebant: quæ adiumenta etsi in Leonis quoq; morte habuisset, nunc tamen in conclaue firmiore propósito ingressus, ne suas spes, nec temporis longitudine, nec vllo præterea casu desereret, eo fundamento potissimum nixus, quòd ad põtificem creandum cardinalium qui intersunt suffragiorum duo tertia concurrere sit necesse. Nec verò eos ab his dissensionibus vel commune Italiæ, vel ecclesiæ imperij proprium periculum reuocabat; imò ad belli fortunam suffragationem accommodantes, vtraque pars ex illorum qui ipsis propitij erant victoria fauorem sperantes, rem protrahebant, & longè diutius protraxissent, si in cardinalis Medicei aduersarijs, qui ferè omnes ex senioribus erant, idem in quouis alio eligendo qui in illo non eligendo erat consensus fuisset: & si priuatis cupiditatibus positis eo fuissent contenti, vt Mediceus cardinalis pontificatum nõ adipisceretur. Sed difficillimũ est ea concordia cui discordia atq; ambitio est permixta, ad optatum finem peruenire. Cardinalis Columna acerbissimus Medicei cardinalis inimicus, sed natura vehemens & superbissimus, sibi coniunctis cardinalibus, propterea quòd Iacouaccium cardinalem Romanum eiusdem factionis hominẽ & valde ipsi deditum pontificem eligere nollent iratus, sponte Mediceo cardinali suam ad pontificatum adipiscendum operam obtulit; qui scripto propria manu confecto, ei occultissimè Vicecancellarij munus quo ipse fungebatur, & sumptuosissimas ædes quæ à S. Georgij cardinale ædificatæ, ipsi à Leone pontifice donatæ fuerant promisit: quare, tanto magis accensus cardinalis Columna, Cornelium cardinalem & duos alios in suam sententiã induxit: quorum vbi nota fuit voluntas, multi alij, vt sæpe eo in loco accidere solet, vel metu vel ambitione ducti, ne in eo promouendo postremi essent certare cœperũt: adeò vt eadem nocte cõmuni omnium cõsensu pontifex sit salutatus; & sequenti die qui fuit XIX. Nouembris, eo ipso die quo ante duos annos victor Mediolanum erat ingressus, mane statim solenni sortitione de more facta, pontifex Max. est renuntiatus. Opinio fuit, ei præter cetera amplissimorum ecclesiæ beneficiorum ac munerum opes suffragatas fuisse, quia cardinales quum in conclaue sunt ingressi, de communi consensu constituerant, vt eius qui pontificatum esset adeptus sacerdotia in ceteros æqua portione distribuerentur. Iulij nomen retinere volebat, sed à nonnullis cardinalibus obseruatum fuisse, eos qui pontificatum adepti nomen non mutassent, omnes intra annum obijsse admonitus, siue quòd eius diui festus dies propè adesset, siue ad id alludens quòd Volaterrano cardinali, simulac lectus fuit, offensiones condonasset, eumq; cum suis in gratiam recepisset, Clementis septimi nomen assumpsit: nam, etsi Volaterranum extremis vitæ diebus indignum qui conclaue ingrederetur Adrianus declarasset, collegio tamen concedente erat ingressus; & ad extremum vsq; contra Iulium Medicem cum suis omnibus fecerat. Maxima certè apud cunctos mortales erat noui pontificis opinio; idcircò electionis tarditate, maiore quàm à longissimo tẽpore accidisset, viro summę autoritatis eximiæq; virtutis in ea sede collocato, satisfactum videbatur; tum quòd amplissimo ecclesiæ imperio Florentinorum potentiam ex arbitrio suo coniunctam haberet; tum quòd Leonis tempore tot annos pontificatum administrasset; tum quòd in consilijs suis grauis & constans haberetur: ac deniq; quòd quum multa Leonis facta illi tribuerentur, omnes illum ambitione plenum, animo elato & inquieto, ac rerum nouarum cupidissimum esse affirmabant: quibus cum quòd à voluptatibus esset alienus, & in negotij assiduus, accederet, nemo erat qui ab eo non singulares & maximas res expectaret. Eius autem creatio statim pontificio summam peperit securitatem. Quoniam Ferrariensium

rarienſium dux tali pontifice in ea ſede collocato territus, quum Mutinam neapolitanî proregis aduentu obtinere non amplius ſperaret, & minorem in Gallis qui antea per Theodorum Triultium, qui ad eius exercitum venerat, vt ipſis adhæreret multa ei pollicebantur ſpem haberet, idoneo præſidio Regij & Ruberiæ relicto Ferrariam redijt. In Aemilia & Flaminia quoq; quo aduerſæ factionis opprimẽdę colore, ſed re vera à Gallis incitatus, Ioannes Saxatellus, Adriano regnante Gibellinorũ potentia pulſus, Guelforum ope venerat, tumultus ſunt ſedati. Gallico autem exercitu partim Abiate, partim Roſate conſtituto, Ammirallius apud quem non ſupra quatuor Heluetiorum millia manſerant, Delphinates ac Toloſates milites vt inutiles dimiſit; & maiora tormẽta trans Ticinum auxilia quæ ab rege parabantur, quia vim eo in loco non timebat, & cõmeatu abundabat, in illis caſtris expectandi animo miſit; & tamen ne tempus omnino fruſtra tereret, Rentium Ceritem cum ſeptem Italorum peditum millibus ad Aronam munitiſſimum ad Verbani lacus fines oppidum ab Anchiſe Vicecomite poſſeſſum, ad cuius ſubſidium Proſper Columna mille & ducentos pedites Mediolano miſit, oppugnãdum ire iuſſit. Aronę arx ita oppido imminet, vt inutile ſit oppidum obtinere ei qui arcẽ non obtineat: idcirco Rentius arci verberandæ incumbebat, & oppugnatione ſæpius cum multorum ex ſuis cæde tentata, tandem vbi circiter menſem vnum fruſtra poſuiſſet, ſic diſceſſit, vt eam opinionem quæ iam à multis annis per totam Italiam diuulgata erat, vide licet, eius facinora, famæ in Cremæ propugnatione adeptæ nulla in parte amplius reſpondere, confirmaret. Interea verò Proſper Columna, qui iam octo menſes non ſine veneni vel amatorij poculi ſuſpicione ægrotauerat, ad mortem tendebat; ideoq; cum ei antea proregis aduentus moleſtiſſimus fuiſſet, iam quum belli curas ſuſtinere non poſſet, eum ſubinde vrſerat. Venit igitur prorex, ſed quum ad vrbem veniſſet, vt ſe tãti imperatoris virtutem & famam reuereri oſtẽderet, per aliquot dies ingreſſum ſuum diſtulit; vbi tamen illum ad extremum redactum, & iam mente alienatum eſſe audiuit, eius videndi deſiderio paucis horis antè, quamuis alij illum poſt eius obitum qui penultima eius anni die fuit vſque diſtuliſſe dicant, eſt ingreſſus. Fuit ſanè Proſper toto ætatis ſuæ curſu clari nominis dux; poſtremis verò vitæ ſuæ annis, maximam exiſtimationem autoritatemque erat adeptus; rei militaris peritus, maximeque in ea exercitatus; ſed ad occaſiones ab hoſtium erroribus imbecillitateue profectas, celeriter arripiendas minimè promptus, quemadmodum viciſſim ſemper cautus, haud facilem illis ſui opprimendi occaſionem relinquebat; natura in expeditionibus ſuis lentiſſimus; & quem meritò cunctatorem appelles; ſed quòd bella magis conſilijs quàm gladio geſſerit, & regna præliorum fortuna niſi neceſſitate cogente, vitata tueri docuerit, ei laudem peperere. Noſtra enim ætate varia admodum fuit belli gerendi ratio: quoniam ante Caroli Galliæ regis in Italiam aduentum, cum in bellis longè maior eſſet grauis armaturæ equitum quàm peditum vſus, & machinæ murales ad vehendum & tractandum incommodiſſimæ eſſent, quamuis crebra prælia committerentur, exiguæ tamen erant ſtrages, & rarò ſanguis fundebatur; & ciuitates oppugnatæ, non quidem propugnandi peritia, ſed oppugnandi imperitia, tam facilè defendebantur, vt nullum eſſet tam paruum vel tam parum munitum oppidum, quod vel maximas hoſtium copias per multos dies non ſuſtineret; adeo vt difficillimum eſſet ab alijs poſſeſſa occupare: Caroli autem regis in Italiam aduentu, nouarum gentium terror, peditatus ad aliam belli gerendi rationem inſtructi ferocitas, & præcipuè tormentorum tonitrua omnem Italiam tanto timore repleuerunt, vt ijs qui acie ſe opponere non poſſent, nulla reliqua eſſet ſalutis ſpes: ciuitatum nanq; propugnandarũ imperiti homines, vbi hoſtes adeſſe ſentiebant, deditionẽ faciebant; et ſiqua ciuitas tamen obſiſtere conaretur, pauciſſimorũ dierum ſpacio expugnabatur. Sic regnum neapolitanum, & Mediolanenſe imperium eodẽ ferè die & victum & oppugnatum fuit. Sic Veneti vnico prælio profligati, ſtatim omni continentis imperio ceſſerunt. Sic Galli hoſtibus ne conſpectis quidem vt alia taceã, Inſubriam deſeruerunt. Cœperunt deinde hominũ ingenia, offenſionũ acerbitate perterrefacta, ad propugnandi rationes inueniendas acui; oppida aggeribus, foſſis, lateribus, vallis, alijsq; operibus munire, vnde tormentorũ etiam quæ magis in propugnandis oppidis quàm oppugnandis valent, copia adiuuante, vrbes quę defendũtur ad maximã quòd expugnari vix poſ-

sint securitatẽ sunt redactæ. His artibus fortasse initium dedit in Italia patrum nostrorũ memoria Hydrunti quod Turcę occuparant, expugnatio; quam vrbem ingressus postea Alfonsus Balabriæ dux, multas munitiones Italis ignotas à Turcis factas repperit; quarum tamen magis apud homines memoria, quàm exemplum mansit. His igitur artibus Prosper ipse idem vel solus vel primus hostibus commeatum adimendo & bellum tam diu protrahendo, vt tædio, diuturnitate, inopia, offensionibus consumerentur, simul & oppugnans & propugnans bis clarissimè Insubriam defendit; & nullo prælio commisso, nulla pugna, ne gladio quidem nudato, vel vnica tantum hasta fracta, illud imperium vicit, ac conseruauit. Itaq; ipso ijs qui sequuti sunt viam præmonstrante, multa bella pòst in multos menses protracta, magis industria, artibus, & occasionibus promptè arreptis confecta sunt. Hæc in Italia anno M D XXIII. sunt gesta. Eodem anno multa trans alpes maximæ expectationis parata fuerant, quæ tantis principibus dignos exitus non peperunt: quoniam Cæsar & Anglus, vt alter in Belgis, alter in Aquitania magnis viribus bellum moueret inter se constituerant, idque Borbonio duci promiserant: sed Angli in Belgis motus nullius ferè momenti fuere; & Borbonij in Burgundia conatus mox euanuit: illo nanq; pecunia qua Germano militi satisfaceret destituto, nonnulli ex ducibus cum Galliæ rege pacti militum partem abduxerunt: quare is Gallicarum rerum spe deposita Mediolanum contendit, vbi Cæsar, illum, fortasse ne, vt ipse cupiebat, matrimonium perficeret, in Hispaniam transire minimè cupiens, sui per vniuersam Italiam vicarij honore per Beurenum ad eum misso, vt hæreret est hortatus. Neque etiam Cæsari in Hispaniæ finitimis partibus res feliciter successit; qui etsi ad bellum vehemens, Pompelonam vt ipsemet in Galliam irrumperet, venisset, & iam exercitum trans Pireneos montes qui Saluatierram non procul ab Ioannis Pedeporti fano occuparat misisset, nihilominus cum maior fuisset audacia quàm potentia, quia ob pecuniæ inopiam tantas copias quantæ ad tantam expeditionem fuissent necessariæ alere non poterat, eandemq; ob caussam exercitum nisi ferè sub annni finem colligere nõ potuerat, quo fiebat vt frigidis in locis anni pars difficultates augeret; commeatus etiam qui tanto itinere difficilè vehi poterat penuria impediente, exercitum contra omnium ferè sententiam collectũ, dissoluere est compulsus: ita vt Federicus Toletanus Albæ dux, senex & magnæ autoritatis princeps, cum bellum ferueret, Cæsarem multis in rebus Ferdinando auo materno similem, in hac magis Maximilianum paternum auum referre dixerit. Sequitur annus M D XXIIII. cuius initio Gallorum angustijs Cæsarianos duces ad finis bello impo-
1524. nendi cogitationem inuitantibus, Vrbini ducem, & Petrum Pisaurium Venetum legatum, vt quo modo in bello esset progrediendum consilium caperent, Mediolanum aduocarunt; quo in concilio omnium consensu, vt vbi primùm sex Germanorum peditum millia, quos prorex conscriptum miserat Mediolanum venissent, Cæsaris ac Venetorũ exercitus simul coniuncti hostibus, vt eos vel armis vel fame ex eius imperij finibus pellerent, admouerentur: ad quod cum se satis virium habere censerent, nihil præter pecuniæ inopiã impedimẽto erat; cuius cum militibus ex præteritis stipendijs magna vis deberetur, nulla erat illos Mediolano & alijs ex locis, nisi eis prius esset satisfactum educendi spes: cumq; exercitus in castris campestribus esset moraturus, vt deinceps stipendia suis temporibus in promptu essent prouidẽdum erat: huic difficultati aliqua ex parte Mediolanenses sese belli molestijs liberandi cupidi succurrerunt: qui pecuniæ cum Lautrechius Mediolanum obsideret, quæ pòst ipsis ex ducis vectigalibus promptè restituta fuerat, mutuo datæ exẽplo, facilius ad id impulsi, nonaginta auri pondo duci mutuo dederunt. Tulit & pontifex opem aliquam: is enim quum ob præteritarum rerum memoriam Galliæ regis victoriam suspectissimam haberet, quamuis hominibus à rege ad se missis summo artificio contrarium ostenderet, Cæsaris oratori occultissimè viginti aureorum numũm millia numerauit; & Florentinos à quibus prorex fœderis Adriano regnante icti vi, nouam contributionem petebat, trecentas auri libras, quasi summę debitæ reliquum, soluere voluit. Nec tamen pontifex se deinceps vnius magis quàm alterius partis studiosum ostendere in animo habebat: imò etsi Cæsar & rex, statim vbi pontifex est factus, alter Beureno, alter Sammassanio ad eum misso, illum sibi adiungere sint conati, præsentibus periculis remotis, ea moderatione quæ in christianorum diffidijs

ponti-

pontificem decet vtens, vt qui neutri magis quàm alteri faueret, paci conciliandæ operam dare ſtatuerat: quod conſilium regi qui ne pontifex factus eodem in ſe quo Cardinalis fuerat animo eſſet metuerat, gratum, Cæſari cui ob ſuperiorum temporum neceſſitudinem, quodque ei poſt Leonis obitum, & in pontificatu adipiſcendo fauiſſet, illum ab ſe diſiungi iniquum videbatur, diſplicebat: idcirco quòd illi pontificis nomine, ipſum quamuis beneuolentiam qua illum ad eam vſque diem proſequutus erat animo non deponeret, tamen quum priuati perſonam depoſuiſſet, & communis patris aſſumpſiſſet, deinceps communia tantùm officia præſtare cogi eſt ſignificatum, moleſtiſſimè tulit. Dum verò prorex ſe ad exercitum in hoſtes ducendum comparat, Ioannem Medicem Marinianum, quod oppidum vnà cum arce deditionem fecit, miſit: & non multo poſt Piſcarius marchio, qui quum ſub Proſpero Columna neutiquã militare ſtatuiſſet, non antè quàm is in extremo vitæ eſſet conſtitutus, ad exercitum venerat, in Rebecci oppido cum Baiardo trecentos expeditos equites & multos pedites eſſe certior factus, Ioanne Medice ad ſe vocato, ac repentè eos adortus, maxima virorum equorumque parte capta, reliquisque fuſis ac fugatis, ſtatim ne hoſtibus qui Abiate erant, ſe perſequendi ſpacium cõcederet, hoc induſtrię ac fortitudinis facinore, ſed multo magis quia Rebeccum non ſupra duo milliaria procul ab Abiate poſitum, Mediolano vnde erat profectus decem & ſeptem milliarium itinere diſtat, celeritatis laudem adeptus, Mediolanum redijt. Bellicis rebus in hunc ſtatum redactis, vt Gallorum ſpes eo niteretur, quaſi hoſtibus pecunia eſſet defutura: Cæſarianorum verò Gallis commeatus defuturus, neque enim ſe illos munitiſſimis Abiatis caſtris vi pellere poſſe ſperabant; & nihilominus vtriſque auxilia his Germanorum, illis verò Heluetiorum & aliorum peditum expectantibus, Boniuetus Roſate incenſo, copias illas Abiate contraxit, & vt hoſtibus incommodum adferret, regionem vniuerſam excurſionibus incendijsque vaſtabat. Tandem verò quum Germani pedites veniſſent, Cæſarianus exercitus, cuius præcipui duces erant, Mediolanenſium dux, Borbonius, neapolitanus prorex, & Piſcarius marchio, cum mille ſexcentis grauis, mille & quingentis leuis armaturæ equitibus, ſeptem Hiſpanorum ac duodecim Germanorum peditum millibus, & mille ac quingentis Italis, quatuor peditum millibus ad Mediolani cuſtodiam relictis, Binaſcum caſtra mouit: vbi non multo pòſt Vrbini dux cum Venetorum ſexcentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, & ſex peditum millibus, ſeſe illis adiunxit. Quo tempore Cremonenſis arx, quum famem amplius ferre non poſſet, & Federicus Bozolenſis qui Laudæ erat fruſtra ei opem ferre eſſet conatus, Cæſarianis dedita eſt. Exercitus deinde Caſerate oppidum quinque milliaria ad Abiate poſitum petijt: vbi Ammirallius Boniuetus, qui Laudæ, Nouariæ atque Alexandriæ ducentas lanceas & quinque peditum millia diſtribuerat, cum octingentis cataphractis, octo Heluetiorum millibus, quibus poſt paucos dies acceſſerunt tria millia & quatuor Italorum ac duo Germanorum millia, nec dum commeatu cuius in caſtris & vicinis locis in duos menſes copia ſuppetebat, exhauſtus caſtra habebat: Galli in tam munitis caſtris ſine maximo periculo oppugnari non poterant: quare Cæſariani cum ſæpius Ticinum, vt commeatum ab ea parte ad eos ferri prohiberent, vt locis quæ illi trans Ticinum habebant potirentur, & vt auxilia ſi qua ex Gallia venirent ad illos accedere prohiberent, traijcere tentaſſent, ſed Mediolani periculo detenti fuiſſent, tandem Mediolanenſis populi fide freti, haud magno militum præſidio opus eſſe rati, tranſire decreuerũt: ideò dux & cum illo Ioannes Medices Mediolanum, vbi ſex peditum millia ſunt relicta, eſt reuerſus. Secundo igitur Martij die Ticinum agmen infra Papiam tribus pontibus traiecerunt: exercitus robur Gambolate caſtra locauit, reliqui in proximis vicis conſedere: quam ob cauſſam Boniuetus ſtatim Rentium Ceritem ad Vigeuani cuſtodiam miſit: & ne illud oppidum cum ceteris Laumellinæ locis, quibus amiſſis penè obſeſſus fuiſſet, in hoſtium poteſtatem venirent, poſt quinque dies ipſe cum omnibus copijs, centum equitibus & mille peditibus Abiate relictis tranſiuit: & primum eius agmen circa Vigeuenum, medium verò Mortariæ duo milliaria procul à Gambolate conſedit: quibus in caſtris valde munitis, commeatus opportunitate fruebatur, quia Montis ferrati, Vercellarum, & Nouariæ itinera tuta habebant, & commeatus ex oppido in op-

pidum perpetua quadam serie quasi riuo confluebat. Boniuetus per duos continuos dies hostibus pugnæ potestatem fecit: qui etsi se illos militum numero & virtute superare viderent, quia ex literis interceptis illis pecuniam deesse incipere animaduerterant, quum ferè certam victoriæ spem in discrimen conijcere nollent, id recusarunt. Vbi Cæsarianus exercitus Ticinum traiecit, Vrbini dux cum Venetorum copijs Garlascum oppidum, loci natura & fossis, aggeribusque munitum, vbi quadringenti Itali pedites erant petijt: quod inter Papiam & Trumellum vltra Ticinum vbi ipse castra locare statuerat positum, non modò ipsi, sed omni reliquo exercitui commeatum impediebat; eoque verberato eodem die oppugnationem est aggressus: in qua quum penè repulsus esset, multis ex eius militibus, cum quibus etiam nonnulli Ioannis Medicei pedites erant, per fossas aqua mento tenus pertingente transiuerunt; & eiusmodi impressionem fecerunt, vt magna cum eorum qui intus erant cæde in id irruperint. Exercitus postea ad Sangeorgium Cairi Plebem versus, vt Sartiranæ munito in cispadana ripa oppido, & ad commeatum eis impediendum opportuno, ad cuius custodiam erant Vgo Pepulus & Ioannes Birágus cum aliquot equitibus & sexcentis peditibus appropinquaret, castra mouit. Sed Ioannes Vrbina cum tormentis & duobus peditum millibus eò profectus, oppidum primùm, & deinde arcem militibus ferè omnibus cæsis, & ducibus captis expugnauit. Galli vt Sartiranæ opem ferrent castra mouerunt, sed hostium celeritate vincente, quomodo res successisset in itinere certiores facti, cum omni exercitu Modoetiæ constiterunt: neq; etiam in alijs insubriæ partibus res illorum feliciter succedebant: millites enim Mediolani relicti Sangeorgium castellum supra Modoetiam positum, ex quo commeatus Abiate ferebatur ad deditionem compulerunt: Vitellius Stradellam castellum, cuius incolæ militum accerbitate compulsi pedites Lauda accersiuerant, recuperauit: Paulus Luzzascus cum in non paucos Gallos equites incidisset eos fudit; & Federicus Bozolensis Lauda ad Picighitonẽ oppugnandum profectus, pro victoria, multorum ex suis vulnera & cædes retulit. Aliquot modò Galli equites inter Placentiam & Dertonam excurrentes, quatuordecim aureorum numûm millia quæ ad Cæsaris exercitum mittebantur interceperunt. In his angustijs duplex erat Ammirallij spes; altera in hostibus aliò diuertendis, in auxilijs altera posita: rex enim per Genebræ montem quadringentas lanceas mittebat, quibus decem Heluetiorum millia adiungi debebãt: & Rentius Ceres per Vallemassinam quinq; Rhetorum peditum millia in Bergomensem agrum vnde Laudem, vt sese Federico Bozolensi cum quo erant multi Itali pedites adiungerent, profecturi erant, ducebat: sperabat autem Cæsaris exercitum Mediolani periculo iterum Ticinum traijcere coactum iri. Contra hos verò Mediolanensium dux, Ioannem Medicem cum quinquaginta cataphractis, trecentis expeditis equitibus, & tribus peditum millibus misit: qui trecentis Venetorũ grauis & totidem leuis armaturæ equitibus, & quatuor peditum millibus sibi adiunctis, hostibus qui ad Crauinam vicum inter Abduam & Brembum fluuios octo à Bergomo milliaribus venerant, appropinquauit, & cum copiarum parte ad castra illorum vsque excurrit: illi autem post tres dies se Crauinæ nec pecuniam, nec equitatum, nec peditatum, quæ à Rentio promissa fuisse aiebãt inuenisse, questi in patriam suam rediere. Itaq; Rhetorum motu dissoluto, Ioannes Medices Carauagium expugnauit, & deinde Abdua traiecta pontem quem Galli Bufalorij ad Ticinum habebant, tormentorum fulminibus corrupit. Erat adhuc in Gallorum potestate inter Mediolanum & Ticinum Abiate, vbi magna commeatus erat copia; & ad eius custodiam mille pedites Hieronymo Carracciolo Neapolitano duce: ad cuius expugnationem, quòd ad emissarium maius situm sit, commeatum cuius magna copia eò Mediolanum vehitur impediebat, Franciscus Sfortia Ioanne Medice ad se vocato, & præter milites omni populi Mediolanensis iuuentute sequenti, contendit: cumque oppidum à solis ortu ad meridiem vsque tormentis verberassent, oppugnationem sunt aggressi; & eodem die singulari cum Ioannis Medicei in quo eo die non modò ferocitas qua ceteros omnes superabat, verùm etiam summo imperatore digna prudentia & maturitas enituit laude, expugnarunt: captus fuit Carracciolus, multi pedites cæsi; multos quoq; Ioannes Medices, quod prius ab ipso transfugissent suspendi iussit. Oppido expugnato, arx eorum qui in ea erant salute pa-

lute pacta deditionem fecit. Hæc victoria Mediolanensi populo gratissima fuit, sed infelicitas lætitiam longè superauit: Abiate enim, vbi pestilentia grassari cœperat, ob prædæ Mediolanum translatæ commercium, tam pestilentis contagij semina in ea ciuitate sunt sparsa, quæ intra paucos menses ita est aucta, vt Mediolani tantùm supra quinquaginta millia mortalium extinxerit. Vltra Ticinum verò vbi rerum summa erat, Boniuetus post Sartiranæ iacturam, hostibus iterum appropinquantibus, Mortaria relicta binis castris, viribus, quia non modò ex peditatu, sed & ex equitatu multi paulatim in Galliam redierant, valde imminutis, nullo alio consilio nisi vt Heluetiorum qui numero circiter octo millia prope Eporediam erant auxilium expectaret, Nouariam se recepit. Cæsariani verò duces, illorum aduentui impediendo, & hostibus ad commeatus penuriam redigendis intenti, oppida Nouariæ circumiecta occupabant, & Gallos in præsidijs relictos interficiebant; præsidioque Vercellis & Heluetijs eam ciuitatem ingrediendi facultatem adimerent impositio, Blandrate inter Vercellas & Nouariam castris vndique fossis, arboribus, & aqua cinctis sunt metati. Tandem Ammirallius Heluetios vltra Eporediam progressos ad Stesiam amnem, quem ob aquarum copiam quæ tunc erat traijcere non potuerant, constitisse audiens, sese illis magis (vt credebatur) vt tutò discedere, quàm vt prælium committere posset coniungendi cupidus, Nouaria, Romanianum ad eundem amnem castra mouit; vbi cum commeatus penuria laboraret, & ipsius copiarum numerus quotidie minor fieret, inter Romanianum & Gatinariam pontē iaci imperauit: hostes vero Blandrate Brionum profecti, ad duo millia passuum prope Romanianum castra posuerunt: in his angustijs Galli sequenti die fluuium traiecerunt; quorum motui si hostes diligenter inuigilassent, opinio est illos eo die victoriam relaturos fuisse: sed variæ erant ducum sententiæ: alij enim pugnam exoptabant, alij vt sine vlla molestia abire permitterentur; neque qua opus fuisset in exercitu prouidentia & cura esse videbatur: solus Piscarius in omnibus rebus consueta virtute vtens, ad quem rerum summa deferretur dignus videbatur; ceteri eius virtutis & gloriæ æmuli, eam potius detrahendo & contradicendo, quàm egregia facinorum æmulatione obscurare nitebantur. Sero Cæsarianis Gallorum discessus est nuntiatus: quo audito multi expediti equites pedites que sine ordine & signis fluuio vado traiecto eos sunt persequuti: cumque ad nouissimum illorum agmen peruenissent, eos leui prælio lacessere cæperunt; & quamuis Galli pugnantes simul & incedentes aliquandiu eos sustinuerint, tandem tamen septem tormenta cum suo apparatu, & magnam commeatus copiam, præter multa equitatus & peditatus signa, non paucis etiam in pugna cæsis, reliquerunt. Galli se Gatinariæ, quod oppidū mille passus Romanino distat, metari velle finxerunt; & interea impedimenta & tormenta præmittebant: sed vbi hostes illos metatos esse rati, retrocedere cœperunt, circiter sex milliaria Rauisingum Eporediam versus metatum sunt progressi. Cæsariani autem eadem nocte absque vllo impedimento iuxta fluuium castra habuerunt; quem vbi primùm luna lucere cœpit, Venetis, qui se cum Sabaudiæ ducis fines essent ingressi, fœderis capita quibus non ad aliud quàm ad Insubriæ defensionem tenebantur transgressos censebant, minimè sequentibus, traiecerunt. Galli acie instructa & lento gressu, Heluetijs (à quibus primi equites ac pedites, qui cum Galli iam duo millaria Rauisingo processissent, nullo ordine in eos impressionem fecerant repulsi fuerant) in nouissimo agmine collocatis incedebant: Piscario autem cum expedito equitatu superueniente, prælium est redintegratum, non tamen eiusmodi vt Gallos sisteret, ex quibus in hoc postremo cōgressu cæsus fuit Ioannes Cabaneus, & Baiardus scloppi glande vulneratus; quo vulnere paucis diebus post obijt, captus. Piscarius etsi iam multi milites superuenissent, quia tormenta secum, & partē modo exercitus habebat, hostē sibi vlterius non esse sequendum censuit. Sic Galli sine molestia dimissi, 15 tormentis Bayri vltra Eporediam sub 300 Heluetijs, & vnius ex eius regionis regulis custodia relictis, vnà cum Heluetijs in patriam suam redierunt: sed neq; illa tormenta sunt cōseruata; quia Cæsariani duces ea re cognita, ad ea capienda miserunt. Victor exercitus postea in plures partes est distributus: Laudē missus fuit Vrbinatium dux, Alexandriam vero, quæ solæ vrbes, quia Nouaria Mediolanensium duce & Ioanne Medice eo profectis dedita fuerat, in Gallorum

potestate erant, Piscarius: proregi contra Rotellini marchionem, qui cum quadringentis cataphractis alpes transcenderat, eundi cura fuit relicta: sed is Boniueti discessu cognito, statim in Galliam redijt. Neq; Boissiuus & Iulius Sanseuerinas Alexandriæ custodiæ præfecti restiterunt: Federicus quoq; paucorum dierum, vt num Boniuetus alpes superasset, certò cognoscere posset spacio petito, Laudem Italos pedites, quemadmodum & ijs qui Alexandriæ erant concessum fuerat, qui numero circiter quinque millia (tot enim in vtraq; vrbe erant) regis rebus maximo postea adiumento fuerunt, in Galliam ducendi facultate sibi conseruata, dedere est pactus. Hunc finem habuit bellum Ammirallio duce in Insubria gestum; quo cum Galliæ regis potentia minimè debilitata esset, neq; malorum radices extirpatæ, tantæ calamitates non remouebantur, sed solùm in aliud tempus differebantur: Italia verò interea præsentibus quidem molestijs, sed non futurarum metu libera relinquebatur. Cæsar tamen à Borbonio incitatus, & eius ducis autoritatem maximi momenti fore spe allectus, Angliæ quoque rege se ad id propensum ostendente bellum in Galliam transferre est conatus. Huius anni initio Cæsar exercitum Fonterabiam vrbem interuallo breuissimo à Galliæ & Hispaniæ finibus remotam miserat: & quamuis locus ille militibus, tormentis & commeatu esset instructissimus, neque ijs qui eum tuebantur tempus ad muniendum deesset, nihilominus ob Gallorum imperitiam, tam incautè munitus fuit, vt cum hostium iniurijs essent expositi, necessitas eos salute pacta exire coegerit. Fonterabia capta eius cogitationes pontificis (qui quum eius anni initio ad Cæsarem, Galliæ & Angliæ regem homines qui aut de pace aut de inducijs agerent misisset, animos malè ad id affectos offenderat) suasionibus autoritateq; reiecta longius spectabant: quoniam rex duorum annorum inducijs assentiens, pacem se nihil in ea quod ipsi satisfaceret obtinere posse sperans recusabat. Cæsar inducias quibus Galliæ regi sese ad nouum bellum comparandi tempus concederetur improbans, pacem exoptabat: & Angliæ regi, quia pacis negotium tandem totum ad se deferri ad id Eboracensis cardinalis qui verè hac ætate immoderatæ superbiæ exemplum etsi inter infimæ sortis homines sordidissimis parentibus natus, tantam apud illum regem autoritatem erat adeptus, vt regis voluntatem Eboracensis consensu non confirmatam nullius momenti, & contra quidquid solus Eboracensis statuisset, firmissimum esse omnibus esset notissimum, ambitiosis consilijs impulsus cupiebat, qualiscunq; pactio pontificis opera fieret, molesta erat. Hanc verò suam cogitationem rex & cardinalis apud Cæsarem dissimulabant, seque belli Galliæ regno, quod Angliæ rex varijs rationibus ad se spectare aiebat, inferendi cupidos ostendebant: primam autem iuris originem ab Eduardo III Angliæ rege repetebat: qui Carolo IIII cognomento Pulchro Galliæ rege anno salutis nostræ millesimo trecētisimo vigesimo octauo, ex cuius sorore natus erat Eduardus, sine liberis maribus defuncto, vt tanquam defuncto regi inter mares proximus, rex declararetur postularat; sed in totius regni comitijs quibus Salicæ legis in eo regno vetustissimæ vi, non modò fœminas, verùm etiam omnes ex fœminina stirpe oriundos à regni successione excludi debere fuit constitutum exclusus, Galliæ regis nomine sibi non multo pòst sumpto, magnis copijs regnum inuasit: vbi multis victorijs & contra Philippum Valesium, qui communi consensu Caroli Pulchri successor erat declaratus, & contra Ioannem eius filium, quem prælio quodam captum in Angliam duxit, partis; tandem pacem qua multis Galliæ prouincijs oppidisque sibi retentis, regio honore cessit, cum illo pepigit: hanc verò pacem quæ non diu fuit seruata, nunc diuturna bella, nunc longæ induciæ sunt sequutæ: postremo autem Henricus Quintus Angliæ rex fœdere Philippo Burgundiæ duci ob Ioannis patris sui cædem à Galliæ regno alienato iunctus, tam secunda contra Carolum Sextum regem mente captum fortuna est vsus, vt vnà cum Lutetia vrbe ferè totum Galliæ regnum occuparit: qua in vrbe cum regem vnà cum vxore & Catharina filia inuenisset, illam in matrimonium duxit; & ita effecit vt demens rex, etsi Carolus eius filius viueret, regnum patre mortuo in illam & eius libros transferretur consenserit: cuius quamuis nullius momenti & ineptæ pactionis vi, post Henrici obitum, Henricus Sextus eius filius Lutetiæ solemni ritu Galliæ & Angliæ regnorum coronam accepit. Sed quamuis Carolus post patris

obitum

obitum Septimus nuncupatus, grauissimorum bellorum in Anglia inter eos qui ex regia stirpe erant occasione, Anglos omnibus ex locis Caleto excepto vltra Oceanum expulisset, non tamen ideò Angliæ reges à Galliæ regum honore sibi vindicando destiterunt. Hæ igitur causse Henricum Octauum ad bellum mouere poterant, quum præsertim firmiore iure, quàm superiores reges omnes regnaret: nam quum ab Diorchiæ familiæ regibus (erat id vnius factionis nomen) Lancastriæ (quod alterius factionis nomen erat) familiæ reges depressi fuissent, Lancastriæ factionis homines, quum nemo amplius ex ea stirpe superstes esset, Henricum à Richemort vt illis proximũ ad regnum euexerunt: qui aduersarijs superatis & extinctis, quo firmius & maiori auroritate regnaret, Eduardi penultimi ex Diorcha familia regis filiam sibi legitimo connubio iunxit; ex quo in Henricum Octauum ex eo matrimonio natum omnia vtriusque familiæ (quæ insignium suorum causa hęc rubra, illa alba Rosa appellabatur) iura translata videbantur. Sed tamen non tam Galliæ regni armis occupandi spes, quòd in eo innumeras difficultates perspiceret, Angliæ regem incitabat, quàm Eboracensis vt molestiarum diuturnitas & bellorum necessitas tandem in causa essent, vt pax regis sui arbitrio committeretur cupiditas: qui quum tunc fore sciret, vt id ex sua autoritate penderet, de magna apud cunctos mortales nomini suo gloria concilianda, & Galliæ regis cui occultè fauebat beneuolentia promerenda cogitabat: idcirco non eas leges proponebat, quibus si eius tanti belli cupiditate flagrasset, sese obstringere debuisset. Hæc occasio igitur Cæsarem ad bellum incitabat, & multo magis quòd ob gratiam, autoritatem & maximas clientelas quas Borbonius in eo regno habere solebat, motum excitatum iri speraret: ideo quamuis multi ei vt quum pecunia destitueretur, & socios dubiæ fidei haberet, tam ardui belli inchoandi cogitatione deposita, de inducijs à pontifice agi pateretur suaderent, cum Angliæ rege & Borbonio constituit, vt Borbonius cum eius exercitus qui in Italia erat parte, in Galliam transiret; eique vbi alpes superasset, Anglus in primi mensis ad bellum sumptus mille auri pondo daret, atque in eius potestate esset, siue singulis mensibus tantundem pendere, siue cum valido exercitu ipse in Galliam transire, & bellum à primo Iulij die in primum Ianuarij diem vsque gerere tribus cum equitum millibus & mille peditibus cum idoneo tormentorum apparatu ex Flandria acceptis, vellet; victoria verò parta, Borbonio sua ei à Galliæ rege occupata restituerentur; Prouincia verò quam hæreditate ad se ex cessione quam à Caroli Octaui obitu, Lotaringiæ dux Annæ Borbonij duci fecerat, spectare dicebat, sibi acquireret, eamque cum regia appellatione possideret: prius tamen Anglum, Franciæ regem appellaret, eique se pariturum sacramento obligaret: quod ni faceret, hoc fœdus irritum esset: neque Borbonio sine vtriusque illorum consensu quidquam cum Galliæ rege agere liceret: Cæsar quoque eodem tempore ex Hispaniæ finibus bellum inferret; & Cæsaris atque Angliæ regis oratores ab Italiæ principibus & ciuitatibus, quo se in perpetuum Gallicorum armorum metu liberarent, pecunijs eam expeditionem adiuuari curarent: quod quidem irritum fuit: nam pontifex non modò pecuniam dare recusauit, verùm etiam hanc expeditionem expressè improbauit, eamque non modò in Gallia felicem successum non habituram, sed etiam vt bellum maius & periculosius quàm antea in Italiam rediret in causa futuram prædixit: quo fœdere icto, etsi Borbonius, qui Angliæ regem pro Galliæ rege agnoscere constanter recusauit, exercitum Lugdunum versus, vt ad sua propius accederet, potius ducendum suaderet, nihilominus ob auxiliorum à Cæsare ex Hispania mittendorum facilitatem, & vt classe quæ Cæsaris iussu & sumptibus Genuæ adornabatur, vti posset, vt in Prouinciam duceretur decretum fuit. Huius expeditionis progressus fuerunt, vt Borbonius & cum eo Piscarius, ad id bellum (quia Borbonio parere recusabat) Cæsariani exercitus præfectus declaratus, Nicæam, sed longè minoribus quàm constitutum fuerat viribus petierunt: quoniam quingentis grauis, octingentis leuis armaturæ equitibus, quatuor Hispanorum, tribus Italorum, & quinque Germanorum peditum millibus addi debebant trecenti ex eo exercitu qui in Italia erat, cataphracti, & quinque Germanorum peditum millia; sed hi ob pecuniæ defectum non venerunt;

& prorex qui nouos pedites, vt primo constitutum fuerat, conscribere non poterat, vt se Michaëli angelo Salutiarum marchioni, qui regni sui finibus egressus cum mille peditibus in montibus constiterat, opponeret, cataphractos ad regionis custodiam retinebat. Huc accedebat quòd Cæsariana classis in qua maximam spem habebant, cui Vgo Moncada Valentini alumnus, homo prauo ingenio & perditissimis moribus præerat, Gallica classe quæ Massilia profecta in Villafranchæ portu hæserat, inferior apparebat. Sed tamen Cæsaris copiæ in Prouinciam, vbi Palitia, Folietta, Rentius Ceres, & Federicus Bozolensis regij duces intra oppida se receperant, quia vires ad sese acie opponendum idoneas non habebant, venerunt: quarum pars secundum mare incedens, turrim Tolonij portui imminentem expugnauit; ex qua duo tormenta ad exercitum sunt aduecta. Aquæsextiæ, ciuitas ob dignitatem suam & regij consilij sedem Prouinciæ caput, & complura alia eius regionis oppida deditionem fecerunt. Cupiebat Borbonius vt ab Aquis à mari recedentes Rhodanum fluuium quo in interiora Galliæ regni dum apparatus tenues erant penetrarent, traijcere niterentur: quoniam regis equitatus admodum afflictus, & suis stipendijs ab rege pecunia exhausto, quique vt hostes ex Insubria in Galliam transirent non expectabat, fraudatus, in tantam confusionem erat redactus, vt tam citò in ordinem redigi non posset: cumque, vt solebat, regni sui peditatus virtuti minimè fideret, antequam in aciem prodiret, Heluetiorum ac Germanorum peditum aduentum præstolari cogebatur; quo temporis spacio Borbonius se si Rhodanum traijceret, rei bene gerendæ præclaram occasionem habiturum sperabat. Sed alia fuit Piscarij & Hispanorum ducum sententia; qui ob maris opportunitatem Massiliam, portum ad Galliam maritimis classibus infestandam, & ex Hispania in Italiam nauigationi maximè opportunum, quam etiam Cæsaris mentem esse norant, occupare cupiebant: quorum voluntati cum Borbonius repugnare non posset, Massiliæ qua in ciuitate erat Rentius Ceres cum Italis peditibus, qui Alexandria & Lauda in Galliam ducti fuerant, exercitum admouerunt: ad cuius oppugnationem quadraginta dies frustra consumpserunt: nam etsi pluribus ex partibus mœnia tormentis quatefacerent, & cuniculos agere conarentur, multa tamen expugnationem impediebant: mœnia satis firma & veteris structuræ, militum virtus, populus, Alfonsum seniorem Aragoniæ regem quum classe Neapoli in Hispaniam rediret, eam ciuitatem repentè diripuisse memor, Galliæ regis studiosissimus & Hispanico nomini infensissimus, & auxilij terra & mari, quia Galliæ rex Auinionem pontificij iuris vrbem ad Rhodanum positam profectus, magnas copias diligenter colligebat, accipiendi spes. His accedebat quòd Cæsarianis pecuniæ deerant; deficiebat & spes Galliæ regem alijs ex partibus oppugnatum, quo minus omnes suos apparatus vnicam in partem conuerteret impeditum iri: quoniam Angliæ rex etsi Riccardum Pacceum ad Borbonium misisset, mille auri pondo in secundum mensem dare recusabat; neque belli in Belgis gerendi signa ostendebat: imò cum Ioannem Ioachimum Spedianum à Galliæ rege ad se missum, in Insulam admisisset, & Eboracensis Cæsaris oratoribus sinistra responsa daret, animi sui haud mediocrem suspicionem præbebat. Neque in Hispaniæ finibus vires voluntati respondebant: nam quum Castellæ Curiæ (sic totius regni nomine delectorum hominum conuentum appellant) Cæsarem quatuor millibus auri pondo vt in grauibus regis rebus facere solent iuuare recusassent, pecunias exercitui qui in Prouincia erat mittere non potuerat: neque ex finibus suis, contra Galliæ regem alios quàm tenues & exiguæ autoritatis apparatus facere. Quamobrem Cæsariani duces Massiliæ expugnandæ spe deiecti, & ne rege appropinquante in grauissimum periculum inciderent metuentes, eodem die quo rex sex Heluetiorum millibus collectis, cum omni exercitu Auenione castra mouit, Massiliæ obsidionem soluerunt: Massilienſi obsidione soluta, Cæsariani duces, statim quòd quanto in periculo, si in hostili regione Gallicus exercitus vel totus vel eius pars propius accessisset, essent futuri animaduerterent, maxima celeritate incidentes ad Italiam frontem conuerterunt: at rex quòd potentissimum exercitum haberet; quòd hostium res tenues esse sciret; & quòd se si recto itinere pergeret citius quàm exercitus qui

Massilia discedebat in Italiam peruenturum speraret, Mediolanensis imperij recuperandi sibi valde opportunam occasionem offerri ratus, fortunæ beneficio frui statuit; idque suis his verbis notum fecit. Ego in Italiam sine mora pergere statui: quicunq; igitur contrarium suaserit, is non modò à me non audietur, verùm etiam rem mihi ingratissimam fecerit. Dent omnes operam, vt ea quæ ipsis commissa erunt, quæúe muneris ipsorum sunt diligenter exequantur: Deus iusticiæ amans & hostium insolentia atq; temeritas, tandem ad ea quæ nobis iniquè erepta fuerant recuperanda viam aperuerunt. Hæc verba par sequuta est & in proposito perseuerandi constantia, & in perfidendo celeritas; & extemplo exercitum in quo erant duo millia cataphracti & viginti millia peditum, matris quæ ad illum vt montibus non transcensis per legatos bellum gereret cohortandum Auenione veniebat, colloquio vitato progredi iussit. Rentio Ceriti vt cum eo peditatu quem Massiliæ secum habuerat classem conscenderet mandauit; &, siue ne pacis colloquia audiret, siue quòd pontifici non fideret, Capuanum archiepiscopum ad se, vt postea ad Cæsarem transiret missum, vlterius progredi vetuit; sed vt vel Auinione apud matrem expectans, per literas secum ageret, vel ad pontificem rediret, iussit. Interea hostes quanta maxima poterat celeritate persequebatur; qui molestias à regionis incolis illatas negligentes, ordinibus minimè turbatis per maritimam oram incedentes, Monæcum peruenerunt, vbi tormentis quo facilius ferri possent in multas partes cõfractis, & mulis impositis Finarium cõtenderunt: quò quum venissent, regis motu cognito, vt in tempore ad Insubriam in qua minimè idoneæ ad obsistendum vires erant relictæ propugnandam venirent, eam celeritatem qua antea propriæ salutis caussa vsi erant duplicarunt: sic vtroq; exercitu Italiam versus cõtendente, eodẽ die Galliæ rex Vercellas, & Piscarius cum equitatu & Hispano peditatu Albam Pompeiam, Borbonio cum Germanis peditibus vnius diei itinere procul subsequẽte, peruenit: Piscarius verò ne sibi quidem respirandi spacio dato, sequenti die Alba Pompeia Vicheriam, quæ quadraginta millia passuum abest, vt altero die Papiam peruenire exercitum duxit, Papiæ sese protegi, qui summa celeritate cum iam regius exercitus Ticini ripas attingeret, Alexandria, duobus peditum millibus ad eius vrbis custodiam relictis venerat, coniunxit. Hic inter se vnà cum Hieronymo Morono de communibus rebus consilium capientibus, prima sententia fuit, vt idoneo præsidio Papiæ relicto, vt aliàs quoq; fecerant, Mediolani cõsisterent; idcircò vt Moronus statim eò se ad res necessarias comparandas conferret, eumq; Mediolanensium dux, quem accersiuerant sequeretur, constituerunt: ipsi verò Antonio Leua cum trecentis cataphractis & quinq; peditum, qui (paucis Hispanis exceptis) omnes Germani erant, millibus, Papiæ relicto, Mediolanum versus castra mouerunt: Mediolanensis autem ciuitas grauissima pestilentia ea æstate afflicta, quia ex populo ingens numerus interierat, & eorum qui tantam calamitatem vitarant, pleriq; aberant, consueta commeatus copia nondum importata, difficilis pecuniæ explicandæ ratio, munitiones maxima parte, cum nemo ijs conseruandis operam dedisset, disiectæ, sibi admodum similis videbatur; & nihilominus in tantis angustijs, homines ad eosdem labores, eademq; pericula subeunda, quemadmodum antea parati fuissent: Sed Moronus exercitum si Mediolanum introduceretur, potius ei ciuitati excidium quàm salutem allaturum animaduertens, alio consilio captò, in media multitudine stans, huiusmodi orationem habuit.

Nos hodierno die nec minore animi molestia eadem verba, quæ Seruatõr noster in angustijs suis dixit vsurpare possumus: spiritus certè paratus est, caro autem infirma. In vobis idem quod semper Franciſci Sfortiæ in imperio conseruandi studium viget; eius verò animum populi sui dilecti, pericula & calamitates, vt semper, excruciant: ipse ad propriam vitam pro salute vestra exponendam est paratus; vos quoque non minore ardore quàm hactenus sæpius feceritis, eam nunc exponeretis, sed voluntati vires nulla ex parte respondent: cum enim ciuitas incolis penè sit vacua, commeatus penuria laboret, pecuniæ desint, & propugnacula ferè iaceant, nulla est Gallos, quo minus ingrediãtur prohibendi ratio. Duci quod vos deserere cogatur, ac si ipsi esset met moriendum, haud minus est molestum: sed morte ipsi grauius foret, si dum vos tueri vellet, excidij vestri, vt proculdubio fieret, caussa esset. Qui de malis minimum eligit, is prudens habe

tur: quiq; non ita spe deijcitur, vt vnico decreto suas spes omnes deserit: quare dux vobis vt necessitati cedatis, & Galliæ regi, vosmet ipsos ad meliora tẽpora, quæ mox reditura esse maximas sperandi causas habemus, seruãtes, parcatis suadet. Dux nuc se ipse, neq; deinceps vos deseret: maxima est Cæsaris potentia, incredibilis fortuna, caussa æquissima, hostes ijdem qui toties à nobis victi fuerunt. Deus opt. max. vestram erga ducem & ducis erga patriam pietatem respiciet; & illum id ad quod nos præsens necessitas cogit, boni alicuius finis caussa permittentem, breui nobis talem ex superbissimo hoste victoriam, vt diuturna pace feliciter fruentes, nos ex tantis molestijs vendicare possimus, concessurum certò sperare debemus. Quibus dictis commeatu in arcem introducto, vrbe est egressus. Ibat & dux quid Moronus fecisset ignarus Mediolanum; sed vix dum Papia erat egressus, quum Ferdinandum Castriotam qui tormenta ducebat, obuium habuit, à quo magnam hostilis exercitus partem Ticinum traiecisse, & Zucherum Sequanum, quem cum suis expeditis equitibus ad fluuium obuium habuisset, ab illis fusum certior factus, ne iter præclusum offenderet metuens, Papiam redijt. Quibus in rebus etsi dux & Moronus candide egerant, nihilominus Cæsariani duces, qui Binaschi castra habebant, illos clàm cum Galliæ rege conuenisse suspicati, Alarconem cum ducentis cataphractis, vt illum postea prout ab illo significatum esset vel sequerentur vel secus, Mediolanum miserunt; ad cuius aduentum populus qui iam cum nonnullis exulibus regis nomine stipulantibus pacisceabatur animum recipiens, Cæsaris & Francisci Sfortiæ nomen inclamauit. Alarconius verò defensionis spem leuem esse animaduertens, & primum Gallici exercitus agmen iam appropinquare audiens, Romana porta Laudem versus, quo etiam totus Cæsarianus exercitus iter ceperat, eodem tempore quo hostes per Ticinensem & Vercellensem portas ingredi incipiebant, est egressus: quod si hostes Mediolano relicto Cæsaris exercitum itineris, in quo multa arma & equos amiserant, longitudine fessum essent persequuti, certò creditur ipsos victoriam relaturos: etsi etiam postquam prope Mediolanum venerant, illicò Laudẽ versus contendissent, Cæsariani duces illic hærere nequaquam essent ausi: & fortasse si Abduam celeriter traiecissent, eadem facilitate hostium reliquias delere potuisse. Sed rex siue quòd Mediolanum quæ ciuitas semper maximè ipsi obstiterat sub imperio suo confirmare fortasse magni momenti esse duceret; siue quòd occasionem non agnosceret; siue quauis alia de caussa motus non modò Mediolanum, quo neq; ipse est ingressus, neq; exercitum ingredi voluit, verùm etiam vt eam necessariò præsidio muniret, & arcis, in qua erant septingenti Hispani pedites obsidionem institueret, aliquandiu circa eam hæsit: & magna modestiæ benignitatisq; cum laude, ne quis Mediolanenses læderet, imperauit. Mediolanensium rebus constitutis, vrbem in qua tot milites essent, sibi à tergo relinquere rebus suis inutile ratus, exercitum Papiam versus mouit: rex (vt fama erat) ijs qui Mediolani relinquebantur adnumeratis, duo millia cataphractorum habebat; octo Germanorum, sex Heluetiorum, sex voluntariorum, & quatuor Italorum, qui postea valde aucti sunt, peditum millia. Tunc verò Piscarius Laudæ cum duobus peditum millibus constiterat; & prorex Alexandria, Como & Tretio præsidio munitis, vnà cum Francisco Sfortia & Carolo Borbonio Soncinum se contulerat: qui inter tot difficultates & angustias, nonnulla spe ex regis Papiam profectione recreati, & si eius ciuitatis defensio tempus concederet (alioqui enim nullam salutis viam inueniebant) de instaurandis copijs cogitantes, ad sex peditum millia conscribenda in Germaniam miserũt; in quorum stipendia, & alios necessarios sumptus, quingentæ auri libræ, quas Cæsar Prouinciæ belli caussa Genuam miserat, præsto erant. Illorum verò consilijs nihil magis obstabat, quàm pecuniæ penuria, quòd eam ex Mediolanensi imperio extorquẽdi facultatem non haberent: neq; à Cæsare, ob eius tenuitatem aliud quàm vt neapolitani regni vectigalia, quanto maximo possent, venderẽtur, sperarent: à veteribus autem socijs exiguum vel fortasse nullum militum pecuniarumúe subsidium expectare poterant: quoniam à pontifice & Florentinis de pecunia requisitis ambigua responsa accipiebant: pontifex enim post Ammirallij ex Italia discessum, quum sese bellis inter Cæsarem & Galliæ regem prorsus non immiscere statuisset, fœdus cum superiore pontifice ictum, nunquam renouare, vel nouum cum vllo principe fœdus inire voluerat; quin, etsi se

etsi se Cæsari & Angliæ regi fauere ostenderet, clàm prius Galliæ regi sese illi, si Mediolanense imperium inuaderet, non oppositurum promiserat: Veneti autem quum prorex vt auxilia quæ ex fœdere debebant pararent, ab eis petijsset, etsi non recusarent, siue quòd in plerisque veteris cum Galliæ rege fœderis memoria excitaretur, siue quòd illum qui tam potens contra imparatos hostes in Italiam venisset, victoria potiturum cen serent; siue quòd tunc magis quàm antea Cæsaris ambitionem, quia cum totius Italiæ admiratione ac penè querelis Francisco Sfortiæ Mediolanensis imperij diploma nunquam dederat, suspectam haberent; & pontificis, cuius consilia & exemplum eo tempore haud mediocriter intuebantur, autoritate mouerentur, vt quibus consilia rerum successibus accommodare esset in animo, ambiguè respondebant. At Galliæ rex exercitu Papiæ à superiori parte inter Ticinum fluuium & viam qua Mediolanum iter est, admoto, & primo agmine trans Ticinum in sancti Antonij suburbio ad eam viam quæ Genuam ducit collocato, ipse ad diui Lanfranci cœnobium est metatus; biduumque mœnia duabus ex partibus verberauit, ac deinde exercitu in aciem producto pugnam est aggressus: sed quum vrbem ab interiori parte benè munitam esse appareret, & hostes se in propugnatione valde fortes ostenderent; & contra in suis manifesta timoris signa, iamque multos cæsos conspiceret, receptui cani iussit: & quàm difficile esset ciuitatem quam tot militares viri propugnarent, impressionum impetu expugnare animaduertens, angulis quo tutius milites accedere possent exscindendis intentus, maximo fabrorum numero adhibito, ad fossarum atque aggerum altiorum opera animum conuertit: & huic labori qui longus & difficilis apparebat, vt si alia ratione non posset, eam particulatim caperet, cuniculos addidit: & tandem propugnatorum virtute & numero, eius spem minuente, architectorum & fluminis, qui duo milliaria supra Papiam duo cornua efficit, quæ mille infra Papiam passus, priusquam in Padum influat iterum coiunguntur, cursus peritorum consilio capto, cornu quod Papiam abluit, in Grauallonium (id minoris cornu nomẽ est) expugnationẽ in ea parte, vbi mœnia ob fluminis altitudinẽ tuta, nullo opere erant munita, faciliorem fore sperans, auertere decreuit: quo in opere, quòd innumera penè hominum multitudine & ingenti sumptu, nec sine eorũ qui in vrbe erant timore fiebat, nunc aquarum, quæ ingentibus pluuijs maximè creuerant, impetu, aggeres qui in alueo vbi fluuius diuiditur, quo in minus cornu cogeretur attollebantur, disijciente, nunc rege fluminis impetum hominum & pecuniæ vi superari posse sperante, complures sunt dies insumpti: tandem verò experientia, id quod sæpius apparet, plus fluminis impetum quàm hominum labores vel peritorum industriam posse docuit: quocirca rex virium atq; operum spe deiectus, in obsidione cuius diuturnitate propugnantes ad deditionem se cõpulsurum sperabat perseuerare statuit. Sed dum hæc fiunt & cõparantur, pontifex vbi Mediolanum à rege occupatum cognouit, tam secundo initio commotus, ideoq; suas res in tuto collocandi cupidus, Ioannem matthæum Gibertum Veronensem episcopum Datarium suum, hominẽ ipsi fidum nec regi ingratum, ad eum misit. Ei verò vt prius Soncinum peteret, ac proregem & ceteros duces ad pacem se eandem ob causam ad Galliæ regem iturum ostendens hortaretur, mandauit: illi autem spe ob Papiæ propugnationem iam aucta, se nullum pacis, qua rex vel vnicum soli palmum in Insubria retineret, sermonẽ audire velle ferociter ei responderunt: nec dissimilem & fortasse etiam duriorem in Galliæ rege mentẽ inuenit: is enim exercitus magnitudine, eiusq; nõ modò sustentandi, verùm etiã augendi facultate, qua præcipuè non sola hostes anteuertendi spe (quamuis & id quoq; sibi successisse diceret) fixum, se in Italiã venisse aiebat elatus, operibus & machinis quę circa mœnia faciebat, quibus hostes, qui vt ex eiaculandi infrequentia animaduertebatur, tormentarij apparatus penuria laborarent, resistere non posse sperabat, ob Ticini diuersionẽ cuius spes nõdum erat amissa, & cõmeatus inopiã, Papię obtinendæ, quam atrociter pulsare non cessabat, certã spem habere; nec Mediolanense imperium modò & Genuam tantis laboribus tamq; immodicis sumptibus dignũ ab se prẽmium iudicari, sed non minus de regno neapolitano inuadendo cogitare respondit. Tractatum deinde inter eos est negotium, cuius caussa potissimũ Datarius erat missus; idq; paruo labore perfectũ. Pontifex enim ad auxilia nulli neq; aperta neq; occulta cõtra regẽ danda se obstrinxit; idemq; pro Flo

rentinis ſpopondit: rex antem pontificem & Florentinos, Mediceæ familiæ Florentiæ autoritate expreſſè adiecta, in fidem accepit: quam pactionem non prius quàm pontifici viſum eſſet diuulgandam eſſe conſtituerunt: & nihilominus quamuis tunc id Cæſaris ducibus non innotuerit, in illis ſuſpicio de eo cõcepta ſubinde creſcebat; quare vt eius animum prorſus exploratum haberent, Marinum Nageriæ abbatem exercitus procuratorem, qui ei ſimul & ſpem & metum proponeret ad eum miſerunt: hinc enim ei res maximas offerebant, illinc oſtendebant quum Cæſar & rex ad extremam controuerſiã veniſſent; Cæſarem non poſſe eos qui medij extitiſſent non pro hoſtibus habere. Pontifex autem reſpondebat, nihil minus ſe dignum eſſe, quàm in chriſtianorum principum inter ſe bellis in alterutram partem inclinare; id enim ab ſe paſtoris munus exigere, & ſic poſſe ſe maiori autoritate de pace agere, de qua eodem tempore cum Cæſare agebat, ad quem Lugduno in Hiſpaniam tranſeundi poteſtate ab regis matre accepta, poſt Mediolanum captum Capuanus archiepiſcopus peruenerat, qui cum pontificem quod fœdus quemadmodum Cæſar regis in Italiam profectione cognita vehementer flagitarat, inſtaurare noluiſſet, ijſdem rationibus excuſaſſet; vt aut inducijs aut pace arma deponerentur, vehementer illum ipſius nomine eſt hortatus. Animum eius ad pacem flectebant difficultates ad quas ſe redactum animaduertebat, quòd nullam pecuniæ in Hiſpania pro Italiæ rebus explicandæ rationem haberet; felicitas quæ in Galliæ rege cernebatur, & Anglię regem clàm cum hoſte conueniſſe ſuſpicio: quoniam is rex non modò quinquaginta aureorum numũm millia, quæ tandem in Prouinciæ bellum Romam miſerat, ad exercitum qui in Inſubria erat mitti nolebat; ſed, quod maiorem ſuſpicionẽ afferebat, à Cæſare mutuò datam pecuniam, & reliquam omnem quam ei deberet repetebat: quia Cæſar iam cum in Hiſpaniam proficiſceretur, eius ſocietatis cupidiſſimus, vt omnia impedimenta quæ illum dubium reddere poterant remoueret, annuas penſiones quas ei Galliæ rex pendebat, & viginti aureorum numũm millia, quæ idem rex Eboracenſi & quibuſdam alijs ſoluebat; & trecentas aurilibras, quæ Blancæ reginæ Aloyſij regis olim vxori dabantur, ſe ei daturum recepit, ex quibus nihil ad eam vſque diem ſoluerat; nihilominus Cæſar quamuis ad animi ægritudinem corporis quoq; inualetudo accederet; quoniã dolor, quum Maſſiliæ expugnandæ difficultates apparere cœperunt conceptus, eam febrim quæ quarto quoq; die recurrit ei pepererat; ſiue quòd eius mens ad hoſti cedendum minimè prona natura nullis difficultatibus flecteretur; ſiue exercitus ſui, ſi quando fortè ad pugnam cum hoſtibus conſerendam ventum eſſet virtuti confideret; ſiue ſibi in poſterum fortunãm non minus immodicè propitiam quàm hactenus fuiſſet polliceretur, vllas pacis leges dum Galliæ rex Inſubriam armis vexaret, admittere ex dignitate ſua non eſſe reſpondebat. Interea Francus neapolitanum regnum inuadere ſtatuerat, ſperans proregem, quia nullum erat in eo relictum præſidium, periculo motum vel Inſubriam, vt ad illud propugnandum contenderet deſerturum, vel ſaltem iniquis legibus vt arma deponerentur, quòd rex Papiæ expugnandæ difficultatibus motus, iam ferè exoptare incipiebat, conuenturum: ad id bellum Ioannem Stuardũ Albanię ducem, ex Scotiæ regum ſanguine cretum, cum ducentis lanceis, ſexcentis leuis armaturæ equitibus, & quatuor peditum millibus, ſed hi pedites ex ipſius exercitus corpore, caperentur, nempe duo Italorum millia, quadringenti Heluetij, reliqui Germani, deſtinauit: & Rentius Ceres vt ſe illi adiũgeret, cum pedeſtibus copijs ad claſſem, quæ neceſſariarũ rerum difficultate impedita, nundum è Villafranchæ portu ſoluerat, deſtinato, Ligurnum deſcenderet: atq; idem Rentius ac ceteri Vrſini quatuor peditum millia in Latio conſcriberent: quod cõſilium per Albertum Carpenſem comitem orato rem ſuum pontifici ſignificauit; & vt peditatum Romæ conſcribi, exercitumq; ſuum per pontificij imperij terras iter facere pateretur, petijt. Id pontifici, cui Galliæ regem præter Mediolanenſe imperium etiam neapolitano regno potiri moleſtiſſimum fuiſſet, grauе erat: ſed quum id ei apertè denegare non auderet, regem ne eam expeditionem tunc aggrederetur, neue ſibi id ei quòd iuſtis de cauſſis concedere non poterat, denegandi neceſſitatem imponeret hortabatur: & prudenti oratione, id ipſiuſmet vtilitati contrarium eſſe oſtendebat: ſi enim Mediolanenſis imperij recuperandi cupiditas hactenus tot in eum hoſtes concitarat, quid ſi ipſum nunc ad regnum neapolitanum aſpirare cernerent

nerent fieret? cui mirum esset, si Veneti ea re moti bellum etiam vltra fœderis limites pro Cæsare susciperent? cogitaret si fortè in Insubria res ipsius difficiliores progressus sortirentur, quam existimationem in regno neapolitano essent habituri: inclinationem in alterutro horum locorum, in altero occasum parituram: deniq; memoria repeteret, se, quòd intra pontificij muneris limites contineret ab ipso commendatum, idcirco vt nunc ipsum ad contrarium cogeret non decere. Sed hæc frustra dicebantur; quia dux responso non expectato, vt qui id à pontifice certò concessum iri existimaret, Padum ad Stellatæ traiectum, qui in Mediolanensi imperio est, traiecerat; quamuis quinto die pòst sit reuersus; quia rex hostibus Germanos pedites auxilio aduentare, & Borbonium ad maiores copias conscribendas in Germaniam profectum certior factus, donec nouas Heluetiorum ac Rhetorum quos cõscriptum miserat supplementa venirent, exercitum integrũ conseruare voluit: interea verò vtrinq; ferè ocium erat; nisi quòd rex in Papiæ obsidione perseuerans nec opera intermittebat, nec tormentis eam verberare cessabat. Cæsariani aũt Borbonij reditum expectantes, nihil agebant, nisi quòd Piscarius, cuius prouidentia & audacia consilia maxima ex parte, expeditiones verò omnes nitebantur, nocte quadam cum ducentis equitibus & duobus peditũ millibus Lauda egressus, repentè in Meltium oppidum quod Hieronymus & Ioannes fermus Triultij negligẽter custodiebant irrupit; & duces, ex quibus Hieronymus paulo pòst vulnere in pugna acceptо interijt, cum maxima militum parte captiuos abduxit. Venerunt deinde ad regis exercitum Heluetij & Rheti; quamobrem Albanię dux denuò iter ingressus ad Stradellam in Placentino agro Eridanum traiecit. Pontifex igitur cum regem à bello neapolitano nunquam remouere potuisset, & fortasse ne ei suspicandi causſam præberet non multum institisset, fœdus antea cum eo initum Cæsarianis notum faciendi & concordiæ ad quam ob Papiæ expugnandæ difficultatem, & regni neapolitani periculum, vtramq; partem se faciliorem inuenturum sperabat, mentionem iterandi tempus ei opportunũ est visum. Quapropter Paulum Victorium classis suæ præfectum, proregi hæc significatum misit: se nunquam etsi summo studio in id incubuisset, regem à regni neapolitani inuadendi sententia remouere potuisse; quem ne nunc quidem nisi bellum quod sustinere non posset, in se ipsum concitare vellet, itinere prohibere posse; imò quo suæ securitati consulat, ad nouas pactiones cogi; in quibus tamen nullam vnquam legẽ in Cæsaris detrimentum esset admissurus; cui nihil in tantis difficultatibus pace vtilius esse agnosceret: de qua vt priusquam offensiones vlterius procederẽt, agi posset, proregẽ hortari, vt arma suspenderentur; & ijs quæ Cæsaris & ducis nomine in Mediolanensi imperio retinebantur, in alicuius minimè suspecti hominis manus depositis (propterea quòd alioqui rex his minimè assentiretur) inducias vellet admittere; quo facto ipsos aliqua honesta ratione de pace cõuenturos speraret; pro qua proponebat vt Mediolanẽse imperium à Galliæ regno prorsus disiunctum, Cæsaris qui eius rei gratia æquam pecuniæ summam acciperet, diplomate regis secundo filio concederetur; Mediolanensium atq; Borbonio ducibus honesta quapiam ratione prospiceretur; & pontifex, Veneti ac Florentini cum Cæsare contra regem, nisi promissis staret, coniungerentur. Cæsariani duces difficultatum periculorumque magnitudinem videbant, cum ipsis in tanta pecuniarum difficultate pontificis ac Florentinorum ope destitutis; iamq; certis, Venetos, qui etsi nouum peditatum conscribentes se fœdus seruaturos spem facere studerent, varijs tamen coloribus rem protrahebant, idem facturos, bellum in Insubria esset sustinendũ; & de regno neapolitano cogitandum: ideò prorex minimè à cõcordia alienus, se Neapolim, ad eius regni securitatem, recipere non recusabat: sed Piscarij sententia in concilio vicit; qui audacia simul & prudentia vsus, omnibus alijs periculis neglectis, Insubriæ bello ex cuius victoria cetera omnia penderent, necessariò inhærendum ostendit: non tantas copias in regnum neapolitanum inuadendum destinatas; nec tanta celeritate eò duci posse, vbi non pauca oppida munita essent: & eorum quorum salus in eius regni propugnatione sita erat, vires oppositæ; quin aliquot saltẽ menses defendi queat, quo tempore, verisimile esset, Mediolanensi bello supremam imponi manum posse: quod si cum victoria fieret, cui dubium esset, quin statim regnum neapolitanum, etsi vnica modò in eo turris Cæsaris nomen tueretur, essent liberaturi? Si in Gallia cisalpina

consistant, fieri posse, vt & Mediolani & Neapoli victores euadãt: si verò Neapolim peterent, Mediolanum certò amittũ; nec tamen regnum in quod illico totum bellum transferretur, periculo liberari: quæ autem spes quasi victis redeuntibus? tanta enim hostes cum existimatione ingrederentur, tanta esset populorum qui suapte natura, odio, & metu victori obuiam procedunt, propensio, vt regnum neapolitanũ, non magis quàm Mediolanense propugnari posset. Neq; aliud quidquam esse quod Galliæ regem de Insubriæ rerum successu hæsitantem, ad exercitum diuidendum, & dum prius bellum penderet nouum incipiendum moueret, quàm quòd Insubriam totam, nimia nostra regni neapolitani solicitudine, sibi prædæ relinquendam speraret; ex cuius consilijs quidquã statuere, nutibusq; eum exercitum toties victorem moueri, quid aliud esset, quam eam gloriam quam sibi toties contrà eos armis comparassent, eorum qui victi fuissent minis cum sempiterna infamia concedere? Quam sententiam tandem sequutus prorex, Traiectensium ducẽ Neapolim cum mandato, vt quanta possent pecuniæ vi collecta, Ascanius Columna & ceteri regni proceres eius propugnationi operã darent, misit; & quamuis ad ea quæ pontificis nomine sibi proposita fuerant, modestè respõdisset, acerbè admodum, se nullam pacis mentionem audire velle Romam scripsit. Quare pontifex, quòd Stuardus iter suum Neapolim versus persequeretur, se necessitate duci præ se ferens, non vt rem antea factã, se cum Galliæ rege simpliciter tantùm, vt alter alterum nõ læderet conuenisse promulgauit: quod etiam per epistolam causis, & præsertim necessitate qua impulsus id fecisset, expositis, Cęsaris procuratoribus significauit; qua ab Ioanne Corsio Florentino Oratore reddita, & ijs verbis quæ huiusmodi negotium postulabat additis, Cæsar qui prius pontificem in tanto periculo se deserturum sibi persuaderi non posse ostendebat, vehementer animo commotus respondit; se neque odio, neque ambitione, neq; alia vlla priuata cupiditate, sed Leonis pontificis ad id (vt ipse aiebat) ab hoc pontifice, qui tunc Mediceus cardinalis vocabatur, multum publicæ salutis interesse, vt is rex nihil in Italia possideret demonstrante incitatum, autoritate & cohortationibus impulsum, initio bellum contra Galliæ regem suscepisse: eundem cardinalem fœderis, quod eandem ob causam ante Adriani Pontificis obitum sancitum erat, autorem fuisse; idcirco summopere sibi molestum esse, quòd is qui minimè omnium se in periculis, quorum subeundorum autor ipsi fuerat deserere debebat, tam pernitiosam sententiæ mutationem, nulla necessitate coactus fecisset. quam enim dum Papia defenditur, nisi nimium metum eius causam inueniri posse? Quid pro eius amplitudine post Leonis obitum, & præcipuè in binis conclauibus fecisset; & suum eius, cuius opera Italiæ communem libertatem commodumq; firmatum iri crediderat ad pontificatum prouehendi studium commemorauit; nec pontificem fluxæ Galliæ regis fidei, quidũe ex eius victoria vel timere vel sperare posset oblitum esse, sibi persuaderi posse. Demum se neq; pontificis, quamuis iniquo atq; inexpectato decreto, neq; quouis alio casu, sibi ipsi defuturum: nec debere aliquem sperare ipsum ob pecuniæ inopiam sententiam mutaturum; sua potius regna omnia & propriam vitam, cuiuis periculo obiecturum; seque in hoc proposito tantopere obfirmatũ esse, vt Deum supplex rogaret, ne eam ob causam se æternis pœnis morteq; mulctaret. Ad quæ Florentinus orator respondebat; pontificem, postquam ad supremum dignitatis gradum ascendisset, non debere amplius se vt Mediceum cardinalem gerere, sed vt Romanum pontificem; cuius munus esset de pace iter christianos concilianda cogitare, & laborare: idcirco nihil aliud vnquam, nisi quàm ea esset necessaria monuisse; tam crebrò ea de re ad eum scripsisse; & Capuanum archiepiscopum bis misisse; seq; vtram in partem inclinare nefas esse attestatum fuisse. Idem cum Ammirallius ex Italia discederet, quòd nullo alio tempore maiore ipsius dignitate fieri potuisset, monuisse, neq; aliud responsum, nisi absque Angliæ regis cõsensu nihil fieri posse retulisse. Reuocaret Cęsar in memoriã, quantopere pontifex illã in Prouinciam expeditionẽ dissuasisset, quia pacis spem omnẽ perturbabat, quodq; vt rerum quæ post successerant præsagus, armorum capiendorum necessitatem, quæ Galliæ regi imponebatur, maioris incendij in Italia excitandi occasionem esse posse prædixisset. Per Veronensem quoq; episcopum regem iam Mediolani dominum, & proregem ad pacem cohortatum fuisse, in neutro autem animum ad eam propensum inueniisse. multis post

tis pòst adductis rationibus, copijs quæ in regnum Neapolitanum proficiscebantur itineris per pontificij imperij fines faciendi facultatem prorsus denegasse; regem verò non modò ad ea surdum fuisse, verùm eius responso minimè expectato, eas in Placentinum agrum misisse: idcirco postremò Paulum Victorium qui proregem ad armorum suspensionem hortaretur, ac quas temporis ratio poscebat leges, proponeret; eumque de imminentis periculi vitandi necessitate doceret, cùm præsertim Venetos dubios & Angliæ regem à sumptibus in Insubriæ propugnatione nisi eodem tempore Cæsar & ipse vnà trans alpes arma mouerent faciendis, alienum cerneret, misisse; sed quum omnes propositas rationes à prorege reijci, & regias copias progredi videret, fidem ab illo & securitatem accipere coactum: se verò nulla re, quàm ne & ipse vicissim eum lęderet, obstrictum. Querebatur Cæsar conditionem proregi propositam, vt ipse omnia quæ teneret deponeret, à Galliæ rege quoq; idem faciendũ nulla facta mentione, valde duram fuisse; ac denique quamuis Piscarius ad concordiam cohortatus, multa incommoda in exercitu resq; in maximo periculo esse ei significasset, non tamen animum, quia si ad pugnam ventum esset, ob militum suorum virtutem victoriam speraret, ad pacem inclinare. Interea Papiensis obsessio, etsi ob tormentarij pulueris & globorum inopiam nonnihil ab ea verberanda cessatum, perseuerabat: rex autem vt ei difficultati occurreret; vt Ferrariensium dux paulo antè ab ipso in fidem ea lege acceptus, vt septuaginta aureorum numûm millia numeraret, ex his viginti millia in eiusmodi tormentarios apparatus conuerteret, annuerat; quo per Parmensem & Placentinum agrum incolarum iumentis & carris pontificis iussu, non sine graui proregis, quasi id expressè Galliæ regem adiuuare esset querela, eis commodatis vehebantur: & quo tutius vehi possent, rex Ioannem Medicem (qui huius belli initio se à prorege minimè æquis oculis aspici, neq; tantam pecuniám quam milites mouere posset dari questus, à Cęsaris ad regis stipendia transierat) cum ducentis equitibus & mille ac quingentis peditibus ei obuiam miserat: hoc autem præsidium quod Stuardus, qui eodem tempore Padum traiecerat, haud procul esset, satis esse videbatur. Sed prorex & Piscarius vt impedirent, ponte prope Cremonam posito cum sexcentis grauis armaturæ equitibus, & octo peditum millibus Padum traiecerunt, & primo die Monticellis castra locarunt: & nihilominus, quum Thomam Foisseium cum exercitus parte ab rege qui eis occurreret, mitti audiuissent, citò trans fluuium redierunt. Post quorum discessum, Albaniæ dux, per Regiensem agrum & Caseronianam, sed tam lentè progrediens, vt eam opinionem id à rege magis vt Cæsarianos duces hoc timore ad concordiam flecteret, aut ad Insubriæ res deserendas impelleret, quàm aliquid efficiendi spe tentari confirmaret, Apennium transcendit. Adiunxit se mox illi Lucæ Rentius Ceres cum tribus peditum millibus, classe cui prætereunti Sauona Voragoq; deditionem fecerant, aduectis: eadem classis in Liguriæ occiduum littus reuersa Genuensibus metum incutiebat. Sequitur annus M D XXV. cuius initio Vgo Moncada classe Genua profectus, Voragine, in cuius præsidio erant aliquot Galli pedites, cum tribus peditum millibus descensionem fecit: Gallica verò classe cui Salutiarum marchio præerat, suis auxilio veniente, hostilis classis, quòd sine peditatu esset, recessit: quare Galli descensione, impetuq; in hostes facto, multisq; ex illis cæsis, eos fuderunt, & Vgonem ceperunt. Eiusdem anni initio Stuardus Lucenses ad duodecim aureorum numûm millia sibi pendenda, & quædam tormenta commodanda compulit: deinde per Florentinorum, à quibus amicè acceptus fuit, fines vlterius progressus, cum exercitu prope Senas ad id à pontifice, qui quum nec autoritate nec armis, ijs quæ ipsi molesta erant posset occurrere, consilia sua artibus & industria ad finem perducere nitebatur, rogatus constitit. Pontifici Galliæ regem Mediolanensi imperio potiri, quod dum Cæsar & rex in Italia essent, sacrosanctam sedem suumq; pontificatum ab vtriusq; potentia tutum censeret, minimè molestum erat; eademq; caussa fiebat, vt regnum neapolitanum à Galliæ rege occupari, ne eodem tempore duo maxima imperia in tam potentis principis potestate essent, minimè vellet; idcirco Albaniæ ducis expeditioni moram interponendi occasione captata, à rege vt is in itinere Senensium statum immutaret, petierat. Pontifex enim quòd illa ciuitas medio inter Romam & Florentiam itinere esset sita, illam in amicorum suorum potestate esse summopere cupiebat; 1525

quemadmodum etiã ipſius opera ante paucos menſes fuerat: nam Petruccio cardinale Adriani pontificatu defuncto, cũ Franciſcus eius nepos ſibi ſucceſſionis ius arrogaret, Montisnouiæ factionis principes ſe illi ob eius inſolentiam, etſi eiuſdem factionis eſſent, oppoſuerant: & à Sueſſano duce Cæſaris oratore ac Mediceo cardinale, vt alia reip. forma vel ea ad libertatem redacta, vel ea autoritate in Fabium Pandulfi Petruccij filium, etſi is non multo ante clàm Neapoli aufugiſſet, translata conſtitueretur petierant: quare diu agitata, tandem vbi Clemens pontificatum inijſſet, Fabius cõmuni ipſius & Cæſaris conſenſu in paternum locum eſt reſtitutus; ſed quum non ea autoritate polleret, qua pater, ciuitate ferè tota ad libertatem propenſa, & Nouij non ſatis cum eo neque inter ſe conſentirent, potentiæ debilitas eius qui quum neq; ciuium beneuolentia nititur, neq; tyranni more, nullius prorſus ratione habita regitur, effecit, vt quamuis in foro præſidium ab ipſo impoſitum eſſet, quodam die eius aduerſariorum opera abſque vlla externa ope populi tumultu excitato, paruo labore ciuitate pulſus fuerit: quamobrem pontifex, qui neq; multitudini, neq; vlli factioni fidebat, in Nouijs, vt poſtea vel Fabium vel aliquem alium ex eis qui ipſi placeret, caput conſtitueret autoritatem transferre ſtatuit: quæ res Cæſarianis (vt ſuſpicio omnia in ſiniſtram partem interpretari ſolet) fœdus inter pontificem & Galliæ regem, maiora vtrinq; continere opinionem auxit. Albani circa Senas mora effecit, vt Senenſes, quo ſe exercitus moleſtijs liberarent, ijs ciuibus qui pontifici familiares erant ampliſſimam in rep. conſtituenda autoritatem dederint: quo facto, tormentis & certa pecuniæ ſumma à Senenſibus accepta, conſueta tarditate vlterius eſt progreſſus. Monteflaſcone Romam vt pontificem conueniret petijt; deinde Tiberi, Fiani traiecto, in Vrſinorum oppidis, quo milites qui Romæ pontifice permittente conſcribebantur, confluebant, hæſit: Pontifex autem etiam Columnios qui ad regni neapolitani defenſionem Marini exercitum colligebant, Romæ militem conſcribere patiebatur: verùm ob illorum tarditatem, & quia vtrinque exigua pecunia conſpiciebatur, tenuiſſimæ expectationis erat hic motus: hominum verò oculi, aures, animi ad Inſubriæ res prorſus intenti erant; quæ ad finem properantes, varijs caſibus vtriq; parti modò ſpem modò metum augebant. Papiæ obſeſſi pecuniæ inopia premebantur; tormentarij pulueris penuria laborabant; vinum & omnia reliqua cibaria (excepto pane) deficere incipiebant: quapropter Germani pedites iam ferè tumultum excitantes, præter id quod ipſi per ſe faciebant, à duce ſuo quem clàm cum Galliæ rege conueniſſe ſuſpicio erat, concitati pecuniam poſcebant. Ab altera verò parte prorex, Borbonio qui quingentos Burgundos equites & ſex Germanorum peditum millia, Romanorum regis ſtipendijs conſcripta, ex Germania ducebat appropinquante, Laudam, vbi ſe exercitũ hoſtili minimè inferiorem habituros exiſtimãtes copias omnes colligere in animo habebant, ſe contulerat: verùm ad milites mouendos & retinendos, nec pecuniam nec vllam eius explicandæ facultatem habebant: de pontificis ac Florentinorum auxilijs prorſus deſperabant; nec minus de auxilijs Venetorum, qui poſt varias excuſationes & moras, tandem Protonotario Carracciolo Cæſaris apud ipſos oratori, ſe pontificem (cuius opera clàm cum Galliæ rege ſe neutri adhæſuros pepigiſſe credebantur) imitari velle reſponderant: quin etiam occultè pontificem, vt ne ipſis alterutrius victoria eſſet metuenda, decem Heluetiorum millia communibus ſtipendijs in Italiam aduocaret hortabantur: quòd conſilium ab ipſo probabatur; ſed ob pecuniæ inopiam, & eius naturam tam lentè procuratum, vt ſerò admodum Verulanum epiſcopum ad illorum animos ad id comparandos in Heluetiam miſerit. Papienſium anguſtias proregis & ceterorum ducum induſtria nonnihil mitigauit: quoniam certis hominibus in Gallorum caſtra ad vinum vendendum miſſis, Antonius Leua ſigno accepto, milites in eam caſtrorum partem eruptionem facere iuſſit: vnde tumultu excitato, qui vendebãt maiori vaſe fracto cum paruo vaſculo quod in maius incluſerant, in quo tria aureorum numũm millia erant, Papiam cucurrerunt; ex qua parua ſumma Germani pecuniæ mittendæ difficultate perſpecta, deinceps patienter tulerunt: tumultuum quoq; fomentum Germanorum militum præfecti mors extinxit, opportuno tempore ſecuta, vt Antonij Leuæ opera veneno extinctus crederetur. Quo tempore Piſcarius exercitu Caſſiani, ad cuius oppidi cuſtodiam erãt quinquaginta equites & quadringenti Itali pedites, admoto, eos ad deditio-

ditionem nulla interpoſita pactione compulit: quum autem Borbonius cum Germanis peditibus adueniſſet, nihil duces de Papiæ periculo ſolicitos, præter magnam pecuniæ penuriam remorabatur: quia non modò de exercitus ſtipendijs cogitare non poterant, verùm etiam vix pecuniam ad tormentarium apparatum & tormenta vehenda inuenire: quibus in anguſtijs, gloria & opibus quæ ex victoria ad eos peruenturæ eſſent militibus propoſitis, & ijs quæ hactenus victores erant adepti in memoriam reuocatis, odij in Gallos ſtimulis eos accendentes, vt Hiſpani pedites ſe integrum menſem nulla accepta pecunia, militaturos, & Germani tanta quanta ad victum comparandum ſatis eſſet, ſe contentos fore promiſerint, effecerunt. Sed maior erat in vtriuſque armaturæ equitibus per Cremonenſis agri & Giaradaddæ oppida diſtributis difficultas: ij enim cum iam diu nullam pecuniam accepiſſent, caſtris, vbi omnia ad victum neceſſaria ipſis eſſent emenda, ſequendis, ſe cum equis alere nõ poſſe afferebant; & operam ſuam peditũ, in quos tamen nonnunquam aliqua pecuniæ ſumma fuiſſet diſtributa, cum ipſis tandiu iam nihil eſſet datum, opera quum tamen virtute & fide illis minimè cederent, nobilitate verò & meritis longè anteirent, minus gratam eſſe & minoris fieri querebãtur. Horum animos Piſcarius in eorum caſtra profectus, nunc excuſans, nunc eos ſolatus, nunc obiurgatos mitigauit: debere enim illos quo clariores virtute, quoq; notior ipſorum fortitudo, tanto magis ne fide in Cæſarem, de cuius non modò dignitate & gloria, ſed omnibus quas in Italia poſſideret fortunis ageretur, & beneuolentia à peditibus ſuperarentur niti; cuius potentiã quantum amarent, & cui quam operam nauare cuperent, nunquam maiorẽ declarandi occaſionẽ eſſent habituri; cunq; toties propriam vitam pro Cęſare periculis expoſuiſſent, cogitarent, quàm turpe eſſet, quàm nouum ipſos nunc exiguam pecuniolã pro eo exponere recuſare. Quibus rationibus & Marchionis autoritate moti, minima ferè pecuniæ ſumma accepta in menſem vnũ, contenti fuerunt. Itaque omni exercitu in quo 700 grauis, & totidem leuis armaturæ equites, mille Itali & ſupra ſedecim partim Hiſpanorum partim Germanorum peditũ millia eſſe dicebantur collecto, XXV Ianuarij Lauda profecti, eodem die, ſiue vt rex eius ciuitatis periculo motus Papiæ obſidionem ſolueret, ſiue vt militibus qui ad Mediolani cuſtodiam erant inde diſcedendi cauſſam præberent, ſe Mediolanũ verſus ire velle ſimulantes, Mariniani ſunt metati: & nihilominus poſtea Lambro amne prope Vigigolfum traiecto, Papiam verſus apertè iter ceperunt. Rex in ſuo exercitu in mille & trecentos cataphractos, decem Heluetiorum, quatuor Germanorum, quinq; Gallorum & ſeptem Italorum millia, etſi ducum fraude & ipſius miniſtrorum negligentia peditum numerus longè minor eſſet, ſtipendia numerabat. Ad Mediolani verò cuſtodiam erat Theodorus Triultius cum trecentis cataphractis, ſex partim Rhetorum partim Valeſiorum, & tribus Gallorum peditum millibus; ſed quum Cæſariani Papiam verſus iter direxerunt, duobus millibus exceptis, omnem peditatum in caſtra reuocauit. Cum Cæſariani in campos prodierunt, in regio concilio quid agendum eſſet diſputabatur: Tramollia Palitia, Thomas Foiſſeius & multi alij duces, vt rex è Papienſi obſidione diſcederet, & aut ad Carthuſianorum cœnobium, aut Binaſchi locis (qualia in ea regione ob aquarum riuos ad irriganda prata deductos multa ſunt) munitis caſtra locaret, ſuadebant; hacq; ratione ipſum citò ſine ſanguine & ſine periculo, propterea quòd hoſtilis exercitus cum pecunia careret, non diu ſimul coniunctus manere poſſet, ſed vel diſſolui vel per oppida diſtribui cogeretur, victoria potiturum oſtendebant: & Germanos Papiæ defenſores, qui ne timore ſuo ſtipendiorum cauſſam prætexere dicerentur, multorum iam menſium creditores, patienter id ferebant, ſtatim vbi obſidio eſſet ſoluta, ſtipendia ſua potituros: quibus quum duces ſatis facere non poſſent, neque vllam veriſimilem ſpem qua eos (etſi vana) fouere poſſent haberent, grauem aliquem tumultum concitaturos: hoſtes nulla alia re, niſi prælij citò committendi ſpe coniunctos retineri; qui vbi bellum protrahi, & pugnæ opportunitatem longius ſubmoueri, viderent, difficultatibus & confuſione replerentur. Afferebant, etiam quàm periculoſum eſſet, inter vrbem in qua quinque peditum millia ex ferociſſima gente eſſent, & exercitum qui vt ei opem ferret veniebat, hominum numero & ducum ac militum virtute atque vſu potentem, atque ob victorias partas ferocem, quiq; omnes ſuas ſpes in prælij fortuna collocaſſet, caſtra ha-

bere. Nullum dedecus esse retrocedere, cum eius caussa prudentia est, non autem metus: cum ne res certæ in discrimen conijciantur, cum propinquus belli finis cunctis mortalibus consilij maturitatem est ostensurus, & nullam victoriam vtiliorem, præclariorem, magisúe glorioſam esse, quàm ea quæ absque militum suorum detrimento sanguine comparatur: præcipuam militaris disciplinæ laudem, magis in eo sitam esse, vt se se periculis, nisi necessitate cogente, non obijciant; & vt aduersariorum conatus industria, patientia & artibus irritos reddant, quàm vt ferociter pugnent. Idem & pontifex regi suadebat: cui Piscarius tantam inopiam metuens, antea Cæsarei exercitus eas esse angustias, vt sibi ferè omnem secundi successus spem præciderent, significauerat; nihilominus rex cuius deliberationes ex vnius Ammirallij cõsilijs pendebãt, magis vanis, & quouis leui casu mutabilibus rumoribus quàm rerum ipsarum firmis fundamentis sibi ob oculos positis, exercitum in quo ipsemet esset, timoris signo dato, hostium aduentui cedere, sibi magno dedecori ducebat: incitabat quoque eum id, quo nihil imperatores imprudentius faciunt, quòd vocibus quibusdam inaniter emissis, se ita obstrictum esse arbitrabatur, vt facta verbis exæquanda censeret: palam enim dixerat ac sæpius in Galliam vniuersamque Italiam, se potius mortem oppetiturum, quàm vt sine victoria Papia recederet, dissipauerat. Sperabat se ea facilitate castra munituram, vt nulla repentina irruptione turbari posset: sperabat hostes, qui, quòd commeatum comparandi facultatem non haberent, & cibi caussa prædatum ire cogerentur, in castris hærere non poterant, ob pecuniæ inopiam quauis vel minima mora, dissipatum iri: sperabat similiter, se commeatum qui in castra vehi deberet, cuius maximam partem Cremona destinatam esse norat, quia paulò antè Ioannem Ludouicum Palauicinum, vt vel Cremonam, vbi paruum erat præsidium, occuparet; vel saltem commeatum tutò inde auehi prohiberet conduxerat, impediturum. Hæ igitur rationes regem in Papiæ obsidendæ pertinacia confirmarunt: & vt hostes eius ingressu prohiberet, castra in aliam formam redegit. Rex antea Burgoratum versus, ad Lanfranchi cœnobium circiter quingentos passus extra vrbem & vltra eam viam qua Papia Mediolanum itur, ad Ticinum amnem prope eum locum vbi aquarum cursum aliò auertere tentarant, positum, Palitia cum primo agmine & Heluetijs ad Ronchas in suburbio prope sanctæ Iustinæ portam, munitionibus ad Petri, Apolloniæ, & Hieronymi templa perductis: & Ioannes Medices cum suo equitatu ac peditatu ad Seruatoris cœnobium castra habebat; sed hostium Lauda discessu cognito, rex in Leporario, quem Barcum vocant, ad Mirabelli magnificam domum non procul ab vrbe sitam peditibus ad Lanfranchi relictis, & primi agminis castris non mutatis, castra locauit. Postremò rex ad Pauli & Iacobi cœnobia loca commoda, edita, & campis imminentia, Papiæ proxima, sed aliquo spacio extra Barcum, est metatus: & Alenconium cum postremo agmine Mirabellum transtulit; & vt sibi inuicem opem ferre possent, Barchi murum ab ea parte aperuerunt: sicque castra ab inferiori parte ad Ticinum, à superiori ad Mediolanensem viam vsque omnia occupabant: adeò vt cum Papiam vndique cingerent, & Grauallonius, Ticinus, & Turricula quæ contra Darsinam est in regis potestate essent, Cæsariani nisi vel Ticinum traijcerent, vel Barcum ingrederentur, Papiam ingredi non possent. In Ammirallio totius exercitus imperium erat: rex maximam temporis partem in ocio & vanis voluptatibus terens, nec grauia negotia consiliaúe admittens, ceteris ducibus omnibus neglectis cum eo sua consilia communicabat: Annam quoque Memorantium & Philippum Ciabottum, Brionium, homines sibi gratos, sed parum in bellicis rebus expertos audiebat: neque regij exercitus numerus famæ quæ de eo erat, neque etiam ipsiusmet regis opinioni respondebat: quum enim equitatus pars cum Albaniæ duce abiuisset, pars cum Theodoro Triultio ad Mediolani præsidium mansisset, & multi in circumiectas villas & oppida essent distributi, non plures quàm octingenti cataphracti assidui in castris erant: & peditatus cuius ob ducum fraudes & regiorum ministrorum negligentiam, ingens in stipendijs copia numerabatur, rei veritas ab opinione longissimè aberat: in quo Itali duces qui cum paucos haberent pedites, pro innumeris stipendia capiebant, præ ceteris maximè fraudabant: idem & in Gallico peditatu morbus erat: & duo Valesiorũ millia, qui ad Seruatoris inter sanctum

Lan-

Lanfrancum & Papiam castra habebant, eruptione ab ijs qui vrbem tuebantur repentè in eos facta, fusi fuerant. In hoc rerum statu Cæsariani duces, Lambro traiecto, sanctangeli castello, quod inter Laudem & Papiam situm nisi in ipsorum potestate fuisset, commeatui qui Laude ad exercitum portabatur, maximum impedimentum attulisset, exercitum admouerunt. Eius custodiæ præerat Pyrrhus Federici Bozolensis frater cum ducentis equitibus & octingentis peditibus, & rex ante paucos dies ne suos temerè periculis obijceret, ipsum Federicum Bozzolensem & Iacobum Cabaneum ad locum recognoscendum miserat: qui illud præsidium ad eius propugnationem satis esse retulerant: sed periculum iudicij ipsorum fallaciam patefecit: nam quum Ferdinandus Daualus cum Hispanis peditibus accessisset, & tormentis propugnandi facultatem quibusdam in locis sustuliisset, qui intus erant territi, eodem die in arcem se receperunt; & post paucas horas vt Pirrho Aemilio Cauriana, & tribus Phœbi Gonzagæ liberis in hostium manus deditis, ceteri omnes armis & equis relictis, & se mensem vnum contra Cæsarem non militaturos fide data, abire sunt permissi. Hoc tempore rex duo Italorum ex Massilienſi præsidio peditum millia, qui Sauonæ erant euocauit; qui cum in Alexandrinum agrum prope Burmiam amnem peruenissent, Gaspar Mainus qui cum mille & septingentis peditibus Alexandriam tuebatur, cum paucis egressus, in eos impressionem fecit: cumque illos ex itinere fessos, & nihil tale suspicantes sine excubijs inuenisset, paruo negotio fudit; qui, cum Castellacium confugissent, paulo post decem & septem signis traditis, deditionem fecerunt. Neque meliorem fortunam habuit Prouincia Ioanniludouico Palauicino commissa; qui cum quadringentis equitibus & duobus peditum millibus Casalemaius, quod mœnibus carebat ingressus, eoque munito, & post sancto Ioanne in cruce (castellum est) occupato, ex eo loco excursiones facere, & quantum posset commeatui intercipiendo operam dare cœpit: ideò Franciscus Sfortia qui Cremonæ erat, mille & quadringentis peditibus difficulter collectis, eos cum paucis Rodulfi Camerinatis equitibus, & cum præsidij sui equitatu Alexandro Bentiuolo duce Casalemaius ire iussit: qui cum eò veniissent, Palauicinus decimo octauo Februarij die, maiori militum numero fretus, Francisco Rangonio qui cum alijs equitibus ac peditibus venturus erat minimè expectato, egressus, cum eis conflixit: & cum suos qui iam retrocedebant sistere vellet, equo deiectus captus fuit; & omnes eius milites debellati fusique sunt. Galliæ regis rebus aliud magni momenti impedimentum accessit; quoniam Ioannesiacobus Medices Mediolanensis, Mussij arcis, quo à Francisco Sfortia ob Monsignorini Vicecomitis cædem missus fuerat, præfectus, insidijs noctu propè Clauennensem arcem in colle quodam sitam à Castelli domibus remotam collocatis, arcis præfectum qui deambulandi gratia egressus erat, cepit, eoque statim ad arcis portam producto, mortem ei minatus, ni arcem aperirent, vxorem ad arcem dedendam impulit: quo facto ipse cum trecentis peditibus ex alio insidiarum loco prodiens, & per arcem oppidum ingressus, eo potitus est: qua re commoti Rheti, paucis diebus ante prælium sex Rhetorum millia quæ in regio exercitu erant reuocarunt. Hoc ipso tempore Cafalius eques ab Angliæ rege cum ingentibus promissis missus in Cæsarianorum castra peruenit; quoniam rex ille Galliæ regis secundæ fortunæ inuidere incipiens, & quibusdã Anglorum nauibus à Gallis in Oceano circa Scotiam captis motus, bellum Galliæ minabatur; & Cæsaris exercitum sustentari cupiebat: idcirco Pacceo qui Tridenti erat, vt Venetias iret, & suo nomine de fœdere seruando attestaretur, mandauit: ad quod Mediolanensis imperij diploma, Francisco Sfortiæ concessum à Cæsare in proregis manus cum huiusmodi mandato, vt de eo quod rerum euentus postulasset faceret missum, eos facilius adductum iri sperabatur. Rogauit quoque Angliæ rex pontificem per suum oratorem, vt Cæsaris rebus adesset: qua in re pontifex se quod pactionem cum Galliæ rege securitatis suæ gratia, absque Cæsaris iniuria fecisset, excusauit; & insuper quòd post eorum ex Prouincia reditum viginti dies antequam ipsorum, vtrum Mediolanense imperium tueri an deserere vellent cõsilia cognoscere posset expectasset, questus est. Verùm parui iam momenti erant principum consilia & actiones, legatorumq; diligentia & studia: exercitibus enim interesse appropinquantibus totius belli, & laborum periculorumque omnium, in quibus per

multos menſes fuerant ſumma, paucarum horarum fortunæ committebatur. Cæſarianus namq; exercitus Sanctangeli caſtello occupato, vlterius progreſſus Cal. Febr. Viſtarinum, altero die Lardiragum & S. Alexium Lolona paruulo fluuio traiecto, mouerunt; qui locus quatuor milliaribus Papia, tribus à Gallorum caſtris aberat: tertio autem Februarij die, diuę Iuſtinæ portam verſus, inter pratum Treleuerum, & Mottam, nec nō in ſilua quadā ad Sanlazari latus tendens conſedit: quæ loca mille & quingentos paſſus Papia, mille à primo Gallorum agmine, & quingentos à caſtrorum ipſorum munitionibus ac foſſis diſtabant: caſtris inter ſe ita propinquis, vt tormentis magnum ſibi inuicem incōmodum adferrent. Cæſariani Belgioioſum, & omnia oppida ac regionē, quam à tergo habebant, præter Sancolumbanū, in quo erat Gallicum præſidium; ſed ita obſeſſum, vt nemo inde exire poſſet, occuparant: in ſanctangeli caſtello & Belgioioſi magnam commeatus copiam inuenerant; quo autem magis abundarent, Ticino potiri quemadmodum & Pado potiti fuerant, vnde Gallis commeatum impediebant nitebantur: Sanctamcrucem tenebant: & quamuis rex, quum Mirabellum caſtra ſua tranſtulit, Carthuſianorum cœnobium deſeruiſſet, Cæſariani tamen, ne commeatus ipſis interciperetur, eò non iuerunt. Galli Sanlazarum tenebant, ſed ob hoſtiū tormenta illic hęrere non audebant. Inter vtraq; caſtra limpidus riuulus Vernacula dictus, qui è Barco originem habet, intererat: qui inter Lazari, ac Petri Virgarij fana lapſus, in Ticinū influit; quem cum Cæſariani, quo facilius vlterius progredi poſſent, vt magni ad id momenti tranſire niterentur, Galli profundo eius alueo & riparū altitudine, ita vt ſine magno labore ſuperari nequiret, adiuti, eos fortiter prohibebant: & vtriq; caſtra ſua diligenter muniebant. Regis caſtra à fronte, à tergo & à ſiniſtro latere magnis operibus erant ſepta, foſſaque & vallo optimè munita; à dextro autem latere, Barchi Papienſis murum habebant, ſic vt munitiſſima cenſerentur: haud ſecus munita erant Cæſarianorum caſtra, qui totam illam oram ab Lazari fano Belgioioſum uerſus ad Padum vſque occupabant, ita vt exercitus commeatu abundaret: hoſtilium caſtrorum munitiones quadraginta inter ſe paſſus diſtabant: propugnacula verò tam vicina vt ſcloppis ſe mutuo attingerent. In hunc modum hi exercitus octauo Februarij die caſtra habebant; & ſingulis horis leuibus prælijs ſe inuicem laceſſebant, ſed vtrique exercitum intra caſtrorum ſuorum munitiones continebant, quia iniquo loco prælium committere nolebant: & Cæſariani quidē duces, quòd ita Papia appropinquaſſent, vt ſi prælium cōmitteretur, ab obſeſſis opem poſſent accipere, ſe magni momenti rem obtinuiſſe arbitrabantur. obſeſſi tormētarij pulueris penuria laborabant: quamobrem Cæſariani quinquaginta equites quorum ſinguli ſaccūlū tormentario puluere refertum equi clunibus impoſitum habebant, miſerunt: qui noctu Mediolanenſi via profecti, donec exercitus Gallos ad arma concitaſſet expectantes, incolumes Papiam ſunt ingreſſi: vnde cum Antonius Leua ſæpe excurreret, & hoſtes varijs modis infeſtaret, eruptione quodam die in eos qui ad Burgorati & Lanfranci cuſtodiam erant facta, ijsque fuſis, tria tormenta & multa tormentarij pulueris plauſtra eis ademit. In hoc rerum ſtatu incredibilis erat Piſcarij vigilantia, induſtria, & animi atque corporis labores: qui dies noctesque hoſtes velitationibus, bellico cantu, nouis operibus, foſſis, & propugnaculis vlterius ſubinde procedens infeſtare non deſinebat: aggerem eminentiorem ſupra emiſſarium (canale vocant) erigebant: cum autem Galli binis tormentis ad Lazari fanum collocatis, magno operas incōmodo afficerent, tormentis contra illud templū directis, id diruerunt; eosq; inde abire coēgerunt: ideò Galli magnum à tormētis in eo propugnaculo, & item in alio, qui Papiæ erat, collocatis incōmodum accipiebant. Hiſpani verò ita ſe vallo aggereq; munierāt, & huiuſmodi opera fecerāt, vt magno detrimento Gallorū caſtra afficerent; ipſi minimo afficerentur: quamobrem Galli vt eos à latere pulſarent, tormenta transferebant, Hiſpanis paulatim ſemper progredi omni opera adnitentibus. Erant quoque in tanta propinquitate crebræ velitationes, à quibus ſemper ferè Galli inferiores diſcedebant: neq; belli progreſſus ob induciarū, de quibus cōtinenter à pōtificijs nuntijs qui in vtroq; exercitu erant, agebatur, ſermones, intermittebatur: neq; deerāt ex regis intimis & pōtifex ipſe, q regi vt tanti periculi vitandi gratia cū exercitu Papia recederet ſuaderēt; ꝓpterea quòd ob pecuniæ inopiā, qua hoſtes laborabant, neceſſariò mox ſine ſanguine victoria eſſet poti-

potiturus: XVII Februarij die qui Papiæ erant, egressi, cum Ioannis Medicei acie concurrerunt: qui fortiter eos in vrbem compulit: cumq; is postea Ammirallio locum, & ea quæ in pugna accidissent ostenderet, à nonnullis scloppettarijs qui in quadam domo latebant, scloppi glande supra talum ita fuit vulneratus, vt magno cum regis mœrore osse fracto, Placentiam sese ferendum curare fuerit coactus; cuius vulnere statim omnis Gallici exercitus in certaminibus atq; impressionibus impetus deferbuit: & Papiæ milites quotidie maiore audacia erumpentes Lanfranchi cœnobio incenso, semper Gallos qui valde animo abiecti videbantur verberabant: & nocte quæ 19 inter & vicesimum eius mensis diem est, Piscarius cum tribus Hispanorum peditum millibus, Gallorum munitiones inuasit; eisque consensis, vltra quingentos milites interfecit; atq; tria tormenta clauis confixit. Tandem quum Cæsariani duces exercitum ob pecuniæ inopiam diutius in illis castris retinere non possent, si retrocederent, non modò de Papia actum esse, sed & omnia reliqua quæ in Insubria possidebant tuendi spem amitti cogitantes, maxima etiam victoriæ militum suorum virtute; & quia in Gallorum exercitu multa erat confusio, ac præterquam quòd multi pedites discesserant, militum numerus, stipendijs quæ persoluebantur, longissimo interuallo non respondebat spe freti, ea nocte quæ XXV Februarij diem qui ex christianorum ritu Matthiæ apostolo sacer est, & idem Cæsaris natalis dies erat, præcessit, Mirabellum, vbi aliquot peditum cohortes & equitum turmæ castra habebant, ire statuerunt; idque eo consilio, vt si Galli non mouerentur, Papiam obsidione liberatam esse scires: sin mouerentur, vt prælij fortunam tentarent: quare cum prima noctis vigilia, sæpius vt Gallos fatigarent, se eos Padum, Ticinum, & Lazari fanum versus inuadere velle fingentes, ad arma conclamassent, media nocte omnes milites ducum iussu, vt à Gallis internoscerentur albis tunicis supra arma induti, equitatu in duo & peditatu in quatuor agmina distributo, ita vt primum peditum agmen 6 millia peditum ex Germanis, Hispanis & Italis æqua portione, Vastio marchione duce cõtineret: secundũ ex Hispanis tantũ peditibus Piscarius, tertium & quatuor ex Germanis Lanoius ac Borbonius duceret: cum autem ad Barchi murum peruenissent, fabrorum atque militum opera cum aliquot horæ noctis superessent, sexaginta muri vlnas diruerunt; ac Barchum ingressi, primum agmen Mirabellum, reliquus exercitus hostilem exercitum versus contendit: rex autem illorũ ingressu cognito, eos Mirabellum petere ratus, vt in apertis & planis campis pugnam consereret castris est egressus; cupiebat autem potius eo quàm alio in loco prælium committi, ob equitatus opportunitatem; & simul tormenta in hostes displodi iussit; quæ cum illorum latus verberarent, postremo agmini aliquod incommodum intulerunt. Interea Cæsariani exercitus robur, ferociter in regium agmen quod medium esse solebat, sed ob Hispanorum in incessu ordinem primum fuit, impressionem fecit: vbi rex ipse egregiè pugnans hostium à quibus ipsius milites scloppettorũ grandine obruti inclinare fuerunt coacti, impetum sustinebat, donec Heluetiorum interuentu Hispani ab illis & ab equitatu qui eos à latere est adortus repulsi sunt; sed prorege à Piscario aduocato, quum is cum Germanis peditibus aduolasset, Heluetios qui eo die nulla ex parte virtutem quam in alijs prælijs ostendere consueuerant declararunt, facilè & magna cum cæde fregerunt: quum verò rex magno equitum numero stipatus, in media acie versaretur, ac suos sistere niteretur, postquam diu pugnam sustinuisset, equo eius interfecto, & ipse quamuis leuiter & in ore & manu ferro violatus humi ex casu iacens à quinque militibus, qui eum non agnoscebant, captus fuit: cum autem prorex superueniisset, & ipse se ei notum feciisset, is magno honore manum eius osculatus Cæsaris nomine captiuum accepit. Quo tempore Vastius cum primo agmine equitatum qui Mirabelli erat fuderat: & Leua qui, vt nonnulli aiunt in hunc finem tantum muri spacium, vt centum & quinquaginta equites simul exire possent diruerat, Papia egressus, Gallos à tergo erat adortus; adeò vt omnes sese fugæ dederint; & quidẽ ferè omnes nouissimo equitum agmine excepto, quod Alenconio duce, initio pugnæ integrum abiuit, spoliati. Constans opinio fuit eo in prælio, partim cæsos partim in Ticino submersos, supra octo millia hominum ex Gallico exercitu, & circiter viginti ex præcipuis Galliæ principibus interijsse, inter quos fuerunt Boniuetus Ammirallius, Iacobus Cabaneus, Palicia, Tramollia, Magnus Scutarius, Obigninus,

Boy ſſiuus,& Scutu, qui iam ſaucius in hoſtium manus cum peruenisſet,mox expirauit Capti fuerũt rex Nauarræ,Sabaudiæ Baſtardus,Memorãtius,Sampaulus,Brionius, Vallius,Ciandeus, Imbricurtius, Galeatius Vicecomes, Federicus Bozolenſis,Bernabous Vicecomes,Guidanes,ſeu potius Vidamus,innumeriq; viri nobiles,& duces,qui nõ fuerunt interfecti, ferè omnes. Captus fuit & Hieronymus Aleander Brunduſinus epiſcopus pontificis internuntius, ſed proregis iuſſu dimiſſus:ex his autem captiuis Sampaulus & Federicus Bozolenſis in Papiæ arcem perducti, non multo pòſt Hiſpanis cuſtodibus pecunia corruptis, fuga ſe in libertatem vindicarunt.Ex Cæſarianis circiter ſeptingenti, ſed nullus militum dux præter Ferdinandum Caſtriotam,ſancti Angeli marchionem,ſunt deſiderati: præda autem tanta fuit, vt nunquam ditiores milites in Italia fuerint.Piſcarius duo vulnera,& præterea vnum ex ſcloppi glande accepit; & Antonius Leua in crure leuiter fuit vulneratus.Ex tanto exercitu,poſtremũ agmen 400 cataphractorum Alenconio duce, quod in pugna impedimentoúe nomine perſequente integrum, ſed impedimentis relictis,ſumma celeritate in Taurinos contendit,euaſit. Huius victoriæ ſimul atq; Mediolanum rumor eſt perlatus,Theodorus Triultius,cum quadringentis cataphractis ad eius præſidium relictus, Meſaucum verſus contendens, militibus omnibus nullo ordine ſubſequentibus diſceſſit: adeò vt eodem quo prælium eſt comiſſum die,Mediolanenſe imperium Gallis liberum relictum fuerit. Rex poſtero victoriæ die,quia Mediolanenſium dux propriæ ſecuritatis cauſſa, non libenter vt in Mediolanenſem arcem duceretur annuiſſet, in Picighitonis arcem eſt perductus: vbi libertate excepta (ſumma enim diligentia cuſtodiebatur)in ceteris omnibus regio more honoreque afficiebatur.

DECIMIQVINTI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DECIMVSSEXTVS.

Omnium ferè Italiæ principum ob victoriam à Carolo V. Papiæ partam metus cauſsæ: varia multorum principum ad res ſuas componendas conſilia: tumultus Senis ob Partium cauſſam exortus:vtrum Galliæ rex eſſet dimittendus nec ne coram Cæſare diſputatio: eiuſdem regis captiui in Hiſpaniam profectio: multorum principum & præcipuè Franciſci Sfortiæ Mediolananſium ducis contra Cæſarem conſilia: Macula à Piſcario, ex eo quòd ea conſilia tractaſſet,cõtracta: eiuſdem marchionis ducem Mediolanenſi imperio ſpoliandi conſilia: Galliæ regis liberatio,eiuſq; capita,& modus in ea ſeruatus.

CVM igitur in eo prælio quod in Papienſi Barco Septoúe commiſſum eſt, non modò Gallicus exercitus à Cæſariano profligatus, verùm etiam ipſemet Chriſtianiſſimus rex captus, & circa regem ſuum maxima ducũ, & Gallię nobilitatis pars aut cæſa aut capta fuiſſet, Heluetij verò qui ante id tempus tanta cum laude in Italia militauerãt, tam ignauè ſe geſſiſſent, reliquus exercitus caſtris amiſſis, nunquam donec ad alpium radices peruenisſet,pedem continuiſſet; & quod mirum in modum victoris exiſtimationẽ auxit,cum Cęſariani duces tam inſignem victoriam,exiguo ſuorum ſanguine eſſent adepti,quàm omnes Italiæ principes obſtupuerint,verbis eloqui nemo poſſit:quibus quũ ferè

ferè inermes essent, Cæsaris arma in acie potentissima absq; vllo hostium impedimento relicta, maximum terrorem incutiebant: quo terrore non tam eos liberabant quæ à multis de bona Cæsaris mente eiusque ad pacem, atque aliena imperia non occupanda propensa voluntate ferebantur, quàm perterrefaciebat, quòd ne is vel ambitione quæ principibus insita esse solet, vel insolentia quæ victoriæ plerunque comes est, motus, illorum etiam qui ipsius in Italia res administrabant cupiditate,& demum consilij sui & totius aulæ stimulis incitatus,in tanta occasione ad quemuis vel frigescentem spiritum accendendum idonea, consilia sua ad totius Italiæ imperium occupandum conuerteret,periculosissimum esse animaduerterent: cum præsertim omnibus notum esset, quàm facile sit cuiuis magno principi, & multo magis Romani imperatori, rebus suis nomina quæ honesta & æqua videantur prætexere: nec verò hic metus eos solùm qui minori autoritate viribusque pollebant angebat, sed ferè magis quàm ceteros,pontificem ac Venetos: hos quidem non modò fœderis nulla iusta de caussa non seruati conscientia, verùm longè magis cùm ob veteris odij & frequentium iniuriarum quæ inter ipsos & Austriam familiam intercesserant, grauiumque bellorum quæ ante paucos annos cum Maximiliano eius auo gesserant memoriam; quibus imperij Romani in ea,id quod ipsi in continenti possidebant, iuris penè obliterati nomen & memoria, mirum in modum reuiruerant:tum etiam quòd cuiuis,potentiæ suæ in Italia firmandæ cupido, de ipsorum potentia nimis magna deprimenda necessariò cogitandum esse perspicerent:pontificem verò, quia pontificatus maiestate excepta, qua vel ijs ipsis priscis temporibus quibus mortales eam sedem summo in honore habebant,sæpe à Cæsarum potentia non satis tuta fuit, ceteris in rebus omnibus iniurijs se valde expositum conspiciebat;quoniam inermis erat, & sine pecunia; pontificij verò imperij in quo pauca admodum sunt munita loca, populi parum ad principis sui obedientiam concordes & constantes, sed totum ferè in Guelfam & Gibellinam factiones distractum: Gibellini autem inueterata ac penè naturæ ipsorum insita propensione Cæsarei nominis studiosi; & Romana vrbs præ ceteris omnibus minimè munita, atque his contagijs infecta, vires tenuissimæ erant. His accedebat Florentinarum rerum cogitatio; quarum cum ex ipso penderent, essetque ea autoritas familiæ suæ propria atq; antiqua, fortasse non minorem quàm ecclesiæ rerum curam gerebat, nec minus facilè erat eas turbare:cum enim illa ciuitas postquam Caroli regis aduentu Mediceis pulsis,libertatis nomine popularem statum per decem & octo annos gustasset, illorum reditum ægrè tulerat:ita vt pauci essent quibus illorum potẽtia re vera placeret. Quibus tam validis occasionibus ne sui lædendi voluntas quoq; haud mediocris accederet,pontifex summopere metuebat: sed & voluntatẽ minimè minorem esse nõ timeri non poterat; id autẽ non tam quia à potentiorum ambitione nunquam minus potentes satis tuti sunt, quàm quòd varijs de caussis ne hoc tempore nomen suum Cæsari inuisum esset,metuebat: nam etsi & viuo Leone, & pòst nundum ad pontificatum assumptus multos labores Cæsaris potentiæ augendæ gratia suscepisset, imò cum & à Leone & se maximis sumptibus ac periculis aditus illi in Italia ad tantam potentiam patefactus fuisset; deinde pontificatum adeptus, dum Ammirallius in Italia fuit, ipsius ducibus pecuniam suppeditasset,& à Florentinis dari curasset, neque ecclesiæ & eius reipublicæ copias ab exercitu reuocasset, nihilominus, siue quòd vt communis christianorum principum pater & pastor, ac potius pacis autor, quàm bellorum fomes esset, muneris sui esse cogitaret; siue quòd seriò tantam potentiam metuere cœpisset, mox sese ab eadem fortuna periclitanda subtraxisset; ita vt fœdus à superiore pontifice ad Italiæ propugnationem ictum, instaurare noluisset; & quum superiore anno Cæsaris exercitus cum Borbonio in Prouinciam irruperit, nulla pecunia eum iuuare voluisset, secum ipse reputaret:quod etsi Cæsaris ministris, quum Adriani quidem fœdere contra Gallos ne in Italiæ quidem bellis facere teneretur, iustam expostulandi caussam non dederit, nihilominus ea omnia initia fuerant, vt illum non iam Cæsaris amicum existimarent; imò vt de fide quam ad eam vsque diem in eo collocarant, plurimum detraherent; vtpote qui vel cupiditate vel necessitate solùm moti, offensionem ferè ducebant, si priuatis suis ad Galliam occupandam bellis, quemadmodum antea in communibus & publicis,

Italiæ contra Gallorum potentiam propugnandæ nomine cœptis factum fuerat, humeros non supponerent. Sed tum quum rex ad Mediolanensem expeditionem venit, querelę cœperunt, & eruperunt: nam etsi pontifex quemadmodum postea ad Cæsarem in ijs literis quibus cum eo expostulabat scripsit, quum Massilia redierunt, Gallis aliquam pecuniam occultè dedisset, pòst tamen nihil cum eis fecerat, nullaúe consilia habuerat: quamprimùm autē rex Mediolano potitus est, res eius feliciter succedere ratus, res suas cum eo composuerat: tamen etsi apud Cæsarem id excusans, se quum sibi ab eius ducibus viginti dierum spacio, nihil de ipsorum consilijs esset significatum; & pòst de eius imperij propugnatione desperaret, ac regno neapolitano timeret, & Albaniæ dux cum copijs Hetruriam versus progrederetur, securitati suæ consulere coactum fuisse; nec tamen proprij periculi rationem tantum in se potuisse, quin huiusmodi legibus egisset, quibus non minus Cæsaris rebus, quàm suis esset consultum, & quin ampliſſimas conditiones sibi à Galliæ rege vt secum faceret oblatas neglexisset: nihilominus hæ excusationes, quin Cęsar eiusq; ministri vehementer commouerentur efficere non potuerant, non tam quòd se omni prorsus vllius opis ab eo accipiendæ spe prorsus excluſos viderent, quàm quòd eam pactionem aliquid amplius quàm vt medius esset continere suspicabantur: & illum quouis modò nimium existimationis Gallorum rebus addidisse censebant; metuebantq; ne in causſa esset, vt Veneti eius exemplum sequerentur; quòd verum fuisse pòst pontificis literis ac monumentis, quæ post victoriam in captiui regis tentorio repertæ fuerunt, est compertum. Postremò has suspiciones indignationemq; accenderat pontifex, quum tormentarium puluerem quem Ferrariensium dux Galliæ regi Papiam obsidenti suppeditauit, per imperij sui fines iter facere, & vt veherentur aduuari permisit; & multo magis Albani ducis in regnum neapolitanum profectio; quia nō modò vt amicus per vniuersum pontificium ac Florentinorum imperium acceptus & & honore affectus fuerat, verùm etiam in eius gratiam multos dies circa Senas vt eius ciuitatis statum mutaret hæserat; quod etsi ducis in regnum neapolitanum profectioni moram interponeret, ideoq; ab eo factum fuisset, quòd eundem principem regno neapolitano & Mediolanensi imperio potiri ei molestum esset, Cæsariani tamē, ex eo aliud vinculum quàm mutuæ securitatis inter Galliæ regem & ipsum esse interpretabantur: ideò pontifex non modò vt reliqui omnes, sibi à Cæsarianis temporis successu & occasione, verùm etiam nulla maiori opportunitate expectata, statim aut pontificium aut Florentinum imperium inuaderent iure metuebat; cuius etiam timorem auxit, quòd cum Albanus quāprimùm de regis calamitate certior est factus, vt saluti suæ consuleret Monterotundo Braccianum versus se recepisset, & cētum ac quinquaginta equites qui Romæ erant, quos pontifex quia Sueſſanus dux & Cæsariani sese ad eas copias dissipandas comparabant, à præsidij sui militibus eò vsq; deduci curauit; illuc se conferre iussisset, accidit, vt circiter quadringenti equites & mille ac ducenti pedites ex Vrsinorū copijs Sirmoneta profecti, Iulio Columna cum magnis equitum ac peditum copijs persequente, ab eodem ad Trium fontium cœnobium funderentur; cumq; fugientes Romā per sancti Pauli & Sebastiani portas essent ingressi, Iulij milites vnà cum eis immissi, in Floris campo & alijs ciuitatis locis nōnullos ex eis interfecerunt: quo casu Vrbs quę magno cum tumultu tota fuit, primo cum pontificis ingenti metu, deinde quòd suæ autoritatis nulla ratio haberetur, indignatione, magno cū tumultu ad arma cucurrit. In hac verò eius animi fluctuatione, maximisq; angustijs opportunè ei Venetorum cohortationes ac pollicitationes superuenerunt; qui in eodem rerum suarum timore cōstituti, ei vt simul coniuncti statim decem Heluetiorum millia in Italiam accersērēt, & magna Italorū legione conscripta sese tam grauibus periculis opponerent, longè plura, vt moris ipsorum est, quàm præstare soleant pollicentes, efficaciſſimis rationibus persuadere nitebantur. Afferebant quoq; Germanos pedites, qui in Papiæ propugnatione fuerant, iam à multis mensibus pecuniam non accepisse, & post victoriam eandem stipendiorū angustiā quæ prius erat perseuerare cernentes, tumultu excitato tormenta accepisse, seque Papiæ munijsse; eandemq; ob causſam omnem reliquum Cæsaris exercitum tumultuari; & quum duces eis satisfaciendi facultatem non haberent, quotidie magis irritatum iri; ita vt si ipsi se vnà cum illo valido exercitu munirent, communem statum tutum esse

essent reddituri,& vt Cæsariani his difficultatibus implicati,& ad magnas copias ad captiui regis custodiam assiduè alendas compulsi,ipsi per se dissoluerentur,effecturi. Præterea minimè dubitandum esse,quin regina mater, in cuius manibus erat Galliæ administratio,huius fœderis cupidissima, non modò in gratiam ipsorum Albanum cum suis copijs, & illas quadringentas postremi agminis lanceas quæ ex prælio incolumes euaserant, aduolare iussuram, verùm etiam cum totius Galliæ consensu,magnam pecuniæ vim ad Italiæ salutem, cum ex ea magna ex parte regis filij sui liberandi spem pendere animaduerteret collaturam: hoc consilium proculdubio si maturè perficeretur optimum esse, cunctationem verò Cęsarianis sese reparandi facultatem daturam,idque eo magis quòd qui se armis non muniret, cum eis pacisci, & pecuniam dare cogeretur: quod quidem nihil aliud esset, quàm ipsos instrumentum fieri eos omnibus angustijs liberandi, & se perpetuæ seruituti subijciendi: spem quoque faciebat Ferrariensium ducem, qui & ob veterem cum Gallis necessitudinem, & auxilia in hoc bello regi data, non sine magno timore erat, idem consilium sequuturum; cuius societas,ob magnam ipsius imperij ad Galliæ cisalpinæ bella,cùm quòd Ferraria esset munitissima, tum verò quòd ipse tormentorum apparatu,&,vt fama erat,pecunijs abundaret,opportunitatem,minimè parui momenti videbatur. Neque victoriæ ex tam arduo bello referendæ spes,neque remotiorum periculorum, contra quæ sæpe tempus non cogitata remedia afferre solet cogitatio, Clementem ad aures his sermonibus accommodandas flexisset; nisi præsens belli metus effecisset, vt se potius minus certo periculo, quàm ei quod maius certiusque videbatur vellet obijcere. Eam igitur ob caussam, eò vsque negotium id inter eos est perductum,vt quum ad fœderis leges constituendas ventum esset, singulis horis eorum stipulatio expectaretur; adeò vt pontifex rei conficiendæ cupidus,Hieronymum Ghinuccium Senensem,pontificiæ Cameræ auditorem, ad Angliæ regem, vt tantæ Cæsaris potentiæ obuiam ire vellet, eum aliqua arte flectere niteretur, per dispositos equos ire iussit; cum opportunè venit Capuanus archiepiscopus, antiquus eius ab epistolis & consilijs minister,quique per multos annos magnam apud eum autoritatem obtinuerat, qui statim Cæsarianorum victoria audita, Placentia in castra ad Carolum Lanoium neapolitanum proregem erat profectus, eiusque mente explorata, illicò summa celeritate ad pontificem certam ei pacis spem adferens aduolarat:quoniam prorex & ceteri duces duplici tunc cura premebantur; nempe pecuniæ qua militi apud quem,quòd ei satisfacere non possent,magno pudore afficiebantur,stipendia persoluerent inueniendæ; & Galliæ regis in aliquem locum,vbi eius custodiendi difficultas perpetuam molestiam ipsis non adferret ducendi; quibus rebus rectè compositis,cogitata sua perficiendi semper sibi facultatem relinqui censebant:ideoque pacem cum pontifice se magnam pecuniæ vim ab eo extorsuros sperantes exoptabant; ad quam vt eum tanto magis metu incusso flecterent, & etiam vt Mediolanense imperium valde exhaustum milite exonerarent, quadringentos cataphractos & octo Germanorum peditum millia in Placentinum agrum, non vt hostes, sed nunc Mediolanense imperium tantum exercitum alere non posse afferentes, nunc se illos in Latium contra Albaniæ ducem, nisi Vrsinorum copiæ dissoluerentur, mittere velle minantes,miserant. Hæc autē diligentia superuacanea erat:quoniam vbi pontifex se præsentia pericula subterfugere posse cognouit,alijs cogitationibus omissis,toto animo ad concordiam est conuersus;ideò statim archiepiscopi sermone audito Ghinucciū in itinere subsistere iussit;& vt omnes occasiones quæ pacē turbare possent tolleret, ab Albaniæ duce transalpino equitatu ac peditatu excepto, reliquas copias omnes fide à Cæsaris ministris,ipsos quoq; copias quas circa Romam habebant dimissuros, & Ascanium Columnam cum alijs copijs quæ ex regno veniebant subsistere iussuros,accepta, dimitti curauit;eiq; vt Corneti moraretur cōcessit; atq; vt Columnij qui Vrsinorum oppida infestare incipiebant,arma deponerent,effecit.Pontifex paci de qua cum prorege agebat,Venetos includi cupiebat,&in id omni studio incumbebat:obstabant aūt quod ipsi pecuniam à prorege petitam pendere recusabant: petebat enim tantam pecuniam, quantam in bello ad quod auxilia conferre debuissent, impensuri erant;& in posterum

non militibus ſed pecunia iuuarent;idemq; ab ijs omnibus petebat, qui Adriani fœdere comprehendebantur.Sed Venetorum pertinacia pontifici,quia proregi ipſos nouos motus meditari ſuſpicionem afferebat,proderat;quæ dum firma perficiendi ſpe agitantur, Florentini pontificis mandato, cum pontifex à Ioanne Barptolomæo Gatinaria, qui proregis negotia apud ipſum tractabat, eam pecuniam maiori ſummæ quàm nouæ pactionis vi daturi eſſent adnumeratum iri, fidem accepiſſet,viginti quinq; aureorũ nummũ millia Piſcario ad exercitum deliniendum miſerunt:ſed paucis diebus ante quàm pax perficeretur,Albanię dux,qui claſſem qua in Galliam reueheretur expectauerat,ea in S.Stephani portum appulſa, & triremibus ad ſe miſſis in Vetericiuitate eas cum pontificijs triremibus,cum proregis conſenſu ei,etſi nec claſſi nec triremibus publicam fidẽ dediſſet,cõmodatis conſcendit: & vnà cum illo Rentius Ceres cum tormentis à Senenſibus & Lucenſibus acceptis, quadringentis equitibus,mille Germanis & paucis Italis peditibus; quoniam reliqui milites difluxerant;equi autem partim venditi, partim relicti: cuius eiuſmodi fuerunt progreſſus, vt aut quo Cæſariani regno neapolitano metuentes ei ſuccurrendi gratia Inſubria excederent; aut hoc metu ad pacem flecterentur,miſſus fuiſſe: eandemque ob cauſſam quod regi ad eum cum valido exercitu mittendum vires deeſſent,lentè proceſſiſſe apertè cerneretur.Tandem verò Venetis omiſſis,Romæ Cal. Aprilis inter pontificem & neapolitanum proregem, vt Cæſaris in Italia vicarium, cuius nomine Romæ cum ampla poteſtate erat Ioannes Barptolomæus Gatinaria magni Cæſaris Cancellarij nepos, fœdus pontifice pro ſe & Florentinis ab vna parte,& Cæſare ab altera ſtipulantibus eſt ictum;cuius præcipua capita hæc fuerunt:Inter pontificem & Cæſarem perpetua amicitia fœdusq; eſſet;qua quiſq; illorum,Mediolanenſe imperium quo tunc in Cæſatis fide Franciſcus Sfortia,qui in hoc fœdere primũ locũ obtinuit,potiebatur,defendere teneretur: Cæſar totius pontificij ac Florentinorũ imperij,& nominatim Mediceæ familiæ, cum autoritate & eminentia,qua in ea ciuitate polleret patrociniũ ſuciperet, eiq; Florentini mille auri pondo, pro ijs quæ in proximũ bellũ fœderis ab Adriano icti, quod eius morte, propterea quòd in eius legibus vt annũ vnum poſt ſingulorum ſociorum obitumvim ſuam obtineret, expreſſum minimè extinctum eſſe aſſerebat,vi conferre debuiſſent repræſentarent:Cæſariani duces copias ſuas à pontificij imperij finibus amouerẽt; nec deinceps alias abſq; pontificis cõſenſu mitterent.Venetis in hoc fœdere locus intra viginti dies honeſtis legibus,quas põtifex & Cæſar declaraturi eſſent,relictus:quorum omniũ Cæſaris confirmationẽ prorex intra quatuor menſes adferri curaret;& proregis procuratores ſeparato ſcripto iureiurando confirmato,niſi Cęſar intra id tempus fœdus ſe ratum habere teſtaretur, proregem mille illa auri pondo reſtituturum, ita tamen vt donec reſtituta eſſent fœdus inuiolatum ſeruaretur,ſpoponderunt:cui fœderi tria alia capita fœderis tabulis non annexa,ſed alio ſcripto ſeparatim comprehenſa, & ſacramento confirmata ſunt adiuncta;nempe vt in omnibus rebus ad ſacerdotia ſpectantibus, ea autoritas & ius põtifici quæ in eius regni diplomatibus erat expreſſa permitteretur:Mediolanenſe imperiũ deinceps ſaltem è Ceruiæ Salinis eo pretio,eodemq; modo,quo aliàs inter Leonem & hunc ipſum Galliæ regem pactum fuerat, & fœdere anno MDXXI ab eodem Leone cum Cæſare icto confirmatum,acciperet: & prorex vt Ferarrienſium dux ſtatim eccleſiæ Regium,Ruberiam,& alia oppida quæ in Romanæ ſedis ob Adriani mortẽ interregno occupauerat, reſtitueret,omnino efficere teneretur;eamq; ob cauſſam pontifex,ſtatim vbi ea eſſent reſtituta, Cæſari centum aureorum numũm millia perſolueret, ac quandocunque ipſe petijſſet, ducem ſacris reſtitueret, ac pœnis in quas inciderat,ſed tamen non à mille auri pondo, ſi pactionem cum Adriano factam violaret conſtituta, eximeret:ſed tamen vbi ea pontifici eſſent reſtituta, iure,vtrum ea oppida & Mutina ad pontificatum an ad Sacrum imperium ſpectarent, inquireretur: quæ ſi ad imperium pertinerent, ex Cæſaris beneficio agnoſceretur; ſin ad pontificatum ſacroſanctæ ſedi libera relinquerentur. Hoc pontificis conſilium vt variæ ſunt hominum, & præſertim multitudinis, cui magis ſpecioſa quàm matura conſilia placere ſolent, quæque ſæpe eos qui res minimè prudenter metiuntur, magnanimos exiſtimat, cupiditates & iudicia, varias in hominibus ſententias

tentias commouit: qui verò se Italiæ libertatem exoptare profitebantur, eum quasi animi abiecti consilio eius contra Cæsarem coniungendi occasionem neglexisset; & propria pecunia Cæsaris exercitum omnibus angustijs liberare voluisset, accusabant; sed prudentissimi quique longè secus sentiebant; cogitabant enim sese maximo & victori exercitui, nouis copijs opponere velle, minimè prudentis consilium esse: fieri non posse, quin Heluetiorum aduentus, etiamsi ad id (quòd natura ipsorum & tam recenti vulnere perspecto valde dubium erat) essent paratissimi, tardus, & vbi non iam opus foret, esset futurus; nec de Galliæ regno cui in tanta clade neque animus neque consilium esset relictum, non pecunia, non equitatus; & illi pauci equites qui ex pugna superfuerant impedimentis amissis, tempore & pecunijs ad se iterum comparandos opus haberent, melius sperandum esse: idcirco id fœdus nullo alio niti probabili fundamento, nisi hostilem exercitum stipendijs suis fraudatum, se non commoturum: quod etsi ita succederet, non tamen ideò Mediolanensi imperio, quod dum ex Cæsare penderet semper pontifex maximam metuendi causſam haberet priuarentur: hanc verò quoque valde incertam spem esse; verendum enim erat, ne duces sua autoritate & artibus alicuius pontificij imperij, aut Hetruriæ opulentæ ciuitatis præda propositа, eum ad iter mouerent; & iam Germanorum partem solummodo vt vberiora hospitia haberet, Padum traiecisse, & in Parmensem ac Placentinum agrum venisse, adeò vt si vlterius progredi voluissent, nullum remedium non ferum esse potuerit; & nimis magno periculo tantam rem niti, nimirum sola difficultatum apud hostes spe, in quorum voluntate demum se eis explicare positum esset: itaque Clementis consilium pro temporis ratione prudens ac bene cogitatum fuit; sed maiorem etiam fortasse laudem meruisset, si in omnibus fœderis capitibus eandem prudentiam adhibuisset; & animum potius ad omnia Italiæ vulnera consolidanda, quàm ad aliquod graue vulnus aperiendum & magis exulcerandum conuertisset; sapientum medicorum exemplo, qui quum medicamenta ad reliquorum membrorum ægritudinem sanandam adhibita, capitis aut cordis morbum augent, omni leuiorum morborum, quique temporis moram patiuntur, cogitatione deposita, in id quod ad ægri salutem magis facit, ac necessarium est, omnis studio incumbunt: quod vt melius intelligatur, altius pars eorum quæ iam sparsim exposita sunt, est repetenda, vnumque in locum reducenda. Estensis familia, præter quòd diutissimè Ferrariæ dominatum ecclesiæ Vicarij nomine tenuerat, diu etiam Cæsarum beneficio Regium & Mutinam possederat (neque enim tunc in dubium vocabatur, vtrum illæ duæ ciuitates ad Cæsares spectarent) easque pacatè possedit, donec Iulius Secundus Romanæ sedis iam extincta iura excitaret, & pietatis prætextu, multorum malorum autor, vt Ferrariam prorsus ecclesiæ imperio subijceret, Alfonso duci bellum intulit; in quo Mutinæ capiendæ occasione oblata, principio eam sibi quasi vnà cum alijs ciuitatibus omnibus, quæ ad Padum vsque sunt, vt Rauennensis Exarchatus pars ad ecclesiam spectaret, retinuit: sed paulo post Gallorum metu Maximiliano Cæsari tradidit, nec tamen ideo à bello in Alfonsum gerendo destitit: quum autem haud multo post Regio quoque eum priuasset, si diutius vixisset, Ferraria eum spoliaturus pariter fuisse creditur: erat enim acerbissimus Alfonsi hostis, tum ob pietatem quam eorum omnium, quæ vnquam ecclesiæ fuisse dicerentur eidem iterum subijciendorum ambitioni prætexebat; tum ob indignationem quòd is potius Gallorum quàm suas partes esset sequutus; & fortasse etiam ob implacabile odium, quo in Alexandri Sexti cui ipse suffectus fuerat, cuius filia Lucretia Alfonso nupserat, multiq; liberi iã ex eo matrimonio nati erant, memoriam & reliquias flagrabat. Iulius igitur moriens successoribus suis non modò Regij, sed & eandem Ferrariæ occupandæ libidinem hæreditariã reliquit: incitabat enim eos illustris eius memoria, quam is posteris reliquisse videbatur: idcirco plus in Leone eius successore hæc ambitio potuit, quàm Mediceæ familiæ magnitudinis, qua Florẽtiæ pollebat, ratio: cui sedis Romanæ potẽtiã minui, quàm Ferraria ei adiuncta eam vicinis omnibus formidabilẽ reddere, vtilius fore videbatur: imo Mutina empta, cogitationes suas prorsus ad Ferrariã magis dolis atq; insidijs quàm aperta vi, quòd id cum Alfonsus vbi se in tantis periculis cõspexit, vt eam munitissimam

redderet operam dediſſet, maximam tormentorum & rerum ad ea ſpectantium copiam comparaſſet; & vt credebatur magnam pecuniæ vim haberet, nimis difficile factum eſſet, occupandam conuerterat: fuit autem fortaſſe maius eius quàm Iulij odium, ſed occultius; nam præter multa ab illo vt eam vel repentina impreſſione vel fraude caperet agitata conſilia, principes cum quibus fœdera iniuit ita obſtrinxit, vt ſaltem ſibi in eo impedimentum afferre non poſſent: neque id ſolum dum Iulianus eius frater & Laurentius nepos, quorum potentiæ augendæ gratia ea cupiditate ardere credebatur, vixerunt; verùm non minus poſt illorum obitum: quæ tam ardens libido in eo fuit, vt multi illud ipſius poſtremum potius præceps quàm prudens cum Cæſare contra Galliæ regem faciendi conſilium, magna ex parte inde manaſſe crediderint: quæ res Alfonſum vt Galliæ regi, quo ſolo eius ſpes nitebantur ſatis faceret, quum pontificis ac Cæſaris exercitus Parmam obſideret, in Mutinenſi agro bellum mouere coëgerũt: in quo quum fortunam aduerſam haberet, niſi eodem tempore Leo repentè in ipſo victoriarũ curſu interijſſet, breui in maximas anguſtias redactus fuiſſet: cuius certè interitus ei non minus quàm Iulij ſalutaris fuit. Nec ſcio vtrum in Adriano eius ſucceſſore tandem, etſi vt nouus & rerum Italicarum imperitus cum primo Romam venit eum cenſuris exemiſſet, imperij nouum diploma conceſſiſſet, omnibus quæ in pontificatus interregno occupauerat potiri permiſiſſet, & Mutinæ atque Regij reſtituendi ſpem feciſſet, quum poſtea melius edoctus quotidie magis animo ab eo ſit alienatus, ea cupiditas prorſus fuerit extincta. Clemente verò pontificatum adepto, ne ſuperiora tempora in ſe redijſſent, ſummopere vereri cœpit: & merito quidem, in eo enim ſi res feliciter ſucceſſiſſent, idem quod in Iulio & Leone ſtudium viguiſſet: ſed quum Ferrariæ occupandæ nullam adhuc occaſionem haberet, totus in Regio & Ruberia, vt facilioreac iuſtiore, quòd eas recenter eccleſiæ poſſediſſet, & quaſi, niſi ea recuperaret, non parua inde ignominia notandus eſſet, obtinendis incumbebat. Hinc factum eſt, vt primò multis alijs rationibus, & poſtremò in fœdere cum prorege ineundo, maiorem huius rei rationem habuerit, quam multi cupiuiſſent, qui periculum quod omnibus à Cæſaris potentia imminebat, & nullum ad id, quàm totius Italiæ ſincera promptaque concordia, magis ſalutare remedium inueniri poſſe; quotidieque ad arma capienda occaſiones dari, vel etiam cogi homines poſſe perſpicientes, vt pontifex Ferrarienſium ducem, cuius principis cum propter opes, tum ob regionis & ſitus opportunitatem, aliaque illi adiuncta, huiusmodi præſertim tempeſtate magna eſſet habenda ratio, non irritaſſet, & à Cæſare opem implorare coëgiſſet, ſed potius amplexus eum eſſet, & omnem operam vt odium ac metum ab eo remoueret adhibuiſſet, melius futurum fuiſſe cenſebant; ſi tamen beneficia, in eos qui ſe tot iniurias accepiſſe exiſtimant, ex tam malè affectis & exulceratis animis, offenſionum memoriam, præſertim cum beneficium eiuſmodi tempore fit, vt magis vi expreſſum quàm à libera voluntate profectum videatur, delere poſſunt. Fœdere inito, pontifex, ne quod in tantum principem officij genus prætermitteret, prorege permittente, Piſtorienſem epiſcopum ad regem vt eum ſuo nomine inuiſeret ſolaturque miſit: qui poſt communia verba coram Alarconio habita, & poſtquam rex pontificem, vt pro ſe apud Cæſarem ageret rogaſſet, ſubmiſſa voce quid cum Albaniæ duce factum eſſet interrogauit: & reſponſum, illum parte exercitus diſſoluta, cum altera in Galliam nauigaſſe, moleſtè tulit. Hoc ipſo tempore Lucenſes proregi, qui eos Cæſaris nomine in fidem accepit, decem aureorum numûm millia promiſerunt: Senenſes quoque quindecim millia ſpoponderunt, citra obligationem tamen huius aut illius reipublicæ formæ conſeruandæ: nam ab vna parte Nouij pontificis conſilio Albaniæ ducis opera autoritatem reſumpſerant; ſed nondum ſatis eam firmauerant; ab altera, qui quod ſe libertati ſtudere profiterentur Libertini vulgò vocabantur, ex Papienſi pugna animum contra eum ſtatum, qui Galliæ regis armis erat introductus ſumentes, vtrique ſuos homines ad proregem, vt eum ad conſilia ſua propitium redderent miſerant; & nullo certo circa reipublicæ formam reſponſo accepto, omnes magno ſtudio factionem perfici curarant: qua facta quum homines à prorege ad pecuniam exigendam miſſi veniſſent,

niſſent,dum ea numerabatur,coram illis Hieronymus Seuerinus ciuis Senenſis, qui apud proregem fuerat,Alexandrum Bichium nouæ adminiſtrationis principem, & penes quem pontifex tunc omnem autoritatem eſſe voluerat,interfecit:quamobrem alijs ciuibus qui cum eo coniurarant arma capientib.populoq; qui ciuitatem ſub tyrannidē redire ægrè ferebat,ad arma concitato,Nouiorum principibus pulſis, popularem ſtatū pontifici inimicum & Cæſari adhærentem, in ciuitatem introduxerunt: quæ quidem, vt opinio fuit,non ſine proregis conſenſu, vel ſaltem poſtquā facta eſſent, ſumma approbatione geſta fuere: vt qui quantum ea ciuitas potens,maris & portuum opportunitate in vberi ſolo, regno Neapolitano propinqua,& inter Romam ac Florentiam ſita rebus Cæſaris commodare,ſi eius autoritatem agnoſceret,poſſet animaduerteret:quamuis ipſe & Sueſſanus dux, pontifici ſe ſtatu eius fauore conſtitutum non immutaturos ſpem feciſſent. Multi alij in Italia horum exemplum & victoris fortunam ſunt ſequuti; inter quos Montisferrati marchio quindecim aureorum numūm millibus res ſuas com poſuit: & Ferrarienſium dux cum eius res ob fœdus cum pontifice ictum, & quia Cæſaris mentem prius explorare erat neceſſe, tam citò componi non poſſent, quingenta auri pondo ea conditione mutuo proregi dedit,vt ſi cōpoſitio non ſequeretur,eā pecuniā prorex ipſe duci redderet:qua pecunia vnà cū mille auri libris à Mediolanēſib. pmiſſis, & ea q̄ Genuenſes atque Lucenſes promiſerant, & ea quā Cæſar ad bellum ſuſtinendū Genuam miſerat,ſed poſt victoriam allata fuerat,duces prout pecuniæ explicabantur, ſtipendijs exoluendis operam dabant, & paulatim Germanos vbi ſtipendia acceperant in patriam remittebant; adeò vt cum illos tunc contra neminem victoriæ curſum ſequi velle nullo inditio appareret,& prorex fœdus ſuo nomine cum pontifice ictum, ratum habuiſſet, eodemq; tempore nouum cum Venetis quod vehementer exoptabat, moliretur,omnium oculi ad intuendum quo nam pacto Cæſar tam lætum nuntium eſſet acceptus,& ad quem finem conſilia ſua eſſet directurus,ſunt conuerſi:in quo quātum externis ſignis perſpici potuit,magna animi bene moderati, & ad ſecundam fortunam facilè ſuſtinendam parati inditia apparuerunt; & quidem eiuſmodi, vt in tam potenti principe adoleſcente, & qui nunquam niſi ſecundam fortunam experto vix credibile eſſet: nam tantæ victoriæ nuntio, qui decima Martij die ad eum peruenit, & ſimul ſupplicibus Galliæ regis manu literis,nequaquam regali, ſed captiui potius animo exaratis,accepto,ſtatim ad templum,vt Deo ob tantam victoriam grates ageret ſe contulit: ac ſequenti die multa cum ceremonia, & ſummæ religionis declaratione, Euchariſtiæ ſacramentum ſumpſit: & cum pompa beatæ virginis templum ſupra Madrilium, vbi tunc erat, adijt: neque aliorum more, campanarum ſonitu,ignibus,alijſúe modis lætitiæ ſigna edi eſt paſſus:aiebat enim, ob victorias contra religionis noſtræ hoſtes partas, non autem ex Chriſtianorum victorijs triumphum duci debere; & nullo neque geſtu neq; verbis nimiæ lætitiæ,elatiuè animi ſigno edito, legatis & magnis viris qui apud eū erant gratulantibus, reſpondit; ſe quidem voluptatem ex ea percepiſſe, quòd cum ſibi Deum tam apertè propitium videret, ex eo ſe quamuis nullo ſuo merito ei gratum eſſe colligeret,& quòd nunc ſibi ad rempub. Chriſtianam in tranquillo ſtatu conſtituendam, & bellum contra Chriſtiani nominis hoſtes adornandum, occaſionem datam iri ſperaret,ac maiorem de amicis benemerendi, inimicis verò ignoſcendi facultatem eſſet habiturus; & ſe quamuis hanc victoriam, propterea quòd nullus amicorum ſibi ad eam conſequendam opem tuliſſet, totam ſibi iure vindicare poſſe videretur, velle tamen eam cum omnibus communicare:cumq; Venetum legatum reip.ſuæ facta purgantem audiuiſſet,ad eos qui adſtabant cōuerſus,eius excuſationes veras non eſſe, ſed tamen velle ſe eas tanquā veras admittere & accipere dixit:quibus in ſummæ ſapientiæ ac probitatis verbis & ſignificationibus, vbi aliquot dies perſeueraſſet; vt quemadmodū conſueuerat prudenter ac moderatè ageret,quodam die conſilio cōuocato quo pacto ſe cum Gallię rege gerere deberet, & ad quem finē hęc victoria eſſet dirigenda,factaq; omnibus libera ſententiæ ſuæ dicēdæ poteſtate rem ad conſilium retulit: quo facto Oſimenſis epiſcopus qui illi à confeſſionibus erat, ſic eſt loquutus:

Etſi glorioſiſſime princeps, omnia quæcunq; in hoc noſtro inferiori mūdo geruntur, ex Dei opt.max.prouidētia manāt,& ab eadē ſemper gubernātur,hoc tñ in nonnullis re

bus clarius perſpicitur: verùm,ſi vlla vnquam in re apertè cernitur,in hac certè victoria perſpectum eſt:nam cum ob magnitudinem & facilitatē qua eſt parta, tum verò maximè q victi ſint hoſtes potētiſſimi,ac omnib.rebus ad bellū neceſſarijs te lōgè inſtructio res,nemo expreſſam Dei voluntatē, ac penè prodigiū in ea extitiſſe poteſt negare;quare quo eius beneficiū clarius maiusq; extitit, eò magis debes id, Cæſar, agnoſcere,teq; gratū oſtendere:quod quidē in eo præcipuè eſt ſitū, vt victoriā ad eum finē dirigas,qui Deo gratior ſit futurus;& cuius cauſſa eā tibi ab illo conceſsā credi par eſt: & certè quū Chriſtianæ reip.ſtatū intueor,nihil ſanctius,nihil magis neceſſariū,nihil Deo gratius cō muni inter Chriſtianos principes pace futurū video:ſine hac enim religionē, pieratem, & hominū mores in apertiſſimā pernicié ruere vel manib.tangi poteſt.Habemus ab una parte Turcas,qui ob diſſidia noſtra tantū aduerſus Chriſtianos progreſſum fecerunt, vt nunc Pannoniæ ſororis tuę mariti regno minantur:quā ſi vt proculdubio niſi Chriſtiani principes ſimul conſpirent occupauerint,viam ad Germaniam & Italiā apertam habebūt.Ab altera verò parte Lutheri hæreſis Deo tam infeſta,tam ijs qui eam poſſunt oppri mere ignominioſa,tamq; omnibus Chriſtianis principib. periculoſa, iam ita radices egit,vt niſi occurratur, vniuerſum terrarū orbem ſit impletura; neq; alia ratione quā tua autoritate atq; potentia occurri poteſt:quæ dum tu alijs bellis es implicatus,ad hoc per nicioſiſſimū venenum extirpandum adhiberi nō poſſunt. Deinde &ſi nunc nullā neq; à Turcis neq; ab impijs Chriſtianis periculū immineret,quid turpius,quid magis nefariū ac peſtilēs eſſe poteſt,q̄ tantā Chriſtiani ſanguinis copiā,quæ magna cū gloria Chriſtianæ religionis propagandæ gratia impendi, vel ſaltem ad magis neceſſaria tēpora reſeruari,cupiditatū noſtrarū cauſſa inutiliter, inter tot ſtupra, ſacrilegia & nefaria facinora effundi?quorū malorum qui ſciens & volens cauſſa eſt,veniam nullā à Deo ſperare poteſt: qui verò ea neceſſitate committit,niſi ſaltē,vbi primū facultas ei data fuerit,ea ſibi. omnino corrigenda ſtatuit,is excuſatione dignus nō eſt.Debet igitur finis& ſcopus tibi propoſitus eſſe cōmunis inter Chriſtianos pax; vtpote res præ ceteris omnib. honeſta, ſancta,& neceſſaria:eam aūt quomodo aſſequi poſſis, nūc videamus. Tres ſunt tibi Cæſar,quid de Gallię rege ſit ſtatuēdū deliberāti propoſitę ſentētiæ:prima vt eū perpetuò captiuū teneas:altera vt amicè ac fraternè nulla alia pactione p̄ter eas q̄ ad perpetuā pacē & amicitiā inter vos conſtituendā, & Chriſtianæ reip. morbos ſanandos ſpectant interiecta,dimittas:tertia vt ei quāto potes emolumento ex eo extorto libertatē reſtituas: quarū niſi fallor reliquæ duæ bella diuturniora reddūt & augent,ſola amica & fraterna liberatio,ea in ſempiternū tollit:cui em̄ dubiū eſſe poteſt,quin Gallię rex ſi tanta animi magnitudine ac tā ſingulari liberalitate in eū vſus fueris,tanto beneficio tibi animo magis deuinctus magisq; in tua poteſtate ſit futurus,q̄ nunc corpore?quod ſi inter te&illū, fuerit verus cōſenſus,atq; cōcordia,oēs ceteri Chriſtiani illud iter qđ à vobis duobus erit oſtenſum ſequētur:at illū in ſempiterna cuſtodia retinere, præter q̄ quòd cū nimis magna immanitatis nota cōiunctū eſſet, & animi qui fortunæ potētia nō agnoſceret indiciū foret,nōne id bella ex bellis ſereret? argueret em̄ te Galliā vel totā vel eius partē occupare velle:quod quidē ſine nouis & grauiſſimis bellis fieri non poſſet. Mediā verò ſententiam,vt nimirū quanta maxima poſſis vtilitate percepta,dimittas,omniū maximè implicatā periculoſiſſimāq; cenſeo;quacunq; em̄ affinitate, quibuſcunq; legib. quoūe vinculo cōſtrinxeris, ſemper tibi erit inimicus: neq; illi vnq̄ omniū quotquot potentiā tuā timent,ſocietas deerit;& ſic noua priorib.magis cruenta & periculoſa bella erunt in prōptu. Quā hæc ſentētia ab hominū opinione aliena, q̄ noua, & ſine exēplis ſit videa; ſed Cæſarē quoq; ceterorū q̄ præter omniū expectationē,opinionēq; ſunt,inuſitata,ſingulariaq; decēt:nec mirandū eſt Cæſaris animū ea percipere poſſe,quæ reliquorū mortaliū mētes aſſequi nō poſſunt quos vt dignitate antecellit, ſic animi magnitudine debet ſuperare:idcirco eū præ ceteris omnib. cognoſcere. q̄ vera gloria refertū ſit tā generoſum conſilium;quàm magis Cęſaris ſit ignoſcere& beneficijs afficere, quā imperij fines proferre: nec fruſtra orbis terrarum pacandi poteſtatem à Deo inuſitato quodam modo ipſi datam agnoſcere debes, & cogitare tui muneris eſſe, poſt tot victorias, poſt tot à Deo accepta beneficia,quū oēs ad pedes ſuos aduolutos videat,non iam cum aliquo, quaſi cum inimico agere,ſed vt cōmunem parentem omnium ſaluti conſulere. Alexandri magni & Iulij Cæſaris nomen clarius fecit animi illa magnitudo, qua hoſtibus

veniam

veniam dederunt, victis regna restituerunt, quã tot victoriæ totq; trophea, quorum exemplum multo magis sequi debet is, qui quum non sibi vnicum finem statuat gloriam, (&si ea maximum præmium sit) proprio & vero Christiani principis munere præcipuè fungi cupit. Verũ vt eos qui rebus humanis humanũ tantũ finem proponunt conuincamus, quod nam consilium magis ad eum ipsum finẽ spectet videamus. Equidẽ in omni tua magnitudine nihil admirabilius, nihil præstantius esse iudico, quàm quòd adhuc dignius inuictus fueris, quodq; omnia tua tanta cũ dignitate & felicitate ad optatissimum finem perduxeris. Hæc proculdubio est omnium pretiosissima gemma, thesaurusq; rarissimus: quo igitur modo melius stabilitur? quo tutiori loco habetur? qua deniq; ratione certius conseruatur, quàm bellis tam magnanimo & generoso consilio terminãdis, parta gloria ex fortunæ potestate eripienda, hacq; naui incredibilis pretij mercibus onusta, ex alto in tutum portum perducenda? Sed vlterius progrediamur: nõne magis expetẽda est illa potentia quæ spõte & voluntate, q̃ quæ vi & necessitate conseruatur? id nemini dubium est; quia firmior, facilior, gratior, honestiorq; est. Si Cæsar Galliæ regem sibi tanta liberalitate, tantoq; beneficio deuincit, nonne semper ipsius eiusq; regni dominus erit? si pontificem ac ceteros principes, se ijs quæ habet contentũ esse, neq; aliud quã de cõmuni salute cogitare, tam certos reddit, nõne illi suspicionem omnem deponent? cumq; nec illũ metuendi, nec decertandi causam vllam cum eo habeant, nõ modò tantã bonitatẽ amabunt, verumetiã colent: sic omniũ consensu omnib. leges dabit, & longè magis Christianos beneuolentia & autoritate, quã viribus & imperio obsequẽtes habebit: omnibus adiuuantib. & sequentib. arma in Lutheranos & Turcas, & quidẽ maiore gloria, atq; amplioris imperij occasione, conuertere poterit: quod quidẽ imperium cur non æquè in Africa, in Græcia, in Oriente, etsi etiam tam facilè esset imperium inter Christianos augere, vt multis meo quidẽ iudicio leuiter videtur, nõ optandũ ignoro: nam potentia tua Cæsar, ita creuit, vt omnib. sit nimis formidabilis: vbi aũt te maiora moliri animaduertent, oẽs necessariò in te conspirabunt. Tuam Cæsar potentiã timet pontifex, timent Veneti, timet cuncta Italia, & ex indicijs quæ crebrò apparuerũt, credibile est eã Angliæ regi quoq; molestã esse. Galli per aliquot menses vana spe & leuibus sermonib. foueri poterũt: sed tandẽ necessariò aut rex erit dimittẽdus, aut Gallis desperandũ: spe amissa cũ reliquis omnib. fœdus inibunt: si regi libertas legib. tibi parũ vtilib. cõcedenda sit, q̃ nam lucrũ erit, tantæ magnanimitatis ostendẽdę occasione amissa? quę nisi hoc initiò declaretur, etiãsi postea ostendatur, neq; laudẽ, neq; gloriã, neq; gratiam parẽ coniunctam habebit. Si verò id legib. tibi utilibus fiat, non seruabit: quia nullã cautionem vnquã datam tanti faciet, quin maioris sit facturus, ne hostis suus tam potens euadat, vt ab eo pòst opprimi possit; sic vel inutilem pacẽ, vel periculosum bellum, quorũ exitus incerti sunt, habebimus: ei qui tam diuturna felicitate sit vsus, fortunæ conuersio magis est metuenda: quid, quod aduersus rerum successus, ei lõgè molestior est, qui omnia ritè potuit constabilire? Ego me Cæsar, mandato tuo si minus prudentia saltem studio & fide satisfeciss arbitror; neq; aliud mihi supereſt, nisi vt Deum opt. max. precer, tibi eam mẽtem ac facultatẽ det, qua id consiliũ quod magis ex ipsius voluntate, magis ex tua gloria, magis denique è Christianæ reip. salute, cuius te tũ ob supremum dignitatis gradum in quo es, constitutus, tum quia ea Dei voluntas esse perspicitur, parentem ac patronum esse decet, persequare.

Fuit hoc consilium à Cæsare magna attentione auditum, nec tamen id sibi aut probari aut improbari vllo signo declarauit; sed vbi paululũ tacitus hæsisset, atq; vt ceteri sententias suas dicerent nutu significasset, Federicus Aluæ dux vir magnæ apud Cæsarem autoritatis, ita est orsus:

Ego inuictissime Cæsar, si in me nec iudicium à communi iudicio diuersum, nec ingenium eiusmodi, vt quę ceterorũ hominũ ingenia nõ pertingunt penetrare possim, esse fatebor, excusationem merebor: quin etiã fortasse maiore dignus laude censebor, si eandem viam quã semper maiores auiq; tui sunt sequuti insistẽdũ esse suasero: noua etenim & inusitata cõsilia, primo quidẽ intuitu magis glorioſa generosaq; videri possent: sed ea proculdubio magis periculosos & ancipites exitus habẽt, q̃ quæ semp apud cũctos mortales ratio vsusq; cõprobauit: Diuina prouidentia primũ, deinde ducũ exercitusq; tui vir-

tute,omniũ quas à multis ſeculis vllus Chriſtianus princeps ſit adeptus maximã es victo riã conſequutus;ſed omnis victoriæ fructus in eo eſt,ſi ea bene vtaris:id verò prætermittere,tãto maius quã nõ viciſſe dedecus eſt,quanto maiore noſtra culpa in ijs rebus quæ in poteſtate noſtra ſunt erramus,quã in ijs q̃ ex fortunę pendẽt arbitrio:quo magis cauẽ dum eſt,ne huiuſmodi conſilium ſequare, cuius te tandẽ apud alios pudeat; teq; ipſum pœniteat:& quo grauius eſt id de quo agitur,eo cautius eſt progrediẽdum : eaq; quæ ſemel errata corrigi amplius non poſſunt,maturè ſunt deliberanda; tibiq; Cęſar eſt cogitandum,vbi ſemel regem dimiſeris,iam detineri non poſſe:dum verò captiuus tenetur, eum liberare ſemper in tua poteſtate eſt: nec debet ei tarditas admirationẽ parere; cũ, niſi fallor,quid cum Cæſare ſi eum captum teneret eſſet facturus,ipſe ſibi ſit cõſcius.Magnum profectò fuit Galliæ regem capere;ſed qui rem diligenter inſpexerit, longè maius eſſe reperiet eum dimittere:neq; vnquã prudentiæ tribuetur,de re tam graui ſine lõgiſſima conſultatione,& infinita propemodum mentis agitatione ventilationeq; conſtituere.Nec fortaſſe in hac ſententia eſſem,ſi regem in præſentia liberatum, tantũ beneficium debita grati animi ſignificatione agniturum, Pontificẽq; ac cæteros Italiæ principes vnà cũ ſuſpicione cupiditatẽ ambitionẽq; depoſituros eſſe, mihi perſuadere poſſẽ: ſed quã periculoſum ſit, tam grauẽ deliberationem,tã fallaci tãq; incerto fundamento niti,quis non videt? imò qui hominum naturam & mores diligenter inſpexerit, potius contrarium cenſebit;quoniã ſuapte natura nihil beneficiorum acceptorũ memoria breuius,nihil celerius interit: & quo maiora ſunt beneficia, eo (vt cõmuni prouerbio fertur)maiore maleficio cõpenſantur.nam qui ea remunerando delere aut nõn poteſt aut non vult,ſæpe vel obliuione, vel ea non tanta fuiſſe ſibi perſuadendo, delere conatur: & quos eò redactos fuiſſe vt beneficio opus habuerint, pudet, ijdem ſe illud accepiſſe indignantur;adeò vt plus in eis odiũ ob eam in quã ceciderant neceſſitatis memoriã, q̃ beneficij accepti ratio poſſit. Deinde quorumnam magis naturalis eſt inſolentia, quorum magis propria leuitas,q̃ Gallorũ?at vbi inſolentia,ibi & cæcitas; vbi leuitas ibi nec virtutis cognitio,nec in aliorum factis diſcernendis iudicium: nec grauitas qua quid ſe deceat metiri poſſint. Quid igitur de Galliæ rege tanto faſtu quantum Gallorum rex capere poteſt inflato ſperari poteſt,niſi illũ quòd eo tẽpore Cęſaris ſit captiuus, quo ſe de eo triumphum relaturum ſperabat,ira& furore ardere?ſemper huius infamię memoria ei ob oculos verſabitur;nec liberatus eius delendæ inſtrumentum gratiam eſſe unquã exiſtimabit;quin potius ſemper de te ſuperãdo cogitabit; ſeq; à te, nõ clementia magnitudineue animi,ſed eius retinendi difficultate dimiſſum putabit:ea plerunq; eſt omniũ mortaliũ,ea ſemper Gallorũ natura,à quibus qui grauitatẽ magnanimitatẽue expectat, nouum ordinem nouamq; in rebus humanis legem expectat. Pro pace igitur & orbis terrarũ compoſitione,bella ſuperiorib.maiora periculoſioraq; exurgent; quoniã exiſtimatio tua minor erit,& exercitus tuus,qui tantæ victoriæ debitũ fructũ expectat,ſpe ſua fruſtratus,non iam eandem virtutem animiq; vigorem,neq; res tuę eandem fortunam, quæ difficulter apud eos qui eã retinent manet,nedũ apud repellẽtes retinebunt. Neq; põtifex ac Veneti meliores erunt,quin potius q̃ te ſuperiori victoria potiri permiſerint pœnitentia ducti,futuras tibi impedire nitentur; & timor quem nunc eis adfers,eos omnem operam,vt ne in nouum amplius timorem incidant, adhibere coget: cumq; in tua poteſtate ſit omnes uinctos & ſtupẽtes detinere, tu ipſe,pfuſa bonitate eos diſſolues & audaces reddes. Quę nam Dei mens ſit ignoro,nec alios ſcire credo:eius namq; iudicia occulta & profunda eſſe dicuntur: ſi vero ex ijs quæ tam manifeſtè videntur coniectura aliquid aſſequi poſſumus,credo illam tuæ Cæſar,fauere magnitudini;neq; tot eius in te beneficia idcirco redundare, vt tu ea profundas : ſed vt quemadmodum honore & iure ceteros antecellis,ſic omnes re ipſa ſuperes:quare tam ſingularem tibi diuinitus oblatam occaſionem amittere,nihil aliud foret,quàm Deum vt te gratia ſua indignum faceret prouocare. Vſu quidem compertum eſt, & idipſum ratio docet, ea quæ ex multorum voluntate pendent, nunquam felicem exitum habere: quocirca qui multorum principũ fœdere hæreticos extingui,aut Turcas ſubigi poſſe credit,vtrũ humanarũ rerũ naturã bene metiatur ignoro:hęc eẽ tam potentẽ principẽ vt cetetis quid agẽdũ ſit prę-
ſcribat requirũt;niſi hoc adſit,eadẽ fortuna deinceps tractabunt & gerẽtur,qua hactẽ⁹

tractata

tractata gestaq; sunt:hanc ob causſam tot uictorias tibi à Deo concedi credo; ob hanc ipsam tibi ab eo ad Monarchiam qua sola tam sanctæ res perfici possunt, uiam aperiri existimo;& melius est illarum initium differri quo meliorib us certioribusq; fundamentis nitatur.Nec te ab hac sententia remoueat tot fœderũ quæ denunciantur timor:quoniam nimis magna est occasio,quam manibus tenes,nec unquã si res ritè tractentur,regis mater,materna pietate,& filij liberandi necessitate ducta, ab eius à te pactione impetrandi spe diuelletur:nunquam Italiæ principes cum Gallię principib.conspirabunt;qui cum satis intelligant in tua potestate situm, eo liberato omnem illã societatem dissolure,ipsumq; in eos cõuertere,attoniti ac suspẽsi hęreãt necesse est;ac deniq; à te leges certatim accipiant; in quos clementia & magnanimitate vti tunc erit gloriosum, cũ res in eo erunt statu,vt quin te dominũ agnoscãt, facere non poterunt. Sic ea vsi sunt Alexãder & Cæsar, qui in iniurijs quidem codonandis liberales fuerunt, at non tamen vt se ipsi in eas difficultates & pericula,quæ iam superauerant,rursum inducerent, præcipites. Qui id facit laude dignus est, quia id facit cuius pauca extant exẽpla;sed fortasse imprudens est is qui ea facit, quorum nullum inuenitur exemplũ. Mea igitur sententia Cęsar est,vt ex hac victoria quã maximum fieri possit fructum percipias; eamq; ob causam rex, ei regio honore semper exhibito,si in Hispaniam non possit,saltem Neapolim ducatur;pro eius literarum responso mittatur aliquis cum benignissimis verbis,qui eius libertatis conditiones proponat, eiusmodi, ut quemadmodum accuratius decerni poterit,tanta victoria digna sint præmia:his iactis fundamentis,& his rerum tuarum finibus propositis,dies & euentus qui succedent,regi libertatẽ citius aut tradius,& cum Italis bellũ aut pacẽ parient:quibus nũc spẽ faciendã& armorũ fortunam existimationẽq; quoad fieri possit,arte atq; industria augẽdam censeo,ne nobis quotidie iterum fortuna sit periclitanda:& vt cum hoc aut illo,vel cum omnibus simul,vel cum nemine,prout occasiones consilium dabunt,pacisci parati simus.Hæ sunt viæ quas semper sapiẽtes principes,&præcipuè qui tibi tantæ potentię fundamẽta iecerunt,sunt sequuti,qui crescẽdi instrumenta nunquam reiecerunt, nec fortunæ cursum, quum eum propitium sunt nacti,vnquam remiserunt. Idẽ & tu ad quẽ ea omnia quę in aliquo illorũ ambitioni tribui poterant iure spectant,facere debes. Cogita Cæsar,te principem esse,& principum viam sequi debere;& nullum neque diuinum neq; humanum ius, vt imperij Romani ab alijs occupatæ & oppressæ autoritatis iterum erigendæ opportunitatem negligas suadere;sed te ad animum in id solum vt eam ritè excites intendendum obstringit;illud aũt potissimum tecum reputare debes,quàm facile sit præclaras occasiones amittere; & cõtrà,quàm difficile eas adipisci;ideoq; dum manibus tenentur,omni studio ad eas retinẽdas enitendum;neq; eorum qui uicti sunt probitati prudentiæue, quũ mortales imprudentia malitiaq; sint referti innitendũ;cumq; Christianam religionem, aut potentia tua aut nulla alia ratione propugnari posse videas,eam quantum fieri possit,non magis autoritatis & gloriæ tuæ causſa,quàm ut Deo pareas & communis boni studio, propagare conaberis.

Dici nõ posset,quãto cum totius senatus applausu auditus fuerit Albanus dux, propterea quòd omnes iam totius Christianæ reip. imperium animo concepissent; idcirco nemo ex alijs fuit,qui sine contradictione eandem sententiam non comprobarit; quam & Cæsar potius quasi à suorum consilijs recedere nollet, quã vt mentem suam declararet,comprobauit.Itaque Buerenum intimum cubicularium,sibiq; valde gratum,ad mẽtem suam ducibus declarandam,& Galliæ regem suo nomine visendum,eiq; leges quibus libertatem consequi posset proponendas misit:qui quoniam regis mater, vt filij res commodius tractari possent,homines ac tabellarios qui vltro citroq; à Cæsare mittebãtur non amplius itinere prohibebat,terrestri itinere profectus, unà cũ Borbonio & prorege Picighitonem vbi rex adhuc erat,contendit,eiq; libertatem,sed tam grauibus legibus, ut à rege summa cum molestia fuerint auditæ, obtulit: nam præter iuris quod in Italia haberet cessionem,vt Burgundiam sibi tanquam rem propriam restitueret,Borbonio Prouinciam traderet,& pro se atque Angliæ rege alia maximi momẽti petebat. Ad quæ rex constanter respondit; se potius captiuum mori, quàm filios vlla Galliæ regni parte spoliare statuisse:quod etsi secus decreuisset,quum antiquis Galliæ legibus vt ni-

hil quod ad regnum ſpectaret,abſq; Senatuum & reliquorum,penes quos totius regni autoritas erat,qui in huiuſmodi rebus communem ſalutem proprijs regum commodis anteferre conſueſſent, conſenſu alienare liceret cautum eſſet, id exequi in ſua poteſtate non eſſe. Peterent igitur ea quæ fieri poſſent: quod ſi facerent,nec ad fœdus cum Cæſare ineundum,nec ad eius potentiam promouendam maiorem alacritatem deſideraturos:nec uaria,quibus ſe in alienis imperijs liberaliſſimè cõcedendis dummodo libertatem nullo ex ſuis promiſſo conſequeretur haud difficilem reddebat,proponere præter miſit;quorum hæc fuit ſumma:ſe Cæſaris ſororem quæ Luſitaniæ regis morte uidua relicta fuerat in matrimonium ducturum; & Burgundiam in cuius imperio filij ex eo matrimonio nati ſuccederent,ſe eius dotis nomine poſſidere atteſtaturum: Borbonio ſua bona quæ publicata fuerant reſtituturum;& alia præterea additurum: & pro Cæſaris ſorore quæ ei promiſſa fuerat,ſororem ſuam quæ recenter Alenconij morte vidua erat relicta,ei nuptui traditurum:Angliæ regi pecunia ſatisfacturum:& Cæſari mulctæ ſuæ nomine maximã pecuniæ vim perſoluturũ:regni neapolitani & Mediolanẽſis imperij iuribus ceſſurum; quumq; Romam ad Cæſaream coronam accipiendam ire uellet,nauales ac terreſtres copias quæ illum comitarentur miſſurum: quod perinde erat ac ſi illi ſe vniuerſam Italiam prædæ daturum promiſiſſet,profectus:cum qua capitum forma Buerenus ad Cæſarem redijt, & cum eo eſt Memorantius, vir iam tunc regi acceptiſſimus, quiq; pòſt ab illo primo,ad ſummam regię domus præfecturam,pòſt ad Magiſtri equitũ munus fuit promotus profectus.Sed exercitus cladis & regis capti nuntijs in Galliã allatis,quanta fuerit omnium cõſternatio ac deſperatio cogitari vix poſſet:ad immenſum enim mœrorẽ quẽ miſerandus regis ſui caſus, ei gẽti regij nominis natura ſtudioſiſſimę obſeruãtiſſimęq; adferebat,infiniti priuati ac publici mœrores accedebant;priuati qdẽ quia in aula & inter nobiles pauciſſimi erãt,quibus in prœlio filij aut fratres,alijue propinqui vel nõ vulgares amici non interijſſent: publici verò ob tam clari regni autoritatem atque ſplendorem ita imminutum: quod tanto magis eis moleſtum erat, quo magis ipſi ſibi naturæ quodam inſtinctu arrogant & aſſumunt: & quia ne tanta calamitas rege capto, & cum ipſo regni principibus,& ferè omnibus ſummis belli ducibus in pugna vel cæſis vel captis,regno pecunia exhauſto,& potentiſſimis hoſtibus ſepto, maioris cladis initium foret metuebant: quoniam Anglię rex, etſi varia conſilia agitaſſet, & multis in rebus animi in conſtantiã declaraſſet,nihilominus paucis diebus ante pugnã, omnibus negotijs quæ cum rege habuerat excluſis,ſe ſi res feliciter in Italia ei cederẽt Galliam infeſtis armis adoriri velle diuulgarat: ideo magnus erat metus ne in tanta opportunitate Cæſar vnà cum eo Galliæ bellum inferret,vbi quum non aliud caput prẽter mulierem & paruulos regis filios, quorum natu maximus nundum octauum ætatis annum agebat,eſſet,ipſi verò Borbonium tam potentem tantæq; in eo regno autoritatis principem ſecum haberent,quiuis motus ab eis excitatus periculoſiſſimus erat futurus. Neque matri in tantis moleſtijs,in quibus filij cauſſa, & ob regni pericula verſabatur, propriæ ſuæ moleſtiæ quoque deerant: quoniam ambitioſa,& adminiſtrationis tenaciſſima cum eſſet,ne regis liberatione protracta,& noua aliqua moleſtia Galliæ imminẽte,ijs qui à regni comitijs delecti eſſent, regni curam permittere cogeretur metuebat: ſed tamen in tanta perturbatione cum ipſa et qui cum ea erant animum reſumpſiſſent, prætẽrquam quòd quàm citiſſimè potuerunt, Galliæ fines munierunt,& vt magna pecuniæ vis colligeretur operam dederunt: regina mater cuius voluntate & nomine omnia negotia tranſigebantur ſupplices literas, & miſerationis plenas ad Cæſarem ſcripſit: quibus pacis negotio initium dedit, & pòſt in eo tractando perſeuerauit: cuius etiã rei cauſſa Vgonem Moncandam, pòſt libertate donatum ad Cæſarem miſit; & per eum filium, regni neapolitani ac Mediolanenſis imperij iuri ceſſurum, vt ad quem Burgundia ſpectaret,iure cognoſceretur aſſenſurum; quæ ſi Cæſari adiudicaretur, eam ipſius ſororis dotis nomine ſe poſſidere teſtaturum :Borbonio ſtatum ſuum cum ſummi pretij ſupellectile & fructibus regio ærario addictis reſtituturum : eidemque ſororem in matrimonium locaturum; & vt Prouinciã, ſi meliora in eam iura habere iudicatus foret obtineret permiſſurũ,eſſe propoſuit. Quę vt facilius trãſigerentur,potius quã quòd animum ad belli cogitationem conuerſum haberet,ſtatim nuntios in Italiam ad pontificẽ

ac Venetos

ac Venetos misit, per quos eis filij salutem cõmendauit; & si propriæ securitatis gratia fœdus secum inire, & contra Cæsarem arma capere vellent, quingentas Lanceas & magnam pecuniæ vim eis obtulit. Potissimum autem eius & totius Galliæ regni studium erat in Angliæ rege mitigando: nisi enim illum hostem haberent, Galliæ regnum nullam molestiam passurum; sed si ille ab una parte & Cæsar ab altera arma mouerent, quum Borbonium & tot occasiones secum haberent, omnia augustijs ac periculis, vt verum erat, plena fore censebant. Huius autem rei mox aliqua spes reginæ affulgere cœpit: nam etsi Angliæ rex, statim victoriæ nuntio accepto maxima lætitiæ signa ostendisset, seque ipsum in Galliam transire velle diuulgasset, & oratores ad Cæsarem qui de bello communibus auspicijs mouendo agerent, idque vrgerent misisset, nihilominus eodem modo hoc tempore, quo aliàs quoque se gerens, à regina vt proprium hominem ad se mitteret petijt: quæ statim eum cum amplissimis mandatis, omni submissione & artibus, quoad eius fieri poterat, vt eius regis animum mitigaret misit. is autem ab Eboracensis consilijs non recedens, eum sibi præcipuum finem proposuisse uidebatur, vt ita controuersiarum inter cæteros principes arbiter fieret, vt cuncti mortales rerũ summã ex ipso pendere possent cernere; ideoq; eodem tempore, Cæsari se in Galliam cum magno exercitu transiturum, affinitatem aliàs inter ipsos tractatam contracturum; & vt omnem suspicionem è medio tolleret, statim filiam quæ nondum nubilis erat, Cæsari traditurum pollicebatur: Habebant autem hæc impedimenta partim ex ipsomet, partim ex Cæsare, qui non vt hactenus fuerat, ad fœdus cum illo ineundum erat paratus, manantia minimè parua; quoniam rex ille ferè omnia victoriæ præmia Picardiam videlicet, Normaniam, Ghiennam, & Vasconiam cum Galliæ regis nomine sibi deposcebat; & vt Cæsar quamuis præmia inæqualia essent, æquè sumptuum ac periculorũ particeps ipsemet in Galliam ueniret, petebat. Horum igitur capitum inæqualitas Cæsaris animum turbabat: idque eo magis quòd quum illum in maximis à Galliæ rege superioribus annis imminentibus periculis, semper arma aduersus eum remisisse memoria teneret, huic fœderi non innitendũ censebat; cumq; pecunijs exinanitus esset, & tot periculis fessus, maiora à Galliæ rege solus pace quã bello unà cum Angliæ rege sperabat. Neq; amplius eius filię quę adhuc impubes erat, & cuius doti adnumeranda erat ea pecunia, quã ipse ab Angliæ rege mutuo acceperat, cõnubium tanti quãti antea solebat à Cæsare fiebat: imò filiorũ gignendorum desiderio, & pecuniæ cupiditate, Ioãnis Lusitaniæ regis sororem ætate nubilem, & cuius nomine se ingentem pecuniæ vim acceptu rum sperabat, & quod matrimoniũ si cõtraheret, populi ipsius reginam eiusdẽ linguę & gentis, & quę citò liberos gigneret habere cupientes, magnã quoq; auri vim ipsi pollicebantur, ducere cogitabat. Quas ob res, difficultatibus inter utrunq; principẽ crescentib. & Eboracensis consuetę erga Galliæ regẽ propensioni, eiusdem contra Cæsarem tum regis sui caussa, tum etiã quòd se à Cęsare, qui quum ante Papiensem pugnam nunquã literas, nisi totas manu sua conscriptas, & cum huiusmodi subscriptione, Tuus filius & propinquus Carolus, ad eum dare soleret, post eam uictoriam, per alias literas, quæ ipsius manu solummodo subscriptæ erant, neq; id iam cum tantam obseruantiam, submissionemq; declarantibus nominibus, verùm proprio suo tantum nomine scripto, ad eum scribi curare cœpit, iam contemni censeret, apertis querelis accedentibus: hæc in caussa fuerunt vt Anglię rex homine, qui à regina ad eum missus erat humanissimis verbis & signis accepto, eam vt bene in posterum speraret hortatus, non multo pòst animo prorsus à Cęsaris rebus alienatus, fœdus cum regina filij nomine stipulante contraxerit; in quo vt Cæsari, ne regis quidem liberandi gratia, nihil eorum quæ tunc sub Galliæ regno erant concedi liceret, expresè addi voluit. Hæc fuit prima Galliæ regno oblata salutis spes, hoc ex tantis calamitatibus respirandi initium: deinde Cęsaris in Italia ducum progressibus auctum, qui tanta victoria insolenter elati, & volũtati suæ cunctos mortales omniaque impedimenta cessura rati, cum Venetis pacisci occasionem amiserunt, pontifici fidem non seruarunt; & illum, Mediolanensium ducem atq; uniuersam Italiam suspicione repleuerunt, nouarũq; perturbationũ semina quæ tandẽ Cæsarem in præcipitis consilij grauissimo, nisi antiqua eius felicitas, & aduersa pontificis fata plus potuissent, rerum suarum in Italia periculo, capiendi necessitatem conie-

cerant,ſparſerunt: quæ certè peculiari notitia ſunt digniſſima: vt tam inſignium rerum conſilia & fundamenta,quæ ſæpe latent,& plerunq; lõgè ſecus quã veritas habeat,peruulgantur,cognoſci poſſint. vix dum igitur pontifex cum prorege compoſuerat, quum magna promiſſa quo eum ad bellum incitarent, ex Gallia ſunt allata; & quamuis multi qui eum ad idem hortarentur minimè deeſſent, & de Cæſarianorum fide dubitatio in qua prius erat,nihil eſſet imminuta,ita ſe in omnibus rebus gerere ſtatuit, vt nullam ex actionibus ſuis ſuſpicandi cauſſam haberent. Ideo ſtatim ubi fœdus Romæ conſtitutũ à prorege comprobatum ac promulgatum audiuit,ipſe quoque in Ioannis Lateranenſis templo,Cæſaris à prorege promiſſa confirmatione non expectata, fœderis promulgationem,quæ Cal.Maij fuit, quo magis animum ſuum declararet, præſentia ſua, ſuæque inaugurarionis pompa decorauit; vt Florentini promiſſam pecuniam ſoluerent vrſit; & quantum potuit,vt Veneti quoque cum Cæſarianis componerent,ſeſe interpoſuit:ab illis verò multæ iuſtæ querendi cauſſę ei datæ fuerunt: quoniam ex promiſſæ pecuniæ ſolutione, ducenta & quinquaginta auri pondo à Florentinis ipſius mandato dum de pace agebatur eis numerata,prorege, ſi promiſſum aliter eſſet, id ſine ſuo mandato factũ impudenter aſſerente detrahere noluerunt: neque milites à pontificij imperij finibus amouere; imò totum Placentinum agrum milite repleuerunt. Quibus(nam hæc fortaſſe ob pecuniarum & hoſpitiorum penuriam aliqua ex parte excuſari poterant)illud adiunxerunt,quod non modò in Senenſis reip. ſtatus mutatione animi à pontifice alieni ſuſpicionem dederunt,ucrũ etiam pòſt,vt Nouiorũ factionis ciues à Libertinis etſi Pontifici ſæpius ea de re expoſtulanti,remedij ſpem fecerint, malè multarentur,& fortunis ſpoliarentur,ſunt paſſi,verùm illud omnium moleſtiſſimum ei fuit, quòd prorex ſtatim Ferrarienſium duci aures accommodaſſet; eiq; ſe illum ad Regium atq; Ruberiam reſtituenda non coacturum, & vt Cæſar ipſius imperij patrocinium ſuſciperet effecturum promiſiſſet; quum tamen quotidie pontifici ſe ſimul ac Florentini pecuniam omnem repręſentaſſent,vt ipſi illæ ciuitates reſtituerentur effecturum polliceretur; & pontifex vt id perfici vrgeret,& vt milites à põtificij imperij finibus remoueri impetraret,Saluiatum Cardinalem ſuum in Gallia ciſalpina legatum, & vt legatione ad Cæſarem fungeretur, deſtinatum,ad eum,cui prorex Regij,ſi id dux ſponte facere recuſaret, armis ipſi reſtituendi ſpem fecerat,nihilominus facta à verbis diſcrepabant: quæ res cum pecuniarum egeſtate,quia maiorem eius vim ex illarum ciuitatum reſtitutione eſſent adepti, excuſari non poſſent,ex ipſius depreſſionis, vel Ferrarienſium ducis in partes ſuas allitiendi ſtudio,vel ex eo quòd ſe paulatim ad Italiam opprimendam compararent,proficiſci,probabilem cogitandi cauſſam præbebant.Itaque hæc pontifici ſuſpicionem ac penè incredibilem animi moleſtiam adferebant; ſed longe maiorem quòd Cæſaris mentem ab his rebus minimè diuerſam eſſe ſuſpicabatur: is enim, quum ſe fœdus ſuo nomine à prorege ictum per literas ratum habere pontifici teſtatus eſſet,trium capitum ſeorſim extra fœdus adiectorũ confirmationem differebat: nam quòd ad ciuitates quas Ferrarienſis tenebat,attineret,Imperij Romani iura defraudare,vel eum ducẽ qui ſe ijs Imperij beneficio potiri diceret,cogere non poſſe dicebat: ideoq; vt hæc controuerſia aut iure diſceptaretur,aut amicè componeretur proponebat: animaduertebatur autẽ eius deſiderium eſſe, ut ea penes ducem ſui diplomatis, & beneficij iure manerent,ea tamẽ conditione vt ſibi mille auri pondo,ac totidem pontifici Ferrarienſis imperij nomine,& pœnæ eius quod cum Adriano fecerat contractus perſolueret,cum miniſtris ſuis de ſale Mediolanenſi imperio ſuppeditando paciſci ineptum fuiſſe aiebat, propterea quòd eiuſmodi res,quibus imperij Mediolanenſis cõmoda continentur, diplomatis beneficiarij conceſſi,ſed nundum exhibiti,ui,ad Franciſcũ Sfortiam ſpectaret;ideoq; proregẽ non ſimpliciter vt ſe ad accipiendum obligaret,effecturum, ſed vt aſſentiretur operam daturum ſpopondiſſe,id promiſſum quòd alienæ rei factum contineret, quòd ad ſe aut alium obſtringendũ attinet nullius prorſus eſſe momenti;nihilominus,ſe quod cũ pontifici gratificari cuperet, vt dux aſſentiretur operam daturum fuiſſe; niſi iam non ſua ſed alterius intereſſet,propterea quòd dux pro auxilijs ab Archiduce acceptis, ſe ſalem ab illo accepturum promiſiſſet,& tamen vt frater mediocri pecuniæ ſumma accepta, non quemadmodum expreſſum fuerat in perpetuum,ſed dum pontifex viueret aſſentiretur

ſuam

ſuam operam interpoſiturũ. Neq; etiam ſacerdotiorum caput, niſi ijs quæ diplomatibus exprimebantur, id quod à ſuperioribus regibus ſeruatum fuiſſet adderetur, admittebat. Has ob cauſſas pontifex nec confirmationis literas accipere, nec ſuas ad Cæſarem mittere voluit: ac poſtquam Cæſar quatuor menſium ſpacio, vt prorex promiſerat, non confirmauerat, vt mille auri pondo Florentinis reſtituerentur petebat; ad quæ potius cauillationibus quã ſolidis rationibus, illorum mille auri pondo caput, fœderis tabulis non adſcriptum fuiſſe; ſed ſeorſim à proregis procuratoribus iureiurando adiecto promiſsũ; neque id ad fœderis ſanctionem, quã Cæſar quadrimeſtri ſpacio literis ritè cõfectis miſerat, referri reſpondebant. Ad pontificis præterea aures permanabat, totius Cęſaris aulæ de rebus Italiæ ſermones, parum pacatos, & beneuolos eſſe: ipſius quoque exercitus duces ſi Italiæ res in tuto collocare vellet, vt Mutinam Ferrarienſium duci, & Bentiuolis Bononiam, reſtitui curaret: ipſe verò Florentinorum, Senenſium, & Lucẽſium, tam quã imperij iuris dominatum occuparet, ei ſuadere cognouerat: quare quum ſolicitudine ac ſuſpicione plenus eſſet, nec cui inniti poſſet haberet, ſciretq; Gallos ſe Italiam illi prædæ daturos polliceri, tempori parere ac diſſimulare cogebatur: Interea aſſiduè de pace inter Venetos & proregem, qui præter Mediolani in poſterum propugnationem, ingentem pecuniæ vim ob ſuperius fœdus non ſeruatum ab eis petebat, agebatur. Multæ erant cauſſæ quæ Venetos vt neceſſitati cederent flectebant; multæ item quæ contrà dubios redderent; adeò vt eorum conſilia varietate ac dubitatione plena eſſent: ſed tandẽ poſt multas altercationes, vt & ceteri tanta Cæſaris victoria attoniti, & ſe vndique ſolos deſeri cernentes, oratori ſuo Petro Piſauro qui apud proregem erat, vt fœdus eodẽ modo quo prius fuerat, ſed ita vt Cæſari ob id antea non ſeruatum octingentas auri libras ſoluerent, renouaret mandarunt: ſed dum prorex fœdus, niſi mille auri libræ ſoluantur renouare pertinaciter recuſat, quemadmodum in rebus quæ non libenter decernuntur ſæpe vſuuenire ſolet, accidit, vt dum de hac parua ſumma diſceptatur tantum temporis fuerit interpoſitũ, vt Veneti Anglũ de ſua priſtina in Gallos iracũdia multũ remiſſiſſe, & iã ſtipendijs perſolutis multas pedeſtres Germanorũ copias dimiſſas à Cæſarianis eſſe cognoſcerent: quamobrem venetus Senatus nihil ab eis metuens, dubius hęrere, & ſibi quandiu poſſet eius conſilij, quod ex communium rerum progreſſu optimum eſſe cognoſceret: capiendi facultatem reſeruare ſtatuit. Hæ res, prętereaquã quòd id ſemper cupierunt, tanto magis proregis ac ceterorum ducum animos ad Gallię regem in tutũ locum transferendum incitabant: neque enim ob aliorum animos malè affectos eum ſine periculo in Mediolani imperio cuſtodiri cenſebant: ideo illum Genuam, & Genua mari Neapolim, vt in arce noua, vbi iam ei habitationes adornabantur cuſtodiretur, ducere ſtatuerunt: quod quidem regi qui iam ab initio, ſiue alios ex ſua natura fingens, ſiue communi hominum errore, qui ſuã opinione decepti, quod vehementer expetunt, id facilè fieri poſſe credunt, ſi ſemel in Cæſaris conſpectum duceretur, facilè vel eius benignitate, vel conditionibus quas ei proponere in animo habebat, libertatem conſequuturum perſuaſus, ſummopere in Hiſpaniam duci exoptauerat, moleſtiſſimum erat. Idem & prorex glorię ſuę augendæ cauſſa vehementer cupiebat: ſed quum illum Gallicæ claſſis timor retineret, Memorantius cõmuni conſenſu ad regis matrẽ iuit; & ſex triremibus ex illis quæ in Maſſilienſi portu erant illas ſimul ac in Hiſpaniam peruenisſet ſtatim reſtitutum iri fide data, ab ea acceptis, cum ijs Portudelfinio, quo iam regem duxerant, redijt: quę ſexdecim Cęſaris triremibus, quibus illum Neapolim ducere antea decreuerant, adiunctę, & omnes Hiſpanico pẽditatu inſtructę, ſeptima Iunij die, nõ modò omnibus Italiæ principibus, verùm etiam ceteris omnibus Cæſarianis ducibus atq; Borbonio, regem Neapolim duci certò exiſtimãtibus, Hiſpaniam verſus nauigarunt; & octauo die ſecundis ventis Roſem Cataloniæ portum maxima Cæſaris ad eam usq; diem huius conſilij ignari lætitia claſſem appulerunt; Cæſar autem eo cognito, eum vbicunq; iter faceret maximo honore accipi mandauit; ſed tamen donec aliud decerneretur, in Sciatiuæ arce prope Valentiam, qua arce olim Arogoniæ reges ad magnorum virorum cuſtodiam vtebantur, & in qua poſtremò multos annos Calabriæ dux detentus fuerat, cuſtodiri iuſſit. Sed cum hæc ſententia proregi inhumana, & ab ijs quæ illi in Italia pollicitus fuerat valde aliena videretur, per literas à Cæſare, vt tandiu donec no-

uum consilium caperetur,in quadam villa prope Valentiam, vbi venationum aliarumque voluptatum opportunitate fruebatur,detineretur impetrauit;in qua vbi illum cum idoneo præsidio,& Alarconio qui semper eius custodiæ præfuerat,cum eo relicto collocauit,ipse vnà cum Memorantio ad Cæsarem, vt ei Italiæ statũ, & res ad eam vsq; diẽ cum rege tractatas exponeret,contendit; eumq; multis rationibus vt animũ ad pacem cum illo ineundam,propterea quòd cum Italis fidam amicitiã societatemúe habere nõ posset,flecteret,est cohortatus. Quare Cæsar prorege & Memorantio audito, Galliæ regem in Castellæ regnum,in Madrilij arcem locum valde à mari & Galliæ finibus remotum,vbi in eo honore & reuerentia quæ tanto principi debebatur,habitus, tamen diligenter & accuratè,nisi quòd interdum extra arcem mulæ insidens prodeundi facultatẽ haberet,custodiretur,duci mandauit: nec volebat Cæsar regem nisi concordia iam aut firmata,aut in certam ferè perficiendi spem redacta,in suũ conspectũ admittere;de qua vt per aliquem in quo magna esset autoritas,quiq; idẽ ferè cũ rege esset, ageretur, Memorantius summa celeritate in Galliã, vt Alenconij ducẽ regis sororem viduam, cũ amplа paciscendi potestate adduceret,missus fuit:& ne nouę difficultates intercederẽt,inducię inter Cæsarem & Galliæ regnũ per totum Decembrem proximum postea sunt factæ.Mandauit quoq; Cæsar,vt triremiũ quæ cum prorege venerant,pars in Italiam,Borbonij sine cuius præsentia se nihil constituere velle aiebat,in Hispaniam adducendi gratia rediret: sed illæ ob pecuniæ penuriam tardius expediebãtur;& se ad communem inter Christianos pacem valde paratum, & simul Italiæ res constituere velle ostendens, pontificem vt Saluiati Cardinalis vel cuiusuis alterius cum idonea potestate profectionem acceleraret, vehementer vrgebat; ad quem etiam cum iam Lusitaniæ principem puellam secundo cognationis gradu sibi coniunctam ducere decreuisset, Lopem Vrtadum vt pontifex eum legibus cognationis solueret, cum prius se apud Angliæ regem, quòd populorum suorum voluntati repugnare non posset excusassẽt,ire iussit.Per eundem quoque Lopem,qui sub Iulij mensis finem discessit, Mediolanensis imperij diploma Francisco Sfortiæ,ea lege vt in præsentia mille auri pondo daret, pòst quinq; millia varijs temporibus se repræsentaturum sponderet,ac salem ab Archiduce ipsius fratre in posterum caperet,misit:idemq; mandatũ tulit,ut Hispanis peditib.qui in Salutiarũ marchionatu distribuerẽtur, exceptis,ceteri oẽs dimitterẽtur:sexcenti cataphracti in regnũ Neapolitanũ redirent;reliqui vero in Insubria manerent,quibus omnib. Piscariũ præfecit.His etiam addidit Cęsar,vt pecunia quã Genuã ad quatuor naues quas Caraccas vocant,eo consilio vt ipsemet statim in Italiam veniret,instruendas miserat,in sumptus militi necessarios,quia tunc ex Hispania discedere minimè statuebat,cõuerteretur,& Protonotarium Caracciolum Mediolano Venetias suo nomine, vt cum Senatum ad nouũ fœdus flecteret, aut saltem vt omnes consilia sua omnia ad communem Christianorũ pacem spectare palam cernerent, se conferre iussit. At Galliæ regis in Hispaniam profectio,maxima molestia pontificem ac Venetos affecerat: nam quũ Cæsaris exercitus satis iam esset imminutus,quocunq; tandem Italiæ loco regem collocarẽt, Cæsarianos eius bene custodiendi necessitate valde implicatos fore censebant; adeò vt facilè vel aliqua eius liberandi occasio dari,aut saltem eius in Hispaniam perducendi difficultate, & in Italia retinendi periculo,Cæsar ad communes res honesta aliqua ratione constituendas cogi posset:sed vbi illum in Hispaniam proficisci, & ipsummet vana spe deceptũ fuiin securum carcerem ducendi hostibus facultatem dedisse viderunt,quicquid tractaretur prorsus in Cæsaris potestate esse,& in Gallorum promissis atq; consilijs nullũ fundamentum iaci posse animaduerterũt:quare Cæsaris autoritate quotidie crescente,omnium rerum leges ab eius curia expectari cœperunt.Nec an (quamuis diuersas ob causas)minorem molestiam Borbonius atq; Piscarius, quòd prorex ipsis insciis Galliæ regem in Hispaniam duxisset,senserint, sat scio: Borbonius quidẽ,quia quum ob amicitiã cum Cæsare contractam Gallia pulsus esset,magis quã quiuis alius omnib.pacis cõsilijs interesse debebat:ideoq; & ipse in Hispaniam,etsi quòd triremes ex Hispania expectare cogeretur,diutius quã voluisset profectionẽ suam distuliisset,cõtẽdere decreuit:Marchio aũt se tam parui à prorege factum ægrè ferebat; nec satis æquo in Cæsarem animo erat: à quo merita sua, & res à se in omnibus proximis bellis, & præcipuè in Papiensi

pugna,

pugna, ex cuius victoria maiorem solus Piscarius gloriam quã ceteri duces omnes reportarat, præclarè gestas, non quantum erat agnosci censebat: visusque erat illi Cæsar eam victoriam multis laudibus ac signis proregi acceptam referre; quod quum ferre non posset, literas ad Cæsarem contumeliarum in proregem plenas scripsit; quibus se ab illo immeritò ita contemptum fuisse, vt saltem qui huius consilij conscius esset, se dignum non iudicarit, querebatur: etsi is in bello atq; periculis ex ipsius consilio atque arbitrio res fuissent cõstitutę, non modò Galliæ regem non captum fuisse, sed statim Mediolano amisso Cęsaris exercitum Insubriæ defensione relicta Neapolim concessurum fuisse aiebat: proregem triumphatum iuisse ob victoriam, in qua ipsum nullam partem obtinere toti exercitui notissimum esse: qui cum in ipso pugnæ ardore exanimis consilijq; expers à multis sæpius auditus fuisset, ea desperatiõis verba proferre: Actum est de nobis: quod si inficiaretur, se id militari iure, armis tueri paratum. Piscarij indignationẽ augebat, quòd cum statim post victoriam, ad Carpium eius à Cæsare pro se impetrandi spe occupandum misisset, id non impetrasset: quia Cæsar quum id ante bienniũ Prospero Columnæ concessisset, se etsi is nunquã eius priuilegium habuisset, Vespasiano eius filio in Prosperi defuncti memoriam, id quod illi viuo virtutis ac rerum gestarum præmium dederat, velle conseruare aiebat: quæ ratiò quãuis æqua & grata esset; & Marchioni si non aliã ob caussam, saltem quia totres gestas suas remuneratum iri spem ipsi augebant, grati animi exẽpla placere deberent, ipsi tamen minimè probabatur: qui vt plurimũ sibi tribuebat, sic illum suum animi impetũ ex cupiditate atq; inexplebili in Prosperi nomen odio natũ, cuiuis alteri quãuis iustissimæ rationi anteponi æquũ censebat. Idcirco & apud Cæsarem, & apud totum eius consilium grauissimæ erant eius quærelæ, & in Italia, tam apertæ rantaq; cũ Cæsaris ingrati animi detestatione eius accusationes, vt alijs nouas res agitandi occasionẽ dederint: ex quibus Cæsari si fortè de nulla præterea re in Italia occupanda cogitabat, aliorũ consiliorũ iusta caussa, seu potius propemodũ necessitas est oblata: quodsi ambitione ductus, alios fines sibi animo proposuerat, tam honestam id pulcherrimo colore tegendi occasionẽ habuit, qualẽ vix optare potuisset, quæ quia grauissimorum motuum initia fuere, diligentissimè sunt explicãda. Bellũ quod Leone Decimo regnante ab ipso & Cæsare Galliæ regis Italia pellendi gratia cœptum fuit, Mediolanensis imperij Francisco Sfortiæ restituendi nomine fuit susceptũ: & quãuis ea de caussa, victoria parta imperium cũ Mediolanensi ac ceteris arcibus quũ recuperatæ sunt, ei fuerit traditum, nihilominus quòd illud regnum tam magnificũ & opportunum esset, timor initio à multis conceptus, Cæsarem ad illud occupandũ aspirare nõ desinebat: existimantib. Galliæ regis potẽtiam vt hanc cupiditatem occultaret in caussa esse; propterea quòd si hoc apertè tentasset, populos qui Francisco Sfortiæ vehementer studeb ant cõmouisset; & totam Italiam, quæ tantũ ipsius incrementũ minimè æquo animo esset latura, in se concitasset. Franciscus Sfortia illud imperium, sed cum maxima seruitute ac ferè intolerandis onerib. tenebat: nam quũ omnis sui à Gallis defendendi spes in Cæsare eiusq; exercitu sita esset, nõ modò eum vt principẽ suum obseruare, verũ etiã ducum voluntati parere, & eos milites quibus à Cæsare stipẽdia nõ soluebãtur, iam pecunia à suis per vim atq; ingentes difficultates extorta, iã illis in aliqua Mediolano excepto imperij sui parte pro sua libidine immunes victũ cõparare permissis, fouere cogebatur: quæ per se grauissima, Hispanorũ auara ac fraudulenta, & quũ ingenia sua ostendendi facultas adest, insolentissima natura, intoleranda reddebat: sed tñ à Gallis quib⁹ populi infensissimi erãt imminẽs periculũ, & hęc tandẽ aliquãdo finẽ habitura spes, vt homines etiã supra vires & plus q̃ fieri posset ferrent, efficiebat. Post Papiensem verò victoriã, populi quũ rege captiuo nõ amplius eadẽ imminerẽt pericula, easdẽ tñ calamitates perseuerare, ferre iã nõ poterant: ideoq; vel totũ, vel maximã exercitus partẽ ab eius imperij finib. amoueri postulabant: idẽ quoq; dux, quũ nihil nisi nomẽ imperij esset exp tus, nec nõ quia ne Cęsar, Gallię regis metu liberatus, id ne aut sibi occuparet, aut alicui qui prorsus ex ipso pẽderet cõcederet, metuebat, vehemẽtissimè exoptabat. Quã suspicionẽ ex ipsa rerũ natura natã, verba à prege anteq̃ regẽ in Hispaniã duceret, & ab alijs ducib. insolenter iactata, & ducẽ ab ipsis contemni, ac vt à Cæsare opprimeretur apertè expeti, significationes nõ parum augebant: & multo magis quòd cũ Cæsar post multam

temporis morã interpositam, eius principatus diploma in proregis manus misisset, ipse id duci offerens, insumptus à Cæsare in eo imperio recuperando ac propugnando factos, duodecies mille auri pondo certis temporibus solui postulauerat; quod onus tam graue erat, vt dux ad Cæsarem vt ad mediocrem summam redigeretur confugere fuerit coactus. Hæc autem in caussa erant, vt tam immoderata postulata moræ interponendæ gratia fieri suspicaretur. Adferebantur præterea ab ijs qui Franciſci Sfortiæ causſam excusare nitebantur, multæ aliæ suspicionis causſæ; & præcipuè quòd militum præfectos de se capiendo consilia agitasse cognouisset: quamobrē ipse à prorege ad comitia quædam vocatus, morbo simulato ire recusauerat: atque id ipsum omnibus in locis in quibus ipsi uis afferri posset seruauerat: quæ suspicio siue vera siue falsa, in causſa fuit, vt ipse propterea quòd Hispanorum peditum pars prius cum prorege, alij cum Borbonio in Hispaniam essent profecti, & multi præterea tot prædis ditati, paulatim in varia loca dilapsi, exiguas copias in Insubria relictas animaduertens, maxima etiam indignatione quæ in Piscario apparebat considerata, animoq; vt se hoc periculo liberaret intento, eũ exercitum ipsius consensu dissolui posse sperare cœperit. Huius consilij autor fuit Hieronymus Moronus princeps Scriba, eximiæq; apud eum autoritatis, qui ingenio, eloquentia, vigilantia, inuentione, & vsu, & quòd sæpius aduersam fortunam egregiè sustinuisset, nostra quidem ætate vir insignis ac memorabilis fuit; & extitisset maior, si his dotibus animi sinceritas, atq; honesti amor aliquanto maior coniunctus fuisset: eaq; iudicij maturitas vt eius consilia sæpe potius præcipitata impudentiaq; fuissent quã honesta & matura: hic Piscarij mente aliquo modo perspecta, eo vsq; sermonib. conferendis est progressus, vt de illis copijs interficiendis, & de Marchione neapolitanorũ rege creãdo, modò pontifex & Veneti assentirentur, in sermonẽ deuenerit: à quo cõsilio pontifex suspicione ac solicitudine plenus, Moroni mandato tentatus, se minimè alienum ostendit: quamuis ab alia parte nõ vt ea consilia aperiret, sed vt si minus res succederet, sibi aliquod perfugium pararet, Cæsarẽ beneuolentiæ specie, vt ducũ suorũ animos bene erga se affectos retinere niteretur, admonuerit. Veneti se huius rei cupidissimos ostenderunt: & oẽs Galliæ regis matrẽ, quæ iam filio in Hispaniã perducto eius liberandi negotiũ non tam facile vt sibi proposuerat, esse animaduertebat, non minus ad id paratã fore censebant. Nulli dubium est quin hæc cõsilia, si Piscarius in hac cõtra Cæsarem cõspiratione candidè se gessisset, optatũ exitum essent habitura: de quo an ab initio id consiliũ probauerit nec ne, variæ etiam inter Hispanos, & in ipsa Cæsaris aula opiniones fuerũt: pleriq; tempora & rerũ progressus ponderantes, illũ primò reuera cũ alijs consensisse, sed post multis difficultatib. quæ tẽporis progressu exoriri poterãt perspectis, & Gallorũ assiduis cũ Cæsare colloquijs, & deinde Alenconiæ regis sororis ad Cęsarẽ profectione territũ, sententiã mutasse crediderunt. Quin nõnulli illũ tam serò Cęsari res nouas in Italia agitari significasse, vt quũ iã ab Antonio Leua & Marino Nageriæ abbate Cæsarei exercitus procuratore id significatum esset, nemo in aula Marchionis silentium nõ admiraretur. Sed quicquid tunc fuerit, certum est, illum non multo pòst Ioannebaptista Castaldo homine suo ad Cæsarem misso, ei omnia quæ agitabantur indicasse; eiusq; cõsensũ in eodem negotiò tractando perseueraſſe; imò vt singulorum consilia explorata haberet, eisq; id negandi facultatẽ adimeret, ipsemet ea de re cum Mediolanensiũ duce est locutus, & cum Morono sic egit, vt is tantũ cum pontifice, qui paulo antè ipsi Beneuenti prẽfecturã in perpetuũ dederat, & cui ipse magna amicitia necessitudineq; iũctus erat, effecerit, vt pontifex Dominicũ Saulium cum literis quibus ei fidem habendã testabatur, ad idem tractandum ad eum mitteret. Summa eorum quæ tractabantur hæc erat: vt inter põtificẽ, Galliæ regnũ, ac ceteros Italiæ principes fœdus, cuius Piscarius imperator esset iniretur, & ipse Hispanico peditatu prius seorsim per varia Insubriæ loca distributo, eam partẽ quæ ipsum sequi vellet ad se traheret, reliqui cũ Antonio Leua, q̃ post ipsum primũ in exercitu locũ obtinebat, trucidarentur: & omniũ sociorum coniunctis virib. neapolitanum regnũ, cuius pontifex iura priuilegio in Piscariũ trãsferret, ipse sibi acquireret. Ad quæ Piscarius se nullã aliã difficultatem interponere fingebat, nisi q̃ antequã quidquam moliretur, exploratũ habere vellet, num pontifice iubente, id absq; honoris ac fidei suę macula aggredi posset: qua in re quæstio oriebaẽ, vtri ipse qui regni

neapolitani

neapolitani homo & ex prima nobilitate erat potius parere deberet, Cæsarine, qui priuilegio à pontifice accepto, id regnum eius beneficio possideret; an pontifici, qui quòd supremus dominus esset directum in id imperiũ haberet. Qua de re & Mediolani Franciſci Sfortiæ, & Romæ Clementis mandato occultissimè, & veris nominibus silentio prę teritis, à peritissimis iuris interpretibus responsa sunt accepta. Has contra Cæsarem spes augebant reginæ matris promissa; quæ Cæsarem in angustias vel saltem timorem conijci ad ea quæ pro filio liberando agitabantur, vtile fore existimans, se quingentos cataphractos in Insubriam missuram, & magnam pecuniæ vim in belli sumptus suppeditatu ram promittens, vt arma caperentur vrgebat: Neq; Moronus ceterorum animos in hac sententia cõfirmare desinebat; nam præter quàm quòd quàm facile esset, etiam sine Piscarij ope eum exercitum, qui numero valde erat imminutus fundere ostendebat, ducis etiam nomine, si Piscarius in ijs quæ agitata fuerant constans nõ permaneret, statim vbi cetera parata essent, illum & reliquos duces qui quotidie in arcem ad conciliũ ibant illic concluſum iri promittebat: quæ occasiones etsi magnæ viderentur, non tamen pontificem ad arma sine Piscario capienda impellere potuissent; nisi eodẽ tempore, pecuniã Genuã ad quatuor naues instruendas missam certior factus, simul etiã ex Hispania Cæsarem in Italiam cogitare indicijs cognouisset: quæ res quũ ipsum, tũ ob præsentiũ temporũ statum, tum etiã ob inueteratã Romanorũ pontificũ, quibus nulla res maiorẽ terrorem adferre solet, quàm Romanorum imperatorũ cum armis in Italiam aduentus cõsuetudinẽ, mirum in modũ molestia afficeret, huic periculo occurrere cupiens, ex Venetorum consensu clam Sigismundũ Alberti Carpensis ab epistolis ministrũ, virum prudẽtem, & cui pontifex plurimũ fidebat, in Galliã, ad hæc cũ regina quæ agitata fuerant cõstituenda misit: sed is per dispositos equos contendens noctu à latronibus prædæ cupiditate, prope Iseum lacũ in agro Brixiensi fuit interfectus: quod cũ per multos dies occultissimũ fuerit, pontifex illũ clam aliquo in loco Cæsarianorũ ducũ, & fortasse etiam Piscarij ipsius, cuius fides ob varia impedimenta quæ interponebat, haud mediocriter suspecta esse incipiebat, insidijs captũ fuisse, non parũ est suspicatus. hoc rerũ statu, allatum est diploma à Cæsare Lopæ Vrtado datum, qui in Sabaudia morbo detẽtus, statim id per propriũ nuntiũ, vnà cum literis quib. Piscarius, qui vt in eadẽ simulatione cũ alijs perseueraret, etsi statim demandatũ munus sumpserit, id sibi parũ gratũ esse finxit totius exercitus põfectus instituebatur; & mandatis ad Protonotariũ Carracciolũ, vt Cęsaris nomine Venetias iret, quo eũ Senatũ ad nouũ fœdus induceret, vel saltẽ, vt omnibus notũ esset, Cæsarẽ pacẽ cum omnib. cupere, Mediolanũ misit. Franciscus Sfortia, qui iã in nõ leuẽ morbum inciderat, diploma accepit, & 500 auri libras dedit; nec tamẽ ideo cœpta cum Piscario cõsilia prætermisit. Variæ fuerunt de hoc facto sententiæ: sincérene egerit Cæsar, an artificiosè: multi enim illũ verè animo ad Italiã metu liberandã conuerso fuisse crediderunt; alij verò illum nouorũ motuum timore, homines varia spe suspensos retinere: diplomatis concessione, ac exercitus abducẽdi mandato, Italiæ tantopere grato palã mittendo, tẽpori seruire voluisse; clàm verò ducib. suis ne copias abducerent mandasse sunt suspicati. Nec defuerunt postea qui illum iã à Piscario de Moroni consilijs certiorem factum, ideoq; non vt id fieret, sed vt aliquam iustam defensionẽ haberet, & hac spe mortalium animos tandiu, donec ad cogitata sua perficienda oportunum tẽpus nactus videretur consopiret, sic mandasse arbitrati sint. Qua in varietate opinionum quum rei veritatem indagare, præsertim cum an eo tempore quo Ioannes Baptista Castaldus à Piscario ad coniurationem indicandam missus ad aulam peruenit, Lopes adhuc missus fuerit ignoretur, admodum difficile sit; Cæsaris tamen post id tempus multis in rebus actionibus ponderatis, proculdubio meliorem mitioremque interpretationem pro vera habere, minus periculosum sit. Piscarius interea Moronum ac ceteros eadem spe fouere, & nihilominus rem varijs coloribus protrahere, ad quod occasionem ei dedit Mediolanensium ducis tam grauis morbus, vt omnes eum moriturum certò ferè existimarent: nam quum omnes duces si id contingeret, illud imperium ad Cæsarem tanquã ad supremum dominum redire debere assererent, non modò exercitum amouere ei non licuit, verùm etiam duo præterea Germanorum peditum millia accersere, & vt maior numerus paratus esset, mandare fuit coactus: quo fiebat vt quum exercitus in Insubria

tam potens esset, eum dissoluere aut lædere non posset; quare se coniurationis consilia vbi primùm occasio rediret perfecturum aiebat, quæ dum expectatur, se maximam pontificis rationem habere præ se ferens, milites de quibus pontifex grauiter querebatur, à pontificij imperij finibus amouit. Sed eodem tempore nouus in Hispania casus obortus omnia ferè immutauit: quoniam Galliæ rex maximis molestijs curisque plenus, cum frustra Cæsaris præsentiam exoptasset, morbo in Madrilij arce correptus, in tantum vitæ discrimen est adductus, vt medici eius curæ præfecti Cæsari se prorsus de eius salute, nisi ipsemet ad eum consolandum, eique libertatis spem faciendam veniret desperare significauerint: quo cum Cæsar iturus esset, princeps scriba iurisque præfectus quem Magnum Cancellarium vocant, id dissuasit, cum diceret, nisi eo animo ad eum iret, vt statim & sine pactione eum liberum esse vellet ex ipsius dignitate non esse; & nisi id faceret, eam humanitatem non regiam, sed mercenariam fore; eiusque sanandi desiderium, non ab eius salutis amore, sed à propriæ vtilitatis studio (ne videlicet eius morte fructu quem ex victoria sperabat priuaretur) proficisci: consilium proculdubio memorabile, & tanto principe dignum: nihilominus alijs secus suadentibus, ad eum Pegasis conuolauit: sermo fuit breuis, quòd rex iam penè ad extremum erat redactus: sed benignis verbis & certissima eius vbi conualuisset liberandi spe plenus: quicquid autem in caussa fuerit, siue hæc consolatio, siue quòd iuuentus ipsa per se viuida morbi naturam superarit, pòst ita conualescere cœpit, vt quamuis serius ad pristinam valetudinem redierit, tamen intra paucos dies periculo sit liberatus. Sed neque difficultates quæ in Cæsaris animo conspiciebantur, neque spes ab Italis factæ, Alenconiæ in Hispaniam profectionem impedierant: quia nihil Gallis difficilius erat, quàm pacis cum ijs qui regem ipsis restituere poterant consilia prætermittere; nihil Cæsari facilius, quàm Gallos spe fouendo ab armorum consilijs remouere: & hac arte Italos, ita vt nihil noui moliri auderent ancipites retinere; sicque nunc remittendo, nunc intendendo, omnium animos confusos & implicatos tenere. Alenconia grata humanitate ac spe à Cæsare fuit accepta, sed facta dura difficiliaque extitere: quarto enim Octobris die, eum de ipsius sororis viduæ cum rege connubio est alloquuta; ad quod Cæsar se id absque Borbonij consensu facere non posse respondit: reliqua ab hominibus vtrinque ad id delectis, Cæsare sibi Burgundiæ ducatum tanquam proprium restitui pertinaciter postulante, Gallis verò nõ aliter nisi vt eam dotis nomine acciperent, aut vt iure ad quem illorum spectaret cerneretur assentientibus, tractabantur: in ceteris facilè conuenissent; sed quum in Burgundiæ rebus tantopere discreparent, Alenconia tandem sine alio fructu, nisi quòd fratris videndi facultatem habuit, in Galliam redijt: at rex in eius discessu quotidie magis libertatis recuperandæ spe imminuta, vt suo nomine matrem consilium que vt Galliæ regni vtilitati, sui, quasi non amplius viueret, nulla habita ratione, diligenter consulerent moneret, ei mandasse fertur. Nec tamen ob eius discessum, pacis negotium prorsus agitari desijt: ibi enim Parisiensis Senatus princeps, Ambronijque ac Tarbæ episcopi, qui antea quoque id tractarant, quanquam leui perficiendi spe remanserunt: nam Cæsar, nisi Burgundia restitueretur, nullas leges admittebat, & rex nisi extrema necessitate cogeretur, id concedere recusabat. Hoc tempore Saluiatus cardinalis pontificius legatus ad Cæsarem venit, vbi maximo honore à Cæsare acceptus, manda-ta sua explicabat: in quibus præcipuum erat, vt fœderis capita à prorege promissa confirmarentur, atque etiam vt Mediolanensium duci communis securitatis gratia diploma traderetur, hortabatur; sed prorex ipse Regium ac Ruberiam pontifici restitui dissuadebat: cuius consilio & spe Ferrariensis dux caussæ suæ pro seipso apud Cæsarem agendæ cupidus, inducijs cum pontifice in sex menses constitutis, ad Galliæ regni fines vsq; vlterius progrediendi animo est profectus: sed regina matre ei publicã fidem denegante, tandem Ferrariã redijt. Agitabatur quoq; inter pontificem & Cæsarẽ vt de matrimonio cum Lusitaniæ regis sorore contrahendo legibus solueretur: quod Cæsar quamuis Angliæ regi se nullam aliam quàm eius filiam vxorem ducturum, iureiurando obstrinxisset, contrahere decreuerat: qua in re concedenda pontifex tardius procedebat, quòd ei à pleriſq; esset persuasum, huius rei impetrãdæ desiderio, Cæsarẽ ad ea quæ cupiebat in ijs quæ tunc agebãtur cõcedendis faciliorẽ futurum: addebantq; imprudentis esse, si

bellum

bellum cum eo esset gerendum, tantæ pecuniæ quantam hoc matrimonio consequuturus esset cumulandę ei facultatem concedere: quoniam Lusitaniæ rex ei nongenta aureorum numûm milia pollicebatur; ex quibus quæ Cæsar mutuo acceperat, detractis, vt minimum 500 millia ad eum peruentura credebantur; prętereà 400 millia quę eius populi beneficij nomine, quod ipsi seruitium appellant, sę daturos promittebant; quod olim ipsorummet populorũ voluntate, vt regũ suorum inopiã subleuarent cœptum, in debitum subsidiũ erat redactum: ad hæc rursum alia 400 millia, si cum hac matrimonium contraheret, dono pollicebantur: At pontifex Suessani ducis Cæsarei oratoris importunitati repugnare non poterat: in eo enim ferè consilia factis repugnabant: nam quũ suapte natura à quauis re in alicuius gratiam concedenda esset alieniſſimus, nõ tamen cõstanter denegare, aut difficultates interponere nouerat, sed sæpius voluntatẽ suam eorũ qui petebant flagitationbus vinci patiebatur; ita vt sæpius metu potius quã vt gratificaretur, concedere videretur: neq; hac in re ea cõstantia, aut maiestate, quã ipsius dignitatis amplitudo, & rerũ de quib. agebatur magnitudo postulabat, vtebatur: quod quidẽ & hac in re vsu venit; vt proprię vtilitatis studio, cũ eius facilitate pugnãte, illud onus (quẽadmodum sæpe solebat) cui ferendo frons ne an verò animus impar esset nescio, alteri imposuit; ac eius priuilegij quòd Cæsar petebat monumẽtũ ad Saluiatũ cardinalẽ cum huiusmodi mandato misit, vt si res suæ cum Cęsare, ita vt spẽ fecerat succederent, statim vbi ad eũ peruenisset traderet; sin secus, retineret; qua in re, vt suo loco dicetur, minister domino neq; neruosior, neq; cõstantior fuit. Sed dũ cardinalis potificis negotia cũ Cæsare, bona vt videbatur perficiendi spe tractat, longè ab his diuersa in Insubria contigerunt: nam quum Mediolanensium dux ex morbo ita conualuisset, vt saltem celeris mortis periculo liberatus crederetur, Piscarius, qui per eundem Castaldum, vt his periculis ea ratione quam magis opportunam censuisset occurreret, mandatum à Cæsare acceperat, Mediolanense imperium occupare statuit; idq; eo colore, quòd dux ob consilia per Moronum agitata, priuilegij iure excidisset, & beneficium ad Cæsarem supremum dominum recidisset. Itaq; cum Piscarius Nouariæ quamuis non leui morbo oppressus esset, & exercitus partem Papiæ, ac Germanos prope Laudem, quas ciuitates muniri curauerat haberet, repentè reliquas copias quæ in Taurinis erant & Salutiarum finibus (nam eas regiones statim post victoriã occuparant) milites per vniuersum Mediolanense imperium distribuendi specie, Nouariam accersiuit: Eò & Moronum, in quo rei summa sita fuisse dici potest, venire iussit: constabat enim illo capto Mediolanensium ducem viris & consilio spoliatum nihil repugnaturum; qui si liber esset, vereri posset, ne ingenio, vsu rerum, & autoritate, consilia sua impediret: necesse etiam erat Cæsarem Moronum omnium consiliorum autorem atque instrumentum, quo ipsius confessione, crimina quæ Mediolanensium duci obijciebantur constarent, in potestate sua habere. Nil difficilius fato vitari potest: nullum contra fatales morbos remedium valet. Poterat iam Moronus animaduertere consilia cum Piscario agitata vana esse; se omnibus Hispanis militibus inter quos iam multi de ipsius dubia fide sermones ferebantur, inuisum esse: & Antonium Leuam sibi palam mortem minitari nouerat: illum quanti interesset si caperetur non cogitasse; quo in statu esset Mediolanensium dux tunc inutilis ac tanquam mortuus non vidisse, minimè credibile est: inter ipsos iam ante multos dies omnia suspensa, & suspicionibus plena erant: ne iret omnes suadebant: ipsemet anceps hæsitauit; & nihilominus siue Piscarij simulationibus atq; artibus, quasi præstigijs adhuc detineretur; siue magna quam sibi cum eo contraxisse videbatur necessitudine fretus, siue eius fide quam post se ipsius literis accepisse dixit nixus, siue, vt verius dicam, ea necessitate quæ renitentes rapit tractus, ferè ad apertum carcerem ire decreuit: quod mihi quidem eo magis mirum videbatur, quòd memoria tenebam Moronum Leonis tempore mihi sæpius in castris dixisse, neminem in Italia esse Piscario aut inuidum magis, aut perfidum: acceptus igitur ab illo fuit benignè, & soli in cubiculo de primis consilijs & Hispanis atque Antonio Leua trucidandis, sunt loquuti; sed eiusmodi in loco, vt Antonius, quem Piscarius post aulea occultauerat, omnia audiret: à quo, vbi à Piscario discessit, quod fuit XIIII Octobris die captus, & in Papiensem arcem missus fuit: quo ipsemet Piscarius cum ijsdem de rebus, de quibus simul erant colloquuti, interrogatum iuit:

vbi Moronus omnem coniurationis ordinem expoſuit,& Mediolanenſium ducẽ,quòd potiſſimum querebatur vt omnium rerum conſcium accuſauit.Morono in carcerẽ conieĉto, Piſcarius in cuius poteſtate iam erant Lauda & Papia, à duce vt Cæſaris imperij ſecuritatis gratia, ſibi Cremonam,& Tretij,Leuci ac Picighitonis arces,quæ propterea quòd ad Abduam ſint, Mediolanenſis imperij ianuæ cenſentur, tradi iuberet:his acceptis ſe nihil amplius noui moliturum promittens, petijt: quæ dux quòd omnibus rebus eſſet ſpoliatus, conſilio ac ſpe deſtitutus,ſtatim ei tradi iuſſit:his acceptis Mediolanum, vt aiebat, cum eo loquendi gratia intromitti poſtulauit: quod eadem facilitate ei fuit permiſſum: Mediolanum verò ingreſſus, vt ſibi Cremonenſem arcem tradi curaret,& ſe de Mediolanenſi arce propterea quòd id,cum ipſemet in ea ageret,minimè deceret, non idem poſtulare, ſed id ſolùm, vt Cæſariani exercitus ſecuritatis gratia, dux arcem foſſa includi permitteret. Ioannemangelum Riccium quoque ipſius ducis ab epiſtolis, & Politianum itidem Moroni amanuenſem, vt de criminibus ipſi quòd contra Cæſarem conſilia agitaſſet obiectis inquiri poſſent, ſibi tradi poſtulauit. Ad quæ dux ſe Mediolanenſem & Cremonenſem arces Cęſaris,cuius ſemper fidiſſimus cliens fuiſſet,nomine,& ex eius voluntate obtinere, easque nemini,niſi prius eius voluntate perſpecta, quam vt clarius cognoſceret ſtatim proprium hominẽ, modò per ipſum tutò poſſet,ad eũ eſſet miſſurus,traditurũ: nec vt interea in arcẽ includeretur ſibi æquũ videri; ideoq; eã vim quocunq; modo poſſet propulſaturũ, Ioãneangelo propterea quod ipſe omniũ grauiũm rerum ſuarũ eſſet inſtructiſſimus,nec alius ſecum miniſter tunc eſſet, opus habere:ac multo magis ſibi Moroni miniſtrũ neceſſarium eſſe,vt eum corã Cęſare ſiſteret, & hac ratione eius herũ dum ipſe morbo affligeretur,multa ſuo nomine,ſe prorſus inſcio agitaſſe,poſſet demonſtrare,quæ niſi hoc inſtrumento innocentiã ſuam ac Moroni cõſilia à ſuis diuerſa & ſeparata eſſe probaret,ſibi obeſſe poſſent.tandẽ poſt multa vltro citroq; literis cõſignata reſponſa & atteſtationes,Piſcarius populũ Mediolanenſem inuitum incredibiliq; omniũ dolore fidelitatis vinculo,ac ſacramẽto Cęſari obligauit,vniuerſam Inſubriã magiſtratus Cęſaris nomine cõſtituit,& Cremonenſem ac Mediolanẽſem arces foſſis & munitionibus cingere cœpit:in Mediolanenſi verò dux maximis pontificis ac Venetorũ cohortationibus & promiſſis fretus, cum 800 delectis peditib. quos ſecum haberet, & tantũ cõmeatum quantũ temporis exiguitas patiebatur,importaſſet, manere ſtatuit.Nec quantũ potuit tormẽtis ſepta quæ extra vrbẽ longius ab arce quàm Proſper Columna feciſſet ducebãtur,prohibere deſtitit.Ea res,& quidẽ iure,Italiã vniuerſam,quæ ſe quotieſcunq; Cæſar Mediolano & Neapoli potiretur,in manifeſtã ſeruitutem ruere animaduertebat,terruit: maximè verò pontifici,quòd ea cõſilia quibus nõ modò de Mediolano liberando, verùm etiã de Cæſaris exercitu perdendo ipſum Cęſarem regno neapolitano ſpoliando egerat, detecta videret,moleſta fuit.Piſcario id fortaſſe apud Cęſarẽ gratiã conciliauit;ſed apud ceteros omnes æternã ignominiã,nõ modò quia pleriſq; ea opinio inhæſit,illũ initio à Cęſare deficere voluiſſe;verùm etiã quia, etſi ſemper ei fidelis fuiſſet,illud magnę infamię videbatur,eũ homines excitaſſe, tãtaq; ſimulatione & dolis ad ea cõſilia agitanda allexiſſe, vt ea pòſt in lucẽ proferendi ac potẽtiæ ſuæ aliorũ delictis q̃ ipſe blanditijs & artibus ſuis procuraſſet, augẽdæ occaſionẽ haberet. Hæc rerum mutatio pacis de qua Carracciolus apud Senatum venetũ agebat, ſpem difficiliorem reddidit:quæ iam eò erat perducta,vt à priſtino fœdere ijſdẽ legibus renouando haud procul eſſe videretur,ea conditione vt Cęſari pro ijs quæ hactenus nõ præſtitiſſent,800 auri libras,pecuniæ in poſterũ ſuppeditandæ petitionibus prorſus excluſis,perſoluerent.Sed Mediolanenſis caſus eum Senatum maxima ambiguitate reple uit:hinc enim ſe ſolos in Italia cõtra Cæſarem,cum belli intra imperij ſui fines,vt Piſcarius minabatur,& iam aliqui apparatus conſpiciebantur,gerendi periculo,relinqui moleſtiſſimũ eis erat; illinc ſe nõ minus quòd ſuo fœdere Cæſaris ad illud imperium,quod tot eius regnis & alijs opportunitatibus adiunctum, ad ſe cum tota reliqua Italia opprimendos gradus erat,prorſus occupandum, vires augere viderent:neq; Baiucenſis epiſcopus à matre regina ad fœdus cum Italis contra Cæſarem moliendũ miſſus,vehementer eis idem ſuadere ceſſabat: qua in ambiguitate, conuentus illorum crebri erant, ſed ancipites varijsque ſententijs referti; & quamuis pacem admittere, quia præſentia pericula

cula amouebat, quo fiebat vt in tempore & occasionibus, quas resp. quæ cum principibus comparatę immortales sunt, spem collocare possent, magis ex ipsorum consuetudine esset, nihilominus Cæsarem in Mediolanensi imperio pedem figere, & Gallos omni fœderis in Italia contrahendi spe excludi, ipsis quoq; nimis graue videbatur: ideò tandem quum sese nulli rei obstringere statuissent, Caracciolo responderunt, suas præteritas actiones quantopere semper Cæsaris, cum quo eo tempore, quo vt omnibus notum erat, ipsorum cum Gallis societas maximi momenti fuisset, fœdus iniuissent, amicitiam exoptauerint cunctis mortalibus fidem facere, & ipsum quoque qui fœderi feriendo interfuerat, optimum eius rei testem esse, seq; semper in eadem sententia permansisse, & nunc maximè persistere; sed tanta rerum mutatione in Insubria facta, quum præsertim ipsorum cum Cæsare fœdus, & tot alios motus superioribus annis in Italia factos, nullum alium, nisi vt Franciscus Sfortia Insubrię imperio potiretur, vt quod Italiæ libertatis securitatisq; præcipuum esset fundamentum, finem habuisse, memoria tenerent, se necessariò anxios detineri; itaq; rogare se Cæsarem, vt seipso in hoc, bonitateq; sua conseruata, hanc nouitatem tolleret, ac Italiæ quietem quemadmodum poterat confirmaret: quod si faceret, ipsos semper & autoritate & viribus ad hanc sanctam propensionem sequendam paratissimos esset inuentutus; neq; vnquam vt ab ipsis aliquod officij genus, tam ad publicum bonum, quàm ad priuata eius commoda desiderare posset, essent cõmissuri: quod responsum etsi nullam rei perficiendæ spem contineret, non tamen bellũ peperit; quia Piscarij ægritudo quotidie crescens, & totius Mediolanensis imperij prius occupandi, eiusq; probè firmandi studium, & quòd Cęsar prius tot alia quæ in manibus haberet perficere vellet, tam grauem expeditionem inchoare non patiebantur. Interea Borbonius ad Cæsaris xv Nouembris die peruenerat: de quo illud silentio minimè est prætereundum; quòd quamuis à Cæsare, quàm fieri posset humanissimè & maximo honore fuerit, & vt sororis suę vir, acceptus, nihilominus omnes proceres, qui alioqui vt fit in alijs rebus, principis sui exemplum sequi consueuerant, ab eo vt ab infami homine proprij regis proditorem apellantes abhorruisse; ita vt vnus ex illis, cum Cæsaris nomine vt domum suam illi inhabitandam commodaret, ab eo petitum esset, Castellana magnanimitate, se Cæsari quod vellet denegare non posse; ceterum sciret se illam vbi Borbonius discessisset, quasi Borbonij infamia contaminatam, & quæ ab honoratis viris inhabitaretur indignam responderit. Honores autem à Cæsare Borbonio exhibiti, Gallorum metum augebant: qui cum hanc ob causam, tum ob Alanconiæ sine fructu reditũ, paruam in pace quamuis de ea semper per proprios homines quos apud Cæsarem habebant ageretur, spem ponentes, quantũ poterant vt fœdus cum pontifice cõtraherent, instabant: ad quod Angliæ regis autoritas cohortationesq;, & Venetorũ crebræ ac vehementes preces, & alia quoq; proculdubio magna occasio accessit: nam per eos dies nimirum initio Decẽbris, Piscarius fortasse iusto Dei iudicio, qui eum eius feminis quod tanta malitia proseminauerat, fructu frui non est passus, interijt. Erat hic ex Auala familia origine Catelanus; cuius maiores cum Alfonso Aragonio, qui primus ex ea familia regnum neapolitanum occupauit, in Italiam venerant; & à Rauennensi pugna, in qua adolescens captus fuit, initio facto, omnibus bellis ab Hispanis in Italia gestis interfuerat: adeò vt ætate iuuenis cum tricesimum sextum annum non excederet, iam rerum vsu senex esset, ingeniosus, animosus, admodum vigilans, & callidus, magnamq; apud Hispanicum peditatum, cui diu præfuerat, existimationem & beneuolentiam sibi concilia rat: adeò vt & Papiensis victoria, & omnes ab illo exercitu iam ab aliquot annis præclarè gestę res, eius potissimum consilio & virtute gestæ fuerint: magnus quidem belli dux, sed qui artibus, & simulatione res suas commendare, atq; augere satis nosset: idemque elatus, insidiosus, malignus, minimè sincerus; &, quod se exoptare sæpe dicebat, dignus qui potius in Hispania, quàm in Italia natus esset. Itaq; eius obitus eum exercitum apud quem tantam sibi gratiam existimationemque conciliauerat, vehementer consternauit; & alijs tantæ autoritatis virtutisq; imperatore extincto, eius longè facilius opprimendi spem fecit: idcirco ij qui fœdus iniri cupiebant, vehementius apud pontificem instabãt; sed non minor erat eius cunctatio, & iure quidem: vtrinq; enim validissimæ rationes, & quæ quemuis vehementem ac pertinacem hominem, nedum Clementem qui in rebus

ſuis ſemper tardus & anceps fuit, ambiguum reddere poſſent, pugnabãt. Nulla amplius à Cæſare quæ Italiam periculo liberaret deliberatio expectabatur: Mediolanenſis arcis occupandę cupiditate ardere cernebatur: qua occupata, ceteri omnes ac pręſertim pontifex, qui debile imperium inter Galliam ciſalpinam & regnum neapolitanum poſitum haberet, manifeſtæ prædæ relinquebatur; quòd ſi in illius poteſtate eſſet eum opprimere, ne id vel ambitione quæ Cæſarum naturæ contra pontifices ferè eſt inſita; vel periculi à ſe remouendi, vel quum, vt veriſimile erat, ob conſilia cum Piſcario agitata, ira & ſuſpicione plenus eſſet, vlciſcendi deſiderio facturus eſſet, magnopere metuendum erat: Iam ſi huius periculi arcendi neceſſitas magna erat, eius quoq; perficiendi facultates & ſpes minimè leues videbantur: nam aut id tam potenti fœdere ac ſocietate efficiendum erat, aut de eo omnis in perpetuum ſpes abijcienda. Galliæ regnum quingentos cataphractos, & in ſingulos menſes vigente bello quadraginta aureorũ numũm millia promittebat; quibus decem Heluetiorum millia conſcribenda dicebantur. Vt pontifex & Veneti mille & octingentos cataphractos, viginti peditum millia, & duo millia leuis armaturæ equitum conſcriberent: Veneti & Galli magna claſſe, vt Genuam aut regnũ neapolitanum inuaderent, agebatur. Regina mater ſe ſtatim magnis copijs vt Cæſar, nec militem nec pecunias in Italiam mittere poſſet Hiſpaniæ finibus bellum illaturam pollicebatur: exercitus in Inſubria relictus minimè magnus erat, neq; Piſcario defuncto ea autoritate qua ſolebat duces habebat; quoniã Borbonius & prorex in Hiſpania erãt nõ adeniq; commeatus copia aderat: populi ob ducis ſui deſiderium, & intolerandas exactiones quæ à militibus, tum in ipſa vrbe, tum etiam in vniuerſo Mediolanenſi imperio fiebant, infenſiſſimi: Cremonẽſis ac Mediolanenſis arx in ducis poteſtate: & Veneti Ferrarienſiũ quoq; ducẽ, modò Clemens ei Regiũ, quo nihilominus potiebatur cõcederet, vnà facturũ ſpem faciebant. Ab altera verò parte dubitationẽ mouebat hoſtiũ calliditas, virtus; qui cũ opus eſſet diu parua pecunia vitam trahere, & multos labores incõmoda ęque perferre aſſueti: oppida quæ tenerent, munita, & eiuſmodi vt cum in planicie eſſent, melius muniri poſſent; in quibus ſe tandiu tueri poſſent, donec auxilia ex Germania acciperentur eiuſmodi, vt vniuerſum bellum ad vnius prælij fortunam reuocandum eſſet: fœderatorum milites, non alios quàm tyrones, & exiguæ virtutis, ſi cum illo exercitu veterano & in tot victorijs enutrito eſſe poſſe: Imperatore quoq; opus eſſe, quũ Mantuanus marchio, qui tunc pontificijs copijs præerat, tanto oneri ferendo impar eſſet, neque Ferrarienſium, Vrbinatiumúe ducum, qui tot iniurijs affecti fuerant, quibusq; pontificis potentia grata eſſe non poterat, fidei tantam rem committi poſſe: obtuſa per ſe eſſe pontificiorum pariter ac Venetorum arma; quòd ſi ſingulorum per ſe arma eſſent inualida, quanto magis ſimul coniuncta? in fœderatorum exercitibus nunquam neceſſaria eodem tempore ſuppeditari; in tam varijs autem ſtudijs, vbi variæ ſunt cupiditates & varij fines, facilè perturbationes, iras, moleſtias ac ſuſpiciones exoriri; ac deniq; nunquam alacritatem ad fortunæ auram cum ſe propiciam oſtẽdit fortiter ſequendam; neque animum ad eandem aduerſam conſtanter perferendam adeſſe: quod autem maximam in hac re difficultatem & timorem adferebat, erat ſuſpicio, ne Galli quotieſcunq; Cæſar ſe in anguſtias redactum cernens, regis ipſorum libertatem eis offerret, non modo à fœdere diſcederent, verùm etiam ei contra ſocios opem ferrent: & quamuis Angliæ rex illos pacem non inituros pro illis fidem ſuam obſtringeret, & vt Romæ, Florentiæ, aut Venetijs in trimeſtre tempus ſtipendijs fideiuſſores darent ageretur, nulla tamẽ huius ſuſpicionis tollendæ ratio inueniebatur: nam quum ipſi nihil præter regis libertatem ſpectarent, eosq; ad bellum niſi concordię ſpe deſtitutos minimè propenſos eſſe conſtaret, veriſimile videbatur, quotieſcunq; Cæſar eum illis vellet concedere, pacem omnibus alijs rebus antepoſituros; imò quo maiores eſſent ſociorum apparatus & vires, tanto facilius Cæſar pacem cum Galliæ rege contracturus animaduertebatur; ideoque fœdus ad bellum, in quo magni ſociorũ apparatus tam obeſſe quàm prodeſſe poſſent gerendum inire, periculoſiſſimum videbatur. Pontificem vndique principum legati & procuratores exagitabant; ſed nec minus ipſiuſmet miniſtri; quoniam eius domeſtici & Senatus inter ſe diſſidebant; in quo ſinguli tanto minore verecundia, quanto maiorem ſibi apud illum autoritatem arrogauerant, propria ſtudia ſequebantur: & ipſe ad

id vſq;

id vſq; tempus magna ex parte ab ijs qui ex ipſius nutu penderẽt,& nihil aliud quàm miniſtri atq; domini voluntatis & mandatorum exequutores eſſe debebãt, geſtari aſſuetus erat; quod vt vnà cum multis alijs rebus quæ acciderunt intelligatur, altius repetenda eſt narratio. Leo qui primus ſacroſanctam dignitatem in Mediceam familiam intulit,& & ſacræ purpuræ honore tandiu ſe,eam atque familiam quæ ex loco excelſo in imum penè ceciderat ſuſtinuit, vt ſecundæ fortunæ reditum expectare potuerint, homo fuit eximiæ liberalitatis,ſi tamẽ hoc nomẽ ei profuſione,quæ omnem modum excedit conuenire poteſt: in hoc homine pontificatum adepto tanta magnificentia,ſplendor,& animus verè regius eluxit, vt vel in quopiam qui longa ſerie à regibus & Cæſaribus genus duceret,mirum videri potuerit:nec pecuniæ ſolùm prodigus,verùm etiam omnium eorum munerum quæ in pontificis poteſtate ſunt,quæ tam immodicè conferebat,vt ſacro ſanctam autoritatem contemptibilem faceret, curiæ morem perturbaret, & ob nimios ſumptus,ſemper nouas pecuniæ eliciendæ rationes inuenire cogebatur.Huic tantæ facilitati adiuncta erat ſumma ſimulatio,qua initio pontificatus ſui omnes circumagebat; quæque vt optimus princeps videretur effecit; non de Apoſtolica bonitate dico,quoniam in noſtris deprauatis moribus,tunc in pontifice probitas laudatur,quum ceterorũ hominum nequitiam non excedit:ſed ipſe clemens,omnes iuuandi cupidus, & ab omnibus quæ aliquem poſſint lædere alieniſſimus habebatur. Hic inter alia in quibus maxima felicitate eſt vſus,non parum propiciam habuit fortunam, quòd Iulium Medicem patruelem ſuum quem ex Rhodio equite, quamuis non legitimis natalibus eſſet ortus, in pontificũ collegium cooptauit,apud ſe habuerit:nam quum Iulius natura grauis,diligens,in negotijs aſſiduus, à voluptatibus alienus eſſet,omnibusq; in rebus ordinem & modum ſeruaret,& omnia grauia pontificatus negotia Leonis voluntate in manibus haberet,multos errores qui ex illius largitate facilitateq; proficiſcebantur,ſuſtinebat moderaturq;:& quod maius eſt,ceterorum pontificum fratrum,atq; nepotum cõſuetudi ne neglecta,Leonis honorem magnitudinemq; adminiculis,quæ ſibi poſt eius mortem eſſent profutura anteponens, ita ei fidelis, & obſequens erat, vt reuera alter idem eſſe videretur:quamobrem ſemper magis à pontifice prouectus fuit,eiq; quotidie magis negocia concredebat: quæ in duobus natura vſq; adeò inter ſe diuerſis poſitã,quam duorum contrariorum temperamentum nonnunquam bene ſimul cõueniat, oſtendebant: huius aſſiduitas,diligentia,ordo,morum grauitas, cum illius facultate largitas,voluptatibus hilaritate permixta;quę in cauſſa erant vt multi Leonem à Iulio gubernari,ipſumq; per ſe tanto oneri ſuſtinendo imparem eſſe; neq; talem vt cuiquam obeſſe ſtuderet, ſed potius pontificatus commodis perfruendi cupidiſſimum: in Iulio autem contrà animũ, ambitionem,rerum nouarum cupiditatem eſſe crederent:adeò vt omnia ſeuerè acta,omnes motus, omnes expeditiones quæ Leonis tempore ſunt factæ,Iulij qui homo malus,ſed magno ingenio & animo præditus habebatur,impulſu fieri cenſerentur; quæ ipſius virtutis opinio, poſt Leonis obitum confirmata auctaq; fuit:propterea quòd contra tot aduerſarios quos habuit, & in tantis difficultatibus, tanta cum dignitate res ſuas ſuſtinuerit,vt ferè pontifex videretur;tantamq; ſibi apud multos cardinales autoritatem conſeruauit,vt bis 16 ſuffragiorum dominus conclaue ingreſſus, tandem quamuis plerique,& præſertim ſeniores repugnarent, poſt Adriani obitum,biennio à Leonis morte nondum exacto,pontificatum ſit adeptus;quod tanta expectatione iniijt,vt cõmuni hominum iudicio,omnium qui ad eam vſq; diem in ea ſede fuiſſent pontificum maximus, & longè maiora quàm quiſquam alius geſturus crederetur. Sed quàm vana fuerint de Leone & illo iudicia mox cognitum eſt; quoniã Clemens, multa in ſe habuit ab ijs quæ homines antea opinabantur diuerſa:neq; enim aut ea rerum nouarum cupiditas,aut ea animi magnitudo,& generoſorum magnorũq; operum ſtudium quę pleriq; putãrãt, in eo vigebant; & apud Leonem potius eius cogitationũ perficiendarum miniſter, quàm conſiliorũ & voluntatis autor atq; inuentor fuerat: & quamuis ingenio maximo & omnium humanarũ mira cognitione eſſet præditus,id tamẽ in deliberando & perficiendo non oſtendebat:quoniã non modò animi infirmitate,quę in eo haud parua fuit,& ſumptuum vitandorum cupiditate; verùm etã quadam hæſitantia & confuſio naturæ ipſius inſita,vbi ad ea quæ procul iam ſæpe præuiderat,ponderarat,ac penè cõſtituerat, decer

nenda veniebat,ferè ſuſpenſus & anceps erat:quo fiebat,vt quæuis vel minima ratio recens oblata,quòd vis leue impedimentũ in ſtatuendo,ſeu quod iam ſtatuiſſet,obeundo obiectum,eum in eandem ambiguitatẽ in qua antequam quidquã decerneret erat,iterum conijcere poſſe videretur:ſemper enim re iam cõſtituta conſiliũ à ſe reiectũ melius fuiſſe videbatur:nam cũ ei ſolæ rationes illæ quas reiecerat ipſi tunc obſeruarentur,eas rationes quib.motus ſic decreuiſſet,quarũ cõtentione & cõparatione contrariarũ pondus leuius redderetur,minimè in mẽtẽ reuocabat:neq; ex eius quod ſæpe fruſtra timuiſſet recordatione,ne improuiſo metu obrueretur,vel vſu magiſtro cauere didicerat:qua in implicata natura,& perturbata rerũ adminiſtrandarũ ratione,dum ſæpe numero ſe à miniſtris transportari ſinit, potius ab eis duci quàm conſilium capere videbatur; inter quos in ſumma apud illum autoritate fuerunt, Nicolaus Scombergius Germanus, & Ioannes Matthæus Gibertus Genuenſis: illum pontifex obſeruabat,& penè metuebat: hunc ſibi gratiſſimum admodum diligebat:ille Hieronymi Sauonarolæ autoritatem ſequutus, dum iuri operam daret,ei ſodalitati ſe addixit,quæ prædicatorũ appellatur,ſed poſt ſodalitate relicta,nomine tamen & pallio retento, ciuilibus negotijs ſe tradiderat: hic in puerili ætate religioni deditus,ſed poſt,patris autoritate(quamuis ſpurius) ea relicta,eam ſectam prorſus & nomine & veſtitu repudiarat.Hi igitur,& dum cardinalis eſſet,& ipſius pontificatus initio concordes, pontificem ex arbitrio ſuo gubernabant:ſed poſt quum ſiue ambitione ſiue naturæ diuerſitate inter ſe diſſidere cœpiſſent, eum & perdiderunt, & obcæcarunt: quoniam Nicolaus ſiue nationis ſuæ vinculo,ſiue quauis alia de cauſſa, Cæſaris ſtudioſiſſimus, & natura in ſuis opinionibus,quæ ſæpe à ceterorum hominum ſententia diſſidebant,pertinax,tam immodicè Cæſaris rebus fauebat, vt ſæpe pontifici tanquam magis aliorum,quàm ipſius vtilitatis amans ſuſpectus fuerit:alter re vera neq; alium amans, neq; alium dominum agnoſcens, ſed natura in rebus ſuis vehemens, quamuis Leone regnante Gallorum acerrimus hoſtis fuiſſet,ac Cæſaris rebus fauiſſet, Leone defuncto prorſus ſententiam mutauerat:quare cum hi duo potentiſſimi miniſtri apertè inter ſe diſſiderent,neque maturè res adminiſtrarent, pontificisúe honoris rationem haberent, eiusq; tarditatem & ambiguitatem toti aulæ notam facerent,apud pleroſq; mortales eum contemnendum ac penè ridiculum reddebant. Itaq; cum ipſe ſuapte natura anceps eſſet,& in tam perplexa difficiliq́ue deliberatione, ab ijs qui eum in re explicanda iuuare debebãt,magis dubius redderetur,ipſemet quò ſe verteret ignorabat:tandem potius quia aliquid erat neceſſariò conſtituendum quàm certa ſententia firmoq; iudicio,preſertim cùm eo eſſet redactus,vt etiam nihil decernere decreti ſpeciem præ ſe ferret, ad fœdus ineundum, & ſimul cum alijs bellum contra Cæſarem gerendum inclinauit. Conuenere igitur,& fœderis leges ſcripto explicarunt:neque aliud, niſi vt ſancirentur deerat, quum Erreram Commendatorem(eſt id in equeſtri ordine dignitatis & præfecturæ nomen)à Cæſare miſſum,qui ſe ſtatim & citra vllam moram, cum gratis & bonis nuntijs adfuturum nunciabat, Genuam perueniſſe certior eſt factus: eum igitur legatis quibus fœderis eodem die ſanciendi certam ſpem fecerat, grauiſſimè expoſtulãtibus expectare ſtatuit:illius aduentus cauſſa fuit,quòd Cæſar, vbi eiuſmodi mandata Piſcario dediſſet,vt ſaltem in eius arbitrio eſſet Mediolanenſe imperium occupare, ne hanc ob cauſſam noui in Italia motus exiſterent veritus,fœderis negotium cum Saluiato legato ita tractauit,vt fœdus inter ipſos (pontifici tamen approbandi facultate relicta)fieret: in quo ei in Regij & Ruberiæ reſtitutione mos gerebatur; & Mediolanenſium ducis conſeruatio propugnatioq; includebatur,quæ Clemens potiſſimùm exoptauerat; ſed ea lege expreſſè adiecta,ne ſi is moreretur,illud imperium ſibi retinere,vel archiduci fratri ſuo tradere ei liceret;ſed in Borbonium eius imperij iura transferret;quem pontifex ipſe ſatis inconſultè, Capuani archiepiſcopi ſuaſionibus,eo tempore quo Franciſci Sfortiæ ſalus ex morbo ferè deſperanda videbatur, vnà cum Georgio Auſtrio Maximiliani Cæſaris ex concubina nato fratre, propoſuerat:quo fœdere conſtituto,legatus eius approbatione à Clemente minimè expectata, Cæſari tam exoptatum priuilegium denegare non potuit,aut neſciuit;quod cum prius ſecundi tantum gradus cognationis facta mentione perſcriptum eſſet, Luſitani regis filiæ nomine ſuppreſſo,ſiue quo minus Angliæ rex offenderetur,ſiue quòd cũ inter eos duplex affinitatis

tatis vinculũ esset,potentioris modò vinculi facta mẽtione, aliud priuilegiũ quod nominibus proprijs expressis impedimenta omnia cõplexa essent,cõscribere fuit necesse.Cũ huius fœderis confecti literis Errera diem vnum aut alterum post Moroni capti nuntiũ à Cæsare acceptum,à Cęsare est profectus,& sexta die Decembris ad pontificem deductus,cui pręter multa promissa & ampliſſimam bonæ Cæsaris voluntatis attestationem, fœderis leges obtulit:quas,etsi capita quæ de salinis & de regni neapolitani sacerdotijs agebant,ab ijs quæ cum prorege constituta fuerant discreparent,tamen quia pręcipuus eius scopus erat,vt se suspicione liberaret,rata habuisset, si in Mediolanẽsis imperij negotijs candidè agi cognouisset: sed quum vbi de Francisco Sfortia agebatur, nulla criminis ei obiecti mentio fieret,neq; imperium ademptũ ei restitutum,aut errores si quos admisisset,condonatum iri promitteretur, imò Cæsar in rebus cum legato constituendis,& mandatis huic suo procuratori dandis,se quicquam ea de re scire dissimulasset,illorum calliditas & artes facilè cognitæ fuerunt: fœdus enim & Francisci Sfortiæ in Insubriæ imperio conseruandi ac propugnandi promissa,Cęsari in eum,vt in beneficiarium suum agendi,& beneficium, ob maiestatis crimen ad dominum deuolutum declarandi facultatẽ minimè adimebant:& Borbonius ei si moreretur substitutus,eo spoliato quoque successurus erat: quoniam leges duplicẽ mortem statuunt,naturalem videlicet & ciuilem, qua eos qui ob huiusmodi delictum condemnantur mori aiunt:ideò pontifex grauissimis verbis sibi nullam cum Cæsare priuatam dissidij causſam esse,imò se in quacunq; controuersia & altercatione quæ inter ipsos esse posset,nunquam alium iudicem quàm ipsummet electurum; verùm necesse etiam esse, ita communes res componere, vt Italia tuta esset:quod alia ratione fieri non posset,nisi Francisco Sfortiæ Mediolanen se imperium restitueretur, respondit:eiq; rationes ob quas caput illud tam latè patens, non satis esset,ostendit:sibi si nouum consilium capere, & à Cæsare cui semper coniunctissimus fuerat,discedere cogeretur molestissimum fore. Cui Sueſſanus, Cæsaris mentem integerrimam esse, eumq; proculdubio vt Franciscus Sfortia ijs omnibus quæ acciderent posthabitis, Insubriæ imperio potiretur,contentum esse; sed incuria vt caput illud non fusius explicaretur factum;ceterum curaret pontifex, id vt vellet conscribi; se illi eius confirmationẽ intra duos menses, modò ipse quoq; se interea fœdus de quo agebatur,cum Galliæ regno & Venetis nõ sanciturum promitteret,polliceri.Omnes per spicuè id nullam aliam ob causſam,nisi vt duorum mẽsium mora quo Cæsar ad res suas melius constituendas,& ea quæ contra tantam conspirationem opus forent comparanda, spacium haberet interponeretur,fieri cognouerunt: & nihilominus pontifex, post multam altercationem, maxima cum legatorum molestia, tam vt sumptus ac molestias quantum posset differet, quàm etiã quòd dum rex captiuus esset,quoduis fœdus quod cum eius matre iniretur, cum id quotiescunq; vellet dissoluere in Cæsaris potestate esset periculosissimum; & hanc moram (etsi exigua spes esset) rem optatam afferre posse censeret, annuit: quæ mora si fortè duorum regum concordiam pareret,prudentissimè cogitauit,etsi alij secus iudicarent, melius esse eam huiusmodi tempore fieri,quo Cæsar minore necessitate premeretur: quo enim meliore in statu esset, eo grauiores leges Galliæ regi imponeret; quarum acerbitas regem liberatum eas non seruaturum spem faciebat. His quoq; adiectum fuit, vt interea nihil neq; in operibus,neq; in alijs rebus contra Mediolanensem arcem, modò Franciscus Sfortia se ad obsidentes non lædendos nullaq; molestia afficiendos obstringeret,noui molirẽtur;cui legi Franciscus assentiri noluit. Itaq; anno à summi Dei filij natiuitate MDXXV in his actionibus magis ad bellum quàm ad pacem propendentibus exacto, cœpit annus 1526. grauibus casibus & 1526.
miris perturbationibus plenus.Cuius anni initio cum Errera ad Cæsarem rediret,pontifex longas literas propria manu ad eum scripsit; quibus consilia in eum agitata nec prorsus negans nec confitens, sed culpam in Piscarium transferens, Franciscum Sfortiam si quid commisisset,Hieronymi Moroni consilijs seductum excusauit; eumque vehementissimè, vt totius Christianæ reipublicæ quietis & commodi gratia illi ignosceret,supplex rogauit. Quo tempore Cæsar pontificis responsum expectans,omnia aliorum negotia suspendebat:& quamuis Borbonius, qui amicè satis tractabatur,atq; in affinitatis spe confirmabatur,vt matrimonium perficere posset vrgeret,nihilominus ei mo-

ra interponebatur: aiebant enim Cæsarem prius suum cum Lusitana sponsa,quæ quotidie expectabatur,matrimonium perficere velle;sed id vt sibi liberam cum Galliæ rege, cui de eadē quæ Borbonio promissa fuerat cōnubio iungenda vtilitate (vt omnium ferè principum mos est)honestati antepositā,agebatur,pacisceṅdi facultatē conseruaret, faciebat. Deinde cum Cæsar Sibiliæ matrimonium perfeciſſet, Errera,cum eius fœderis capitis quod ad Francisci Sfortiæ commodum spectabat ampliſſimè à pontifice conscripta forma Roma ad eum redijt;adeò vt Cæsar legatum quoq; nullum separatū mandatum ab hoc diuersum habere certior factus,toto Senatu in id consentiente,quòd necesse esset fœdus quod agitabatur impedire,& tot hostes eodem tempore sustinere periculosum,eò sit redactus,vt aut pontifici & Venetis in Francisco Sfortia restituendo esset satisfaciendum, aut cum Galliæ rege cōponendum:qui tandem post multas de Burgundia altercationes,quum se à Cæsare alia ratione dimissum iri sperare nō posset,eam omnibus ad eam spectantibus,& iuri quod in regnum neapolitanū,Mediolanenseq; haberet,cessurum: atq; in eius rei fidem duos suos filios obsides daturū pollicebatur;vtra autem sententia esset eligenda,grauissimæ erant disputationes. Nam Lanoius,qui regē in Hispaniam duxerat,eiq; tantam spem fecerat,& vt dimitteretur tantopere contendebat, tunc maximè idem vrgebat:eius verò autoritas saltem ob fidem & beneuolentiam apud Cæsarem magna erat. In contrariam verò sententiam potius exclamabat, quàm differebat Mercurius Gatinaria Magnus cancellarius,vir quamuis humili loco in Taurinis natus,magnæ existimationis & rerum vsu; qui iam multos annos omnium eius curiæ grauium negociorum onus sustinebat:cum igitur aliquando in Senatum coram Cęsare vt tandem de ijs omnibus quæ tot menses agitata fuerant decernerent, essent conuocati,Mercurius huiusmodi orationem habuit.

Equidem semper,inuictissime Cæsar,sum veritus,ne nimia nostra cupiditas, & malè dimensi fines quos nobis proposuimus, in causſa forent,vt ex tanta tamque præclara victoria,tandem neq; gloriam neq; vtilitatem consequeremur;nunquam tamen hac victoria existimationem imperiumque tuum in discrimen adductum iri,quod manifestè fieri video,existimaui; quandoquidem de ea concordia agitur qua Italia tota in desperationem ruat,& Galliæ regi libertas,sed tam grauibus legibus,vt si minus sponte, saltē coactus magis nobis inimicus quàm prius sit futurus,restituatur:Equidem pari cum reliquis ardore cuperem eodem tempore & Burgundiam recuperari,& Italiæ subigendæ fundamēta firmari;sed qui tot res tam citò amplecti conatur,nihil vt retineat,& rex Galliæ liberatus vt vlla ratione tot tamq; magna promissa seruet, vehementer pertimesco. Nescit forsitan rex Burgundia restituta se tibi Galliæ ianuam aperire?atq; in tua potestate fore, Lutetiam vsq; excurrere,seq; vbi tu Galliam ex tot partibus infestandi facultatem habueris,vires ad resistendum non habiturum?Ignorat ipse,nesciunt omnes,si tibi vt armatus Romam eas, vt Italiæ frænum imponas, Ecclesiæ sacrum & prophanum imperium in potestatem tuam rediga3 assentiatur, se potentiæ tuæ conduplicandæ instrumentum fore, ne tibi vnquam ad eum lædendum arma pecuniæúe deesse possint,& se ad quascunq; leges ei imponere libeat, accipiendas,coactum iri?& sunt qui illum eiusmodi pactionem qua ipse seruus tuus, tu eius dominus fias seruaturum credant?an deerunt illi totius regni querelæ exclamationesq;?Angliæ regis cohortationes?totius Italiæ stimuli?At amor forte mutuus inter vos in causſa erit, vt tibi fidat,tuaque potentia ei sit grata.vbi vnquam fuerunt duo principes inter quos plures odij & contentionum extiterint causſæ ? est inter vos non modò potentiæ æmulatio,quæ fratres inter se armare & committere solet, verùm etiam veteres & grauissimæ inimicitiæ iam ab auis atauisq; vestris vsq; cœptæ, tot tamq; diuturna bella inter hasce duas familias gesta,tot paces & fœdera violata,tot iniuriæ offensionesq; illatæ & acceptæ.Nónne illum quū se tot menses penes te captiuum fuisse recordatur, sub tam arcta custodia nunquam vt in conspectum tuum duceretur impetrare potuisse, in hoc carcere, ob molestias & incommoda perpessa, haud longè ab interitu abfuisse:nunc verò non animi quadam magnitudine, aut charitate, sed tantæ conspirationis quæ in te paratur metu dimitti cogitat,indignatione ardere credimus? an affinitatem necessitate contractā & tot stimulis potentiorem fore censemus ? & quis quanti hæc vincula à principibus fiant ignorat?quis melius nobis

bis quanti istæ affinitates fiant testari potest? erit fortasse aliquis cui fides qua se in eandem custodiam rediturum obligabit securos factura videatur? dij immortales, quæ inconsiderata fundamenta, quàm imprudentes spes. Sic me Cæsar, extremus animi mei dolor loqui cogit, cum de tam pernicioso ac periculoso consilio perficiendo cogitari video: omnes tamẽ vbi de imperio agitur, quanti fides fiat, quid Gallorum promissa valeant, qui cetera aperti, his in rebus fraudum sunt optimi magistri: hunc ipsum regem, tanto natura in factis parciorem quanto verbis est liberaliorem nouimus. Quare sic statuo, non beneuolentiam inter duos principes, inter quos veteres iniuriæ ac simultates hereditariæ sint; non beneficiorum quæ nulla sunt, memoriam, non fidem ac promissa quæ in regnorum momentis à multis parui, à Gallis verò nihili fiunt, vt eam pactionem quæ hostem suum in cœlum tollat, se verò regnumque suum in manifestam seruitutem redigat, seruet, effectura. Sed quosdam mihi audire videor, qui dicant, hanc ob caussam duos filios, & in ijs natu maximum, quorum charitatem pluris quàm Burgundiam facere cogetur, obsides postulari: ego autem vereor ne liberorum charitas contrarium potius sit paritura, quum illorum memoria animo eius obuersabitur, & hæc præstare, illos tibi in seruitutem tradendi initium fore, cogitabit. Nescio an hoc pignus satis sit futurum si se illos alia ratione recuperare posse omnino desperaret; magnũ est regnum suum in discrimen conijcere, quod semel amissum recuperare difficillimum foret: filios autem vel pactione, vel alia occasione se recuperaturum sperare potest; & ob teneram illorum ætatem mora minus erit molesta; verùm cum ipse omnes ferè christianos principes contra te sibi fœdere iunctos habere possit, quis dubitat quin cum illis sit conspiraturus, hancque pactionem armis moderari conaturus? & sic ex hac victoria grauissimum, periculosissimumque bellum Angliæ Galliæque regum & totius Italiæ odio, necessitate & desperatione concitatum præmij loco referemus: à quibus omnibus nisi Deus prodigijs toties pro nobis edendis fatigatus fuerit, si fortuna naturã mutauerit, eiusq; inconstantia & mobilitas, in nobis contra omnium præteritarum rerum exempla, constantiæ stabilitatisq; documentum fiat, nos propugnabimus. Iam ante tot menses in conuentibus nostris, vt Itali cum Galliæ regno fœdus nõ ineant, omni studio incumbendum decreuimus; & nunc in huiusmodi sententiam, quæ omnes difficultates, quibus huc vsque dubij reddebantur tollit: quæque pericula nostra & hostium vires auget præcipites ruimus: & quis ignorat Cæsar quanto potentius fœdus illud cuius Galliæ rex in regnum suum restitutus caput sit, quàm quod cum Galliæ regno rege apud te captiuo iniretur sit futurum? nullam caussam pontificem hactenus ad fœdus contra te ineundum dubium reddidisse, nisi ne tu Gallos rege illis oblato ab ipsis disiungas metum, dubium reddidisse quis nescit? hoc autem cum filios & non ipsum tenebimus, minus timebunt: sic medicamentum quod nos periculi vitandi gratia paramus, illud longè maius reddet; & quum hoc fœdus impedire debeamus, nos ipsi vt id firmius potentiusque fiat caussam præbebimus: Quæ igitur est tua sententia dicet aliquis? an ex tanta victoria nullum emolumentum percipiendum censes? est ne semper nobis in hac suspensione manendum? ego quod sæpe dixi confirmo, tantum cibi semel assumere vt stomachus ferre nequeat, nimis pernicioſum esse; & aut rebus cum Italiæ compositis, quæ nihil aliud à nobis, quàm vt metu liberetur petit, à Galliæ rege Burgundiam, et si quid præterea possumus extorquere, necessarium esse: aut cum illo ea concordia ineunda, qua Italia arbitrio nostro permittatur; verùm ea moderatione ac lenitate, quoad eius res pertinet, vt eã seruandi caussam habere videatur: in altero autem horum eligendo tua Cæsar, prudentia æquitateque opus est, vt id quod firmius æquiusque est, ei quod primo intuitu fortasse vtilius & maius videtur anteponat. Insubriam Burgundia opulentiorem esse, & ad multa magis opportunam, nullamq; cũ Italis nisi Mediolano vel Francisco Sfortiæ, vel alteri qui pontifici sit gratus, cõcesso, societatem contrahi posse fateor: nihilominus magis hoc quàm vt cum Gallis componas laudo: quoniam iure magis ad te Burgundia quàm Mediolanum spectat; & facilius eam tueri possis, quàm eam prouinciam in qua nemo est qui te velit; Burgundiam antiquo hæreditatis iure tuam quærere, summa laus est: Mediolanum aut tibi aut alteri qui prorsus ex autoritate tua pendeat vendicare velle, ambitionis nota non caret:

primùm à te tot illustrium maiorum tuorum, quorum ossa in captiuitate sepulta, nihil aliud nisi vt à te libertati restituantur & postliminio recuperentur clamant, memoria requirit: quorum fortasse iustæ, piæ sanctæque preces Deum tibi magis propicium reddunt. Prudentius & facilius consilium & amicitiam cum eo qui inuitus tibi inimicus sit stabilire, quàm cum eo qui nunquam amicus esse possit contrahere: nam in Galliæ rege semper odium tuisque consilijs aduersum studium vigebit: Pontifex autem & ceteri Itali vbi exercitus ex Insubria deducatur, suspicione liberati, cur tecum æmulatione timoréue contendant, non habebunt: ex quibus si tibi amici fuerint, & nunc & posthac semper commoda emolumentaque percipies. Itaque magis te ad hanc societatem, honoris, vtilitatis, securitatisque ratio, ac nisi fallor, haud minus necessitas impellit. nam etiamsi cum rege ita pactus fueris, vt eum ad nihil aliud nisi vt te in Italiæ bellis iuuet obstringas, eum id præstiturum mihi quidem haud verisimile videtur. Italia enim tibi prædæ relicta, regnum suum in nimis magnum discrimen conijci censebit: & contrà, maximas ad te infestandum, eoque vt pacis leges minus graues cum eo admittas cogendum tam potenti fœdere sibi spes occasionesq; habere videbitur; & sic regem captiuum, liberum nobisque inimicum reddemus; & Galliæ regno vt tot alijs coniunctum, maioribus viribus maiorique vtilitate bellum contra te gerat caput dabimus. Quanto melius est cum Italis componere? cum pontifice qui id semper exoptauit, bonam & veram societatem contrahere, & Gallis omnem Italorum societatis spem adimere; tunc enim non necessitas aut nouorum fœderum metus, sed tua voluntas, & conditionum natura te ad pacem cum Gallis ducet: tunc illos necessitate & desperatione non modò ad Burgundiam reddendam, & maiora offerenda, verùm etiam eiusmodi pignus in manu tua collocandum, vt tibi nihil sit de fide dubitandum cõpelli cernes: neque enim dum tanti fœderis spem habẽt, satis est liberos obsides accipere: vixq; satis tibi cautum foret, si Baionam, Narbonem, & classem traderent. Hoc pacto ex hac victoria amplum, honorificum, iustum & certum fructum percipies; alioqui aut ego nihil prorsus video, aut hæc pax imperium tuum in tam graue periculũ conijciet, vt nisi fortè Galliæ rex nobis imprudentior sit futurus, quid te eo possit liberare videre nequeam. Mercurius hac oratione accurata & vehementi, ac prudentiæ suæ oppinione multorum in Senatu animos commouerat, quum prorex Lanoius contrariæ sententiæ autor huiusmodi orationem habuisse fertur.

Qui nimia dominandi libidine, glorioſissime Cæsar, plura quàm retinere possit amplectitur, minimè laudandus est: verùm haud minus is est vituperandus, qui nimia suspicione & metu, se ipse magnis occasionib. tot laboribus atq; periculis partis dispoliat: imò quamuis vterq; error grauissimus sit, magis vituperandum in tãto principe est illud consilium, quod ex timore & animi infirmitate, quàm quod ex generositate magnitudineq; animi proficiscitur: & laudabilius est cum periculo immodica parare conari, quàm periculi fuga rarissimas occasiones corrumpere, & hæc ipsa est Cancellarij sententia: nam quum vereatur, ne hac compositione Burgundiam & Mediolanum simul consequi possimus (neq; enim illum aut Italiæ patriæ suæ amore, aut in Mediolanenſium ducẽ beneuolentia moueri est suspicandum) eam rationem proponit, qua ipsius sententia Burgundiam consequimur, & Mediolanũ longè maius imperium amittimus: sed mea opinione Mediolanum amittimus, & Burgundiam non consequimur: quumque hæc victoria tibi magna cum gloria ad christianæ reipublicæ principatum aditum aperuerit, si eius in consilio nihil nobis ex ea præter detrimentum & infamiam reliquum erit, equidem in eius consilio nullam securitatem video; quin potius maximum periculum, exiguam vtilitatem, & quæ facilè è manibus nostris elabi possit, indignitate ignominiaq; plenam video: & contrà in regis concordia, mihi ingens gloria, maxima vtilitas, atq; idonea securitas esse videtur: quæro enim ex te Mercuri, quam ratione adfers, quam cautionem, quam fidẽ, Italos vbi Mediolano cesserimus, concordiã nobiscum seruaturos? nec sese inter Gallię regẽ & nos interceſſuros? & non potius vbi existimationẽ nostrã depresserint, vbi eum exercitũ, qui insolentiæ ipsorũ frænũ est dissoluerint, vbi nouas Germanorũ copias in Italiã venire nõ posse certò scient (neq; enim vllus in Insubria locus erit qui illos admittat aut vbi colligantur) quam, inquã, securitatis rationẽ adfers, quin Itali tunc incœptis

incœptis ſuis inſiſtentes regno Neapolitano quod ferè arbitrio illorũ liberum relinque
tur,minantes,nos ad Callię regem mittendum nõ ſint coacturi?an Mercuri Franciſcum
Sfortiã gratum fore cõfidis, qui poſt tot,Cæſar,à te accepta beneficia,tibi tam nefaria,p
ditione gratiam retulit?quid nunc faciet,qui te tanti ſceleris iuſta pœna mulctandi cupi
dum cognouit?qui nunc à te ſupplicium,ab hoſtib.tuis ſalutem expectat? an Venetorũ
amicitiæ?qui imperij Romani & Auſtriæ familiæ hoſtes naſcuntur: & quũ heſterna ferè
die ſe tot ciuitatib.quibus nunc potiuntur à Maximiliano auo tuo ſpoliatos recordãtur
exhorreſcunt:an Clemẽtis probitati, eiuſq; erga Cęſarem ſtudio? qui cum poſtquã mul
ta cõtrà nos tentaſſet,initiũ cõiunctionis quã cum Leone contraximus fuit, vt Gallos vl
ciſceretur,vel,vt ab eorum iniurijs tutus eſſet, & Ferrariam (cuius obtinendæ cupidita-
te ardebat)occupare poſſet,Leone aũt defuncto hic Cardinalis, omnibus ferè mortali
bus inuiſus,coactus in amicitia noſtra permanſit:ſed pontificatum adeptus,illico ad põ
tificum,quorũ propriũ eſt Cæſares timere& odiſſe,naturã reuerſus,nihil magis quã Cæ
ſaris nomen exhorreſcit:hi omnes ſe nihil odio aliáue cupiditate machinatos eſſe,ſed
potentiæ tantũ tuæ metu:hocq; metu ſublato oẽs machinationes de ſituras;quod quidẽ
aut verũ non eſt,aut ſi initio verũ fuit,alias poſtea radices egerit, & in aliam naturam mi
grarit neceſſe eſt: natura enim id eſt cõparatũ,vt ex ſuſpicione odium naſcatur, ex odio
iniuriæ,ex iniurijs ſocietas & neceſſitudo cum ijs qui inimici ſunt ei quem læſerunt: ex
his conſilia quibus non modò ſe metu liberent,verũ etiam vt ex eius ruina qui læſus eſt,
ipſi emolumenta capiant: iniuriarum memoria proculdubio in eo qui facit, quàm qui
patitur maior atq; ad placandum difficilior. Quare, etſi initio ſuſpicione ſolùm moti fu-
iſſent, id vt tibi hoſtes fierẽt,animum & ſpes ad Gallorũ res conuerterent; deinde quẽ-
admodum in omnibus fœderibus fecerunt,regnum neapolitanum inter ſe diuidere in-
ciperent,in cauſſa fuiſſet:nunc autem quæcunq; tandem cautio pactioúe ſequatur,ſem
per in illorum pectorib.odium erit accenſum, timor vigebit: nec ijs quæ vi à nobis ex-
torta videbuntur,ſatis confiſi, ſeq; maiorem nos ad ea quæ volent cogendi facultatem
nactos rati,ne inter Galliæ regem & nos nouũ fœdus Cameracenſi ſimile cõtrahatur ve
riti,Italiæ (vt illorum verbis vtar) à barbaris vindicãdæ cupidi,leges tibi imponere,Gal
liæ regis libertatem petere audebunt;quod ſi denegaueris Cæſar, quomodo regnũ nea
politanum tueberis?ſi conceſſeris,omnib.victoriæ præmijs amiſſis,omniũ quotquot un
quã fuerunt cõtemptiſſimus, & miſerrimus princeps relinqueris:ſed demus Italos fidẽ
ſeruaturos,& aut Mediolano nobis cedendũ ſit,aut Burgundia nõ recuperanda;quænã
quæſo inter hæc duo cõparatio eſt?Burgundia anguſta prouincia eſt,tenuis, & haud ma
gni emolumenti,nec tam opportuna vt multi arbitrantur: Mediolanenſe verò imperiũ,
tot vrbium opulentia & pulchritudine, frequentia, & nobilitate ciuium,uectigaliũ ma-
gnitudine,oẽs totius orbis terrarum exercitus alendi copia & vbertate,facilè multis re
gnis antecellit: & quãuis tam amplũ & potens ſit,maioris tamen ſunt faciẽdæ opportu-
nitates,quæ ex eius poſſeſſione exiſtunt,quã id quo per ſe pollet:dũ enim Mediolanũ
& Neapolis imperio tuo parebunt,pontifices, vt olim ſolebant, ex Cæſarum autoritate
pendere,Hetruriã totam,Ferrarienſium ducẽ,& Mantuanum marchionẽ tibi obſequẽ-
tes eſſe oportebit: Veneti autem inter Galliam ciſalpinam & Germaniam incluſi, à te
leges acipere cogentur: ſic non iam armis & exercitibus, ſed ſola nominis tui fama
per fecialem ſiue præconem qui Cæſaris inſignia geſtet, toti Italiæ imperabis; & quid
ſit Italia quis ignorat?prouincia ſitus opportunitate,cœli tẽperie,virorũ ad omnia ma-
gna & præclara aptiſſimorũ multitudine& ingenijs,omniũ rerũ ad humanũ victũ ſpectã
tium copia,tot nobiliſſimarũ vrbium amplitudine, & elegantia,opibus,religionis ſede,
priſca imperij gloria, & inumeras alias ob cauſſas ceterarum omnium regina: cui ſi tu
imperabis,te ceteri principes omnes ſemper formidabunt:hoc quærere, magis ad ma-
gnitudinẽ,magis ad gloriã tuam ſpectat,magis auorũ tuorum oſſibus (quando & his in
conſiliũ veniendũ eſt)gratum erit: quos,quæ illorũ bonitas pietasque eſt, aliud quàm
quod tibi cõmodius,& nomini tuo magis glorioſum ſit exoptare minime eſt credendũ.
Itaque ſi Cancellarij conſilium ſequutus fueris, pro re parua magnã amittemus: & hæc
quidem exigua incertiſſima etiam eſt, cuius nos admonere deberet id quod ſuperiori-
bus menſibus ferè accidit.Nonne nobis in mentem venit,in quanto mœrore fuerimus

cum Galliæ rex in vitæ discrimen esset adductus, quid nam istuc? propterea quòd eius morte omnẽ quẽ sperabamus victoriæ fructũ amitti videremus: quis idẽ non & nunc euenire posse præstabit? & quidem facilius, quia eiusdem morbi reliquiæ adhuc ei inhærent: nam spe quæ illam huc vsq; fouit deficiente, molestiæ, ex quibus eius ægritudo originẽ habuit, maiores recurrent: & præsertim quod cum inextricabiles conditiones cautionesq; sint tractandæ, noua negotia longam temporis morã, quæ huic periculo, & fortasse etiã alijs nec minorib. nec difficiliorib. erunt obnoxia, habere oportebit. An ignoramus, nihil Galliæ regnum tam immotum retinuisse, quàm sui regis citæ libertatis opinio? qua factum est vt eius regni proceres pacati, atq; eius matri obsequentes fuerint: hac spe deficiente facilè fieri posset vt regnũ cõmoueretur, statũq; mutaret: si aũt semel principes habenas in manum sumpserint, nulla erit in eis regis liberãdi cura; quin, vt solutos se in eo dominatu tueantur, eius captiuitate gaudebunt. Sic pro Burgundia & tot partis rebus nihil amplius nobis aut ex eius captiuitate, aut ex libertate erit sperãdum: ex te aũt præterea Mercuri, quæro, nullã ne Cæsari in hac re est dignitatis maiestatisq; suæ ratio habenda? qua maiore infamia notari potest? quo pacto existimationem suam magis minuere, q̃ vt Frãcisco Sfortiæ ignoscere cogatur? vt homo semianimis, perduellis, singulare ingrati hominis exemplum, non sese abijciendo, & ad clementiam tuam confugiendo, sed in hostium tuorum gremium se conijciens, te sibi cedere, imperium tam iustè ab eo ereptũ restituere, & leges ab ipso accipere cõpellat? melius est Cæsar, & magis ex imperij tuæq; magnitudinis dignitate, iterum fortunã periclitari, omnia iterũ periculis obijcere, quã dignitatis tuæ, regis regum autoritatis, & Cæsarei nominis oblitum, ac toties potentissimi regis domitorem, eas leges à sacerdotibus & mercatoribus, quibus si victus fuisses, neq; grauiores neq; indigniores tibi fuissent impositæ, accipere. His igitur rationibus omnib. ponderatis, & q̃ paruus sit fructus quem ex Italorum fœdere consequi possumus; quot casibus is nobis è manibus eripi possit; quã parũ tutum sit illis fidere, quã indignum sit Mediolanensi imperio cedere, nobis necessariò aliquid decernendum, & aliquando finẽ intuendum esse; ac deniq; ex regis captiuitate, nullũ emolumentum, nisi id quod ex eo liberando percipi potest, ad nos peruenire; potius cum rege q̃ cum Italis componendum, vt antea, sic & nunc censeo; quod quidem laudabilius, æquius, atq; vtilius esse modò idoneis pignoribus nobis sit cautũ, negare potest nemo: cuius rei ego aliquod fundamẽtum constituo in beneficij quod à te accipiet, memoria, in affinitatis vinculo, in sororis tuæ quę idoneum ad hanc amicitiam cõseruandã instrumentum erit, virtute; & multo magis in duorum liberorũ, & in his natu maximi pignore, quo pignore quòd maius aut grauius pignus ab eo accipi possit ignoro: & quãdo necessitas nos aliquid decernere cogit, maior Galliæ regi proculdubio cũ tanto pignore, q̃ Italis sine vllo pignore fides est adhibenda; plus tanti regis fidei & verbis, quã immoderatæ sacerdotum cupiditati, & mercatorum suspiciosis sordibus credendum: facilius, quemadmodum maiores nostri sæpe habuerunt, cum Gallis ad aliquod tẽpus fœdus habere possumus, q̃ cum Italis hostibus nostris sempiternis: nec solum in hac sententia maiorem fidei seruandæ spem video, verũ etiam, si forte nõ seruetur, minus periculi: nã etiamsi rex tibi Burgundiã non tradat, filijs suis obsidibus relictis, te nouis offensionib. lacessere nõ audebit, sed tractando & precando te ad mitiores conditiones allicere nitetur: & præterea hesterna die à te victus, & hodie è custodia emissus, arma tua posthac formidabit, nec tuam fortunam deinceps facilè tentare audebit: quod si arma contra te Cæsar, nõ capiat, certum est reliquos oẽs tantisper quieturos, dum Mediolanẽsem arcẽ occupabis, ac eiusmodi in eo imperio fundamenta iacies, vt tibi nullius iam maleuolentia sit pertimescenda. Italis verò si nunc cum eis cõposueris, & fidem violare velint, nullum quo retineri queant frænum reliquum erit: & tui lædendi facultate aucta, voluntas liberior atq; ardentior deesse non poterit. Itaq;, meo quidem iudicio, summæ & timiditatis & imprudentiæ foret, nimia suspicione, tanta gloria, tantaq; amplitudine plenã, & satis tutã cõcordiã pro periculissimo, & nisi fallor, pernitiosissimo consilio amittere.

Variæ fuerunt aliorum in concilio, Lanoio tacente, sententiæ; omnib. enim qui integro iudicio vtebantur, cum Galliæ rege eo modo quo propositũ fuerat cõponendi consilium periculosum videbatur: sed nihilominus in Belgis tantum erat Burgundiæ, vt quę

principum

principum suorum antiqui patrimonij & iuris esset recuperandæ desiderium, vt eos ve rũ cernere non permitteret. fuit etiã fama, in multis Gallorum largitiones & ampla promissa plurimũ valuisse: Cæsar verò siue quòd ea fuisset prima eius sententia, siue quod proregis autoritas, præsertim cum Nassauij qui idem sentiebat, autoritate cõiuncta, maximi ab eo fieret; siue quòd vt Francisco Sfortiæ veniam daret cõgi nimis indignum ei videretur, eos potissimum qui pacem cum Galliæ rege suadebant libenter audiebat; ita vt vbi denuo Saluiatum legatum, num vt Mediolanense imperium Borbonio traderetur, assentiri vellet tentari iussisset (si enim id feciisset pontificis societatem antepositurus fuisset) eumq; nullum ea de re mandatum habere exploratum habuisset, cum Galliæ rege paciscendi statuit; cum quo tum res iam antea tractatæ ac ferè compositæ essent, breui pontificio legato ab omnibus hisce negotijs excluso, quum Cæsar iam à Borbonio vt sororem ipsi promissam Galliæ regi nuptui tradi assentiretur impetrasset, ad transactionem est ventum: Borbonius enim multum rogatus, id non tam Mediolanensis imperij, quod ei Cacellario & prorege refragantib. quamuis cum grauis tributi impositione promissum fuit, obtinendi cupiditate, quàm quod, ipsius rebus eò redactis, vt à nullo nisi à Cæsare penderet aut pendere posset, eius voluntati morẽ gerere cogebatur, concessit: quo facto ne tam parum opportuno tempore in aula esset, statim Cæsaris iussu Barcinonem versus, vt illic res ad suam in Italiam profectionem necessarias, quæ ob nauium defectum (neq; enim tum plures quã tres triremes in Hispania erant) & pecuniarum penuriam, lentè parabantur, præstolaretur, contendit. Pax xiiij. Februarij die, anno MDxxvi. his legibus est constituta. Inter Cæsarem & Galliæ regẽ perpetua pax, qua ij omnes qui cõmuni consensu nominati fuerint comprehendantur, esto: Galliæ rex decima proximi Martij die, liber in regni sui finibus ad Fontis rabiæ littus constituitor: isq; intra quadraginta duos sequentes dies Cæsari Burgundiæ ducatum, Carolesiæ comitatum, Niuersij principatum, & Cami castellum, eidem adiuncta, Ausomiæ viceconitatũ & sancti Laurentij Resortum, Franci comitatus membra, & omnia eius ducatus ac vicecomitatus iura consueta, quæ in posterum prorsus à Galliæ regno disiuncta, & ab eius supremo imperio exempta sint tradito: eadem hora & momento quo rex dimittetur, eius maximus natu filius (Delphinum illũ vocant) & præter ipsum aut Arelianensium dux, regis secundus natu, aut duodecim Galliæ principes, quos Cæsar nominauit, Cæsari obsides dato: horum autem, nempe aut secundum filium aut duodecim proceres obsides dare, alterutrum eligere in regis matris potestate esto: ijq; tandiu donec ciuitates & oppida sint restituta, & pax cum omnibus suis capitibus à totius Galliæ ordinibus comprobata, iureiurando confirmata, & in omnium eius regni consiliorum codices cum omni necessario solenni ritu (quod ipsi interinata dicunt) fuerit, obsides apud Cæsarem manento: quibus peragendis quatuor mensium tẽpus præfixum esto: quo tempore quum obsides restituentur, Angolismẽsis tertius regis filius quo pax certior diuturniorq; sit apud Cæsarem educandus, Cæsari tradito: Galliæ rex Cæsari omnia regni Neapolitani iura etiam ea quę pontificatum priuilegijs esset adeptus, tradito, ceditoq;: idemq; de Mediolanẽsi imperio, Genua, Asta, Arelate, Tornaco, Lilla, & Douaio facito: Edinũ item oppidum cum arce vt Artesiæ comitatus membrum, cum omni tormentario apparatu, tormentis & supellectile quæ cum postremo caperetur, in ea erant restituito: Flãdriæ & Artesiæ, omniumq; aliorum locorum quæ Cæsar possideret, supremi imperij iuri cedito: & vicissim Cæsar omniũ eorũ quæ Galli possiderent præsertim verò Peronæ, Mondiuerię, Roiæ, Bononiæq; & Pictauij comitatuum, omniumq; locorũ trans & citra Somã amnẽ iuri cedito: perpetua societas & fœdus ad vtriusq; regnorum defensionẽ inter eos esto: & alter alterum vbi opus fuerit quingentis cataphractis & decẽ peditũ millib. iuuato: Cæsar Eleonoram sororem suam regi in matrimonium despõdeto; rex aũt vbi facultas à pontifice impetrata fuerit, sponsalia verbis in præsens obligantib. facito: eaq; in Galliam eodem tempore quo his legib. obsides liberandi erunt, ad matrimoniũ perficiendum ducito: duo millia auri pondo cum decentibus muneribus, eius dos sunto: cuius pecuniæ dimidia pars intra menses sedecim, reliquum intra annũ Cæsar soluito: inter Delphinum, & Lusitaniæ regis filiam ex Eleonora natam, vbi ad pubertatem peruenerint, matrimonium esto: Gallię rex, vt antiquus Nauarræ rex, Cęsari eius regni iuri cedat

omnem operam dato:ni faxit,regi nulla eũ re iuuare fas esto:Gheldrensiũ dux,& Zulsij comes,& præcipuæ illorum ciuitates, cum idoneis cautionibus post illorum obitũ Cæsari dederentur,promittunto: rex Virtembergensium ducem & Robertum Marcianum nulla re iuuato: idem rex Cæsari quum in Italiam proficisci volet, & duos menses postquam ab eo id petitum fuerit,duodecim triremes,quatuor onerarias naues,totidem lõgas magnas, quas Galeones vocant, omnibus rebus,exceptis militibus,instructas,quę ab eo die quo è portu soluent intra menses tres restituantur,tradito:pro terrestribus copijs quas Cæsari in Italiam ducẽdas obtulit,duo millia auri põdo,mille intra sexdecim menses,& deinde mille intra annum ei dato : eo tempore quo obsides dimittẽdi erunt, rex Cæsari ab Argentarijs chirographa in sex peditum millia ad semestre stipẽdium vbi Cæsar in Italiã venerit exigenda,dato;eumq; proprijs sumptib.quingentis cataphractis & certo tormentorum numero iuuato:ne Cæsar ob pensiones quas Galliæ rex Angliæ regi debebat,cuius summa cõtinebat quinq; M.auri pondo,ei à Cæsare promissum vllum detrimentũ patiatur,curato,aut eam pecuniam Cæsari numerato:vterq; pontificẽ, vt quã citissimè fieri possit vniuersale concilium,quo de Christianorum pace,& expeditione in Turcas,& hæreticos agatur,indicat; & omnib.per tres annos pecuniæ ad sacrũ bellũ exigendæ facultatẽ (Cruciatã vocant)cõcedat,rogato:Rex item intra quadraginta duos dies Borbonio sua regna & bona,quę moueri loco non possunt,quæue possũt, cũ retentis fructib.integrè restituito:neq; eum ob præterita, molestia afficere , aut vt in Galliæ regno degat,eatue,cogere ei fas esto : eidemq; iure de Prouinciæ comitatu disceptandi potestatem facito: omnes quicunq; illũ sequuti sunt,& nominatim episcopũ Autunensem atq; Sanualeriũ in pristinũ statũ restituito:qui vtrinq; bello capti sunt intra quindecim dies liberantor:& Margaritę omnia quæ ante bellũ possidebat restituuntor: Aurantius princeps dimittitor,eiq; principatus suus cum omnibus ijs quæ eo tempore quo pater obijt possidebat,quibus propterea quòd Cæsaris partes esset sequutus spoliatus fuerat , restituuntor:idem & de nonnullis alijs nobilium primorib.intelligitor:Salutiarũ marchioni regnum suum restituitor:rex vbi ad primũ regni sui locũ peruenerit, has leges confirmato;& vt à Delphino vbi quartum decimũ annum attigerit cõfirmentur,efficito.Multi de cõmuni consensu nominati fuerunt,& inter hos Heluetij ; sed nullus ex Italiæ principibus præter pontificem, quẽ huius concordiæ conseruatorẽ,magis honoris caussa,q̃ vt vim haberet,appellarunt. His accessit fides à rege, se nisi quãcunq; tandem ob caussam promissa præstaret sponte in custodiã rediturũ.Hæc cõpositio omnium Christianorũ animos in maximã admirationẽ erexit:nam vbi primũ omnium,quæ agenda erant,regis liberationẽ fore,auditũ est,illũ vbi sui iuris esset,Burgundiã,propterea q̃ ea nimis magni ad Galliæ regnum momenti esset, minimè traditurũ, oẽs censuerunt: & ijs paucis qui id Cæsari suaserantexceptis,reliquorum omniũ Cæsaris familiarium eadem fuit sententia: præsertim verò Cancellarius id reprehendebat & detestabatur,idq; tanta cum vehementia,vt quamuis pactiõis tabulas ex officio subscriberet ei mandatum esset,id tamẽ recusauit quòd diceret,sibi tributa autoritate in periculosis perniciosisq; rebus, cuiusmodi hæc esset, minimè vti licere: neq; ab hac sententia unq̃ vel Cæsare non parũ indignante,remoueri potuit:sed Cæsar eius pertinacia perspecta, sua manu subscripsit ipsemet; & paucis diebus pòst vt affinitatem cũ rege stabiliret, familiarib.domesticisq; colloquijs amicitiæ ac beneuolentiæ fundamenta iaceret, Madriliũ se contulit. Magna fuerunt inter illos amoris signa;sæpe in publicis locis simul fuerunt:sæpe etiã soli occulta & longa colloquia habuerunt: eadem rheda simul ad castellum quoddã dimidij diei itinere in quo erat regina Eleonora vecti,cũ qua sponsalia cõtraxit.Nec tñ in tot pacis & amicitiæ significationib. de custodiæ diligentia quicq̃ est remissũ,maiorue libertas cõcessa:sed simul vt sororis maritus beneuolè tractatus,& vt captiuus custodiebatur:ita vt facilè animaduerteres & hanc esse discordiarũ plenã cõcordiã,affinitatẽ sine beneuolentia;& quauis occasione,veteres inter ipsos æmulationis cupiditatesq; maiorẽ q̃ earum rerũ quæ vi magis extortæ, q̃ alia de caussa factæ erant,vim habituras.Cum aũt plures dies in hunc modum essent transacti,& iam reginæ matris approbatio,cũ declaratione qua significabatur vnà cũ Delphino filio potius secundũ,quã duodecim proceres datum iri,esset allata,rex vt ad fines in quibus ipsius cũ paruis liberis

ris permutatio facienda erat veniret Madrilio est profectus, eumq; prorex ipsius liberã di autor, cui Cæsar Astam, aliosq; in Flandria & regno neapolitano principatus dono dederat, est comitatus. Quo tempore Cæsar speciosam epistolã ad pontificem scripsit, qua se pacis & communis Christianæ reip. cõmodi studio, tot iniurijs odijsq; obliteratis, Galliæ regi libertatem restituisse, eiq; sororem suam cõnubio iunxisse; & ipsum cui semper obsequentissimus filius esse vellet, pacis conseruatorem constituisse ei significauit: & intra paucos dies aliam item epistolam sua manu scripsit, quã per eundem Erreram qui literas pontificis manu ad eum scriptas attulerat misit; qua ei partim lenib. partim aliqua acerbitate mixtis verbis respondebat, se Francisco Sfortiæ, nisi eius delicti cuius accusabatur conscius esset, imperium restituturum; id autem à iudicib. à se vtpote ipsius domino delegatis dijudicanda esse; si verò de delicto constaret, se illud imperium Borbonio, cui ut id promitteret ipsemet, quum eum sibi eo tempore quo Franciscus Sfortia ægrotabat proposuisset in causa fuerat, & vt ipsi satisfaceret, atq; Italiã metu liberaret, se id neque retinere, neq; fratri tradere voluisse; ac iureiurando hanc esse mentem suam confirmabat: quã vt comprobaret vehementer rogabat; eiq; autoritatem ac vires suas, vt sacrosanctæ sedis obsequentem filium deceret, in perpetuum offerebat. Tulit quoque idem Errera responsum ad caput à pontifice in Franciscí Sfortiæ gratiam auctum, quod Cæsar in priore sententia sua perseuerans approbare noluerat, imò per eum pacis formam, quam extremam admissurus esset ad Suessanum ducem, cum transigendi, si à pontifice comprobaretur, potestate misit: cuius ea fuit sententia, vt Franciscus Sfortia nisi Cæsaream maiestatem læsisset, huic fœderi includeretur; quod si is moreretur aut priuaretur, Borbonius Mediolanensi imperio à Cæsare accepto ei in fœdere succederet: Pactio à prorege de ciuitatib. quas Ferrarienſiũ dux possidebat restituendis cõtracta, Cæsaris autoritate sanciebatur; sed ea lege, vt pontifex ei Ferrarienſis imperij diploma cõcederet, & pactionis violatæ mulctam remitteret: quod pontificis, qui mille auri pondo, quæ Cæsari promiserat, exigere à Ferrarienſi cogitabat, menti aduersabatur: vt Mediolanenses salem ex pontificis imperio acciperẽt nõ permittebat: neq; in regni neapolitani sacerdotiorum collationib. diplomatũ leges sequi, sed superiorũ regũ, qui multis in rebus pontificatus iura autoritatemq; cõtempserant, cõsuetudinem assentiebatur; & quoniam cũ legato, vt quo exercitus toti Italiæ grauis ex Insubria amouerẽtur, pontifex & ipse tanquam neapolitanus rex & ceteræ Italiæ potestates mille & quingentas auri libras penderent, isq; aut Neapolim aut extra Italiam quocunq; Cæsari, qui se eum in Mauritaniam mittere velle aiebat, visum esset, duceretur, agitatum fuerat; vt si maior summa exercitui deberetur, essent, duo millia auri pondo adiectum fuit. Suessanus igitur dux & Errera horum capitum exemplum pontifici, in illis ne syllabã quidem immutandi se potestatem habere attestantes obtulerunt; & nihilominus reliqua omnia, modò de Mediolanensi imperio ita constitutum fuisset, vt pontifex & ceteri nullã suspicionis causſam haberent, facilè fuissent composita. Sed cogitabatur Borbonium tam acerbum Galliæ regis hostem esse, vt aut securitatis suæ gratia, aut in Galliam redeundi cupiditate, semper Cæsari deditissimũ futurũ; neq; vnquã nimiã Cæsaris potentiã ei molestam fore sperari posse: & exercitus ab Insubriæ finibus amouendi, tantopere ab omnibus exoptatam conditionem, cuius gratia quãuis pecuniæ summam soluere graue nõ fuisset, cũ Mediolani eiusmodi dux esset futurus, qui vel ad minimũ Cæsaris nutũ eum non modò admisisset, sed etiam fortasse propria causſa exoptasset, inuitasset q;, nullius momenti fore animaduertebatur: ideò pontifex, qui, quoniã in Cæsaris cum Galliæ rege pace nulla sui, quæ alicuius ponderis esset, aut Italiæ status securitatis mentio facta fuerat, in priore sententia, Cæsaris potentiam sibi seruitutis iugum fore confirmabatur; fœdus eo modo quo proponebatur non contrahere, sed sibi tandiu donec quid Galliæ rex esset facturus exploratum haberet, integram facultatem conseruare statuit: qua in sententia maiore etiam animo perstitit, quia præter id quod verisimile videbatur, ex verbis à rege antequã dimitteretur, & alijs quibus eius consilia nota erant dictis, regem ab ijs quæ Cæsari promisisset seruandis, alieniſſimũ esse ad aures ipsius peruenit. Vt aũt regem in hac sententia, vtpote ex qua propria salus penderet, cõfirmaret, Paulum victorium Florentinum, triremium suarum præfectum summa celeritate in Galliã cõtendere

iussit; vt eodem tempore quo rex eò perueniret, ipse ibi iam esset: hac verò celeritate non modò ut quàm citissimè eius mẽtem exploratam haberet, verũ etiam vt rex statim fœderis contra Cæsarem, cum pontifice & Venetis cõtrahendi spe accepta, promptius deliberandi caussam haberet, vtebatur. Itaq; Paulo vt pontificis nomine libertatem recuperatam ei gratularetur, ea quæ ipse vt liberaretur egerat, & quàm fœdus cum ipsius matre agitatum Cæsaris animum ad id flexisset significaret; deinde pontificem communis inter Christianos pacis, & vt Cæsar & ipse cõiunctis viribus bellum contra Turcas, quos vt eodem anno Pannoniam oppugnarent maximos apparatus facere audiebatur, gererent, cupidissimum esse ostenderet, mandatum fuit. Sed hæc fuerunt publica & ad speciem mandata, vera autem & occulta fuerunt, vt regis prius mente artificiosè explorata, si eum ad pacta seruanda paratum inueniret, ne frustra magis etiam Cæsarem à se alienaret, vlterius non progrederetur: si verò eum in aliam sententiam propendere, aut ancipitem esse inueniret, illum in sententia confirmare niteretur; & omni occasione ad hoc impelleret, ac pontificis communis commodi gratia societatis cum ipso cõtrahendæ desiderium ostenderet. In Angliam quoque Protonotarium Gambaram, vtidẽ cum eo ageret, ire iussit: & Veneti ipsius cõsilio Andream Rossium Senarus scribam cũ ijsdem mandatis in Galliam miserunt: & quia Paulus vbi Florentiam peruenit in morbum incidit, & obijt, pontifex etsi ex eo quòd iam bis ministri à se hanc ob caussam in Galliam delegati in itinere interijssent, siniſtrum omen caperet, Capinum Mantuanum eius loco misit. Interea verò ipse & Veneti omnem operam, vt quã maximè possent Mediolanensium ducem consolarentur, ac spe fouerent, ne Madrilij contractæ pacis metu in aliquam cum Cæsare compositionem præceps rueret, ponere nõ desinebant. Per eos dies Galliæ rex Fonterabiam Cæsaris vrbem ad Oceanum, in Cantabriæ & Aquitaniæ finibus positam peruenerat; & ab altera parte mater cum duobus liberis, Baionam quæ paucis milliaribus Fonterabia distat venerat: quæ aliquot dies vltra præscriptum tempus, quòd in itinere podagra fuerat grauata hæserat. Decimaoctaua igitur Martij die rex, prorege & Alarcone, ac circiter quinquaginta equitibus ipsum comitantib. ad eius fluminis, qui Galliam ab Hispania diuidit ripam venit: eodem tempore Lautrechius cũ duobus paruulis, & pari equitum numero in oppositа ripa constitit: in amnis medio erat magna nauis ancoris firmata, in qua nemo erat: ad hanc nauem rex schapha in qua Lanoius, Alarconius & octo alij omnes breuib. armis armati erant, accessit: & ad alterũ nauis latus scapha itidem Lautrechius cum obsidibus & octo alijs eodem modo armatis se contulit: deinde Lanoius cum omnibus suis & rege vnà eam nauim conscendit: idem illico Lautrechius cum octo socijs, ita vt in naui par vtrinq; numerus esset, fecit: erant enim cum Lanoio Alarco & octo alij, cum rege Lautrechius & item octo alij: qui vbi omnes nauim conscendissent, Lautrechius Delphinum ex scapha in nauim transtulit: qui Lanoio, ab hoc Alarconio traditus, illico in ipsorum scapham imponitur, eodẽque momento paruus Aurelianus in nauim transferebatur: qui vix in naui fuit, cum rex è naui in suam scaphã prosilijt; idq; tanta celeritate, vt ea permutatio puncto tẽporis facta fuerit: atq; ad ripã vectus statim quasi insidias aliquas pertimescerent, Thraciũ equũ miræ pernicitatis ad hoc paratum conscendit; & nusquam subsistens, ad sanctum Ioannem Lusium vsq; imperij sui oppidum quatuor gallicis milliaribus inde remotum peruolauit; ibiq; citissimè refectis viribus, eadem celeritate Baionam contendit: vbi incredibili totius aulæ lætitia fuit acceptus: vnde statim hominem suum summa celeritate ad Angliæ regem misit; eiq; literis sua manu scriptis, libertatem à se recuperatam significauit; & humanissimis verbis se eam prorsus ijs quæ ipse egisset acceptam referre ostendit; seq; idem cum ipso futurum, omnibusq; in rebus ipsius consilio vsurum pollicebatur: & paulo post alios legatos qui pacem à matre cum ipso initam, quòd eius regis amicitiam maximi faceret solemni ritu confirmarent, misit.

DECIMISEXTI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DECIMVS SEPTIMVS.

Galliæ regis cum pontificis ac Venetorum legatis de Cæsaris crudelitate querelæ: Cæsarianorum in Insubria & Mediolani in suos hospites iniuriæ: Mediolanensium tumultus contra Cæsarianos: Pontificis ac Venetorum cum Galliæ rege fœdus: alij Mediolanensium contra Cæsarianos milites tumultus: Laudæ à fœderatis occupatio: auxilium quod Cæsariani à Borbonio Mediolani acceperunt: fœderatorum à Mediolanensi obsidione regressus: Pontificis contra Senenses bellum: Modoetia à fœderatis capta: Cæsariani Mediolanensi arce pactione potiuntur: Pontificij exercitus qui Senas obsidebat clades: Cremona à fœderatis obsidetur: Genua mari à fœderatorum classe obsidetur: Pontremulum à Fisco capitur: idem ab eodem amittitur: Orbatellum à Pontifice expugnatur: Pannoniæ rex à Turcis funditur: Roma diripitur: Multa Columniorum oppida capiuntur ac vastantur: Ioannes Medices in Mantuano agro moritur: Sociorum classis cum Cæsariana supra Codimontem leuis concursus: inter pontificem & Columnios bella: Ferrariensium ducis cum Cæsare fœdus.

GALLIAE regis liberatio, etsi ad compositionis autoritatem, iurisiurandi & fidei mutuo datæ religionem, & nouæ affinitatis vinculum, duorum liberorum, & in his natu maximi ad tanti regni successionem destinati pignus esset adiunctum, Christianos principes in maximam expectationem erexit: & cunctorum mortalium oculos, qui antea Cæsarem solum intuebantur, propterea quòd ex eius compositionis Madrilij factæ seruandæ vel non seruandæ sententia, exitus maximè diuersi nec minus graues penderent, in eum conuertit. Si enim eam seruaret, Italia per se ad sui propugnationem imbecillis, procul dubio in seruitutem ruere, & Cæsaris autoritas atque potentia mirum in modum augeri cernebatur: sin promissis non staret, Cæsar aut eam ob caussam Mediolanensium ducis in se conspirationis memoria obliterata, ne pontifex ac Veneti fœderis cum rege feriendi caussam haberent, sicque tot præmiorum quæ ex victoria sperauerat iacturam faceret, id imperium ei restituere; aut si odium in Mediolanensium ducem conceptum, & Gallorum impedimenta Italia amouendi desiderium maiorem apud ipsum vim obtineret, Burgundiæ restituendæ obligatione, in pecuniariam mulctam conuersa, pacem cum rege firmare: aut denique si neutri cedere vellet, bellum à tot hostibus etiam ipsius met ferè confessione, quum eius vitandi gratia Galliæ regem tanto periculo dimisisset, difficillimum sustinere cogebatur. Sed non diu de regis mente in quam partem inclinaret est dubitatum: nam quum statim vbi Baionam peruenit, vt quemadmodum se quamprimùm liberum in locum venisset facturum promiserat compositionem confirmaret, quidam neapolitani proregis minister ab eo petijsset, rem varijs excusationibus quotidie protrahebat: & vt Cæsaris spem foueret, proprium hominem qui se compositionem ideo non confirmasse, quod priusquam ad id deueniret, suorum qui eas obligationes quibus Galliæ regnum minueretur molestè ferrent, animos mitigare necesse esset: sed tamen omnibus difficultatibus amotis omnino fidem seruaturum ei significaret ad eum misit. Ex quo quum quid in animo haberet satis perspiceretur, intra paucos dies homines à ponti-

fice & Venetis missi ad eum venerunt; quibus haud magna vt eius animum explorarent adhibenda fuit diligentia: quum enim benignè illos accepisset, primis colloquijs quæ pòst cum utroque seorsim habuit, de Cæsaris qua in se quum eius esset captiuus vsus erat inhumanitate; quòd se non vt principem qualis ipse erat, neque eo animo, quo princeps qui alterius principis calamitatis commiseratione moueretur, aut id quod alteri accidisset, sibi quoque accidere posse cogitaret tractasset, grauiter est questus. Eduardi Angliæ regis, eius qui Gambillio cognomento est dictus, exemplum afferebat, ad quem quum ductus esset Ioannes Galliæ rex in pugna apud Pictones commissa, à Caleti principe ipsius filio captus, ab eo non modò benignè acceptus, verùm etiam quandiu in Insula captiuus fuit, in libera custodia habitus, ad familiares congressus, & venationes conuiuiaque sua admittebatur: nec tamen ideo captiuum amisisset, aut minus sibi vtilibus legibus cum eo composuisset; ex quo tantam inter eos familiaritatem fiduciamque ortam esse aiebat, vt Ioannes etiam postquam libertati esset restitutus, multosque annos pòst in Gallia mansisset, sponte hospitis sui videndi desiderio in Angliam rediret: duorum modò Galliæ regum qui in prœlio capti fuerint memoriam extare, Ioannis videlicet & sui: sed non minus insignem esse exemplorum diuersitatem: alterum enim ad victoris benignitatis, alterum ad acerbitatis exemplum proferri posse: nec se in illo animum erga alios magis placatum mitemúe inuenisse, imò ex colloquijs Madrilij cum eo habitis, illum summa ambitione occupatum, nihil aliud nisi de sacro sanctæ sedis imperio, Italia, & ceteris principibus omnibus in seruitutem redigendis cogitare certò cognouisse: ideo cupere vt pontifex & Veneti animum ad propriæ salutis cogitationem conuerterent: quod si facerent, quàm ad communem salutem concurrendi, & fœderis cum ipsis ad arma contra Cæsarem, non vt sibi Mediolanense imperium adijceret, potentiamúe suam augeret, sed solùm vt postquam nimia cupiditas Cæsari non tantum luminis reliquisset, quo se ita obstringeret, vt promissa præstare cogeretur, ipse liberos suos, Italia libertatem bello recuperaret, capienda ineundi cupidus esset, se ostensurum: propterea quòd & primò cum in Picigihtonis arce esset, & pòst in Hispania in Madrilensi arce, sæpius Cæsari ipsius petitionum iniquitate perspecta, se, si necessitate impulsus, legibus aut iniquis aut quas seruare in potestate sua non esset cederet, non modò eas non seruaturum, verùm etiam quòd iniqua, & quæ præstare non posset promissa, à se extorsisset, sibi in eo iniuriam factam ducens, si quando occasio daretur eam vlturum esset attestatus: neque etiam id sæpius reticuisse quod ipsi per se scire poterant, & quod alijs quoque regnis commune esse censebat, nempe minimè in Galliæ regis potestate esse, absque regni communium conuentuum consensu se ad quidquam ex ijs quæ ad regni corpus spectarent alienandum obligare: Christianorum leges, vt is, qui in bello captus esset in perpetuo carcere detineretur non permittere: quòd ea nefariorum hominum pœna, non autem ad eorum qui fortunæ acerbitate afflicti essent supplicium, esset inuenta: quæ vi à captiuis promitterentur, nullam vim habere omnibus notum esse: cumque compositio irrita esset, nec fidem suam quæ ad eam confirmandam accessisset obstrictam esse: Iusiurandum Remis quum reges tanta cum ceremonia & cœlesti oleo consecrantur datum, quo se regni patrimonium non imminuturos spondent antiquius esse: has ob causas se ad Cæsaris insolentiam cohibendam, non minus liberum quàm paratum esse. Idem studium mater, & soror, quæ quòd frustra in Hispania fuisset, de Cæsaris asperitate valde quereba-tur, ostendit: & omnes principes qui arcanis negotijs intererant, si pontificis ac Venetorum mandata adferrentur, statim fœdus perficiendum decernentes: quod vt facilius Angliæ regem in id pertrahere, cuius magnam spem ostendebant, possent, in Gallia tractari bonum esse aiebant. Hæc à Galliæ rege & ipsius hominibus magna cum asseueratione dicebantur, occulta verò eius consilia longè erant diuersa: nam etsi Burgundiam Cæsari non tradere prorsus statuisset, animum tamen à bello contra illum, nisi cogeretur gerendo alienum habebat: sed dum de fœdere cum Italis ineundo ageret, Cæsarem ne in tot difficultates caderet, Burgundiæ restituendæ caput in pecuniarum obligationem conuersurum sperabat: quod si feciisset, nulla Italicarum

rerum

rerum ratio, illum ob filiorum desiderium, à Cæsaris compositione esset remorata. Pontificis autem & Venetorum nuntij tanta ab illo spe accepta, statim responsum acceptum eo tempore quo in Italia, fœderis contra Cæsarem pangendi necessitas & occasiones crescebant significarunt: necessitas quidem, quia Mediolanensium dux, qui initio partim ministrorum suorum culpa, partim ob temporis ad prospiciendum breuitatem, parum commeatus in arcem importarat, neque is ea moderatione qua homines in huiusmodi statu collocati vti solent fuerat distributus; crebrò (semper enim etsi in arce obsideretur scribendi facultatem habuit) se in totum Iunium proximum commeatum non habere; & nisi alia ratione ipsi consuleretur, sese Cæsaris arbitrio committere coactum iri, significabat. Et quamuis (vt obsessis moris est) maiorem angustiam quàm re vera esset proponere crederetur, multis tamen indicijs parum ei commeatus supersesse compertum erat: & vt arx in Cæsaris potestatem perueniret permittere, præterquam quòd eius existimatio augebatur, eius imperij recuperationem longè difficiliorem reddebat. Sed non minus ob populos omnes ad extremam desperationem redactos occasio crescere videbatur. Nam quum Cæsar pecuniam in militum stipendia quibus iam multa debebantur non mitteret, nec vlla eius aliunde explicandæ ratio adesset, duces equitatum omnem in totam prouinciam vt inter se partitis, rationibus exercitum alerent, distribuerant: quapropter dux, centurio, signifer, miles, sibi attributa loca, secum pecunia numerata, componere cogebant: qua quidem in re ita illi modum omnem excedebant, vt tunc constans fama fuerit, à multis qui eius imperij rerum periti erant confirmata, Insubriam quotidie Cæsaris militibus quinquaginta auri libras pensitasse: Antoniusque Leua quotidie sui sumptus nomine tantùm triginta aureos nummos accipere ferebatur. Pedites quoque qui Mediolani & alijs in locis erant, non modò sibi ab hospitibus suis omnia ad victum necessaria suppeditari volebant, verùm etiam cum sæpe multi milites in vnam domum conuenirent, eius dominus omnes alere, & ceteræ domus quæ eis victum non suppeditarent, pecunia, militibus satisfacere cogebantur; ac sæpe vnico militi multa hospitia obtingebant, isque eo excepto apud quem victum habebat, ex ceteris pecuniam extorquebat. Hæc misera tantaque crudelitate vsurpata sors, totius Insubriæ hominum animos in desperationem adegerat, præsertim verò Mediolanensis populi, qui ante Piscarij Mediolanum aduentum, neque militem alere, neque hospitij nomine quicquam contribuere consueuerat: cumque numero & armis (etsi non tam frequens quàm ante pestilentiam) potens esset, tantam insolentiam & acerbissimas exactiones ferre non poterat; quibus vt liberarentur vel saltem aliqua ex parte leuarentur, legatos ad Cæsarem miserant: sed hi sine vllo prorsus leuamento, communibus tantùm verbis à Cæsare acceptis, Mediolanum redierunt. Oportebat etiam Mediolanenses etsi proportione maiorem quàm ceteræ ciuitates militum numerum sustinerent, pecuniam in publicos sumptus, id est, in eos qui ex ducum voluntate ad Cæsaris rerum conseruationem essent faciendi, pendere; in qua exigenda, cum id difficulter fieret, ministri ei muneri præpositi magna acerbitate vtebantur. Quas ob res populo ad extremam desperationem redacto, populariter inter se, vt armis se his exactionibus opponerent; & cuicunque exactores molesti essent, vicinos ad se tuendum vocaret, qui omnes & post illos ceteri qui vocarentur, ad ducum qui in multis vrbis partibus erant constituti imperium, vt se ab exactoribus & militibus his opitulari volentibus, tuerentur, accurrerent, conuenerunt. Quo facto, accidit vt quidam faber, quum exactores ei molesti essent, vicinos ad sui defensionem concitarit: quos cum reliquus populus sequeretur, maximus tumultus est exortus: ad quem sedandum cum Antonius Leua, & Vastij marchio, cum aliquot ex prima inter Mediolanenses nobilitate viris accurrissent, tandem fide à ducibus ipsos publicis vectigalibus contentos, nullis alijs exactionibus populo molestiam allaturos aliosue milites nullos in vrbem introducturos accepta, tumultus est sedatus. Hæc pax haud diutius quàm in sequentem diem vsque permansit: quoniam cum nouos milites vrbi appropinquare esset nuntiatum, populus iterum, sed maiore quàm priori die tumultu, & longè maiori

disciplina atq; concursu arma cepit. Cum autem duces se ad tantum impetum sustinendum impares fore existimarent, cum copijs Mediolano discedere (vt multi aiunt) cogitabant: quod & facturi fuisse creduntur, si modò populus vno animo se contra ipsos & milites progredi velle ostendisset: sed veterem curiam in qua rerum capitalium præfectus cum certo militum numero agebat, ab eo quod postremum esse debebat initium sumentes, imperitè diripere incœperunt: quo errore Cæsariani duces resumptis viribus, vijs suis munitis, & maxima peditum, qui arcem obsidebant parte aduocata, vt populo si in ipsos impressionem facere vellet obsisterent, simul conuenerunt. Hoc obsessis extra arcem erumpendi, & obsidentium munitiones quas in ciuitate fecerant adoriendi occasionem dedit: sed quum sibi à populo auxilium non ferri viderunt, statim pedem retulerunt: populus enim tum quòd in armis minimè esset exercitatus, tum etiam quòd in veteris curiæ præda domos quisque suas ferenda essent occupati, non modò quod debebat non faciebat, verũ potius paulatim dissoluebatur: qua occasione duces nonnullis ex Mediolanensi nobilitate intercedentibus, hunc quoq; tumultum, sed se omnes milites, Germanis peditibus qui arcem obsidebant exceptis, vrbe & Mediolanensi agro educturos fide data sedarunt: sic militarium virorum calliditate, popularium armorum imperitia, & erroribus quibus tumultuosa multitudo quæ prudentibus ac fortibus ducib. caret, facilè obruitur delusis, grauissimum periculum erat vitatum. Sed cum hac compositione, nec coniurationes dissolutæ essent, nec populus arma posuisset, quin potius res quotidie ad maiorem tumultum spectare viderentur, ijs qui Cæsaris res turbare vellent magna occasio dari videbatur; præsertim exiguis Cæsarianorum viribus, alijsque eorum difficultatibus perspectis: veniebat quoque in memoriam, proximis bellis populi Mediolanensis & reliquarum ciuitatum mirum in ipsis iuuandis ardorem, maximum eius imperij propugnaculum fuisse. In hoc statu erant Italiæ res, quum de prompta regis voluntate, promissis, & vt mandata ad se mitti postulantis, nuntij sunt allati: eodemque tempore Angliæ regis apud pontificem legati, vt de Cæsaris potentia moderanda cogitaret, & Galliæ regem ad promissa non præstanda accenderet hortabantur: Quas ob res non modò Veneti qui semper, & longè minori occasione vt arma caperentur suaserant, verùm etiam pontifex, quanquam difficillimè in has se molestias induci pateretur, sibi necessariò consilia sua colligenda, & deliberationem diutius minimè protrahendam censuit. Rationes quæ illum superioribus mensibus ad bellum incitabant non modò eædem, sed etiam grauiores validioresque erant: nam & quo diutius negotia fuerant agitata, eo melius Cæsar pontificis animum à potentia sua alienum esse animaduertere potuerat; & pontifex ob compositionem à Cæsare cum Galliæ rege factam, iustam, se æquas conditiones ab illo impetrare non posse, & illum de tota Italia opprimenda cogitare, suspicionem conceperat, & Mediolanensi arce ad deditionem inclinante periculum quotidie magis præsens erat. Animum eius iniuriæ quæ à Cæsarianis ducibus renouabantur incitabant: illi enim post compositionem Madrilij factam, Italorum peditum legionem in Placentinum & Parmensem agrum, vbi innumera detrimenta adferebant miserant: cumque pontifex quereretur illos propterea quòd stipendia non accepissent, suopte iure eò se recepisse respondebant: commouebant quoque illum res fortasse leuiores, sed vt in suspicionibus & querelis fit in deteriorem partem acceptæ: Cæsar enim in Hispania edicta quædam contra Sacrosanctæ sedis autoritatem promulgarat; quorum vi quum ipsius imperij subiectis, sacerdotiorum quæ in illis regnis essent causas in Romana curia disceptari non liceret, quidam Hispanus scriba, Romanum forum (Rotam illi vocant) eo die qui causis agendis est destinatus ingressus, nonnullis vt à litibus eo in foro persequendis desisterent, Cæsaris nomine denuntiare est ausus. Nec solùm Galliæ regis liberatione is nodus qui omnium animos ancipites detinuerat, ne videlicet Galli regis sui recuperandi gratia à fœdere discederent, solutus videbatur: & regis societas, longè maioris ad expeditionem, quàm matris & regni simul fuisset, momenti esse cernebatur: verùm & aliæ occasiones maiores cernebantur; populi enim Mediolanensis commotio minimè contemnenda videbatur: & ob cõmeatus penuriam qua illud imperium laborabat, Cæsarianos antequam messis maturitate munita loca

commeatu

commeatu instruendi opportunitatem haberent; antequam Mediolanensis arx amitteretur, & antequam Cæsar nouas copias pecuniamúe in Italiam mittere posset, adoriri maioris momenti fore censebatur: illud prẽterea in mentẽ veniebat, Galliæ regem, quẽ ob præteritarum rerum memoriam, non magnã pontifici fidem præstare erat verisimile, nisi eum belli cupiditate ardere videret, compositionem Madriliensem seruaturum, aut denuo confirmaturum: neque dubium videbatur, quin tot terra mariq; viribus, & sumptuum quantumuis grauium diu ferẽdorum facultate coniunctis, Cæsaris, qui à ceteris omnibus esset desertus, & pecunia exhaustus partes longè inferiores in bello essent futuræ. Solus timor ne rex filiorum desiderio socios desereret, quemadmodum rege captiuo de regni administratoribus suspicio fuerat, dubitationem in contrarium adferebat; sed tamen res diuersa censebatur: quum enim cum tantis occasionibus arma contra Cæsarem caperet, tanta illos bello recuperandi spes, tantaq; cum ipsius dignitate fore videbatur, vt ipse priuatæ pacis, quæ non modò cum ipsius ignominia, sed etiam si non præsenti saltem futuro detrimento foret, sermonibus aures accommodandi causam non haberet. Si enim Italiam Cæsaris arbitrio subijci pateretur, id tandem Galliæ regno periculosum esset futurum, ex quo bellum ab illo maximo ardore gerẽdum sequebatur: fœdus enim contra Cæsarem, quo sibi filios compositionis obseruatione recuperandi spem adimeret, inire, & ea quibus se illos magna cum gloria armis consequuturum sperare poterat prætermittere, leuissimum consilium videbatur. Qui sic ratiocinabantur; fortasse potius quid facere debuerit, quàm qualis sit Gallorum natura & prudentia cogitarunt: in quem errorem qui de aliorum mente ac voluntate deliberant & iudicant, sæpe incidunt: imò fortasse non satis, quàm principes suæ naturæ, qua sæpenumero fidei vtilitatem propriæ in vtilitate fidei anteponenda propensionis anteponunt conscij, facilè idem sibi de alijs principibus persuadeant; ideoque Galliæ regem ne pontifex & Veneti, vbi Insubria occupata, Cæsaris potentiæ metu essent liberati, negligentes aut ab ipsius rebus alieni fierent metuentem, bellum vt instrumentum quo Cæsar molestijs ac sumptibus fessus ad filios ipsi noua pactione restituendos facilius induci posset, protrahi, sibi victoria vtilius esse existimaturum non satis expenderunt. Pontifex autem supradictis rationibus motus, & multo magis quod eum pœniteret, Papiensis pugnæ exitum otiosè expectasse, quodque eam ob caussam ab omnibus timoris insimulatus & reprehensus fuisset, omniumq; ministrorũ suorum, totius curiæ, cunctæ Italiæ vocibus, Sacrosanctam sedem & vniuersam Italiam ipsius culpa in periculum redactam, ipsi obijcientibus impulsus: tandem non modò cum Galliæ rege ac ceteris contra Cæsarem fœdus inire, sed id quàm citissimè cùm alias ob caussas, tum verò vt Mediolanensi arci priusquam fame oppressa hostibus dederetur in tempore opem ferre possent, perficere statuit. Quæ res omnium quæ post sequuta sunt malorum caussa fuit. Si enim pontifex, cuius autoritatem in hac caussa Veneti non parum sequebantur, tardior fuisset, num Cæsar promissis à Galliæ rege non seruatis cõmotus, eas leges quas antea si arma capere cogeretur in animo habebat, proponeret, vidisset, & nisi Galliæ regi tantã necessitatem ostendere coactus fuisset, facilè sibi & Venetis vtiliores ab illo conditiones impetrasset; proculdubio autem fœderis capita melius fuissent explicata, maior fidei seruandæ cautio constituta; & denique bellum non prius quàm Heluetij procederent, & omnes necessarij apparatus collecti essent, incœptum fuisset: & fortasse Angliæ rex cum quo ob itineris longitudinem tractandi tempus non fuit, fœderis sese adiunxisset. Sed quum pontifici & Veneto Senatui, ob arcis periculum multum in celeritate positum esse videretur, statim, sed occultissimè, ministris suis fœderis conficiendi potestatem cum eiusmodi mãdatis, vt quo citius res transigeretur, se ad eadem ferè capita quæ antea cum regina matre tractata fuerant, referrent, miserunt. cum autem quotidie noui de obsessorum angustijs nuntij adferrentur, cœpit pontifex cogitare, quum recto Roma ad Gallicam aulam itinere impedito, nuntij longo circuitu per Heluetiorum fines iter facere cogerẽtur, cumq; facilè fieri posset, vt in pactione aliqua difficultas, quæ necessario temporis moram interponeret exoriretur, accidere posset, vt tam serò fœdus conficeretur, vt si apparatus ad opem arci ferendam necessarij non ante fierent, ne nimis seri forent esset verendum:

quamobrem hoc periculo cum Venetis expenſo, Mediolanenſium quoq; ducis procuratoribus,qui & Romæ & Venetijs erant, ac multis ipſius partium ſtudioſis, qui varias conditiones proponebant vrgentibus,tantas copias quòd ad arcem obſidione liberandam idoneæ viderentur,vt ijs ſtatim vbi fœdus confectum ex Gallia acciperent,vterentur comparare,& interea Mediolanenſi populo ſpem facere,ac varias conſpirationes ipſis in eius imperij ciuitatibus propoſitas fouere decreuerunt. Ideo communi conſenſu vt Veneti Vrbinatium ducem cum ſuo equitatu,& ſex Italorum peditum millibus ad imperij ſui fines Abduam verſus, & pontifex Guidum Rangonium cum altera legione Placentiam mitteret,fuit conſtitutum. Et quia magnum Heluetiorum numerum habere neceſſarium videbatur, imò Vrbinatium dux ad victoriam conſequendā duodecim Heluetiorum millia prorſus eſſe neceſſaria Venetis ſignificabat:pontifex autem & Veneti,ne antequam fœdus confectum eſſet certò ſcirent, ſe ita Cæſaris hoſtes declararent,ſuos homines ad eum numerum conſcribendum in Heluetiam mittere nolebant: auditus fuit Ioannes Iacobus Medices Mediolanenſis, qui ex Muſſianæ arcis præfecto, temporum occaſione & loci opportunitate cognita,ſe eius dominum effeceratis ſe ante multos menſes in hunc finem cum multis Heluetijs ducibus familiaritatem contraxiſſe indicans,ſtatim vbi ſex aureorum numûm millia accepiſſet,ſex Heluetiorum millia,non quidem publico ciuitatū decreto,ſed priuatim cōſcripta, quibus vbi in Inſubriā deſcendiſſent,ſtipendia perſoluerentur, adducturum pollicebatur: & vt in expeditionibus quæ ab vna parte faciles exiſtimantur,ab altera temporis anguſtia vrgentur accidere ſolet,non modò cōditio ab hoc homine propoſita,cum præſertim à Mediolanenſiū ducis miniſtris,& Ennio Verulano epiſcopo, cui pontifex in Heluetiorum rebus propterea quod eas pontificatus nomine diu tractaſſet,fidem adhibebat;ideoq; ipſius mandato multos menſes Brixiæ fuerat, & tunc apud Veneti exercitus legatum agebat, vnde ſemper cum multis ex ea gente conſilia agitabat,probaretur,re parū expenſa à pontifice & Venetis fuit arrepta:auditus etiam Venetijs Octauianus Sforcia Laudenſis epiſcopus,qui ſe facilè magnum illorum numerum adducturum pollicebatur: iſq; ſtatim ab illis re cum pontifice non diſcuſſa, in Heluetiam, vt alia ſex millia eodem modo, ijſdemq; ſtipendijs conſcriberet eſt miſſus: ex quibus rebus non ſatis ponderatis,vt infrà dicetur,expeditionis tanta ſpe incœptę perturbandæ magnum initium eſt profectū. Sed dum hæc in Italia parantur, Cæſarq; dilationes interpoſitas fœderis confirmandi ſuſpectas habere inciperet, Neapolitanum proregem qui unà cum obſidibus & regina Eleonora,in Victorię oppido vt eos ad regem ſimulac compoſitionis capitibus ſatis feciſſet reduceret,ſubſtiterat,& cum eo Alarconē ad Galliæ regem,qui Baiona Cunea cum ſe tranſtulerat, vt eius mentem prorſus explorarent miſit: qui etſi à rege maximo honore & beneuolentiæ declaratione,vt Cæſaris miniſter, & vt is cui rex magna ex parte libertatem ſuam acceptam referret, acceptus fuerit, eum prorſus à Burgundia reſtituenda alienum reperit:afferebat enim ſe nūquam regni conſenſum impetraturum,nec ſe id ſponte promiſſurum fuiſſe, quod Galliæ regno tanto detrimento eſſet, vt ipſe id præſtare nullo modo poſſet,ſed quum in cœpta cum Cæſare amicitia quantum poſſet perſeuerare,& affinitatē contrahere cuperet, reliquis omnib.de quibus inter ipſos conuenerat ſeruatis,Cæſari pro Burgundia viginti millia auri pondo daturum:ſeq; nulla alia de cauſſa ad compoſitionem Madrilij factam hac moderatione confirmandam, niſi magno Cæſaris amicitiæ conſeruandæ ſtudio impelli: neq; enim ſibi pontificis,Angliæ regis,& Venetorum, quibus ad bellum renouandum incitaretur ſtimulos & promiſſa deeſſe oſtendebat. Quod reſponſum poſtremamq; ipſius ſententiam & prorex Cæſari ſignificauit, & rex ex ſuis ab epiſtolis miniſtris unū qui idem illi indicaret ad eum miſit. Ex quo factum eſt,vt quamuis pontificis ac Venetorum,prius tantopere exoptatæ literæ & mandata eodem tempore eſſent allata, rex magis pacis cum Cæſare cupidus, reſponſum ad hanc nouam conditionem, cuius prorex ſpem fecerat, expectare ſtatuerit; & fœderis negotium apertè differre cœperit;nec tamen, quia id occultari non poterat, prorſus ſe nouam cum Cæſare compoſitionem tractare, quā cum à prorege propoſita fuiſſet audire, nihil obeſſe poſſet, diſſimulabat: & quamuis aliud in animo haberet, ſe nunquam niſi cum liberorum ſuorum reſtitutioni, Mediolanenſis imperij liberatio,

&

& totius Italiæ securitas esset coniuncta, conuenturum certò asserebat. Quæ res ad pō tificis animum auertendum idonea fuisset, nisi ob suspicionem quam in animo fixam habebat, in Galliæ regis fœdere vnicam rerum suarum salutem positam esse censuisset. Sed mirum est quàm Cæsaris animus, proregis nuntio accepto, & Galliæ regis ministri mandato audito fuerit perturbatus. Burgundiæ enim quam gloriæ suæ augendæ causa, & ob eius prouinciæ ad res maiores gerendas opportunitatem summopere cupiebat, recuperandæ spē deijci ei molestissimum erat. Galliæ regem à promissis & fide recedentē, cunctis mortalibus quā parui ipsum faceret palam ostendere vehementer indignabatur: eiusq; animum haud mediocriter cruciabat, quòd contra ferè omniū suorum consilium, contra totius aulæ commune iudicium, contra id quod ipsi pōst compositionem cognitam ex Flandria Margarita patris ipsius soror, & omnes ipsius in Italia ministri prædixerant, rerū momenta & conditionem malè dimensus, fidem sibi à Galliæ rege seruatum iri credidisset. Quibus in cogitationibus, quid dignitatis suæ ratio postularet, & quibus in periculis difficultatibusq; res suæ quouis casu essent futuræ diligenter ad calculos reuocans, caput quo de Burgundiæ restitutione agebatur non immutare statuit: sed potius cum pontifice pacem inire, Franciſci Sfortiæ restitutioni annuere, quòd magis ex dignitate sua esse censeret minori principi ignoscere, quàm potentis principis, & potentiæ suæ æmuli, voluntati cedentem, timorem propemodum cō fiteri; potiusque grauissimum cum omnibus bellum sustinere, quàm iniuriam à Galliæ rege acceptam condonare: metuebat enim ne pontifex amicitiam suam contemptam fuisse cernens, animo prorsus à se esset alienus: hanc verò suspicionem augebat, quòd illum præter hominem in Galliam ad gratulandum missum, legatum quoque publicè eódem mittere audiebat; & multo magis quòd paulò antè, pontificij imperij maritimæ orę à Mauris propugnandæ specie, Andream Auriam cum octo triremibus & triginta quinque aureorum numūm millibus in singulos annos stipendio conduxerat: quæ res tum propter hominis dignitatem, tum quia pontifex nunquam antea de potentia maritima cogitarat, tum quòd is plures annos in Galliæ regis stipendio fuisset, ne id Genuę res turbandi consilio fieret, ei suspicionem adferebat. Itaque se in omnem euentum comparans, multa eodem tempore procurauit: Borbonij in Italiam profectionem, quæ antea lentè parabatur accelerauit: vt septem suæ triremes quæ in Monœci portu erant, ex Italia quo ceteris adiungerentur Barcinonem venirent mandauit: & quia eius profectio sine pecunia irrita fuisset, vt centum aureorum numūm millia secum in Italiam ferret operam dedit. Vgonem Moncadam legatum ad pontificem cum eiusmodi mandatis (vt palā aiebat) quibus ei satis fieret, destinauit: id autem in hunc modum, vt prius ad Gallię regē vaderet, à prorege, num qua spes esset regem promissa facturum certior factus, aut vlterius non progrederetur, aut si progrediendum censeret, mandata pro rerum statu & necessitate variaret. Sed omnibus pontificis salutaribus consilijs Mediolanensis arcis iam propè commeatu exhaustæ deditionis periculum; ne inter Galliæ regem & Cæsarem aliqua ratione amicitia sanciretur metus: quid Vgonis Moncadę aduentus pariturus esset, dubitatio obstabat: in quo, quòd prius Galliam peteret suspectum erat; nec minus etiamsi in Italiam veniret, suspectæ erant illorum simulationes & artes. Quare cum is vnà cum Venetis vt fœdus contraheretur vrgeret, rex tandem, quum ex Vgonis aduentu Cæsarem à compositionis capitibus immutandis alienum esse animaduertisset, ne longior in fœdere contrahendo mora pontificem ad nouum consilium capiendum impelleret veritus, & res suas hoc fœdere apud Cæsarem plus ponderis habituras, ac metum eius animum aliqua ex parte flexurum ratus, ad idem quoque ab Angliæ rege qui magis cohortationibus quàm factis huic negotio fauebat incitatus, fœdus contraxit. Quod XVII Maij die anno MDXXVI Cuneaci inter regios procuratores, homines ex ipsius senatu ab vna parte, & pontificis ac Venetorum ministros ab altera, in hanc sententiam est ictum: Inter pontificem, Galliæ regem, Venetos & Mediolanensium ducem, quem id ratum habiturum pontifex & Veneti spoponderunt, perpetua societas fœdusq;, vt Mediolanense imperium Franciſco Sfortiæ liberum relinquatur, & regis filij patri restituantur, esto: Cæsari fœdus initum denunciator; eique intra tres menses huic se adiungendi facultas esto: si se adiungere volue-

rit, regi filios æqua mulcta quàm Angliæ rex dixerit accepta reſtituito: & item Mediolanenſe imperium ſine exceptione Franciſco Sfortiæ, & ceteros Italiæ ſtatus, ita vt ante poſtremum bellum erant relinquito: Pontifex ſtatim vt Franciſcus Sfortia in Mediolanenſi arce obſeſſus obſidione liberetur, eiq; imperium reſtituatur, octingentis grauis ſeptingentis leuis armaturæ equitibus & octo peditum millibus, Veneti octingentis cataphractis mille leuis armaturæ equitibus, & item octo peditum millibus bellum mouento: hisque ipſe Mediolanenſium dux quamprimum poterit, quadringentos grauis trecentos leuis armaturæ equites, & quatuor peditum millia adiungito: interea verò pontifex ac Veneti, quatuor peditum millia eius nomine ſuppeditanto: Galliæ rex ſtatim quingentos cataphractos in Italiam mittito: & vigente bello ſingulis menſibus pontifici ac Venetis quadraginta aureorum numûm millia, quibus Heluetij pedites conducantur, ſoluito. Ipſe ſine mora trans alpes in qua parte magis opportunum viſum fuerit, ad minimum duobus cataphractorum & decem peditum millibus, & ſatis magna tormentorum copia Cæſari bellum inferto: duodecim triremes rex, & Veneti tredecim proprijs ſumptibus armanto: his pontifex eas cum quibus Andream Auriam conduxit adiungito: nauium ad eam claſſem neceſſariarum ſumptus communis eſto: hæc claſſis ad Genuam oppugnandam mittitor: deinde Cæſariano exercitu in Inſubria victo aut debilitato, regnum neapolitanum terra mariq; oppugnanto: idque ſi vincatur pontifex cui viſum fuerit tradito: quamuis peculiari capite, vt pontifex id ſine ſociorum conſenſu facere non poſſet conſtitutum fuerit: veteribus tamen cenſibus quos ſacra ſedes percipere ſolebat, & principatu è quo quatuor aureorum numûm millia quotannis percipiantur, cui volet attribuendo relicto. Vt autem Galliæ rex victoriam quæ in Italia obtineretur, & regni neapolitani occupationem, ſibi ad filios facilius recuperãdos profuturam certò ſciat, ſi Cæſar intra quatuor menſes poſtquam illud regnum amiſiſſet, fœderi ijs legibus quæ ſuprà ſunt expreſſæ, ſeſe adiungere voluerit, regnum ipſi reſtituitor: ſi verò eam conditionem non accipiat, Galliæ rex ex regno neapolitano annuum cenſum in perpetuum habeto: Galliæ regi nullo tempore, nullaúe de cauſſa Franciſcum Sfortiam in Mediolanenſi imperio moleſtia afficere fas eſto; imo vnà cum alijs ad eius defenſionem contra quemuis tenetor: atque vt inter ipſum atque Heluetios nouum fœdus fiat, pro ſua virili operam dato: ab illo autem annuum cenſum eius ſummæ quam pontifex & Veneti (quibus tamen non minus quingentis auri libris pronunciare liceat) cenſuerint, accipito: Franciſcus Sfortia coniugem Gallam illuſtri genere natam ex regis arbitrio ducito; & Maximiliano fratri annuæ penſionis quàm à rege accipiebat loco, decenter victum ſuppeditato: Regi Aſtæ comitatus reſtituitor: et ſi Genua capiatur, rex eam autoritatem quam antea ſolebat, in ea obtineto: Si Antoniottus Adurnius, qui tunc eius ciuitatis dux erat, cum ſocijs conuenire velit, ea lege vt Galliæ regem tanquam ſupremum dominum, quemadmodum ante paucos annos fecerat Octauianus Fregoſius agnoſcat, admittitor: omnes ſocij à Cæſare vt regi filios reſtituat petunto: id ni fecerit, fœderatos nihil vt id conſequantur prætermiſſuros, ei omnium nomine ſignificator: Italiæ verò bello confecto, aut ſaltem regno neapolitano capto, ac Cæſariano exercitu ita fracto, vt amplius timendus non ſit, Galliæ regem trãs alpes contra Cæſarem mille grauis, mille & quingentis leuis armaturæ equitibus, & decem peditum millibus, aut pro ijs pecunia ad regis arbitrium iuuanto. Nulli ſociorum abſque aliorum conſenſu cum Cæſare paciſci fas eſto: Cæſari ſi ſe fœderi adiunxerit, cum eiuſmodi militum numero qui minimè ſit formidandus à pontifice ac Venetis conſtituendo Romam ad Cæſaream coronam capiendam eundi poteſtas conceditor: etiamſi aliquis ſociorum moriatur fœdus tamen integrum permaneto: huius fœderis Angliæ rex patronus & conſeruator cum ſe ei adiungendi facultate eſto: cui ſi ſe adiunxerit, ſtatus in regno neapolitano cuius fructus trecenta quinquaginta auri pondo eſtimentur, & item Eboracenſi cardinali alius aut in eodem regno, aut in alia Italiæ parte è quo centum auri annuis libris percipiat, danto. Pontifex hoc fœdere Ferrarienſium ducem quamuis à Galliæ rege & Venetis exoptatum comprehendi noluit; imò quamuis communibus verbis, vt ſocios ſibi ad eas ciuitates de quibus cum pontificatu lis eſſet recuperandas opem ferre debere, fœderis capitibus exprimeretur impetrauit.

De

De Florentinis quin re ipsa fœdere comprehenderentur, quũ pontifex non modò illorum equitatu & omnibus viribus vti, verùm etiam vt secum seu potius vt communes essent sumptus, maximam sumptuum partem sustinerent, in animo haberet, dubium non erat: sed ne eius gentis commercia quæ in locis Cæsari subiectis habebant turbaret, neúe mercatores in periculum vocaret, vt socij nominati non fuerunt; sed tantùm vt in pontificis gratiam, omnibus fœderis immunitatibus, priuilegijs & commodis perinde ac si in fœdere essent, pontifice pro illis ipsos nulla ratione fœderi aduersos futuros promittente, fruerentur expressum. Qui verò vnus tanto bello administrando præficeretur, qui & autoritate & rei militaris scientia, & fide præstaret, tum quòd difficile esset aliquem inuenire in quo hæc essent omnia, tum quòd temporis exiguitas minimè, vt de eo disputaretur, patiebatur, nihil tum constitutum fuit. Fœdere confecto, rex qui animum ab ijs quæ cum prorege tractabantur, nondum prorsus remouerat, fœderis sanctionem, equites, & pecuniam in primum mensem promissam mouere distulit, donec pontificis & Venetorum confirmatio adferretur: quæ mora, etsi mentem illorum turbarit, nihilominus eadem necessitate illos progredi cogente, fœdere sancito, statim Mediolanensis arcis obsidione liberandæ nomine belli initium facere decreuerunt. Quamobrem pontifex qui antea Guidum Rangonium ecclesiæ copiarum præfectum, cum suo equitatu & quinque peditum millibus Placentiam miserat, Vitellum Vitellium cum alijs peditibus & Florentinorum equitatu cui præerat, & Ioannem Medicem quem Italici peditatus ducem, eò misit; & Franciscum Guicciardinum tunc temporis Aemiliæ Flaminiæ que præsidem suum in exercitu & per vniuersum pontificium imperium, cum plenissima ac ferè absoluta potestate vicarium constituit. Veneti quoque exercitum suum cui Vrbinatium dux Petro Pisaurio legato imperabat auxerunt, eumq; Clarij, in Brixiensi agro considere iusserunt, eisq; mandarunt, vt liberè ac sine cunctatione vterq; exercitus contra Cæsarianos progrederetur. Mediolanum interea venerat Vgo Moncada, qui etsi fœdus contractum ipsum & proregem adhuc lateret, nihilominus ob regis responsa res ad eum statum qui Cæsari placeret redigi posse diffisus, iter suum in Italiam erat sequutus: vbi Protonotario Carracciolo secum in arcem ducto, & ampla duci de Cæsaris benignitate fide facta, vt sese ipsius voluntati permitteret, ei persuadere est conatus: cum autẽ dux se ob iniurias sibi à Cæsaris ducibus illatas, pontificis ac Venetorum opem implorare coactum fuisse, neque vt quidquam de se ipso absque illorum consensu constitueret æquum esse respondisset, Vgo Cæsaris mentem esse, vt crimina ipsi obiecta summatim à protonotario Caracciolo, cui dux plurimum fidebat, dijudicarent: id potius vt ipsi imperium maiore cum Cæsaris dignitate restitueretur, quàm aliam ob causam fieri innuens, seque vbi cum pontifice esset loquutus, hæc perfecturum ei spem fecit: nec tamen vt obsidio antè solueretur, & nihil se noui molituros quemadmodum dux postulabat, polliceretur, assentiri voluit. opinio fuit, (sic enim pòst fama percrebuit) valde amplam Vgoni à Cæsare non modò cum pontifice vt Mediolanensium duci imperium restitueretur, verùm etiam cum duce solo, modò illum in imperio restitutum Cæsaris rebus nõ obfuturum esset cautum, componendi facultatem datam: sed huic potestati adiunctum fuisse, vt ex temporum statu & necessitate consilium caperet: Vgonem verò angustijs in quibus arx versabatur perspectis, & compositionem cum duce nihil Cæsaris rebus, nisi quatenus concordiæ cum pontifice & Venetis conciliandæ instrumentum esset, prodesse cogitãtem, cum illo solo paciscì inutile censuisse. Vgo & Caracciolus deinde Moronum, qui in Tercij arce captiuus detinebatur, Modoetiam potius vt Protonotarius caussæ iudex futurus, cum eo ageret, quàm aliam ob caussam duci iusserunt. Pòst Vgo Mediolano, quum prius Venetis vt suo oratori quem Romæ haberent, autoritatem ad ea quæ proponerentur tractanda mitterent, scripsisset, Romam est profectus: quò cum peruenisset, vnà cum Suessano duce pontificem adijt; eique magnificis verbis, in ipsius potestate esse vtrum vellet pacem aut bellum amplecti, proposuit: Cæsarẽ namque etsi ob naturæ suæ bonitatẽ, magis pacis esset studiosus, tamen & animo & viribus ad vtrunque paratum esse. Ad quæ quum pontifex communibus verbis respondisset, & simul iniurias sibi à Cæsaris ministris illatas, ipsiusq; aduentus tarditatem, vt quum an-

Author l. 6. c.

tea ſui iuris fuiſſet, nunc alijs eſſet obſtrictus in cauſſa fuiſſe queſtus eſſet, illi ſequenti die ad eum reuerſi, Cæſaris mentē eſſe, Mediolanenſe imperium Franciſco Sfortię liberum relinquere, ea tñ lege vt arx in Protonotarij Caraccioli poteſtate tandiu eſſet, donec is cauſſam non quidem exactè, ſed Cæſaris dignitatis conſeruandæ gratia ad ſpeciē tantū & colorem cognouiſſet, ſuas cum Venetis controuerſias honeſta ratione componere; exercitū ex Inſubria ea pecunia de qua aliàs agitatū fuerat accepta deducere; nec pro his omnibus aliud nihil ab illo, niſi, vt ſeſe rebus inter ipſum & Galliæ regem non interponeret petere, expoſuerunt. Ad hæc pontifex, ſe quantopere ſemper Cæſaris amicitiam tueri cupiuiſſet cunctis mortalibus notum eſſe exiſtimare; neque vnquam ijs quæ ipſemet ſponte offerebat, maiora ab eo petijſſe: quæ cum ipſe magis communis vtilitatis quā proprij commodi ſtudioſus eſſet, magis ex ipſius voluntate eſſe haud potuiſſent: & nunc quoq; ſe in eadem ſententia perſeuerare, etſi non paucæ propoſiti ſui mutandi cauſſæ eſſent datæ: ſed tamen maiore nunc animi moleſtia illa ſibi concedi audire, quā cum denegabantur audiuiſſet: propterea quòd non iam vt prius ea amplecti in ſua poteſtate eſſet; id autem non ſua culpa, ſed ob nimiam moram à Cæſare in deliberando interpoſitam factum: quæ res in cauſſa fuiſſet, vt quum nulla vnquam cōmunium Italiæ rerum in ſecurum ſtatum redigendarum ſibi ſpes eſſet oblata, & interea Mediolanenſem arcem in anguſtijs verſari videret, ſe ſuæ & aliorum ſalutis cauſſa, fœdus cum Galliæ rege inire coactum eſſe; ſine quo, niſi fidem violare vellet, quicquam decernere ſibi integrum non eſſet. Qua in ſententia etſi multa in contrarium adferentur, conſtans perſtitit: Vgo verò vbi cum illo ſæpius fruſtra egiſſet, Roma diſceſſit: moleſtum autem erat tum ipſi, tum Cæſarianis ducibus, quòd pacis ſpe excluſa res ad manifeſtum bellum tenderet; propterea quod ob fœderis potentiā, & perturbationes in quibus ipſi verſabantur tantam belli molem ſuſtinere difficillimum cenſerent. Hoc tempore à Fr. Guicciardino. literæ ab Antonio Leua ad Sueſſanum ducem interceptæ ſunt, quibus ei Mediolanenſis populi auerſos animos, & nullam rebus ipſorum niſi in Dei ope ſaluté reliquam eſſe indicabat: & item aliæ eiuſdē & Vaſtij ad Vgonem poſt ipſius Mediolano diſceſſum ſcriptæ, quibus eum ad pacis negotiū incitabāt, & vt ipſos ſtatim de rerū ſucceſſu certiores faceret rogabāt; periculūq; in quo eſſent ipſi & Cæſaris exercitus in memoriam reuocabant. Sed nō tanta erat in eorum qui ſociorum copijs imperabant animis cōfidentia, quantus erat Cæſarianorū ducum timor: Vrbinatium enim dux, cui tandem ob Venetarū copiarum imperatoris munus quo fungebatur, & quòd nemo illi dignitate, autoritate exiſtimationeq; par eſſet, exercituum cura erat cōmittenda, Hiſpanorum ac Germanorum militū virtutem fortaſſe maioris quā æquū eſſet faciens, & vltra modū Italis militib. diffidens, niſi ad minimū quinq; Heluetiorū millia cū exercitu eſſent, Abduam fluuium non traijcere fixum in animo habebat; imò ne ſi cū Venetorum copijs tā tū Ollium traijceret, ne Cæſariani Abdua traiecta ſe adorirentur veritus, vt pontificius exercitus qui iam Placētiæ erat, Pado infra Cremonā traiecto, cū Veneto, vt deinde Abduæ appropinquarent, & ad eius fluminis ripā in munitis caſtris Heluetiorū aduentum expectarent, coniungeretur vrgebat: quibus præter ipſorū naturam, quòd illorum cura Muſſij præfecto, & Laudenſi epiſcopo imprudenter cōmiſſa fuiſſet, multæ difficultates obiectæ erant: nam Laudenſis epiſcopi leuitas parū ad hoc negotiū erat idonea: & Muſſius in id potiſſimū, vt pecuniæ in Heluetiorum ſtipendia deſtinatę partem fraudaret, intentus erat; neuterq; tanta apud illam gentē autoritate pollebat, vt præſertim tam parua pecunia tantū illorum numerū tam repentè quā opus fuiſſet poſſet adducere: his accedebat inter eos exorta æmulatio, qua fiebat vt ambitione & propriæ vtilitatis ſtudio, ſi quid autoritatis haberent, corrūperetur. Aliquod etiam impedimentum Galliæ regis apud Heluetios procuratores attulerunt: quæ enim regis hac in re ſententia eſſet, & num id ex ipſius voluntate, an contrà fieret ignorabant: nam non quidem negligentia, ſed ſtudio, ijs conſilijs quæ cū ſæpe prudentiſſima videantur, tandē nimis acuta ſunt, id regi ſignificatum non fuerat: quoniam Albertus Pius regius apud pontificem orator, ne ſi rex ante fœdus confectū vt Heluetijs conſcriberentur mandatū eſſe intelligeret, bellū contra Cæſarem iam nihilominus ſine ſe à pontifice & Venetis cœptū ratus, id differret metuendum eſſe oſtenderat. Sic Heluetiorū aduentu dilato, omniū quæ ad Mediolanēſem

arcem

arcem liberandam erant excogitata, potissimũ & validissimũ instrumẽtum differebatur: quamuis Laudensis & Mussius, quotidie illorũ aduentus certam ac præsentissimã spem facerent. At Cæsariani duces vbi apertè bellum parari animaduerterunt, ne sibi eodem tempore cum hostibus intra muros & extra esset pugnandum, se Mediolanensis populi qui indies audacior factus, non modò ipsis omnia quæ petebant denegabat, verùm etiam si qui ex militibus per vrbem ab alijs disiunctus inuentus fuisset, à Mediolanensibus interficiebatur, metu liberare decreuerunt. Itaq; à delictis quæ per vrbem cõmittebantur occasione sumpta, vt aliqui ex populi ducibus Mediolano exirent petierunt: ex quo tumultu exorto nonnulli Hispani per vrbem incedẽtes à quibusdam popularib. fuerunt interfecti: quamobrem Antonius Leua & Vastius, exercitu clam ciuitati admoto, se ad ea quæ superioribus diebus promisissent, non amplius teneri contestati, XVII. Iunij die, vt tumultus initiũ facerent, in suo conspectu plebeiũ quẽdam hominẽ, quòd honorẽ ipsis nõ exhibuisset, interfici iusserunt: & post illũ tres alios: quo facto domibus cum Germanorum peditum agmine egressi, populo arma conclamãdi occasionẽ dederunt: qui etsi initiò curiã veterem & maximi templi turrim quæ Italis peditib. erat munita expugnarit, tandem quũ nullo ordine, & vt imperita plebs solet potius vociferationibus quã armis pugnarent, & multi à sclopetarijs in editioribus locis quæ Hispani prius occuparant collocatis læderentur, multi ex ipsis vulnerabantur, occidebanturq;; ita vt confusione timoreq; subinde crescente, quũ Germani pedites ignem in proximas domos conijcere cœpissent, & iam Hispanicus peditatus à ducibus accersitus vrbi appropinquaret, populus extremum exitium metuens, vt sui duces & pleriq; alij populares viri, qui in id consenserunt, Mediolano discederent, & multitudo sese ducum imperio subijciens arma deponeret, conuenit: duces aũt his legib. tumultũ antequã Hispani pedites ingrederentur sedare accelerarunt: verebantur enim ne si illi dum vtraq; pars in armis esset ingressi fuissent, militarem impetũ cohibere in ipsorum potestate minimè fore, & sic ciuitas diriperetur: à qua re prorsus abhorrebant, tum quia exercitũ tãta prædã ditatum dissolutũ, aut valde imminutũ iri metuebãt, tum etiã quia pecuniæ penuriã aliasq; difficultates quas in bello erant habituri ponderantes, illam ciuitatẽ vt in ea diu exercitum alere possent conseruare, quã vno die omnes eius neruos spiritumq; absume re vtilius censebant. Sociorũ igitur res non eam felicitatem quã sibi homines initio proposuerant, quũ tot iam in Heluetiorum aduentu impedimenta occurrissent, & populi Mediolanensis spe frustrati essent, habere videbantur. Sed nouus casus eis existimationem, & longè maiorem, quã antea apertioremq; vincendi facultatẽ restituit. In tam alienis Insubriæ populorum à Cæsarianis animis, imò illis in extremã desperationem redactis, iam ab aliquot mensibus per varios homines ferè in omnib. eius imperij ciuitatib. varia nouarum rerum consilia fuerant agitata. Sed ceteris conspirationibus nihil proficientibus, consilia ab Vrbinatium duce & Veneto legato Laudæ cũ Ludouico Vistarino nobili eius ciuitatis viro agitata exoptatũ exitum sunt sortita: is enim siue q; Sfortianæ familiæ ab antiquo studuisset, siue patriæ suæ in quã Fabritius Maramaldus mille & quingẽtorum neapolitanorum peditũ præfectus, eadem acerbitate qua Mediolanum Hispani & Germani accipiebant, vtẽbatur, miseratione commotus, Venetorum copias quamuis ipse Cæsari militaret introducere statuit: sed se prius quasi milites quibus præerat sine pecunia diutius alere nõ posset, vt dimitteretur petijsse & impetrasse aiebat, idq; Vrbinatium dux confirmabat. Rei gerendæ ratio in hunc modum fuit constituta, vt XXIIII Iunij, noctu Malatesta Ballio cum tribus aũt quatuor Venetorum peditũ millib. sub vesperam mœnibus ad vallum quoddam, vt à Vistarino intromitterentur appropinquarent: Vistarinus aũt paulo antè duobus comitatus ad illud vallũ quod sex milites custodiebant, quasi recognoscendi caussa venit; & nonnullis quos in vicinis ædibus occultauerat ipsum sequentib. vallũ ingressus cum custodibus pugnare cœpit: nam etsi prius militari more tesserã dedisset, ipsi tñ aliquid suspicati armis cum eo agere cœperãt: nec fuit sine periculo, quum aliqui ad rumorem accurrissent, ne propugnaculum recuperarent: acriter enim pugnari cœptũ est; & ipse Ludouicus fuit vulneratus: sed quum iam in summum periculũ esset redactus, Malatesta cum copijs adfuit: sic milites vallo scalis occupato, in ciuitatem irruperunt: quare Fabritius Maramaldus, qui strepitu audito cũ

militum ſuorum parte ad mœnia veniebat, in arcẽ ſe recipere fuit coactus: ita vrbs fuit capta, & pleriq; pedites qui in varijs vrbis locis erant, ſpoliati & capti; quò non multo pòſt Vrbinatium dux cum aliquot copijs venit: is enim priore die quo propius vrbẽ accederet, Oragi ad Olliũ amnem erat metatus: eoq; ponte quẽ eadem nocte opportunè fieri curarat traiecto, vbi Malateſtam ingreſſum cognouit, Abduam ſimili ponte traiecit: & Laude, maiore præſidio, ſi fortè auxilia per arcẽ intromitterentur, propugnari poſſet munita, ſtatim ad exercitum redijt. Sed eius rei nuntio Mediolanũ allato Vaſtius cũ aliquot expeditis equitibus & tribus Hiſpanorũ peditum millib. cũ quibus erat Ioãnes Durbina, nulla interiecta mora Laudẽ cõtendit; ac peditatum abſq; impedimento per ſubſidij portã ſic poſitã, vt viam natura ita tecta, vt a ciuitatis lateribus verberari aut incõmodo affici non poſſet aditum ad eam haberẽt, in arcẽ introduxit; repenteq; ex arce in ciuitatẽ erupit, & in forum vſq; vbi milites quos Malateſta ſecũ dux erat, & qui illi pòſt auxilio venerant, multis domibus, & ea via quæ ad portam per quã erant ingreſſi ducebat, vt ſi Cæſariani ſuperiores exiſterent incolumes pedem referre poſſent præſidio munitis, acie inſtructa erant, venit. Pugnatum eſt initio acriter; & multorũ opinio fuit, Hiſpanos ſi in pugna perſeueraſſent, quia Veneti milites ſatis feſſi erant, victoria potituros fuiſſe; ſed Vaſtius, ſiue q̃ maiorem militũ numerum, q̃ primo crediderit inueniſſet, ſiue quòd Venetorum exercitũ minimè procul eſſe cenſeret, diffiſus, mox ſuos à pugna ſubtraxit: & præſidio in arce relicto Mediolanum redijt. Superuenit paulo pòſt Vrbinatiũ dux, qui ſe cũ exercitu duo magna flumina pontib. nulla interpoſita mora traiecciſſe gloriabatur: & militum numero, vt ſi hoſtes redirẽt eos poſſent repellere, aucto, tormẽtisq; circa arcẽ collocatis, victoriæ cõfirmandæ operã dedit. ſed qui in arce erant, q̃ nullum auxilium expectarent, & arcem ob exiguum ambitũ paucorum militum capacem difficulter tueri poſſent, ſequenti nocte, ab equitatu qui in hunc finẽ Mediolano miſſus fuit excepti, arcem deſeruerunt. Laudę occupatio maximè opportuna fuit, exiſtimationẽq; ſociorũ rebus minimè paruã attulit: vrbs enim optimè erat munita, & vna ex ijs quas Cęſarianos ad extremum vſq; propugnaturos exiſtimatum fuerat. Lauda abſq; vllo impedimento ad Mediolani & Papiæ portas vſq; excurri poterat; hæ em̃ vrbes quaſi in triangulo poſitæ, viginti millia paſſuũ inter ſe diſtant: ideo Cæſariani ſtatim mille & quingentos pedites Mediolano Papiam miſerunt: Abduæ traiectu quod prius difficile fore cenſuerant potiebãtur: omnia exercituum coniungendorũ impedimenta erant ſublata: Cremonam ad cuius cuſtodiam erat Corradinus cum mille & quingentis Germanis peditibus, ſi oppugnaretur auxilia mittendi facultas hoſtibus adempta: ijdemq; hoſtes loco ad pontificium ac Venetorum imperium infeſtandum maximè opportuno priuati: Has ob cauſſas cõmunis per vniuerſum exercitum fama erat, ſi celeriter progrederentur, Cęſarianos in maximo metu & perturbatione futuros. Secus autem ſentiebat Vrbinatium dux, qui Mediolanum abſq; valida Heluetiorum manu propius accedere periculoſiſſimum eſſe pro certo habebat: ſed quum hanc ſuam ſententiam alijs prorſus aperire nollet, parum itineris conficiens, & in ſingulis caſtris ſemper ad minimum diem vnum hærens, Heluetijs veniendi ſpacium, breui adfuturos ſperans, & omnia quæ, ſi non venirent quamuis ob ea quæ ad eum vſq; diem ſucceſſerant, de illorum aduentu eſſet dubitandum, facienda proponerentur contemnens, concedere ſtatuit. Quare quum pontificius exercitus poſtridie quàm Lauda capta eſſet, Sanmartini ad tertium ab Lauda lapidem eſſet metatus, in communi ducum conſilio, vt pontificij & Veneti diem vnum in ijſdem caſtris hærerent, & deinde altera die Laudam veterem, ad quintum ab Lauda lapidem, quo in loco Laudam à Pompeo Magno extructam fuiſſe aiunt, & tribus milliaribus ab itinere quò recta Papiam itur diſtat, quod iter vt Cæſarianos duces magis anciperes redderent, æquè Papiæ & Mediolani minabatur, caſtra promouerent, fuit decretum: quo die pontificius & Venetus exercitus iter facientes, in patentibus campis peditatu ferè pares (erant enim in vniuerſum in vtroq; exercitu paulominus viginti peditum millibus) ſimul conuenerunt: ſed Veneti leuis & grauis armaturæ equitibus, quibus pontificij aſſiduè ſeſe inſtruebant, & tormentis quoque ac rebus ad ea ſpectantibus omnibusq; neceſſarijs apparatibus magis abundabant. In Lauda veteri vbi diem vnum ſunt morati, conſilio mutato, deinceps vt regionem quæ extra viam foſſis aggeribusq; nimis

eſt

est munita euitarent, regiam viam sequi statuerunt: nec non quia eo itinere quod ad Co
mensem portam ducebat, facilius quã Landriana via, quæ ad Vercellẽsem portam de-
flectit, quo ob regionis situm difficilius perueniri poterat, arci opem ferri posse cense-
bant; & quia tutius ab illa parte commeatus aduehi, & facilius Heluetij qui à tergo erãt
excipi poterant. Hoc consilio prid. Kal. Iul. exercitus coniuncti Marinianum venerunt:
vbi quum quid agendum esset proponeretur, Vrbinatium dux Heluetiorum aduentũ,
qui æquè & fortasse magis quã antea incertus erat, quòd sine hoc firmæ phalangis ro-
bore, nouis & raptim collectis copijs Mediolanum, quamuis pauci equites, tria Ger-
manorum & quinque aut sex Hispanorum peditum millia tantũ in ea vrbe essent, acce
dere valde periculosum iudicaret, expectandum suadebat. A cuius sententia plerique
alij præfecti dissentiebant: qui si acie instructa, & castris semper pridie exploratis pro-
grederentur, sine periculo exercitum Mediolano admoueri posse censebant: regio em
vbique tam munita est, vt semper munitissimo in loco metari possent: neq; Cæsarianũ
exercitum, ipsis in acie occursurum verisimile videbatur: quum enim ipsos arcem obsi
dere oporteret, neq; ob populi metum ciuitatem prorsus præsidio nudare possent, ad
tantum exercitum, qui etsi recenter esset collectus, multis tamen veteranis militibus, &
summæ in tota Italia existimationis ducib. abundabat, adoriendũ nimis pauci relinque-
bantur: quòd si Mediolano exercitum sine periculo admouere possent, idem quoque
non sine victoriæ spe esse: nam quum Mediolani suburbia minimè munita, imò ob ne-
gligentiam in illis instaurandis aliquibus in locis aperta essent, Cæsarianos ad tanti am
bitus propugnationem hæsuros haud credibile videbatur: cuius rei manifesta quoque
indicia, quum suburbiorum munitiõe neglecta ad ciuitatem muniendã omnem curam
conuertissent, elucere videbantur: suburbijs autem in quibus exercitus statim castra es-
set locaturus derelictis, ciuitas non modo quia milites sine pecunia erant, & commea-
tus penuria laborabant; verũ etiam quia vt & prosper Columna & multi alij duces sem
per censuerant, Mediolanum contra eos qui suburbia occupassent, tum quia ciuitas cui
multis in locis priuatorum domus mœnium vicem præstabant, mœnib. minimè est mu
nita, tum etiam quia suburbia ciuitati sunt opportuna, difficile propugnari posse existi-
mabant, non diu reluctatura videbatur: quibus accedebat, quòd arcem in potestate sua
habebant. Hæc autem & alia consilia ex Vrbinatium duce pendebant: nam etsi Veneto
rum modò copijs præesset, pontificij vt controuersias vitarent, & quia secus fieri non
poterant, ad eum vt omnium imperatorem consilia referre decreuerant: sed ipse etsi ne
que his rationibus, neq; vehementissimis F. Guicciardini pontificij vicarij & Veneti le-
gati dominorum suorum nomine incitationibus ad progrediendum moueretur, ex il-
lorum tamen sententia, cui multi etiam duces adhærebant, longiorem eo in loco morã,
quũ nihil certi de Heluetiorum aduentu accepisset, sibi magno dedecori & ignominiæ
esse posse existimauit: ideoq; vbi exercitus duos dies Mariniani constitisset, tertia Iulij
die Sandonatum ad quintum ab Mediolano lapidẽ processit, eo animo vt potius quo
aliorum voluntati & iudicio satisfaceret, quã proprio consilio, vlterius progrederetur:
sed tamen semper diẽ vnũ in singulis castris hærere, vt Heluetijs maius veniẽdi spaciũ
daret in animo habebat: ex quibus tandem mille in Bergomẽsem agrũ descẽderant, &
ad exercitum veniebãt, ac pro more crebri de reliquorum aduentu nuntij adferebantur. Itaq; quinta Iulij die exercitus ad tertiũ Mediolano lapidẽ vltra Sanmartinum ex-
tra viam ad dexteram munito ac tuto in loco est metatus: quo in loco eodẽ die leuis pu
gna cũ quibusdã Hispanis sclopetarijs, qui sese in quadã domo munierant, est cõmissa;
& sequenti die cũ exercitus in ijsdem castris esset, similis alia: quo die quingenti Helue
tij Cæsare Gallo duce in castra venerũt. Hic de progrediendi ratione agitatũ est, & quã
uis primũ consiliũ fuerit, rectà ad arcẽ vbi munitiones quibus foris claudebatur, non tã
validæ erant, quin de eis superandis spes haberi posset, quo ei subsidium ferrent eundũ
esse: nihilominus Vrbinatiũ duci (cuius consiliũ reliqui oẽs probabant, quia in cõcilijs
proponebat, & aliorum responsis non expectatis sententiam suam dicebat; aut saltem
dum proponeret, eiusmodi verbis vtebatur, vt ipsius sententia satis agnosceretur, adeo
vt ceteri duces ei repugnare non auderent) vt exercitus rectà ad Mediolanensia sub-
urbia contenderent est visum: nam quòd complananda atque exæquanda in tam muni-

ta regione neceſſariò eſſent itinera, extra regiam viam ad arcem peruenire velle longũ, nec ſine alicuius perturbationis periculo fore aiebat: propterea quòd nimis prope hoſtibus latera obijcienda eſſent, eisq; fortius reſiſtendi facultas præberetur; illi enim vires ſuas omnes in eam partem prope arcem conferrent, cum alioqui vt hoſtium impetũ ſuſtinerent, & arcis obſidionem non deſererent diſiuncti eſſe cogerentur: quòd ſi cum, copijs ad Romanam portam accederent, ſemper in fœderis ducum poteſtate foret, ad quãcunq; partem vellent, prout ſeſe occaſiones darent, ſe facilè conuertere: hoc cõſiliũ ſecuti vt ſeptimo die Bufalettæ & Pilaſtrellis, villis quingentos paſſus Mediolano circa publicã viam poſitis, tormentorũ qui in vrbe erant ictibus obnoxijs, caſtra locarent, decreuerunt, vt inde ex ijs quæ occaſio & hoſtium, quos propterea quòd foſſæ multis in locis repletę eſſent, aggeres complanati, & in aliquibus partib. ita aperti vt vix defendi poſſent, exercitus tam propinquo in loco caſtra habere cognouiſſent, in ſuburbiorum nocturna præſertim defenſione non hęſuros multi cenſebant. Sed illa nocte quę diem quo exercitus progreſſurus erat pręceſſit, Borbonius qui ante paucos dies cũ ſex triremib. & cum mercatorũ literis, quarũ vi cẽtũ aureorũ numũm millia accipere debebat, Genuã peruenerat, Vaſtio & Antonio Leua eius aduẽtum valde vrgentib. cum circiter octingentis Hiſpanis peditib. quos ſecum duxerat Mediolanũ eſt ingreſſus; ex cuius aduentu milites animũ receperunt; & ex eodẽ Galliæ regis affectata negligentia frigidaq; ad bellũ propenſio cerni poterat: nã quũ pontifex initio cum Andreã Auriã ad ſtipendia ſua cõduxit, quibus viribus & apparatib. Genua eſſet tentanda ab eo conſiliũ petijſſet, is modò iam bello in Inſubria cœpto tentaretur, & ſuis octo triremibus, quas Galliæ rex in Maſſilienſi portu habebat adiungerentur; aut ſaltẽ illę Borbonij in Italiã reditum impedirent, rem valde facilem propoſuerat: quoniam quum ea ratione cũ ſuis octo triremibus maris imperio potiretur, Genua, ob negotiationis cõmertia artes, & cõmeatum multos dies mari clauſo ſubſiſtere minimè poterat: & quamuis rex ſe Borbonij reditũ impediturum promiſiſſet, illa verba, quia ipſius claſſis non erat inſtructa, & triremiũ duces tum ob pecuniæ penuriã, tum etiã ob negligentiam, & fortaſſe etiã dedita opera, ſerò pecunias acceperant, vt pòſt cum cataphractis quoq; factũ eſt, irrita fuerũt. Sed quũ à fœderatis Borbonij aduẽtus ignoraretur, Vrbinatiũ dux, vt opinio fuit, aut nuntijs Mediolano acceptis, aut alicuius exploratoris verbis fretus, progrediẽdi cõſiliũ captũ anteuertit: is cũ diffidentia in qua ad eũ uſq; diẽ fuerat, abiecta põtificio internuntio corã Veneto legato craſtinum diem feliciſſimũ fore dixit: propterea quòd, ſi hoſtis ad pugnã exiret (quod eos minimè facturũ crederet) fœderatos proculdubio victores fore: ſin verò nõ egrederetur, aut eodẽ die Mediolanũ deſerturũ, ſeq; Papiã, aut ſaltẽ ſuburbiorũ defenſione relicta, in ciuitatẽ, quã ſuburbijs amiſſis tueri minimè poſſent, recepturũ: horum aũt trium quoduis ad belli victoriã conſequendam ſatis fore. Quamobrẽ ſequenti die q fuit ſeptimus Iulij, caſtris pridie cõſtitutis relictis ſuburbio ſine difficultate obtinendi ſpe, atq; ad eam gloriã aſpirãs qua potiuntur, qui properando impreſſione facta, locum deſtinatum occupant, ſcloperatiorum aliquot cohortes ad Romanam & Toſam portas præmiſit; vbi etſi ſuperiorib. & eodẽ quoq; die Hiſpanos diſcedere velle nuntiatum eſſet, tamẽ in ea ſuburbiorũ parte, non quidẽ (vt ferebatur) quod eã partẽ tueri omnino vellent, ſed vt in vrbẽ potius militariũ virorum more, & vultu hoſtib. oſtenſo ſe reciperent, q̃ vt hoſtes ſuburbia turpiter deſerta inuenirent ſubſtiterant: ex quo nõ modò exercitus ipſorũ exiſtimatio, quũ præſertim ſemper abſq; incõmodo in ciuitatẽ ſe recipere poſſent, magis cõſeruabatur, verũ etiã in ſuburbiorũ defenſione fortiter pſiſtendi occaſio ipſis dari poterat, quod quidẽ magni erat faciendũ: in ciuitatẽ enim ſe recipiendi conſiliũ, cùm alias ob cauſſas, tum quia vbi tam anguſto loco eſſent incluſi, Italis commeatũ, ſine quo (quòd nouũ frumentũ nondum eſſet importatũ) diu obſidionẽ ferre nõ poſſent, ipſis intercipere facilius foret, potius neceſſariũ q̃ ſpõte eligendũ erat. Cũ igitur ſclopetarij ad duas portas vbi Hiſpani præter defenſionẽ operas minimè intermittebãt veniſſent, Dux q reſiſterẽt præter opinionẽ ſuã inuentis, tria magna tormẽta, ad baliſtæ iactũ Romanæ portæ admoueri iuſſit: quib. egregiè collocatis, portã verberare, & falconettũ, minº nimirũ tormẽtũ, ab ea amouere conari cœpit, quo amoto, multos ex ſuis grauis armaturæ equitib. vt oppugnationẽ aggrederẽtur, ex eq̃s deſcẽdere, & ſcalas admouere

uere iuſſit: & nihilominus ſentẽtia mutata, res ad leue ſclopetariorũ circa munitiões prę lium eſt redacta; in quo cum qui intus erant loci opportunitate maiore niterentur, circiter quadraginta ex fœderatorũ militibus cæſi & multi uulnerati fuerunt. Porta verò interea, multis globis, ſed quia tormenta procul erant paruo cum detrimento petita fuerat: ſed ducem caſtra metandi iam horam eſſe tardam dicente, impreſſio eo die non eſt facta; eodemq; in loco, etſi ob temporis breuitatem cum aliqua confuſione valido ad tria tormenta præſidio relicto, eſt metatus: erant autem ferè totius exercitus caſtra ad viæ dexteram, omnibus de victoria magnificè ſperantibus: quoniam multorum nuntijs & ex quorundam à Ioanne Naldio Venetorum milite captorum ſermonibus, Cæſarianos multis ſarcinis collectis, potius fugam quàm aliud meditari audiebatur; & opportunè eadem nocte ſex Venetorum tormenta in caſtra ſunt aduecta: ſed paulo pòſt non modò ſpes, ſed & vniuerſus rerum ſtatus eſt immutatus: nam prima ferè noctis vigilia, aliquot Hiſpani pedites ad tormenta oppugnanda egreſſi, ab Italis militibus qui ad illorum cuſtodiam erant, etſi Vrbinatium dux perturbatos fuiſſe dixerit, repulſi fuerunt: Dux autem non multis noctis horis elapſis, ad portas & ſuburbiorum mœnia qui ſeſe opponerent inuentis ſpe quàm conceperat fruſtratus, & primo hoſtium peditatus timore recurrente, cum exercitu retrocedere repentè ſtatuit: itaque & ſtatim tormenta, eorumq; apparatum procedere, & Venetis militibus ſe ad iter accingerent iuſſit: per Venetum legatum conſilium ſuum pontificio vicario & ducibus indicauit, eosque vt ſine mora idem facerent, cohortatus eſt: ad quam vocem vt non modò nouam, verùm etiam omnium expectationi repugnantem, conſternati, ac penè obſtupefacti, eum vt ipſius conſilia diligentius explorarent, & retinere niterentur adierunt: qui verbis valde claris & minimè ambiguis quòd contra ſententiam ſuam, vt alijs ſatisfaceret Mediolano tantopere appropinquaſſet eſt queſtus; ſed magis prudentis eſſe errorem corrigere quàm in eo perſeuerare: videre ſe propterea, quòd exercitus pridie ob temporis breuitatem confusè caſtra locaſſet, nec non ob Italorum peditum ignauiam, eadem nocte in tormentorum defenſione declaratam, ſi proximam lucem eo in loco expectarent, id non modò expeditionis ſucceſſum, ſed omne ſociorum imperium euerſurum: tam ſibi certum eſſe hoſtes victoria potituros, vt cum ne minimum quidem dubitaret, cum nemine ea de re altercari vellet: Cæſarianos eadem nocte tormentum quod ſacrum vocant, inter Romanam & Toſam portas collocaſſe, quòd Veneti peditatus latera minimè munita peterentur: eademque nocte alia collocaturos, & vbi lucere cœpiſſet, bellico cantu noſtro exercitu excitato, eius latera verberaturos: eoq; hac ratione perturbato, in eum erumpentes facillimè victoria potituros: dolere quidem ſe quòd temporis exiguitate, & quòd longè plura tormentorum & machinarum impedimenta in exercitu ſuo haberet, quã in pontificio eſſent, ante vaſa colligere quàm rem cum ipſis communicare coactus fuiſſet; ſed conſilia quæ neceſſariò capiuntur, excuſationibus non indigere: ſe rem maiorẽ quàm vllus vnquam militiæ præfectus feciſſet, auſum eſſe cum ex itinere Mediolani oppugnationem eſſet aggreſſus, prudentia nunc vtendum, neque ob regreſſum victoriæ ſpem abijciendam: Proſperum Columnam minus fortaſſe iuſtis de cauſſis Parma iã ſemicapta diſceſſiſſe; & nihilominus paulo pòſt magna cũ gloria totam Inſubriam occupaſſe: hortari pontificios vt ſuum conſilium ſequerentur, nec abitum differrent: ſe eos denuo admonitos velle, ſi ſol exoriens ipſos in ijs caſtris offendiſſet, ſe eos victos videre: quocirca omnes ad Sanmartini caſtra redirent. Cui pontificius vicarius reſpondit, etſi omnes ipſius conſilijs ſummam ineſſe prudentiam cenſerent, nullum tamen ex ijs ducibus cauſſam quæ tanta feſtinatione ipſos recedere cogeret videre: eique quid Mediolanenſium dux ipſos recedere videns auxilij ſpe amiſſa facturus eſſet, quantum ſpei pontifex & Veneti eſſent amiſſuri, & cogitationes quæ ob expeditionum inclinationem, præſertim in ipſis initijs in principum mentibus exoriri ſolent, in memoriam reuocauit: ſi caſtra non rite collocata tanti periculi cauſſem eſſent, facilè, eius exercitus exiſtimatione non ita imminuta, occurri poſſe, ſi denuo meliori ordine metarentur: & eo vſque copias retraheret, quo ſacra illa tormẽta penetrare non poſſent: Dux autẽ nihilominus in ſua ſententia perſtitit, nec ex rei militaris diſciplina aliud conſilium capi poſſe affirmauit; idcirco ſe velle huius facti culpam

ſuſtinere, ſeque eius autorem eſſe cunctis mortalibus innoteſcere; nec tempus diutius inanibus verbis terendum, quòd ante lucem inde caſtra mouiſſe prorſus oporteret. His dictis ad ſua quiſque caſtra reuerſis vaſis colligendis & militum diſceſſu accelerando operam dederunt, ex quibus qui primi erant, tanto cum terrore caſtra mouerunt, vt cum quaſi victi diſcederent, multi Venetorum equites ac pedites ordines reliquerint; ac nonnulli antequam Laudem peruenissent nuſquam ſubſtiterint; quin & venetorum tormenta vltra Marinianum proceſſerint, ſed reuocata ibi conſtitere: reliquus exercitus & præſertim nouiſſimum agmen integris ordinibus receſſit: Ioannes verò Medices qui cum pontificio peditatu in poſtrema exercitus parte erat, pro victoria quam ſperauerat nocturnæ fugæ infamiam referre minimè decere ratus, ante ſolis exortum caſtra mouere noluit: quam fugam minimè neceſſariam fuiſſe exitus docuit: ex Cæſarianis enim nemo ad nouiſſimum agmen laceſſendum erupit: imò tam tumultuario motu conſpecto, quum cauſſam excogitare non poſſent, ſumma admiratione pleni fuerunt: huius etiam fugæ infamiam auxit, quòd quamuis dux ſe vt copiæ Sanmartini metarentur velle dixiſſet, clam tamen, ſiue ne hoſtes ſe tunc in illis caſtris adorirentur metuens, ſiue vt ipſemet poſt faſſus eſt, Mediolanenſem arcem, auxilio oſtentato retrocedere conſpecto, qua quidem re nihil magis obſeſſos terrere ſolet, deditionem facturam ratus; quod ſi feciſſet, Sanmartini hærere minimè eſſet auſus: minus indecorum eſſe ſemel tantùm retrocedere, quàm tam breui temporis ſpacio bis pedem referre exiſtimans, magiſtris caſtrorum Veneti exercitus ſua Marinianum ducerent mandauit: itaque tormenta, impedimenta, & primæ Venetorum acies Sanmartini non hærebant, ſed recta Marinianum contendebant. Cuius rei cum pontificius vicarius à duce cauſſam quæreret, is ſe quod ad ſecuritatem attineret nullum diſcrimen facere; tam enim ab hoſtibus tuta Sanmartini, quàm Mariniani caſtra à ſe exiſtimari: ſed id vt milites ſuperiorum dierum laboribus feſſi, nullam eo in loco ab hoſtibus moleſtiam accipientes, commodius quieſcere ac ſe inſtaurare poſſent, facere reſpondit: cumque ei, cum vtraque caſtra æquè eſſent tuta, quanto magis ijs qui in Mediolanenſi arce obſidebantur, Marinianum cum exercitu retrocedere, quàm Sanmartini hærere auxilij ſpem minueret, oſtenderetur, concitatis verbis, ſe dum Veneti exercitus imperium in manibus haberet, alijs ſuam autoritatem concedere nolle, & Marinianum ire velle dixit. Vterque igitur exercitus ſatis turpiter, & maximis omnium militum ſibilis & clamoribus, ita vt tribus illi Cæſaris verbis (ſed vno in contrarium mutato) veni, vidi, fugi, vti poſſet, Marinianum ſe contulit, eo ducis conſilio vt illic tandiu ſubſiſteret, donec non modò quinque Heluetiorum millia ad quem numerum Muſſius & Laudenſis qui ea ipſa hora qua caſtra mouebantur cum quingentis Heluetijs aduenerat, promiſſa erant redacta, ſed duodecim millia in caſtra veniſſent: quum enim nullam amplius in Mediolanenſi arce ſpem collocandam exiſtimaret, eam vrbem ſine duobus exercitibus, quorum quiſque per ſe omnes hoſtium vires coniunctas ſuſtinere poſſet, neque expugnari neque ob rerum neceſſariarum penuriam ad deditionem compelli poſſe cenſebat. Itaque exercitus octaua Iulij die, multos non modò re ipſa, verùm etiam ominis infelicitate commouente à Mediolani mœnibus receſſerunt: eodem enim die communi ſociorum conſenſu fœdus conſuetis ſolemnibus ritibus Romæ, Venetijs & in Gallia promulgabatur; & vt plerique exiſtimabant, tam ignominioſum conſilium tam parum neceſſarium fuit, vt multi Ducem id occulto Veneti Senatus, qui in alicuius ceteris ignoti finis gratia bellum protrahi cuperet, mandato feciſſe; alij verò ducem iniuriarum à Leone & hoc pontifice dum eſſet cardinalis acceptarum memorem, & ne eius potentia imperio ſuo periculum adferret, metuentem, aut odio aut metu, tam celerem victoriam gratam non habere crediderint: quum præſertim quòd Florentini Sanleo cum tota Montisfeltrij regione potirentur; & quòd paruulam à Laurentio Medice relictam filiam Vrbini ducis nomen retinere ſciret, ei iuſtam timendi cauſſam daret. Sed pontificius vicarius Venetis eam rem moleſtiſſimam fuiſſe, eosque victoriæ adipiſcendæ facilitate fretos, vt exercitus Mediolano admoueretur nunquam inſtare deſijſſe, certiſſimis autoribus cognouit: quod autem ad ducem attinet, non eſt veriſimile illum, ſi Mediolanum

capi

capi posse speraſſet, se tanto maiori gloria quantam à multis annis vllus vnquam belli præfectus esset adeptus, quanto Cæsarianus exercitus magis omnes qui ante multos annos in Italia fuissent exercitus fama existimationeq; superabat, fraudare voluisse: quã gloriam ipsius status securitas ferè necessariò sequebatur: quia pontifex ne tantam vitaret infamiam, tantaq; iniuria Venetos afficeret, eum inuadere ausus non esset: ac simul omnibus illorum dierum actionibus diligenter inspectis verisimilius visum (in quam sententiam plerique alij concurrerunt) ducem, spe quam ante duos dies Cæsarianos suburbia deserturos conceperat deiectum, tanto impetu in priorem sententiam quo magis quàm ceteri duces illorum vires formidarat, & de Italici peditatus virtute diffidebat redijsse; & maiori metu ipsi quã reliquis obuersante, præcipitem se in eam sententiam dedisse. Hic regressus pontificem ac Venetos spe iam eo progressos, vt quotidie Mediolanum à suis captum nuncios expectarent, valde perturbauit: sed præsertim pontificem neque pecunia neque animi constantia ad bellum diu sustinendum paratum; quem etiam & Romæ, & in alijs imperij ipsius locis multæ difficultates obruebãt: nam quum trecenti Hispani pedites & aliquot equites in Carpij præsidio essent, maximo cum detrimento per vniuersam circumiectam pontificij imperij regionem, magnũ etiam tabellarijs ac pecunijs quæ Roma & Florentia ad exercitum mittebantur impedimentum adferentes, excurrere cœperunt: cui malo paruis in oppidis præsidijs positis occurri minimè poterat: & pontifex bello parua cum pecunia incœpto, ac ingentibus sumptibus obrutus, suis pecunijs & ijs quæ illi assiduè in belli vsum à Florentinis suppeditabantur, difficulter vires ad eos reprimendos idoneas, cum præsertim circa nouam expeditionem in Hetruria esset occupatus, & Romæ armatus esse cogeretur, parare poterat. Vgo enim & Suessanus dux, à legatione profecti, Ascaniusque & Vespasianus Columna in Columniorum castella Romæ propinqua profecti, multa motuum in Latio initia dabant: etiam nonnulli illorum clientes, Ananiam Campaniæ vrbem conuenerant: quorum motus pontifex ob Gibellinam factionem quæ Romæ erat, magni facere cogebatur, quia ante paucos dies, quædam Romanæ plebis in eum odij signa apparuerant: nam cum eo tempore quo Andream Auriã maris circa Romam à piratis qui vrbiũ annonæ non mediocre impedimentũ adferebant, tuendi prætextu cõduxit, quædam vectigalia quo eum sumptum ferre posset auxisset, & lanij ea sõluere recusarent, tumultu excitato ad Suessani ducis, qui nõdum Roma discesserat domum, quo & omnes ferè Hispani qui Romæ agebant armati accurrerunt, conuenerant: qui tumultus tamen facilè est sedatus. Põtifex interea de Senensis reip. status mutatione cũ variæ essent ipsius familiariũ ea de re sententiæ, anceps fuerat: aliqui enim magna exulũ multitudine, & popularis status perturbatione freti, mutationem valde facilem fore ei persuadebant, ostendebantque quanti eo tempore eius se suspicione liberare interesset: propterea quod, quouis aduerso casu superueniente receptus quem hostes ibi habere possent, Romanis & Florentinis rebus Romæ & Florentiæ rebus valde foret periculosus: alij prudentius consilium esse aiebant, vires suas in vnum locum conferre, quàm se tot rebus, cum paruo, imo ferè nullo ad rei summam commodo immiscere: eos enim qui in Gallia cisalpina victoria potirentur, tandem vbique superiores euasuros: nec tantam exulum, quorum spes ferè semper leuissimæ esse solent, viribus & clientelis fidem adhibendam, vt eum statum sine magnis apparatibus, quos tum ob sumptuum magnitudinem, tum etiam quia præcipuos duces suos in Insubriam misisset, difficile facere posset, mutare niteretur. Quæ rationes fortasse apud illum vicissent, si modò qui rerum administrationi Senis præerant, ea moderatione essent vsi, qua in rebus quæ parui momenti sunt minores, maiorem necessitatis quàm iustæ indignationis rationem habentes, cum maioribus vti debent. Verùm accidit vt cum quidam Ioannes baptista Palmerius Senensis, qui à rep. Senis centum peditibus præfectus erat ei multo ante, se vbi ipsius copiæ Senis appropinquassent, eas per cloacam subter mœnia prope vallum quoddam ductam, introducturum ei spem feciisset, & pontifex ipso petente, duos sibi fidos milites, quorum vni Ioannes baptista vexilli sui ferendi munus dedit ad eum misisset, ciuitatis magistratus, quibus conscijs Ioannes baptista pontificem eludens hæc agitabat, quum opportunum tempus eis adesse est visum,

duobus illis militibus captis,& quæstione palam habita,& re vbique diuulgata,vt pontifici quàm maximam possent infamiæ notam inurerent, publicè iustum de illis supplicium sumpserunt. His accessit quòd paulo pòst milites ad Ioannem Martinotiũ exulem, qui in Senensi agro,in sua ditione Montelifrij agebat obsidẽdum miserunt. Quibus rebus quasi in contumeliam suam factis, pontifex irritatus,suis ac Florentinorum viribus exules Senas reducere,sed paucioribus præsertim stipendia merentibus quàm opus erat militibus,statuit: & ne exercitus tenuitatem ducum virtus autoritasq; supplere-ret, Virginium Vrsinũ Anguillariæ, Ludouicum Pitiliani comitem, & Ioannem francisicum eius filium, Gentilem Ballionem,& Ioannem Saxatellum ei præfecit: qui delectu Centinæ habito,& Tabernulas ad Arbiam fluuium apud veteres Gibellinorum cõtra Florentinos Guelfos insigni victoria celebrem profecti, XVII Iunij die cum nouem tormentis,mille & ducentis equitibus, & supra octo peditum millibus,sed ferè omnibus aut in pontificio & Florentinorum imperio coactis,aut ad exules ab amicis illorum ex perusino agro & alijs locis sine stipendio missis, Senarum mœnibus castra admouerunt. Eodemq; tempore Andreas Auria cum triremibus,& mille peditibus quos exponeret,Senensium portus oppugnare cœpit. Sed quum in exercitus aduentu nullum in ciuitate motus, quemadmodum exules sperabant, signum appareret, cum exercitu vt vrbi in qua sexaginta equites & trecenti peregrini pedites erant expugnandæ operam darent, hærere fuit necesse. Quocirca ad Camolliæ portam castra admouentes, mœnia ab illa parte tormentis verberare cœperunt: sed in vrbe natura atque arte munita, & ambitu tam ampla,vt minorem eius partem, vix exercitus ambiret, populus, odio in pontificem & Florentinos,exulum in exules studio, superante, ad eum statum conseruandum paratus & coniunctus erat:contrà verò foris in exercitu,milites inutiles sine stipendijs,duces paruæ existimationis,& inter eos non paruæ dissensiones: exules nõ modò in consilijs & quotidianis apparatibus diuisi,verùm etiam ob futuræ administrationis formam dissidentes: iam enim ea quæ nisi ab ijs qui in ciuitate erant constitui possent,distribuere & constituere volebant. Quas ob res cum mœnia frustra pulsassent,neque pugnam aggredi auderent,exigua victoriæ spes esse incipiebat. Hoc autem ipso tẽpore fœderatorũ molestiæ in Insubria crescebãt: nam etsi ex Heluetijs à Mussio & Laudensi conductis,tandem quinque millia in castra veniissent; nihilominus quum is numerus Vrbinatium duci non satis esse videretur, qui Galliæ regis nomine à ciuitatibus petiti fuerant expectabãtur: illos enim si non aliam ob caussam,saltem vt Papiensi prælio acceptam ignominiam delerent,ad eos concedendos paratissimos, eandemque ob caussam milites qui concederentur,ad bellum in tanta præsertim victoriæ spe vehementissimos fore sperabant. Sed in illa gente quæ ante paucos annos ob ferocitatem suam & partam autoritatem,maximam ampliſſimi imperij adipiscendi opportunitatem habuerat,iam nec gloriæ cupiditas,nec reip.commodorum cura vigebat: sed id in re militari sibi proponebant, vt quàmditissimi domum reuerterentur: idcirco militiam more mercatorum tractantes, vel ex aliorum necessitate suæ vtilitatis occasionem publicè capientes, cum inter eos corrupti homines essent,militem concedendi aut denegandi consilium ex hoc fine capiebant:& duces ipsi qui inuitabantur, quo meliore conditione vterentur,quo magis alios sua opera indigere videbant,eo magis se in altum recipiebant,maioraq; sine modo postulabant. Has ob caussas,rege ex fœdere pedestres illorum copias postulante,quibus de communi consensu illis,quadraginta millibus aureorum numũm,quæ rex ipse fœderis italici nomine debebat, stipendia erant persoluenda,ciuitates post longam deliberationem more suo responderant, se antequam rex ipsis omnes annuas pensiones quas debebat persoluisset,militem non cõcessuros:quæ cum ad tantam summam accenderent,vt difficulter breui tempore persolui possent,homines à rege missi,facultate nõ sine difficultate à ciuitatibus impetrata, priuatos duces conducere fuerunt coacti. Quæ res præter moram in eo rerum statu valde pernitiosam, non eam vim existimationemq; obtinuerunt,vt si cõmuni magistratuũ decreto eos obtinuissent. Qua occasione Cæsariani nullam interea ab hostibus qui otiosè Mariniani tẽpus terebant molestiã accipientes,summo studio Mediolano muniendo operã dabãt: nec iam interiorẽ vrbẽ,vt belli initio,sed suburbiorũ munitiones & propugnacula, iam non

non amplius, quòd animum recepissent, & hostium existimationem imminutam viderent, de illorum propugnatione diffidentes: cumq; Mediolanensem populum armis spoliassent, ac suspectos homines expulissent, non modò non tam scrupulosè suspicabantur, aut metuebant, sed eo in acerbissimam seruitutẽ redacto, militarium stipendiorum securi erant: milites enim per Mediolanensium domos distributi, nõ modò dominos ad victum sibi quotidie copiosum ac lautum suppeditãdum, verùm etiã ad pecuniã ad alia omnia quibus aut opus haberẽt, aut quacunq; ratione concupiscerent, subministrandã cogebant: idq; vt fieret, nullũ acerbitatis genus prætermittebant: quæ cum intoleranda essent, Mediolanenses nulla ratione nisi clàm Mediolano fugientes (id enim palam nõ licebat) vitare nõ poterãt. Quod ne facere possent multi milites præsertim Hispani (Germani enim modestiores & mansuetiores erant) plerosq; ex hospitibus suis cum coniugibus & paruulis liberis in domibus vinctos detinebant: cum interea nullus sexus, nulla ætas ab eorum nefaria libidine tuta esset. Quamobrem omnes tabernæ atque officinæ clausæ erãt, omnes in subterraneis aut alioqui reconditis locis, merces, ac domorũ suarumq; ædium diuitias & ornamenta occultauerãt; quæ tamen neq; ea ratione tuta erant: quia milites armorum inquirendorum prętextu, omnia ciuitatis loca, feruos quoq; ad ea indicanda diuersis cruciatibus adigentes, diligenter scrutabantur: quarũ rerũ vbi ea inuenerant, eã partẽ quæ ipsis videbatur dominis relinquebant: quo fiebat vt eius vrbis aspectus, & hominum in summam mœstitiam ac pauorem redactorum vultus & ora miseranda essent: res certè summa cõmiseratione dignę, & fortunæ incõstantiæ incredibile exemplũ, & ijs qui eam vrbẽ ante paucos annos frequentissimã, ciuium diuitijs, infinito tabernarũ opificumq; numero, omniũ rerũ quæ ad humanũ victum spectat copia & suauitate, superbo apparatu, preciosissimis tam virorum quàm mulierum ornamentis, ciuium & habitatorũ, ad voluptates & spectacula propensa natura, non modò gaudio & lætitia plenã, sed omnium Italiæ vrbiũ florentissimam fortunatissimamq; vidissent; nunc autem eadem innumeris mortalibus, partim pestilentia absumptis, partim fuga dilapsis quotidieq; dilabentibus vacua habitatore ac penè deserta conspiceretur: viri ac mulieres inculti ac sordidati & egentissimi: nullum officinarum atque artium vestigium, quorum industria ingentes opes in hanc vrbẽ importabantur: omnis hilaritas, omnis audacia atq; elatio in summum dolorem metumq; conuersa. Borbonij tamen aduentus eos nonnihil est solatus: sperabant enim illum cum, vt fama erat, pecunias secũ attulisset, & ob fœderatorum exercitus regressum angustiæ ac pericula essent imminuta, aliqua etiã ex parte tantis oneribus acerbitatiq; modum impositurum; ac multo etiam magis quòd ei Mediolanense imperium à Cæsare traditum fama erat, sui cõmodi gratia, & vt sibi ciuitatis prouentus & statum magis integrũ conseruaret, ne deinceps tam miserè lacerarentur operã daturum sperabant: eaq; spes sola ipsis relinquebatur; quia legati quos ad Cæsarẽ miserant, satis intelligebãt, ab eo nullum tantis malis remediũ expectari posse; siue quòd tam longè positus ad salutẽ ipsorũ necessaria remedia adferre nõ posset; siue quòd vt sæpius experientia docuerat, longè minor populorũ oppressionis & calamitatum misericordia, quàm exercitus sui status caussa tuendi desiderium esset: cui exercitui cum stipendia non persoluerentur, nec ipse nec duces, vt ab insolentia & iniurijs abstineret, imperare poterant; idq; eò magis, quia ducib. tum vt milites benevolos haberẽt, tum etiam quia ipsis quoq; omnia prædæ exposita esse, vtile erat; hæc militaris licentia minimè erat ingrata: præsertim cum ob stipendiorum defectum aliquam haberent excusationem. Itaque omnes qui Mediolani ceteros dignitate antecellebant, frequentes conuenerunt, & vultu, vestitu, gestibus, patriæ & singulorum miserum statum repræsentantes, cum multis lacrymis & lamentationibus Borbonium accesserunt; ad quem vnus ex illis cui id muneris ab alijs fuit iunctum in hanc, vt audio, sententiam, orationem habuit.

Nisi hæc misera patria quæ iustissimis de caussis semper proprium principem habere exoptauit, hoc tempore acerbioribus atrocioribusque, quàm vlla vnquam post hominum memoriam ciuitas senserit calamitatibus esset oppressa, tuus, Illustrissime princeps, aduentus incredibili lætitia fuisset exceptus: quid enim Mediolanensibus felicius contingere potuit, quàm principem à Cæsare datum, nobilissima stirpe ortum, & cuius

ſapientiam,iuſtitiam,fortitudinem, manſuetudinem,liberalitatemq; nos ipſi varijs tem
poribus ſæpius ſumus experti, accipere ? ſed iniquiſſima fortuna noſtra nos tibi,quia à
nemine præterea vllum remedium ſperamus, expectamusúe, noſtras extremas calami-
tates exponere cogit longè maiores ijs quas ciuitates vi ab hoſtibus captę ac debellatę,
à victoris auaritia,odio,crudelitate,libidine, cupiditatibus omnibus pati ſolent : Quæ
per ſe intoleranda,illud grauiora reddit,quòd ea ad Mediolanenſis populi in Cęſarem
perfidię pœnam fieri nobis obijcitur; quaſi tumultus ſuperioribus diebus excitati pub-
lico conſenſu fuerint,non autem,vt notum eſt, à nõnullis ſeditioſis adoleſcentibus,qui
plebem egeſtate tutam, & ſuapte natura ſemper rerum nouarum cupidam temere con-
citarunt:quæ cum facilè vanis erroribus & falſis perſuaſionibus repleatur,ad concitan-
tis arbitrum,vt maris fluctus à ventis impellitur. Quæ & quanta populus Mediolanenſis
à prima nobilitate ad infimam plebem vſq; ſuperioribus annis pro Cæſare geſſerit, nos
vt nobis nunc obiecta crimina excuſemus, aut eleuemus, minimè volumus recenſere:
quum ciuitas noſtra ob inueteratã Cæſarei nominis obſeruantiam,tanta alacritate con-
tra Galliæ regis præfectus & exercitum arma cepit:quum deinde binas easq; grauiſſi-
mas obſidiones tam conſtanter,nobis noſtram annonam, & noſtras domos ad militum
cõmoda ſponte exponentibus,proprio ære, quia Cæſaris ſtipendia deficiebant,exerci-
tum fouentibus,tantaq; alacritate vnà cum militibus, nos ipſos dies noctesq; omnibus
vigilijs, omnibus militaribus muneribus, omnibus periculis obijcientibus pertulit;
quum eo die quo ad Bicoccam eſt pugnatum, Mediolanenſis populus pontem quo ſo-
lo Galli ſe in Cæſariani exercitus caſtra penetrare poſſe ſperabant, tanta virtute pro-
pugnauit. Tunc à Proſpero Columna,à Piſcario alijsque ducibus,& ab ipſo Cæſare fi-
des noſtra commendabatur,cõſtantia in cœlum ferebatur. Quarum rerum quis te me-
lior aut certior teſtis eſt ? qui Ammirallij bello præſens tantam fidem,tantumque ardo-
rem vidiſti,laudaſti,imò ſępe es admiratus.Sed prætermittatur omnis harum rerum me-
moria,malè merita bene meritis non compenſentur, præſentia perpendantur, ſi vllum
in Mediolanenſi populo animi à Cęſare alieni veſtigium inueniatur,nullam pœnam re-
cuſamus.Amabat quidem Mediolanenſis populus vehemẽter Franciſcum Sfortiam, vt
principẽ ſibi à Cæſare datum,vt eum cuius pater, auus & frater nobis imperarant,& ob
ipſius virtutis expectationem: hasq; ob cauſſas nobis illum tam repentè cauſſa non co-
gnita imperio ſpoliari,quum illũ aliquid contra Cæſarem cogitaſſe nobis nõ conſtaret;
imò ipſe & multi alij, potius eius qui exercitui præerat cupiditate quàm Cæſaris man-
dato fieri affirmarent,moleſtiſſimum fuit:& nihilominus ciuitas vniuerſa in Cæſaris no-
men iurauit; ſeque ducum imperio ſubiecit. Hæc fuit Mediolanenſium ſententia, hic
publicus conſenſus, hoc ciuitatis & præſertim nobilitatis conſilium : iam quæ ratio,
quod ius, quod exemplum poſtulat, vt ob priuatorum delicta, tam atrociter laceretur?
Sed nonne ijſdem quoque tumultuum diebus fides noſtra enituit ? cum enim multitu-
do eſſet concitata, quis alius præter nos ſe autoritate & precibus vt arma deponeret in-
terpoſuit?quis præter nos poſtremo tumultus die,illorũ capitibus & ſeditioſis adoleſcẽ
tibus,vt vrbe excederent,& multitudini vt ſeſe ducum imperio ſubijceret perſuaſit?Ve-
rùm & operum noſtrorũ commemoratio, & calumniarũ nobis obiectarũ purgatio, for-
taſſis neceſſaria vel æqua eſſet, ſi ſupplicia quæ patimur, delictis de quibus accuſamur
paria eſſent,aut ſaltem non multò ſuperarent.Sed quantũ inter ſe diſtant?illud enim iu-
ſtiſſime princeps,dicere audemus,ſi cuiusq; noſtrũ peccata,peccatis omnibus ac ſceleri
bus quæ vlla vnquã ciuitas in ſuum principem cõmiſiſſet grauiora eſſent,tamen pœnas,
imò ſuppliciorũ acerbitates quas immeritò ſuſtinemus,infinito maiores eſſent,q̃ meru-
iſſemus; quin & illud dicere audemus,omnes miſerias, omnes acerbitates,omnes im-
manitates(de libidine honoris noſtri gratia reticemus)quæ poſt homines natos vlla vn
quam ciuitas,vllus populus, vllus incolarũ cætus ptulerit ſimul collecta,eorũ quæ nos
quotidie,ſingulis horis,ſingulis momentis patimur minimã partẽ eſſe : momento enim
omnibus fortunis noſtris ſpoliati ſumus,liberi homines cruciatibus,priuatis carceribus
& catenis,quibus milites ciuium corpora conſtringunt,ad victum quotidianum, nõ mi-
litari, ſed principum more proſpicere; ad omnia ea quæ libido ſuggerit,comparanda,
recentes ſubinde pecunias ſoluere coguntur;quas cum inuenire nõ poſſint,minis, con-
tumelijs

tumelijs, verberibus, vulneribusq; compellunt; ita vt nullus noſtrum ſit, qui non ſummi beneficij & maximæ felicitatis loco eſſet habiturus, vt nudus, pedes, fortunis omnibus prædæ relictis, ea conditione vt patria & bonis in perpetuum careret, incolumis ſaltem Mediolano excedere poſſet. Vaſtauit hanc ciuitatem maiorum noſtrorum memoria Federicus Barbaroſſa, in ciues, in ædificia, in muros crudeliſſimus: nec tamen illorum temporum calamitates cum noſtris ſunt comparandæ; non modò quia facilius hoſtis immanitas vt iuſtior, quàm iniuſta amici crudelitas, fertur; verùm etiam quia dies vnus & alter victoris iram acerbitatemq; expleuerunt, victis ſuppliciorum finem attulerunt: nos iam menſes in his acerbiſſimis miſerijs verſamur: noſtra mala creſcunt in horas: & more eorum qui apud inferos ſupplicijs ſunt ſempiternis addicti, ſine vlla finis ſpe ea patimur, quæ antea ab homine mortali ferri poſſe nunquã credidiſſemus. Speramus tamẽ magnanimitatem clementiamq; tuam, nobis tot malis oppreſſis opem laturam; & ne ciuitas iure tua facta fideique tuę commiſſa, tanta immanitate funditùs euertatur operam daturam: ſi enim hac pietate animos noſtros tibi deuinxeris, ciuitatis tam per vniuerſum terrarum orbem celebratæ, parentis & inſtauratoris nomine & memoria dignus, magis vno die beneuolentia & ciuium in te obſeruantia, regnum tuum, quàm alij noui principes multorum annorum ſpacio armis & viribus faciant, confirmabis. Hæc eſt orationis noſtræ ſumma; ſi quamcumque tandem ob cauſſam, voluntas tua nobis à tanta immanitate liberandis eſt aliena, aut ſi te aliquid impedit, nos te ſupplices toto animo rogamus, vt in hunc populum vniuerſum, in nos omnes, in ſingulos, in omnem ſexum, in omnem ætatem, furorem, arma, ferrum, tormenta, exercitumq; vertatis: nobis enim incredibili erit voluptati, vno potiùs impetu deleri, quàm præſentes miſerias & ſupplicia diutius perferre: nec minus pietas tua, ſi alia ratione nobis opem ferre non potes; celebrabitur, quàm illorum immanitas infamata: nec nobis minus gratum erit infeliciſſimam hanc vitam hac ratione terminare; nec ijs qui nos amant interitus noſter minus iocundus, quàm parentibus & propinquis, filiorum, aliorumque propinquorum & amicorum dies eſſe natalis ſolet. Hæc miſeranda verba reliquorum omnium gemitus & lacrymæ ſunt ſequutæ. quibus dux manſuetiſſima oratione ſibi ipſorum miſerias moleſtiſſimas eſſe; ſeque eam ciuitatem cum vniuerſa Inſubria, ſubleuandi & beneficijs afficiendi deſiderio ſummopere teneri reſpondit; ea quæ fierent non modò contra Cæſaris voluntatem, ſed & contra omnium ducum mentem fieri; eosque quòd militibus ſtipendia perſoluere non poſſent, potius id permittere, quàm Mediolanum deſerere, aut exercitus ſalutem in diſcrimen conijcere, & omnia quæ Cæſar in Italia poſſideret hoſtibus prædæ obijcere coactus fuiſſe: ſe quidem aliquam pecuniæ ſummam ſecum, ſed quia militibus multa ſtipendia deberentur, non tantam quanta opus eſſet tuliſſe: ſed tamen ſi Mediolanenſes ſibi triginta aureorum numûm millia in menſtruum ſtipendium militi darent, ſe exercitum extra vrbem ducturum; & quamuis ipſos aliàs huiuſmodi promiſſis deceptos fuiſſe ſciret, tamen verbis ac fide ſua fretos id certò credere poſſe affirmauit; ſimulque ſe Deum orare, vt ſi fidem falleret, primus hoſtilium tomentorum globus ſibi caput auferret. Quam ſummam, etſi ciuitati vſque adeo exhauſtæ eſſet grauiſſima, tamen cum nullam calamitatem, quàm milites domi habere maiorem eſſe ducerent, conditione accepta, quanta fieri potuit celeritate colligere cœperunt. Sed quamuis militum pars pecunia accepta, in Romanæ & Toſæ ſuburbia concedere, ibique manere iuſſa eſſet, partim vt munitiones cuſtodirent, partim vt ea reficerent, quemadmodum ea quoque quæ circa arcis hortos erat foſſa reficiebatur, eo ipſo in loco in quo à Proſpero Columna ducta fuerat: hi tamen quoq; non minus quàm qui in ciuitate manſerant, eadem hoſpitia retinebant; eademque acerbitate, ſiue quòd Borbonius fidei ſuæ rationem non haberet, ſiue vt creditur, quòd militum voluntati & inſolentiæ quam etiam aliqui ex ducibus fouebant, qui vel ambitione vel odio libenter eius conſilia impediebant, repugnare non poſſet, vtebantur. Qua ſpe deiectus Mediolanenſis populus, quum neque quod ſperaret, neque quò confugeret haberet, in tantam deſperationem eſt coniectus, vt certiſſimum ſit, aliquos vt tot miſerijs ac ſupplicijs finem imponerent, quum id viuentes facere non poſſent, ex editis locis ſeſe in vias præcipites dediſſe; nonnullos ſuſpendio vitam finiuiſſe: nec dum tamen hæc militum rapaci-

Nota bene

tatem ac feram immanitatem mitigare poterant. Erat quoq; hoc tempore miserandus reliquæ Insubriæ à fœderatorum militibus laceratæ status: qui antea maxima lætitia ab omnibus expectati, rapinis ac vexationibus suis beneuolentiam in summum odium, communi nostri æui militiæ corruptela; quæ exemplo ab Hispanis sumpto, non minus amicos quàm hostes lacerat ac perdit, conuerterant: nam etsi iam à multis seculis magna fuisset in Italia militum licentia, eam tamen mirum in modum auxerant Hispani, sed si minus iusta, saltem necessaria de caussa: quia in omnibus Italiæ bellis suis stipendijs fraudati fuerant. Sed vt ab exemplis quorum etiam initia excusationem habent, semper homines in peius ruunt, Itali milites etsi non eadem necessitate, nimirum stipendijs minimè fraudati, premerentur, Hispanorum exemplum sequuti, nulla in parte illis in huiusmodi insolentia cedere voluerunt. quo factum est magna cum huius æui militiæ labe, vt milites nullum inter amicos & hostes discrimen ponant; & sic non minus populos prouincias q; vastant, ij qui vt eas defendant, quàm qui vt offendant stipendia accipiunt. Interea cõmeatus in arce sic absumebatur, vt iã obsessi de dediditione necessariò cogitarent: vt tamen quàm diutissimè possent, differre q; à nonullis fœderatorũ ducibus auxilij spe fouebantur, cuperẽt, nocte quæ XVII Iulij diem præcessit, per arcis portã quæ fossas quib. arx foris claudebatur respicit, supra 300 partim milites, partim mulieres, infantes, & alios inutiles emiserunt: ad quorum strepitum etsi ab hostiũ custodijs ad arma fuerit conclamatũ, nihilominus sine vllo impedimento, cum fossæ tam angustę essent vt hastarum ope transiri possent, omnes incolumes euaserunt. Duæ erant bino manus iactu procul ab arce fossæ; & inter vtramq; agger quatuor vlnarũ altitudine, qui vt ab arce accedentes tuebatur, sic etiam eos qui ab exteriori parte in fossas irrupissent tutos reddebat. Hi igitur Marinianum in castra se contulerunt, & maximarum angustiarũ in quibus obsessi versabantur, fidem facientes, ac simul quàm fossæ quas mulieres & infantes superauerant, parum essent munitæ ostendentes, duces eò vt ei opem ferre conarentur redire coëgerunt: Vrbinatium quoq; duce, ne hanc culpam, quam non tam facilè excusasset, quàm primã solus sustineret, annuente: nam quũ supra quinq; Heluetiorũ millia in exercitu essent, potissima caussa ab illo allata, periculosum esse sine alio quàm Italico peditatu Mediolanũ accedere nullũ amplius locũ habebat. Ideo in ducũ concilio cõmuni cõsensu decretũ, vt exercitus nõ iam ad aliã partẽ, sed recta ad arcẽ accederet, & S. Gregorij, atq; Angeli tẽplis, prope fossas occupatis, ad vrbẽ castra locaret. Quo cõsilio Mariniano castra mouẽtes, quatuor dierũ spacio itinere ob fossarũ aggerumq; munitiones difficili, XXIII Iulij die, inter Casaretti cœnobiũ & Lambrum amnẽ, ad vicũ qui Lambrate dicitur peruenerunt: quo in loco dux eius quòd prius in cõcilio decretũ fuerat sententia mutata, ita castra locari voluit, vt castrorũ frons ad Casarettũ esset obuersa, circiter duob. à Mediolano milliaribus, & Lambrum à tergo haberent, dextera pars ad emissariũ quod Nauilium à nauibus vehendis vocant, sinistra ad pontẽ vsq; protenderetur; ita vt inter Orientalẽ, quæ vulgò est Renza, & Tosam portas esse dici possent; parum enim ad Nouam portã deflectebant: erat autem locus cùm has ob caussas, tum etiam ob regionis situm valde munitus. Dux aiebat se idcirco mutasse locum castrorũ, quo propius arcẽ accederet, & longius ab vrbis muris abesset, ne se in discrimẽ conijcere cogeretur, & in quacunq; vellet partem sese vertendi facultate priuaretur: & quia dum pluribus partibus minaretur, pluribus quoque in locis magna præsidia habere cogerentur; ex quo cum pauci essent, difficultates ipsorum augerentur. Exercitu igitur in hunc locũ perducto, cuius exigua pars eodẽ die Modoetiã missa, ciuitatẽ deditione obtinuit; & sequenti die arcem in qua erant 100 Neapolitani pedites tormentis admotis expugnauit: Quid vt cõmeatus in arcẽ, quemadmodũ audiebatur ad extremã angustiã redactã, introduceretur, & Franciscus Sfortia educeretur, agendũ esset, in concilio fuit propositũ: & quãuis multi militũ præfecti, siue quòd re vera ita sentirent, siue vt se in ijs quæ maiore aliorũ famæ & existimationis quã ipsorũ periculo erãt decernẽda, audaces ac fortes ostẽderent, vt munitiones inuaderentur suaderẽt, nihilominus Vrbinas dux, id periculosissimum ratus, non quidem apertè contradicens, sed difficultatibus propositis, iniectaq; mora, ne quid decerneretur efficiebat. quare cũ res in crastinũ esset dilata, Heluetij duces vt in conciliũ cui interesse nõ solebant admitterentur petiuerunt, Mussius qui quòd

maxima-

maximam illorum partem duxiſſet, omnium inter eos ducis nomen obtinebat, eorum nomine in hanc ſententiam eſt locutus: Heluetios duces vehementer mirari, quòd cum hoc bellum Mediolanenſis arcis obſidione liberandæ gratia cœptum eſſet, & res ita in anguſtum eſſent redactæ, vbi animo & factis opus eſſet, ipſi fruſtra num ſuccurrendum eſſet nec ne quærentes, tempus tererent: tamen quin conſilium ad communem ſalutem, & tot ducum tantiſque exercitus dignitatem opportunum eſſent capturi, ipſis perſuaderi non poſſe: quapropter voluiſſe eis ſignificare, ſe niſi cum arci appropinquarent ipſis eum laboris ac periculi locum quem Helueticæ gentis fides atq; exiſtimatio merebatur darent, in eo ſe maxima ignominia iniuriaque affici exiſtimaturos: adhæc monere illos vt in hoc conſilio capiendo, illorum qui cœptas expeditiones turpiter corrupiſſent, non tam memores eſſe vellent, vt eorum qui viciſſent gloriam & fortunam obliuioni traderent. Quibus in ſermonibus dum tempus teritur, & ab omnibus ducem arci auxilium ferri non poſſe cenſere, apertè animaduerteretur; nuntij non tamen prorſus certi ſuperuenerunt, arcem aut iam cum hoſte compoſuiſſe, aut in procinctu rem eſſe perductam: quibus dux fidem adhibens coram vniuerſo concilio eam rem etſi Mediolanenſium duci eſſet perniciosa, ſocijs tamen deſiderabilem, atq; vtilem eſſe: propterea quod exercitum auxilij ferendi cupiditate aut neceſſitate, aliquid temere tentandi periculo liberaret; eosq; imprudenter admodum ſenſiſſe, qui ei ſuccurri poſſe ſibi perſuaſerant: nunc autem cum hoc periculo eſſent liberati, iterum de belli gerendi ratione perinde ac ſi is primus belli dies eſſet deliberandum ac decernendum eſſe dixit. Paulo poſt certus compoſitionis nuntius eſt allatus; quoniam Mediolanenſium dux quum ad eam anguſtiam eſſet redactus, vt vix vnius diei victum haberet; & quum ſociorum exercitum iam ante duos dies tam propinquo in loco metatum, nullum motum facere cerneret, omni ſubſidij ſpe amiſſa, ijs, quæ iam per multos dies vt in hunc euentum paratus eſſet, cum Borbonio egerat, qui quum fœderatorum exercitus retroceſſiſſet in arcem ducis viſendi gratia hominem miſerat, ad finem perductus, XXIIII Iulij die in hunc modum pactus eſt: Vt ſine iuris ſui fraude, arcem Mediolanenſem ducibus Cæſaris nomine eam accipientibus traderet: ipſe cum ijs omnibus qui in ea erant incolumis diſcedendi facultatem à ducibus haberet: Comi manere ei liceret, eaq; ciuitas ipſi cum eius adminiſtratione & vectigalibus, tandiu, donec Cæſaris in ipſius rebus voluntas cognoſceretur, eſſet attributa: Comi vectigalibus tantum adderetur, vt triginta aureorum numûm millia quot annis haberet: Publicam fidem vt tutò ad Cęſarem iri poſſet ei darent: militibus qui in arce erant, ſtipendia quæ ipſis ad eam vſque diem debebantur, quorum ſumma ad viginti aureorum numûm millia aſcendere dicebatur, perſolueret: Ioannesangelus Riccius, & Politianus, Protonotarij Caraccioli poteſtati, vt eos interrogare poſſet, ipſum eos deinde dimiſſurum, & in tutum locum duci curaturum, fide ab illo acceptâ, traderentur. Mediolanenſium dux Alexandrinum epiſcopum, qui in Cremonenſi arce captiuus erat, dimitteret: & Sforcino Caſtellonouum in Dertonenſi agro ſitum daretur. In hac pactione nihil de Cremonenſi arce actum eſt; quam dux qui famen diutius ſuſtinere non poterat, Iacobo Philippo Sacco ab ipſo ad Borbonium miſſo, vt ſi alia ratione poſſet, eis promitteret, mandarat: ſed is ex illorum verbis & agendi modo, quantopere rem perfici cuperent animaduertens, Ducem nunquam id conceſſurum ſimulans, vt nihil de eo ageretur impetrauit: nam etſi Cæſariani duces multis coniecturis arcem cõmeatu exhauſtam eſſe, ac neceſſariò breui ſe voti compotes futuros animaduerterent; tamen rei certæ magis quàm dubiæ cupidi, arcem quauis conditione accipere decreuerant: neq; enim fœderatorum exercitum qui tam prope acceſſiſſet, ei opem ferre non conaturum exploratum habebant: quod ſi feciſſent, munitiones defendi poſſe diffidentes, in apertum ad pugnam prodire decreuerant: quam dubiam fortunæ aleam à duce id quod poſſent accipientes, libenter vitarunt. Dux autem ſequenti die arce egreſſus, & à multis illorum militibus vſq; ad caſtrorum ſepta deductus, vbi diem vnum illic egiſſet, Comum verſus contendit: ſed quum Cæſariani ipſum quidem tutam habitationem Comi habere dicerent, milites autem qui in præſidio erant educere recuſarent, ipſe quamuis antea nihil quod Cæſaris animum magis irritare poſſet, facere ſtatuiſſet, illorum fidei ſe amplius committere nolens, Laudam ſe contulit: quam ciuita-

tatem fœderati prorſus ipſius poteſtati permiſerunt: cumq; ex ijs quæ in compoſitione expreſſa fuerant, nihil ipſi, niſi quòd ipſum cum ſuis omnibus & ſupellectile incolumes abire permiſerunt, ſeruatum fuiſſet, fœdus à pontifice & Venetis ſuo nomine ictum publicis tabulis confirmauit. Hoc autem ipſo tempore, quamuis pontifex ob Columniorum motus, cardinalem & ceteros Columnios publico edicto monuiſſet, tamen quum Senẽſis reip. ſtatus mutandi ſpem valde imminutam cerneret, & Latium infeſtari moleſtè ferret, Vgoni Moncadæ qui non res componendi animo, ſed vt illum in apparatibus negligentiorem redderet, vt quibuſdam legibus arma contra Senenſes atq; inter Columnios & ipſum deponerentur proponebat, aures cupidè accommodauit: ad quæ tractanda cum Veſpaſianus Columna, homo pontifici familiaris Romam veniſſet, in cauſſa fuit vt ipſe qui felicis rerum circa Senas ſucceſſus ſpe prorſus amiſſa, de exercitu à mœnibus amouendo cogitabat, vt illum ſtatim vbi hæc compoſitio eſſet confecta, minoris ignominię cauſſa amoueret expectans, hoc ſalutare conſiliũ exequi diſtulerit: & nihilominus errorib. ac moleſtijs in eo exercitu ſemper creſcentibus, vt amoueretur Florentię fuit decretum. Accidit aũt vt pridie eius diei quo erant diſceſſuri, cum quadringenti pedites vrbe egreſſi, ad tormenta quorum cuſtodiæ præerat Iacobus Corſus, contenderent, ipſe ſtatim cum ſuis militibus terga dederit; & rumore excitato, ac fugæ initio facto, omnis reliquus exercitus, in quo nec diſciplina nec ordo erat, quamuis nec qui perſequeretur, nec qui inuaderet aliquis eſſet, ſe ipſe in fugam coniecit: & ducibus, legatis, equitibus & peditibus certatim ſeſe vt periculum euaderent, in fugam incitantibus; cõmeatu, impedimentis, ac tormentis hoſtium poteſtati relictis: quorum decem Florentinorum partim maiora, partim minora, & ſeptem Peruſinorum tormenta maximo cum gaudio ac penè triumpho Senas ſunt perducta, & maximis eius populi acclamationibus tormentorum quæ iam multo antè à Florentinis ad eadem Senarum mœnia amiſſa adhuc in publico eius ciuitatis foro conſeruabantur, ignominia renouata. Hæc clades eo die qui eum quo Mediolanenſis arx in Cæſarianorum ducum poteſtatem peruenit eſt ſequutus, accepta eſt; ijſdemq; diebus pontifici, vt ad priuatas moleſtias Chriſtianæ reipublicæ calamitates accederent, ex Vngaria eſt nuntiatum, Solymanum Othomanũ, qui Conſtantinopoli cum maximo exercitu ad illud regnum oppugnandum profectus, Saua fluuio, quia ante paucos annos Belgradum expugnauerat ſine vllo impedimento traiecto, nunc Petri Varadini caſtellum expugnaſſe, & Drauam traieciſſe; quare cum illi nec montes nec flumina impedimento eſſent, Vngaria vniuerſa in manifeſtiſſimo periculo verſari cernebatur. In Italia verò quòd Mediolanenſis arx in Cæſaris poteſtatem perueniſſet, belli ſtatus valde immutatus videbatur: neceſſe enim erat, vt Vrbinatium dux aiebat, noua conſilia nouamq; rationem inire, quemadmodum faciendum erat, ſi cum bellum cœptum eſt arx in Franciſci Sfortiæ poteſtate nõ fuiſſet: qua occaſione eodem die quo deditio eſt facta, cum pontificio vicario, & Veneto legato, de rerum ſtatu verba faciens, vt aliquis eſſet totius fœderatorum exercitus imperator, cui exercituum cura committeretur opus eſſe ſubiecit: nec ſe id ſua magis quàm cuiuſuis alterius cauſſa proponere, ſe tamen niſi imperium haberet, nullam deinceps niſi Venetorum copijs imperandi ſibi curam ſumere ſtatuiſſe; ac vt id Romæ & Venetijs ſignificarent ab eis petijt. A` qua petitione maxima cum põtificis iracundia tempore tam alieno facta, vt eum remouerent, neceſſe fuit à Senatu veneto Aloyſium Piſanum magnæ autoritatis virum ad exercitum mitti; cuius opera hic ardor potius nonnihil mitigatus, quàm extinctus eſt. Sed quod ad belli in poſterum gerendi rationem, vt exercitus donec Heluetij, quæ Galliæ regis nomine & opera conſcribebantur veniſſent, ex eo loco caſtra non moueret eſt conſtitutum: qui vbi veniſſent dux duobus diuerſis in locis circa Mediolanum caſtra habere oportere aiebat: non quidem oppugnationis tentandæ aut virium periclitandarum gratia; ſed vt commeatus penuria opprimeretur, quod trium menſium ſpacio fieri poſſe ſperaret, & ſemper eorum qui caſtris in hunc modum poſitis, ciuitatis expugnationem aggrediendam proponebant ſententias vehementer reijciebat: cum enim fœderati pecunia abundarent, & contrà Cæſariani maximè egerent, omnes rationes belli victoriam polliceri, & nullam, niſi accelerandi deſiderium, contrarium minari: ac tempore & patientia, aduerſarijs exhauſtis, quin res ad felicem exitum perducerentur fieri non

non posse differebat. Cumq; aliquando ei responderetur, sermonem ipsius verum quidem esse, si illis nouum peditatum ex Germania auxilio nõ venturum exploratum esset; qui si eiusmodi veniret vt Cæsariani in aciem prodire possent, quin res prorsus fortunæ arbitrio subiectæ essent futuræ, negari non posse: tunc se nõ minus certam victoriam etiamsi id fieret sibi polliceri aiebat: cum enim Borbonij impetũ nosset, illum vbi se fœderatorum exercitui viribus parem esse crederet, tantum progressurũ, vt ipsis alicuius secundi successus, qui victoriam acceleraret facilè occasionem daturum. Sed quia ob difficultates quæ in Heluetijs conscribendis esse audiebantur, ne multorum dierum mora ante illorum aduentum interponeretur metuebant: eius verò temporis iacturam pernicioſam censebant, Vrbinatium ducis potissimum consilio & Mediolanensium duce idem vrgente, Malatestam Ballionem cum trecentis grauis, totidem leuis armaturæ equitibus, & quinque peditum millibus ad Cremonæ expugnationem mittere decreuerunt: quæ expeditio, quia paulò plures quàm centum grauis ducenti leuis armaturæ equites mille Germani & trecenti Hispani pedites in ea erant, prẽterea pauca tormenta, minor tormentarij pulueris & globorum copia, non multum commeatus, populus ciuitatis quamuis timidior & consternatus Cæsarianis inimicus, & arx ijsdẽ aduersa; ex qua etsi fossa & aggere à ciuitate fuisset seiuncta, nihilominus ex Annibalis Picinardi eius prẽfecti verbis, ciuitati à latere verberandi facultatem adimi, ideò facilè expugnari posse sperari poterat. Malatesta igitur hoc consilio Cremonam petijt; cuius discessu, cum exercitus esset imminutus, Vrbinatium dux, ne milites qui Mediolani erant, aliquando noctu castra inuaderent, non parum metuebat; tantum res à victoriæ spe aberant; crebræ tamen Ioannis Medicis opera excursiones velitationesq; fiebant: quæ etsi in illis ipsius ferocitas & virtus ac Italici peditatus fortitudo, donec ab eo gubernari cœperũt, obscuri, eluceret, nihil tamen ad belli summam proderant, imò potius ob exercitatorũ & audacissimorum militum crebras cædes oberant. Interea verò aduersi rerum successus, pontificis qui ad diuturnum bellum, cuiusmodi hoc futurũ apparebat, non satis pecunia erat instructus, nec ad eam, eo modo rei magnitudo postulabat, & quo ceteri pontifices solebant, inueniendam paratus, animum debilitauerant: sed lõgè etiam magis eum turbabat, quòd Galliæ regis facta, fœderis capitibus, & ijs quæ omnes sibi de illo persuaserant minimè respondere videbantur: nam præterquam quòd in primi mensis quadraginta aureorum numũm millibus persoluendis, & necessarijs ad Heluetios conscribendos apparatibus tardus fuerat, nullus ad bellum trans alpes inchoandum apparatus cernebatur: aiebat enim primò Cæsari quemadmodum fœderis legibus erat expressum denuntiandum esse: quod si secus fieret, ne Angliæ rex qui cum Cæsare peculiare fœdus ad mutuam defensionem haberet eum iuuaret periculum esse: vbi verò denuntiatum foret eum metum desiturum; ideoque se statim alacriter bellum inchoaturum, & Angliæ regem quoque qui se statim vbi indictum esset Cæsari fœdus remissurum; & deinde fœderi Cuneaci icto se adiuncturum pollicebatur, idem facturum se sperare. Serius quoq; rex classem adornabat, & quod magis eius animum declarabat, quingenti cataphracti quos in Italiam mittere debebat, multum moræ ante quàm alpes transcederẽt, interponebant: & quamuis hæc tarditas aut ex Gallorum negligentia, aut pecuniæ inopia, & fide proximis annis cum Lugdunensibus mercatoribus amissa, aut quòd cataphracti ob cladem in Papiensi pugna acceptam; & quia post id tempus vel nihil vel parum pecuniæ acceperant, ita imparati essent, vt cum omnia ipsis iterum essent comparanda, id sine magna temporis mora facere non possent, proficiscì diceretur, nihilominus qui rerum progressus diligentius ponderabant, regi, quòd, vt exiguã est inter principes fides, ne Itali Insubriæ imperio recuperato, parua ipsius habita ratione, aut sine ipso cum Cæsare paciscerentur, aut in eo ita vexando vt filios ipsi restitueret negligentes forent metueret, diuturnum bellum celeri victoria gratius esse suspicabantur. Pontificis etiam suspicionem augebat, quod Angliæ rex, quum vt se se fœderi cuius autor fuerat adiungeret rogaretur, prioribus consilijs ac promissis minimè respondens, potius vt moram interponeret quàm aliam ob caussam, vt socij pecuniam quam Cæsar ei debebat, se ipsi daturos reciperent, & vt principatus, pensionesque ex regno neapolitano promissus, in Insubriam transferretur petebat. Ti-

mebat quoque pontifex,ne Columnij, qui varijs motibus assiduam ipsi suspicionem incieijbant, regni neapolitani viribus se oppugnarent. Itaqeu omnibus difficultatibus ac periculis simul collectis, apud socios, vt præter terrestres & maritimos apparatus fœderis legibus expressos,quos singuli pro rata portione diligenter suppeditarent, communibus viribus regnum neapolitanum, mille leuis armaturæ equitibus,& duodecim peditum millibus cum aliquo cataphactorum numero oppugnarent, instabat: ex ijs enim quæ ad eam vsque diem gesta erant, nisi Cæsar alio etiam in loco quàm in Insubria oppugnaretur, res felicem exitum sortiri non posse censebat. Quas ob causas Ioannem Baptistam Sangam Romanum, ex suis scribis vnum ad Galliæ regem, vt eum ad bellum maiore ardore capessendum incitaret, & quàm ipse exhaustus & ad eosdē sumptus diutius sustinendos,nisi etiam ab ipso aliqua pecunia iuuaretur minimè paratus esset,ei ostenderet,misit: & quamuis in fœdere de regno neapolitano dum bellum in Insubria vigeret oppugnando actum nō esset, tamen vt id nunc faceret petebat: ad quod etsi Veneti initio ne se tot sumptibus onerarent,se difficiles ostendissent,eius tamen flagitationibus victi,tandem etiam sine rege,sed tanto minore militum numero,quantum ipsius portio efficere poterat, auxilia conferre annuerant. Hanc igitur ob causam rex, præter quingentos cataphractos, quibus Salutiarum marchionem,potius vt aiebat hominis felicitate quàm virtute motus ducem destinauerat, trecentos in Insubriam, vt pars illorum in regnum neapolitanum transferri posset mitteret: vt classis aduentus,quo vel Genuam cōstringerent,vel eam in regnum neapolitanum verterent,vrgeretur:quæ etsi à Gallis eadem negligentia qua cetera adornaretur, assiduè tamen vrgebatur:erant autem in classe quatuor regis magnæ longæ naues, quas Galeones nuncupant, & sexdecim triremes: Venetorum tredecim triremes,& pontificicis vndecim:cuius vniuersæ classis in regis gratiam,quamuis pontifex magis Andreæ Auriæ studeret,Petrus Nauarrus præfectus erat designatus.Fuit præter hæc omnia Sangæ occultissimè mandatum, vt regem ad Mediolanensem expeditionem pro se ipso aggrediendam, quo omnes vires ad bellum intendendi causam haberet incitaret: & vt deinde Angliæ regem adiret,atque ab eo pecuniæ subsidium peteret: quoniam rex ille qui primò tantopere bellū contra Cæsarem exoptabat, vt si fœdus in Anglia quemadmodum ipse & Eboracensis cupiebant tractatum fuisset,se se adiuncturum fuisse creditus sit;sed quia tempus & Mediolanensis arcis angustiæ rem diu agitari non tulerunt, vbi fœdus ab alijs contractum vidit,medius vt spectator & iudex sibi esse posse visus est. Tractabat etiam pontifex,à Venetis & à Galliæ rege stimulatus, qui hanc ob causam Baiucensem episcopum Ferrariam miserat, impulsus,de controuersijs cum eo duce componendis(quamuis id potius ad speciem quàm ad veritatē) varijs conditionibus propositis;& inter cætera,se illi pro Mutina & Regio Rauennā traditurū:quæ res à duce reiecta fuit,qui non modò ob exercitus à Mediolani portis recessum audacior factus,verùm etiam ob id maximè quòd & in hac de Rauennæ permutatione, magnum in vectigalibus discrimen esset,& quòd inde sibi aliquando cum Venetis controuersias oriri posse videret, consueto difficiliorem se se ostendebat.Hæc erant fœderatorum consilia,hi apparatus,hæ actiones,pro principum, virium,finium & consiliorum ratione dilata, interrupta, & mutata. At in Cæsare cuius consilia ex ipsomet pendebant,in ijs quæ vires ipsius ferre possent,neq; negligentia, neq; hæsitatio locum habebat:nam quum Galliæ rex à sociorum oratoribus rogatus,proregi in Italiam transeundi facultatem, quam etiam cum lacrymis petiuit denegasset, is viginti millibus aureorum numûm æstimatis, muneribus reiectis, cum regis chirographo,quo se ad Madrilienſem compositionem Burgundiæ restitutione in viginti millia auri pondo permutata,seruandam paratum significabat,in Hispaniam redierat: in cuius reditu Cæsar omni cōpositionis à Galliæ rege seruandæ spe amissa,eum in Italiam cum classe,qua Germani pedites qui numero paulò minus tribus millibus Perpeniani erant,& tot Hispani vt in vniuersum sex millia essent veherentur,mittere statuit; vt centum aureorum numûm millia Mediolanum mitteret operam dabat,& classis instrue retur vrgebat, quod tamen tam citò fieri non poterat:nam præter tempus quo ad eam instruendam, & Hispanos pedites colligendos opus erat,centum aureorū numûm millia quæ Germanis ob emerita stipendia debebantur illis persoluere erat necesse. In

Germa-

Germania quoq; nouos delectus qui Mediolanum mitterentur haberi mandabat; sed quum pecuniã qua stipendia eis dari possent nõ mitteret,& frater eam suppeditare non posset,id tardè admodum fiebat:& nihilominus fœderatorum tarditas & parum felices successus, vt omnia expectari possent efficiebat. Quoniam Malatesta castris Cremonæ admotis VII Augusti, noctu tormenta ad Mussanam portam, eum locum, quòd lateribus malè munitus esset,& Pomœrium interius solita terra minimè plenum,debilem ratus, collocauit: cumq; eodem tempore in ea parte quæ prope arcem erat oppugnationem aggredi vellet, vt qui propugnabant eo copias in plures partes diuidere cogerentur, partem ab ea remotam verberare opportunum censebat. Sed tamen vbi aliquandiu verberasset, & is locus ipsi munitior firmiorq; videretur,& quod verberatum erat, tam altum,vt murus à solo nimis emineret,eo in loco oppugnationem non aggredi,sed diuerso consilio alium locum prope arcem, qui sancta Monaca dicitur, quem aliàs Federicus Bozolensis verberauerat, tormentis quatefacere decreuit; eodemq; tempore, binas fossas cum aggeribus in arcis area ducebat, quarum altera ad dexteram Padum versus vergebat,quo in loco Cęsariani binas & ipsi fossas & aggeres fecerãt,& suo quidem opere eis vallum, cui iam ad sex vlnas appropinquarat, quod ad primam illorum fossam prope ciuitatis mœnia erat, se illis adempturum sperabat:quo occupato,eo turris loco ad mœnia per longitudinem vt Galli prius fecerant quatienda, vti cogitabat: idcirco Cæsariani aliud vallum post interiorem suam munitionem faciebant. Alterum Malatestæ opus ad sinistrã prope mœnia erat, & iam illorũ operibus tam propinquã vt se inuicem saxis peterent:his autem operibus perfectis,tormentis mœnia concutere in animo habebat:nec verò illi in his operibus faciendis hostium tormenta impedimento erant,quia in vrbe nõ vltra quatuor falcones,qui sunt minora torměta,habebant,& parum pulueris;idcirco ictus erant rariores: & nihilominus milites qui intus erant,erumpentes,eos qui munitiones faciebant sæpe,etsi magnum præsidium haberent,in multas difficultates cõiectos infestare non desinebant: quare Malatesta quid sibi agendum esset ferè incertus, haud magna sua cũ laude varijs iudicijs in suis literis scriptis,exercitus duces ancipites reddebat: qui oppugnationem semper difficiliorem apparere cernentes,mille & ducentos Germanos pedites paulo antè à Venetis communibus cum pontifice sumptibus cõductos in eius castra miserunt;& paucis diebus post,vt dissensionem æmulationemq; inter Malatestam & Iulium Manfronem ortam mitigaret, Pisaurus legatus, qui ex summa beneuolentia Vrbinati iam parum acceptus erat,cum tribus peditum millibus ab exercitu eò se contulit. Ea verò nocte quam XIII Augusti dies est insecuta, Malatesta quatuor tormenta, inter sancti Lucæ portam & arcem,vt vallum quoddam occuparet collocari iussit: vbi quum ferè per totum diem verberasset,valli eadem nocte capiendi spe aggerem aperiri curauit: sed quarta noctis hora,pauci Germani peditis ciuitate egressi, in operũ custodes qui partim intus partim foris supra mille pedites erant,impetum fecerunt, ac perturbatos locum deserere coëgerunt:quamuis & ipsi sequenti die inde fuerint repulsi;ita vt opus tanto labore factum ab vtrisq; desertũ fuerit. Sed fortuna se oppugnantibus propitiam ostendere voluit,si modò illi occasionem aut cognoscere aut arripere sciuissent:nocte enim in XV diem imminente,circiter quinquaginta muri vlnarum spacium,inter sancti Lucæ portam & arcem per se vnà cum vno tormento corruit; vbi si quamprimum dies illuxit impressionem extemplò fecissent,ijs qui intus erant tam repentino casu territis, quia locus ex quo propugnare debebant arcis tormentis expositus relinquebatur, nulla propugnationis spes reliqua erat. Dum verò Malatesta primùm in deliberando, deinde milites ad pugnam instruendo moram interponit, milites introrsum diligenter operi incumbentes,& primò omnium aggeribus se contra arcis tormenta munientes,frontem quoq; contra hostes munierunt:ita vt quum acies in pugnam producta est, quod quatuor horas ante solis occasum fuit, etsi maxima exercitus pars ad eam partem sit conuersa, tamen quia nimis aperti procedebant, maximo suo detrimento accederent: propius autem vbi accessissent, præter alia defensionum genera lapidum grandine à propugnantibus obruebantur:adeò vt Iulius Manfronus,Maco militum ductor, multiq; alij nõ ignobiles milites ceciderint. Eodem tempore & alia irruptio per arcem est facta; vnde,sed parua cum clade repulsi fuerunt;

& vt ad ſanctæ Monacæ vbi mœnia concuſſa fuerant, alia impreſſio cum octuaginta grauis, centum leuis armaturæ equitibus & mille peditibus fieret decretum fuit: ſed quum foſſam aqua plenam & locum bene munitum inueniſſent, re intentata retroceſſerunt. Venit deinde Piſaurus legatus cum tribus Italorum peditum millibus, & ſupra mille Heluetijs, & alijs tormentis, vt duobus in locis magno impetu mœnia verberare poſſent: itaque quum ſupra octo peditum millia eſſent, binis in locis ternis peditum millibus adhibitis, & prope arcem quoque duobus millibus oppugnationem aggredi cogitabant: & magno operarum numero in caſtra ducto, foſſis aggeribusque faciendis diligenter operam dabant; quarum vna vigeſima tertia Auguſti die ad finem perducta, poſt longam pugnam, hoſtium latus vnum, vnde petebantur cooperuerunt. Nocte deinde ante XXVI eiuſdem menſis diem, duobus in locis mœnia verberarunt, vni qui vltra eum eſt quem Federicus verberarat, præfuit Malateſta, alteri ad Muſſanam portam Camillus Vrſinus; vtriq; autem paruo ſucceſſu: locus enim in quo Malateſta tormenta collocarat, quòd paluſtris eſſet, tormenta minimè immota retinebat, ſed ipſo diſploſu cedens, vt altius verberarent efficiebat: Camilli verò etſi nõ altius peterent, tamẽ quòd foſſa in ea parte aqua redundaret, & lateribus multis ruina defenderetur, ab acceſſu arcebantur. His tamen difficultatibus contemptis oppugnationem ſunt aggreſſi: ſed ſtatim haud paruo cum detrimẽto reiecti: eadem fuit Malateſtæ fortuna: nam etſi eius milites foſſa aqua pleniore quàm putarant ſuperata muro ſucceſſiſſent, facilè ſunt repulſi. Ab arcis quoq; parte pro opugnaculum ex parte deiectum milites conſcenderunt; ſed quia interior deſcẽſus profundior erat, & qui defendebãt magna vi repellerent, recedere actutum ſunt compulſi: Ita pugna vbiq; paruo ordine commiſſa, paruo hoſtium detrimento, multa vulnera & cædes retulerunt. Hæc igitur, & quod Cremonæ alioqui capiendæ, quòd is exercitus ordine & diſciplina careret, ſpes amitteretur, Vrbinatium ducem ſeſe eò transferre coëgerunt: qui omni ferè Venetorum peditatu ab exercitu, qui circa Mediolanum erat ſecum abducto; & equitatus parte cum omnibus pontificijs copijs atque Heluetijs, qui iam tredecim millia in caſtris erant, relictis: eo periculo quod antea quum ipſe cum maioribus viribus adeſſet ſe aſſiduè timere præ ſe ferebat, nunc quum minores copiæ & tantæ autoritatis duce ſpoliatæ relinquebantur cõtempto, militaribus viris præſertim Hiſpanis exercitus intra caſtrorum ſuorum munitiones inuadere minimè moris eſſe inquiens, Cremonam eo conſilio venit, vt ea non ſola tormentorum & oppugnationis vi, quia nimis erat munita, ſed ingenti fabrorum numero illorum foſſis ac propugnaculis propius accedere nitens, ligonum potius ope quàm armis ſe potiturum ſperaret. Huius in Mediolanenſe imperium expeditionis adminiſtrationem Cæſariani duces multis in rebus reprehendebant; præſertim verò in eo quòd Mediolano retroceſſiſſent, nec non quòd initio Cremonæ oppugnationem, re parum expenſa, eam facilè expugnari poſſe confiſi tenuiter ac paruis viribus tentaſſent; deinde rei difficultate animaduerſa, in ea perſeuerantes huiuſmodi exercitus partem in eo implicaſſent, vt maiorum rerum occaſiones, quæ ſe dum tempus tererent obtulerunt amiſerint: quum enim tandiu exoptatus Heluetiorum numerus integer in caſtra peruenisſet, facilè poterant Mediolanum, vt ſemper cogitauerant, duobus exercitibus obſidentes magnam commeatus copiam, quæ Papienſi itinere aſſiduè adferebatur, eis intercludere: quod exercitus qui Lambrate caſtra habebat ſolus, quòd ei longus circuitus eſſet conficiendus, minimè præſtare poterat. Sed longè maioris fuit Mediolani capiendi nõ paruam occaſionem amittere: tot enim morbi milites qui intus erant obruerant, vt quũ vix qui incolumes erant, conſuetis vigilijs & laboribus ferendis pares eſſent, multorum & ipſorummet Cæſarianorum opinio fuerit, ſi eo tempore oppugnati fuiſſent, ne ſuccumberent periculum fuiſſe. Sed maior certiorq; occaſio ſeſe obtulit Genuæ occupandæ: nam quum Veneta claſſis ad ciuitatem veterem ſe põtificiæ coniunxiſſet, deinde vtraq; in Ligurni portu vt Gallicã claſſem opperiretur, conſtitiſſet; ea claſſis cum ſexdecim triremibus, quatuor magnis longis nauibus, & item quatuor alterius generis, in occiduum litus appulſa, Sauonam ciuium conſenſu cum toto occiduo litore occuparat: pòſt, multis nauibus frumento onuſtis, quæ Genuam petebant captis, Ligurnum vt ſe alijs adiungeret, contendit. Decretum etiam fuerat, vt communibus ſociorum ſumptibus

bus in Massilienſi portu duodecim magnæ naues onerariæ armarentur, vt ijs Petri Nauarri consilio, vnà cum Gallicis triremibus classem, quæ in Cartaginis nouæ portu parabatur adorirentur, vel saltem ei in mari occurrerent. Hæ tres igitur classes XXIX Augusti Ligurno soluentes, pontificia & Veneta in Delphini portu substiterunt: Gallica verò Sauonam redijt, vnde totum mare sine vllo impedimẽto percurrentes, ita Genuam quæ cõmeatus penuria laborabat obsidebant, vt quum nihil amplius mari in eam vehi posset, nullum dubium sit, quin si aliquis militum numerus ipsis terrestri itinere eum commeatum quo solo fouebantur intercepisset, Genuenses deditionem facturi fuerint: nec classium duces nunc literis, nunc proprijs nuntijs aliud petebant, nisi vt saltem quatuor peditũ millia terrestri itinere mitterentur. Sed neq; ex Cremonensi exercitu mitti poterant, & quum Vrbinatium duci & alijs exercitum qui Mediolani erat minuere periculosum videretur, Cremona capta, militum iustam legionem mittere cogitabant. Cremonensis autem expeditio tum ob magnam propugnatorum virtutem, tum etiam quia magna fabrorum opera multum temporis requirunt, quotidie præter opinionem longior apparebat: Dux enim duobus fabrorũ millibus in castra accersitis, multisq; tormẽtis & machinis, nec non ingenti omnis generis fabriliũ instrumentorũ copia, vt eas munitiones quibus hostes arcẽ excluserant, & vallũ quod ad Padũ erat expugnaret, eoq; ad oppugnationẽ vteretur, assiduè operibus incumbebat: sed hostes id ante aliquot dies suspicati, magno aggere facto retrocesserãt: nec opera intermittebantur, ad bina munitionis per arcis areæ transuersum ductæ capita, vt hostiũ propugnacula euerterẽt & inter duas exercitus fossas, aliam fossam sex vlnarum se à fronte & latere terra quam effodiebant aggesta munientes agebant; vt vbi ad hostium fossam peruenissent, tumulum erigerent: alia præterea fossa extra arcem prope vrbis mœnia, quæ ad propugnaculum quod prope dirutum murum erat duceret, & à sancti Lucæ porta ad eundem murum vsq; alia: neque interea tormentis in arce collocatis, hostium munitiones, quas quia ex leui & puluerulenta terra erant, tormentorum globi facilè penetrabant, verberare desinebant: obsessi verò ne ipsi quidem otiosi erant: quum enim sua diu defendi posse diffiderent, fossam prope vrbis ædificia ducebant: & sæpe tamen magno impetu rumpentes fabros adoriebantur: & nocte ante VII Septembris diem in opera quæ prope arcem fiebant, tribus ex partibus irruperunt: vbi quum milites qui eas custodiebant ferè omnes dormientes offendissent, plus centum ex illis atque vna centuriones aliquot interfecerunt; & ad arcis propugnaculum vsq; sunt progressi: & nihilominus res illorum subinde magis in angustum redigebantur: Vrbinatium enim dux fossis sibi via ad illorum munitiones quæ arcem à ciuitate disiungebant vsque aperta, deinde scloppetarijs, & aliquot bonis militibus clipeis tectis illos adoriens, magnum illis detrimentum adferebat; & tormenta quoq; in arcis turribus collocata idem faciebant: ideò Cæsariani vallum suum quod ad propugnaculum fiebat, ne hostes tegeret incenderũt: & quum XIX eiusdem mensis die, duæ fossæ in illorum fossas vsq; essent productæ, alijs fossis ductis retrocedebant: quas tamen Vrbinatium dux, quia ob temporis exiguitatem minimè bene munitæ esse poterant, & quia in ampliori spacio maiore ad eas tuendas præsidio opus erat, parui faciebat; & nihilominus exercitus res etsi hæc ad finem essent perducta, cum aliqua tarditate quia Venetorum peditatu quod diu sine pecunia fuisset, valde erat imminutus, recognoscendus & instaurandus erat, expediebãtur: in fœderatorum enim rebus subinde error errorẽ & offensio offensionẽ generabat. Quibus reb. dum operã darent, Cæsariani sæpe noctu ad munitiones tentandas erumpebant; sed frustra, quia cladis acceptæ memoria, reliqui cautiores euaserant. Idoneo autem peditum numero conscripto, Vrbinatiũ dux, XXII eiusdem mensis, turrim prope eum locum, quem Federicus percussérat magno impetu quatere cœpit: quam cum paucis ictibus pulsasset, hostes eò redactos esse vt deditionem detrectare nõ possent animaduertens, præconem in ciuitatem qui eam sibi dedi postularet misit: cum quo, quum duo militum præfecti vnus Germanus, Hispanus alter, & Guido Vaina egressi essent, sequenti die cum eis de deditione pepigerunt, vt nisi per totum eum mensem auxilio iuuarentur, Cremonam desererent; Germanis in Germaniam & Hispanis in regnum neapolitanum, se intra quatuor menses cum Cæsarianis in bello Mediolanensi non facturos fide data, ire liceret: tormenta cum omni eorum

apparatu relinquerent; & vexillis complicatis absq; timpanorum tubarumúe sono, nisi in ipso discessu, discederent. Hoc tempore Galliæ rex apud quem paulo pòst Saluiatus cardinalis ex Hispania cum Cæsaris venia profectus, vt legatus hæsit, ad eius petitiones pontificis nomine factas, sic respondit, vt se excusaret si facta voluntati minus responderent; propterea quòd pecunia valde esset exhaustus; sed tamen si ipsi sacrorum beneficiorum per vniuersum regnum decumas exigendi facultatem tribueret, se illi ex ea pecunia viginti aureorum numûm millia singulis mensibus suppeditaturum; & ad neapolitanum bellum auxilia missurum pollicebatur. De Mediolanensi imperio sibi acquirendo, quamuis primò se ad id paratum ostendisset, Lautrechio potissimum & matre id dissuadentibus, operam dare recusabat: belli trans alpes gerendi spem faciebat; sed prius denunciandum esse aiebat: quo facto se in Flandrię & Perpeniani finibus arma moturũ pollicebatur, & si ad id minimè paratus videretur: neque enim ipsius animus in hoc ab Angliæ regis apud quem pontificis legatio parum admodum profecit, mente differebat: nam quum Eboracensis cardinalis omnes spe fouere, & ab omnibus rogari vellet, nihil certi constituebat: imò & cardinalis & rex ipse sæpe Italiæ res nihil ad se spectare respondebant. Quo tempore cum fœderati timerent ne Rheti qui dum Mediolanensis arx obsidebatur, Clauennã recuperarant, & arcem euerterant, ad Borbonij stipendia conducerentur, aut saltem Germanis, qui illi auxilio veniebant per fines suos iter concederent, pontifex & Veneti se duo Rhetorũ millia ad stipendia sua conducturos Mussij præfecto, qui sibi à Mediolanensium duce cum is in castra venit, metuens, ex castris sese subduxerat: deinde se ob stipendia Heluetijs data creditorem esse asserens, duos Venetos legatos qui in Galliam proficiscebantur cœperat, quinq; millia & quingentos aureos numos, quæ illi coacti promiserant daturos, & illis totidẽ, quæ exegerat restituturos: & vt Rheti à nouis vectigalibus quæ ille per Larium lacum nauigantibus imposuerat immunes essent, effecturos receperunt: Rheti autem vicissim se Germanos itinere prohibituros sunt polliciti, & vt Teganes ipsorum dux à Borbonio cum duobus peditum millibus conductus non iret effecerunt. Aliæ verò res interea in Insubria lento gradu procedebant: exercitus enim circa Mediolanum, in quo Heluetiorum numerus, sed non tamen stipendia, valde erat imminutus, nihil præter consuetas excursiones, & velitationes gerens otiosus desidebat. Crebriores & maiores molestias adferebant Hispanorum qui Carpij erant vigilantia: qui cum occultos exploratores, & receptaculorũ opportunitatem in Ferrarienſium regione haberent, tabellarijs & alijs qui ad exercitum ibant magnum adferebant impedimẽtum, & per circumiectam regionem in Bononiensem & Mantuanum agrum vsque excurrentes, non tamen alios quàm pontificij imperij homines innumeris detrimentis afficiebant. Tandem verò aliquando Salutiarum marchio cum quingentis Gallicis lanceis in Taurinos venerat: ob cuius aduentum Fabritius Maramaldus, qui exercitu Valentiæ, cuius custodiæ præerat Ioannes Biragus admoto, tormentis eam oppugnabat, Bassinianam se recepit: sed quum Salutius nisi à fœderatis æqua portione in quatuor peditum millia quos hoc consilio secum ex Gallia adduxerat, stipendia acciperet, vlterius progredi nollet, & rex ad suorum equitum securitatem, & ad maiorem Salutij existimationem vehementer contenderet, id concedere fuit necesse. Eodem tempore Sinibaldus Fliscus Pontremulum oppidum quo Sforzinus potiebatur, occupauit: sed id eadem facilitate mox arcis ope fuit receptum. Mediolani verò, quia nihil à Cæsare mittebatur, & Mediolanẽsium egestates & sumptus eiusmodi erant, vt difficulter triginta aureorum numûm millia quæ populus Borbonio promiserat exigerentur, magna pecuniæ inopia laborabatur: & Galeatius Biragus ac Ludouicus Belgioiosus, qui ad eam vsq; diem Gallicas partes in omni fortuna erant sequuti, quod in fœderatorum stipendijs ob ingentes sumptus quos sustinebant, locũ non haberent, ad Borbonij stipendia transierunt: quo etiam tempore Ioannes Biragus Nouium occupauit. In his motibus Mautuani Prouincia communis ferè omnium erat: excusabat enim quòd & pontificis miles, & Cæsaris beneficiarius esset: imò, cum stipendiorum suorum cum pontifice prope finis adesset, in quatuor annos à pontifice & Florentinis, sed ea lege est denuo conductus, ne quid contra Cæsarem aut sua aut Prouincię suæ opera facere cogeretur: quanquam cum bellum cœptum est, ipsemet ad exercitum ire cupiuerit: sed

rit: sed pontifex quòd eius administrationi minimè fideret, se quòd Cæsaris esset beneficiarius, eum in hoc periculum conijcere nolle responderat. Hic erat tunc in Gallia cisalpina rerum status. In Hetruria verò Florentini, etsi neque exercitum neque arma intra imperij sui fines haberent, in sumptibus tamen belli molestias sentiebant. Pontifex enim quum consuetis rationibus pecuniam non haberet, nec vllo modo adduci posset, vt extraordinarijs conquiri vellet, non sine maximæ impietatis nota, omnes ferè Insubrici belli sumptus eos facere cogebat: Senenses autem in maritima ora molestijs minimè carebant; quoniam Andreas Auria, qui initio Talamonium & Herculis portum occupauerat, illos ad sua continenter tuenda excitabat: quamuis Talamonium non multo pòst, ab eo qui eius custodiæ præerat Senensibus fuerit traditum: & exules quos pontifex fouebat, maritimam regionem nonnihil infestabant: in qua Ioannespaulus Rentij Ceritis filius, pontificis miles, Orbatelli porta insidijs aliquot equitum opera capta, mox ipse cum suo equitatu ac peditatu sequutus, oppido est potitus. Romæ autem res grauissimæ non armorum vi, sed insidijs & fraude cum magna pontificis ignominia, & Galliæ cisalpinæ rerum detrimento, vbi Cremona capta, Genuensem expeditionem ad finem perduci, & secundum ea quæ primò fuerant constituta, binis castris Mediolanum obsideri posse sperabant, acciderunt: nam post cladem Senis acceptã, quum pontifex se multum Columnijs nocere posse non speraret, & animum, vt dictum est, ad regnum neapolitanum maioribus viribus oppugnandũ conuertisset; & vicissim Columnij vel Cæsaris procuratores nullius magnæ rei contra illum gerendę spem haberent, & tempus quoq; donec Lanoius prorex ex Hispania cũ classe veniret interponere cupientes, Vespasiano Columna, cuius fidei pontifex credidit, Romã missso XXII Augusti, vt Columnij Ananiam, & reliqua loca ab ipsis capta restituerent, copias in regnum neapolitanum contraherent, nec deinceps in locis quæ in pontificia ditione possidebãt milites haberent: Cæsari contra quẽuis ad regni neapolitani defensionem eis militare liceret, & vicissim pontifex omnes iniurias ab illis acceptas omnib. condonaret; edictum in Columnam cardinalem promulgatum tolleret; & terras ipsorũ nec ipse infestaret, nec ab Vrsinis infestari pateretur, simul cõuenerunt. Qua pactione dum pontifex Vespasiani potissimum fide fretus incautus quieuit; equitatu ac peditatu quem conscripserat ferè omni dimisso, & ijs paucis quos retinuerat per circumiecta oppida distributis, regni neapolitani inuadendi cogitatione quoque remissa, Cæsaris in regno neapolitano ministri, crebris querelis & obtestationibus, Genua & Mediolano stimulati, quibus ex locis nisi fœderatorũ progressus bello alium in locũ magnis viribus translato infringerentur, illas ciuitates amplius propugnari non posse nuntiabatur: quum ad bellum magnis viribus quodque tam citò ijs malis mederi posset, gerendum minimè satis virium haberent, animum & consilia ad pontificem insidijs opprimendum conuerterunt. Quæ dum parantur, vt ad domesticas molestias publicæ quoque accederent, Ludouicum Vngariæ regem à Solymano Othomanno Turcarum principe acie victum fuisse nuntij sunt allati: quam victoriam non minus nostrorum temeritate, quàm suis viribus est adeptus. Vngari enim etsi cum tantis hostium copijs comparati numero pauciissimi essent, magis victorijs quas sæpe antea ex Turcis reportarant, quàm præsentibus rebus freti; regi ætate quidem iuueni, sed consilio iuniori, vt ne populorum suorum famam & militaris rei antiquam gloriam obscuraret, auxilijs quæ ex Transiluania veniebant non expectatis, hostibus obuiam iret, & prælium etiam in patentibus campis in quibus Turcæ ob ingentem equitum multitudinem vix superari possunt, non detrectaret, persuaserunt. Itaque consilij temeritatem atque imprudentiam exitus comprobauit: fusus exercitus fuit, ex vniuersa Vngariæ totius nobilitate, & robore collectus: ingens illorum strages facta: rex ipse, & multi summi Antistites ac regni proceres interfecti. Qua victoria cum Turcarum imperator totum Vngariæ regnum maximo Christianæ reipublicæ cuius per multos annos clypeus & propugnaculum fuerat detrimento, suo imperio subiuncturus certò crederetur, pontifex, vt in iam perturbatis & afflictis animis nouæ molestiæ altius descendunt, quàm in animis alijs perturbationibus vacuis, mirum in modum est commotus. Itaque nouas cogitationes animo voluens, & gestu, verbis ac vultu, ingentem mœrorem declarans, cardi-

nalibus in Senatum conuocatis, ob tantam Christianæ reipublicæ cladem & ignominiam grauissimè est questus; eiq; se nunquam tum Christianos principes ad pacem assiduè cohortando, ac precibus accendendo, tum etiam illud regnum in tot alijs grauibus eius casibus minimè parua pecuniæ vi iuuando nunquam defuisse dixit: eius regni defensioni & reliquorum Christianorum periculis, præsens bellum valde incommodum & minimè opportunum fuisse: id se iam ab initio prædixisse, sed quum omnes honestas tranquillitatis & sacrosanctæ sedis securitatis rationes contemni videret, se contra id quod semper in animo habuerat arma capere coactum fuisse: nam & quòd antequam cogeretur pacatus fuisset, & fœderis à se contracti leges omnes ad communem vtilitatem spectantes, se nulla proprij & peculiaris sui aut familię suæ commodi ratione motum fuisse satis ostendere: verùm quum Deo fortasse alicuius boni caussa vt Christianæ reipublicæ capiti eo tempore quo cetera eius membra omnia, alijs quàm communis salutis curis distracta erant, vulnus infligeretur esset visum; se vt alia ratione tam grauis ægritudinis medicina quæreretur, eius voluntatem esse arbitari; ideoq; cum huius rei cura magis ad suum pastoris munus, quàm ad quemuis alium spectaret, se omnibus incommodorum, periculorum & dignitatis suæ rationibus posthabitis, inducijs in Italia aliqua ratione, quàm primum fieri posset impetratis, classem conscendere, & ipsemet Christianos principes, vt eos hortando, orando, & lacrymis ad communem Christianæ reipublicæ pacem flecteret, adire decreuisse. cardinales vt se ad hoc iter accingerent, & communem patrem in tam pio officio iuuarent, hortari: Deum optimum maximum, vt tam sancto consilio faueret rogare: quòd si ob communia peccata ad finem perducere non posset, saltem id sibi concederet, vt in eo tractando, antequam spe esset deiectus, vitam finiret: sibi enim nihil infelicius, nihil miserius accidere posse, quàm si in tam pernicioso tamque pestifero incendio, salutarem manum adhibendi spe & facultate priuaretur. Magna attentione, nec minore commiseratione audita, & commẽdata fuit pontificis oratio: sed si in ipsius verbis tantum fidei quantum erat dignitatis fuisset, longè maiorẽ laudem inuenisset: pleriq; enim cardinales, illum quum arma contra Cæsarem eo tempore quo iam ob apertos Turcarũ apparatus Vngariæ periculum erat manifestũ cepisset, potius difficultate in quam sociale bellũ erat redactũ, quàm eius regni periculo moueri interpretabantur; cuius rei veritas cerni non potuit. Columnij enim Cæsarem Filetinum clientem suum, cum duobus peditũ millibus Ananiam, vbi pontifex ducentos pedites habebat, vt consilia sua occultarent se eam ciuitatẽ capere velle fingentes, sed re vera aliud in animo habentes, miserunt: & itineribus omnibus occupatis, ac ne quis Romam huius motus nuntius perueniret diligentissimè cauentes, copijs quas Ananiam miserant, & alijs simul collectis, ita vt in vniuersum circiter octingenti equites, & tria peditum millia, sed omnes ferè imperati essent, summa celeritate incedentes, & nemine Romæ quidquam de ipsorum aduentu suspicante, nocte ante xx Septembris diem Romam peruenerunt, ac tribus vrbis portis repentè occupatis per Lateranensem portam ingressi sunt: erat autem cum illis non modò Ascanius & Vgo Moncada; quoniam Suessanus dux ante multos dies Marini mortem obierat, verùm etiam Vespasianus qui pacis autor fuerat, fidemq; suam pro se & ceteris omnibus interposuerat, & Pompeius Columna cardinalis, ambitione & furore eo vsq; abreptus, vt in violentam pontificis necem conspirasset, & insuper, vt communis & constans opinio fuit, cardinalibus armis & vi ad se pontificem creandum coactis, cruentis manibus, ac nefandis sacrilegisq; facinoribus pontificatum occupare cogitaret: Pontifex autem illorum aduentu cum iam luceret, & illi circa Cosmi & Damiani templum cõuenissent, cognito, terrore & consternatione plenus, frustra huius tumultus sedandi rationem quærebat: nam neque vires ad se tuendum proprias habebat, neque populus Romanus, vt qui ex eius calamitatibus voluptatem caperet, publicumque detrimentum nihil ad se spectare existimaret, vllum alicuius motus signum edebat. Quamobrem hostes eo maiore animo vlterius progressi, cum omnibus copijs ad S. Apostoli templũ constitere: inde per Xisti pontem circiter 500 pedites, cum aliquot equitibus in Transtiberinam regionem miserunt: qui Stephano Columna à S. Spiritus porta, ad quam propugnandam quum pontifici militaret, cum 200 peditibus se contulerat, postquam nonnihil

nihil obſtitiſſet pulſo, per vetus ſuburbium ad Vaticanum & pontificiam curiam, in qua adhuc erat pontifex contenderunt: is autem Dei & hominum opem fruſtra implorans, ſe quemadmodū Bonifacius VIII à Sarræ Columnæ impetu olim fecerat, amictu & ornamentis pontificalibus indutus, in pontificali Sella moriturus ſe cōponere meditabatur: ſed ægrè admodum à purpuratis qui circa illum erant, ab hoc propoſito reuocatus, qui vt ſi minus ſua, ſaltē eius Sedis cauſſa, vt ne Dei maieſtas in vicarij ipſius perſona tā nefariè violaretur, ſe ipſe conſeruaret, obteſtabantur; cum aliquot ex illis quibus magis fidebat, quinta diei hora ſe in arcē recepit: quum iam nō modò illi pedites & equites qui primi venerant, ſed & omnes reliquæ copiæ, curiam & diui Petri fani res atq; ornamēta, ſacra nihilo maiore religionis maieſtatis, & ſacrilegij honoris, quàm Turcæ in Vngariæ templis ſpoliandis ratione habita, diriperent. quo facto in nouum ſuburbium venerūt, eiusq; circiter tertiā partē diripuerunt: nam quo minus vltrà procederent, tormentorū ex Angelica arce fulminibus terrebātur: tumultu qui paulò plus tribus horis, quia in Vrbe nemo detrimento aut moleſtia eſt affectus, perſeuerauit, ſedato, Vgo fide à pōtifice, & cardinalibus Ciboo ac Ridulfo pontificis conſanguineis obſidibus acceptis, ad colloquium cum eo in arcem iuit: vbi verbis quæ victorem decerent vſus, induciarum leges propoſuit: cuius rei reſponſo in craſtinum diem dilato, quatuor menſiū induciæ inter pontificem, ſuo ipſius ac fœderatorum nomine, & Cæſarem pactæ cum aliorū duorum menſium ad eas renunciandas ſpacio, & totidē alijs fœderatis ad eas cōprobandas conceſſo, quibus nō modò pontificiū imperium & regnum neapolitanum, verùm etiam Mediolanenſes, Florentini, Genuenſes, Senenſes, Ferrarienſium dux, & omnes ad pontificium imperium quouis modo pertinentes, cōprehenderentur. Pōtifex ſtatim copias ſuas, quæ circa Mediolanū erant, citra Padum contraheret, atq; Andreā Auriam cū ſuis triremibus ex claſſe reuocaret: Columnijs & omnib. ijs qui in hoc motu implicati fuiſſent ignoſceret: Philippum Strotiū, & vnum ex Iacobi Saluiati filijs obſides daret; quos pontifex ſe intra duos menſes Neapolim miſſurum; trecentorū auri pondo ni id faceret interpoſita pœna promiſit; Cæſariani verò & Columnij copias Roma & è pontificij imperij finibus educerent, easq; in regnum neapolitanū cōtraherent. In has verò inducias vtraq; pars cupidè conſenſit; Pontifex quidem quia cōmeatum in arce ad obſidionem ſuſtinendam non habebat; Vgo autem quamuis Columnijs reclamantibus, quòd ſatis id Cæſari profuturum cenſeret; & quia ferè omnes milites cum quibus Romā venerat præda onuſti, in varias partes erant dilapſi. Hæ induciæ omnem Inſubrici belli ſpem, & Cremonenſis victoriæ fructum corruperunt: nam etſi ijſdem ferè diebus Salutius cū Gallis equitibus in caſtra venerit, tamen pontificijs copijs quarum maxima pars induciarū cauſſa VII Octobris die ſe Placentiam cōtulit, ademptis, non minus militū Genuā mittendorum, quàm Mediolani duobus exercitibus obſidendi conſiliū fuit impeditū. Aliquod etiam detrimentū attulit, quòd Vrbinatium dux rebus cum Cremonenſibus cōpoſitis, quamuis de inducijs Romæ confectis iam certior eſſet factus, deditione nō expectata Mantuam coniugis viſendæ gratia eſt profectus: cumq; militibus qui Cremonæ erant tempus ad diſcedendum prorogaſſet, tandiu illorum diſceſſus circa Cremonam eſt expectatus, vt exercitus grauiſſimo rerū omnium detrimento non ante mediū Octobrem coniunctus fuerit: agebatur enim de copijs, quas tunc maximè Petrus Nauarrus & Venetæ claſſis præfectus petebant, Genuam mittendis; quoniam in exercitu vbi Venetorum copiæ iterum eſſent coniunctæ, ſatis ad id perficiendū, etiamſi caſtra ex eo loco non mouerent, virium erat: nam & cum Salutio quingenti cataphracti & quatuor peditum millia venerant, & duo Rhetorū millia, quæ pactionis cum eis factæ vi conducti, quotidie expectabantur: & pontifex quamuis ſe inducias ſeruare velle præ ſe ferret, aliud tamen in pectore occultum habebat; idcirco quatuor peditum millia Ioanne Medice præfecto per Gallicæ militiæ ſpeciem, quod quidem, quia Ioannes Medices ſemper regi militabat, & eius nomine cataphractorum turmæ præerat, veriſimile videbatur, in exercitu reliquerat. Tandem verò milites Cremonam quæ Franciſco Sfortiæ tradita fuit, reliquerunt; & Germani cum Corradino eorum duce Tridentum verſus contenderunt: equites verò ac pedites Hiſpani, quum Padum in regnum neapolitanum redirent traieciſſent, & pontificius vicarius, quia illos Neapolim ire pontifici mo-

leſtum erat, in publicis literis & fide publica concedendis ſe nonnihil difficilem præberet, per Parmenſium ac Placentinorũ montes repentè itinere capto, deinde Pado celerrimè ad Ghiarellam iterum traiecto, in Laumellinam primò, & deinde Mediolanum incolumes peruenerunt. Nec ſolùm induciarũ vi pontificius vicarius cum copijs à Mediolani mœnibus diſceſſit, verùm etiam Andreas Auria cum ſuis triremibus Genua receſſit: ex qua ciuitate ante paucos dies, ſex peditum millia partim conducticij, quorum quatuor millia Genuæ erant, partim voluntarij, vt ſexcẽtos pedites qui cum Philippino Fliſco ex claſſe deſcenderant, adorirentur, erant egreſſi: ſed Philippinus in ſummis montium iugis prope Delphinij portũ ſe ita propugnaculis aggeribusq; munierat, vt eos nõ parua cum clade retrocedere coëgerit: & nihilominus non multo pòſt Andreas Auria cum ſex triremibus, vt vnà cum alijs in Genuæ maritima obſidione perſeueraret in portum Delphinium redijt. Dum hæc in Italia vario euentu geruntur, pontificis, Galliæ regis, & Venetorum oratores quarto Septembris die (tanta antequam id fieret mora fuerat interpoſita) Cæſari fœdus, & locum in eo ipſi relictum, cum fœderis legibus expoſuerunt: cui rei quũ Angliæ regis legatus intereſſet, regis ſui literas quibus eum modeſtè vt ſeſe fœderi adiungeret hortabatur, ei dedit: qui legatione audita, legatis, vt fœderi contra imperium honoremq; ſuum potiſſimũ contracto ſe adiungeret, minimè ex dignitate ſua eſſe reſpondit: verùm quum ſemper cõmunis pacis ſtudioſiſſimus fuiſſet, eiusq; rei manifeſtiſſima indicia dediſſet, ſe nunc quoq;, modò ipſi ſatis amplam ad id poteſtatem haberet, ad eam contrahendã paratum eſſe: à quo tamen animo alienus eſſe, ſed id vt magis iuſtam cauſſam habere videretur, Angliæ regi vt à fœdere aliquandiu abſtineret, occaſionem daret: hac ſpe fœderatorum apparatus retardaret: denique vt in ea tractanda aliquas æmulationes ſuſpicionesque inter eos ſereret, ponere credebatur: & nihilominus interea vt claſſis quæ quadraginta naues & ſex conductitiorum peditum millia continere dicebatur, inſtrueretur vrgebat: cuius expeditionem vt acceleraret, Lanoius vigeſima quarta Septembris die à Cæſare diſceſſit: ea enim in illo tam celebri nouæ Cartaginis portu adornabatur; quoniam Cæſar ſe ad negotia longè magis promptum & diligentem oſtendebat quàm Francus: qui etſi tam grauibus curis vrgeretur, maximam temporis partem in venationibus, choreis, & mulierum illecebris tranſigebat: eius verò filij compoſitionis ab eo ſeruandæ ſpe ſublata, Valladolitum ducti fuerant. Huius claſſis aduentus pontificem de proregis & Hiſpanorum fide dubitantem ſeſe armis munire coëgit: idcirco non modò Vitellium cum ſuis ac nepotum copijs Romam accerſiuit, verùm etiã centum Mantuani grauis, & centum Petrinarię Roſſij leuis armaturæ equites; & ab exercitu duo Heluetiorum & tria Italorum peditum millia ipſius ſumptibus ad eum miſſa fuerũt: & nihilominus ſemper ſe in Hiſpaniam vt cum Cæſare loqueretur, ire velle aſſerebat: quod ei fermè omnes cardinales cum præſertim incerta ſpe iret diſſuadebant: & vt legatos prius mitteret hortabantur. Vrbini dux ad exercitum ſine Mediolani, aut armis, aut commeatus penuria obtinendi ſpe reuerſus, quum claſſis præfecti, vt milites ad Genuam terreſtri itinere infeſtandam mitterentur vehementiſſimè vrgerent; vt id facere poſſet à Mediolani mœnibus, ſed tamen rebus ita vt aſſiduè commeatus qui eò vehebatur interciperetur diſpoſitis, recedere ſtatuit; idcirco Modoetiam munire cœpit, vt in ea milites qui commeatum ex Briantiæ monte alijsque vicinis locis impedirent, poſſet relinquere: deinde exercitum in huiuſmodi caſtra ex quibus commeatus qui Abiate & Papia vehebatur impediretur transferret: ijsque caſtris munitis, Salutius cum ſuo peditatu, & Heluetiorum cohorte Genuam peteret: id enim claſſium præfecti, quia Genuenſes in tantam commeatus penuriam, vt vix amplius ſuſtinere poſſent, erant redacti, maximè exoptabant. Sed cum hæc eiuſmodi eſſent, vt niſi longè maiori quàm rerum ſtatus & Genuenſis neceſſitas poſtularet, temporis ſpacio perfici non poſſent, & nihil aliud ad eam obtinendam deeſſet, niſi vt commeatus qui à continenti importabatur eis intercluderetur, etſi in exercitu eſſent quatuor Heluetiorum, duo Rhetorum, quatuor Salutij, & item quatuor ſub Ioanne Medice, qui à pontifice ſtipendia accipiebant, peditum millia, præter Venetorum pedeſtres copias, quę vt ipſi aiebant, 10 millia erant, re aũt vera longè pauciores, tamen cogitata non perficiebantur. Exercitus tandẽ vltima Octobris die ex eo loco in

quo

quo diu fuerat castra mouit: & Pioltelli quinq; milliaria procul à prioribus castris est metatus;ac dum vasa colligeret, prælio ab ijs qui Mediolani erant,cum quibus Borbonius ipse est egressus acriter fuit lacessitus. Duci in animo erat Pioltelli donec Modoetia in qua duo millia peditum cum aliquot equitibus relinquere cogitabat,munita esset hærere: deinde Marinianum se transferre; ibiq; eo capto & munito,castrisq; locatis,& fortasse,vt aiebat,Abiate prius occupato,milites Genuam mittere:quæ res tantum temporis postulabat, vt sui accusandi caussam præberent; quamuis ipse sui ex parte excusandi gratia, Venetorum in rebus necessarijs subministrandis negligentiam adduceret; qui quum militibus idoneis temporibus stipendia non persoluerent,semper numerum quem pollicebantur valde diminutum habebant;& multis ex ijs quos habebant ob stipendiorum tarditatem assiduè discedentibus,quum stipendia dabantur,alios eorum loco inferere cogebatur:ita vt quemadmodum probabiliter aiebat,nouam subinde militiam & nouum exercitum haberet. At ea mora quæ hactenus voluntaria fuisse videbatur,necessitatis caussam coloremque habere cœpit: nam post multa peditum in Italiam Cæsarianis auxilio mittendorum in Germania agitata consilia, quæ ob Archiducis tenuitatem, & quia Cæsar pecuniam non miserat, irrita fuerant; Georgius Fronspergius Cæsaris partium & gentis suæ gloriæ studiosus, qui bis pro Cæsare contra Gallos iustas peditum legiones in Italiam duxerat, proprijs facultatibus,ei parti in qua principes deficiebant,satisfacere statuit,ac multos milites sua autoritate,& maxima prædæ & opum in Italia occasione eis ostensa concitauit:atq; cum eis vt vnico aureo nummo à se in singula capita accepto se ad Cæsaris auxilium sequerentur pactus,& tormentis equitatuq; ab Archiduce impetratis, copias inter Bolgianum & Maranum colligens,se ad iter accingebat.Cuius apparatus fama in Italiam perlata, Vrbini duci Genuæ quæ iam ferè in extremam angustiam erat redacta infestandæ cogitationem deponendi caussam præbuit:quamuis Andreas Auria primis petitionibus imminutis,non vltra mille & quingentos pedites,ipse totidem alios collecturus peteret:quos etiam dux,se mille & quingentos Venetorum pedites in Vicetinum agrum mittere coactum fuisse excusandi gratia afferens, ei denegauit: Veneti enim ne Germanicus exercitus in eam partē deflecteret metuebant: quam tamen opinionem dux eos Leuci itinere venturos existimans confutabat:quam etiam ob caussam vt Abduæ propinquior esset,se illis trans Abduam in Sarinæ vallis egressu occurrere, & cum eis prælio decertare velle palam aiens, Pioltelli hærebat.Sic Insubriæ rebus iterum in nouas & maiores difficultates redactis,nouum etiam in Latio incendium erat excitatum.Pontifex enim ob Columniorum motum animo consternatus,ad pacem propensus,atq; cum classe Barcinonem,vt ipsemet cum Cæsare de ea ageret cogitans, statim post hostium ab Roma discessum Paulum Aretinum cubicularium suum ad Galliæ regem, vt eius consensu ad Cæsarem ob pacis negotium transiret,ac regi angustias periculaq; sua indicaret, atq; mille auri pondo,quo se tueri posset ab eo peteret, miserat. Quibus in rebus ita secum ipse dissentiebat,vt quum pecuniam à rege, & maiorem ad bellum gerendum ardorem cuperet,nō modò decumas ei negabat, sibi dimidiam illarum partem deposcens: qua in re ei rex minimè assentiebatur, negans id vnquam in Gallia moris fuisse, verùm etiam in magno Cancellario qui tum ob autoritatem qua in regijs cōsilijs pollebat,tum etiam quia sine ipso nulla res numaria tractabatur,maximè ipsi in omnibus cogitatis suis perficiendis prodesse poterat,in pontificum collegium cooptando se difficilem præbebat. Rex cum Paulo & alijs internuntijs casum qui Romæ pontifici acciderat,sibi molestum esse ostendit;sua omnia ad eius defensionem obtulit: pontificem non amplius Cæsari fidere debere monuit; eumq; ab inducijs seruandis vehementer est hortatus: quod si faceret,se viginti aureorum numûm millia promissa ei suppeditaturum dixit, non autem secus:idem suasit Anglus,ac ne Barcinonem iret dissuasit:neq; id solùm,verùm etiam infortunio eius cognito,ei vigintiquinq; aureorum numûm millia misit. Francus pontificis ad principes profectionem, vt quæ ob magnitudinem diu multumq; esset meditanda, dissuadebat: & initio, siue ne pontifex priuata consilia agitare inciperet metuens,siue quòd, vt aiebat, magis suam dignitatem conseruaret,pacem per Angliæ regem tractare,quàm eam à Cæsare deprecari,Paulum ad Cæsarem ire vetuit:quamuis non multo post, cum eius profe

ctio iterum Roma vrgeretur, siue quòd tandem pacem exoptaret, siue quòd eam ab Anglię rege tractari molestè ferre inciperet, id concesserit: quoniam Angliæ regis progressus eiusmodi erant, vt ne ab illo suarum rationum causſa in iniquas leges traheretur meritò esset metuendum: is enim rex, aut potius sub ipsius nomine Eboracensis ambitione inflammatus, & omnium arbiter esse cupiens, ab æquitate abhorrentes leges proponebat: & quum diuersa ab alijs spectaret, verba sibi à Cæsare dari patiebatur: neq; ab eo vt in pacis legibus Insubrię imperium Borbonio traderetur, modò illi Cęsaris soror nuptui daretur, vt sibi Galliæ regi filiæ suæ elocandæ facultas libera relinqueretur, alienus erat. Itaq; pontifex vtriusq; regis suasionibus, sociorum amittendorum, & ne illorum auxilijs spoliatus Cæsari prædæ relinqueretur metu, suorummet familiarium cum quibus consilia communicabat, cohortationibus, odio in Columnios concepto, & amissæ dignitatis iusta vltione aliqua ex parte recuperandæ cupiditate impulsus, eas vires quas antea securitatis suæ tantùm gratia Romam accersiuerat, in Columniorum oppida conuertere statuit: afferebat enim se nullo iure ad eam pactionem, quam non sponte, sed illorum dolis deceptus armisque ipsorum fide violata coactus feciſſet, seruandam cogi. Pontifex igitur Vitellium cum copijs suis contra Columnios, omnia illorũ oppida ferro flammisque, quia ob populorum & factionis inueteratum studium, ea solùm capere parui momenti erat, delere cogitans misit: eodemq; tempore edicto promulgato, cardinalem & alios eiusdem familiæ monuit: cuius edicti deinde vi cardinalem rosei galeri dignitate priuauit: qui cum primo ambitus lege quam Simoniam vocant, se tueri vellet, Neapoli palam contestatus ad futurum concilium prouocauerat: contra ceteros Columnios qui in regno neapolitano equitatum ac peditatum conscribebant, sententiæ declarationem distulit. Milites oppida illorum ingressi Marinum & Montefortinum, cuius tamen arce Columnij adhuc potiebantur incenderunt: Gallicanum & Tagariolũ funditùs euerterunt: Columnij enim de munitiorum solummodo locorum & præsertim Paliani defensione cogitabant: quod oppidum loci natura munitum est, & eiusmodi vt tormenta difficulter eò vehi possint: & tribus tantùm vijs, quarum nulla alijs poterat auxilio esse, accessus patebat: habet autem mœnia firmissima, & oppidanos ad propugnationem optimè comparatos: & nihilominus opinio fuit, si Vitellus in id properè impetum feciſſet, quamuis multi ex captis oppidis eò cõfugissent, quia nulli milites intus erant, eo potiturum fuisse: sed dum morem suum in exequẽdo difficultatibus & periculis plenum sequitur, quingentis partim Germanis partim Hispanis peditibus, qui ex regno neapolitano missi fuerant, & ducentis equitibus noctu ingressis, eius expugnatio ita difficilis est reddita, vt Vitellius qui eodem tempore Grottaferratam obsidebat, nec Palianum, nec Papæ Roccam tentare ausus, sed nonnullis militibus cum tormentis ad Montefortini arcem quam Columnij custodiebant oppugnandam missis, copias suas omnes, Valmõtonij potius, vt si quis forte motus ex regno fieret, regionis defensioni operam daret, quàm cum alicuius magnæ rei gerendæ spe, colligere statuit: quæ res eius existimationem valde apud pontificem, qui quum de regno neapolitano oppugnando consilia agitaret, & post quum copias Romam ad sui tutelam aduocauit, Vitellium & Ioannem Medicem duces beneuolentia & affinitate iunctos, & quorum alterius tarditas cum alterius ferocitate coniuncta bonum temperamentum effectura videbatur, venire cupiuerat, minuit. Sed fatis Ioannem ad præmaturam in Gallia cisalpina mortem trahentibus, pontifex vicarij sui consilio, interea Vitellio in rebus minoribus vsus, ne Insubriæ exercitum eo qui ob audaciam virtutemq; suam magno hostibus terrori & amicis præsidio erat, eo tempore priuaret, tandiu donec aut magis necessariam, aut grauiorem causſam haberet, eum euocare distulerat; idq; eo magis ob Germanorũ aduentus famam crescentẽ, quæ cum Hispanicæ classis ex Cartaginis nouæ portu soluturę nũtijs coniuncta pontificem à socijs, & à suismet consiliarijs valde ad id incitatum, in alicuius compositionis, à qua semper vehementer abhorruerat, cum Ferrarienſium duce cogitationem impulit: id autem non tam vt se ab illius motibus tutum redderet, quàm vt magnam pecuniæ vim ab eo extorqueret; atq; vt ad exercitum tanquam omnium fœderatorum copiarũ imperator proficiscereturſ, efficeret. Qua de re quum sæpius cum Matthæo Casella Fauentino ducis apud se oratore egisset, & ducem eius rei cupidum inue-

niſſe

niſſe videretur, vicario ſuo qui Parmæ erat, vt Ferrariam iret mandauit, eique ad ſpeciem literas cum ampliſſima poteſtate dedit: re autem vera mandata hæc erant, vt Mutinæ & Regij reſtitutioni aſſentiretur, ſi ducenta aureorum numûm millia breui tempore ab illo acciperet; & is ſe cum ſocijs facere apertè profeſſus, ad exercitũ tanquã ſocialis belli imperator, profecturum polliceretur: & maximus eius natu filius Catharinam Laurentij Medicis filiam duceret: tentaret prẽterea an eſſet aliqua Duci, quę ęquali dote Hippolyto Medici Iuliani filio in matrimonium locaretur, cum multis alijs conditionibus; quæ neque ipſæ per ſe tam breui tempore explicari poterant, neque pontifex qui ad id niſi extrema neceſſitate impulſus flectebatur, niſi nouis à ſe mandatis acceptis, vt aliquid perficeretur permittebat: quę mandata non multo pòſt tã in conditionibus quã in tranſigendi facultate laxiora dedit; propterea quòd neapolitanum proregem cum triginta duabus nauibus, in quibus trecenti equites, duo millia & quingẽti Germani, & tria vel quatuor Hiſpanorũ peditum millia erant, in S. Florentij ſinum in Corſica appuliſſe accepit. Sed iam pontificis voluntas irrita erat: quoniam in eadẽ claſſe erat vnus ex Ferrarienſium ducis miniſtris, qui ex eo loco ſumma celeritate profectus, duci nõ modò claſſis aduentum ſignificauit, verùm etiã Mutinæ & Regij, imperij diploma, & Margaritæ Auſtriæ Cæſaris extra matrimonium filiæ, cum Herculeducis maximo natu filio futuri matrimonij promiſſionẽ attulit. Quas ob res Alfonſus, qui antea ſummo cum deſiderio pontificij vicarij aduentũ expectabat, conſilio mutato, & ob Germanici peditatus atq; claſſis aduentũ Cæſaris res ſecundiores ratus, per Iacobum Aluerottũ Patauinũ ſuum à conſilijs miniſtrũ, pontificio vicario, qui Parma profectus iam Centũ peruenerat, ea quę ex Hiſpania acceperat ſignificauit: quibus etſi nec pontificem nec fœderatorũ quempiã offendere teneretur, tamen quum tantũ beneficium à Cæſare accepiſſet, vt quidquam amplius contra eum moliretur minimè æquum eſſe; cum ea res quamobrem ipſe Ferrariam petebat eſſet impedita, ne ſilentio ſuo pontifici iuſtã indignationis cauſſam præberet, ſe id ei ſignificare voluiſſe: nec tamen ipſi Ferrariam eundi facultatem denegare, ſed eius arbitrio permittere. Ex quo vicarius profectionem ſuam irritã fore animaduertens, quum pontificis dignitate ſine vllius fructus ſpe non amplius abuti vellet, Inſubriæ quoque rerum neceſſitate reuocatus, nouis tamen pacis colloquijs ſub alia forma interpoſitis, ſtatim Mutinam redijt: pontificis verò res in illa parte quotidie in maiori ſubinde periculo verſabantur; quoniã Georgius Fronſpergius cum tredecim ſiue quatuordecim Germanorum peditum millibus, per Sabbij vallem, & Anſonis arcem itinere facto, ac Saloũ verſus profecti, iam ad Striuerij Caſtellionẽ in Mantuanum agrũ peruenerant: contra quos Vrbinas qui paulo antè, vt ad reſiſtendũ paratior eſſet, exercitum Vaprium ad Abduã inter Tretiũ & Caſſianum duxerat; ac ponte eo in loco poſito, caſtriſq; munitis, & Salutio cum Gallicis, Heluetijs cum Rhæticis & ſuis militibus in eis relictis, ipſe XIX Nouembris Vaprio profectus, Ioannem Medicem, ſexcentos grauis ac multos leuis armaturæ equites, & circiter nouẽ peditum millia ſecum duxit: non quidẽ cum eis aperto prælio dimicandi, ſed infeſtandi & cõmeatus impediendi cõſilio (qua ſola ratione tam firmis ordinibus inſtructas copias vinci poſſe aiebat) hoſtẽ in aliquod diſcrimen adducere. Soncinum XXI eiuſdem mẽſis die peruenit; quo ex loco Mercuriũ cum omni expedito equitatu, & cataphractorũ turma præire iuſſit, vt eos infeſtaret, ac tandiu diſtineret, donec exercitus ſuperueniret: iam enim, quia illi eo ipſo die ad Caprianã erant metati aduentus, ſe tardius affuturum metuebat: ſui autem Vaprio diſceſſus tarditatem excuſans, ih Piſani Veneti legati negligentiam & auaritiam, qua factum eſſet, vt vnũ aut alterũ diem diutius dum boues ad tormenta trahenda expectat, hærere coactus fuiſſet, ſionem transferebat: ex eo enim magna incommoda, & totius ferè expeditionis ſubuer culpã manaſſe aiebat. Ad id vſq; tempus quodnam futurum eſſet Germanorum iter fue rat dubitatum: primo enim per Brixienſium & Bergomatium fines Abduam verſus, vt à Cæſarianis copijs exciperentur, atque illis coniuncti Mediolanum peterent ituri credebantur: deinde illos ad Caſalemaius Padum traiecturos, & inde Mediolanum profecturos opinio fuerat. Sed quum vigeſimo ſecundo, quo die dux ad Albuinum pratum eſt metatus, Ripaltam, octo à Mantua milliaribus Mincium inter & Ollium veniſſent, nec Mincium Goiti traieciſſent, ipſos Padum Burgoforti, aut Viadanæ

potius quàm Ostiæ & in partibus inferioribus transire velle inditio erat: quod si Ostiæ traiecissent, Mutinam aut Bononiam, vbi in vtroq; loco miles conscribebatur, apparatusq; fiebant, petere velle inditium dedissent. Germani deinde XXIIII die Burgofortem versus iter ceperunt; quò cum ipsi tormenta non haberent, quatuor minora tormenta (Falconettos vocãt) à Ferrariensium duce missa, Pado sunt aduecta: quod quidem auxilium per se paruum fortunæ beneficio maximum extitit: nam quum Vrbinas illos persequens, in Mantuanum Septum, quod Serrallium vocant, in quo & illi adhuc erant, essent ingressus, cum illi Burgoforti appropinquarent, Ioannes Medices quamuis cum parua fructus spe nouissimum illorum agmen, cum expeditis equitibus est insequutus: cumq; eos tormenta accepisse ignorans audacius accessisset, & illi tormentorum vni ignem admouissent, altero ictu Ioanni Medici paulum supra politem crus fregerunt; quo vulnere Mantuam perlatus, post paucos dies maximo cum belli detrimento, in quo nulla præter ipsius arma vnquã hostibus terrori fuerãt, mortuus est: nam etsi viginti nouem annorum iuuenis, & ferocissimo animo esset, experientia & virtus in eo annos superabant: ac quotidie ætatis ardore deferuescente, multisq; apertis industriæ atq; consilij indicijs elucentibus, breui in re militari celeberrimus dux futurus certò credebatur. Postea Germani cum Vrbinas Burgoforti esset, à nemine amplius lacessiti secundum Padum Ostiam versus cõtenderunt: ac XXVIII die Pado Ostiæ traiecto, Reuereti castra locarunt; vbi aliqua pecunia & aliquot alijs campestribus tormentis à Ferrariensi adiuti, Bononiam & vniuersam Hetruriam in maximum terrorem coniecerunt: quoniam Vrbini dux quamuis antea semper, si illi Padum traijcerent, se quoq; traiecturum confirmasset, Mantuam se contulerat; ibiq; veneti Senatus de Pado traijciendo vel non, mandatum velle expectare aiebat. Germani verò Seccia fluuio traiecto, Longobardiam versus, vt se copijs quæ Mediolani erant coniungerent, iter ceperunt. Quo tempore Prorex cum vigintiquinq; nauibus, quia duæ naues antequam Sanflorentium peruenirent, tempestate perierant, & quinq; ab alijs disiectæ errabãt, ex Corsica profectus, supra Sextium orientale, in fœderatorum classem, in qua erant sex Gallicæ, quinq; Aurianę, & totidem Venetæ triremes, incidit: quæ supra Codimontem duas horas ante solis occasum congressæ, ad noctẽ vsq; pugnarunt: & Auria se vnam ex illorum nauibus in qua erant supra trecenti homines submersisse, ac tormentis classem malè mulctasse scripsit; tempestate verò aduersa triremes se sub Delphini portus montem recipere coactas fuisse, eademq; nocte reliquas triremes, quę in Veneris portu erant expectare, quę siue venirent siue non, in aurora hostilem classem insequi se in animo habere; tamẽ, etsi Ligurnum vsq; eam persequuti essent, quòd procul admodum se ab illis abripuisset, assequi minimè potuere: nam illam aut Corsicam aut Sardiniam cursu petiuisse rati, in sequendo tardiores fuerant. Lanoius deinde iter suũ est sequutus, sed tempestate agitatus, ita vt classis ipsius dissipata fuerit, cuius vna pars in qua Ferdinandus Gonzaga erat, in Siciliam est acta; vnde post Caietã, ad sancti Stephani portum naues appulit: quo ex loco quum rerum statum ignoraret, Pignalosam cum huiusmodi mandatis, quæ bonam Cæsaris mentem declararent, Romam ad pontificem misit: ipse vbi per tempestatem licuit, se cum classe Caietam contulit. Interea Germani milites Seccia amne traiecto, & Raziolum atq; Gonzagam versus profecti, tertio Decembris die Guastallæ sunt metati, quarto Castellonoui & Pouij decem Parma milliaribus, vbi se illis adiunxit Aurangius princeps, qui duobus instar gregarij sclopetarij comitatus, Mantua iter fecerat. Quinto die Lentia fluuio ad pontẽ recta via traiecto, quum Vrbini dux, nihil præsentibus periculis motus, adhuc Mantuæ cum vxore hęreret, Montecherucoli, & Septimo trans Parmam fluuium profecti, ad Felini villas cum maximis pluuijs, quibus flumina intumescebant castra locarunt: ac Gorgij ad Borbonium literis interceptis, quid sibi agendum esset valde dubius esse animaduertebatur, vndecimo die Taro transmisso, sequẽti die ad Sandoninum, vbi in res sacras, & diuorum simulacra Luteranum venenum declararũt, sunt metati. Florentiola vbi XIII die fuerunt, quemadmodum ex interceptis literis est cognitum, eos qui Mediolani erant, vt sibi obuiam procederẽt vrgebant; in quibus idem desiderium erat, sed pecuniæ inopia distinebantur. Hispani enim se nisi vetera stipendia acciperẽt, Mediolano

non

non egressuros minabantur, iamq; vrbem diripere incipiebant; sed tandem duces difficulter, vt quinq; mensium stipendijs acceptis contenti essent, effecerunt: cuius rei causa templa vasis argenteis spoliare, & multos ciues in carcerem conijcere fuit necesse: quibus autem stipendia persoluebant, statim eos Papiam mittebāt; sed difficillimè, nolebant enim Mediolano discedere: quibus in rebus cum tempus interponeretur, interea aliquot equites & Italos pedites trans Padum Germanis obuiam miserunt. Pontificis vicarius, vt Vrbini dux pontificij imperij in illa parte securitatis gratia cum Venetis copijs Padum traijceret petierat; is autem non modò nunc se quid Veneti iuberent, expectare, nunc alias causas adferens, distulerat; verùm etiam Senatui ne si ipse Padum traijceret Cæsariani in fines ipsorum irrumperent metum iniecit; ita vt Senatus ei ne traijceret mandarit: quin etiam hanc ob causam eam legionem cui Ioannes Medices præfuerat, apud quam vicarius vt Padum pontificij imperij tuendi gratia traijceret instabat, multos dies detinuerat: cumq; Salutius à quo vicarius auxilium petierat, tum ob id, tum etiam quia cum Heluetiorum & Rhetorum numerus esset imminutus, sibi in Veprij castris non satis consultum esse censebat, Abduam traiecisset. Veneti qui prius, vt Salutius cum decem partim Heluetiorum partim suorum peditum millibus, quibus ipsi stipendia ex Galliæ regis quadraginta aureorum numûm millibus persoluebant, quorum accipiendorum & distribuendorum cura, quum pontifex inducias fecit ipsis relicta, ipsos aliquam partem in militum suorum stipēdia derituasse haud leuis suspicio fuit: trans Padum pōtifici auxilio veniret assensi erant; post Vrbinatis suasionibus moti, eum ne id faceret rogabant; ideoq; dux quum eum Soncini ad colloquium euocasset, tandiu eò venire ipse distulit, vt Salutius discesserit: & nihilominus non modò vt is tandiu donec quid Germani essent facturi melius cerneretur hæreret, omni studio efficere est conatus; verùm etiam apertè eum ne traijceret est hortatus. A quo illum Heluetiorum quoq; qui nomine sex mille, re autem vera non vltra quatuor millia milites erant, stipendia remorabantur. Quam ob causam, etsi ipse ad XXVII Decembris vsq; expeditionem suam distulerit, tamen Gallici equitatus partē cum aliquot peditibus, in varia regionis loca, vt Germanis qui iam multos dies Florentiolæ hæserant cōmeatum interciperent, misit: eandemq; ob causam Guido Vaina cum centū expeditis equitibus ad Sandoninum fuit missus: & Paulus Luzzascus, cum magna equitū turma Placentia egressus, non procul à Florentiola constitit: quare Germanorum pars vt maiorem commeatus opportunitatem haberet, Arquatum petijt: quorum metu Placentia prius munita quidem fuerat, sed non eo præsidio quo defendi posse videretur: quoniam pontificis vicarius semper post Germanorum aduentum, ne alicuius rei in Gallia cisalpina gerendæ difficultas Cæsarianos in Hetruriam transire cogeret, veritus, vt Placentiæ exercitum admouerent, cupiebat. Quam ob causam ceteris omnibus, & ipsimet pontifici quoq; ignotam, Placentiam ita munire vt eius obtinendæ spe excluderentur, differrebat: sed tamen vt ea non facilè potiri possent operam dabat: & quandocumq; ipsi venissent, subsidij introducendi facultatem minimè defuturam sperabat. Sed diuturna Germanorum in vicinis locis mora, omnibus ob eius ciuitatis periculum exclamantibus, eum vt Guido Rangonius cum multis militibus eò iret assentiri coëgit: quo etiam Venetorum iussu, qui se vt pontificis rebus succurrerent mille pedites eo missuros promiserant; missus eò Babbo Naldius ab ipsis cum mille peditibus fuit: sed hi stipendiorum difficultatibus, cito ad quadringentos sunt redacti. Tandem verò Salutius marchio, qui re vera non vltra quatuor Heluetiorum simul & Rhetorum, ac tria suorum peditum millia habebat, Padū traiecit: & ad Polinesum profectus, quamuis illinc vt discederet, minimè cuperetur, quo Germanos Florentiolæ confidentes, ad quorum etiam castra sæpe excurrebat Luzzascus, infestaret: tamen quo tutior esset, se Turricellam & Sissam contulit. sed post duos dies Germani Florentiola mouentes, Carpinetam & in vicina loca se contulerunt: nec Borbonij consilium, vtrum vbi Mediolano exercitum eduxisset Placentiam, an Hetruriam esset petiturus, notum erat. Postremo anni die Germani trans Nuram vt Trebiā quoq; traijcerent, & illic quia castra minus hostium incursionibus erant exposita, Borbonium expectarent, sunt profecti. Qua in Galliæ cisalpinæ rerum tarditate, quæ non tam ex anni asperrima parte, quàm ex Borbonij in stipendijs militib. persoluendis diffi-

1526

cultate proficiſcebatur, quo fiebat vt Mediolanenſes pecuniæ ab illis extorquendæ gratia miris modis vexarentur cruciarenturq́; :cuius rei cauſſa Hieronymus Moronus, mortis ſupplicio condemnatus, ea nocte quæ diem ſupplicio deſtinatũ præceſſit, ſe 20 aureorum numũm millibus promiſſis, in quem finem illum capite plectendũ finxerant, redemit: itaq; carcere liberatus, ſtatim ingenij ſui beneficio Borbonio ex ipſius captiuo conſiliarius factus eſt; & poſt non multos dies ſummus apud eum euaſit. Inter pontificem ac proregem multa inducarum aut pacis colloquia agitabantur, ſed proregis veriora & certiora belli gerendi conſilia erant: is enim vbi Caietam peruenit, ex Columniorũ cohortationibus, & quòd pontificem animo prorſus deiectum, ac pecunia exhauſtum, pacem vehementer exoptare audiret, ſpem conceperat: quoniam pontifex qui bellum minimè ea qua decebat animi conſtantia erat aggreſſus, dum omnibus inopiam & metum ſuum prædicaret, neq; cardinales pretio, quemadmodũ omnes ſuadebant creare vellet, ijs qui de ipſo inuadendo cogitabant, audaciam & ſpem augebat: & iam XXVI Iunij die epiſtolam acerbam & querelis plenam ad Cæſarem, qua ſe ab ipſo ad bellũ gerendum coactum fuiſſe excuſabat, ſcripſerat: cumq́; ei poſtquam miſſa fuit nimis acerba videretur, ſtatim aliam mitiorem ſcripſerat, & Baldaſſari Caſtilioneo internuntio ſuo vt priorem apud ſe retineret, mandauerat: ſed ea iam Cæſari reddita fuerat: reddita poſt etiam eidem altera fuit: Cæſar verò quamuis eodem tempore, vtriq; tamẽ ſeparatim, hoc eſt acerbæ epiſtolæ cum acerbitate, & mitiori mitius reſpondit. Pontifex Franciſcanorũ ſodalitatis generali præfecto cupidè aures accommodauerat: is enim quum bellũ cœptum eſt in Hiſpaniam proficiſcens, manſueta à pontifice ad Cæſarem mandata acceperat; ac Cęſaris iuſſu Romam reuerſus, multa de Cęſaris egregia voluntate, & ipſum cum quinq; tantùm militum millibus in Italiam venturum, ac Cęſarea corona accepta ſtatim in Germaniam ad Lutheri res (nulla concilij facta mentione) componendas tranſiturũ: cum Venetis æquis legibus conuenturum: Franciſci Sfortiæ cauſſam duobus iudicibus à pontifice & ipſo delectis commiſſurum: & ſi is damnaretur illud imperium Borbonio traditurum: exercitum ſi pontifex & Veneti in militum vetera ſtipendia tria millia auri pondo perſoluerent, de quo tamen ad minorem ſummã redigendo tractari poſſet, extra Italiam ducturum: Galliæ regi viginti millibus auri pondo ab illo varijs temporibus acceptis liberos reſtituturũ renuntiarat: cum Angliæ rege quoq; quòd minimè magna pecunia eſſet, ea de qua controuerſia erat, quodq́; eam Galliæ rex iam obtuliſſet facilè componi poſſe oſtendebat. Ad hæc autem omnia, quæ pontifex cum Gallis & Venetis oratoribus cõmunicauit tractanda, octo aut decem mẽſium inducias Franciſcanus Hetæriarecha offerebat: ſeq; eius rei à Cæſare vnà cũ prorega aut Vgone ampliſſimã poteſtatẽ habere aiebat. Quam ob rem pontifex Pignaloſa audito, ac proregis ex Sanſtepha ni portu diſceſſu cognito, Hetæriarchã Caietam vt his de reb. cum eo ageret, miſit: nam neq; Veneti, modò rex Galliæ annueret, inducias reiecisſent: rex verò ſe haud alienũ ab ijs oſtendebat; imò eius mater Laurentium Hetruſcum, ſe pacis qua omnes cõprehenderentur ſtudioſam oſtendens, Romam miſerat; & pontifex nullũ conſilium abſq; Borbonij conſenſu ſatis tutum eſſe poſſeratus, eaſdem ob cauſſas ipſius ab eleemoſynis miniſtrum, qui Romæ erat ad eum miſit: quem dux paulo pòſt ad eadem tractanda ad pontificem remiſit: eodem tamen tempore belli apparatus non prætermittens, Auguſtinũ Triultium cardinalem legatum ad Campanię exercitum miſit: cumq́; ſe ad regnum neapolitanum mari quoq; oppugnandum adornaret, III Decembris die Petrus Nauarrus, cũ vigintiocto põtificijs, Gallicis, & Venetis triremibus Ciuitatẽueterem venit: quo etiam tempore Rentius Ceres à Gallię rege ob decretam in regnum neapolitanum expeditionem miſſus, quadratorum velorum claſſem Sauonam appulit. Ab altera parte Aſcanius Columna cum duobus peditũ millibus ac trecentis equitibus in Valbonam, 15 à Tibure milliaribus, vbi Farfenſis Abbatis & Ioannisiordani oppida ſunt, venit; quibus militibus XII Decembris Caperanũ quod nullo præſidio erat munitum, cepit; Vitellus verò cum pontificijs copijs inter Tibur, Paleſtrinam, & Vellitras venit: Columnij Pontecoruum non cuſtoditum ceperunt; & Scarpam Farfenſis Cœnobij caſtellum paruum ac minimè munitum fruſtra oppugnarunt. Deinde Cæſar Filettinus cum mille & quingentis peditibus noctu Ananiam petijt: vbi quum à nõnullis ciuibus per domum quandam mœnibus

bus coniunctam,quingenti milites iam clàm essent introducti,à Ioanne Leone Fanensi pontificiorum in ea ciuitate militum duce repulsi fuerunt.Hetæriarca deinde à prorege redijt,& illum aliquot mensium inducias,vt interea de pace ageretur concessurum,sed pecuniã, & Ostiensem ac Ciuitatisveteris arces securitatis gratia petere retulit, verùm his contraria scripsit Capuanus archiepiscopus, qui post eius discessum Caietam peruenerat; ac forte non sano consilio à pontifice missus fuerat, videlicet proregem non iam inducias,sed pacem cum pontifice tantùm, aut cum põtifice & Venetis,pecunia ad exercitum pacis conseruandæ gratia alendum ab eis accepta; & post de aliorum inducijs agere velle: siue quòd reuera sententiam mutasset,siue vt multi sunt suspicati,archiepiscopi suasionibus motus. Quo tempore Paulus Aretinus cum pontificis,Venetorum & Francisci Sfortiæ mandatis, & potestate ad Cæsarem peruenit. Quò Angliæ rex etiam Cameræ auditorem quem vocant, eiusdem pacis caussa ire voluit;iam enim ante Galliæ regis mandata aderant: inuenit autem Paulus Cæsarem ob Germanorum,& classis in Italiam aduentum valde animo mutatum: idcirco ab ijs quæ prius agitata fuerant recedens, vt rex omnia Madrilienſis pactionis capita seruaret, & Francisci Sfortiæ caussa iure per iudices à se delectos dijudicaretur petebat.Sic Cęsaris mens pro rerum successu mutabatur;mandata quoq; ab ipso suis in Italia ministris data,ob locorum longinquitatem,vt cõsilia ex temporum & occasionum varietate caperent aut explicatè aut tacitè continebant.Itaq; Lanoius vbi pontificem per multos dies vana spe lactasset,ac ne paucorum quidem dierum inducias tandiu donec huius negotij exitus videretur, concedere voluisset, xx die Neapoli pontificij imperij fines versus, nouas & inusitatas pacis leges proponens est profectus. Vltima anni die Ferrarienſiũ ducis pactio est sequuta per iuum oratorem cum prorege Lanoio & Vgone Moncada,qui eius rei potestatem à Cæsare habebat, quamuis oratore illo qui à Lanoio minis & acerbis verbis ferè assentiri elt coactus,difficulter consentiente, in hunc modum facta est. Ferrarienſium dux ipsemet cum imperij sui viribus Cæsarem contra quemcunq; hostem iuuare teneretur: Cæsaris in Italia copiarum omnium præfectus esset, cum centum grauis ac ducentis leuis armaturæ equitibus,quos proprijs sumptibus,qui tamen ei restituerentur aut in accepti tabulas pro ea summa quam ipse debet,referrentur,colligeret;vt in Cæsaris nothæ filiæ ipsius filio promissæ dotem,nunc Carpium oppidum, & Nouij arcem quæ antea Alberti Pij erant acciperet,eorum tamen vectigalia & fructus, donec matrimonium perficeretur,pro rata portione, ipsius stipendijs adnumerarentur: & vt Vespasianus Columna Vastijq; marchio iuri si quid in eis locis habent,cederent,vbi Mutinam recuperasset,ducenta aureorum numûm millia solueret: in qua tamẽ summa ea pecunia quam post Papiensem pugnam proregi dederat, compensaretur: quòd si Mutinam non recuperaret, omnis pecunia quam antea exposuisset ei restitueretur: Cæsar ad eius patrocinium teneretur, neque pacem nisi ipso ea comprehenso,& censuris pœnisq; quibus postquam se cum Cæsare fœdere iunctum declarasset subiectus fuisset, à pontifice liberato,faceret; daretque omnibus modis operam Cæsar, vt etiam ijs quibus antea obstrictus fuerat eximeretur. Sic in anni MDXXVI fine omnia ad manifestum bellum spectabant.

DECIMISEPTIMI LIBRI FINIS.

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DECIMVS OCTAVVS.

Borbonij Mediolano discessus: Proregis in pontificij imperij fines irruptio: Frusolonium pontificij imperij oppidum à prorege obsessum: pontificis in regnum neapolitanum expeditio: Proregis à Frusolonij obsidione discessus: Aquila vrbs in Aprutijs à Rentio capitur: multa oppida in eodem regno à fœderatorum classe capiuntur: Proregis cum pontifice compositio: tumultus repentè Florentiæ excitatus: Borbonius Romam inuadit, & occiditur: Roma capitur & diripitur: Pontifex cum multis cardinalibus capitur: Florentinæ reipublicæ status mutatio: Galliæ regis cum Angliæ rege contra Cæsarem fœdus, & belli denunciatio: Genuensis reipublicæ status mutatio: Alexandria & item Papia à Lautrechio capitur: Pontifex & captiui cardinales liberãtur: Cæsar Galliæ regem ad singulare certamen prouocat: Angliæ rex Cæsari bellum indicit: Amalfia & multa alia oppida in regno neapolitano à Gallis capiuntur.

1527. ANNVS vicesimus septimus supra millesimum quingentesimum atrocissimis, & iam à multis seculis inauditis casibus, statuum mutatione, principum captiuitatibus, perhorrendis ciuitatum direptionibus, annonæ magna caritate, ingenti per vniuersam ferè Italiam pestilentia, ac deniq; cædibus, fuga & rapinis, luctuosissimus erit. Quarum calamitatum initia nulla res, præter Borbonij in Hispanis Mediolano educendis difficultatem remorabatur: nam quum vt Antonius Leua cum ijs Germanis omnibus qui antea in Italia fuerant (in quibus alendis omnis pecunia à Mediolanensibus exacta, & ea quã Borbonius literis ex Hispania allatis in Italia à mercatorib. acceperat, insumpta erat) & mille ac ducentis Hispanis, & aliquot Italis peditibus sub Ludouici Belgioiosi & aliorũ ducum cura, ad Mediolanensis imperij propugnationẽ maneret conuenissent: nam quũ pecuniã nullã à Cæsare accepissent, sed multatitia & cõtributa pecunia sustentarentur, ac Mediolanensiũ domos, mulieresq; prædæ haberẽt, libenter in tanta viuendi licentia permanebant: sed quũ apertè id recusare non possent, vt prius omnia ad eã vsq; diẽ credita stipendia sibi persoluerẽtur postulabant: tandẽ verò se ducis voluntatẽ quinq; mẽsium stipendijs acceptis sequuturos promiserunt: sed eam pecuniã explicare admodum difficile erat: nam nec minis, nec domorũ direptionibus, nec vinculis & carceribus, pecunia ab exinanitis Mediolanensib. extorqueri poterat: vbi etiã exercitus alendi caussa, absentibus dies indicebatur: & eorũ qui se non stitissent bona militibus dabantur. Ad postremum omnibus difficultatibus superatis, Cæsariani milites penultima Ianuarij die Padum traiecerunt: & sequenti die Germanorũ qui antea Trebiam traiecerãt, pars, iterum cis Trebiã reuersi, Pontenoui castra locarunt: reliquæ copiæ vltra Placentiã constitere: quũ interea ex aduerso Salutiarũ marchio Parmæ copijs omnib. per agrũ distributis, esset: & Vrbini dux qui Casalemaius venerat, quòd Veneti & Padum transire liberũ reliquissent, copias traducere incipiebat: & si Cæsarini, quemadmodũ Mediolano nuntiabatur, Hetruriã peterent, se quoq; cum 600 cataphractis, nouem peditum millibus & 500 expeditis equitibus transiturũ; & Bononia ocius quàm illi, peruenturũ: vtq; idẽ cum suis & põtificijs copijs Salutius faceret hortabatur. Cæsarianus exercitus circiter viginti dies partim vltra, partim cis Placentiam hęsit: detinebat autem eos tum pecuniarũ, quia nihil adhuc Germani à Borbonio acceperãt, penuria: tum quòd ipse fortasse magis progrediendi difficultate quàm alia de caussa motus, de Placentia oppugnanda cogitaret: ideò à Ferrarienſium duce vt se tormentario puluere iuuaret, & ad se ipse veniret; 500 grauis armaturę equites & Georgiũ cum sex peditum millibus ei obuiam missurũ petebat:

bat: ad quæ dux pluuerem per hostilem regionem mitti nulla ratione posse, nec se, quũ omnes fœderatorum copię in propinquis locis essent, sine periculo ad eum ire respondit: verùm etsi hæc omnia facilè fieri possent, debere Borbonium cogitare, se nihil hostibus commodius, aut optabilius facere posse, quàm si circa singulas ciuitates tempus tereret; & si minus Placętiam caperet, vel etiamsi, longa interposita mora, caperet, quo loco ipsius existimatio esset futura; quomodo in tanta pecuniarũ & rerum omnium inopia bellum esset sequuturus, videndum esse: Cæsaris commodum, & vnicam victorię cõsequendæ rationem esse, caput ipsum petere; semel, ceteris omnibus à tergo relictis, Bononiam adire; vbi aut de ea vrbe expugnanda, ad quod sua auxilia ipsi minimè essent defutura, aut vlterius Florentiam vel Romam versus progrediendi consilium capere posset. Quæ dum tractantur, & dum Borbonius pecuniæ, qua non modò Hispanis reliquam repręsentet, verùm etiam Germanis, quibus Placentia discedentibus binos aureos numos dedit, aliquid tribuat, explicandæ operam dat, bellum in pontificio imperio vehementer exarserat: ad pontificium enim exercitum Rentius Ceres ex Gallia recens venerat: nec longè à prorege qui in Ceperani finibus erat, vbi aliquot Itali pedites trecentos Hispanos fuderant, castra habebat. Sed in pontificij imperij propugnandi ratione, variæ erant sententiæ: Vitellus enim ante Rentij aduentum, pontifici vt Cãpania prouincia deserta, duo peditum millia Tiburi collocarentur, totidem Palestrinæ, & reliquus exercitus Velitris, vt proregis Romam profectio impediretur cõsisteret, consulue rat: Qua re iam constituta, Rentius superueniens, de Velitris tenendis, consilium, quod vastum oppidum esset, nec facilè muniri posset, ac vt hostes eo vsq; progredi permitterẽtur, improbauit: sed vt Ferentini exercitus, qui cum ad tot loca tuenda non esset distributus maior foret, collocaretur, suasit: ex eo enim loco, hostes quo minus vlterius progrederentur prohiberi posse. Quo consilio probato, Frusolone quæ ciuitas Campaniæ caput est, & quinq; milliarib. à Ferentino distat, mille & octingenti pedites maxima ex parte ex Ioannis Medices legione, qui sibi nomẽ à nigris insignibus imposuerant, cum Alexandro Vitellio, Ioannebaptista Sabello, & Petro Birago expeditorum equitũ duci bus consedere. Interea verò Columnij clam Neapoleonem Vrsinũ Farfensem abbatẽ, vt arma in Latio tanquã Cæsaris miles caperet impulerãt: quod põtifex, ad quẽ occultè eius rei notitia peruenerat, & à quo is prius pecuniã acceperat, dissimulans, arte eum vt Valdemontio Lotaringiæ ducis fratri, à Galliæ rege ad neapolitanã expeditionẽ iuuandam misso, ex Gallia venienti obuiã iret traxit, & prope Braccianũ capi, ac in Angelicã arcem custodię tradi curauit. Põtifex pecuniæ cogendæ operã dabat: & cũ eam à principibus flagitaret, adhuc triginta aureorũ numũ millia ab Angliæ rege impetrauit, quæ Rofellus eius cubicularius attulit; cũ quo & Robadanges cũ decẽ aureorum numũm millibus, quæ Francus ex decumis quas põtifex necessitate cõpulsus ei cõcesserat, mittebat, venit; promisitq; se præter quadraginta aureorum numũ millia communis fœderis nomine & viginti millia ipsi pontifici promissa, ei triginta millia statim, ac totidẽ intra mẽsem missurũ. Mãdauit quoq; Anglus Rosello, vt Lanoio ac Borbonio, quo pacis de qua ex Cæsaris voluntate in Anglia agebatur tractandæ spaciũ haberẽt, inducias indiceret; alioqui bellũ eis denunciaret: nam is rex tunc Galliæ regis filiæ cõnubio sibi iungendæ cupidus, fœderatorum rebus fauere videbatur: quo matrimonio contracto, sese statim fœderi adiuncturũ, & Flandriã infestis signis inuasurum pollicebatur: Pontificis quoq; cõmodis admodum studiosus apparebat; sed à principe, qui vires suas & præsentem Italiæ statũ nõ bene metiretur, nec dum aliquid certi apud se cõstituisset, quiq; semper spe sibi à Cæsare de pacis negotio ipsius arbitrio permittendo ostẽtata (etsi verbis facta minimè responderent) nõnihil retraheretur, prõpta auxilia minimè sperari poterant. Nam quum auditor Cameræ hanc ob caussam ad Cæsarem iuisset, etsi Cæsar eam esse mentem suam multis artibus ei persuadere niteretur; tamen cum prius quid Germanorum, & classis suæ in Italiam aduentus peperisset, cognoscere vellet, certum responsum non dabat; & fœderatorum mãdatis quasi idonea non essent, aliquid obijciebat. Pontifici autem apud socios, quòd semper de pace cũ prorege ageret oberat; semper enim ne cũ illo paciscereturmetuebant; & Galliæ regi ac Venetis sumptus omnes quos eius tuendi caussa facerent ferè inutiles videbantur. Quã suspicionẽ ingẽs metus qui in eo cerneba

tur,&quòd quotidie se bellū diutius sustinere non posse atteſtaretur:quibus accedebat ipsius quædā pertinacia,qua eò adduci,vt Cardinales pecunia in tantis angustijs ac periculis crearet,nunquam potuit:quod alij pontifices vel in ambitiosis & iniustis caussis facere consueuerant. Quapropter rex & Veneti vt in omnem euentum parati essent, aliud peculiare inter se, vt neuter sine alterius consensu cum Cæsare paciscereturfœdus renouarant. Rex igitur, cum ob eum pōtificis metum,tum & ob magnā ab Anglię rege, si de affinitate inter se conueniret, magnorum proximo vere motuum,spem datam,in Italiæ periculis negligentior fiebat.Interea Lanoius pontificij imperij finibus bellum inferre accelerabat: à quo cum duo Hispanorum peditum millia ad quoddam paruū Stephani Columnæ castellum oppugnandum missi essent, repulsi fuerūt: & ob ipsius progressum pontificij,Roccam papæam,cuius loci milites Gandolfum Castellū Montani Cardinalis quòd infirmū præsidium haberet occuparant,oppugnandæ consilium deposuerunt. Tandem verò Lanoius, duodecim peditum millibus, qui maxima ex parte(Hispanis & Germanis qui classe aduecti fuerant exceptis) imperati milites erāt collectis, xxi Decēbris die cū omnibus copijs Frusolonē obsedit: quod oppidū minimè munitū & sine mœnibus est,mœnium aūt vicem præstant priuatorū domus &Crypta,sed id pōtificij duces,ne Cæsariani in Campania pedem figerent,præsidio munierant; & ad paucos dies commeatū habebant: nihilominus oppidi situs(est enim in monte positum)ijs qui intus sunt semper ab vna parte,modò aliquid subsidij foris habeant,euadendi facultatem præbet:quæ res milites qui intus erant, præterquā quòd ex fortissimis Italorū erant,qui tunc stipendia facerent,ad defensionem audaciores reddebat:neq; ob montis altitudinem hostium tormenta,qui tria mediocria,colubrinas verò quatuor & ipsas mediocres collocarant,ita admoueri,vt multum incommodi adferrēt,poterant: præcipuū autem illorum studium in eo erat,vt cōmeatum importari prohiberēt. Pōtifex verò quāuis pecunia prorsus exinanitus,& ad eius præcariò ab alijs petendæ quā nouis rationib. cogendæ indignitatem ferendā paratior,copias suas quantū poterat militib.partim cōductis,partim imperatis augebat:& paulo antè Horatium Ballionem iniurijs quibus primò eius partem,deinde ipsum quem,vt Perusinæ trāquillitatis perturbatorē diu in Angelica arce detinuerat,obliuioni traditis conduxerat.His igitur incrementis pontificius exercitus vt totus Ferentini colligeretur, & obsessis auxilij spem faceret, paulatim propius accedebat.Die xxiiii Frusolonem tormentis verberare desierunt: sed quum non tantum spacium murorum vt proregi victoriæ spem faceret esset dirutum, pugna minimè est tentata:sed tamen Alarconius,dum circa muros versaretur,sclopi glande vulneratus fuit: nec Marius Vrsinus à vulnere immunis fuit. Prorex ea potissimum spe nitebatur, quod parum commeatus intus esse sciret; cuius penuria etiam exercitus qui Ferentini colligebatur laborabat:quoniam Columniorum milites qui Palliani,Montefortini & in Rocca papæa quæ sola adhuc retinebant,erant,iter valde infestabant:& quum Rentius ad exercitū proficisceretureius antecursores, quos Cuius ducebat, fuderant. Nihilominus cum aliquando trecenti pedites & equitatus pars cum Alexādro Vitellio, Ioannebaptista Sabello & Petro Birago,Frusolone eruptionem fecissent, & ad quingētos passus ad Larnatam,vbi quinq; Hispanorum peditum cohortes erant, accessissent, duas cohortes in insidias pertraxerunt; eosq; Peralta duce, & octuaginta peditibus cæsis,ac multis vnà cum duobus signis captis,fuderunt.Interea Lanoius cuniculos Frusolone agere,qui intus erant,cōtrarios cuniculos opponere; tamq; parui hostes facere, vt quadringentos pedites quos exercitus duces ipsis auxilio submittere volebant, recusarint. Nec tamen eodem tempore minus feruebant pacis colloquia: Franciscanorum enim ille de quo suprà egimus magister, & Capuamus archiepiscopus, Romam redierant: atque vnà Cæsar Feramusca Neapolitanus ; quem Cæsar post Lanoij discessum ex Hispania ad pontificem legauerat; eique id potissimùm in mandatis dederat, vt Vgonis & Columniorum in Vrbem irruptionem, & reliqua quæ inde sequuta erant, ipsi molestissima fuisse testaretur: ipsumque omnium controuersiarum cum ipso componendarum cupidissimum esse fidem faceret; ac ipsius nomine de pace ageret, cuius se etiam cum ceteris fœderatis studiosum ostendens, vt pontificis internuntius literis suis referebat,se si pontifex, quemadmodum dixerat,Barcinonem veniret,ei liberam,

eius

eius ad arbitrium suum pronuntiandæ potestatem facturum aiebat. Hi Lanoij nomine duorum aut trium annorum cum pontifice & Venetis inducias, quibus omnes ijs quæ tunc possidebant potirentur, ac pontifex mille & quingentas, Veneti verò quingentas auri libras repræsentarent, proponebant: quæ res etsi pontifici grauis esset, tamen tantopere se belli molestijs liberare cupiebat, vt quo Venetos ad assentiendum alliceret, quingentas auri libras pro ipsis dare vellet. Quorum responsi expectandi gratia, vltima Ianuarij, octo dierum inducias cum Lanoio, ea lege vt pōtificiæ copiæ vltra Ferentinū, Lanoij vltra Frusolonem non procederent, neúe quidquam contra oppidum moliretur; & vicissim ijs qui oppidum tuebantur, id commeatu aut alia re nisi in singulos dies cibarijs munire non liceret est pactus: cumque Feramusca se satis pontificis animum exploratum habere, eiq; cum Cæsaris dignitate ipsius mentem aperire posse censeret, longam epistolam propria Cæsaris manu scriptam, bonæ eius mentis & erga pontificem obseruantiæ testem, promissisq; plenam reddidit: mox ad inducias Lanoio & legato significandas, & vt seruarentur curandum profectus: eodem die exercitum qui Ferentino discendens Frusolonem versus contendebat inuenit; ac re legato indicata, ipse qui suos magna victoriæ spe quam conceperant defraudare nolebat, verbis illi datis, clam militibus vt iter suum sequerentur, significauit. Exercitus nisi angustum quendam locum instar pontis factum, ad primi Frusolonij collis radices situm, ad cuius custodiam erant quatuor Germanorum peditum cohortes occuparet, Frusolonem peruenire non poterat: sed quum primum agmen cui Stephanus Columna præerat ad eum locum venisset, in eos impetum fecit: ac circiter ducentis cæsis & signis vnà cum quadringentis militibus captis, eos fregit ac fudit: itaque primo colle occupato reliquis Frusolonis ingressu pōtificijs libero relicto, se in munitiorē locum collegerūt: pontificij autem nocte iam imminente, è regione illorum magna cum Rentij & Vitellij cuius hac in re actiones pontifici minimè placebant, illos siue eo in loco manerent, siue abirent, fundendi spe castra locarunt: quod proculdubio, si aut in occupato colle castra posuissent, aut hostium receptum attentè & diligenter explorassent, futurum fuisse credebatur: quoniam Lanoius non sequenti die, sed altero, duabus horis ante lucem, nullo abeundi signo edito, nescio quibus tormentarij pulueris reliquijs incensis, ac multis tormentorum globis relictis, cum exercitu discessit: & quamuis pontificij eius discessu cognito, expeditos equites, qui impedimenta & nonnullos parui momenti homines ceperunt, ad eos persequendos miserint, vt eos insigni aliqua clade afficere possent, minimè in tempore fuerunt: tamen aliquam commeatus partem reliquit, seque Cesanum, & inde Ceperanum contulit. Qua re pontifex audacior factus, & à sociorum quibus alia ratione satisfacere non poterat legatis incitatus, neapolitanum bellum aggredi statuit. Robadanges enim, qui decem aureorum numûm millia ex decumis, & totidem Rentio attulerat, vt sine Alberti Pij, Rentij, & Langei consensu, ac nisi pontificem cum Cæsare pacem non initurum exploratum haberent, non explicarent, in mandatis habebat: & Veneti ad quos Rosellus, vt eos ad inducias à Lanoio propositas, & à pontifice approbatas admittendas flecteret, contendebat: sed quum in itinere crus fregisset, literas miserat, se sine Galliæ regis consensu inducias nolle responderant; idque tanto maiore animo, quia Genuæ res in maximam commeatus penuriam redactæ esse audiebantur. Itaque vt regnum neapolitanum terrestribus & maritimis copijs, quas Valdemontius, in quibus duo peditum millia erant, veheret, oppugnaretur fuit decretum: sed Rentius ex cuius sententia Galliæ regis pecunia explicabatur, contra pontificis, qui omnes vires in vnum locū conuertendas censebat, voluntatem, sex peditum millia, vt cum illis Aprutios inuaderet, Aquilam Montorij Comitis filiorum, quos cum duobus peditum millibus eò misit, opera facilè capi posse sperans, conscribere statuit: quod actutum Ascanio Columna vbi eos aduentare audiuit fugiente, successit. Huius expeditionis principia in magnam spem socios erexerunt. nam etsi prorex vicinis locis præsidio munitis, quantum poterat, se comparare niteretur, tamen copiarum parte dissoluta, alijs verò ad necessaria oppidorum præsidia collocatis, vix terrestribus copijs par futurus credebatur: itaque nec Rentium in Aprutijs, nec pontificiā & Venetorum classem quæ viginti duarum triremium

erat impedimentum habituros; quum præsertim tria peditum millia præter consuetum numerum ferrent; & Horatium cum duobus alijs millibus, ac ipsummet Valdemontiũ, qui ob antiqua Renati regis iura, eius regni successionem ad se spectare aiebat; & quem pontifex vicarij sui honore ornauerat. Sed quia pontificis exercitus XII Februarij, quòd maiora tormenta Roma, ac vt Rentius Aprutios inuaderet, & classis appulsa esset expectaret; & quia aliquod impedimentum ac temporis inanem moram attulerat, quod pedites qui Frusolone erant, commoti, victorię præmium voluerunt, nondum Frusolone castra mouerat, res maiore tarditate gerebantur: nihilominus Lanoij copiæ XVIII die Cesanum & alia circumiecta castella deseruerunt, seq; Caperanum receperunt: quam ob rem pontificis copiæ quæ iam commeatus penuria laborabant, vltra Sangermanum processere: & Lanoius de rerum summa sollicitus, se Caietam, & Vgo neapolim contulit: & tamen pontifex ob pecuniæ inopiam, ac Borbonij cuius exercitui socios non satis alacriter se opponere videbat, progressum metuens, in eodem pacis cum Cæsare studio permanens, vt Rosellus regis sui nomine Lanoiũ conueniret effecerat: ex quo factum est, vt Cæsar Feramusca XXI Februarij Romam redierit: qui mandatis suis expositis, altero die inde discessit, ac pontificem summopere dubium atq; ancipitem reliquit: cui ne in compositionem præceps rueret, Veneti mensis Martij initio, si ab ipso per vniuersum imperium suum delictorum veniam (iubileum vulgò vocant) impetrarent, se intra quindecim dies, quindecim aureorum numûm millia, ac rursum intra totidem dies totidem millia daturos pollicebantur. At pontificis & Venetorum classis, quæ graui cum detrimento, vt Gallicam classem expectaret immorata, XXIII Februarij, ventorum caussa, se ad Pontiam insulam receperat, pòst progressa, Caietæ molem diripuit: deinde quarta die Martij Puteolis naualibus socijs expositis, cum id oppidum bene munitum inuenisset, rursum se ad mare recepit; & Stabia litora legens, descensione prope neapolim ad Castellomarinum facta, vbi Diomedes Caraffa cũ quingentis peditibus erat, eoq; oppugnato, tertia die id per montem vi cepit, ac diripuit: & sequenti die arcẽ deditione obtinuit: decimo die Græci turrim expugnauit; postq; Surrentum cũ multis alijs eius litoris oppidis deditionem fecit: prius autem naues aliquot frumẽtarias ceperat; ex quo Neapolis, vbi tenues apparatus fiebant, quũ nullum quem huic classi opponeret, in mari haberet, magnum incõmodum sentiebat: quinto aũt Martij die, ita prope molẽ accessit, vt qui in arce & triremib. in portu erant, in eam tormentis iacularẽtur: & pedites prius tantũ terrestri itinere sunt progressi, vt neapolitani per Mercatus portam se in vrbem recipere, eamq; occludere fuerint coacti. Classis deinde Salernum cepit: cumq; Valdemontius quasdã naues quatuor triremibus Salerni vbi Oratius erat relictis, classe persequeretur, Salernitanus princeps, per arcem cum magna manu ciuitatem ingressus, ab Oratio plus quàm ducentis peditibus cæsis, & multis captis fusus fuit. In Aprutijs cum Lanoius prorex seniorem Montorij comitem, vt Aquilam recuperaret è custodia dimisisset, is à filijs fuit captus: & Rentius Ceres sexta Martij Siciliano & Tallacotio captis, Soram versus contendebat: & nihilominus in tanta occasione, terrestris exercitus, aut ministrorum negligentia, aut pontificis in necessarijs apparatibus suppeditandis culpa, in maximam commeatus penuriam redactus, iam quinta Martij die dissolui cœperat. Cum autem semper pacis negotium tractaretur, X Martij Feramusca & Serenonius proregis scriba Romam venerunt; quo pridie eius diei peruenerat Langæus cum multis verbis & promissis, sed sine pecunia: quamuis illum cum viginti aureorum numûm millibus vt milites magnarũ nauium classe quę ad Ciuitatẽ veterem expectabatur, transportaret: & item alijs viginti millibus, quæ pontifici daret, eumque ad neapolitanam expeditionem, pro vno ex Galliæ regis filijs, cui Catharina Laurentij Medicis pontificis fratris filia nuberet, hortaretur, ex Gallia venire nunciatum esset. Quoniam rex, negotio quod cum Anglo tractabat fretus, & prorege ex offensione Frusolone accepta, nihil efficere posse, ac Cæsarianum exercitum, quẽ tandiu procrastinaret, nec pecuniam haberet, in Hetruriam minimè trãsiturũ ratus, inducias ne pro omnibus quidem, etiã si pecunia alioqui esset impẽdenda, ne Cæsari ad sese reparandũ tempus concederetur, non amplius volebat; & tamen quia pecunia carebat, neq; ex viginti aureorum numûm millibus pontifici in singulos menses promissis,

missis,neq; ex decumarum pecunijs quidquam præter decem aureorum numûm millia,neq; septima Martij adhuc pecuniam in magnarum nauium classem quæ communibus ipsius & Venetorum sumptib. instruebatur militibus miserat:cumq; nullum motum antequam cum Angliæ rege negotium suum transegissetfacere in animo haberet, vt pontifex id tempus expectaret,æquum censebat.Idcirco neapolitanum bellum magna spe cœptũ,quotidie magis deferuescebat;classis enim neq; nauibus,neq;militibus aucta;quum capta loca custodire cogeretur,haud multum progredi poterat;& exercitus,ad quem commeatus Romã mari missus, XIIII Martij ob aduersam tempestatem nondum allatus fuerat, non modò non progrediebatur,verùm quum ob commeatus penuriam minueretur,tandem se Pipernum recepit;ac Rentij copiæ, sic stipendiorum difficultate erant imminutæ,ut ipse quum proregem quemadmodum sibi proposuerat, circumuenire nõ posset,Romam redierit: hæc autem incommoda augebat pontificis ad pacis negotium ardor:qua re sociorum per se lenti apparatus debilitabantur,& hoc ipsum in pontifice pacis studium augebat, in aliquam maiorem de Cæsaris animo spẽ, inductus,ex eius quibusdam literis interceptis,quibus proregi vt nisi forte rerum status secus facere suaderet,cum pontifice componere niteretur mandabat. Illud autem illũ maximè omnium mouebat, quòd Borbonium cum Cæsariano exercitu semper magis progredi cerneret, neque Vrbinatis consilia, Venetorumúe apparatus eiusmodi esse vt se Hetruriæ rerum quarum metus eum supra modum angebat solicitudine liberarẽt, Quoniam Vrbini dux quum Cæsariani circa Placentiam essent, priore sententia qua se cum Veneto exercitu ante illos Bononiæ futurum ostenderat, mutata,in cõcilio suo sic constituerat, vt vbi hostes castra mouere audirentur,pontificius exercitus,Parma & Mutina idoneo præsidio munitis,Bononiam se reciperet: & ipse cum Veneto exercitu hostes à tergo semper tamen quo milites sui tutiores essent, vigintiquinque aut triginta passuum millibus procul ab illis sequeretur; hocq; ordine vt siue hostes deinde in Aemiliam Flaminiamq;,siue in Hetruriam pergerent,semper pontificis exercitus,cum Salutio & Gallis equitibus ipsiusq; peditatu & Heluetijs præcederet:& oppida omnia per quæ hostibus post ipsos iter faciendum esset, præsidio muniret: eosq; milites vbi hostes præterijssent,ipse ordine recolligeret.Cuius consilij,quod ceteri duces non satis capaces essent,multas rationes afferebat:& primò quidem,minimè tutum esse coniunctis exercitibus vt Cæsarianos itinere prohiberẽt se illis acie opponere;id enim aut periculosum aut inutile fore: periculosum,si prœlio vellent decertare, quòd illi quum si minus numero tamẽ robore ac virtute antecellerent, victoria essent potituri: inutile, quia si Cæsariani pugnare nollent, liberum ipsis foret fœderatorum exercitum à tergo relinquere:cumq; deinde semper eos præcederent, vbique magnos progressus facturos: hoc consilium sibi etiamsi omnia in potestate sua essent, optimum videri; nunc autem ad idem necessitate cogi: nam quum iam hostilis exercitus,vt ferebatur,ferè in motu esset,exercitus sui apparatus non ita in promptu esse,vt se præire posse tam exploratum haberet: ac præterea quum Veneti huius rei liberã sibi potestatem fecissent, ne imperium ipsorum in periculo relinqueret,sibi cauendum esse: quòd si hostes derelictum viderent, posse nouo consilio ex noua occasione capto, Pado traiecto, fines ipsorum inuadere. Quibus rationibus Veneto Senatui,qui natura cauta tutaq; consilia semper anteponere consueuit, persuadebat:sed pontifici qui hac ratione Cæsariano exercitui Romam vsque,aut in Hetruriam,aut quocunq; vellet eundi viam aperiri animaduerteret minimè satisfaciebat:exercitus enim qui præcedere debebat viribus inferior,quiq; quum oppida illi præsidio essent munienda quotidie magis minueretur,ei obsistere minimè posset:neque Venetos,si semel à tergo mansissent,ita ad sequendum vt ducis verba pollicebantur paratos fore certum erat;ijs præsertim qui totius belli anteacti rationem ponderarent: & exercitus simul coniunctos in quibus haud multo maior militum numerus,quàm in Cæsariano erat, illos facilius itinere prohibere,commeatum impedire, & omnibus occasionibus quæ sese offerrent vti posse; neque vnquam tam procul ab illis,vt si se in Venetorum fines conuerterent, in tempore opem ferre non possent, fore censebat. Quod etiam multo magis ei displicuit, quum audiuit Vrbinatem, quum tertio die Ianuarij Parmã venisset, leui morbo correptum, XIIII die se Casalemaius,&

inde post quinque dies, per speciem valetudinis curandæ Gaziolum, quo vt aiebat febre iam remittente, sed podagra afflictus, vxorem venire iusserat, contulisse. Quã consiliorum rationem pontifici valde suspectam; qui in meliorem partem interpretari volebant, pontificis pacis tractationem, huius rei causſam esse aiebant: sed pontificis vicarius partim ex eo quod erat verisimile, partim ex ipsius verbis ad se perlatis, eum ad hęc etiam Montisfeltrij & Sancti Lei, quibus Florentini potiebantur recuperandi cupidita te impelli animaduertens: & nisi ei hac in parte satisfieret, pontificẽ & Florentinos ab illo in maximis periculis desertum iri, neque ea loca tanto periculo dignum præmium existimans, & idem Florentiæ quoque exoptari sciens, certam ei illorum locorum restitutionis spem, quasi eius rei mandatum à pontifice haberet, fecit: quod pontifex magis hac in re antiquo & nouo odio quã rationi indulgens, non probauit. Cæsariani interea exigua pecunia Germanis data prope Placentiam, vbi Guido Rangonius cum sex peditum millibus erat, castra habebant: ex qua ciuitate cum aliquãdo Paulus Luzzascus & alij pontificij expediti equites excurrerent, aliquot peditibus & grauis armaturæ equitibus sibi adiunctis, hostes qui excurrebant fuderunt; atque octuaginta equites & centũ pedites ceperunt: atque inter captos, Scalengus, Zuccherus, & Grunius Burgundus, militum præfecti fuerunt: Borbonius deinde decem Hispanorum cohortes ad Picighitonem commeatu muniendam misit: & paulo pòst Calatiæ comes cum suo equitatu & peditatu, ad Sandoninum à pontificijs desertum venit: qui sequenti die, re prius cum illo tractata, & quòd ipse quia stipendia debita ipsi non dabantur, se à Cæsarianis liberũ esse censeret, à pontificio vicario, magis vt alijs satisfaceret, quã proprio iudicio, cum mille ac ducentis peditibus, centũ & triginta expeditis equitibus quos secũ habebat, ea lege, vt si à Cæsare suo Calatię comitatu priuaretur, pontifex post octo menses donec eum recuperaret, ei quotannis tantũdẽ quantum inde percipere consueſſet, daret, conductus, in pontificiorum castra transiuit. Borbonius Ferrarienſium ducis, qui tamen in castra ire recusauit consilium sequutus, potius Bononiam & Florentiam petere, quã circa ea loca immorari cupiebat. Sed XVII die Hispani pedites pecuniam petentes tumultum excitarunt, & Statorem principem quẽ ipse ad eos pacandos miserat, interfecerũt: & nihilominus tumultu quã optima fieri potuit ratione sedato, XX die cum omnibus copijs Trebiam traiecit: & ad tertium à Placentia lapidem castra locauit: habebat autem secum quingentos grauis & multos leuis armaturæ equites, qui magna ex parte Italierant omnis prorsus stipendij expertes: Germanorum præterea qui postremò venerant, legiones, & ferè quinque Hispanorum delectorum peditum millia; & circiter duo Italorum voluntariorum sine stipendio millia: ex Germanis autem qui prius aderant pars Mediolani manserat, reliqui Sauonam versus vt Genuæ in maximam angustiam redactæ opem ferrent, contenderant. Mirandum certè erat Borbonij & eius exercitus consilium, quòd cum sine pecunia, sine tormentario apparatu, sine fabris, sine certa cõmeatus facultate, per tot hostiles terras, & contra hostes qui longè maiores quã ipsi copias habebant, iter ingrederentur. Sed multo mirandum magis erat Germanorum constantia, qui vnico tantũ in singula capita aureo numo accepto ex Germania profecti, quiq; cum tam diu in Italia binis ternisúe aureis nummis acceptis, tollerassent, contra omniũ militum & præsertim eius gentis morem nullo alio præmio aut promisso quã victoriæ spe, etiamsi manifestò animaduerteretur, si in loca cõmeatu minimè affluẽtia venirẽt, & hostes propinquos haberent, sine pecunia victum comparare non posse, itineri se cõmisissent: verũ enimuerò, magna Georgij ducis ipsorum, qui Romam & bonam Italiæ partem eis prædæ proponebat apud eos autoritas, spem augebat, & vt multa perferrẽt efficiebat. Vicesima igitur secunda die, Sandoninum petierunt, & sequenti die Salutiarum marchio, cum pontificijs copijs, aliquot Venetorum peditibus ad Parmæ præsidiũ relictis, Parma Bononiam versus cum vndecim aut duodecim peditum millibus est profectus, & Guido comiti vt Placentia Mutinam, ac nigros pedites Bononiam idoneo tamen præsidio Placentiæ relicto se transferrent mandarunt. Sic per Regiensium fines quartis castris inter Antiolam & Rheni pontem peruenerunt. Quo tempore Borbonius circa Regium erat; & Vrbini dux, qui cũ ei pontificis vicarius apud Casalemaius, vt Heluetiorum numerus augeretur proposuisset, id tanquam inutile recusarat; nunc apud illum

lum vt Romæ & Venetijs de quatuor Heluetiorum & duobus Germanorum millibus conducendis proponeretur instabat; seque tunc, quia anni tempus vt in apertos campos prodirent non patiebatur, quodque hostes prius dissolutum iri credidisset, repugnasse aiebat; nunc autem, hoc supplemento accepto se propius accessurum polliceba tur; quod consilium ab omnibus parui fiebat: quoniam præsentibus periculis tam sera remedia nihil proderant: quum ipse quoq; hæc ob pecuniarum inopiam, & sociorum iam inter se dissidentes voluntates perfici minimè posse, certò perspicere posset. Quo tempore Mediolanensium dux qui tribus peditum millibus collectis, Laudam, Cremonam, & omnem regionem quæ trans Abduam est tuebatur, & in Mediolanensem agrũ excurrebat, Modoetiã repentino impetu occupauit: quã tamen ipsius milites Antoniũ Leuam qui Borbonium comitatus erat, Mediolanum reuersum eò contendere certiores facti mox deseruerunt: ferebatur enim Leua duo veteranorum Germanorum peditũ millia, mille & quingẽtos ex nouis, mille Hispanos, & quinque Italorũ sub varijs ducibus millia secum habere. Borbonius autem Seccia fluuio traiecto, & itinere ad sinistrã capto, quinta die Martij Bonportum peruenit: vbi copijs relictis, se Finale vt cum Ferrariensium duce loqueretur contulit: qui vt reliquis cogitationib. omnib. depositis, Florentiam aut Romam versus cõtenderet ei vehementer suasit: imò is eum vt omni alia expeditione omissa Romã peteret hortatus esse creditur. quo in cõsilio multę difficultates animũ Borbonij angebãt; & præsertim metus, ne exercitus vbi in Latiũ venisset, aut necessitate coactus, aut sui recreandi desiderio, aut si aliquod impedimentum offendisset, quemadmodum proculdubio, ni pontifex arma deposuisset futurum erat, in regno neapolitano sedem figeret: quo die Venetus exercitus sine Vrbinati padum traiecit: qui etsi conualuisset, Gazioli tamẽ adhuc hærebat; sed eo animo, vt breui ad exercitũ esset abiturus. Septima die Borbonius ad Ioannis fanum in Bononiensem agrũ venit: quo ex loco præconẽ Bononiã, quò se pontificius exercitus cõtulerat, misit, qui cõmeatum peteret: se Neapolim vt ei regno opẽ ferret, cõtendere: & eodẽ die Hispani qui Carpij erãt, eo oppido Ferrariensiũ duci tradito, se illi adiunxerũt: Venetorũ verò copiæ ad Secciã antequã Borboniũ Ioannis fano castra mouisse audirẽt, haud vlterius progressuri, castra habebant: is aũt ex Ferrariensi agro cõmeatũ accipiebat; sed quũ is esset precio cõparandus, & ipsi vix vllam pecuniam haberent, vt regionẽ deuorarent, latè admodũ castra metabantur, atq; passim homines & pecora pariter secũ abducentes, excurrebãt; quibus ex rebus cõmeatus emendi facultatẽ eliciebant: ita vt certissimè perspiceretur, Cęsarianos si validum aliquod impedimentũ habuissent, aut si põtificius exercitus qui Bononiæ, & circa eam erat, aliquo in loco castris illorũ propinquiore metari potuisset, breui in magnis angustijs futuros fuisse: nã si tam latè castra habere perseuerassent, magno cũ periculo fuissent: sin ea coarctassent, cõmeatus facultate caruissent. Sed in exercitu qui Bononiæ erat, multæ erãt, cũ ob Salutij, qui ad hastã ludis equestrib. frangendã, magis quã ad ducis munus obeũdum aptus erat, morẽ; tum verò quia Heluetijs & ipsius peditib. à Venetis suo tẽpore stipẽdia non persoluebãtur perturbatiões; quib. de causis, præclarã rei bene gerẽdæ occasionẽ amiserũt. Borbonius interea quo vlterius progredi posset, vt cõmeatum in plures dies, tormentariũ puluerẽ, fabros & boues (habebat enim iam tũc secũ quatuor maiora tormenta) Ferraria acciperet operã dabat: & quãuis varia animi sui indicia daret, tamen illũ in Hetruriã via quæ à Saxo nomẽ habet, cogitare magis pro certo habebatur: idemq; confirmabat Hieronymus Moronus, qui iam ante multos dies occulta cum Salutiarum marchione, etsi multorũ iudicio, simulatè & dolosè cõsilia agitabat. Cum aũt iam XIIII Martij castra mouere statuisset, ideoq; quatuor illa magna tormenta Bondenũ remisissent, pridie eius diei Germani pedites, varijs stipendiorũ promissis decepti, quos deinde & Hispani sunt sequuti, pecuniã inclamantes maximũ tumultum, nec mediocri Borbonij vitæ periculo nisi clam se, & quã citissimè ex tentorio suo subduxisset, excitarunt: nam cum eò accurrissent, vno ex ipsius nobilibus viris ibi interfecto, tentorium diripuerunt. quamobrem Vastius statim Ferrariam petijt; vnde cũ aliqua quamuis exigua pecunia, qua tumultus est sedatus, redijt: die verò decimaseptima, tãta niuiũ aquarũq; copia fuit, vt ob fluuiorũ magnitudinẽ, & itinerũ difficultatẽ, per aliquot dies nulla ratiõe exercitus progredi posset: & apoplexiæ casus Georgiũ Germano

rum ducem, maiori ſpe quã euentu, ferè extinxit: ſperabatur enim ſaltem ad caſtra ſequenda inutilis fore: quodſi fieret, Germani illo abſente incommoda, & pecuniarũ inopiam deinceps minimè laturi credebantur. Hoc tempore Venetorum copiæ ad Fauſtini fanum prope Ruberiam erant, quo XVIII Martij Vrbini dux more ſuo Veneto Senatui victoriam penè certam, non quidem ſociorum armis, ſed difficultatibus quibus hoſtes conflictabantur fretus promittens venit. Rebus ab omni parte in hunc ſtatum redactis, pontifex, quòd pecunia careret, quòd neapolitana expeditio, quum iam exercitus ipſius ob cõmeatus penuriam Pipernum retroceſſiſſet, haud eum ſucceſſum quem ſibi prius propoſuerat haberet, & demũ quòd Gallorum verbis ampliſſimi apparatus, quotidie quemadmodum ſemper ab ipſo belli initio ad finem vſque fecerant, re ipſa parcio res cernerentur, animo conſternatus: nam præterquam quòd rex quadraginta aureorũ numûm millia in primũ menſem, quingentos cataphractos & claſſem ſerius miſerat, quodq; trans alpes quemadmodum debebat, & in quo præcipuum victoriæ fundamentum erat poſitum, arma mouere noluerat; etiam ea quæ quotidie pollicebatur non præſtabat. Promiſerat enim ſe pontifici præter conſuetam penſionem, ſingulis menſibus viginti aureorum numûm millia, vt bellum in regnum neapolitanum moueret daturum; & quum deinde ab Vgonis & Columniorum in Vrbem irruptione inducię eſſent factę, idem ei, vt aut ad neapolitanum bellum, aut ad ſui ipſius defenſionem eo vteretur, & inſuper ſe Rentium Ceritem, qui ob Maſſiliam conſeruatam magnam ſibi apud illum exiſtimationem conciliarat, ad eum miſſurum confirmarat: quæ etſi menſe Octobri promiſſa fuiſſent, tandiu tamen ſunt dilata, vt Rentius circiter quartum Ianuarij diem ſine pecunia Romam peruenerit: decem autem poſt dies allata quidem ſunt viginti aureorũ numûm millia, ſed ex ijs Rentius quatuor millia ſumptuũ à ſe factorum, & ſtipendij ſui nomine, & decem millia in Aprutij expeditione ſibi retinuit, ita vt ſex millia tantũ ad põtificem, qui his promiſſis fretus ferè ante tres menſes inducias fregerat peruenerint. Promiſerat ob decumas conceſſas intra octo dies vigintiquinq;, intra duos verò menſes trigintaquinque aureorũ numûm millia: ex quibus pontifex nihil vnquam præter nouem millia quæ Robadanges attulit accepit. Præterea Paulo Aretino qui XII Februarij à rege diſceſſit, vt pontificem magis ad bellum incitaret, præter ſupradicta omnia aureorum viginti millia ſpoponderat: quæ poſt Langeum miſſa, nunquam vltra Sauonam peruenerunt. Debebat rex ex fœdere duodecim naues longas mittere; & ſexdecim ſe miſiſſe aiebat; ſed illæ ferè ſemper cùm ab alijs rebus, tum à milite qui in littus exponi poſſet imparatę fuerant, vt nunquã Sauona diſcederent: quę ſi cum primo neapolitanum bellum eſt cœptum, ſtatim ſe pontificis & Venetorum nauibus adiunxiſſent, cõmuni hominum iudicio magno adiumento fuiſſent. Magnarum verò nauium claſſis valida quidem illa, etſi ſæpius ſe illam in regnum neapolitanum miſſurũ promiſiſſet, quicquid tandem in cauſſa fuerit nunquam à Prouinciæ litoribus aut Sauona longius abfuit: & poſtquam in duorum menſium ſtipendia in Salutij pedites tribuiſſet, cum Venetis qui minorem quàm debuiſſent militum numerum alebant, vt illorum ſtipendia ex quadraginta aureorum numûm millibus detraherentur pactus erat. Angliæ regis promiſſa & auxilia nimis remota & incerta erant. Venetos in ſtipendijs militi repræſentandis tardos videbat: cuius rei cauſſa, Salutij & Heluetij pedites, qui Bononiæ caſtra habebant ferè erant inutiles. Terrebat quoque eum Vrbinatis varietas & agendi modus; ex quibus nihil quo minus Cæſarianus exercitus in Hetruriam tranſiret impedimento futurũ animaduertebat. Itaque, tum ob Florentini populi à ſe alienatos animos, tum quòd Cæſari Senenſes ſibi iunctos haberent, Florentinũ & ſimul pontificiũ imperium in magno diſcrimine verſari animaduertebat. Hæ rationes (quod quã pernitioſum periculoſumq; ſibi eſſet, ſociorum fœdere relicto, ſeſe hoſtium arbitrio committere perſpiceret) poſt multa conſilia & animi fluctuationem, eum commouerunt: cumq; ab alijs non quantũ opus eratiuuaretur, neque ex ſe ipſo, vt potuiſſet, ſubſidia quęrere vellet, & præſens metus in eo ſuperaret, neque difficultates & pericula forti animo ſuſtinere ſciret, cum Feramuſca & Serenonio, qui hanc ob cauſſam proregis nomine Romæ erant ſic paciſci ſtatuit: vt octo menſiũ inducię fierent, & ipſe Cæſariano exercitui ſexaginta millia aureorũ daret; eccleſiæ, regno neapolitano, & Colũnijs vtrinque adempta à Pompeo Colũna ſa-

1527

næ ſacræ purpuræ dignitas,inductis quoq; cenſuris,reſtituerentur; quod pontifici omnium grauiſſimum fuit,& difficillimè conceſſit: Galliæ rex & Veneti,intra certum tempus, his inducijs ſe adiungendi facultatem haberent:quod ſi facerent,Germani Italia, ſi minus,pontificij & Florentinorum imperij finibus excederent.Pontifex quadringenta aureorum numûm millia XXII eius menſis, reliquum per totum menſem ſolueret: prorex Romam veniret; qua in re pontifex ſe Borbonium ea rata habiturum certũ fieri cenſebat: quã etiam ſpem augebant quædam Borbonij ad proregem literæ,à pontificis vicario interceptæ, quibus ſuis anguſtijs patefactis, vt ſi cũ Cæſaris dignitate poſſet, cũ pontifice componeret,eum hortabatur. Quo facto terreſtres naualeśq; copiæ omnes vtrinque ſunt reuocatæ; capta loca ſunt reſtituta;Pontifex enim cuius res tunc in regno neapolitano lõgè ſuperiores erãt,integra fide pacta ſeruabat:Aquilæ verò Montorij comitis filij,ſe alia ratione tutos eſſe poſſe diffiſi patrem liberarunt; qui ſtatim Cæſarianæ factionis ope,filios cum aduerſa factione expulit:Lanoius deinde Romam peruenit;cuius aduentu põtifex ſibi iam de induciarum fide omnia tuta promittens, pernicioſo cõſilio omnes milites,quos in ſtipendijs ſuis circa Romam habebat, centum modò leuis armaturæ equitibus,& duobus nigræ legionis peditum millibus ſibi retẽtis,dimiſit: idque maiore ſpe fecit; quia Borboniũ ob difficultates quibus in belli progreſſu conflictabatur, & quia ſemper ſe eius cupidum apud ipſum oſtenderat,pacem exoptare ſibi perſuaſerat. At res circa Bononiam lõgè ſecus ſe habebant:nam quum pontifex ſtatim poſt inducias, Cæſarem Feramuſcam ad Borbonium, vt is eas confirmaret,& pecunia accepta exercitum extra pontificij imperij fines duceret, miſiſſet; multæ difficultates in Borbonio,& multo magis in militibus apparuerunt:ſiue enim vaſtas ſibi emolumenti ſpes propoſuiſſent, ſiue quòd à pontifice promiſſa pecunia bimeſtre ſtipendum non expleret,ſe ad bellum ſequendum pertinaces oſtenderunt; ideo multi crediderunt, illos ſi aureorũ numûm centũ millia fuiſſent,facilè inducias admiſſuros fuiſſe. Quicquid autem in cauſſa fuerit,certum eſt, illos poſt Feramuſcæ aduentum,Bononienſem agrũ deprędari,& omnia hoſtiliter agere non deſijſſe: & nihilominus Borbonius qui itinera complanari curabat,atq; Feramuſca,pontificio vicario,exercitum,etſi omnes difficultates obſtarent inducijs aſſenſurum ſpem faciebant:& Borbonius ad id cogi,vt progrediendi ſpe militem ſuſtentaret,donec eum in ſuam traheret ſententiam;ſe verò cupere aliud nihil,niſi vt pontificem ſibi amicum conſeruaret, affirmabat; & nihilominus eodẽ tempore à Ferrarienſium duce commeatus,fabri,currus,tormentarius puluis,& alia huiuſmodi in caſtra mittebantur:qui poſtea neque pecuniam quã eis dederat,neque hæc auxilia omnia,ſexcentas auri libras exceſſiſſe gloriatus eſt: ab altera verò parte Vrbini dux ſe,ne is exercitus inducias amplexus,in Rhodigiã Polineſum ſeſe immitteret, timore fingens,Venetorum copias trans Padũ Caſalemaius contraxit. Res octo dierum ſpacio in hunc modum dubiæ fuerunt:Tandẽ verò Borbonius,ſiue quòd ea ſemper ipſius mens fuiſſet,ſiue quòd exercitui imperare non poſſet,ad pontificium vicarium, ſe quũ milites ad id q̃d vellet flectere non poſſet vlterius progredi cogi ſcripſit:ac ſequẽti die, qui fuit vltimus Martij,ad Rheni põtem proceſſit,tanto militum ardore,vt quum quidã à Lanoio vt Borbonium ad inducias amplectendas flecteret miſſus in caſtra veniſſet,niſi fuga ſaluti ſuæ conſuluiſſet,ab Hiſpanis fuiſſet interfectus;ſed magis in Vaſtium exarſerunt; quem quum ab exercitu ſiue aduerſa valetudine, ſiue vt ipſe ad pontificium vicarium ſcripſit,ne vt ceteri,contra Cæſaris voluntatẽ iret,ſiue quauis alia de cauſſa motus,in regnum neapolitanum iturus diſceſſiſſet,exercitus vt perduellẽ proſcripſit. Borbonij ad Rheni pontem aduentu Salutius & põtificis vicarius, hoſtes Flaminiam verſus contendere iam exploratum habentes,Italorum peditum parte ad Bononię præſidium relictis,non ſine difficultate Heluetios eduxerunt; quibus vt ſtipendia perſoluerentur vicarius Ioanni Viturio decem aureorũ numûm millia mutuo dare fuit coactus:quo facto eadem nocte cum reliquis copijs Forumliuij verſus contenderunt:quò idoneo præſidio Imolæ relicto,tertia Aprilis die peruenerunt; præter quã vrbem Borbonius quinta eius mẽſis copias duxit,vt infra publicam viam metaretur. Sed vbi Borbonium inducias minimè amplexum Romam eſt nuntiatum, Lanoius ſe id moleſtiſſimè ferre oſtendens,& quemadmodum primò nuntiatum fuerat,maiori pecuniæ ſumma opus eſſe ra-

tus,vnum ex ſuis qui præter eam aureorum numûm viginti millia,quę ipſe ex regni nea politani vectigalibus eſſet additurus polliceretur, miſit; cum autem illum in periculo fuiſſe audiſſet,tertia Aprilis die Roma, vt cum Borbonium conueniret eſt profectus; & pontifici ſe illum ſi alia ratione non poſſet,equitatu & maxima Hiſpanici peditatus parte ab illo abducta,ad inducias coacturum promiſit. Sexta die quum Florentiam peruenisſet, illic vt ea de re cum hominibus à Borbonio in eum locum velut magis opportunum miſſis ageret,conſtitit:iam enim exercitum niſi lõgè maiori pecunia numerata ſiſti non poſſe certum erat,eaq; à Florentinis quibus pontifex omnem eius explicandæ curam commiſerat,numeranda erat.Hæc varietas pontificis anguſtias & pericula vehemẽter augebat; quin potius iam multos dies antè auxerat:quoniam in Borbonij conſiliorum,& quid proregis aduentus eſſet pariturus incertitudine, ſociorum auxilijs indigebat; quorum actiones etſi à pontificio vicario accenderentur incitarenturque, frigeſcebant: quamobrem pontifex,omnibus verbis & indicijs ſummum pacis ſtudium,& quãtopere id à prorege perfectum iri ſperaret oſtendebat: vicarius autem contrà, pontificis ſpem leuem eſſe multis indicijs animaduertens, ſociorumq; auxilijs deferueſcentibus,Florentinæ & Romanæ res in manifeſtiſſimum diſcrimen adduci perſpiciens,Salutio & Venetis,inducias nihil boni parituras eſſe,perſuadere nitebatur; eosq;, vt ſi non alia, ſaltem proprij commodi cauſſa,pontificis & Hetruriæ res non deſererent hortabatur: neque vt maiorem apud eos fidem inueniret diſſimulabat pontificem vehementer inducias exoptare & quærere,eisq;,quòd Cæſarianorum fraudes non videret, imprudenter fidere:quòd ſi etiam eum iuuantes nihil aliud conſequerentur,niſi vt pacis leges ei faciliores redderent,id ipſis vtiliſſimum fore oſtendebat. Pontificem namq; ab ipſis adiutum,pro ſe & Florentinis huiuſmodi legibus quæ ſocijs parum obeſſent compoſiturum:deſertum verò ingentem pecuniæ vim, & magnam aliquã menſtruam penſionẽ Cæſari pendere coactum iri;quibus deinde in poſterum bellum contra ipſos gereretur: quamobrem debere ipſos niſi ſibimet obeſſe vellent,vbi Borbonius contra Hetruriam caſtra moueret,& ipſi totis viribus ad eam propugnandam contendere: Salutius hac in re valde anceps erat;ſed multo magis Veneti: pontificis enim animi conſternatione ab omnibus perſpecta,illũ etiam poſt noua ab ipſis auxilia accepta, quandocunq; pacem conſequi poſſet,eam nulla ſociorum habita ratione amplexurum certò exiſtimabant: idcirco valde nouũ eis videbatur,ſe ad eum vt facilius cũ communi hoſte paciſceretur iuuandum cogi. Si eum deſererent, maius quidem inde in communes res detrimentũ profecturum cogitabãt; ſed copias ſuas inter Apenninum & hoſtes in regione iam aduerſa, ſi dum in Hetruria eſſent pontifex pacem firmaret,aut denuo paciſceretur,in manifeſtum diſcrimen conijci cenſebant:ea quoque ſuſpicio in Senatu locum habebat,ne pontifex,vt copiæ ipſorum in Hetruriam tranſirent,idcirco efficere niteretur, vt eos illarum amittendarum periculo ad inducias amplectendas impelleret. Quas dubitationes pontificis vicarius, ex Salutij animo, quamuis multi ex ijs qui illi à conſilijs erant, exercitus periculo moti ſecus ſuaderent, facilè remouerat:quare eadem alacritate qua prius Foroliuium venerat,ſi opus foret,in Hetruriam tranſire minimè recuſabat.Sed Veneti,vt pontificem & Florentinos aliqua ſpe foouerent;nihilominus ad conſilium ex tẽpore capiendum parati eſſent; Vrbinati vt quarto die Aprilis Caſalemaiore caſtra moueret;& equitatum tranſpadana via mitteret; peditatum verò fluuio vehi curaret,mandarũt:qui ob Cæſarianorum in Flaminiam profectionem metum aliquem præ ſe ferẽs, duo ex Venetorum copijs peditum millia ad regni ſui præſidium miſit:etſi multi & præſertim pontifex illum Borbonio, ſe nullum ipſi in Hetruriam proficiſcenti impedimentum allaturum clam promiſiſſe ſuſpicati ſint.Borbonius interea vndiq; commeatum,cuius ſumma penuria laborabat conquirens, copiarum partem Cotiniolam miſit: quod oppidum etſi mœnibus munitum eſſet, vbi tormentis non multum pulſaſſet, deditione cepit: oppidani enim, quemadmodum & pleraq; alia oppida in Aemilia Flaminiaq; fecerant,amicorum militum rapinas metuentes,eos reiecerant.Cotiniola capta,quatuor maiora tormenta Lugium miſit: & vt commeatum compararet, atq; ob aquarum impedimentum, tres aut quatuor dies ad Lamonem fluuium hæſit: deinde XIII Aprilis die Montone traiecto ad Villafrancam quinq; milliaribus procul à Foroliuij eſt metatus:

quo

quo die Salutius quingentos pedites qui ferè omnes Hiſpani erant, Montem Poggiolũ verſus commeatus cauſſa, extra ordines quemadmodum ob penuriam totus ferè exercitus faciebat, palantes oppreſſit. Die XIIII ſupra viam Moldulam verſus, quod iter per Galeatam & Balnei vallem in Hetruriam ducit caſtra locauit: ad quod iter Senenſes commeatus & fabrorum copiam polliciti, vehementer eum hortabantur: cum verò Germani omnia loca per quæ iter faciebant incenderent, Meldulam oppidum inuaſerunt: quod etſi deditionem fecerit, incendium non effugit: quo die nuntiatum ei fuit, proregem cum Mottæ, quem ipſe ad hoc miſerat conſenſu, pridie eius diei Florentiæ pactum eſſe, vt Borbonius in ceteris à compoſitione Romana non diſcedens, ſed ea potius confirmata, intra quinque proximos dies cum exercitu retrocedere inciperet; & in primis caſtris in quæ retroceſſiſſet, illico ipſi ſexaginta millia aureorum repreſentarentur: quibus prorex viginti millia adderet; & alia ſexaginta millia ei per totum Maiũ proximum ſoluerentur, ex quibus prorex literis propria manu conſcriptis, Cæſarẽ ad quinquaginta millia reſtituenda obſtrinxit: hæc autem poſtrema pecunia non antè ſoluerẽtur, quàm Philippus Strotius eſſet dimiſſus, & Iacobo Saluiato trecentorum auri pondo mulcta condonata; quemadmodũ prorex pontifici, non quidẽ in fœderis capitibus, ſed verbis tantùm promiſerat. Hic nuntius Borbonium minimè ab itinere retardauit, etiamſi proregẽ vt ad ſe veniret, atq; omnia quæ neceſſaria eſſe conſtitueret, Florentia profectum ſciret. Prorex Lanoius enim cùm multis alijs de cauſſis, tum quia (vt fide à dignis autoribus accepi) de exercitu contra Venetos conuertendo conſilia agitabat, pacem cupiebat; & quamuis Romæ ſe equitatum & maximam Hiſpanorum peditum partem à Borbonio abducturum pomiſiſſet, tamen cum ea Florentinæ agitarentur, id facere quòd ſe Cæſariani exercitus delendi cauſſam eſſe nolle diceret, recuſabat. Borbonius igitur, XVI die ad Sophiæ fanum Galeatæ vallis, quæ ſub Florentinorum imperio eſt, oppidum eſt metatus; & cum celeritate atque fraudibus, ne ſibi in alpium iugis tranſcendendis, in quibus ob commeatus penuriam, quiuis aduerſus caſus eum preturbare poterat, impedimentum aliquod inijceretur omni conatu operã daret, litteris XVII die ad Petri balnearij fanum à prorege & pontificio vicario de illorum aduentu acceptis, vtrique ſe eum nuntium tam incommodo in loco vt nulla ratione expectare poſſet accepiſſe; verùm craſtina die ad Mariæ Balnearia famum ſub alpibus expectaturum reſpondit; & in literis præſertim ad pontificium vicarium ſcriptis ſe pacis, animiq́ue ſui & erga ipſum obſeruantiæ pontifici declarandæ (quanquam longè alia illi mens eſſet) cupidiſsimum eſſe dixit. Lanoius conſtituta die eò venit; & eodem die pontificis vicarius qui Borbonij iter ſupectum habebat, vt hoſtes non prius quàm auxilia in Hetruriam venirent, Ioanne Vitturio Veneto apud Salutium legato, & ceteris, qui ne copiæ in diſcrimen conijcerentur metuentes, antequam exercitus in Hetruriam duceretur, qui ducenta aureorum numũm millia ſponderent, aut munita loca ſibi pignori dari poſtulabant, egregiè confutatis, multis rationibus Salutio vt progrederetur perſuaſit; eumq́ue cum copijs omnibus Berſigellam perduxit; quo ex loco ſe Salutij voluntatem tam paratam habere, vt de eo cum ſuis copijs in Hetruriam ducendo non amplius dubitaret; ſeq; etiam Venetos idem facturos pro certo habere, ad pontificem ſcripſit: Cæterum quo magis horũ in Hetruriam tranſitu Florentiæ rebus eſſet conſultum, eo magis Romanas in diſcrimen adduci: propterea quòd Borbonius nulla alia ſpe ſibi relicta, ſe in eam partem conuertere cogeretur: qui ſi propius Romam acceſſiſſet, vt auxilia quæ mitterentur ipſius celeritatem æquarent difficile fore; cum ipſe binis caſtris Apenninum eſſet ſuperaturus: in quem euentum quum Florentini ſe prius cum Venetis & Vrbinati duce paraſſent, ſe ſi ipſorum copiæ in Hetruriam tranſirent, fœderi adhæſuros: in certum peditum numerum ſtipendia daturos; & cum Cæſare, etiam ſi pontifex vellet, non compoſituros, primò ſpem fecerant, deinde promiſerant: & Vrbinati qui pado Ficariolitraiecto XIII die Finale, deinde Corticellam venerat, per Pallantem Rucellaium ad hæc negotia tractanda miſſum: ſancti Lei, & Maioli arces obtulerant; ideo minus difficile fuit prompta auxilia habere, idq́ue eo magis vbi proregem, non modò Borbonium, qui eum irridens eodem die alpibus ſuperãdis ope-

ram dederat,in constituto loco non inuenisse;verũ etiam ne à montanis hominibus, ob detrimenta & iniurias ab exercitu acceptas tumultuantibus interficeretur,in graui p eri culo fuisse est nunciatum : Salutius enim etsi Vrbini dux eo ad Petri castellum ad collo quium vocato,impedimentum aut moram interponere sit conatus, alpes alacriter tran scendit; ita vt xxii Aprilis, ad Laurentij fanum in Mugellano castra habuerit; & Vrbini dux cum honestè ab eo recedere non posset,nec culpam omnem in se trãsferre vellet, Gallorum alacritate perspecta; cumq; ue Venetos ipsi eius rei potestatem cum eiusmodi mandato tamen,vt nisi Florentini statim vbi in Hetruriam veniisset, fœdus contraherent, illico exercitum reduceret,feciisse notum esset,ipse quoque transiuit, ac xxv mẽsis die Barberini est metatus. Interea Borbonius alpibus eodem die superatis, ad Stephani plebem,quod oppidum se ab ipsius militum oppugnatione fortiter defendit,castra locauit; & ad pontific em vt eum ijsdem artibus irretiret,maioremq; eius lædẽdi facultatem haberet,proprium hominem,qui ipsum cum eo pacem inire vehementer cupere confirmaret: sed militum suorũ pertinacia cognita,maioris mali vitandi gratia eos cõitari diceret;eumq; vt pacis cõsilia nõ intermitteret,neue maiori pecunię parceret hortaretur,misit.Sed superuacaneum erat hac diligẽtia cum pontifice vti,qui nimiã ijs quæ cupiebat fidem adhibens,& sumptus vitare nimium cupiẽs,statim vbi de pactione Florentiæ cum Borbonij procuratoris consensu contracta certior est factus,omnes ferè ni gręlegionis pedites inconsultissimè dimiserat;&Valdemõtius, quasi tranquillissima pace iam parta, mari Massiliam petierat.Itaq; cum omnes exercitus in Hetruria essent, & fœderatis significatum esset Borbonium vno die à Stephani plebe Chiassam prope Aretium iter decem & octo milliarium venisse , qui fuit xxiii, duces qui Barberini conuenerunt,quid agendum esset disputabant: cumq; pleriq;,atq; vnà pontificis ac Florentinorum procuratores ea in sentẽtia essent,vt exercitus cõiuncti se vltra Florẽtiam aliquò in munita castra transferrent, & sic Borboni e am vrbem propius accedendi facultatẽ adimerent,vt sequẽti die copijs in ijsdem castris quietis caussa relictis , duces Anciſam, quæ tredecim milliaribus Florentia distat, vt deinde si,quemadmodum Fed ericus Bozolensis huius consilij autor affirmabat, eum locum castris idoneum ac tutum inuenirent,exercitus eò transferrẽtur,peterent,decretum fuit. Sed cum sequenti die in itinere, & iam prope Florentiam essent, repentinus quidam casus, quiq; nisi prouisum fuisset, res periculosissimas parere posset,huic & ceteris rebus quæ gestæ fuissẽt,maximum attulit impedimentum: nam quum Florentiæ omnium animi maximè essent cõcitati, ac vniuersò fermè populo præsens reip.status displiceret; & iuuenes publica sibi à magistratibus quo se,vt aiebant à militibus tuerentur,concedi peterent,antequam id decerneretur,die xxvi,tumultu in publico foro casu ferè exorto,maxima pars populi,& ferè omnes iuuenes armati prætorium versus concurrere cœperunt: cui rei haud paruam occasionem dedit Siluij Cortonensis Cardinalis siue imprudentia siue metus: qui quum Vrbe vt Vrbinati honoris gratia obuiam procederet, egredi statuisset, etiamsi antequam id faceret tumultum iam cœptum esse cognouisset, sententiam non mutauit; sicque illum fuga sibi consuluisse rumore diuulgato, longè promptiores ad concursum faciendum fuerunt. prætorio à iuuenibus occupato, & foro armatis referto , summum magistratum ad Hippolytum & Alexandrum pontificis nepotes perduelles declarandos popularis potentiæ reducendæ consilio coëgerunt : Sed Vrbinas & Salutius interea cum multis ducibus , & Cortonensi Cardinale atque Hippolyto Medice Florentiam ingressi , ac mille & quingentis peditibus, qui multos dies alicuius suspicionis caussa in ciuitate retenti fuerant, arma capere iussis, simul acie instructa forum versus contenderunt; quo à multitudine deserto statim potiti sunt: quamuis ab ijs qui in prætorio erant lapidum, & sclopetorum grandine obruti nemo in foro consistere auderet, sed circumiectas vias occupabant. Cum autem Vrbinas copijs quæ in ciuitate erant prætorium minimè expugnari posse cẽseret, & nisi ante noctẽ expugnaretur ne populus animũ resumens iterũ arma caperet periculũ esse ratus,quæ res &si leuissima videretur, vt ciuitas eo die tam aperto periculo liberaretur potissima caussa fuit, triũ Cardinaliũ qui coram aderant Ciboi,Cortonẽsis & Rodulfij, ac simul Salutij marchionis , & Venetorum legatorum, qui omnes in Garbia via foro con-

coniuncta conuenerunt, consensu Veneti peditatus qui in Florentina planitie prope vrbem castra habebat partem aduocare statuit: quare quum periculosa pugna pararetur(neque enim prætorium sine omnium ferè nobilium qui in eo erant cæde expugnari poterat) & periculum erat ne vbi arma & cædes miscerì cœpissent, victor miles totam ciuitatem diriperet;ita vt Florentinis is dies valde acerbus & infaustus esset futurus;nisi Franciscus Guicciardinus pontificis vicarius,præsentissimo consilio hunc difficillimum nodum dissoluisset. nam quum Federicum Bozolensem ad ipsos venientem vidisset, id quod erat suspicatus, alijs relictis statim vt ipse primus eum alloqueretur ei obuiã processit. Federicus initio tumultus se eum rumorem autoritate & gratia qua apud multos iuuenes pollebat sedare posse sperans in prætorium iuerat, sed quum nihil proficeret, imò à nonnullis contumelioſa verba retulisset, non parum post multarum horarum spacium in discedendi facultate impetrãda laborarat: idcirco ira accensus,prætorio egressus,& quàm facilè id ob exiguas vires & paruam disciplinam expugnari posset sciens,vt alios ad id statim oppugnandũ incitaret veniebat: sed vicarius breuissimis verbis quàm omnis perturbatio pontifici molesta, & cõmunibus sociorum rebus pernicioſa esset futura; ac quanto melius esset potius animorum motibus sedandis quàm accendendis operam dare,ideoq; pernicioſum fore Vrbinatiũ duci & ceteris tantã prætorij expugnandi facilitatem indicare demõstrans,facilè eum ita in sententiam suam traxit, vt ipse cum alijs vt Vicarius voluit loquens, rem sic proposuerit, ac eiusmodi tumultus sine armis compescendi spem fecerit;vt illi hanc rationem velut optimam sequuti, vtrumq; rogarent,vt simul in prætorium profecti,hisce motibus sedandis operam darent,omnibusq; eorum quæ eo die ad reip. statum turbandum agitassent, impunitatem pollicerentur: illi igitur fide ab ijs qui in prætorio erant accepta, non sine magno labore eis vt prætorium, quòd minimè tueri poterant desererent, persuaserunt: sic tumultu pacato res in pristinum statum redierunt; & nihilominus, vt in benefactis ingratos & calumniatores facilius quàm gratos & laudatores inuenias, etsi tunc vicarius recenti re summis laudibus ab omnibus celebraretur, pòst tamen & Cortonensis cardinalis ipsum quòd ciuiũ, & præsertim Ludouici fratris sui, qui tunc Vexillifer erat salutem magis quàm Mediceæ familiæ potentiam amaret, artificioſis consilijs vt eo die Mediceæ familiæ imperium armis & ciuium sanguine in perpetuum non fuerit constabilitum in causſa fuisse est questus: & multitudo,eum, quod cum in prætorium venit pericula maiora quàm re vera essent fingens, ipsos vt Mediceis prodesset,vbi necesse non erat ad cedendum impulisset, calumniabatur. Florentiæ tumultus quamuis eodem die sine cæde fuerit sedatus, tamen grauissimorum malorum origo fuit: & fortasse dici potest,nisi is casus incidisset, eam calamitatem quæ pòst citissimè est consequuta,minimè futuram: quoniam Vrbini dux & Salutius huius tumultus occasione Florentiæ hærentes, Anciſæ castra, vt constitutum fuerat, miuimè speculatum iuerunt: & sequenti die Ludouicus Pisanus, & Marcus Fuscarus, Veneti apud Florentinos oratores, ciuitatis inconstantia cognita, se vt exercitus vltra Florentiam castra moueret, nisi prius agitatum fœdus perficeretur,nolle sunt attestati:quo in fœdere, vt Florentinorum angustijs abuterentur tempus adesse rati, in decem peditum millia stipendia petebant. Sed tandem vigesima octaua die sic fœdus contractum est, vt quod pontifex, qui iam socijs iterum adhærere credebatur,de ea pensione pronuntiasset,sequerentur. His accessit,quòd cum stipendia Heluetijs persoluendi tempus iam venisset, nec Ludouicus Pisanus, vt Veneti negligenter prospiciebant, pecuniam ad satisfaciendum haberet; aliquot dies antequam eam explicaret sunt elapsi: ita vt salutare castrorum Anciſam transferendorum consilium fuerit prætermissum. Quo in rerum statu pontifex, fraude qua Borbonius cum prorege vsus erat, eiusdemque in Hetruriam transitu cognito, necessariò ad belli cogitationem conuersus, vigesima quinta die iterum fœdus cum Galliæ rege & Venetis contraxerat; eosque ad se magna pecuniæ vi iuuandum, se verò & Florentinos ad nihil aliud nisi ad id quod facultates ferre possent, quòd & se, & illos nimijs sumptibus fatigatos esse diceret, obstrinxerat. Quæ leges quamuis graues, à sociorum oratoribus vt pontificem prorsus à pactione cum prorege contracta disiungerent acceptæ, à principibus non probabantur. Veneti Dominicum Venerium suum oratorem, quòd sine Senatus man-

dato fœdus propter pontificis, quem quauis occasione ad suam inconstantiam & pacis desiderium rediturum existimabant, fluctuationem, sine vllo fructu graues sumptus adferret contraxisset, accusabant: & Galliæ rex pecunia exhaustus, & magis ad Cæsarem belli diuturnitate fatigandum, quàm ad victoriam aspirans, satis nunc esse si bellum paruo sumptu foueretur censebat: imò quamuis cum primò inducias à pontifice contractas audiuit id molestissimè tulerit, tamen quum pòst melius rerum statum expendisset, vt pontifex Venetos sine quibus ipse nullam pactionem contrahere volebat, ad inducias amplectendas flecteret cupiebat. Interea verò pontifex cui bellum in Hetruria geri molestum erat; sed tamen minus molestum quàm si id in Latium fuisset translatum, pedestres copias conscribebat, & pecunias comparabat; sed lentè: habebat autem in animo Rentium Ceritem cum copijs contra Senenses mittere, &. eos mari quoque oppugnare, vt Borbonius in Hetruriæ rebus occupatus, Romam petere non posset, quamuis huius rei metus quotidie in ipso minueretur: nam ob exercitus sine commeatu & pecunijs Romam ducendi difficultatem, in qua Borbonius luctabatur, & Senensium imperij vbi saltem milites alerentur opportunitatem quam habebat, illum ad bellum contra Florentinos gerendum hæsurum sperabat. At Borbonius siue aliud primum ipsius consilium, vt multi dixerunt, Finale occultissimè Ferrarienssium ducis & Hieronymi Moroni autoritate constitutum fuisset, siue quum ad Florentinorum defensionem omnium sociorum vires conueniissent, eius expeditionis ad finem perducendæ spe amissa, cumque exercitum ad eam vsque diem inter tot difficultates vanis promissis & vana spe productum, sine pecunia diutius retinere non posset, aut funditus euerti, aut fortunam periclitari compulsus repentè & summa celeritate, Romam contendere statuit; vbi & victoriæ præmia tum Cæsari tum militibus ingentia essent futura; & ad ea consequenda spes minime parua: quandoquidē pontifex pernitioso consilio prius Heluetios, deinde nigræ legionis cohortes dimisisset: & vbi pacis spe frustratus est, tam lentè se iterum munire cœpisset, vt idoneum præsidium in tempore colligere non posse censeretur. Borbonius igitur vigesima sexta Aprilis cum exercitu expedito sine tormentis & impedimentis ex Aretino agro castra mouit, & incredibili celeritate, nec pluuijs quæ tunc ingentes fuerunt, nec commeatus penuria retardatus incedens, cum pontifex vix dum de ipsius aduentu certior factus esset, nullo neq; Viterbij, quò pontifex non satis tempestiuè milites miserat, neque alibi qui resisteret inuento ad vrbem accessit: quare pontifex quod antea ei à prudentissimis viris in extremis angustijs, & quum iam prodesse non possent fore prænunciatum fuerat, ad ea remedia quæ si opportuno tempore comparasset, maximi ad ipsius salutem momenti fuissent decurrens, tres pretio in pontificum collegium cooptauit: quæ tamen pecunia rebus ita in angustum redactis minimè ipsi numerari potuit: neque etsi numerata fuisset, ob periculi præsentiam vllum amplius fructum parere potuisset, Romanos conuocauit; eosq; vt in tanto periculo arma Vrbis propugnandæ caussa alacriter caperent, & ditiores pecunias ad peditatum cō scribendum cōmodarent est cohortatus, ad quod eos minimè paratos inuenit: imò Dominicum Maximum omnium Romanorum opulentissimum vnicam auri libram ei mutuo obtulisse memoriæ proditum est; cuius auaritiæ pœnas pòst luit: nam eius filiæ militibus prædæ fuerunt; ipseq; cum filijs capti maximam multam persoluerunt. Florentiæ verò Borbonij discessus nuntio quod à Vitellio qui Aretij erat scriptū, diem vnum serius quàm æquum erat est allatū, accepto, duces decreuerunt vt Guido Rangonius cum suo & Calatiæ comitis equitatu, & quinque Florentinorum ac pontificiorū peditum millibus, illicò expeditus Romā contenderet, eumq; reliquæ copiæ sequerentur: nam si Borbonius tormenta secum veheret, hæc auxilia citius ipso Romā ventura sperabant; sin expeditus incederet, tam citò pòst illum, vt quū tormenta non haberet, & mediocres vires Romæ vbi pontifex sex millia peditum se habere scripserat, essent, tandiu sustineretur, donec primum hoc subsidium adesset; quo accepto nullum Vrbis amittendæ periculum foret. At Borbonij celeritas, & tenues Romę facti apparatus, omnia cōsilia anteuerterunt: quoniā Rentius Ceres, cui pontifex præcipuā Vrbis propugnandę curam cōmiserat, quum ob temporis breuitatē paucos vtiles pedites, sed multā imbellem & imperitam turbā ex cardinalium antistitumq; stabulis, artificū officinis, ac cauponū diuersorijs collectam

collectam conscripsisset, & suburbium omnium iudicio leuiter, suo autem ipsius satis muniuisset; his viribus tantopere fidebat, vt Tiberis pontes, vt si fortè Suburbium & Transtiberina regio defendi non posset, Vrbs conseruaretur, scindi noluerit; imò subsidium superuacaneum esse ratus, Guidonis aduentu cognito quarta die Maij, vt Veronensis episcopus pontificis nomine, quod quum Romæ præsidio atque operibus satis munita esset, sexcentos octingentosue tantùm scloppettarios mitteret, ipse verò cum reliquis se cum sociorum exercitu coniungeret, vbi magis quàm Romæ inclusus profuturus esset, ad eum scriberet effecit: quæ literæ, etsi nihil obfuerint (neque enim Rangonius eò vsq; progressus erat, vt in tempore opem ferre posset) tamen quàm malè ipse præsentia pericula metiretur declararunt. Sed non minus mirum fuit (siquidem homines fato aut nescire aut non posse resistere mirandum est) quòd pontifex qui Rentium Ceritem prę ceteris ducibus omnibus contemnere solebat, tunc se prorsus in eum coniecerit eiusque arbitrio cõmiserit, & multo magis quòd qui in minoribus periculis timere solebat quique sæpius cum Lanoius exercitum Frusolonem duxit, de Roma deferenda cogitarat, tunc in tanto periculo natura sua deposita, constanter Romæ hæserit: & quidem tanta cum defensionis spe, vt ferè tanquam hostium procurator factus, non modò homines discedere, verùm etiam supellectilem & merces aliaque extra Vrbem ferri prohiberet; quas res multi mercatores & alij per fluuium aliò mittere studebant: Borbonius igitur cum exercitu quinto die Maij in Pratis prope Vrbẽ est metatus; & militari insolentia præconem, qui iter per ipsam Vrbem, vt cum exercitu in regnum neapolitanum iret, sibi concedi postularet misit; & sequenti die in ipsa aurora, eo animo, vt aut victoria potiretur, aut mortem oppeteret (vix enim alia spes rebus ipsius reliqua erat) exercitu suburbio qua mons quaq; S. spiritus templum est, admoto, atrox pugna est cœpta. fuit autem ei in hoc propitia fortuna, quæ vt exercitum tutius admouere posset nebulæ beneficio ante lucem excitatæ, tandiu eos texit, donec ad eum locum in quo pugna est cœpta peruenissent: cuius pugnæ initio Borbonius extrema desperatione non modò, quia nisi victoria potiretur, nullum ipsi reliquum perfugium erat; verùm etiam quòd Germani ipsi frigere in ipso congressu viderentur, sese in primam aciem cõijcit, primus pugnam inchoat: sed illicò scloppi glande percussus, mortuus concidit: cuius interitu militum ardor non modò non deferbuit, sed multo est accensus magis: qui cum duas horas magna vi pugnassent, tandem Suburbium sunt ingressi: quibus non modò munitionum debilitas, sed & militum in propugnando ignauia profuit: qua ex re vt & aliàs sæpe eis qui ex veterum exemplis nondum præsentia metiri didicerunt; quantum virorum in bellis exercitatorum virtus, à nouis exercitibus ex collectitia turba coactis, & ab vulgi multitudine differant, ostensum fuit: nam Romanæ iuuentutis pars sub suis tribunis, quos Caporiones vocant, & populi vexillis, pro patria stabat: quamuis multi ex Gibellina & Columniorum factione, Cæsarianorum victoriam cuperent, aut saltẽ non formidarent; quòd se factionis beneficio intactos fore sperarent, quæ res defensionis aciem hebetauit: quia tamẽ difficile est ciuitates sine tormẽtis expugnare, circiter mille pedites ex hostibus ceciderunt: vbi aũt aditus eis est patefactus, omnibus in effusissimã fugam coniectis, multisq; ad arcem cõcurrentibus, suburbia prorsus deserta victori prædæ sunt relicta; & pontifex qui in Vaticani æde rei exitum expectabat, vbi hostes irrupisse audiuit, statim cum multis cardinalibus se in arcem contulit: vbi dum vtrum ibi manendũ sibi esset, an per Vrbem cum expeditis equitibus corporis sui custodibus, in tutum aliquem locum confugiendum quærit, vt calamitatum quæ in pontifices cadere possunt, quamq; difficile sit illorum autoritatẽ maiestatemq; extinguere, fatis ita volentibus, exemplũ esset, à Berardo Patauino, qui ex Cæsariano exercitu transfugerat, de Borbonij interitu, & totum exercitũ Imperatoris morte consternatũ, pacem cupere certior factus, hominibus qui illorũ duces alloquerentur emissis, infeliciter abeundi consiliũ neglexit; dum ipse ducesq; ipsius nõ minus in defensionis cõsilijs implicati, quã in exequendo essent. Idcirco Hispani eodẽ die quũ Transtiberinæ regionis tuendæ, neq; modus, neq; consiliũ esset inuentum, sine vllo impedimento, eam sunt ingressi: & cum nihil iam obstaret, eodem die horam vnam ante solis occasum, per Xisti pontẽ in ipsam Vrbẽ Romam irruperũt: vbi ijs qui factionis nomini fidebant, & aliquot cardina-

1527 6 maij Roma capta

libus, qui quòd Cæsaris partes sequuti esse dicerentur, se ceteris tutiores existimabant exceptis, omnis reliqua aula & ciuitas, vt in capta vrbe fieri solet, fuga & cõsternatione plena erat. Ingressi aũt omnes magno cũ tumultu ad prędã discurrere cœperunt; nõ modò amicorũ nominis, antistitũ autoritatis dignitatisq; nulla ratione habita, sed ne templis quidẽ, sacrisúe collegijs, & virginũ sacrarũ septis aut mortuorũ reliquijs quas vocãt, vniuersi terrarũ orbis cõcursu celebratis, & ceteris sacris reb. parcentes. Itaq; eius vrbis quæ diuino quodã fato, ad summũ amplitudinis fastigium, sed & crebris direptionib. est destinata (erat enim is annus D CCCC LXXX postquã à Gothis direpta fuerat) calamitates non modò explicari, sed ne cogitatione quidem comprehendi possent: prædæ verò magnitudinem quum in ea ciuitate tot diuitię, tot aulicorum ac mercatorum res pretiosæ & singulares essent accumulatæ enarrare quis posset? eam verò in immensum exaggerauit ingens captiuorum, qui pòst maxima se pecunia redemerunt, & dignitas & numerus: Illud verò calamitatẽ & infamiam mirũ in modũ cumulauit, quòd multi antistites à militibus ac præsertim Germanis, qui Romanæ curiæ nominis odio, crudeles & insolentes erant capti, vilibus iumentis, gradus ac dignitatis suæ insignibus ornati per totam vrbem per maximam contumeliam circumducebantur: multi crudelissimè excruciati; aut in ipsis cruciatibus, aut non multum pòst, mulcta persoluta, vitam reliquerunt. Cùm in pugna tum in ipso direptionis furore, circiter quatuor hominum millia desiderati sunt: Omnium cardinalium domus direptæ: ijs exceptis, qui vt mercatores & alij qui in eas cum rebus suis confugerant, vt se suaque seruarent, ingenti pecunia cum militibus transegerunt: & nonnullæ ex ijs quæ cum Hispanis transegerant, pòst à Germanis aut fuerunt direptæ, aut cum illis quoque transigere coactæ. Mantuæ regina, domum suam quingentis auri libris à direptione redemit; quam pecuniam mercatores & alij qui eò confugerant dederunt; & ex ea Ferdinandum eius filium centum auri pondo accepisse fama fuit. Senensis cardinalis hæreditario quodam à maioribus suis accepto iure, Cæsariano nomini addictus, vbi pro se & domo sua cum Hispanis de multa transegissẽt, à Germanis captus fuit, domus direpta, ipseque in suburbium nudo capite, ductus, multisque pugnis contusus, quinq; aureorum numûm millibus se ex illorum manibus liberauit. Similem ferè calamitatem passi sunt Mineruius & Ponzetta cardinales, qui à Germanis capti, & prius per totam vrbem contumeliosè circumducti multam soluerunt. Hispani & Germani antistites & cardinales, qui se nationis iure tutos existimabant, capti fuerunt: nec minus acerbè quàm ceteri multati. Audiebantur passim Romanarum matronarum, & sacrarum virginum quæ gregatim à militibus, vt libidinem suam explerent, trahebantur, clamores & eiulatus miserandi: ita vt verè dici posset, Dei optimi maximi iudicia mortalibus esse obscura, qui Romanarum mulierum insignem castitatem, vi in tantam turpitudinem miseriamque cadere pateretur. Passim ingentes eorum qui velut ad multam statuendam cogerentur; vel vt vbi res suas occultassent, aperirent excruciabantur, gemitus resonabant. Omnes res sacræ, Diuorum reliquiæ, cuiusmodi sunt ossa, & id genus alia, quibus omnia templa erant referta, ornamentis detractis, per contemptionem abijciebantur; & quæ ex militum præda superfuerunt (quæ quidem erant viliſſima) Columniorum deinde homines agrestes in Vrbem irruentes acceperunt; sed tamen cardinalis Columna, qui altero die venit complures mulieres, quæ in domum ipsius confugerant, seruauit: fama fuit prædam in pecunia numerata, ex auro, argento, & gemmis, decies mille auri pondo pretium superasse: multatitiam verò longè maiorem fuisse. Eodem die quo Cæsariani Vrbem occuparunt, Guido Rangonius cum expedito equitatu & octingentis scloppettarijs, ad Salariæ pontem, vt eadem nocte Vrbem ingrederetur venit: sed rei successu audito, Otricolum se recepit, vbi reliquæ ipsius copiæ se illi adiunxerunt: nam etsi literãs quæ opem suam contemnerent, Roma accepisset; ipse qui Vrbis à se seruatæ famam negligere nolebat, iter suum erat persequutus: nec defuerunt qui, vt propriarum actionũ benigni & suaues æstimatores, alienarum verò seueri censores solent, Guidonẽ, quòd præclarissimam occasionem non agnouisset reprehenderent: quoniam Cæsariani omnes tam opulentæ prædæ, ædibus euacuandis, rebus occultatis inueniendis, hominibus capiendis, & captis in tutum locum ducendis intenti, per totam vrbẽ sine ordine dissipati; ita vt

ita vt nec signa sua, nec ducum imperia agnoscerent: adeò vt multi crediderint, si copiæ quæ cum Guidone erant celeriter in vrbem ductæ fuissent, & ad arcem nec obsessam, nec foris ab vllo custoditam venissent, non modò pontificem liberaturas, verùm etiam aliquod magis præclarum facinus, quum hostes sic circa prædam essent occupati, vt vix quouis casu magnus aliquis illorum numerus colligi potuerit, edituras fuisse: certum enim erat etiam post aliquot dies, ducum iussu, aut quouis casu signo dato, vix numerum aliquem opportunum colligi potuisse: verùm enim homines sæpe sibi persuadent, si hoc aut illud factum fuisset, aliquid fore: cuius rei si periculum fieri posset, plerunq; huiusmodi iudicia falsa inuenirentur. In arce igitur obsessis sola in sociorum auxilijs spes reliqua erat: quæ ob Venetorum in stipendijs Heluetijs persoluendis tarditatem, non ante tertium diem Maij Florentia profecta, ita incedebant, vt Salutius vnius diei itinere Venetum exercitum præcederet: sed re sic inter Vrbinatem & ipsum constituta, vt Veneti eodē itinere sequerentur; & nihilominus septimo die, dux cōtra id quod constitutum erat, ex Cortonæ castris, Perusiam versus, vt Todium, deinde Ortos peruenirent; & illic Tiberi traiecto, se ceteris coniungeret contendit: illi autem constituto itinere incedentes, Plebis castellum, quòd Heluetios intromittere noluerat, cum circiter octingentorum castellanorum cæde, expugnarunt diripueruntq;: quæ res in caussa fuit vt milites prædæ intenti, non ante decimum diem ad Granarioli pontem, vbi de vrbis Romæ expugnatione nuntium acceperunt, & vndecima Oruietū peruenerint: vnde Federici Bozolensis consilio, Salutius, ipse Bozolus, & Vgo Pepulus cum magno equitatu arcem versus contenderunt; eo consilio vt Federicus & Vgo ad arcem vsq; accederent; Salutio vt ipsis si opus foret succurreret à tergo relicto, sperantes, se Cæsarianos imparatos offensuros, ac repentino aduentu, quum præsertim milites ob prædæ magnitudinem, ceteris curis depositis, nihil aliud cogitare notum esset, pontificem & cardinales ex arce educendi occasionem habituros. Sed hoc consilium irritum fuit; quoniam Federici equus, quum iam non procul ab Vrbe essent ita cecidit, vt ipsum presserit: quo casu læsus vlterius progredi non potuit: Vgo autem quum post solis ortum, prope arcem quo noctu veniendum esse constitutum fuerat venisset, occasionem detectam, vt aiebat cernens, seu, vt Federicus aiebat, plus quàm opus fuisset timens, retrocessit. Interea verò Vrbini dux Vrbis casu audito, etsi se omnibus viribus pōtifici opem ferre velle diceret, tamen se Perusini imperij ex Gentilis Balionis quem pontificis autoritas fouebat potestate eripiendi, & Ioannispauli filijs restituendi occasionem nactum ratus, Veneto exercitu Perusiæ admoto Gentilē minis discedere coëgit; & magistratibus ex Malatestæ & Oratij, quorū alter in Angelica arce detinebatur, alter in Gallia cisalpina cum Venetorum copijs erat, autoritate pendentibus constitutis, cum in hac expeditione tres dies insumpsisset, XVI die Oruietū peruenit: iter enim ab ipso ex Cortonæ castris vt per Transtiberinam regionē Romam peteret, susceptum, multum moræ interposuit. Oruieti, omnes exercitus duces, vt de ijs quæ in posterum essent agenda decernerent, simul conuenerunt: in quibus Vrbini dux, magno ardore in orationis exordio ostenso, multas difficultates proponebat, & ante omnia si forte res non succederet, qua ratione tutò retrocedere possent cogitandum esse monebat: eamq; ob caussam quo magis cautum sibi esset Oruietenses in reditu exercitum commeatu non destituturos obsides ab eis voluit: & omnibus rebus multum temporis interponens, tandem vt XIX die Nepete essent, & vt eodem die Salutius cum suis copijs, & Guido cum Italico peditatu Bracciani metarentur, vt sequenti die omnes Insulam, quæ nouem ab Vrbe milliaribus distāt, se transferrent, statuit. De quorum aduentu pontifex vicarij sui literis Viterbio scriptis certior factus, compositionis inter Cæsarianos & ipsum capita subscribere noluit: id autem nō tam spe quàm ex literis colligeret, quæ (etsi cautè scriptæ) quid ex præteritis in posterū sperare posset ei innuebant, fretus, quàm vt ignominiam si timori aut præcipiti ipsius consilio quòd liberatus non fuisset tribui posset, vitaret, fecit. Galli ad opem arci ferendam parati erant, & Veneti vehementibus literis, quum princeps in Senatu vehementem ea de re orationem habuisset, ad idem incitabant: quare cum duci nullus alius excusationis locus supereſſet, sequenti die omnium copiarum delectum haberi voluit; fortasse quòd se numerum ita imminutum, vt iustam pugnæ detrectandæ occasionem ha-

beret,inuenturum ſperaret;quæ tamen ſpes eum fefellit:in exercitu enim quamuis multi diſceſſiſſent, vltra quindecim peditum millia erant, & omnes mirum in modum pugnæ auidi. Delectu habito,quid agendum eſſet quęrebatur:multi autem caſtra ad Montismarij crucem,quod qui in arce erant vehementer flagitabant,transferenda eſſe cenſebant;quòd is locus munitus eſſet,& ad tertium ab vrbe lapidẽ: nec verò Cæſarianos extra vrbem caſtra locaturos metuendum eſſe, eoq; in loco eos & manere, & retrocedere ſine periculo; atq; ex ijs caſtris,arci ſuccurrendi occaſionem melius agnoſci & arripi poſſe diſſerebãt. Sed quum duci ea ſententia nõ placeret,Guidonis Rangonij,qui ſe cum omni pontificio equitatu & peditatu eadem nocte, modò Vrbinatium dux cum toto reliquo exercitu, vt ſibi opem ferre poſſet,ad Treſcapannas veniret, ad arcem acceſſurum, vt pontificem inde eripere niteretur denuò pollicebatur, conſilium probauit;ſed tamen id ea nocte minimè eſt factũ;quoniam dux à pontifice incitatus,ad Montismarij caſtra exploranda iuit:& nihilominus nocte appropinquante,non vltra Treſcapannas eſt progreſſus: ſed quum in hac re multarum horarum ſpacium fruſtra eſſet inſumptum, id conſilium in proximam noctem differre fuit neceſſe. Sed quum eodem die quidam exploratores ſiue veri ſiue ſubmiſſi fuerint, munitiones in pratis à Cæſarianis factas firmiores eſſe quàm re vera eſſent,coſdemque pluribus in locis aditu quo ex Vaticano in Angelicam arcem itur murum aperuiſſe, vt ſimulatq; conſpicerentur,illicò multis ex partibus ad munitiones concurrere poſſent (quod æquè falſum erat)retuliſſent; & dux ex his multas difficultates quibus omnibus a Guidone & ferè omnibus reliquis ducibus eſt aſſenſum, proponeret,nonnullis alijs ducibus qui contrariam ſententiam rationibus tueri nitebantur ab Vrbinati acerbè reiectis, arci tunc nulla ratione opem ferri poſſe eſt pronuntiatum;ſicq; pontifex,ne vnica quidem haſta eius,qui vt alios iuuaret tantas copias conſcripſerat, ingentem pecuniæ vim expoſuerat,& cunctos ferè mortales ad arma concitarat, è carcere liberandi cauſſa fracta, hoſtibus præda relinquebatur:quęſitum tamen fuit,num id quod tunc non fiebat,in poſterum maioribus viribus fieri poſſet:ad quod ipſemet dux qui propoſuerat,ſe proculdubio quotieſcunque ſexdecim Heluetiorum millia, ſuarum ciuitatum decreto cõſcripta,præter eos qui tunc in caſtris erant, vt qui ob diuturnam in Italia moram iam inutiles facti eſſent, & præterea decem Italorum ſcloppettariorum millia, & tria millia fabrorum cum quadraginta curulibus tormentis haberet,arcem obſidione liberaturum reſpondit: pontificio autem vicario, pontificem qui commeatum in aliquot dies habere ferebatur, vt tandiu donec hæ vires collectæ eſſent deditionẽ differret, hortaretur dixit: cumq; vicarius diceret,ſe id ita intelligere,ſi rerum ſtatus interea nõ mutaretur:verùm cum eos qui in Vrbe erant interea nouis operibus alijsq; munitionum generibus, auxilij ferendi facultatem difficiliorem reddituros, atq; ex regno neapolitano copias quæ à prorege ex Hiſpania transportatæ fuerant, Romam venturas veriſimile eſſe:quæ ſi vt credibile erat,contingerent, quam ſpem pontifici prębere poſſet ſe ſcire cupere reſpondiſſet,is tunc omnia pro viribus facienda eſſe dixit:ſi copiæ quæ Neapoli erant his quæ in Vrbe eſſent coniungerentur,vltra duodecim Germanorum, & octo aut decem Hiſpanorum peditum millia fore;idcirco arce amiſſa, niſi reuera viginti duo ſeu viginti quatuor Heluetiorum millia in exercitu eſſent victoriam ſperari non poſſe ſubiecit: quibus petitionibus ab omnibus, vt quæ fieri non poſſent contemptis, exercitus Calendis Iunij peditatu valde imminutus,quamuis pontifex,quo ſibi in compoſitione tractanda prodeſſet,vt diſceſſum differret vehementer petijſſet,Monteroſum ſe recepit: & eadem nocte Petrusmaria Roſſius, & Alexander Vitellius cum ducentis expeditis equitibus Romam ad hoſtes tranſiuerunt. Pontifex quod ſemper parum in auxilijs ſpei collocaſſet, ac propriæ ſaluti à Columnijs & Germanis timeret,Lanoius Senis,equiores ab eo leges ſperãs, accerſiuerat: qui ſe exercitus imperatorem appellatum iri ſperans, cupidè eò profectus eſt:cum verò Romam quo publica ducum fide peruenisſet,Germanorum & Hiſpanorum qui Aurangij principem Borbonio defuncto imperatorem appellarant, animos à ſe alienatos cernens,ibi hærere non eſt auſus: ſed quum Neapolim verſus contenderet,Vaſtium,Vgonem,& Alarconem in itinere obuios habuit, quorum conſilio Romam redijt: & nihilominus,quum militibus gratus nõ eſſet, nullam neque bellicis in rebus,neq; in compoſitione

fitione cum pontifice tractanda autoritatem habuit. Pontifex verò tandem omni spe destitutus, sexto Iunij die, ijsdem ferè legibus quibus antea pacisci potuerat in hunc modum pactus est. Pontifex quatuor mille auri pondo militi dato; ex his mille statim repræsentato: quæ ex pecunia, argento, & auro in arce seruato conflabatur, quingenta intra viginti dies, duo millia & quingenta intra duos menses; quorum nomine tributum pontificis imperio vniuerso impositum, exigendum tradebatur. Angelicam, Ostiensem, Ciuitatis ueteris & Ciuitatis castellanæ arces, & Placentiam, Parmam, atq; Mutinam Cæsaris potestati quandiu ei libitum fuerit retinendas permittito: Ipse cum omnibus cardinalibus quos secum habebat (erant autem tredecim) donec primæ illæ portiones duæ, mille & quingentorum auri pondo appensæ fuerint in arce captiuus maneto: deinde Neapolim aut Caietam quid de ipsis porrò decreturus esset Cæsar expectaturi, eunto: Obsides exercitui, pro multa, cuius tertia pars ad Hispanos spectabat soluenda, Sipontinum, & Pisanum archiepiscopos, Pistoriensem & Veronensem episcopos, Iacobum Saluiatum, Simonem Ricasolum, & Laurentium Ridulfij cardinalis fratrem dato: Rentio Ceriti, Alberto Pio, Horatio Ballioni, Casalio equiti, Angliæ regis oratori, & ceteris omnibus qui in arcem confugerant, pontifice & cardinalibus exceptis, tutò ex arce discedendi facultas esto: pontifex Columnios sacris restituito: & quum extra Vrbẽ ducetur, legatũ suo nomine in Vrbe, & in curia iudices iuri dicundo præpositos relinquito. His sic constitutis Alarco cum tribus Hispanorum, & tribus Germanorum peditum cohortibus arcem est ingressus; qui cum arcis & pontificis custodiæ esset præpositus, eum in angustas habitationes redactum diligentissimè, eiq; per quàm exigua libertate permissa custodiebat: sed non tam facilè ceteræ arces & ciuitates promissæ traditæ fuerunt; quoniam Ciuitatis castellanæ arx sociorum nomine custodiebatur: Ciuitatis autem veteris arcem Andreas Auria, & si mandatum à pontifice accepisset, antequã quatuordecim aureorum numûm millia quæ sibi stipendiorum suorum nomine deberi aiebat sibi numerarentur, tradere recusabat. Parmam & Placentiam pontificis nomine iuit Iulianus Lenus Romanus architectus; & ducum nomine Ludouicus Lodronij comes, cum mandato vt Cæsaris voluntati parerent, quamuis clàm contrarium eis iniunxisset: quæ ciuitates Hispanorum imperium detestantes, eos admittere recusarunt. Mutinenses autem non iam sui iuris erant; quoniam Ferrarienſium dux, occasione quam ipsi pontificis calamitates præbebant minimè neglecta, se agros in quibus messis iam matura erat populaturum minatus, sexto Iunij die eos ciuitatem dedere non sine Ludouici Rangonij nota, coëgit: is enim quamuis dux paucos milites secum haberet, nullo defensionis signo ostenso, discessit: dux verò in hoc Venetorum qui ne quid huiusmodi tempore noui contra pontificatum moliretur eum sunt hortati, autoritatem neglexit; & nihilominus ipsi conspiratione cum Rauennensibus Guelfis facta, militibus in eam per speciem vrbis ab ijs qui Cotiniolæ erant tuendæ immissis, eam sibi vendicarunt: & arcis præfecto clàm interfecto, ea quoq; sunt potiti, se eam omnium sociorum nomine retinere velle palam præ se ferentes: & paulo pòst Ceruiam & pontificis salinas ceperunt: cumque pontificium imperium nemo custodiret aut tueretur, nisi quantum ipsi populi per se suoque commodo faciebant, Sigismundus Malatesta eadem facilitate Ariminum cum arce occupauit. Verùm nec Florentiæ pontificis res meliore fortuna erant: nam vbi Romam captam est auditum, Cortonensis cardinalis, à ciuibus qui se Mediceæ familiæ studiosos profitebantur desertus, & ob id territus, quum nisi inusitatis modis & violenter pecuniam colligere non posset, neque ipse ob auaritiam suas saltem donec copiarum quæ ad opem pontifici ferendam ibant progressus audiretur expònere vellet, nulla necessitate impulsus; quoniam in ciuitate multi milites erant, & populus ob prætorium occupatum territus, sese mouere non esset ausus, fortunæ cedere statuit: ac ciuibus conuocatis, liberam eis reipublicæ administrationem, nonnullis priuilegijs, immunitatibus, & pontificis nepotibus Florentiæ, vt priuatis ciuibus degendi facultate, & rerum hactenus contra statum missarum venia omnibus impetrata reliquit. Quibus rebus decima sexta Maij die sic constitutis, ipse cum pontificis nepotibus se Lucam contulit; vbi quum mox ipsum consilij tanto cum metu capti pœniteret, Pisanam & Ligurni arces quibus præfecti erant pontificis, vt videbatur, amici, retinere est cona-

tus: & nihilominus hi, nullum auxilium à pontifice captiuo ſperantes, aliqua etiam pecunia accepta, intra paucos dies eas arces Florentinis tradiderunt: qui ciuitate interea ad popularem ſtatum redacta, Nicolaum Caponium magnæ autoritatis ciuem & libertatis ſtudioſum, principem Vexilliferum in annum vnum, ita vt ad tertium vſq; annum confirmari poſſet crearunt: qui ſupra modum ciuium concordiam & adminiſtrationem ad perfectiſſimam reipublicæ formam redigi cupiens, comitijs penes quæ legum ferendarum & magiſtratuum creandorum abſoluta poteſtas eſt, ſequenti die conuocatis in hanc ſententiam verba fecit.

Caponij integra oratio deſideratur.

Grauiſſima fuit Vexilliferi oratio, & certè prudentiſſimum conſilium: cui ſi ciues fidem habuiſſent, fortaſſe noua libertas diuturnior extitiſſet, ſed quoniam acriores ſunt morſus intermiſſæ libertatis, quàm retentæ, & magnum in Mediceum nomen odium, cum multas alias ob cauſſas, tum quòd bella ab illis cępta magna ex parte proprijs ſumptibus ſuſtinere coacti fuiſſent: certũ enim eſt Florentinos vltra quinq; millia auri pondo in Vrbinati imperio tum occupando tum etiam tuendo inſumpſiſſe. tantundemque in bello à Leone contra Galliæ regem incœpto; in ijs autem quæ eius obitum ſunt conſequuta, quæ quidem ex eodem bello ortum habuere, auri pondo tria millia inſumpta ſunt, quæ partim ad Cæſarianos duces ante Clementis pontificatum, partim ad prorẽgem Lanoium peruenere: hoc deniq; in Cæſarem bello, auri pluſquam ſex millia pondo profuderunt. Itaq; eos ciues qui Mediceorum amici fuerant & pontificium nomen perſequi cœperunt, Medicęæ familiæ inſignia, etiam quæ in locis publicis ab ipſis ædificatis affixa erant tota vrbe furentes deleuerunt. Leonis & Clementis ſimulacra quæ in Annuntiatæ fano toto terrarum orbe celleberrimo erant confregerunt: pontificis bona veteri æri alieno exoluendo addixerunt: deniq; pleriq; illorũ nihil quod pontificis iram concitare, diſſenſionemq; & ſimultates in ciuitate fouere poſſet palam patrare prætermiſerunt; ad maiora niſi Vexilliferi autoritas & prudentia obſtitiſſet, progreſſuri: qui tamen multa mala impedire non poterat. Romã verò cum Vaſtio & Vgone Germani atq; Hiſpani pedites qui in regno neapolitano erant, venerunt; ita vt iam octo Hiſpanorum, duodecim Germanorum, & quatuor Italorum peditum millia ſimul eſſe dicerentur: qui exercitus, ob partam exiſtimationẽ, ceterorum terrorẽ, & tenues ad reſiſtendum apparatus ad quaſcunq; res magnas in Italia gerendas idoneus erat: ſed quũ ei nomine tantùm Aurangius princeps præeſſet, re autem vera nemini pareret, & totus prædæ, mulctis & pecunijs à pontifice promiſſis exigendis intentus eſſet, neq; de Cęſaris rebus quicquam cogitaret, Roma diſcedere recuſabat: vbi quum nulla prorſus diſciplina, ſed impetu regeretur, Lanoius & Vaſtius propriæ ſaluti metuentes, fuga ſeſe ſubduxerunt: ipſi autem milites peſtilentiæ, quæ iam cœpta, poſt maximas ſtrages dedit, expoſiti manſerunt. Quas ob cauſſas Cæſariani multarum rerum gerendarum, & præſertim Bononiæ occupandæ occaſiones amiſerunt: quæ ciuitas, etſi poſt Romam captam, Vgo Pepulus cum mille Veneto ære conductis peditibus eò veniſſet, Laurentio Maluetio, tacito Ramazzoti conſenſu & Bentiuolorum factionis ope tumultum concitante, non ſine difficultate in pontificis fide eſt conſeruata: ac quod fortaſſe non minoris momenti fuit, Galliæ regi potentiſſimi exercitus in Italiam magno Cæſaris periculo, ne poſt tot partas victorias regnum neapolitanum amitteret, mittendi ſpacium dederunt: nam quum multo ante Gallię res ad noui belli apparatum ſpectare cœpiſſent, XXIIII Aprilis, fœdus quod per multos menſes agitatum fuerat, inter Galliæ & Angliæ reges ictum erat; ea lege vt Angliæ regis filia, Galliæ regi, vel Aureliano duci eius ſecundo filio nuberet: vtri autem danda eſſet, in duorũ regum colloquio, quod proximis pentecoſtes diebus inter Caletum & Bononiam futurum erat, decerneretur. Anglus Franciæ regis appellatione ſeſe abdicaret: cuius rei gratia Francus ei quingentas auri libras quotannis penderet: Anglus ſeſe fœderi Romæ percuſſo adiungeret; ac proximo Iulio menſe, Cæſari transalpes bellum inferret: nouem peditum millia in eo bello haberet: & Galliæ rex decem & octo peditum millibus, & iuſto equitum atq; tormentorum numero idem faceret: interea

terea verò vterq; oratores ad Cæsarē qui fœdus ictum ei nuntiarēt mitteret; & vt regios filios redderet,ac pacem æquis legibus amplecteretur peterent: quæ nisi intra mensem faceret,bellū ei indicerent:quo facto, belli initium facerent.His constitutis Angliæ rex statim fœderi se adiunxit; & vterq; duos homines qui hæc nuntiarent,ad Cæsarem peruolare iusserunt:quę res maiore alacritate à Franco & Anglo oratoribus est facta,quàm antea pontificis iussu fuisset:quoniam Baldassar Castilioneus eius nuntius,Cæsaris animum minimè irritandū esse ratus,bellum ei indicere recusauerat.Sed Vrbis captæ nuntio in Gallia accepto,maior ex Borbonij morte lætitia,minorem ex pontificis calamitate mœrorem mitigauit:cumq; rex vt Italiæ res conciderent,minimè permittendum esse censeret, xv Maij cum Venetis sic pepigit, vt decem Heluetiorum millia communibus auspicijs conducerentur, quibus ipse primi mensis stipendium daret: Veneti secundi, sicque alternis deinceps pergerent:ipse decem Gallorum peditum millia Petro Nauarro duce mitteret; Veneti autem vnà cum Mediolanensium duce decem Italorum millia conscriberent:rex denuò quingentas lanceas & decem & octo tormenta mitteret:quoniam autem Angliæ rex, ijs quæ pacti erant posthabitis, ad bellum trans alpes mouendum tardior erat,quod ne Franco quidem placebat (vterq; enim bellum procul à regni sui finibus fouere cupiebat)eo fœderis capite abrogato,vt Anglus ad Italiæ bellum per sex menses decem peditum millia aleret, est constitutum: atq; ipso enixè petente,potissimum Lautrechius quamuis propemodum inuitus,omnibus copijs est præfectus. Qui, dum se idoneo pecuniarum & reliquarum necessariarū rerum apparatu ad iter accingeret,nihil magni in Italia gerebatur: Cæsarianus enim exercitus, etsi quotidie multos atrox pestilentia,quæ eodem tempore Florentiæ quoq; & in multis alijs Italiæ oris vehementer sæuiebat,tolleret, Roma non discedebat: & exercitus sociorum (quibus Salutio & Venetis petentibus,se iterum Florentini,ea lege vt quinq; peditum millia alerent, maxima cum Cæsaris offensione adiunxerant; quia quum illis petentibus Ferrariensium duci vt suo nomine cum Florentinis pacisceretur mandasset, eodem ferè tempore eos contrarium statuisse certior est factus)quòd Venetorum,Salutij,& Heluetijs peditibus stipendia ægrè persoluerentur, numero valde imminutus, prope Viterbium se receperat;& cunctando Perusiam,Oruietum,Spoletum, & reliqua vicina oppida in sociorum fide retinere nitebatur: vbi, quum pòst Cæsariani exercitus partem Roma egressam audiuissent (quamuis illi id vt liberiore cœlo locoq; fruerentur ac nonnihil respirarent fecissent) ne omnes copiæ prima solutione facta egrederentur veriti, Oruietum, deinde ad Castelli plebem se contulerunt: & in Florentinorum fines,si id permississent, se recepturi erant. Inuaserat quoque pestilentia Angelicam arcem,magno cum pontificis vitæ periculo; circa quem nonnulli ex ijs qui ipsi ministrabant interierunt: qui tot calamitatibus afflictus, quum nullam nisi in Cæsaris clementia spem haberet, ducum consensu Alexandrum Farnesium cardinalem ad eum legatum destinauit; qui tamen hac occasione arce & Vrbe egressus, legationem obire recusauit. Duces pontificem cum ceteris tredecim cardinalibus qui cum ipso erant Caietam ducere cupiebant; sed ipse omni studio, precibus & arte contranitebatur. Tandem verò Lautrechius,rebus necessarijs comparatis, vltima Iunij cum octingentis cataphractis, & cum totius, quoniam sic rex voluerat, sociorum exercitus imperio à rege discessit: & Angliæ rex pro decem peditum millibus, se singulis mensibus à Calendis Iunij initio facto,triginta duo aureorum numûm millia persolututum receperat;quibus decem Germanorum peditum millia Valdemontio duce, quæ legio optima erat, & quod sæpius Lutheranos fregisset, valde exercitata conscriberentur. Conduxit quoque Galliæ rex Andream Auriam,eum octo triremibus; eique stipendiorum nomine triginta sex millia aureorum numûm annua promisit. Verùm antequam Lautrechius alpes transcendisset, Venetorum & Mediolanensium ducis copiæ simul coniunctæ Marinianum petiuerunt: quo ex loco Antonius Leua cum 800 Hispanis,totidēq; Italis peditibus,& valido equitatu Mediolano egressus eos retrocedere coëgit. Quo tēpore Io.Iacob. Medices Mussij præfectus, Galliæ regis stipendia merēs,dum ad Lariū lacum Heluetios præstolatur, Mongutij arcē inter Leucum & Comū positā,quam Alexander Bentiuolus tanquā propriam possidebat, insidijs occupauit. Ad eam verò recuperandam Antonius Leua, Lu-

douicum Belgioiosum misit:qui ea frustra oppugnata,Modoetiã redijt. Sed quum pòst Leua Mussium cum duobus millibus & quingentis peditibus Quadrate vicum,qui milliaria quatuordecim à Mediolano abest venisse cognouisset,Mediolanum redijt: & ducentis tantùm militibus(etsi Veneti decem modò milliaria illinc abessent)ibi relictis,ipse cum reliquis copijs noctu profectus, in Mussij milites repẽtè sole exoriente impressionem fecit:qui vbi strepitum audiuerunt,nõ omnes hostium copias adesse rati, domibus egressi,se in planitiem quandam prope eum vicum sepibus munitum receperunt:& quamuis aciem instruxerint,in eo depresso loco ceu carcere concluſi,sine vlla defensione,multis qui initio Mussium fugæ se dedisse animaduertentes idem fecerant,exceptis, capti cæsiq; fuerunt.Cæsar interea ex Mercurij Cancellarij sui quem in Italiã miserat literis Monæco ad se scriptis, pontificẽ captum esse cognouerat: qui etsi verbis sibi molestissimũ esse præ se ferret,tamen ei gratissimũ fuisse animaduertebatur:quin,ne ab externis quidem signis prorsus abstinens,incœptos ob filij natalẽ ludos intermisit. Sed quũ Angliæ rex atq; Eboracensis cardinalis pontifici libertatem restitui vehementissimè cuperent,eorumq; autoritate Gallię rex quoq;,qui alioqui si filios recuperasset,pontificis & simul totius Italiæ calamitates parui fecisset, cõmoueretur,hi reges simul oratores ad Cæsarem qui eius libertatem, vt quæ ad omnes Christianos principes spectaret,atq; ad ipsum præsertim Cęsarem,sub cuius fide ab ipsius ducibus & exercitu in tam miserandũ statum esset redactus postularent,miserunt:eodemq; tempore à cardinalibus qui in Italia erant, vt vnà cum ijs qui trans alpes essent,vt quid tam difficilibus temporibus ecclesiæ vtilitatis gratia esset agendum decernerent,Auinioni conuenirent,petierunt: qui ne omnes in tantorum principum potestate essent varijs coloribus id recusarunt: & Saluiatus cardinalis apud Galliæ regem legatus, cui pontifex ad Cæsarem, vt illic in Vgonis Moncadæ aduentu, qui de cõpositione eò erat iturus causſam suam ageret,se transferret mandarat,& ipse id facere abnegarat:quòd pernitiosum esse diceret tot cardinales in Cæsaris potestatem venire:sed libellum Roma acceptum per cubicularium suum ad pontificis auditorem, qui apud Cæsarem erat, vt de ijs rebus cum illo ageret misit: qui optima verba,sed talia quæ nihil certi statuerent,retulit.Cæsar pontificem in Hispaniam duci cupiebat, sed tamen cum quòd res esset infamiæ plena,tum verò ne Angliæ regis animũ ita irritaret, sed maximè quia omnes Hispaniæ populi ac præsertim antistites principesq; à Romanorum Imperatore ecclesiæ defensore & patrono,tanto cum totius Christianæ reip.dedecore, illum qui Christi in terris vices gereret in custodia detineri,magnopere detestabantur:eam igitur ob causſam,quũ oratoribus illis benignè respondisset,& quod ad pacẽ spectaret,sibi vt ea ab Anglię rege tractaretur,placere dixisset,quod illi probarunt:Itaq; III Augusti die Franciscanorũ summũ præfectũ,& quatuor diebus post Veriũ Miliacensem vtrunq;(vt ferebatur)cũ mandatis ad proregẽ Lanoium de pontifice liberando & omnib.oppidis atq; arcibus quæ occupatæ fuissent restituendis in Italiam legauit;atq; vt vnde se sustentaret pontifex haberet,certam summã pecuniæ ex illis regnis quæ in conuentibus pecuniã Cæsari dare recusarant collectã,ad eum eius internuntius mitteret permisit.Hoc tempore in Iulij mensis fine,Eboracensis cardinalis cum mille & 200 equitibus Caletũ venit: cui Galliæ rex cũ eum maximo honore accipere vellet, Lotharingũ cardinalẽ obuiam misit:Rex deinde tertia Augusti die Ambianũ se contulit;quo sequenti die venit Eboracensis maxima cum pompa:cuius existimationẽ auxit, quod tria millia auri pondo in quotidianos sumptus, & vt si opus foret, Galliæ regi partẽ aliquã mutuo daret,secũ attulerat.De belli & pacis negotijs inter eos est actum: & quamuis Francus diuersa ab Anglo spectaret(nam filios recipiendi gratia, pontificẽ cum Italia prædæ reliquisset)tamẽ se nullã compositionẽ qua pontificis libertas non cõprehenderetur amplexurũ promittere fuerat coactus; ideò cum Cæsar pacis leges Angliæ regi misisset,communi nomine ipsos,si regi filij restituerentur, & cuius rei causſa rex certis tẽporibus ei viginti millia auri pondo daret; pontifici libertas cum imperio restitueretur: omnes Italiæ principes & resp.in eo statu quo tunc erant conseruarentur:& deniq; pax cõmunis esset,eam amplexuros responsum ei fuit:constitutumque inter eos est,vt si Cęsar has leges acciperet,Angli filia Aureliano duci nuberet:nam pace constituta cum Cæsaris sorore matrimonium procederet:si verò pax non coiret, regi nuptui

gi nuptui daretur : quibus legibus ad Cæsarem missis, publicam fidem, homini queni Cæsar in Galliam mittere volebat, denegarunt, & eas conditiones missas, satis esse dixerunt: quibus à Cæsare reiectis, decimo octauo Augusti die pax & fœdus inter vtrumque regem iureiurando sancitum ac solemni ritu promulgatum fuit: & vt bellum in Italia magnis viribus ad eum potissimum finem, vt pontificem in libertatem vindicarent, gereretur decreuerunt: eius autem gerendi Prouinciam Lautrechij consilio prorsus permiserunt: qui ante suum discessum, quia rex summum ac fermè postremum conatum faciebat, quicquid petiuisset, impetrarat. Voluit quoque Eboracensis vt Casalius eques regis sui nomine castra sequeretur, ad quem triginta duo aureorum numûm millia quæ singulis mensibus pendebat, vt Germanorum integrum numerum adesse certò sciret, mitterentur. Sic Italici belli ratione constituta, Eboracensis discessit: & in discessu Protonotarium Gambaram ad pontificem, vt se dum ipse captiuus esset, suum in Gallia, Anglia & Germania vicarium constitueret, cohortandum misit: cui Galliæ rex se assentiri fingens, clàm repugnabat. Interea bellicæ res in Italia frigere, magnopere Lautrechij aduentum expetere: Cæsarianus exercitus confusus, ducum imperio non agnoscere, amicis pariter & deditis grauis, se loco non cõmouere, nullum hostibus terrorem afferre: Hispani atque Itali pedites pestilentiæ contagium fugitantes, circa Romam dissipati erant: Aurangius cum centum & quinquaginta equitibus, tum pestilentiæ vitandæ caussa, tum etiam vt eam ciuitatem in Cæsaris fide contineret, Senas quo prius aliquot pedites miserat, se contulerat: quoniam eius ciuitatis populus à seditiosis capitibus ad tumultum concitatus, Nouiorum domos diripuerat: & Petrum Borghesium magnæ autoritatis ciuem cum vno filio & sedecim aut decem & octo alijs interfecerat. Romæ soli Germani manserant, pestilentia penè omnes infecti: quibus cum pontifex mille & quingenta auri pondo quæ primò soluenda erant, partim in pecunia numerata, partim contractibus de regni neapolitani decumis, & Beneuenti venditione cum Genuensibus mercatoribus difficillimè dedisset; pro reliqua pecunia quæ ipsis debebatur, alias cautiones & aliam rationem quàm tributum pontificio imperio impositum petebant; quæ à pontifice in custodia retento præstari minimè poterant: quare post multas minas obsidibus factas, quos acerbissimè catenis vinctos retinebãt, eos ingenti cum ignominia in Floræ campum duxerunt: ibiq; cruces quasi illos eo supplicio essent statim affecturi, fixerunt. Deinde sine ducibus aliqua autoritate præditis, magis vt in apertũ prodirẽt, seq; recrearent, quàm vt aliquid magni gererent, Roma exiuerunt: cumq; Terniũ & Narniũ diripuissent, Spoletani se eis itineris facultatem & commeatum concessuros pacti sunt. Quamobrẽ sociorũ exercitus, vt Perusia tuta esset, Pontenouũ vltra Perusiã castra transtulit: prius enim, ad Perusinũ Lacũ, sed longè minore, quàm par erat, numero, castra habebat: nam cũ Salutio erant 300 cataphracti & 300 hyppotoxotæ Galli, tria Heluetiorũ millia, & mille Itali pedites: cum Vrbinatium duce quingenti grauis, trecenti leuis armaturæ equites, mille Germani pedites, & duo Italorum millia: Veneti se ijs copijs quas in Insubria habebant, promissa præstare excusabant. Florentini verò octuaginta grauis, centum & quinquaginta leuis armaturæ equites & quatuor peditum millia: metus enim ne Cæsarianus exercitus Hetruriam inuaderet eos melius ceteris instructos esse cogebat; ideoque militibus suis debitis temporibus stipendia (quod reliquorum nemo) persoluebant. At Vrbini dux præter veteres molestias, in maximo angore ac penè desperatione erat, propterea quod Galliæ regem & Lautrechium non satis honorificè de se loqui sciret; & multo magis quòd Veneti siue eius fidem, siue inconstántiam suspectam habentes, vxorem ipsius & filium qui Venetijs erant, ne sine ipsorum venia discederent diligenter custodiebant; eiusque consilium, nimirum vt Lautrechius Galliæ cisalpinæ rebus non tentatis, recta Romam contenderet apertè damnabant. Idcirco in eo exercitu omnia in summo otio quiescebant: & quod Cæsariani vlterius nõ procederent beneficij loco accipiebant: Cæsariani verò non multo pòst duobus aureis nummis in singulos à Vastio, qui ad exercitũ venit acceptis; Germani quidẽ ab Hispanis dissidentes Romã redierunt: Hispani aũt Italiq; Aluiani, Tiliani, Castillioni Tiberinæ, & Bolsenã versus distributi manserunt, sed numero ita imminuti, & pẽsertim Germani ob pestilentiam, vt in toto Cæsaris exercitu nõ vltra 10 peditũ millia esse crederentur: sed ante

illorum discessum fœderatorum duces facinus æterna infamia dignum ediderunt: nam cum Gentilis Ballio, Horatij voluntate qui dissidia inter ipsos omnib. pernitiosa esse dicebat, & se cum eo reconciliatũ esse simularat, Perusiam redijsset, Federicus Bozolus omnium ducũ consensu eò iuit, eiq; se quòd ipsum occulta consilia cum hostibus agitare audiuissent, ne quid moliri posset, velle custodiæ tradere indicauit: & quamuis crimen dilueret, seq; Castillionem ad Lacum iturum polliceretur, eum Giganti Corsò Venetorum militũ duci, custodiendũ tradidit; verùm eadẽ nocte vnà cum duobus nepotibus à quibusdã Horatij satellitibus, eiusq; iussu fuit interfectus: idemq; Horatius ijsdẽ diebus extra ciuitatẽ Galeottum Braccij fratrẽ ac Gentilis nepotem interfici curauit. Camerinatium deinde ducis obitu cognito, milites ad eam vrbẽ occupandã miserunt; sed prior fuerat Sforcia Ballio Cæsarianorũ nomine: & ingressus postea est eã ciuitatẽ Sarra Columna, Rodulfi generi sui defuncti ducis ex concubina filij, causa. Salutius deinde & Federicus noctu, magno equitatu, & mille peditibus D. Petri Abbatiã prope Ternium, in qua Petrus maria Rossius & Alexander Vitellius cum ducentis equitibus & 400 peditibus erant, inuaserunt: quod per se temerarium facinus (eo enim præsidio munita, nisi tormentis expugnari non poterat) siue fortuna siue ducum imprudentia, auaritiaúe felix reddidit: nam quum illi eo ipso die centum & quinquaginta scloppettarios ad vicinum quoddam castellum diripiendum misissent, se necessario ad defensionẽ præsidio spoliarant: quare etsi se per multas horas defendissent, se illorum arbitrio permiserunt: Rossio tamen & Vitellio, quorum ille in crure, alter in manu scloppi glande percussus fuit, cum rebus suis conseruatis. Quo tempore quum Tiberis tribus aut quatuor in locis extra alueum erupisset, magno cum detrimento fœderatorum castra inundauit: qui cum Cæsariani adhuc inter Ternium & Narniam essent, Assisium versus castra mouerunt: deinde progressi Vrbini dux Narniæ, Galli Beuaniæ sunt metati: nigra legio cui Horatius Ballio Florentinorum peditũ præfectus præerat, quum castra eis assignata non fuissent, Montefalcum oppidum ingressa id diripuit. Postea horum peditum pars Pressam castellum in quo erant Ridulfus Varanus & Beatrix eius vxor oppugnarunt: illi verò quum se tueri non possent, se illorũ arbitrio tradiderunt, qui tamen paulo pòst libertati sunt restituti: quoniam Sarra magnis molestijs ab eo exercitu affectus, cum Camerinum tueri iam nõ posset, genero & filia pactione recuperatis vrbem reliquit. Conati etiã sunt Salutius & Federicus cum Gallico equitatu, & duobus peditum millibus, Hispanicum equitatum, qui vt Marius Vrsinus aiebat, Monte rotundi & Lamentanę (quod erat iter tridui) sed sine vigilijs castra habebat, spoliare; sed quia paruo ordine incedebant, deprehensi re nõ tentata pedẽ retulerunt: habebant aũt in animo vt eis fugiendi facultatẽ adimerent, Tiberonis pontẽ eodem tempore frangere. Non multũ ab his diuersi fuerant in Gallia cisalpina militum per totam æstatem progressus: vbi Venetorum & Mediolanensiũ ducis copiæ simul prope Mediolanum, vt eius agri messem demeterent coniunctæ, commeatus præsidium fuderant: centum pedites interfecerant: triginta grauis armaturæ equites, & trecentos partim militares partim agminales equos ceperant: verùm in agris metendis, quia Venetorum copiæ more suo citò sunt imminutæ, vlterius non sunt progressi: Andreas Auria cum sua classe Sauonã versus se receperat; & Genuenses hac occasione Spediam recuperarant. At Latrechij in Taurinos cum exercitus parte aduentu, res in Insubria magis accendi cœperunt: qui ne dum reliquos expectat otiosus esset, initio mensis Augusti, Bosco Alexandrini agri oppido, in cuius præsidio erant mille pedites maxima ex parte Germani, qui se summa pertinacia tuebantur, castra admouit: nã quòd nonnullos Heluetios interfecissent iratus Lautrechius, nisi se prorsus arbitrio suo dederẽt, eos accipere recusabat: eos autem crebris nuntijs accendebat, eisque spem faciebat Ludouicus Lodronij comes Alexandriæ tuendæ præpositus; cuius vxor & filij in Bosco erant: tandem verò dies noctesque tormentis vexati, cuniculos timentes, vbi decem dies tantam molestiam pertulissent, sese Lautrechij arbitrio permiserunt: ipse aũt duces captiuos retinuit, militibus vitam condonauit, sed ea lege vt Hispani per Galliam in Hispaniam, Germani verò per Heluetiorum fines in Germaniam redirent; & singuli militaris iactantiæ more inermes & arundinem in manu gerentes Bosco egrederentur. Ludouico autem comiti cõiugem & liberos liberaliter restituit. Hanc expugnationem

secundi

ſecundi Genuæ rerum ſucceſſus ſunt ſequuti: nam quum quinque naues quarum quatuor frumento, vna mercibus erant onuſtæ, quæ Genuam petentes Delphinij portum veniſſent, atque vt incolumes Genuam peruenirent, nouem triremes Genua ſubmiſſę fuiſſent, accidit vt quum Cæſarem Fregoſium, terreſtri itinere cum duobus peditum millibus Genuam petere nunciatũ eſſet, ferè omnes qui in Delphinij erant portu, claſſe relicta ſe eò contulerint: quæ res Andreæ Auriæ illas ſuis triremib. in ipſo portu obſidendi occaſionem dedit: vbi quum ſe eas propugnare non poſſe animaduerterent, triremes armis nudarunt, & milites in litus expoſuerunt: ſic ex nouem triremibus vna igne abſumpta, reliquę cum nauibus frumento onuſtis, & Iuſtiniana naui quæ ex oriẽte appulſa mille auri pondo pretiũ ferre dicebatur, in hoſtium poteſtatem venerunt. Cui rei gerendæ & aliæ Gallicæ triremes interfuerunt; quæ quum antea quinq; naues frumento onuſtas Genuam petentes cepiſſent, ſe deinde poſt Codimõtem inter Portum Delphinij & Genuam abdiderant: quo etiam tempore quidam pedites ab Adurnijs vt eos Genuam ducerent conducti, Priacrucij qui locus in illis montib. eſt, fuſi fuerunt. Hæc calamitas, prẽter tot alias & pecuniarum & variarũ nauium iacturas Genuenſibus in extremam angu ſtiam redactis, omnem ſui tuendi ſpem ademit; quamuis ijſdem diebus Cęſar Fregoſius, cum ad Petriarenarij veniſſet, pedem referre fuiſſet coactus: verũ illi magis fame quã hoſtium viribus territi, extrema neceſſitate coacti, legatos ad Lautrechium, qui cũ eo tranſigerent, miſerunt: quapropter Antoniottus Adurnius dux ſeſe in Caſtellettũ recepit; & tumultib. ni potiſſimũ Philippi ni Auriæ, q. captiuus erat opera ſedatis, ciuitas ſub Galliæ regis, qui ei Theodorum Triultium præfecit, imperium redijt. Lautrechius deinde qui octo Heluetiorum millia, qui quotidie minuebantur, decem Petri Nauarri peditum, & tria Vaſconũ, quos tunc primũ Bierniæ dominus in Italiam duxerat, & item tria Mediolanenſium ducis peditum millia in ſuo exercitu habebat, Alexandriæ caſtra admouit. Alexandriæ verò erant mille & quingẽti pedites, ob Germanorum qui Boſchi erant iacturam valde conſternati: ſed quum deinde per propinquos colles quingenti pedites cum Alberico Belgioioſo eò veniſſent, animum reſumpſerunt; ſeq; egregiè tuebãtur: Venetorum verò copiarum & tormentorũ in caſtra aduentu, etſi illi neq; terra neq; mari eum numerum quem debebãt ſuppleuerint, cũ pluribus ex partib. mœnia verberarentur, & Petrus Nauarrus, vt ſemper in omni oppugnatione faciebat, eã ſimul foſſis & cuniculis ferociter infeſtaret, hominum vita & fortunis conſeruatis deditionem facere ſunt compulſi. Alexandriæ expugnatio, aliquod controuerſiæ inter fœderatos initiũ patefecit: nam cum Lautrechius quingentos pedites, vt milites ſui quouis euentu tutum receptum, & qui ex Gallia veniebant ſe in ea ciuitate colligendi & recreandi opportunitatem haberent, in eius præſidio relinquere cogitaret; Mediolanenſium ducis orator, ne hoc initio Lautrechius ſuo regi illud imperium ſubiugare vellet, veritus, vehementibus verbis & conteſtationib. repugnauit; ac Veneto oratore ferè non minus conquerẽte, atque Angliæ regis legato quoque intercedente, Lautrechius, etſi grauiter indignatus, eam Mediolanenſium duci liberè ceſſit: quæ res fortaſſe ei expeditioni plurimum obfuit: multi enim illum aut indignatione, aut vt in huiuſmodi tempus differret, quo neminem metuens, id ad ſuam vtilitatem conuertere poſſet, negligentius Mediolano occupando operam dediſſe cenſuerunt. Alexandria capta, quum dubium non eſſet, quin Lautrechius Mediolanum vel Papiam eſſet petiturus, fama eſt Antonium Leuam cum quo erant centum & quinquaginta cataphracti, & quinque tum Germanorum tũ Hiſpanorum peditum millia, Mediolanum tam paruis copijs, totq; difficultatibus impeditũ, propugnari poſſe minimè ſperantem, Papiam ſe recipere in animo habuiſſe: ſed tamen cum Papiæ exiguam commeatus copiam eſſe, neq; exercitũ in ea ciuitate rapinis quemadmodum Mediolani acerbiſſimè fecerat, ſuſtentari poſſe cogitaſſet, ibi manere decreuit: & Ludouicum Belgioioſum ad Papiæ cuſtodiam miſit, ac Mediolanenſibus, qui diſcedendi facultatem pecunia emere voluerunt, conceſſit. Lautrechius verò, etſi Heluetiorum numerus valde eſſet imminutus, vlterius progrediens Vigeuanum occupauit: deinde ponte Ticino impoſito, exercituq; per eum traducto Benerolam verſus, quæ villa ad quartum à Mediolano lapidem eſt, ſe vt Veneti ſuadebant, ei vrbi exercitum admouere velle præ ſe ferens, re autem vera id conſilium quod facilius videretur ſe-

quuturus contendit: sed cum octo milliaria prope Mediolanum esset, Belgioiosum præcedenti nocte quadringentos pedites eò misisse, ita vt Papiæ non plures quàm octingenti mansissent certior factus, itinere mutato, sequenti die qui fuit vigesimus octauus Septembris, ad Cartusianorum cœnobium est metatus; deinde Papiæ castra admouit: ad cuius ciuitatis præsidium quum Leua, vbi Lautrechium consilium mutasse cognouit, tres peditum cohortes misisset, minimè ingredi potuerunt: adeo vt ob exiguum propugnatorum numerum defendi non posse videretur: & nihilominus Belgioiosus, etsi populus vt direptionis atque exitij vitandi caussa, ipsos paciscì pateretur supplex rogaret, id concedere noluit: sed quum Lautrechius per quatuor continuos dies mœnia pulsasset, tantamque ruinam edidisset, vt pauci illi diruta munire minimè possent, tandem Belgioiosus præconem ad Lautrechium misit: qui cum illum, quia forte fortuna in Venetorum castra iuerat, tam citò conuenire non potuisset, milites propius accedentes, per diruti muri spacium in ciuitatem irruperunt: quo viso Belgioiosus porta egressus, sese Gallis dedidit, quem illi Genuam captiuum miserunt. Ciuitas direpta fuit; & per octo continuos dies Galli in eam vehementer sæuierunt; & ob cladis in Barco acceptæ memoriam, multa ædificia incenderunt. Agitatum deinde est, vtrùm ad Mediolanum expugnandum an rectà Romam versus contendendum esset. Florentini ne Lautrechio in Insubria hærente, Cæsarianus exercitus Roma, ad fines ipsorum infestandos egrederetur metuentes, vt progrederetur vrgebant: Veneti autem & Mediolanensium dux qui hanc ob caussam sponte Papiam venerat, magnam Mediolani occupandi opportunitatem, & quàm id etiam neapolitanæ expeditioni vtile foret demonstrantes, repugnabant. Mediolano enim capto, nullam Cæsarianis auxiliorum ex Germania accipiendorum spem relinqui; dum verò hic aditus pateret, ne magnus aliquis exercitus ex ea parte erumperet, qui Lautrechium in periculum conijceret, aut à neapolitano bello remoueret, semper esse metuendum: is autem sibi, sui atque Angliæ regis à quibus potissimum pontificis in libertatem vindicandi caussa missus fuisset iussu, necessariò progrediendum respondit: cuius consilij caussa fuisse creditur metus, ne Veneti vbi Mediolano capto se Cæsaris potentiæ periculo liberatos existimantes, in auxilijs ad neapolitanum bellum submininistrandis negligentes essent futuri; & fortasse non minus quod rex Franciscum Sfortiam eo imperio non prorsus potiri rebus suis vtile fore censeret: vt quum ipse semper eius imperij Cæsari relinquendi facultatem haberet, facilius compositione de qua assiduè apud Cæsarem, Galli, Angli, & Veneti oratores agebant, filios recuperare suos posset. In hoc autem negotio com plures difficultates oriebantur: Cæsar enim Franciscì Sfortiæ caussam iure dijudicari, dumque ea sub iudice esset toto Insubriæ imperio ipse potiri volebat: quo tamen cunque modo caderet res, se id sibi non vindicaturum pollicebatur: ac vt Veneti reliquum ex ducentis ducatorum millibus quæ Archiduci Vormacienſis compositionis vi debebant, ei soluerent petebat: quod Venetus orator si Archidux quoque promissa præstaret, & loca quæ debebat restitueret, minimè recusabat. Petebat quoque vt exulibus suis quemadmodum aliàs pactum fuerat, aut centum aureorum numûm millia restituerent, aut quinque millia quotannis penderent: Ipsi quod ex fœdere debebant soluerent, fœdusque instaurarent: Pontificiæ sedi Rauennam restituerent, & omnibus quæ in Insubria possiderent cederent: A Florentinis verò ob sumptus factos & detrimenta ob fidem ab ipsis non seruatam accepta triginta aureorum numûm millia petebat: vt Galliæ rex Anglo quatuor millia auri pondo pro se solueret, annuebat: in reliqua verò sexdecim millia obsides petebat: Duodecim Galliæ regis triremes suæ in Italiam profectionis comites volebat: equitatum & peditatum remittebat: & statim vbi pax esset confecta omnes Gallicæ copiæ ex Italia discederent; quod rex antequam filios recuperasset facere recusabat: quas petitiones quum Alexandrina & Papiensis amissio mitigatura crederetur, eum, qui difficultatibus minimè cedere soleret, pertinaciorem reddidit: ita vt quum XV Octobris die pontificius Auditor, ex Anglia vt eius regis nomine pontificè dimitti instaret, ad eum veniſſet, se per Franciscanum Generalem ei negotio prospexisse; & quod ad pacem attineret, nec gratia nec vi leges prius à se propositas immutaturum respondit.

Sed

Sed profectò Cæsar pacem minimè cupere animaduertebatur: multa enim eum contra hostium potentiam audaciorem reddebant: nam se exercitus sui virtute, & oppidorum propugnandorum facilitate eos in Italia sustinere; & semper paruo labore pedestres copias ex Germania recentes euocari posse sperabat: Galliæ regem & Venetos diuturnis sumptibus exhaustos esse; eorum apparatus vt in fœderibus fieri solet, intercisos atque diminutos videbat: cumque bellum ob militum rapinas, longè minore sumptu quàm hostes sustineret, se satis pecuniarum ex Hispania exigere posse censebat: ac fœderatos quidē aliqua arte disiungi & negligentiores fieri posse confidebat: ac denique multum sibi de maxima sua felicitate multorum annorum experientia comprobata, sibique iam inde à puero multis prædictionib. prænuntiata promittebat. Interea verò Lautrechius, vt nauales copiæ ad Siciliam, aut regnum neapolitanum oppugnandum destinatæ progrederentur vrgebat: ex quibus Veneta cuius apparatus neque terra neque mari fœderi responderent, Corciræ erat: & sedecim triremes se Andreæ Auriæ qui in Liguriæ ora Rentium Ceritem pedestribus copijs in ea expeditione præfectū expectabat, adiungere debebant. Lautrechius deinde quadringentos cataphractos, & tria peditum millia in Galliam remisit, & cum Venetis quibus vt Rauennam pontificum collegio restituerent suadebat: ac Mediolanensium duce, vt eorum quæ parta erant tueri possent, copias suas cum quibus erat Ianus Fregosius & Calatiæ comes Landriani, qui vicus duo millia passuum Mediolano distat, in castris valde munitis retinerent; ob illarum enim propinquitatem cum milites qui Mediolani erant excurrere non possent, Papia, Modoetia, Abiate, Marinianum, Binascum, Vigeuanum & Alexandria facilè tueri posse censebantur, conuenit: ipse his rebus constitutis, cum mille & quingentis Heluetijs, totidem Germanis, & sex partim Gallorum partim Vasconum millibus, decimaoctaua Octobris Padum è regione Ioannis fani, Germanos pedites quorum exigua pars ad eam vsque diem aduenerat, & alteram eiusdem gentis peditum legionem quā Galliæ rex Heluetiorum, qui ferè omnes dilapsi erant loco conscriptum miserat, expectandi consilio traiecit: quo ex loco Petrum Nauarrum cum Aquitanis atq; Italis peditibus trans Padum, vt Abiate opem ferret remittere fuit coactus: ad quod oppidū à Mediolanensiū duce custoditum oppugnandū Leua malè munitū esse audiēs, XXVIII Octobris cum quatuor peditum millibus & septem tormētis iuerat: eoq; altero die obsidione capto sese vt in Laumellinam ad Vigeuenum & Nouariam recuperandam iret, accingebat: Sed Nauarri cum maioribus copijs aduentu cognito Mediolanum redijt: quamobrem Nauarro facilè fuit Abiate quā deinde Franciscus Sfortia meliori præsidio muniuit, recuperare. Lautrechius discessum iam artificiosè procrastinare apertè cernebatur: & quamuis se Germanorum peditum expectatione quorum tandem partem duxerat Valdemontius, cæteri expectabantur, retentum fuisse diceret, & de Venetorum tenuibus apparatibus passim quereretur, tamen quòd pecunia è Gallia non mitteretur, in caussa fuisse suspicio erat: sed verior validiorq; caussa erat, quod rex pacem, quæ cum Cæsare iam pressius tractabatur sperans, ei vt hac caussa dissimulata lentè progrederetur mandarat: ex quo factum erat vt rex in Germanis pro sua rata portione Heluetiorū loco conscribendis aut ijs qui prius cum Valdemontio destinati fuerant persoluendis minimè promptus fuisset. cum igitur has siue necessarias siue fictas ob caussas Lautrechius Placentiæ hæreret, copias verò inter Parmam & Placentiam haberet, difficultates quæ prius cum Ferrariensium duce erant sunt sublatæ: nam quum Lautrechius statim vbi in Italiam venit, vt sese fœderi adiungeret vehementer apud eum institisset, idque dux hinc ob affinitatem sibi cum Galliæ rege propositam cuperet; illinc Gallorum virtuti diffideret, & ne rex tandem filiorum caussa cum Cæsare componeret veritus, ab eo deterreretur: Lautrechij autem minas metuens, vt ea negotia Ferrariæ tractarentur, quòd tanti sibi momenti res ipsemet tractare vellet, petierat. Itaque sociorum omnium legati Ferrariam se contulerunt: & Cardinalium qui Parmæ conuenerant nomine, Cibous Cardinalis: vbi tandem dux Lautrechij progressu motus, Georgio, atque Andreæ Burgio, militiæ præfectis, qui magno ab ipso honore accepti Ferariæ erant, se necessariò ad id cogi probare conatus, tandem pactus est: sed eiusmodi legibus, quæ aut ipsius in negotijs industriam, nec frustra negotiū coram se tractari voluisse; aut ma-

gnam in alijs,vt eum in fœdus pertraherent cupiditatem oſtenderent; leges autem hæ fuerunt, vt per ſex menſes ſingulis menſibus ſex decemúe aureorum numûm millia, quod regi definiendum, qui poſt ſex millia definiuit, permitteretur, penderet: & Lautrechio centum grauis armaturæ equites ſuis ſumptibus daret: & viciſſim fœderati tum ad ipſiusmet, tum eius regni patrocinium ſeſe obligarunt: Cotiniolam, quã Veneti paulo antè ex Hiſpanorum manibus eripuerant, pro veteri & ferè deſerta Adriæ vrbe quam ipſe vehementer petebat ei daturos vt ædes quas Venetijs & Florentiæ antea habebat, ipſi reſtituerentur effecturos: Nouij arcem quam tunc obſidebat, Mantuano agro finitimam contra Albertum Pium occupare permiſſuros: etſi Cæſariani filio ſuo in Mediolanenſis archiepiſcopatus fructibus percipiendis impedimento eſſent, tantundem perſoluturos. Cibous verò Cardinalis ceterorum Cardinalium qui id à Collegio comprobarum iri pollicebatur nomine, pontificem ad Ferrarienſis imperij poſſeſſionem denuo confirmandam, diplomaq; renouandum, Mutinæ emptionis à Maximiliano factę viuribus cedendum: ſalis obligationes tollendas: eius patrocinium à ſocijs ſuſceptum ratũ habendum, ſacroſanctę ſedis monumentis ipſi & ſucceſſoribus omnia quæ poſſidebat, vti poſſideret, relinquendum: filium in pontificũ collegium cooptandum, eiq; Mutinenſem epiſcopatum, Rangonij Cardinalis obitu vacantem conferendũ, obſtrinxit: quo etiã fœdere Renatæ Ludouici regis filiæ, cum Hercule ducis maximo natu filio matrimoniũ eſt contractum: eiq; Carnutum ducatus dotis nomine vnà cum alijs honeſtis conditionibus datus. Mantuanus quoq; Marchio Lautrechio id poſtulante, etſi prius Cæſaris ſtipendia mereret, fœderi ſe adiunxit. Hoc autem tempore ſociorum exercitus, admodum debilitatus multos dies inter Fulginum, Montefalcum & Beuaniam otioſus hæſit. Vbi Vrbinatium dux coniugem & filium Venetijs cuſtodiri certior factus, contra Senatus mandatum equorum celeritate ad cauſſam dicendam profectus, eos liberatos eſſe, & Senatum cui ſatisfactum eſſet, vt non vlterius progrederetur cupere, nuntijs in itinere acceptis, ad exercitum redijt: in quo nec Heluetijs nec Salutij peditibus ſtipendia erãt perſoluta; & Veneti neq; illic neq; in Gallia Ciſalpina vbi nouem peditum millia habere debebant, tertiam partem habebant. Poſt in Todienſiũ & circumiectos fines, ſe contulerunt: & Hiſpani in fine Nouẽbris prope Cornetũ & Tuſcanellam erant; Germani verò Romæ; ad quos Aurangius, Senis, quò eius ciuitatis ſtatus conſtituendi gratia fruſtra profectus nõ diu hæſit, redierat. Neq; vlli dubium eſt, quin ſi Cæſarianus exercitus progreſſus eſſet, Vrbinas & Salutius cũ exercitu ſe ad Florentiæ mœnia, etſi ſæpe vt eis profectionem in Hetruriam impedirent, aut Oruieti & Viterbij, aut in Senenſium finibus Cluſij & Sartiani caſtra locaturos iactanter dicerẽt, recepturi fuerint. Sed Lautrechius, etſi Germanorum cohortes aduenieſſent, ob pacis expectationẽ eadẽ cunctatione progrediens, Parmæ conſtiterat; & quãuis Parmæ & Placentię arces in ipſius poteſtate eſſent, ac circiter quingenta auri põdo ex vtraq; ciuitate & agro exegiſſet, nõ modò illas in poteſtate ſua retinere, verũ vt & Bononia ex regis autoritate penderet, eius ciuitatis primatum in Pepulã familiã transferre velle credebatur: quæ cõſilia libertas põtificiæ ſtituta irrita reddidit; ad quod etſi Cęſar initio, quia poſt eius captiuitatis nuntium vltra menſem prius quã aliquid de eo conſtitueret dubius hæſerat, nõ facilè flecti videretur, tamen Lautrechij in Italiam profectione, & Angliæ regis ad bellum ardore cognito, Frãciſcanorũ ſodaliũ Hetæriarcham, & Verũ Miliacenſem cũ mandatis hac de re ad prorogem in Italiã miſerat: ſed quũ Lanoius eo tẽpore quo Hetæriarcha venit, Caietę ex hac vita migraſſet, negotium id cũ Vgone Moncada tractare fuit neceſſe: ad quem etiam poteſtas à Cæſare data pertinebat: quemq; prorex ſibi, donec Cæſar ſucceſſorem daret, legatum ſubſtituerat: cumq; Hetęriarcha mãdata cum eo cõmunicaſſet, vnà cum Miliacẽ ſe, qui cũ ijſdem mandatis ex Hiſpania venerat, Romam petijt. Duo erant ſumma in hoc negotio capita, alterum vt pontifex exercitui cui ingẽs pecuniæ vis debebatur ſatisfaceret: alterũ verò quod ad Cæſaris cautionem pertinebat, ne pontifex in libertatẽ reſtitutus ipſius hoſtibus adhæreret: in hoc autem duræ obſidum, & ciuitatũ pignoris nomine tradendarum leges proponebantur. Has ob cauſſas res diu eſt agitata; quã vt faciliorẽ redderet pontifex, crebris nuntijs, ſed occultò, Lautrechium ad progrediendum inciterauerat, & ſubinde incitabat: ſeque nihil Cæſarianis niſi coactum promiſſurum aiebat: idcirco

idcirco vbi è custodia euasisset,& in tutum locum se contulisset,quod quidem quã minima fieri posset eis opportunitate permissa, esset conaturus, ea minime seruaturum: quodsi tamen componeret, vt calamitatum suarum misericordia & necessitas se excusarent, rogabat. Quæ dum tractarentur,obsides,Germanis id molestissimè ferentibus, atq; indignantibus,sub Nouembris finem clam Roma aufugerunt. Longa fuit hac de re disceptatio,cum neq; ij in quorum potestate id erat in eadem essent sententia:Vgo enim etsi Serenonium suum ab epistolis ministrum vnà cum alijs Romam misisset,ob naturæ peruersitatem,& quòd animo esset à pontifice alienus,ei rei parum studebat: Heteriarcha cõtrà purpurei galeri cupiditate,id summopere expetebat. Miliacẽsis verò,ei rei vt Cæsari periculosæ repugnabat:cũq; resistere non posset,se Neapolim contulit;cuius impietatis pœnas citò dedit:primis enim eius vrbis obsidionis diebus,in quadã velitatione sclopi glande percussus occubuit.Nec verò pontifex sibi ipse deerat:nãq; Hieronymum Moronum cuius consilium apud Cæsarianos omnibus in rebus magni ponderis erat, Mutinensi episcopatu eius filio tradito , & frumento quodam quod Corneti habebat,plus duodecim aureorũ numûm millibus æstimatum ipsi promisso,in suã sententiam traxit: nec minore industria Columnam cardinalem Piceni legatione ei promissa, &quum Romam profectus ipsum in arce inuisit,se illi potissimum tantũ beneficiũ acceptum referre velle ostendens; eiusq; auribus ipsum nullam maiorem gloriam felicitatemúe, quã vt cunctis mortalibus notum fieret in ipsius potestate esse,& pontifices deprimere,& eosdem funditus euersos pristinæ amplitudini restituere exoptare posse artificiosè instillans,sibi propitium reddidit:quibus rebus Cardinalis ille natura elatissimus,ac ventosissimus commotus,pontifici liberato tot iniuriarum obliuisci,tam facilè, quã captiuo,libertatem suam demississimis precibus ac lacrymis ipsi commendare fore ratus,eius libertatem alacriter procurauit. Difficultates aliqua ex parte leuarunt noua Cæsaris mandata:is enim pontificem quã maximè fieri posset lenissimè dimitti, modò liberatus non magis fœderatis quã ipsi studeret,sibi satis esse testatus, vrgebat. Sed nihil magis profuisse creditur quàm eius exercitus ob Lautrechij aduentus metum in regnũ neapolitanum ducendi necessitas: quod, nisi prius militi obstipendia quæ debebantur, quorum loco tantam prædam ac tantum quæstum eodem tempore factũ admittere recusabant,cautio daretur,fieri non poterat: hæc eadem rei numariæ difficultas in caussa fuit, vt minus de fide pontificis in posterum sibi obstringenda cogitarint.tandem igitur vltima die octobris,post multam agitationem Romæ concordia cũ Hetæriarcha & Serenonio Vgonis,qui pòst ratum habuit,nomine in hunc modum est contracta : vt pontifex Cæsari in Mediolanensibus & neapolitanis rebus ne aduersaretur: pecuniam in Hispania sacri belli caussa collectam, quã Cruciatam vocant, & sacrorum vectigalium in omnibus ipsius regnis decumas Cæsari concederet:fidei suæ pignora pontifex,Ostiam & Ciuitatem veterem iam antè ab Andrea Auria relictas Cæsaris potestati permitteret: eidemq; Ciuitatem castellanam traderet, in quam cum Marius Perusc̃us fisci procurator,occultissimo pontificis,etsi contrarium simularet,mandato,eius arcem esset ingressus, Cæsarianos admittere recusarat: Foroliuiensem arcem pariter eidẽ traderet: & Hippolytum Alexandrumq; nepotes suos obsides daret; dum verò illi Parma venirent, Pisanum,Triultium,& Gaddium Cardinales, quos in regnum Neapolitanum duxerunt; Germanis statim sexaginta & septem, Hispanis triginta quinque millia aureorum illico persolueret, ea lege vt ipsum cum omnibus Cardinalibus dimitterent: ipse verò Roma & arce exiret,atq; vbi Oruietum, Spoletum, aut Perusiam incolumis peruenisset, liberaretur; & quindecim diebus postquã Roma discessisset , tantundem pecuniæ Germanis persolueret , reliquum verò deinde quod cum prima pecunia,trium millium & quingentorum auri pondo summam excedebat, Germanis & Hispanis pro rata portione intra menses tres repræsentaret:quæ vt facere posset pontifex , quo se è carcere liberaret, ad ea remedia decurrit,ad quæ ne custodię traderetur,confugere noluerat,nimirum,vt Cardinales pecunia crearet: nam aliquot tanto honore indignos precio creauit: in reliquam summã decumas in regno Neapolitano,& ecclesiæ bona abalienandi facultatem concessit; ita vt Christi vicario concedente (tam profunda sunt diuina iudicia) ea quæ diuino cultui erant consecrata, ad hæreticorum vsum & alimenta conuerterentur:

quibus rationib. quum solutionē suis temporis constabiliuisset & confirmasset, Cesiū & Vrsinū Cardinales, quo magis militib. cautū esset, obsides dedit: qui à Cardinali Colū-na Grottaferratā ducti fuerunt. Cumq; omnia transacta essent, constitutumq; vt nona die Decembris Hispani ipsum in tutum locum deducerent, ipse, ob infestum in se, vt ex ploratum habebat, Vgonis animum, & quamuis aliā ob caussam quæ impedimēto esse posset, aliquam mutationem metuens; prioris noctis initio, clam mercatoris more in-dutus arce egressus, à Ludouico Gonzaga Cæsaris milite, qui ipsum in Pratis cū magna sclopetariorum cohorte expectabat, Montesiasconem vsq; deductus fuit: vbi peditatu ferè omni dimisso, Ludouicus ipse, eum Oruietum quā ciuitatem noctu sine vllo Cardi nalium comitatu est ingressus, deduxit: est aūt hoc exemplum certè memorabile, & cui simile fortasse nunquam ab eo tempore quo ecclesia potentiam est adepta, fuit: vt ponti fex de tantæ potentiæ & venerationis deiectus gradu, Roma amissa, & omni imperio in hostium potestatē redacto, in carcere custodiretur: idēq; paucorum mēsium spacio, in li bertatē, & amissum imperium restitutus, breuissimo tempore in pristinam amplitudinē potentiamq; rediret: tanta est pontificatus apud Christianos principes maiestas, atque apud omnes veneratio. Quo tempore Leua post Lautrechij Placentia discessum, Hispa nos & Italos pedites Mediolano, vt sese alerent, minus munita regionis loca recupera-rent, & vt commeatus Mediolanum cōuehendi viam aperirent emisit: qui eam agri par-tem quæ Sepri dicitur occuparunt: misit & Philippū Torniellū cū mille ac ducentis pedi tibus & aliquot equitibus Nouariā: in qua vrbe erant quadringenti Mediolanenūū du-cis pedites: Torniellus per arcem quæ semper Cæsaris nomine tenebatur est ingressus: & tenui inuento in vrbe præsidio est potitus; militibusq; spoliatis ac domū remissis, vt circumiectā regionem excursionib. infestaret, Nouariæ mansit. Germanorū pediū pars Aronā, ceteri Mortariā se contulerant: quibus cū dux alios pedites vt Laumelinā & cir-cumpositam regionē tuerentur adiunxisset, Torniello latè admodū excurrere minimè liberū erat: ita vt cum ea hyeme nihil præter crebras velitationes fieret, omnes amicis pariter & hostibus diripiendis intenti, regionem omnem ad extremum excidiū vastita temq; perduxerunt. Hoc ipso etiam tempore Andreæ Auriæ classis, & quatuordecim Gallorum atque sedecim Venetorum triremes Ligurni conuenerant; & Rentio Cerite cum tribus peditum millibus, quos in cōtinentem possent exponere, in naues accepto, XIII Nouembris Ligurno soluerunt. & quamuis antea vt Siciliam inuaderent decretū fuisset, Andreæ Auriæ, qui fortasse iam noua consilia in pectore voluebat, vt creditur, co hortationibus, consilio mutato, in Sardiniam iter direxerūt. Lautrechius Sardinia capta longè facilius Siciliā occupari posse sperans, hoc cōsilium cōprobauit. Quæcūq; tandē caussa fuerit, classis in mari aduersa tempestate agitata, & disiuncta, huc atq; illuc, quo tēpestas cunq; ferret, vagabatur: gallica triremis vna, ppe Sardiniæ littora est submersa; quatuor Venetę valde cōcussę Ligurnū redierūt: gallicę reliquę ventorū impetu in Cor sicam actæ: vbi postea in Portu veteri quatuor Venetæ se illis cōiunxerunt: reliquæ octo Ligurnum sunt transportatæ: deniq; Auria & Cerite valde inter se diffidentib. ea expedi tio irrita fuit. Lautrechius cum Regij esset libertatis pōtifici restitutæ nuntiū accepit; id-circo Parmensi arce pontificijs ministris restituta, se Bononiam cōtulit: quā in vrbe po-stremas Germanorū cohortes opperiens, consedit: qui etsi pòst paucos dies numero nō sex vt decretum fuerat, sed tria tantū millia in Bononiensem agrū pòst venissent, tamen quod de postrema Galliæ regis in pacis negocio sententia nuntium expectaret, viginti dies Bononiæ mansit: interea verò diligentissimè Angliæ regis etiā autoritate interposi-ta pōtifici vt apertè socijs adhæreret instabat: qui cū primò Oruietum peruenit, & Vrbi ni dux, Salutius atq; Federicus Bozolus, qui post paucos dies Todij morbo sublatus est, & Ludouicus Pisanus, Veneti exercitus legatus, ad eum gratulatū venissent, vt copias suas extra pontificij imperij fines ducerēt, Cæsarianos se, si fœderatorum exercitus hoc faceret idem facturos sibi promisisse asserens, vehementissimè ab eis contenderat. Ad Lautrechium quoq; epistolā scripserat, qua ei ob ea quæ sui in libertatē vindicandi gra-tia fecerat, quodq; se vt quauis ratione libertatem consequi niteretur esset hortatus, gra tias agebat; eiusq; operam tanti ad Cæsarianos vt id decernerent cogendos fuisse mo-menti, vt libertatē suā non minus regi & ipsi, quā si eam ipsorum armis esset cōsequutus,

acceptam

acceptam referret: aiebatq; ipsorũ progressus se libenter expectaturũ fuisse, nisi dũ necessitas aliud suasisset: indies enim duriores sibi leges propositas fuisse, & se nõ alia quã compositionis ratione libertatem consequi posse cõpertum habuisse: quæ quanto magis differebatur, tanto magis ecclesiæ autoritas dignitasq; conculcabatur: sed præcipuè eò impulsum fuisse, q; speraret se idoneũ instrumentum fore, qui cũ suo rege atq; alijs principib. Christianis cõmune bonum procuraret. Hæc fuerunt primò eius verba candida & sincera, qualia pontificem, & eum præsertim, qui tam grauiter & acerbè à Deo monitus fuisset, decere videbantur: sed tamen quũ ingenium suũ antiquum retineret, neq; in carcere artes cupiditatesúe suas deposuisset; quum anno MDXXVIII iam ineunte ho- 1528
mines à Lautrechio missi, & Gregorius Casalius Angliæ regis orator, vt eum ad fœdus cum ceteris ineundum hortarentur ad eum venissent; varia responsa dare, nunc spem facere, nunc excusans, quod cum nec pecuniam, nec militem, nec autoritatem haberet si se patefaceret ipsis inutile, sibi verò quod Cæsarianis sui multis in locis lædendi caussam præberet, detrimento futurum: nunc se si Lautrechius progrederetur, ei satisfacturum innuere cœpit: id enim vt Germani, qui eius miseræ vrbis & totius circumiectæ regionis reliquias absumentes, & præfectorum obedientia prorsus abiecta, sæpe inter se tumultuantes discedere renuebant, alias pecunias alia stipendia postulabant, Roma discedere cogerentur vehementer cupiebat. Sed in superioris anni fine, & multo magis eiusdẽ anni initio, pacis consilia quibus principum animi lõgè magis sunt irritati manifestè irrita apparere cœperunt: omnibus enim ceteris controuersijs, quum Cæsar Insubriæ imperium Francisco Sfortiæ restituere, & cum Venetis, Florentinis, ceterisq; fœderatis concordare nõ recusaret compositis; solũ vtrum prius faciendum esset, Gallicus ne exercitus extra Italiam ducẽdus, an regi filij restituẽdi quærebatur. Rex nisi filijs receptis exercitũ extra Italiam ducere abnuebat: sed obsides se in receptis filijs exercitũ illico ex Italia deduceret, Anglo daturum, & pœnas constitutas persoluturũ pollicebatur. Cæsar verò cõtrà, easdem cautiones se Angliæ regi daturum spondebat: cũ autem vter alteri fidere æquius esset quæreretur, Cæsar se ei à quo semel deceptus erat, fidem hibere nõ posse aiebat: ad quod Galli oratores, quo magis ipse se à Galliæ rege deceptũ existimaret, eo minus regem ipsi fidere posse: & quòd Cæsar se easdem cautiones Angliæ regi quas Galliæ rex offerebat daturum diceret, eam conditionem cum caussa dispar esset, minimè parem esse; id enim quod Cæsar promitteret longè maius esse quàm quod Galliæ rex; eamq; ob caussam easdem cautiones non satis idoneas esse respõderunt: & ad extremum addiderunt, Angliæ regis oratores qui regis sui vt à Galliæ rege promissa præstari curaret obstringendi potestatem habebant, contrà pro ijs quæ Cæsar promitteret, nullum mandatum habere; cumq; mandata illorum & facultate & tempore definita essent, se neq; excedere neq; expectare posse. cuius controuersiæ dirimendæ ratio nulla inueniebatur: quoniam in Cæsare non idem quod in ipsius Senatu pacis studium vigebat: se enim etiam Neapoli amisso, filiorum restitutione id recuperare posse sperabat: Cancellario autem, qui multo antè in Hispaniam redierat, pacis negotij cauillationibus & malitiosis interpretationib. turbati culpa tribuebatur. Tandem Galli & Angli oratores, regũ suorum mandata secuti, nimirũ vt desperata pace, discedendi facultatem à Cæsare peterent, moxq; bellũ ei indici iuberent, die XXI Ianuarij, Venetorum, Mediolanensis & Florentinorũ oratorib. sequentib. coram Cęsare, qui tunc Burgi agebat, iuerunt: vbi Angli oratores quadringenta quinquaginta millia aureorũ numũm à rege suo ipsi mutuo data, sexcẽta millia multę nomine, in quã ob filiã ipsius repudiatã inciderat, & quingenta millia Galliæ regis pensionũ caussa & alijs rebus, ab eo postularũt: quibus rebus vt iustiorẽ caussam habere viderẽtur propositis, oẽs sociorũ oratores abeundi facultatẽ petierunt: quibus se quid´nã ipsis esset respondendũ deliberaturũ, verũ vt & sui oratores anteq; ipsi discederẽt, tuto in loco essent oportere respõdit: legatis aũt ab ipso digressis, statim Gallię & Angliæ regũ feciales ingressi, ei bellũ indixerunt: quo nũtio hilari frõte accepto, Gallię regis, Venetorũ & Florentinorũ legatos, in vicũ quendã triginta milliaria procul ab aula duci iussit; vbi sagittariorũ & securigerorũ adhibita custodia, eis cõmerciũ omne interdictũ, & scribẽdi facultas adẽpta: Mediolanẽsium ducis oratori tanquam homini suo, ne ab aula discederet mãdari iussit: Anglo nihil noui factum

est. Sic pacis negotio penitus turbato, solæ belli cogitationes accensæ manserunt; quod totum in Italiam & translatum, & constabilitum est: vbi Lautrechius à rege suo & multo magis ab Anglo incitatus, vbi pacis spes deficere cœpit, nona Ianuarij die Bononia, regnum neapolitanum versus per Aemiliam, Flaminiam & Picenum contendens castra mouit: quod iter ipse post multam deliberationem, contra pontificis voluntatem qui ipsius transitus occasione Fabium Petrucium & Nouios Senas reduci cupiebat; & contra Florentinorum desiderium, qui vt is exercitus, si Cæsariani vt eos ab incœpto reuocarent Hetruriam inuaderent, ad opem ipsis ferendam paratior esset, eum vt id iter arriperet rogabant, elegit: voluit autem Lautrechius potius per Truentanam viam regni neapolitani fines ingredi, quod illud iter ad tormenta vehenda commodius esset, & cõmeatu magis abundaret, & ne hostibus Senis aut alio in loco occurrendi occasionẽ daret: cupiebat enim prius quã vllum impedimentum haberet, in illud se regnum insinuare. Sed vbi Bononia castra mouit, Ioannes Saxatellus Imolæ arcem, quã dum pontifex captiuus esset occuparat, pontifici restituit: & vbi prope Ariminum venit, Sigismundus Malatesta Pandulfi filius, se eam ciuitatem pontifici daturum promisit, ea lege, vt matrẽ dote sua frui permitteret, sorori nondum nuptæ sex aureorum numũm millia, & patri atq; ipsi simul duo millia quotannis assignaret: Sigismundus statim Arimino discederet & pater eius tandiu donec pontifex ea comprobasset, in ciuitate maneret: interea verò arx in Guidi Rangonij ipsius affinis, qui à Gallis conductus Lautrechiũ in bello sequabatur, potestate esset; verùm pontifice ea confirmare cunctante, Sigismundus iterum arcem occupauit, non sine graui pontificis in Guidum Rangonium querimonia, quasi ipse id tacitè permisisset; nec sine Lautrechij & Venetorum consensus suspicione, quasi ipsum in perpetuis difficultatibus versari cuperent; Veneti quidem Rauennæ caussa, ad quam ab eo senatu repetendam quum pontifex simulac ex arce est dimissus, Sipontinũ archiepiscopum misisset, commune responsum, quo se ad ea quæ Gaspar Contarenus legatus ad ipsum designatus expositurus esset referebant, retulit: nam etsi primò se eam pontificiæ sedis nomine retinere dixissent, tamen tum publicis tum priuatis de caussis ab ea restituenda prorsus erant alieni: quòd ea ciuitas ad Venetum imperium augendũ valdè esset opportuna, & per se frumento abundans: & ob vicini agri fertilitatem, magnã eius copiam singulis annis Venetias conuehẽdi opportunitatem subministraret: & quia multi Veneti ampla prædia in eo agro habebant. De Lautrechij autem animo ideo dubitabat, quia cum Lautrechius, præterquã quod antea sæpius idem petierat, postquam Bononia discesserat, Valdemontium totius Germanici peditatus ducem, cum Longauilla à rege ad id misso vt se Cæsaris hostem profiteretur vehementissimè cohortandũ misisset, quãuis præsertim exercitu appropinquante tutò id facere posset, id tamen impetrare non potuerat: non quidem pontifice id expressè denegante, sed procrastinante, atque excusante: quã ob caussam Galliæ regi se id facturum obtulerat, modò ipsi Rauennam Veneti restituerent: quã quidem conditionem irritam fore sciebat, quòd Veneti regis suasionibus id facturi non essent: neq; tempus vt ipse quo pontifici satisfaceret, eorum in se odium prouocaret postulabat. His accedebat, quòd neq; Lautrechij petitionem, vt pacem cum Ferrarienſium duce initam confirmaret, admittebat: aiebat enim rẽ valde iniquam esse, vt quæ dum mortuus esset suo nomine acta essent, viuus comprobaret: verùm se cum eo conuenire minimè recusare. Quamobrem Ferrarienſium dux occasione hinc arrepta, etsi à Galliæ rege & Venetis in fidem esset acceptus, in centum cataphractis Lautrechio & pecunia promissa, vt qui de rerum exitu ambigens, nõ ita Galliæ regi adhærere, vt sibi quouis euentu Cæsaris apud quem necessitatem excusarat, animi placandi locum nullum relinqueret, niteretur, se difficilem præbebat: semper Georgium Fronsbergium, & Andream Burgium Ferrariæ fouebat. Lautrechius tamen cum exercitu procedebat: cum quo decima die Februarij ad Truentum amnem, qui pontificium imperium à regno neapolitano diuidit, peruenit. In Gallia verò, rex legati sui captiuitate audita, Cæsaris legatum in Lutetianam arcem quæ Castelletum vocatur conijci iussit; & per totam Galliam mercatores Cæsari subiectos, retineri mandauit: idẽ quoque quod ad Cæsaris oratorem attinebat fecit Angliæ rex: sed post, suum captũ non esse certior factus, eum dimisit. Cumq; iam bellum in Gallia, Anglia & Hispania esset promulgatum,

mulgatum, Galliæ rex vt in Flandria ab vtroq; belli initium fieret vrgebat: quod vt ipſe auſpicaretur, nonnullos milites ſuos in Flandriam excurrere, & prædari iuſſerat: nec tamen Flandri motum vllum niſi iniuriæ propulſandæ cauſſa faciebant; quoniam Margarita quæ quantum poterat belli cum Galliæ rege gerendi occaſiones extinguere nitebatur, homines ſuos extra regionis ſuæ fines excurrere non patiebatur. Sed Anglo cum Flandris bellum gerere moleſtiſſimum erat: nam etſi quædam oppida à Cæſare prius ob pecuniam mutuo acceptam pignoris nomine ipſi promiſſa ſi caperentur, ei tradenda eſſent, tamen & vectigalibus ſuis, & regno, mercatorum ſuorum in ea prouincia commercia impedire magnum detrimentum adferebat: ſed quum fœderis vi recuſare non poſſet, quantum poterat differebat: ſibiq; ex fœdere vt mercatoribus ſeſe recipiendi tẽpus concederet, quadraginta dierum poſt bellum indictum ſpacium cõcedi aiebat: qua eius voluntate & cauſſa cognita Galliæ rex cum eo egit, de Hiſpaniæ oris naualibus copijs, & Flandria infeſtandis: in quibus ſe conſcios habere affirmabat. Quæ res tandẽ effecerunt, vt quum Angliæ rex Vintonienſem epiſcopum in Galliam miſiſſet, qui transalpina bella relinquenda, & vires ac bellum in Italia augendum perſuaderet, eius cõſilio & cohortationibus conſtitutum ſit, vt per octo proximos menſes Galli, Angli & Flandri cum alijs circumiectis locis Cæſaris imperio ſubiectis à mutuis iniurijs abſtinerent: ad quod vt Galliæ regem facilius flecteret, Anglus ſe ſingulis menſibus in Italicum bellũ, cuius ſex menſes in quos antea pecuniam promiſerat iam erant exacti, triginta aureorũ numũm millia daturum promiſit. At, quo magis belli apparatus quotidie augebantur, eo magis odia inter principes exardeſcebant; ita vt quauis occaſione ſe mutuis conuicijs inceſſerent; nec minus animis & æmulatione quàm armis pugnarent. Nam quũ Cęſar ante duos annos Granatæ eſſet, ac de eadem pace inter Galliæ regem & ipſum ageretur, quædam verba Gratianopolitano præſidi Galliæ regis apud ſe oratori, quibus ſe libenter ne ob ipſorum controuerſias Chriſtiani populi & tot mortales iniuſtè plecterentur, eas ſingulari cum illo certamine dirempturũ innuebat, dixiſſet; eademq; verba feciali cum poſtremo ipſi bellum indixit, regem turpiter egiſſe, & fidem datam fregiſſe addens iteraſſet: Galliæ rex his auditis, ſeq; ea ſine ſuo dedecore ſilentio præterire non poſſe ratus, etſi id magis turmales equites, quã principes deceret, XXVII Martij, omnib. principibus, legatis, & aulicis in ampliſſimũ quoddam regiæ ſuæ Lutetianæ cœnaculũ conuocatis; ipſe pretioſiſſimis veſtibus ornatus, cum ornatiſſimo comitatu eò venit; & in regia ſede collocatus, Cæſaris oratorem, qui, quia vt Baionam ductus eodem tempore quo fœderatorum oratores qui hanc ob cauſſam Baionam ducebãtur dimiſſi eſſent, dimitterẽtur decretum fuerat, vt id quã primum fieret petebat, aduocari iuſſit: & deinde ita loquutus cum illo eſt, vt ſe excuſaret, diceretq; Cæſarem potiſſimum qui nouo & inhumano exemplo ſuos ſociorumque ſuorum oratores retinuiſſet, vt & ipſe retineretur cauſſam præbuiſſe; cum verò nuncipſe Baionam vt omnes eodem tempore dimitterentur eſſet iturus, cupere ſe vt epiſtolam ſuam quandam ad Cęſarem perferret; atque eiuſmodi verba nuntiaret: videlicet, Cæſarem in eo quòd feciali ſuo ſe ipſi fidem non ſeruaſſe dixiſſet, falſum dixiſſe; quotieſq; id diceret, toties ipſum mentiri, ac reſponſi loco quo citius hæ controuerſiæ dirimerentur, locum in quo ambo conſertis manib. pugnarent, ſibi indicaret: cum verò legatus literas ferre, & ea verba nuntiare recuſaret, ſe idẽ ei per fecialem ſignificaturum reſpondit: & cum ipſum etiam aliqua in Angliæ regis fratris ſui contumeliam iactaſſe ſciret, ſe quòd regem illum ad dignitatem ſuam tuendam idoneum eſſe noſſet, de eo non agere; ſed tamen ſi is corporis aduerſa valetudine forte impediretur, ad vitam ſuam eius cauſſa periculo obijciendam paratum fore addidit. Idẽ & Angliæ rex poſt paucos dies, eodem ritu & pompa fecit: quæ quidem haud magno cũ honore ſine Chriſtianorum principum fiebant: quod cum tam grauibus & tam vniuerſę chriſtianæ reip. perniciosis inter ſe bellis eſſent implicati, animum ad huiuſmodi cogitationes quoque intenderent, tamen in tanto belli & armorum ardore Angliæ rex ab amatorijs curis minimè arcebatur: quæ ſenſim pectus ipſius furore complẽtes, tandem immanitatem, horrendaq; & inaudita ſcelera, cum maxima æternaq; ipſius nominis infamia pepererunt: nam quum quòd ſe ſacroſanctę ſedis obſeruantiſſimum oſtendiſſet, & quòd librum ſuo nomine contra Martinum Lutherum conſcribi curaſſet, à Leone

decimo fidei defensoris nomen adeptus, post christianæ religionis impij oppugnatoris & hostis nomen appellationemq; est consequutus. Habebat Angliæ rex vxorem Catharinam Ferdinandi & Isabellæ olim Hispaniæ regum filiam, reginam certè ijs parentibus dignam, & quæ ob virtutes atq; prudentiam suam summopere ab vniuersis eius regni populis amabatur & colebatur: hæc Eduardo Henrici patre viuo Arcturo ipsius primogenito filio nupserat; sed cum non diu cum eo fuisset, viri morte vidua relicta, communi patris & soceri consensu, tantæ affinitatis à Iulio pontifice laxato vinculo, Henrico alteri fratri connubio iuncta fuit: ex quo matrimonio cum vnicus masculus filius qui immaturo præreptus fato est, eis natus esset, nulli præterea liberi præter vnicam filiam nati sunt: quæ res multis in regia domo ipsis quod connubium cõtra leges esset, & eiusmodi, vtpote in primo affinitatis gradu, vt solui non posset, prodigio quodam masculam prolem ereptam esse carpendi occasionem dedit: qua ex re, & ex prolis desiderio quo regem ardere sciebat arrepta occasione, Eboracensis Cardinalis, regi, vt priore vxore repudiata, quæ iure vxor non esset, aliud matrimonium contraheret persuadere cœpit: ad quod non religione aut vt rex mares filios haberet cupiditate per se mouebatur, verùm quòd se regem ad Renatam Ludouici regis filiam, quod summopere expetebat, impellere posse speraret: nam quum se toti regno inuisum esse animaduerteret, ad omnia ea quæ & rege viuo & defuncto accidere possent, sibi adiumenta comparare cupiebat; ad id etiam magno in Cæsarem odio, qui neq; signis neq; factis incredibili ipsius ambitioni satisfaceret, incitatus: neq; ob magnam autoritatem qua rex & ipse apud pontificem pollebant, quin diuortij iure faciendi facultatem ab illo essent impetraturi dubitabat. Rex non ad eum finem quem Eboracensis cogitabat, spectans, huic consilio aures accommodauit; sed, vt multi dixerunt, non tam prolis suscipiendæ desiderio, quã quòd puellam quandam ex reginæ pediseq̃uis humili loco natam deperiret, ad quam sibi cõnubio iungendam cum id neq; Eboracensi, neque alijs notum esset, animum inclinauerat: quod cum aut patefieri aut coniecturis perspici cœpit, Eboracẽsis diuortij ei dissuadendi facultatem non habuit: neq; enim si ei quod ipse suaserat, dissuasisset, autoritatem habuisset; & iam rex diuinarum atq; humanarum legum peritorum, ac religiosorum sententijs rogatis, siue illi in ea sententia essent, siue id vt quemadmodum apud mortales moris est principi gratificarentur, dixissent, matrimonium cum fratris vxore, nullã vim habere responsum à multis acceperat. Quamobrem simulatque pontifex è custodia emissus fuit, legatos ad eum misit, qui eum vt se fœderi adiungeret hortarẽtur, atque vt ipsi pontifici videretur, de Rauenna restituenda operam suam interponeret; sed præcipue vt diuortij faciendi facultatem impetrarent: quæ res non priuilegio, sed vt matrimonium cum Catharina irritum esse declararet petebatur: existimabat autem rex pontificem, propterea quòd viribus se atq; existimatione infirmum cerneret, neq; aliorũ principum potentia fulciretur, & recenti in eum, quòd ipsius libertatem tanto studio procurasset beneficio quoq; motum, facilè consensurum; cum præsertim Eboracensem, quòd semper eius & primò Leonis rebus fauisset, plurimum apud eum posse sciret: & ne pontifex metum, ob iniuriam quæ in Cæsarem Catharinæ sororis filium redundaret, excusare posset, atque vt eum hoc munere alliceret, stipẽdia in quatuor millia militum, quibus ad sui custodiam vteretur, daturum obtulit. Pontifex hanc petitionem audiuit: & quamuis rei magnitudinem, & maximam ignominiam quæ inde ad se peruenire posset videret, tamen cum Orulieti & integer adhuc inter Cæsarem & Galliæ regẽ esset, ac parum vtriq; fideret, ideoq; Angliæ regis amicitiã magni faceret, huic petitioni repugnare non est ausus: quin se regi obsequendi cupidum ostendens, sed rationibus quæ proponebãtur difficultatibus interpositis protrahens, regis ac ministrorum ipsius spem atque importunitatem accendit; quę multorum malorum origo, indies crescebat. At pontifex Valdemontio & Longauilla auditis, eisq; communibus responsis datis, Pistoriensem episcopum vnà cum Longauillam ad regem misit, vt ei sui declarationem, cum pecunia, viribus & autoritate careret, socijs nihil profuturam ostenderet, vna in pace tractanda ipsi prodesse posse: idcirco se ad Cæsarem vt eum seueritate verborum ad id hortaretur, eundi mandatum habere diceret: rex autem etsi pontificem à partibus immunẽ esse non ægrè ferret, tamen ne eum ad alia tractanda mitteret veritus, vt iret non permi-

sit:

sit: neq; etiam Cæsar de Pontifice si neutri studeret parti, querebatur. Sed cum Lautrechius progrederetur, & vt classis idem faceret esset constitutum, multa se huic rei opponebant: quoniam duodecim Venetæ triremes, quæ prius Ligurnum se receperant, quũ in Sardinienſi expeditione, tum à maris molestijs, tum à commeatus penuria multum passæ essent, x Februarij die Ligurno, vt in Corciram ad sese reparandas irent, soluerũt: quamuis Veneti se illarum loco alias duodecim quæ se cum Gallicis cõiungerent missuros pollicerentur, quæ & ipsę multis difficultatibus, tum ex aduersa tempestate, tum ex controuersijs inter Auriam & Ceritem ortis, conflictabãtur: quarum controuersiarum caussa etsi Rentius Pisis æger substitisset, vt Auria qui cum omnibus triremibus Ligurnum appulerat, cum suis Neapolim peteret; Rentius verò cum ceteris Gallicis, quatuor Frabernardini, & quatuor Venetorum quæ omnes simul erant, Siciliam inuaderent agebatur: sed Auria cum suis octo nauibus longis, & totidem ex Galliæ regis classe, quod & naualibus socijs, & sibi quiete opus esse diceret, siue ea esset vera caussa, siue quòd Genuæ res iam animum ipsius ad noua consilia flecterent, se Genuam contulit: nam quum Genuenses vt suo iure viuere liceret à rege petijssent; eamque ob causam ei ducenta millia aureorum numûm obtulissent; idque rex eis denegasset, Auriæ harum petitionum autori vel saltem hortatori, Siciliam à rege nisi libertate Genuensibus concessa occupari minimè gratum esse credebatur: & aliam quoque controuersiæ caussam diuulgabat; nempe quòd cum rex Sauonam, à Genuensibus tanquam membrum à corpore seiunxisset, timebatur, ne breui tempore ob regis fauorem & situs opportunitatem, maxima mercium & negotiorum parte Sauonam conuersa, & regijs classibus eò se recipientibus, ibidem regijs nauibus constructis, Genua incolarum frequentia & diuitijs spoliaretur: eamque ob caussam Auria, vt Sauona quemadmodum antea fuerat Genuensibus subijceretur, vehementer apud regem instabat. Lautrechij verò res maiore quàm maritimæ felicitate vtebantur: qui vbi Asculum peruenit, Nauarrum cum suo peditatu Aquilam versus cum iam ad eius aduentus famam Ieramum, & Iulianoua deditionem feciſſent, misit: hunc Laconissæ via Salutius cum copijs suis sequebatur; & post hunc centum & quinquaginta expediti equites cum Florentinorum nigris militibus quater millibus Oratio Ballione duce. Veneti quoque se ei quadringentos expeditos equites & quatuor millia peditum ex ijs copijs quas in Latio habebant sine Vrbinate missuros receperunt: & pro alijs copijs quibus eum ad neapolitanum bellum iuuare debebant, viginti tria aureorum numûm millia in singulos menses, seque cum classe ad Sicilienſem expeditionem triginta sex naues in mari habituros asserebant: & nihilominus in sumptibus valde parci erant, ita vt manifestò eos iam bello fessos esse, vt & Galliæ regem, appareret: Lautrechio enim hoc tempore nuntium allatum est, centum & triginta millia Solatorum sibi à rege cum ex Gallia discederet, in singulos menses ad bellum gerendum decreta; ex quibus circiter ducenta millia excipere debebat, solummodo ad sexaginta millia in singulos menses, idque in tres modò sequentes redacta fuisse: quamobrem in valde magnum angorem inciderat; & regem neque æquitate, neq; fide, neq; memoria, ac proprij detrimenti exemplo commoueri querebatur: nam pecunias & vires quibus ipse ad Insubriæ defensionem vti debebat, à rege in Fonterabienſem expeditionem conuersas, vt illud imperium amitteret in caussa fuisse aiebat. Aquilæ expeditio feliciter succeſſit: quoniam vbi Nauarrus castra admouit, Melfitanus princeps discessit: & eius ciuitatis episcopus Montorij comitis filius Galliæ regis nomine est ingressus. Venetorum Germani milites Ciuitellam paruum, sed munitum oppidum, septem millia passuum vltra Truentum positum, ducentos Hispanos sclopetarios qui eo contendebant anteuertentes, deditione ceperunt. Aquilæ exemplum omnes Aprutij populi sunt sequuti, & regnum vniuersum breui idem feciſſet, nisi Cęsarianus exercitus Roma esset egressus: qui post multas difficultates & tumultus ex eo ortos, quòd milites in totũ tempus post pontificem dimissum stipendia peterẽt, XVII Februarij Roma discessit; qui dies post tam diuturnas populi Ro. miserias lætissimus illuxisset, nisi statim post illorum discessum, Farfensis abbas & cæteri Vrsini, cum oppidorum suorum colonis, qui per multos dies Vrbẽ maximis cladibus affecerunt, essent ingressi. Roma ab exercitu nõ modò

magna incolarum parte,tot domibus direptis atque euersis, verũ etiam ſtatuis, columnis,ſingularib.lapidibus & multis antiquitatis ornamentis ſpoliata fuit relicta: & nihilominus quum Germani, niſi binis ſtipendijs acceptis (nam Hiſpani ſine alia pecunia diſceſſerant) abire nollent,pontifex Romam tandem liberari cupiens, viginti ducatorũ millia eis ſoluere fuit coactus, quod duorum Cardinalium qui obſides erant liberandorum colore fecit:alia item viginti millia populi Romani nomine ijdem Germani acceperunt,quæ pontificem quoque perſoluiſſe opinio fuit; verũ ſub eo nomine ne Lautrechio querendi cauſſam præberet; qui nihilo ſecius grauiſſimè expoſtulauit, quòd pontifex ſua pecunia vt exercitus Roma diſcederet,cauſſam præbuiſſet:qua ex re victoria certiſſima,dubijs belli euẽtibus ſubijceretur.Roma vt fama eſt, mille & quingenti equites, quatuor Hiſpanorum,duo triaúe Italorum, & quinque Germanorum millia (tantũ numerum peſtilentia abſumpſerat) prodierunt. Cæſariani exercitus Roma diſceſſus,Lautrechium,qui alioqui rectà Neapolim contendiſſet,longius per Apuliam ſecundũ mare iter tenere coëgit;idq; quòd tormenta ſi in illis locis montanis hoſtes obuios habuiſſet,difficulter trahi poſſent, & multo magis vt commeatum ſi forte ad Neapolis mœnia victoriæ curſum ſiſtere cogeretur, compararet; idcirco Theate ciuitatem, Aprutij citerioris (quoniam Piſcaria fluuius Aprutium citerius ab vlteriore diuidit) caput petijt, in qua regione Sermona & multa alia oppida ſe illi dediderant: idq; ſiue gallici nominis ſtudio,ſiue Hiſpanorum odio,tanto ardore,vt ferè omnia oppida cum exercitus viginti quinque aut triginta millia paſſuum abeſſet deditionem facerent. Sed tamen quo firmius tutiusq; procederet,non ea qua potuiſſet celeritate vtebatur:& vt Apuliæ vectigalia ex quibus octuaginta millia aureorum numûm percipiuntur,quę in quinque oppidis ſunt per totum Martium menſem, certius exigeret, Nauarrum cum ſuo peditatu eò miſſurus credebatur: ob cuius morоſitatẽ cum eam ferre Lautrechius cogeretur, haud magna diſciplina in exercitu erat, ſed cum Vaſtio caſtra mouiſſet, hoſtilis exercitus cui ſe Melfianus princeps cum mille Germanis ex ijs quos Carolus Lanoius ſecum ex Hiſpania duxerat,& duobus Italorum qui Aquila egreſſi erant millibus adiunxerat, partẽ, Luceriã quadraginta millia paſſuũ,pcul à Thermulis, hodie Termini, mare verſus,& alterã partem Campobaſſum triginta milliaribus à Terminis remotum in ea ipſa via quæ Neapolim ducit ſitum,veniſſe certior factus:Nauarro cum ſuo peditatu præmiſſo, ipſe vltimo Februarij die Serrate decem & octo milliaria à Terminis procul ſitum petijt; vnde quarta Martij die ad Sanſeuerum peruenit: Nauarrus autem vlterius progreſſus, vno die Luceriam,altero Foggiam eſt ingreſſus;ita vt cum ipſe per vnam portam ingrederetur,Hiſpani qui ſe Troiam,Barletam & Manfredoniam receperant,per alteram ingredi conarentur;quæ res ad exercitus commeatum valde profuit. Erant cum Lautrechio ad ſummum quadringenti cataphracti & duodecim peditum millia;ijq; non admodum ſelecti, ſed ei adiungi debebant Salutius qui omnibus præibat, Venetorum copiæ, & Florentinorum nigra legio, à Lautrechio valde expetita; quia quum eum peditatũ ad oppugnationes dexteritate corporis & audacia,omnes pedites qui tunc in Italia eſſent ſuperare fama eſſet,ipſius exercitui,in quo erant milites ad pugnã firmi &ſtabiles inſtar condimenti erant. Sed à Nauarro quem ipſe ad ſitum explorandum miſerat, Troiæ & circa quinque Germanorum millia, totidem Hiſpanorum, & tria millia & quingentos Italos eſſe certior factus; cumq; ob ingens frigus in campis morari non poſſent,Lautrechius octauo die Martij cum omni peditatu & expedito equitatu Luceriam petijt; & Salutium qui tunc primũ venerat, cum graui equitatu & mille peditibus Foggiæ collocauit:ſeque ſi occaſio daretur, cum alias ob cauſſas,tum quòd cum ſibi à rege decreta pecunia eſſet imminuta belli ſumptus diu ferre non poſſet,prælium committere velle aſſerebat: atque in Sanſeuero legatos & alios minimè ad bellum aptos paruo cum preſidio reliquit:ſic enim ſibi tutus eſſe,neque ad prælium niſi commodo ſuo cogi poſſe videbatur:neque ei commeatus deerat, quamuis molitis cibarijs indigerent: deinde XII die Martij in campos ad tertium vltra Luceriam lapidem, quinque ab Troia milliarib.prodijt:quoniam Luceria & Barleta cum duodecim millia paſſus inter ſe diſtent, non vltra octo à Troia abſunt: & Cæſariani qui copias omnes quæ Manfredoniæ & Barletæ erãt ſimul collegerant, quiq; Troiæ commeatu abundabant,ſed Germanis exceptis,ſtipendijs

dijs carebant; ad velitandum prodierunt; & sequenti die sine tormentis extra Troiam munito in loco in ipso vrbis colle sunt metati: Lautrechius verò eum collem XIIII die ex superiori parte quæ ad meridiem vergit montem versus circuiuit; & fronte Troiam versus conuersa ascendere cœpit; & colle acri velitatione occupato, castra in superiore parte collocauit: eosque tormentorum fulminibus retrocedere coëgit; atque illorum castris partim in vrbe, partim in ipso dorso occupauit: ita vt Troia & Cæsarianus exercitus inter Gallicum exercitum ac Sanseuerum relinqueretur: quæ res ne auxilia Neapoli acciperent, impedimento erat: magnaque ex parte commeatum importari prohibebat: quamuis illi quod impedimentis, atque inutilibus hominibus exonerati haud multo sanè commeatu opus haberent, & vicissim ab ipsis commeatus qui à Sanseuero in Gallorum castra ferretur impediebatur, & Sanseuerum in metu continebant: quod copiarum suarum parte Gallis ignorantibus oppugnare poterant. Itaque exercitus in hunc modum castra habentibus, nempe Gallis vltra Troiam ad montem, citra verò Cæsarianis, Luceriam versus, supra ciuitatem in cliuo valde munito: cumque pleraque circumiecta loca in Gallorum potestate essent, sic ad decimam nonam diem vsque constitere: interea tamen frequenter bellicum noctu canentes; & quotidie velitantes: itaque accidit vt Martius Columna caperetur: ac sæpenumero commeatus ex Sanseuero & Foggia in Gallorum castra vectus interciperetur: quam ob caussam Galli nonnihil incommodi senserunt; nec sine magno præsidio conuehi poterat. Quo tempore cum inter Cæsarianos duces quid agendum esset deliberaretur, Vastius propterea quòd Gallicus exercitus quotidie cresceret, ipsorum verò minueretur, prælium committendum censuit: sed maiorem obtinuit autoritatem Alarconis consilium, qui maiorem victoriæ spem si cunctando propugnationi operam darent, quàm si fortunam periclitarentur ostendebat. Itaque decima nona die Cæsariani quòd ab hostilibus tormentis læderentur, Troiam se receperunt: sed castris pòst contra tormenta munitis, mitiore tempestate in castra, asperiore Troiam redibant. vigesima prima die in ipso diluculo castra montem versus, Arrianum non paruo diei itinere mouerunt, vbi contra id quod Galli, qui quòd itinera quibus commeatus vehi posset obsedissent, sibi frustra victoriam promiserant, antea opinati erant, magna commeatus copia est inuenta. Opinio erat, eos aut vt Gallos in locum aliquem in quo commeatus penuria laborarent pertraherent, inde castra mouisse; aut quòd nigram legionem sequenti die in illorum castris expectari audiuissent: quæ legio quum veniret ex itinere Aquilam diuertens, nulla iniuria affecta aut prouocata; sed sola prædæ cupiditate, eam ciuitatem nefariè diripuerat. die vigesima secunda, Lautrechius Leoniſſæ ad Ofantum fluuium, à Latinis Aufidum dictum, sex millia passuum ab Asculo castra locauit: & nigram legionem, atq; Nauarrum cum suo peditatu & duobus curulibus tormentis ad Melfiæ oppugnationem misit: vbi quum exiguum muri spacium dirutum esset, Vascones mœnia subiere: & nigra legio maiore impetu contra ducum imperium idem fecit: & vtrisque certatim gentium æmulatione conscendere adnixi sclopis à lateribus petiti, cum multorum Vasconum & circiter sexaginta ex nigræ legionis militibus cæde repulsi fuere; eodemque vespere cum post mœnia iterum verberata, aliam oppugnationem essent aggressi, alteram superiori ferè parem cladem accepere: ea verò nocte alia tormenta à Lautrechio missa; quibus cum sequenti die duobus in locis murum satis latè aperuissent, rustici quorum haud pauci in oppido erant timore perculsi, tumultuari cœperunt: cuius metu milites qui circiter sexcenti erant, propugnationem deseruerunt: quapropter exercitus ingressus, rusticos omnes & ciues interfecit: milites cum principe in arcem se receperunt; & paulo post, vt Galli dixerunt, sese arbitrio illorum dediderunt; quamuis ipsi vitam excipi censerent: seruatus fuit princeps cum paucis ex suis, reliqui omnes interfecti; ciuitas direpta; & tria millia hominum cæsa: qua in ciuitate maximo Gallorum commodo, qui sua negligentia in Apulia eorum quibus ea regio maximè abundat, summa penuria laborabant, magna commeatus copia est inuenta. Die vigesima quarta, Hispani Arriano castra mouerunt, & ad Tripaldam vigintiquinque à Neapoli milliaribus in recta via, & quadraginta ab Ofanto, sunt metati, quibus se prorex,

Salernitanus princeps, & Fabricius Maramaldus cum tribus peditum millibus & duodecim tormentis adiunxere: & Alarco cum duobus peditum millibus ad vectigalia propugnanda Neapoli egressurus dicebatur. Lautrechius tamen ad Ofantum vt magnam commeatus copiam compararet hærebat; & omnes eius copiæ inter Asculum, & Malfiam castra habebant: post Malfiæ verò expugnationem, Barleta, Tranium, & reliqua circumiecta oppida, Manfredonia in qua erant mille pedites excepta, se dederant. ex eo autem loco Nauarrum cum quatuor peditum millibus ad Venusiæ arcem à ducentis & quinquaginta Hispanis peditibus fortiter defensam expugnandam misit: quam ille libera ad arbitrium suum deditione obtinuit: & ducibus retentis, ceteros inermes dimisit; resque ita composuerat, vt ipsius nomine Apuliæ vectigalia quæ tamen belli causa, vix ad dimidium eius quod percipi solebat, ascendebant, exigerentur. In hæc castra venit Pisanus Venetus legatus cum Venetorum copijs, quæ circiter duo millia peditum erant: quamobrem Lautrechius, vt tutam haberet commeatus conuectionem, operam dabat: quod quidem facilius potuit, postquam Venetorum militum opera Asculum in potestate sua habuit. Quo tempore secundis rebus elatus, pontificem audacibus verbis vt se socium profiteretur vrgebat: is autem etsi Viterbienses primo Octauiani Spiritus opera, præfectum à se missum admittere noluissent, nihilominus cum illi postea metu cessissent, se Viterbium transtulerat: cumque eodem tempore Vespasianus Columna mortem obijsset; isque vt Isabella vnica ipsius fillia Hippolyto Medici nuberet moriens mandasset, Pontifex omnia castella quæ ipse in Latio habuerat, quamuis Ascanius Prosperi Columnæ, posteris maribus omnibus extinctis, ea ad se spectare diceret, occupauit. Per eos dies Monopolis Venetis deditionem fecit, quibus ex fœdere postremo cum Galliæ rege percusso, omnes ij regni neapolitani portus, quæ ante cladem ipsis in Giaradadda à Ludouico rege illatam tenebant occupati acquirebantur. Hæ igitur Gallorum secundæ res Ferrarienses ducem ad filium in Galliam vt matrimonium perficeret, quod prius vel socialis belli imperium recusans, artificiosè distulerat mittendum impulerunt. Cæsar autem Hispaniæ copijs transmissis tantis regni neapolitani periculis minimè prospiciens; inde enim sexcentos tantùm pedites nec eos admodum vtiles in Siciliam misit, vtque ex Germania noui delectus qui in Italiam Brunsuicensi præfecto vt ei regno opem ferrent transirent haberi mandarat: qui tanto maiore diligentia colligebantur, quanto magis ob Lautrechij progressus auxilio opus esse audiebatur: ad quorum aduentum ne victoriæ spem turbarent, impediendum, communi Galliæ regis, Angli & Venetorum consensu decretum est, vt ad Germanos si in regnum neapolitanum contenderent persequendos, si minus ad bellum Venetorum & Francisci Sfortiæ copijs coniunctis in Insubria gerendum, in Italiam transiret Franciscus sancti Pauli regulus ex Borbonia familia, cum quadringentis cataphractis, quingentis leuis armaturæ equitibus, quinque Gallorum, duobus Heluetiorum & totidem Germanorum peditum millibus: cuius exercitus alendi gratia sexaginta millia in singulos menses, ex quibus Anglus triginta millia penderet, decreta fuerant: & Veneti Senatus consulto vt decem peditum millia conscriberentur constituerant. Quo tempore Mediolanum ob Antonij Leuæ acerbitatem, extrema angustia & miseranda seruitute premebatur: nam vt in militem stipendia extorqueret, omnem ciuitatis annonam ipse occuparat, ex qua publicis tabernis nomine suo constitutis, omnes, ni fame perire vellent, victum eo pretio quo ipsi libitum esset, emere cogerentur: quod cum pauperes facere non possent, multi & domi & foris in publicis locis misere peribant: cumque ne hæc quidem pecunia Germanis, qui per domos distributi erant satis esset, hospitibus suis quotidie nouas mulctas imponebant; atque eos qui soluendo non erant, catenis vinctos retinebant: & quia multi vt has calamitates atque intoleranda onera vitarent, edictorum acerbitate & custodiarum diligentia contemptis, extra ciuitatem aufugerant: absentium bona proscribebantur, quorum tantus erat numerus, vt scribendi molestiæ vitandæ gratia, hæ proscriptiones typis excuderentur: nobiles tamen viri in vrbe manebant fordidati, inculti & egentissimi, loca publica ciuitatis quondam maxima mortalium frequentia

quentia, vrticis, vepribusque horrebant: & nihilominus tantorum malorum ac scelerum autori, omnia feliciter cedebant : nam cum Mussius cum sexcentis peditibus vt fœderatorum miles Leucum obsideret, & ne Hispani qui Comi erant per Lacum obsessis auxiliari possent, naues cepisset; Antonius Leua peditatu è Nouaria accersito, Mediolano egressus, quindecim millia passuum ab vrbe cum Germanis est metatus, atque Olginatis arce in Abduæ ripa, quam prius Mussij præfectus ceperat; expugnata, Philippum Torniellum cum Italico & Hispano peditatu, vt Leuci quod in altera Lacus ripa est, obsessis opem ferret misit : vbi Mussius Venetorum ac Mediolanensium ducis auxilijs accitis, tormentisque à Venetis acceptis, aditus omnes, qui ob locorum ac montium asperitatem difficiles sunt, occuparat, ac munierat. Sed Cæsariani, oppositio monte qui Leuco imminet occupato, vbi frustra pluribus in locis transire sunt conati, tandem eum locum quem Veneti milites, quos Mussius siue quod minus illorum virtuti fideret, siue vt eos minori periculo obijceret, asperioribus in locis collocarat, custodiebant, expugnarunt : quare Mussius nauibus cum tormentis & suis militibus conscensis milites seruauit : non sine suspicione Venetos vt Mediolanensium duci cui Leucum ab ipso occupari non placebat, rem gratam facerent, eum locum leuiter propugnasse : & paulo post, vt quod armis consequi non potuerat, pace adipiscereturad Cæsarianos transiens, Leucum & alia loca ab Antonio Leua pactionis vi, Hieronymo Morono quoque qui literis suis huius consilij autor fuerat, iura sua concedente, obtinuit. Qua ex re Leua in summa annonæ caritate, commeatu & pecunia est adiutus: quoniam Mussius qui altiora spectans, post Marchionis nomen sibi vindicauit, trecentas auri libras soluit, & tria millia modiorum tritici Mediolanum misit. Lautrechius interea Neapolim versus progrediens, tertia die Aprilis ad Roccam Manardam venit: quinquaginta cataphractis, ducentis expeditis equitibus, & circiter duobus peditum millibus, qui milites omnes Venetorum erant, ad Apuliæ, in qua nihil præter Manfredoniam in Cæsaris potestate erat, custodiam relictis. Cæsarianus verò exercitus, omni circumiecta regione deserta, Neapolis tantùm & Caietæ propugnationi operam dare statuit : & vt hostibus commeatum adimeret, Nola direpta, ac commeatu qui Capuæ erat Neapolim aduecto, in Sanmartini monte castra locauit, & inde post cum decem partim Germanorum partim Hispanorum peditum millibus Italis omnibus præter sexcentos qui sub Fabritio Maramaldo militabant, dimissis, quoniam Sarra Columna cum suo peditatu in Aprutium contenderat, Neapolim est ingressus. Neapoli paucissimi incolæ manserunt : omnes enim qui aut opibus aut dignitate præstabant se in Ischiam, Capreas, aut in alias vicinas Insulas contulerant: frumenti in ciuitate paulo plus quàm in duorum mensium victum esse dicebatur, carnium verò & pabuli parum. Lautrechius Capuam, Nolam, Acerram, Auersam, & omnia circumposita oppida deditione cepit : qui quatuor dies ad Acerræ abbatiam septem millia passum à Neapoli sitam castra habuit : paulatim enim progressus erat & progrediebatur, vt commeatum qui viarum difficultate, atque imbrium quibus campi redundabant, copia, impediebatur, cuius illi ingens copia erat necessaria expectaret: quoniã fama erat in ipsius exercitu, huius tempestatis militię corruptela, vltra viginti equorum, & octuaginta hominum millia esse, quorum vix tertia pars vtilis erat: & inde Simonem Romanum cum centum & quinquaginta expeditis equitibus, & quingentis Corsis sine stipendijs, qui ex Cæsarianis castris ad eum transierant, ad Calabriæ expeditionem misit. Etiam Philippinus Auria cum octo Andreæ triremibus & duabus nauibus ad neapolitanum litus profectus, nauem frumento onustam ceperat, & tormentis Cæsarianos à Magdalenæ fano recedere coëgerat : & quamuis paulo post duas alias frumentarias naues ceperit, hostibusque multa incommoda attulerit, tamen eius triremes ad neapolitanum portum penitus obsidendum minimè erant pares. Ideo Lautrechius vt sedecim Venetorum triremes se illis adiungerent vrgebat: quæ postquam Corcyræ lente refectæ fuerant, in Tranij portum venerant : sed ille tametsi iam Tranium & Monopolis sese ipsis dedidissent, propria commoda alienis anteferentes, etsi ex neapolitana victoria omnia penderent, vt prius Pulinianum, Hydrun-

tum & Brundusium caperent cunctabantur. Die decima septima Aprilis Lautrechius Cauiani ad quintum à Neapoli lapidem est metatus : & eodem die Cæsariani, qui leui equitatu abundabant, se industria & diligentia Gallorum negligentiam superare ostendentes, commeatus cuius penuria laborabant copiam eis ademerunt: & vt Gallis Neapolim ex superiore loco tormentis infestandi facultatem adimerent, ac quia dum eo monte potirentur, Gallos à maxima ciuitatis parte arcebant, Hermetis fanum in Martini montis vertice positum munierunt: Gallis verò aliquam dissidij inter hostes spem fecit, quòd Vastius priuatis tamen de caussis, Potentiæ comitem vulnerarat, eiusque filium interfecerat. Gallicus exercitus vigesima prima die Casoriam ad tertium ab vrbe lapidem in Auersanam viam venit : quo die ante vrbis mœnia excursionibus est dimicatum, & Miliacensis is qui pontificis libertatem, cuius ipsemet mandatum à Cæsare tulerat acerrimè oppugnarat, interfectus. Vicesima secunda die sesquimilliare ab vrbe castra locauit : vbi Lautrechius leuia prælia tanquam inutilia interdixit : & iam Puteolani se illi dediderant. Tandem penultima die Aprilis castris vrbi admotis inter Poggium regale magnificentissimam domum, ab Alfonso Secundo Aragonio cum tantum Calabriæ dux esset ædificatam, & Martini montem, est metatus: ita vt milites ad quingentis modò passibus ab vrbe abessent : ipse verò vltra Poggium regale ad Montisalti ducis villam progressus est: quem locum munierat, castris Capuanam viam versus dilatatis, loco admodum natura munito, ex quo Neapolis aquæductuum qui ex Poggio regali proficiscuntur opportunitate priuari poterat: inde verò castra vlterius in eo colle qui sub Hermetis monte est, quo magis Neapolim opportunis rebus priuaret, & vrbem ex propinquiore loco infestaret, promouere in animo habebat: quæ vt melius intelligantur, Neapolitanæ vrbis & circumiectæ regionis situs necessariò describendus videtur.

Neapolis descriptio desideratur.

DECIMIOCTAVI LIBRI FINIS.

FRAN-

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER DECIMVSNONVS.

Neapolis à Gallis obsessa: inter Cæsarianos & Gallos naualis pugna: Vastius marchio, Ascanius Columna, Salernitanus princeps & alij duces capiuntur: Papia à Cæsarianis expugnatur: Cæsariani Laudam obsident: Andreas Auria à Galliæ rege ad Cæsarem transit: Cæsarianorum de Gallis ad Neapolim victoria: Genua ab Auria capitur: Papiá à fœderatis obsidetur, & expugnatur: Genuenses Sauonam obsident & capiunt: noua Genuensis reip. ab Auria in libertatem redactæ forma: Res in Apulia gestæ: varij Insubriæ motus. Pontificis cum Cæsare pactio Barcinonæ facta: pax inter Cæsarem & Galliæ regem Cameraci contracta; & Margaritæ Cæsaris filiæ cum Alexandro pontificis nepote connubium: Cæsaris in Italiam aduentus: Papia iterum à Cæsarianis expugnatur: belli à pontifice & Cæsare cõtra Florentinos gesti initium: Cæsaris cum pontifice colloquium Bononiæ habitum; eiusdemq; cum Venetis & Francisco Sfortia pax.

LAVTRECHIO ad Neapolis mœnia castra metato, prima omnium deliberatio fuit, an ea vrbs tormentorũ impetu & militum virtute, quemadmodum multi vt in hunc finem peditum numerus augeretur suadentes proponebant, esset tentanda: cuius sententiæ autores multa incommoda, quorum caussa diu illic manere diutius non possent, adducebant: nempe cõmeatus penuriam, quoniam hostes expedito equitatu maximè abundantes, & ad excursiones prompti, eum intercipiebant; spem quoque de Neapoli esse incertã; nam quum Auriæ naues fame ad deditionem cogenda, & ad portum penitùs obsidendũ impares essent, neq; Venetorum classis quamuis quotidie promissa compareret, quatuor naues longæ molitis cibarijs onustæ Caieta Neapolim, vbi eorum penuria laborabatur venerant: nec illæ solùm, sed & quotidie alia nauigia in portum sese immittebãt: Frigidos Venetorum apparatus; qui quod vicena bina ducatorum millia in singulos menses promiserant, tandiu nihil soluerant, vt sexaginta millia deberent: pecuniam ex Gallia parcè subministrari: exercitum iam morbis tentari: qui tamen non tam ex graui eius cœli affectione quæ sub æstatis finem nocere solet, quàm ex pluuia tempestate, cum etiam multi milites in campis versarentur manabant: nihilominus Lautrechius montis ciuitatisúe expugnationem, in tanta propugnatorum multitudine atque virtute, præsertim monte cui auxilium ferri posset munito, valde difficilem fore animaduertens; cum etiam pecuniam parua spe fortasse ne sibi posthea in necessarijs sumptibus deesset metuens consumere nollet, hostibus breui aut commeatum aut pecuniam defuturam sperans, non expugnationi, verùm obsidioni operam dare statuit. Itaque animum & apparatus omnes ad obsidionem conuertit totus in id, vt commeatum terrestri itinere importari prohiberet intentus, & Venetæ classis aduentum vrgeret, vt eis à mari quoq; commeatum adimeret. Hic igitur consilio mutato, ne milites in otio animum amitterent, velitationes permisit: quamobrem crebræ, & quidem magna cũ nigræ legionis laude fiebant: quæ Ioannis Medicis disciplina in eo pugnandi genere excellens, nondum quantum acie instructa in stataria & campestri pugna valeret ostenderat. Hoc ipso tempore octuaginta Mantuani, & centum Ferrarienses grauis armaturæ equites in castra venerunt: qui etsi à Galliæ rege & Venetis magnificè in fide esset acceptus, tamen vt ex ijs quæ de futuro belli euentu coniectura assequi posset cõsilium caperet, quantum potuerat temporis in eis mittendis interposuerat. In hoc rerum statu Cæsariani aliquam Philippini Auriæ, qui cum sua classe in Salernitano sinu erat fran-

gendi ſpem non tam nauium ſuarum numero aut robore quàm militũ virtute freti conceperunt: nam ſex triremibus Myoparonibus quatuor, phaſelis duobus, mille Hiſpanos ſclopetarios ex omnibus fortiſſimos laudatiſſimosq; impoſuerunt: cũm his Vgo Moncada qui prorege Neapoli erat, atq; omnes fermè duces atque alicuius autoritatis viri. Huic claſſi quæ Gobbi in maritimis rebus veterani & magni nominis ducis conſilio gubernabatur, multas piſcatorias naues, vt hoſtes à longè plurium nauiũ proſpectu terrerent addiderunt; & ſic Pauſilypo ſoluentes ad Capreas inſulam contenderunt: vbi Vgo magno huius expeditionis detrimento, in Hiſpano quodam ex ijs qui religionis cauſſa ſolitudinem incolunt, qui concionando animos ipſorum ad pugnam, vt eius gentis gloria tot victorijs parta poſtularet accendebat, audiendo tempus contriuit. Hinc poſtea Mineruæ promontorio ad ſiniſtram relicto, & in altum progreſſi, duas triremes cum eiuſmodi mandato, vt prope hoſtes accedentes, deinde quo eos in altum ad pugnã elicerent fugam ſimularent promiſerunt. Sed Philippinus, cum pridie per idoneos exploratores hoſtium conſilium cognouiſſet, ſumma celeritate à Lautrechio vt ſtatim trecentos ſclopetarios ad ſe mitteret, petierat: qui Crochio duce paulo antè quã hoſtilis claſſis conſpiceretur recepti fuerant: quæ vbi à longe eſt cõſpecta, Philippinus, etſi magno animo omnia ad pugnam neceſſaria comparaſſet, tamẽ magno conſpectarum nauium numero commotus valde dubius hæſit: ſed mox vbi propius hoſtes acceſſiſſent, ſex tantùm roſtratas naues adeſſe cernens, hoc metu eſt liberatus: quare forti animo vt naualis belli peritiſſimus, tres triremes fugæ ſpecie à reliquis ſuis vt circuitu capto ſecundo vento in hoſtiles naues à latere, & puppi adorirentur, recedere iuſſit: ipſe cum quinque in hoſtem inuehitur: qui ſua tormenta diſplodere debebant, vt fumo excitato ipſi certior ictus ac viſus eriperetur: ſed Philippinus ingens triremis ſuæ tormentum quod Baſiliſcum appellabat, diſploſit: cuius pila prætoriam nauim in qua Vgo erat petens, quadraginta viros primo ictu, & in his nauis præfectum, cum multis naualibus miniſtris interfecit: alijsque mox tormentis diſploſis multos præterea ſuſtulit ac vulnerauit: viciſſim verò, tormenta ex Vgonis naui librata, Philippini nauis præfectum interfecerunt ac nauclerum vulnerarunt: deinde cominus concurrentes, ſcloppis & alijs telis rem acriter gerebant: ſed Ligures in his pugnis exercitati, intra circumſeptas aſſeribus ſpondas proclinati, cautè per earum ſcalmorum interualla decertantes pericula vitabant: ſic dum hæ duæ triremes ſumma ferocitate ac terrore ſimul pugnarent, tres aliæ Cæſarianæ, duas Ligures oppugnabant, & iam longè ſuperiores erant: quum tres illæ Ligures quæ primò fugam ſimulantes altum petierant, in hoſtes ſuo flexu conuerſæ in prætoriæ latus ſunt inuectæ: ex quibus illa quæ Neptunia vocabatur, malo ſuo conuulſo, magnam cladem accepit. Hic Vgo vulnere in brachio accepto, & dum ſuos hortaretur, lapidibus ac piceis ignibus ex hoſtilium nauium ſummis malis coniectis obrutus pugnans interijt: hic Philippini prætoria & Maura, Vgonis prætoriam, reliquæ duæ Gobbam tormentorum fulminibus depreſſere, in qua perijt Feramuſca: interea verò reliquæ Philippini triremes duas ex ſuis ab Hiſpanis oppreſſas recuperarant, Myoparonesque illorum ceperant: duæ tantùm ex Hiſpanicis, hoſtes victoria potiri conſpicientes malè mulctatæ vix euaſerunt. Quo tempore Vaſtius & Aſcanius, naui ipſorum penè ſubmerſa, & ardente, remis fractis, militibus ferè omnibus cæſis, ipſi autem vulnerati, in auratorum ſplendore armorum fato erepti, in hoſtis poteſtatem venerunt. Philippino in hac pugna magno vſui fuerunt Turcæ & Mauri remiges, qui libertate donati fortiſſimè pugnarunt. Vgo & Feramuſca mortui in mare ſunt eiecti: capti autem, Vaſtius, Aſcanius Columna, Salernitanus princeps, Cruceius, Camillus Columna, Gobbus, Serenonius, & multi alij duces ac nobiles viri: ſupra mille pedites perire; Galli verò ferè omnes aut cæſi aut vulnerati fuerunt. Captiuos Philippinus cum tribus nauibus longis Auriæ miſit: & ex duabus triremibus quæ euaſerant, vna paulo pòſt ad Gallos tranſijt. Hæc victoria Gallis magnam ac forſitan quàm par fuerat maiorem de totius belli ſucceſſu, ſpem dedit: propterea quòd quoniam Lautrechium aliqua ex parte in apparatibus remiſſiorem fecit; Cæſarianos verò maris imperio prorſus ſpoliatos, & terra multis ex partibus preſſos, præſertim poſt Puteolos ab hoſtibus captos, quòd ex ea parte magna commeatus copia Neapolim importabatur, à commeatu ſibi

tu sibi metuentes, magno terrore repleuit: & iam Neapoli magna moliti cibarij, carnium, & vini caritas erat: quamobrem sequenti die post magnam naualem, magnum inutilium mortalium numerum è ciuitate emiserant: commeatus distribuendi ratione ita constituta, vt Germani minus quàm cæteri milites paterentur, operam dabant. Quibus rebus cum Lautrechij spes foueretur, ea longè magis Phaselo septima die Maij cum ducum ad Cæsarem literis capto aucta fuit: quibus literis ei significabant, exercitus florem amissum: in ciuitate non plus frumenti, quàm in sesquimensem esse, idque hominum lacertis frangi: Germanos aliquem ad tumultum spectare: pecuniam in eorum stipendia in promptu non esse: neque vllam iam rebus salutem, nisi vt citò pecuniæ & auxilia terra marique mitterentur, affulgere. His accedebat, quòd pestilentia vbi sunt Germani milites, qui neque eo contagio infectos vitant, neque à rebus illorum attrectandis abstinent, valde contagiosa Neapoli grassari incipiebat. Vicissim verò exercitus aquarum penuria laborabat; quoniam à colle regali ad castrorum frontem vsque nihil præter cisternas quibus exercitus vtebatur erat: morbi augebantur, & hostes in vrbe cùm expedito equitatu longè superarent, assiduè per eam viam potissimum quæ Sommam ducit excurrentes, non modò carnium & vini copiam introducebant, verùm etiam sæpe commeatum qui in Gallorum castra vehebatur impediebant. Multi Lautrechium vt leuis armaturæ equitatum quem hostili opponeret conscriberet, monebant: quod ipse non modò facere nolebat, verùm etiam maximam Gallici equitatus partem, Capuæ, Auersæ, & Nolæ distributam manere patiebatur: quæ res hostibus ea quæ diximus faciendi facultatem augebat: alij verò quòd pedestres copiæ morbis essent imminutæ, illorum qui interijssent loco quemadmodum & ab initio vt potentior essent, exoptatum fuerat, septem octoúe peditum millia conscriberet, suadebãt: & hoc quoque cum iam negare cœpisset, facere abnuebat; quòd sibi pecuniam deesse diceret: quamuis tunc satis magnam copiam ex Gallia accepisset, ex Apuliæ scriptura, atque ex captorum oppidorum vectigalibus haud paruam summam exegisset: & regni proceres qui apud ipsum erant, ad minimè exiguam pecuniam ei mutuò dandam essent parati: quamobrem non inutile est, quæ mala, eorum qui magnarum rerum ad ministrationi præsunt pertinacia pariat, cogitare. Lautrechius proculdubio omnium Gallorum ducum princeps diu in bellis exercitatus, & maximæ apud exercitum autoritatis, sed natura elatus & imperiosus, dum sibi vni credens, reliquorum omnium consilia contemnit; dum neminem audire vult, dum non omnia suo solius iudicio geri, homines animaduertere sibi turpe ducit, ea quæ adhibita fortasse victoriam ipsi peperissent, neglecta verò, bellum tanta spe cœptum funditus euerterunt, prætermisit. Quotidie à nigræ legionis quæ in castrorum fronte erat militibus, leuia prælia committebantur: qui nimio ausu elati, ita ad Neapolis mœnia accedebant, vt inde scloppis læderentur; cumque in regressu equitum alas non haberent, ab hostili equitatu cædebantur: quare magno velitationum prope vrbis mœnia sine equitatu committendorum incommodo animaduerso, non tam frequenter fieri cœperunt. Post naualem victoriam Castellamare Stabiense Lautrechio sese arce excepta dedidit: idem Sangermanũ fecerat: cumq; milites qui Caietæ erant Fundos & circumiectã regionẽ recuperassent, Lautrechius Ferdinandum Caietanum, Traiectensium ducis filium, & Melfiæ principem, qui quòd Cæsariani paruã de eo liberando rationem habuissent, paulo antè cum Gallis conuenerat, eò misit, qui facilè ea iterum occuparunt. Simon Romanus in Calabria populorum in Gallicum nomen studio magnos progressus faciebat. Verùm hæc ad totius belli victoriam, quæ ex Neapoli capta aut defensa prorsus pendebat, cõsequendã, minimè faciebant: quare Lautrechius obsidioni potissimũ incumbens, neq; etiam cum tot Hispani in nauali pugna perijssent, omni prorsus expugnationis spe deiectus, vt eam ciuitatem penitùs à mari commeatus facultate priuaret, Gallicæ ac Venetæ classis aduentum vrgebat, & castrorum frontem vlterius in collẽ quendam vrbi & Martini montí propiorem promouit: vbi nigra legio aggerem duxit, non modò vt eam ex eo colle ad mare perducerent, atque in eius extremo mare propugnaculum facerent, & sic Sommensem viam clauderent, verùm etiam vt statim vbi classis adesset alio aggere prius inter vrbem & Martini montem, ne sibi inuicem opem ferre possent ducta,

Martini montis expugnationem tentarent;ac deinde simul & eodem tempore Neapolim à mari classe, terra verò ex castrorum fronte interiora ciuitatis tormentis,& mœnia exercitus parte, atque altera montem oppugnarent, vt hostes viribus necessariò in tot partes distractis facilius in aliqua parte superari possent: nec tamen etsi castrorum frontem promouissent Regium collem deseruerunt; ne hostes eo recuperato ipsis aquarum facultatem adimerent, sed posteriorem castrorum partem angustiorem fecerunt. Quibus bene cogitatis consilijs multa repugnabant:quoniam neq; aggeres vltra mille passus longæ ad mare vsq;, ob fabrorum exiguum numerum & militum morbos citò perfici poterant; neque nauales copiæ quemadmodum ad obsidionem & expugnationem necesse fuisset veniebant: Auria enim cum triremibus quæ Genuæ erant non mouebatur:de classe Massiliæ adornata nihil audiebatur: & Veneta magis proprio quàm communi bono,quin magis minoribus commodis,quàm præcipuis intenta,Brundusij & Hydrunti expugnationi operam dabat; ex quibus Hydruntini nisi intra sedecim dies auxilium acciperent deditionem fecerãt:Brundusium verò,etsi Veneti pactione essent intromissi,arces tamen in Cæsaris potestate erant; ex quibus maritima ita munita erat, vt eius expugnatio sperari non posset, at maior in ipsa vrbe duobus propugnaculis amissis diutius sustinere non posse videbatur. Itaque duodecima die Maij,tormenta in colle sunt collocata;& inde quandam magnam turrim quę in campis magna incommoda adferebat,verberabant. Sæpe etiam in vrbem sed paruo fructu collimabant;& aliquando leuioribus prælijs ad Antonij fanum decertabãt. Decima sexta die tormenta ad montis caput collocata, turres quasdam inter Ianuariam & Capuanam portas petebant,& propugnaculum ab obsessis cœptum perfici prohibebant: Neapoli pleriq; frumento aqua excocto victitabant,& quotidie multi exibant:Germani verò etsi minus quàm ceteri paterentur,sæpe pane,& multo magis vino & carnibus, quarum rerum magna erat penuria,deficientibus attestabantur: sed tamen præter alias artes,fictis auxilij spem facientibus literis plurimum fouebantur.XIX nouis aggeribus quibus duobus tormentis in propugnaculo vbi id extructum esset collocatis, duæ molæ prope Magdalenæ templũ positæ,à binis Germanorum cohortibus custoditæ,quarum expugnatio,quòd auxilia Neapoli acciperent,nunquam fuerat tentata,disiectæ fuissent,ducendis incumbebant. Huc vsque Gallis omnia feliciter cedebant, sed pòst occultis de caussis inclinare cœperunt: quoniam Philippinus,occulto, vt pòst cognitum fuit,Andreæ Auriæ mandato,cum triremibus circa Puteolos se receperat: quamobrem Neapolim vbi pauci præter milites manserant, semper nonnihil cõmeatus nauibus importabatur:& quamuis Veneta classis Hydrunto capto iam iam se Neapolim affuturam,spem faciebat,tamen quia se maiori Brundusina arce breui potituros sperabat,rem protrahebat. Morbi quoq; in exercitu in horas augebantur; & ex nigra legione,ex qua prius ad militaria munera obeunda supra tria peditum millia cõspiciebantur, nunc tot erant vulnerati,ægroti,& mortui,vt vix duo millia supererent. XXII Hispani in eos qui nouum aggerem,cui faciendo ita incumbebant, vt eum intra sex aut octo dies perfectum iri sperarent custodiebant,impressionem fecerunt; vbi quum Horatius Ballio cum paucis periculoso in loco esset,pugnans fuit interfectus; quod mortis genus potius militem priuatum quàm ducẽ decebat: qua ex re Cæsariani maioris successus spe concepta,iterum magno numero eruperunt: sed exercitu ad arma, atq; ad munitiones tuendas accurrente, retrocesserunt. Philippinus tandem multum rogatus in neapolitanum sinum redijt; & XXVII die opera Sommensis viæ occludendæ gratia cœpta nondũ erant perfecta; & Hispani quotidie excurrebant, ac itinera, magnam carnium copiam importantes,infestabant:quibus Gallorum equites raro prodeuntes parum impedimenti adferebant:& Lautrechius peditatus supplementum exoptare incipiens, nec tamen aliorum consilijs omnino cedens,quia ob annonæ penuriam & morbos multi ex castris discedebant, sex peditum millia ex quauis gente mari ex Gallia ad se mitti vrgebat:atq; in tantis difficultatibus,solus qui victoriam speraret,ciuitatis fame fretus,esse incipiebat.Interea Simoni Romano in Calabria, duo tum Corsorum,tum regionis incolarũ peditum millia habenti res prosperè cedebãt:cui etsi se Bisiniani princeps & Alarconij filius cum mille & quingentis peditibus ex ea regione collectis opposuissent,tamen difficulter eum sustinebant: quare Alarconis filius, prin-

principe in campis relicto sese Tarentum recepit: sed paulo pòst Simon Cosentiam obsidione cepit, & deinde in cuiusdam vicini oppidi expugnatione Stiliani principem & Laini marchionem eius filium cum duobus alijs eius item filijs cepit. In Apulia verò qui Manfredoniam Cæsaris nomine tuebantur, per vniuersam regionem Venetorum equitatu & peditatu qui ad ea oppida expugnanda iuerant, nullum eis impedimentum adferentibus excurrebant. Nec verò in Latio omnia prorsus pacata erant: nam cum Sarra Columna Pallianum à pontificijs pro Vespesiani filia propugnatum expugnasset, Farfensis abbas Sarra, & Prospero Gauio captis, etsi Sarra Ludouici Gonzagæ opera aufugerit, id recuperauit. Dum autem res circa Neapolim, in his angustijs & in hac spe versantur, Leua Papiam, in qua erat Petrus Lungena cum quadringentis Venetorum equitibus & mille peditibus, & Annibal Pizzinardus Cremonensis arcis præfectus, cum trecentis peditibus, qui in Transpadanam regionem in ducis fide retineret eò profectus erat, negligenter custodiri subolfaciens, noctu repentè à militibus non auditus, scalis tribus in locis admotis, eam occupauit: in qua Petrus Lungena, & Iani Fregosij filius capti. Leua deinde Abiate petijt, oppidani pauciſſimis tormentorum ictibus expectatis, deditionem fecerunt: cumq; post Aronam petere vellet, Federicus Bonromeus cum eo pactus est, seque Cæsaris partes sequuturum recepit. Quo tempore Brunsuicensium dux Tridentum profectus, decima die Maij cum exercitu, in quo erant decem peditum millia & sexcenti bene armati equites, atque inter eos multi nobiles, Athesim traiecit, & Clusia repulsus, in Veronensem agrum descenderat: & quamuis eius aduentu multo antè cognito, vt Sanpaulus se ei opponeret agitatum fuisset, tamen cum non maiorem in hac quàm in alijs rebus diligentiam adhibuissent, Germani antequam Sanpaulus ad iter accinctus esset in Italiam venerant: is autem postea multos dies Astæ vt copias colligeret, & ob annonæ penuriam cuius per totam Italiam & præsertim in Insubria summa caritas erat, hærere fuit coactus. Neq; ab vllo maius, paratiusúe communibus rebus auxilium, quàm à Veneto Senatu sperari poterat; qui etsi exercitum suum cum duodecim peditum millibus in aciem prodituru affirmasset, tamen Vrbini dux Veronam ingressus, nihil aliud nisi de præcipuis imperij ipsorum locis tuendis cogitabat. Itaque Germani ad Benacum descedentes Pischeriam obsidione, eodemque die Riuoltam & Lunatam ceperunt: ita vt cum totius ferè lacus dominatu potirentur, multis in locis pecuniarias mulctas, eorum qui se redimere non poterant domos comburentes exigerent. Incitabat eos vt Genuam versus contenderent Antoniottus Adurnius, qui ad eum exercitum venerat: sed quum pecunias non accepissent, multaq; impedimenta haberent, & vt cum Leua qui hanc ob caussam Mediolano egressus erat ad colloquium venirent, paulatim per Brixiensium fines incedebant: quò ad eos iuerunt Andreas Burgensis, & Georgius: per quos Ferrariensium ducem qui in tanto aliorum metu nullum apparatum faciebat, occulta consilia cum illis agitare suspicio erat. Germani deinde Abduam versus vt se Antonio Leuæ coniungerent castra mouerunt: is autẽ Abdua amne nona Iunij die sex peditũ millibus & sedecim maioribus tormẽtis traiecto, & prope eos ad tertiũ à Bergomo lapidẽ metatus, qua in vrbe & Brixię atq; Veronę Vrbini dux qui Brixiã venerat copias suas collocarat, cum Laudæ recuperandæ desiderio arderet, vt priusquàm Neapolim transirent, Insubriæ dominatu prorsus recuperando operã darent, eis persuasit. Quamobrẽ xx die ei vrbi castra admouerunt: ex qua Mediolanensium dux profectus se Brixiam contulit, & in ea Ioannempaulum suum ex concubina fratrem cum minore quàm trium peditum millium numero reliquit. cum igitur tormenta duobus in locis collocassent, multumq; ijs profeciſſent, Leua cui primus in oppugnando locus obtingebat, Hispanos pedites vbi maius erat diruti muri spacium admouit; vbi per tres horas ferociter pugnarunt: sed Itali militis qui intus erat constantia & virtute sese minimè inferiorem ostendente repulsi sunt: itaque eius expugnandæ spe amissa, omnem victoriæ spem in cibariorum inopia collocarunt: nam quum nondum messis facta esset, tanta erat Laudæ annonæ caritas, vt quum panis nemini iam nisi militibus daretur, ciues aut fame perire, aut summo cum periculo erumpere cogerentur. Inter Germanos verò iam pestis irrepserat; & quia in exercitu commeatus penuria la-

borabatur, multi discedentes per Heluetiorum & Rhetorum fines in patriam redibant: quibus Brunsuicensium dux, eorum præfectus non vsque adeo repugnabat; quia quum in Germania militum Fronspergij exemplo maximam spem concepisset, res in Italia difficiliores quàm putarat, inueniebat: cumque pecunia destitueretur, vix peditatum circa Laudem firmum retinere, nedum in regnum neapolitanum ducere poterat: neque Leua ei pecuniam subministrabat, imò semper de Mediolani paupertate conquerens, omnem ei spem adimebat: quoniam vbi Laudæ expugnandæ spe decidit, nihil aliud cogitabat, quærebatúe, nisi vt eis discedendi caussam præberet: metuebat enim ne in Insubria consisterent; sicque ipse in administratione & rapinis socios haberet: & dum illi tempus terebant, frumento atq; alijs frugibus in toto Mediolanensi agro excutiendis ac Mediolanum comportandis operam dederat. Tandem cum XIII Iulij die alia oppugnatio tentanda esset, Germani tumultum excitarunt, ex quibus mille Comum versus abierunt; reliqui valde perturbati tormenta Laudæ amouerunt: quocirca cum ne in Germaniam redirent vererentur, Vastius ab Auria decem dierum redeundi fide data, missione sub fide impetrata, vt Brunsuicensi ne milites in Germaniam redire pateretur persuaderet Mediolanum contendit: sed quum verbis retineri non possent, Comensi intinere discesserunt: ex quibus tamen circiter duo millia cum Leua, cui ijs diebus Mortaria se dediderat manserunt: illud autem certum erat, eos si aliquot dies mansissent, Laudem obsidione occupaturos fuisse. Qua in expeditione à multis in Vrbinate vigilantia est desiderata, vt dum exercitus Laudam obsideret, prope Cremam aut Picighitonem veniisset, aut saltem aliquem expeditorum equitum numerũ ad eos infestandos, in ea loca misisset; etsi cum in Brixiensi agro essent, eos aliquando à latere insectatus infestasset; ita tamen vt nunquam proprius quàm tria millia passuum interuallo ad eos accederet; & Venetorum imperij propugnatione cõtentus, nunquam vltra Ollium amnem processit: neq; etiam Sanpauli aduentus promptior fuit; qui etsi rex propria caussa copias contra Germanos mittere constituisset, sæpiusque promisisset, non ante quàm Germani iam discederent, & cum minoribus copijs quàm diuulgasset, in Taurinos venit. Non tamen ideo fœderati denuo pontificem se socium profiteretur; ac Cæsarem sacris armis persequtus Imperio Romano & regni neapolitani iure priuaret, vrgere desinebant: qui vbi se, quod si id faceret opportunum pacis instrumentum se deinceps minimè futurum excusasset; eamq; rem sine vllo sociorum ob paupertatem atq; impotentiam suam cõmodo, maius incendium inter Christianos principes excitaturam; & Germaniam ipsum sibi Cæsaris eligendi autoritatem arrogare, & Imperium in Galliæ regẽ transferre velle suspicantem concitaturam, periculum à Lutheranis qui subinde crescebant, imminens demonstrabat: tandem cum amplius repugnare non posset, se si Veneti sibi Rauennam restituerent, quod quidem sic ab illo est propositum, vt nullo modo fieri posse existimaret, ad id paratum, atq; etiam Florentiæ statum nulla molestia affectu rum obtulit. Quapropter XX Iunij die Angliæ regis oratores Venetias, vt eum Senatũ ad Rauennam restituendam, illum promissa seruaturum fide iubentes cohortarentur venerunt: quod cum impetrare non potuissent, malè affecti discesserunt. Hoc tempore pontifex Ariminum, quod primo à Ioanne Saxatello frustra oppugnatum, tandem fortunarum & vitæ incolumitate pacta deditionem fecit, recuperauit. Ad eius profundiora occultioraq; cõsilia hactenus multis artibus tecta, haud iam dissimulari posse incipiebant; nam quum Florentini dominatus familię suæ restitituendi cupido ipsius animum incessisset, contrarium artificiosissimè præ se ferens, nullam cogitationem magis à se alienam esse, seq; nihil aliud, nisi vt ea respub. se reliquorum Christianorum principum exemplo, vt pontificem agnosceret; atq; in priuatis rebus suos ne persequerentur, néue familiæ suæ insignia & propria ornamenta tolleret, cupere, Florentinis persuadere conatus erat; cum quibus mandatis, quum liberatus Florentinum quendam antistitem legatum Florentiam misisset, neque is auditus fuisset, vt illi ad se legatum mitterent, etiam per Galliæ regem magnopere quæsierat: ac suspicionem in illis delere familiaritatemque cum eis cõtrahere simulans, eos insidijs suis magis opportunos reddere conabatur: his autem frustra tentatis, Lautrechio cum ij qui Senis rempublicam administrabant,

ex Cæ-

ex Cæsare penderent, Fabium Petruccium in eam ciuitatem reducere rebus ipsius vtile fore persuadere est conatus; à quo ipse, etsi id probaret, Florentinis repugnantibus abstinuit. Cum autem ne hac quidem ratione quicquam efficere posset, vt Pyrrhus à Petri castello, controuersiarum cum Senensibus caussas prætexens, cum octingentis peditibus, nonnullorum Clusij exulum opera, Clusium occuparet; vt ea ratione Senensium statum turbaret, clàm operam dedit. Sed quum Florentini Turrenæ Vicecomiti Galliæ regis oratori pontificem nihil aliud, nisi vt Senarum opportunitate Florentinorum res turbaret spectare ostendissent, ipse vt Clusij motus sedaretur apud pontificem egit. Interea in regno neapolitano vario euentu res gerebatur: quoniam Burella comes cum mille peditibus ex Sicilia in Calabriam venerat; seque alijs adiunxerat: & ab altera parte Simon Romanus Cosentinam arcem cuniculis actis arbitrio suo deditam obtinuit; quanquam, quòd is scloppi glande in humero sauciatus fuisset, victoriæ cursum nonnihil retardarit: deinde sese cum Sommensium duce qui Catanzarum, oppidum valde munitum, sed commeatus defectu pressum, in quo Alarconis gener cum ducentis equitibus & mille peditibus erat, obsidebat, coniunxit: quo capto, totius regionis ad superiorem Calabriam vsque imperio potiti essent: sed contra eas copias quæ se auxilijs quæ ex Sicilia venerant adiunxerant, quæ iam aliquem progressum fecerant, sese conuertere sunt coacti: at quum Simon à peditum suorum eius regionis incolarum parte desertus fuisset, sese in Cosentinam arcem recipere est compulsus: reliquus ipsius peditatus nonnullis cæsis, fuit dissolutus: Corsi paulatim sese ad exercitum recipiebant; ita vt non modò Calabria in periculo relinqueretur, verùm etiam ne victores Neapolim versus contenderent timeretur. In Aprutio verò contrà, Gallorum res secundo fortunæ blandientis flatu gerebantur: nam cum Columna episcopus duodecim millia passuum prope Aquilam, vt motum in Aprutijs excitaret accessisset, à Farfensi abbate quadringentis militibus cæsis, & circiter octingentis captis, fusus & interfectus fuit. Circa Caietam Hispani Melfiæ principis aduentu paulatim retrocedebant: & qui Manfredoniæ erant ob Venetarum copiarum exiguam virtutem, multum detrimenti adferebant. Pontifex interea in sententia ne vlli partium adhærere videretur, perseuerabat: sed quia varia consilia agitabat, iam Galliæ regi suspectus, nec Cæsari, si non aliam ob caussam, saltem quia Campegium cardinalem legatum in Angliam, vt in ea insula caussam ipsi & Eboracensi delegatam, dijudicaret destinarat, gratus erat: nam quum is rex vt prius matrimonium irritum esse declararetur vrgeret; pontifex qui verbis cum eius ministris sese nimium declararat, quia cum parum fidei apud alios haberet, eius patrocinium sibi conseruare nitebatur, decreto quod ipsi decretalem bullam vocant, id matrimonium irritum esse occultissimè declararat, eiusque tabulas Campegio cardinali cum huiusmodi mandato dedit, vt ijs regi atque Eboracensi ostensis, se illarum si in iudicio caussæ cognitio minus ex ipsius sententia succederet, promulgandarum mandatum habere diceret, quo illi facilius rem iure tractari paterentur, & pacatiore animo iudicij moram tolerarent: quod quidem iudicium vt quantum posset protraheret, neque decretum nisi prius nouum à se mandatum accepisset, traderet, Campegio mandarat; sibi autem vt tandem daretur in animo esse, vt etiam tunc fuisse verisimile est, ei persuadere est conatus: ob quem legatum destinatum & caussam delegatam, grauiter Romæ Cæsaris legati querebantur; verùm minore autoritate quòd Cæsaris res in Neapolis regno improsperę viderentur. Circa Neapolim verò multæ vtrinque difficultates existebant: sed tamen eiusmodi vt rationibus omnibus collectis, potius à Gallis victoria, sed hostium virtute & pertinacia retardata, speraretur. Nam cum in vrbem nihil iam mari importaretur, quotidie præsertim vini & carnium penuria crescebat; quòd Veneta classis viginti duarum triremium, tandem post tam diuturnam expectationem decima die Iunij in neapolitanum sinum venerat: & quamuis equites assiduè extra vrbem haud quidem in eam partem in qua Gallorum erat exercitus, sed in eas partes in quibus se commeatum nancisci posse censebant excurrentes, ferè semper carnium præsertim prædam referrent, tamen, etsi multum prodessent, illarum ninimè tanta copia erat, vt maris opportunitate priuati, diu se tueri possent: affligebant eos sæ-

ua peſtilentia, pecuniæ inopia, Germanorum quos ſæpe vana ſpe & promiſſis fallebant, & quorum nonnulli ab ſignis diſcedentes in Gallorum caſtra tranſibant, retinendorum difficultas: etſi in eis retinendis Aurangij principis qui ab Vgonis morte prorogis autoritatem obtinebat, apud eos gratia & autoritas multum poſſet: is Cattam Aquitanum ducem ex Borbonij reliquijs cum multis alijs in carcerem conijci iuſſit: & paulo pòſt leui ſuſpicione impulſus, idem Fabritio Maramaldo fecit, quem tamen mox dimiſit. Viciſſim verò in Gallico exercitu militum ægritudines aſſiduè creſcebant; quæ in cauſſa fuerunt, vt Lautrechius ne ſibi tantum ſpacij cuſtodiendum eſſet, poſtrema munitionum opera non perficeret: quæ etiam certarum aquarum eruptione impeditus perficere vix poterat. Erat quoque in exercitu commeatus penuria, ſed potius ob negligentiam quàm alia de cauſſa: & nihilominus Lautrechius magis difficultatibus, quibus in vrbe premebantur, ſpem ſuſtentabat, quàm metueret ſuas: & ſiue hanc ob cauſſam, quòd breui capi poſſe ſperaret, ſiue ob pecuniæ inopiam, nouum peditatum, vt ab vniuerſo exercitu copijs tum morte tum morbis, non modò gregarijs militibus, ſed iam magnis & autoritate præditis viris valde imminutis expetebatur, non cõſcribebat: nam decima quinta die pontificius nuntius, & Ludouicus Piſanus Venetus legatus ex hac vita migrarant. Germanos quoq; qui Neapoli erant, aut omnes aut magna ex parte in caſtra ſua tranſituros ſperabat: qua ſpe primò Salutius, deinde ipſe diu fruſtra freti fuerunt. Hæ igitur cauſſæ, & nonnullos expeditos equites ex ijs qui Neapoli erant ad exercitum ſuum tranſituros ſpes data, vt leuis armaturæ equites ſummopere neceſſarios non cõduceret efficiebant: qui ſi vel quadringentos cõduxiſſet, ipſi maxime vtiles fuiſſent: idcirco obſeſſorum equitatus liberius vagabatur: aliquando cum magna pecorum præda Neapolim redeuntes, quum in nigram legionem quæ exercitus neruus erat, & ſine qua circa Neapolim non hæſiſſent, incidiſſent, quamuis Hiſpani omnes, ſed ſerò, Neapoli ad opem eis ferendam prodijſſent, prædam cum circiter ſexaginta equitibus amiſerunt. Lautrechius hoſtes breui Neapoli diſcedere coactum iri ſperabat, eamque ob cauſſam eis Caietam ſeſe recipiendi facultatem adimere cum vellet, Capuam & Vulturni Caſtellamare cuſtodiri iuſſit: & vt eos quoque in Calabriam abire prohiberet, præterquam quòd aditus quoſdam reſcindi curauit, foſſæ toties cœptæ, ſed varijs caſibus interpoſitæ ducẽdæ, eam tam altè ducens, vt aquæ quæ impedimento erant infrà relinquerentur, operam denuò dare cœpit: & ædificia quædam vrbi valde propinqua quoque munire; ac mille pedites quos ad eum finem conſcribere volebat in eis collocare in animo habebat: opportunitate etiam Venetæ claſſis vſus, quæ rectà ad eam munitionem in mari conſtiterat: eodemque opere fiebat, vt commeatus facilius ex mari in caſtra veheretur: atque vt hoſtibus eo itinere cum præda redeuntibus aditus impediretur: nam ob magnas foſſas, & Regij collis aquæductus interſciſſos, magno periculoſoque circuitu ex caſtris ad mare eundum erat. Cæſariani operas impedire nitebantur; ad quod cum aliquando magno numero excurriſſent, fabri, Nauarri qui huic operi faciundo præerat iuſſu, auxerunt: ita vt Cæſariani eos incautè ſequentes in inſidias traherentur: ex quibus vltra centum partim cæſi partim vulnerati fuerunt: opus tamẽ tum fabrorum defectu tum alijs de cauſſis nundum ad medium erat perductum, quippe negligentia bene cogitata corrumpebat: quibus in rebus, quum tantis angustijs ciuitas conflictaretur, ſi perſeueratum fuiſſet, Lautrechius multorum iudicio procul dubio victoria eſſet potitus. Per eoſdem dies maximi momenti occaſio, ſi tales miniſtri extitiſſent, quales erant magiſtri, fuit oblata. Præſenſerat Lautrechius obſeſſorum militum magnum numerum Pedegrottæ via prædatum exiuiſſe; quos vt opprimeret, XXV Iunij die noctu nigræ legionis milites, Florentinorum equitatum, ſexaginta Gallos cataphractos, Heluetiorum atq; Germanorum cohortem, Beluedere & Pedegrottam verſus miſit: ac ne pedem referre poſſent, Buriam ducem cum Aquitanis peditibus in monte qui grottæ ſiue ſpecui imminet (grotta enim ſpecum ſignificat) collocatũ, ſtatim vbi rumor eſſet excitatus, vt hoſtes ſpecus ingreſſu prohiberet deſcendere iuſſerat. Huius rei initium feliciter ſucceſſit, quoniam Lautrechij milites eis obuiam facti pugnarunt: eosque pluſquam 300 viris & centum militaribus equis aut cæſis aut captis, multisq; ſimul impedimentis,

pedimentis, fuderunt. Ferdinãdus Gonzaga in pugna equo deiectus & captus fuit, sed Germanorum impetus eum liberauit. At Buria siue negligẽtia siue metu ad destinatum locum non venit; quod si fecisset, opinio est, omnes abituros fuisse. Præterea Lautrechi us sex Venetorum triremes Caietam, & duas ad Gariliani ostium, vt Melfio principi adessent, miserat; & quia triremes quo minus aliquid commeatus celocibus Neapolim inferretur prohibere non poterant, aliquot nauiculas vt id prohiberet instruxit, & armenta atq; pecora vndequaq; quindecim millia passus, ne ita facilè à Cæsarianis abigi possent ab vrbe recedere iussit. At nouus casus cuius multo antè aliquod indicium apparuerat, Gallorum res grauiter perturbauit: nam Andreas Auria à Galliæ regis stipendijs quibus per totum Iunium mensem obstrictus erat discedere statuit: quod quidem vt coniectura perspici potuit, iam ante multos menses decreuerat: ex quo factum erat vt se Genuã recepisset, neq; cũ triremibus in regnũ Neapolitanum ire voluisset; & quũ eum rex classi vniuersæ quæ Massiliæ adornabatur præficere vellet, quod se ob ætatẽ ijs laboribus perferendis non amplius aptum esse diceret, id recusarit. Huius consilij origo postea ab ipso & ab alijs varijs caussis tribuebatur: ipse quòd rex postquã ei tanta fide per quinq; annos operam dedisset Barbigium maritimæ rei præfecisset: æquum enim ipsi videbatur, etsi id semel recusarat, vt à rege denuo inuitaretur, atque ad id munus accipiendum vrgeretur: quòd viginti aureorum numûm millia sibi stipendiorum nomine debita, sine quibus triremes suas alere minimè posset non persolueret, quodq; iustis precibus suis vt Genuensibus consuetã Sauonæ autoritatem restitueret satisfacere noluisset: imò in regio Senatu de se, vt qui sua autoritate nimis superbè vteretur, capite plectendo agitatum fuisse querebatur. Alij contentiones in Sardiniæ expeditione inter Rentium Ceritẽ & ipsum ortas, qua in re rex magis Rentij verbis quã ipsius rationib. aures accõmodasse visus erat, primã huius rei caussam fuisse aiebant: deinde quòd rex captiuos, quos vt magni momenti & præsertim Vastiũ atq; Ascanium Columnam valde exoptabat, vehementer ab ipso (quamuis illorum mulcta oblata) petijsset ægre tulisse. Hæ & aliæ caussæ adferebantur; sed pòst opinio fuit, verioré & præcipuam caussam esse, non tam quòd se à Gallis tanti vt se meritum censebat factum non fuisse ægrè tulisset, siue quòd ab ijsdem alia in re non satisfactum non fuisset, quã quòd cum vt sub patriæ libertatis nomine potentiam suam introduceret, Genuæ libertatem animo concepisset, neq; id alia ratione consequi posset, regis stipendia nõ amplius sequi, neq; eum suis nauibus ad Neapolis victoriam consequendam iuuare statuisset, quemadmodũ etiam vt Siciliæ expeditionẽ impediret, Sardiniæ oppugnationem proposuisse credebatur. Itaq; cum animum ad hæc consilia direxisset, per Vastium etsi se Hispanorum ob Genuæ ab ipsis direptæ memoriam per multos annos hostem acerrimũ esset professus, eosq; si qñ aliquos in potestate sua habuisset, acerbissimè multasset, vt à Cæsare conduceretur agebat: sed quia simulatione vtebatur, nondum regi consilium ipsius innotuerat: idcirco rex ad remedia tã graui morbo procurãda minimè diligens fuerat, cũ tamen nõnihil ea de re suspicaretur: quoniam capta fuit triremis quæ Hispanum quendam nonnullorũ capti uorũ mulctæ prætextu missum ferebat; apud quẽ Auriæ ad Cæsarẽ ijs quæ ille dicturus esset fidẽ conciliantes literæ sunt inuentæ; quãuis ob ingentes eius querelas nulla de eo quæstione habita, iter suum sequi permissus fuerit. Tandem verò quũ Barbigius cũ quatuordecim triremibus Sauonam venisset, Auria sibi ab illo timens, se cum suis nauibus & captiuis Genua in Erycis portum recepit: qua de re certior factus rex, periculũ cum iam mederi nõ poterat, animaduertens, Petrũ Franciscũ Nucerinũ, vt eum ad stipendia sua iterũ cõduceret ad eũ misit: per quẽ se in Sauonæ rebus eius desiderio satisfacturũ, viginti aureorũ numûm millia creditorũ stipẽdiorũ nomine & itẽ alia viginti millia Aurangij principis, olim ab ipso capti, & pòst à rege in Madriliẽsi cõpositiõe dimissi mulctę daturũ; & si captiuos ipsi vellet tradere, priusquã eos traderet, mulctas eorũ persoluturũ; quod si etiam facere recusaret, in eo regẽ minimè ipsi molestũ futurum: quibus Auria querelis suum ab rege discessum excusans, aures nõ accõmodauit: quamobrẽ Barbigius graui Neapolitani regni rerum detrimento Sauonæ hærere fuit coactus: sed tamen pòst vlterius progressus quingẽtos pedites ad Genuę præsidiũ; verũ quoniã in vrbe pestilentia acerbissimè sæuiebat, decẽ ab vrbe milliarib. reliquit: eandemq; ob caussam tri

ginta ab eadē vrbe milliaria,mille & ducentos Germanos pedites qui paulo antè venerant in continētem expoſuit,quibus quū primi menſis ſtipendiū à Gallis accepiſſent,& Veneti,vt debebant,alterius mēſis nō perſoluiſſent,id eis à Triultio Genuæ præfecto præſentari neceſſe fuit.In his Auriæ agitationib.pōtifex id quod cū Cæſare agitabat prę ſentiens,die xxi Iunij rem Lautrechio patefecit:vtq; ſibi eum ſuis ſtipendijs conducere permitteret, quo Cæſarem eo priuaret poſtulauit;affirmans, Philippinū intra decem dies cum triremib. Neapoli diſceſſurum. His cognitis Lautrechius ne Phlippinū irritaret, Serenonium,quē vt multa arcana ab illo cognoſceret ſemper retinuerat,ei reſtituit: & nihilominus ob ſuſpicionem iam antea de pontifice conceptā eius petitionem in malā partem accepit.Tandē verò Auria etſi Barbigius cū claſſe quæ decē & nouē triremium, duorū myoparonū,Phaſelorū quatuor erat,qua Nauarræ princeps vehebatur, præteriens cū eo eſſet loquutus, id quod in animo habebat non amplius diſſimulans, propriū hominē vnà cū Franciſcano Generali quē pontifex in pontificū collegiū cooptatū ad Cæſarem mittebat,ad res ſuas cū Cæſare firmandas miſit: hęc aūt eius pactionis capita erāt:vt Genua ſub Cęſaris patrocinio libertate frueretur:Sauona Genuenſibus pareret: ipſi Auriæ qui Hiſpanicū nomē tam acriter erat perſequutus,venia daretur:à Cæſare cū duodecim triremibus conductus,quarū nomine ſexaginta aureorū numūm millia quotānis acciperet:quibus et alię ipſi Auriæ honeſtiſſimæ cōditiones acceſſerunt. Quas ob res Philippinus quarta die Iulij cū omnib.naualib.copijs Neapoli diſceſſit:cuius diſceſſus ſi quidē vt iā cœperat,perrexiſſet, Gallis nihil niſi quòd exiſtimationē imminuebat, oberat:quippe iam ante multos dies nō modò negligēter cuſtodiebat,verū etiā aliquādo ipſius Phaſeli cōmeatū Neapolim furtim importabāt: & ipſe præterquā quod cū nōnullis Neapolitanis loquutus erat,Antonij Leuę filios Caietā vexerat:ac per multos dies vt cōmeatus Neapolim veheretur permiſerat: quòd ſi vt initio,fidelē operā nauaſſet, maximū ex eo detrimētū accepiſſent.Ideo Lautrechius eo magis Gallicæ claſſis quæ imprudentiſſimè pōtifice petente ad Ciuitatisveteris expugnationē hæſerat, aduentū vrgebat.Ob Philippini cū ſua claſſe diſceſſum,Veneta claſſis , quæ à mari donec Nauarri foſſæ occurreret operis ducendi onus ſibi ſumpſerat,maris cuſtodiēdi gratia id prętermittere fuit coacta:vt aūt mare ciuitati magis eſſet occluſum, vt aliquot celoces armatæ dies noctesq; eam orā legerent cōſtitutū fuit:& in terreſtrib.rebus quoq; maior adhibebatur,quo Hiſpanis quotidie excurrentib.occurrerent,diligentia:ſed vbi in hoſtes incidebant,ſine pugna fugā capeſſebant,adeò vt Neapolis ad extremā inopiā eſſet redacta & Germani ſe niſi citò pecunia & cōmeatu iuuarentur,diſceſſuros minabantur: quo fiebat vt Lautrechius harum rerū ſpe fretus,eos ob conſilia diu cum illis agitata propediē in caſtra ſua tranſituros ſibi perſuaderet. Decimaquinta verò Iulij die Veneta claſſis ijs triremibus quæ circa Caietam erant exceptis, vt cibaria compararet in Calabriā redijt: quare portu libero relicto,multæ celoces omnis generis cōmeatum, vino excepto,ferē tes,Neapolim ſunt ingreſſæ: quæ res,cum in vrbe vix in totū Iulium menſem frumentū eſſet, valde fuit opportuna.Sed in exercitu,in quem peſtilentia quoq; eorum qui Neapoli egrediebantur commercio,irrepſerat,conſuetæ ægritudines valde augebātur:Valdemontius in extremis erat,& Lautrechius ægrotabat:cuius ægritudine rebus perturbatis , Cęſariani qui nemine occurrente per oēs vias excurrebant,cōmeatum qui ad exercitum eius penuria laborantē vehebatur,rapuerunt:nec tamen ideo nouus leuis armaturæ equitatus cōſcribebatur:imò Valerius Vrſinus qui Venetis militabat, cū centum leuis armaturæ equitib.quòd ſtipendia non ſoluerentur,ab exercitu diſceſſit:& reliqui leues equites,pars eandem ob cauſſam diſceſſerat, pars morbis inutilis facta erat: Galli equites in vicina oppida ſeſe receperant:Vaſcones verò ſparſim ac palantes, meſſi faciē dæ & lucro operam dabant: ſpes tamen erat in peditatu quem claſſis vehere dicebatur, quæ tandē xviii Iulij die Ligurno ,pfecta vltra viginti dies in itinere fuerat,cū multis nobilib.& pecunia venit:verū ea octingentos tm̄ pedites vehebat, qm̄ reliqui pars ad Genuę cuſtodiā, pars ad Ciuitatis veteris arcē expugnādam māſerat:ad cuius aduentū quū Lautrechius milites ad mare,q pecuniā acciperēt miſiſſet, naues mari intumeſcēte ad litus impelli nō potuerūt:quare ſequēti die Salutius cū eqtatu & magno Aqtanorū,Heluetiorū,atq; Germanorū agmine, & nigra legione eò redijt:ſed in regreſſū in Cæſarianos

nos qui firmiori acie Neapoli exierant inciderunt, qui in Gallos equites tantam impressionem fecerunt, vt terga dare fuerint coacti: atque in fugæ impetu suimet peditatus ordines fregerint: cumque Vgo Pepulus qui post Horatij Ballionis obitum, ei in Florentinarum copiarum imperio successerat, pedes cum quadraginta scloppetarijs, ad scloppi iactum ante nigræ legionis pedites esset, ab equitibus captus fuit; tantusque extitit Cæsarianorum impetus, vt nisi eos nigræ legionis milites sustinuissent, magnam stragem edituri fuerint: egregiè enim ab illis præsertim verò ab equitatu pugnatū est. Ex Gallis vltra centum cæsi, ac totidem capti: atque inter eos multi Galli nobiles qui ex classe descēsionē fecerant: captus quoq; fuit & Ciandales Salutij nepos: sed tamē pecunia est conseruata. Huius cladis culpain Gallicum equitatum virtute hostili longē inferiorem tributa fuit: quæ res peditum animos, quòd sibi equitum auxilijs fidendum non esse animaduerterent, abiecit. Magnopere autem exercitui obfuerat Lautrechij ægritudo: qui etsi animi virtute corporis imbecillitatem sustinere niteretur, tamen res omnes quæ subinde inclinabāt, videre eisq; prospicere minimè poterat: nam Cæsariani excurrentes, non modò omnia necessaria præter vinum quod ferre non poterant, sibi comparabant: verū etiam sæpe exercitus cōmeatum, & impedimenta, & calones lixasq; vel ante ipsas castrorum munitiones, & equos vbi potum ducebantur rapiebant: adeò vt exercitui morbis valde imminuto atq; ex obsidente obsessores necessariæ deesse inciperēt; & nisi exitus custoditi fuissent, ne omnes pedites paulatim dilaberētur periculum erat: contrà verò Neapoli opportunitate ac spe crescente, Germani non iam tumultuabantur, & reliqui sibi quòd paterentur laudi ducebant: quibus tam manifestis periculis tandē Lautrechij, qui ante paucos dies vt sex millia peditum mari ex Gallia ad se mitterētur petitum miserat pertinacia victa, Rentium Ceritem qui cum classe venerat, Aquilam versus ad quatuor millia peditum & sexcentos equites conscribendos ablegauit: eiq; Aquilæ & Aprutij quæstorem, qui se paucorum dierum spacio huiusmodi auxilia, quæ ei tius comparata maximè vtilia fuissent, in castra ducturū pollicebatur adiunxit. Die xxix, viæ omnes ab hostibus occupatæ, sic vt ne Capuā quidem vsq;, quā à tergo habebant, tutò ire possent, & in exercitu ferè omnes ægrotabant: Lautrechius verò, qui antea nonnihil ex febri conualuerat, in maiorem ægritudinem reciderat: equitatus omnis ferè aut morbi, aut animi causſa per vicos diffipatus; & peditatus ferè ad nihilum redactus: cumq; Neapoli pestilentia & reliqui morbi, quibus è tāto numero ad septē peditū millia erant redacti, multū remisissent, ne Cæsariani exercitū adorirentur timebatur; quamobrē Lautrechius quingentos Rentij pedites post Simonis Romani cladem, vt hostiles Calabriæ copias Neapolim versus venire prohiberent missos, ab itinere reuocauit; & ad mille pedites in circumiecta regione cōscribendos, misit: Nolanū ducem cum ducentis & Rinucium Farnesium cum centum leuis armaturæ equitibus, quos se citò adducturos pollicebantur, conduxit: ducentos Venetorum Epirotas è Tarētina expeditione euocauit: omnem grauem armaturā qui quidē incolumes essent, grauibus propositis pœnis reuocauit: Rentium quotidie vrgebat, ac deniq; omnes apparatus, sed serò, ingenti ardore accelerabat. Die secunda Augusti ne centum quidē equites in Gallorū castris erant, & Cęsariani quotidie ad munitiones vsq; excurrebant: ac priore nocte Sommā vbi grauis ac leuis armaturæ equitum turma erat, scalis admotis occuparunt, diripueruntq;. quocirca Lautrechius se penè obsessum cernens, Sanpaulū vt sibi auxilia mari mitteret, & Florētinos vt duo peditū millia quæ ad Sanpaulū mittere decreuerant, ad se cōtendere iuberent, postulabat; qua in re illi facilè annuerunt: Ciandales fide data dimissus, in castris interierat: Nauarrus, Valdemōtius, Camillus Triultius, nouus & antiquus castrorū magister ægrotabant, Lautrechius in morbū reciderat: deniq; oēs oratores, omnes ab episto lis ministri, ac præter Salutiū, & Guidonē Rangonium, oēs alicuius autoritatis viri, & vix vnus in toto exercitu erat qui valeret: pedites fame perierunt; quumq; ferè oēs cisternę defeciſſent, etiā aquæ penuria laborabatur: neq; exercitus aliud poterat, quā auxilia opperiens, intra castrorum munitionem sub diligenti custodia manere: quas angustias negligētia quoq; augebat. Hispani deinde regij collis aquæductū corruperunt; qui etsi reparatus fuerit, nō sine graui periculo vsui erat. Lautrechius Sommensiū ducem cum mille & quingētis peditib. intra duos dies, & breui Farfensis abbatis, quem postquā Colū-

nam epiſcopum fudiſſet,euocauerat,equitatũ peditatumq; opperiebatur. Hoc tẽpore Venetorum claſſis miſerrimè tum à milite,tum à cõmeatu parata redijt,vt victus ſibi cõparandi cauſſa Neapolitani portus obſidendi cura relicta, per circumiectas oras excurrere cogeretur. Octaua die Hiſpani Sommã reuerſi eam iterũ diripuerunt; & reliquum equitatũ quem Guido in eius præſidio habebat,omnẽ ceperũt,cõmeatus præſidiũ ſunt adorti,cum quo erant ducenti Germani:qui cũ in binas domos confugiſſent, ſeſe turpiter dediderunt:quare ſæpe in caſtris cibus deficiebat:omnia verò incõmoda caſtrorum vaſtus circuitus,qui iam ab initio nimis latè patere viſus fuerat,augebat:id enim periculum adferebat; & militem nimijs laborib. conficiebat: & nihilominus Lautrechius auxilij ſpe fretus, de ijs coarctandis audire nolebat,& nondũ priſtinæ valetudini reſtitutus, impreſſionem metuens,caſtra vniuerſa vt ordines & cuſtodias cõſeruaret percurrebat. res quotidie in peius ruebant,ita vt xv die ob nimiã Cæſariani equitatus potentiam,nullum amplius inter exercitum & claſſem cõmercium eſſet: neq; milites quòd equitatum non haberent,extra vias excurrere poterant: ſingulis noctibus bis terúe bellicum canebatur: quare homines tot laboribus atq; incõmodis defeſſi, cum opus erat ad cõmeatũ tutò ducendum ire non poterant:& quod omnia incõmoda cumulauit, Lautrechius in cuius autoritate & virtute omnia ſita erant,eadem nocte quæ xvi diem præceſſit, mortuus eſt: cuius morbum ingentes labores quos perferebat renouaſſe certò credebãtur. Imperij onus Salutio tanto oneri ferẽdo minimè pari eſt relictũ:aduerſis aũtrebus quotidie creſcentibus Andreas Auria tanquã Cæſaris miles cum duodecim triremibus Caietam venit:ita vt Gallica claſſis obſidionem nõnihil remiſerit:Per eos dies Sarnẽſis comes cum mille Hiſpanis peditib.trecentis qui ibi erant pulſis, Sarnũ cepit: deinde xxii Auguſti,cum maiorib.copijs Nolam noctu profectus,eam quoq; occupauit;& Valerius Vrſinus,qui eam cuſtodiebat,ſeſe in arcẽ recepit; aiebat enim ſe ab incolis deceptum: cumq; opem à Salutio petitũ miſiſſet, ipſe ei duo peditũ millia miſit,qui noctu venientes,ab ijs qui Neapoli agebant,oppreſſi ſunt. Eodem quoq; die exercitus ferè ſine milite & ſine diſciplina,ſola Rentij,qui adhuc Aquilæ erat,& quẽ nõ iam vt Neapolim expugnarent,nec quo ſe in illis caſtris ſubſiſtere poſſe ſperarent,ſed ſolũ vt tutò caſtra mouere poſſent cupiebant,aduẽtus ſpe nitebatur. Valdemontius interierat: Salutius, Guido, Vgo,& Nauarrus ægrotabant. Maramaldus Neapoli vt eis omnem prorſus commeatũ adimeret cum quadringentis peditib.egreſſus,quum Capuam penè deſertam inueniſſet,eam eſt ingreſſus:quamobrem Galli Puteolis deſertis,præſidium quod illic erat Auerſæ,qui locus exercitui valde opportunus erat,collocarunt: ſed Capua & Nola amiſſis,ferè omnis commeatus exercitui erat intercluſus:adeo vt quũ iam ſe ſuſtentare non poſſent,tanquam ad extremam ancoram noctu vt ſe Auerſam reciperent vaſa collegerunt:ſed illorũ motu à Cæſarianis,qui in id vigilabant cognito,ab eis in itinere fuſi fractíque ſunt: vbi Nauarrus & multi alij duces & clari viri capti fuerunt: Salutius autẽ ſe cum copiarum parte Auerſam recepit: quo cũ eum Cæſariani eſſent perſequuti,nec ſe tueri poſſet,Guido Rangonio ad colloquium cũ Aurangio emiſſo,eius opera cum illo pepigit:vt Auerſam cum arce,tormentis & omni apparatu liberã relinqueret:ipſe ac ceteri duces Guidone,cui pro pace conciliata libertas prẽmij loco conceſſa fuit,excepto, captiui eſſent. Salutius vt Galli & Veneti totum regnũ reſtituerent operam daret:milites & quibus in hac compoſitione libertas concedebatur, ſigna, arma,equos,& impedimẽta relinquerent:ſed tamen ijs qui aliquo honore ceteris anteirent,parui equuli,muli,& id genus concederentur: Itali per ſex menſes contra Cæſarem nõ militarent. Sic omnes milites fuſi, & omnes duces in fuga aut cæſi aut capti, aut in compoſitione dediti fuerunt. Auerſa à Cæſariano exercitu,qui ſe deinde Neapolim,octo menſium ſtipendia petens contulit direpta fuit: Rentius qui ſequenti die cum Malfiano principe & Farfenſi abbate prope Capuam venerat, re cognita ſeſe in Aprutium,quam prouinciam ſolam, & nonnulla Apuliæ & Calabriæ oppida fœderati obtinebant,contulerunt. Hunc finem habuit Neapolitana expeditio,multis de cauſſis perturbata,ſed duabus potiſſimum ad extremum exitium perducta;quarum vna in morbis fuit, qui magna ex parte ab regalis Poggij aquæductu, vt vrbi molendi facultatem adimerent interrupto, originem traxerunt:aqua enim per planitiẽ diffuſa cũ exitũ nõ haberet, aerẽ corrupit;ex quo Galli intẽ

perantes

perantes & caloris impatientes in morbos inciderunt: his acceſſit peſtilentia, cuius contagio per nonnullos ea infectos ſtudio Neapoli in caſtra miſſos ad eos penetrauit: altera verò cauſſa fuit, quòd Lautrechius qui maximam in bellis exercitatorum ducum partem ſecum ex Gallia duxerat, plus quã par erat confidens, & ſibi quum in Inſubria eſſet, quòd ſe hoſtes Abduæ tranſitu prohibiturum ad regem ſuum ſcripſiſſet, haud magnæ laudi fuiſſe oblitus, ſæpius in hac obſidione ſe Neapoli potiturum ad eum ſcripſerat: ideoq;, ne ipſemet iudicium ſuum damnaret, contra reliquorum ducum ſententiã, qui quum exercitum morbis refertum cernerent, vt eum Capuam aut in aliquem aliũ tutum locum abduceret ſuadebant. nam quum toto ferè regno potiretur, nec pecuniã nec commeatum ei defuturum; & Cæſarianos quibus omnia deerant conſumpturum, caſtra mouere noluit. Galliæ verò Ciſalpinæ res nequaquam interea ſine moleſtia fuerant: quoniam Sanpaulus copijs & commeatu collectis, nonnulla oppida & caſtella trans Padum, prius à Leua occupata cepit: Leua autem tertia die Auguſti, ad Turriculam erat, vnde commeatum omni ſtudio atque opera Mediolanum importari procurabat: nam in toto Mediolanenſium imperio vſq; adeò maligna erat meſſis, vt vix in octo menſes ad eius regionis mortales ſuſtentandos ſatis eſſe videretur, inde ſeſe Marinianũ contulit, quo etiam in loco ob pecuniæ inopiam diu hærere non poterat: quo tempore dux Vrbini adhuc Brixiæ erat, & Sanpaulus Caſtellonoui in Dertonenſi agro: vnde Placentiam profectus XI die ad Monticulos propter Padum ad colloquium conuenerunt: vbi vt exercitus circa Laudem coniungeretur decretum fuit: Sanpaulus deinde, cui Placentiæ naues ad pontem faciendum tacitè ſunt conceſſę, prope Cremonam Padum traiecit: idcirco Leua qui Caſſiani pontem, & Carauagium ac Treuium in poteſtate ſua habebat, pontem ſuſtulit: & quemadmodum antea Noüariam, ſic nunc Giaradaddæ loca deſeruit, ſed Papiæ ſeptingentos pedites & in Angeli fano quingentos impoſuerat. Habebat Sanpaulus ſecum quadringentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, pedites Germanos nomine mille & quingentos, re autem uera ob ipſius negligentiam & miniſtrorum fraudem numerum longè minorem; quorum nomine, nec non aliorum Germanorum atque Heluetijs qui expectabantur, Veneti ſe ſingulis menſibus duodecim aureorum numũm millia Sanpaulo daturos promiſerant: habebat etiam trecentos Heluetios, quum Tureæ in nongentos ſtipendia daret; & tria Gallorum peditum millia: Veneti trecentos grauis, mille leuis armaturæ equites, & ſex peditum millia habebant: & Mediolanenſium dux vltra duo ſelectorum peditum millia: Leua verò quatuor Germanorum millia, mille Hiſpanos, tria Italorum millia, & trecentos leuis armaturæ equites. Sociorum exercitus Abduam XXII Auguſti die Leua adhuc Mariniani caſtra habente, traiecit. Ab his caſtris Vrbinas tria peditum millia, & trecentos leuis armaturæ equites cum ſex magnis tormentis ad Angeli fanum Ioanne Naldio duce miſit, qui dum caſtra locaret, tormenti ictu fuit interfectus; ſed poſt ob eius obitum ipſemet eò contendit & expugnauit. Die XXV Auguſti ſociorum copiæ ad Zenonis fanum ab Lambro amne, duo millia & quingentos paſſus, prope Marinianum eſt metatus: die XXVII Lambro traiecto, Mariniani caſtra admouerunt, illiſq; appropinquantibus Hiſpani ſeſe Marinianum ad veterem quandam munitionem receperunt, & poſt aliquot horarum velitationem, in apertum ita, vt pugnare velle viderentur prodierunt: & cum vtrinq; ad horæ vnius ſpacium tormentis res acta eſſet, nocte iam imminente Marinianum & Riozzũ ſe receperunt, atque exercitum dum metaretur egregiè ſunt adorti: ſequenti die Leua ſe cum omnibus copijs Mediolanum contulit; & ſocij Landrianum. Deliberatum deinde eſt, num Mediolanum eſſet inuadendum: quod dum agitatur, exercitus vt Mediolanum inſidijs ingrederetur eſt profectus: cui rei impedimento fuit ingens pluuia; quæ tã miſerè vias corrupit, vt Vercellenſem portam per quã ingrediendum erat, petere nõ potuerint: quare cum ij qui exploratum miſſi erant, id fieri non poſſe retuliſſent, hac ſpe fruſtrati, Abiatenſi via, quia aliud facere non poterant, Papiam, qua ſe, quòd non plures quã ducenti Germani, & octingenti Itali pedites in ea eſſent, facilè potituros ſperabant, petere ſtatuerunt: Itaque cum eò cõtenderent, nonnullis peditibus trans Ticinũ miſſis, captum fuit Vigeuanum: & nona die Septembris Sanpaulus ad Alexij fanum, ad tertium à Papia lapidem venit: vbi quum vterque exercitus propinquus eſſet, nuntius

qui eos magis ancipites reddidit est allatus: nam quum Genuæ pestilẽtia maxime grassaretur, ideoque ciuitas ab omnibus ferè ac etiam penè ab ipsis militibus esset deserta, eiusdemque periculi caussa Theodorus præfectus se in arcem recepisset, Andreas Auria hac occasione arrepta, cum aliquot triremibus ad vrbem, parua tamen spe cum non vltra quingentos pedites haberet, venit: sed Gallica classis quæ in portu erat, ne sibi in Galliam reditus intercluderetur metuens, Genuæ rebus neglectis, Sauonã versus, quò Barbigij triremis omnium prima peruenit, contendit: quare cum pauci essent in vrbe milites (etsi Theodorus in prætorium redijsset) & populus ob libertatis Sauonensibus cõ cessę iniuriam, Gallico nomini infensus, Auria facilè est ingressus. Tantæ iacturæ caussa fuit, tum negligentia, tũ nimia regis confidentia: nam quũ res suas in regno Neapolitano tam citò ruituras non censeret; & quouis euentu si classis se Genuam reciperet, cum Sanpaulus propè esset, ad eã conseruandã satis esse, necessarios apparatus prætermisit. Theodorus qui se in arcem receperat à Sanpaulo auxiliũ petebat, & si statim tria peditũ millia mitterentur, ciuitatis recuperandæ spem faciebat: qua de re quum inter fœderatorũ duces ageretur, Galli ad totum exercitũ statim eò ducendũ parati erãt; sed Vrbinas ad naues quibus pons in Pado fieret & commeatum necessarium comparandum, longiore temporis spacio quã præsens necessitas postularet opus esse ostendebat: quocirca ex eius sententia decretum fuit, vt Montigianus tria Heluetiorum ac Germanorum peditum millia qui ex Gallia ad Sanpauli exercitum veniebant, Alexandria quo iam peruenerant, Genuam versus duceret: quod si forte illi ire nollent, eos in castra duceret, ac illorum loco totidem alij mitterentur: atque interea in Papia premenda incumberetur: & Veneti se etiam si Papia non caperetur, modò res ab illa parte in tuto essent, cum omnibus copijs Genuæ rebus opẽ laturos promittebãt. Itaq; in Papiæ oppugnatione perseueratum est: cuius caussa, XIIII die nouem maiora tormenta propter Ticinum in citeriore inferioreq; ac plana parte contra vallum coniunctum, quod paucarum horarum spacio ferè medium diruerunt, & vltra Ticinum quoque tria tormenta, quibus cum oppugnatio fieret, latus quoddam quod aggeri respõdet, verberaretur; in colle verò quodam cis Ticinum quinque, quibus bina alia propugnacula pulsabantur; & in extremo colle tria quæ mœnia concuterẽt, collocata fuerunt; quæ tormenta omnia Venetorum erant: nam Sanpauli tormentis ad muros defensoribus nudandos vtebantur: & sequenti die Annibal Cremonensis arcis præfectus, fossa & aggere ad valli fossam qua agger erat, iam magnam partem deiecti, atque ob id propemodum deserti, peruenerat: quo die Malatesta Solianus vnus ex Venetorum militum ducibus tormento ictus perijt. Itaq; cum per totum eum diem & sequentem noctem eam tormentorum fulminibus afflixissent, & ab omni trium propugnaculorum parte multum muri esset deiectũ, exercitus ad pugnam fuit instructus: sed cum mane aquam è fossis vellent educere, tam robustum murum inuenerunt, vt in eo frangendo totum eum diem & sequentem consumpserint; & sic oppugnatio ad XIX diem vsq; cum aqua ferè omnis esset educta dilata fuit: eius autem diei initio vallo angulari occupato, pugna est cœpta: cuius quum copiæ in tres partes essent distributæ, primus locus Antonij Castellani cum Venetorum copijs fuit: secundus Lorgij cum Sanpauli, postremus Cremonensis arcis præfecti cum Mediolanensibus qui erant mille & ducenti pedites: & Vrbinatium dux cum ducentis grauis armaturæ equitibus, equis relictis propugnacula ad quorum propugnationem erant ducenti Germani & octingenti Itali cum paucis Hispanis, qui ea plus duabus horis ferociter defenderunt oppugnauit: & quamuis illi egregiè se gererent, tamen ob exiguũ numerum, cum præsertim tormenta vltra Ticinum posita, omnes eorum munitiones detegerẽt, difficulter se tuebantur. In hac oppugnatione Petrus Biragus sclopi glande in fœmore fuit sauciatus: sed ne sui ab oppugnatione discederent humo subleuari noluit: qui & intra paucos dies obijt: scloppo quoq; percussus fuit Petrus Boticella, q ab oppugnatione discessit; hi ambo Mediolanensiũ ducis militib. præerant: tandẽ duas horas ante solis occasum, paruo detrimẽto accepto, & cũ magna Vrbinatis laude, vrbs capta est: ex defensoribus circiter septingenti milites desiderati, atq; hi Germani ferè omnes: sed vbi exercitus irrumpere cœpit, Galeatius Biragus cum omnibus militibus qui incolumes erant & multis ciuibus, se in arcem recepit: ciuitas direpta, verùm quoniam

antea

antea bis direpta fuerat, parum opima fuit præda: arcem quia eam tormentis verberare fuisset necesse; ad id autẽ materia deesset, & fossæ latissimæ altissimæq;, ita vt haud citò iniecta materia repleri possent, & in arcem quingenti militares viri confugerant, pactione obtinuerunt. deditionis capita fuerunt: vt Hispanis cum tormẽtis & eo apparatu quę suis lacertis trahere possent, & omnibus suis impedimentis vnà cum Germanis quorũ pauciſſimi supererant, Mediolanum, Italis verò in quemuis alium locum, sed nõ Mediolanum ire liceret. Papia capta Vrbini dux de Mediolani expugnatione quod tanto exercitu vt bipartito oppugnari posset opus esset non cogitandum, sed vt magno incommodo afficeretur, Abiate, Sangeorgium, Montiam, & Comum occupanda, & Genuæ rebus succurrendum censuit: nam etsi Germani atque Heluetij se Genuam ituros Montegiano respondissent, tamen Germani obstipendia non accepta Turcam iuerunt; ita vt nullum subsidium arci quã Auria cuniculis actis solicitè oppugnabat, missum fuerit. Idcirco Sanpaulus qui cum centum cataphractis & duobus peditum millibus manserat, XXVII die Pado ad Portum stellam in Ticini ore traiecto Dertonensi itinere, Genuam versus contendit: ac si auxilium ferri non posse audiret, se reuersurum promisit: & vt Vrbini dux cum quo quatuor Venetorum peditum millia & mille Mediolanensium ducis manserant, se Papiæ expectaret constituit. Quo tempore Leua qui se Mediolanũ contulerat, vt nemo domi suæ panem conficeret molitumúe haberet, præter eos qui id vectigal à se emissent; qui ei per octo continuos mẽses, tres aureos nummos in singulos modios pendebant: qua pecunia per totum id tempus, equitatum, & Hispanicum Germanicumq; peditatum aluit: quod eum non modò præsenti periculo liberauit, verũ etiam totam sequentem hyemem aluit. Italicum enim peditatum Nouariæ & in nõnullis Laumellinæ oppidis, nec non in Mediolanẽsis agri vicis collocarat; quibus in locis eos per totam hyemem prædari & mulctas imponere est passus. Die prima Octobris Sanpaulus tormentis Nouij relictis, Gauium, vigintiquinq; millia ab Genua passus, peruenit, & sequenti die Burgifurnarij arcem expugnauit: & Genuam versus progressus in quã septingenti Corsi pedites erant ingressi, mox Burgunfurnarium redijt: cum secum ob pecuniæ inopiam vix quatuor millia peditum suis, ijs qui à Montegiano ducti fuerant, & mille ab exercitu cũ Nicolao Auria missis adnumeratis haberet; ex quibus subinde aliqui in Galliam transibant: quocirca rei gerendæ spe amissa, Montigianum cum trecentis peditibus Sauonam quam Genuenses obsidebant misit: sed quia fossa aggereq; clausa erat, itineraq; omnia circumquaq; obsessa, ingredi non potuerunt. Decima die Octobris sese Alexandriã recepit, deindeq; Senazarium inter Alexandriam & Papiam, ab omnibus propemodum copijs desertus, cum Vrbinate ad colloquium venit: vbi quũ de communibus rebus consilium caperent, & dux Venetis ac Mediolanensium duci simul non quatuor millia peditum reliqua esse, Antonium verò Leuam, partim Mediolani partim foris, quatuor Germanorum millia, sexcentos Hispanos & mille ac quadringentos Italos habere ostenderet; vt ipse Papiam, Sanpaulus verò Alexandriam, quæ ei à Mediolanensium duce fuit concessa, se conferrent decretum fuit; ac de nouo peditatu ab omnibus, vt deinde, si id tempus ferret, Abiate, Mortaria & Nouariensis arx expugnarentur conscribendo actum. Accidit autem vt XXI Octobris cum Sauonenses Mõtegianum ingredi non potuisse vidissent, nisi intra certum tempus auxilio iuuarentur deditionem facerent: quamobrem Sanpaulus eis opem ferre cupiens, quum ipse in vniuersum tantũ mille pedites haberet, tria peditum millia ab Vrbini atq; à Mediolani ducibus petijt: qui tantũ mille & ducentos ei miserunt, ita vt ipse se tam paruis copijs ei opem ferre posse diffidens, eam occupari permiserit: quo facto Genuenses statim portũ vt eum inutilem redderent lapidibus repleuerunt. Quo tempore Theodorus Triultius auxilij spe amissa, quum pecunia careret, deditionem fecit. Castelletto igitur capto Genuensis populi furentis concursu funditus excisum fuit: Genuenses verò Andreæ Auriæ autoritate, nouum reip. statum antea libertatis nomine tractatum constituerunt: cuius summa fuit, vt quadringenti ciues, omnes eius ciuitatis magistratus, ac præsertim ducem summumq; magistratum in biennium crearent, lege qua nobilitas excludebatur abrogata: cumq; præcipuum libertatis conseruandæ fundamentum esset, vt dissidia inter ciues quæ in ea diu lõgè quã in vlla alia Italiæ ciuitate maiora perniciosioraq; vigue

rant,tollerentur; neque enim vnius tantū modi partes factionesq; vigebant,ſed Guelfi à Gibellinis, nobiles plebeis, & hi non vno modo diſſidebāt; potentiſſimæ verò Adurniorum,ac Fregoſiorum factiones fuere: quarum diſcordiarum cauſſa ea ciuitas obſitum & rerum naualium peritiam ad maritimum imperiū maximè opportuna, depreſſa ac diu in continua ferè ſeruitute fuiſſe credi poterat: quare vt huius mali radices euelleret,omnium ciuitatis familiarum gentiumq; nominibus extinctis, ſolū vigintiocto familiarum ex illuſtrioribus clarioribusq; (Adurnia & Fregoſia prorſus extincta)nomina conſeruarunt; quarum nominib.& numero omnes eos nobiles ac plebeios quibus nullum familiæ gentisúe nomen erat relictum, adiunxerunt: ac quo magis factionum memoriam obruerent,nobiles plebeis, viciſſimque plebeios nobilibus, eos qui Adurniorum ſtudiosè, Fregoſijs, hosque illis aggregarunt: & vt nullum inter ipſos diſcrimen quo magis hi quàm illi ab honoribus & magiſtratibus arcerentur eſſet conſtituerunt: qua hominum nominumque confuſione, vt paucorum annorum ſpacio peſtifera factionum memoria deleretur, futurum ſperabant. Interea verò ſumma inter eos erat Andreæ Auriæ autoritas,ſine cuius conſenſu, ob viri dignitatem claſſis quā à Cæſare habebat famam,quæ cum ad nullam expeditionem abducebatur,in Genuēſi portu quieſcebat; aliasq; eius viri dotes,nihil ex grauioribus præſertim rebus,decernebatur, cuius potentiam & autoritatem minus moleſtam reddebat; quod ex ipſius arbitrio nec pecunia adminiſtraretur,nec autoritatē ſuam in duce alijsq; magiſtratib. creandis nec etiam in priuatis minoribusq; negotijs interponeret:ita vt ciues pacati & magis mercaturæ quā ambitioni dediti, maximè præteritarū moleſtiarum ſeruitutisq; memores,eius reip.ſtatus amandi cauſſam haberent. Pòſt Gallica & Auriana claſſis,inter Monęcum & Niceam ſunt congreſſę, vbi vna Auriæ triremis depreſſa fuit. Sauona amiſſa Vrbini dux & Sanpaulus iterū Senareti inter Alexandriā & Papiā conuenerunt: vbi Vrbinas Papię cuſtodia Mediolanenſiū duci relicta,& Sanpaulū vt per eam hyemē Alexādriæ maneret hortatus,trans Abduam,eare Franciſco Sfortiæ, & Sanpaulo parum grata,ſe conferre ſtatuit.quibus rebus non modò miniſtris parum ſatisfiebat, verùm etiam Galliæ rex,leuibus Venetorum excuſationibus reiectis, quòd Genuenſi Caſtelleto, & Sauonæ cuius mœnia Genuenſes aperiebant,opem non tuliſſent,vehementiſſimè querebatur.Venerunt deinde ad Sanpaulum mille Germani pedites,quibus vnà cum mille alijs quos Vallacerca, in Laumellina habebat, reliquis adnumeratis quatuor millia peditum habebat. Hoc tempore tumultus in Salutiarum regno eſt exortus: nam quū poſt Michaeliſantonij marchionis obitum, Franciſcus eius frater dominatum occupaſſet,Gabriel ſecundus natu,qui etiam maiore natu fratre viuente,matris quæ in filiorum pueritia adminiſtrationi præfuerat,iuſſu,quaſi mente captus,in Reuelli arce cuſtoditus fuerat,ab arcis præfecto dimiſſus,matre à qua in carcerem coniectus fuerat capta, populorum conſenſu imperium omne pulſo fratre occupauit: ſed paulo pòſt Carmaniolā ingreſſus,ac copijs collectis Gabrielem fudit. Hoc anno nihil amplius in Gallia ciſalpina memorabile eſt geſtum, niſi quòd Calatiæ comes Mediolanum vſque excurrit: Veneti enim peditatum,ad Serrauallis, Gauij, & aliorum Genuenſis imperij locorum expugnationem promiſſum Sanpaulo non mittebant: tentata quidem eſt res magni momenti,quoniam Montegianus& Vallacerca cum duobus peditum millibus & quinquaginta equitibus,duas horas ante ſolis occaſum vt Andream Auriam in proprijs ædibus, quæ ad mare poſitæ Genuæ mœnibus ferè coniunctæ ſunt caperent,Vitade ſunt profecti,id conſilium irritum fuit,quia pedites itineris quod viginti duorum milliarium eſt lōgitudine feſſi,minime noctu,ſed aliquot horas poſt ſolis exortum eò peruenerunt:quāobrem rumore excitato, Andreas Auria ab interiori parte in nauim proſiliens periculō ſe ſubtraxit: & Galli re infecta, niſi quòd ædes eius diripuerunt incolumes pedem retulerunt: & Calatiæ comes inſidijs inter Mediolanum & Modoetiam collocatis,quingentos Germanos & centum expeditos equites, qui ad commeatum deducendum ibant, fudit:ſed poſt Bergomum miſſus, eam ciuitatem rapinis ita afflixit, vt Venetus Senatus qui cum pedeſtribus copijs præfecerat, quum tantam inſolentiam & auaritiam amplius ferre non poſſet,eum ipſius magna cum ignominia exautorauerit. Quo tempore Hiſpani Vigeuanum ceperunt,& Belgioioſus qui ex Gallorum cuſtodia effugerat, à Leua

cum

cum duobus peditum millib. vt Papiam, in qua quingenti Mediolanenſium ducis pedi tes erant ex inſidijs occuparet miſſus, cum noctu ad mœnia veniſſet, conſpectus, re infecta retrocedere coactus fuit. Interea duo peditum millia à Cæſare ad Genuæ propugnationem, aut vt ſe ſi opus foret Mediolanum conferrent ex Hiſpania miſſa in Liguriã venerunt, ad quos adducendos Belgioioſus iuit. Sanpaulus ſe vt horum peditum qui ſe aut Caſeto aut Placentia iter facturos ſigna dabant aduentũ impediret, comparabat: & ne qui Mediolani erant illis opem ferre poſſent, vt Venetorum copiæ Laudæ ſe munirent inſtabat; ac annonæ caritate, & Mediolanenſis populi deſperatione audacior factus, vt coniunctis viribus Mediolanum oppugnaretur eis perſuadere nitebatur; quod Vrbini dux diſſuadebat: Veneti verò cùm ſemper in ijs expeditionibus ad quas magnis viribus opus eſt frigere ſoleant, tum maximè hoc tempore quia ob ea quę Andreas Nauagerius qui ex Hiſpaniæ legatione redierat, de Cæſare magnifica referebat, multis concordiam cum Cæſare cupientibus variæ erant in illorum Senatu ſententiæ; ſed nihilominus tandem in fœdere cum Galliæ rege perſiſtendum eſſe decretum fuit. Quo tẽpore Torniellus Ticino cum duobus peditum millibus traiecto, Baſſinianam cepit, ac Laumellinam verſus contendebat: & Farfenſis abbas cum Creſcentinum Sabaudiæ ducis oppidum cũ ſuo equitatu vaderet, noctu fuſus captusq; fuit: ſed Monferratenſis marchionis opera iterum dimiſſus: & Ioannes Iacobus Medices Muſſij marchio aliquot Leuæ milites fudit, eorumq; tormenta cepit. Suſpicio erat pontificem Cæſaris partibus adhærere: quoniam Cruceius Cardinalis cum Neapolim veniſſet, tres Cardinales obſides dimitti iuſſit; & Oſtiæ ac Veterisciuitatis reſtituendæ mandatum à Cæſare habere dicebatur: cuius opera cum ea de re pontificem rogaſſet, factum eſt, vt Auria Herculis portum Senenſibus reſtitueret: Pontificis verò animus quotidie magis rerum nouarum ſtudioſus eſſe cernebatur: eius enim opera quamuis occultè Braccius Ballio, Malateſtę, etſi is à pontifice ſtipendium acciperet, in Peruſinis rebus negotium faceſſebat: & Ferrarienſium ducem Mutinam profectum eſſe certior factus, Pauli Luzzaſchi opera, ducentorum equitum ad Copporum domum in Mutinenſi agro inſidijs poſitis, eum cum Ferrariam rediret capere eſt conatus; ſed quum dux non diſceſſiſſet, res detecta fuit. Neapolitanum regnum hoc tempore etſi Galli debellati eſſent, belli calamitatibus non prorſus erat liberatum: quoniam Simon Romanus copijs denuo collectis, Nauũ, Oriolum, & Amigdalariam, oppida, in Apennini promontorio ad mare ſita ceperat, & Federico Caraffa à Grauinæ duce cum mille peditibus ad eum miſſo, multisq; alijs regionis hominibus ei adiunctis exercitum minimè contemnendum habebat: ſed poſt Cæſarianorum circa Neapolim victoriam, à Grauinæ ducis copijs deſertus, Barleta in quã Vrbem per arcem fuit intromiſſus direpta, illic hæſit; eodemq; tempore Tranium à Camillo, & Monopolis à Ioanne conrado Vrſinis Venetorum nomine cuſtodiebãtur: venerunt deinde eò Rentius Ceres atque Malfiæ princeps cum mille peditibus; qui quum inter Nuceriam & Gualdium veniſſent, pontificis qui victoris animum offendere nolebat, iuſſu inde retrocedentes, nauibus Senogalliæ conſcenſis, belli in Apulia inſtaurandi conſilio mari Barletam petierunt, quod communi ſociorum conſenſu vt Cæſarianus exercitus in vernum vſq; tempus in regno Neapolitano hærere cogeretur conſtitutũ fuerat: quoniam de nouis apparatibus in Ver proximum pro communi ſalute faciendis agebatur. idcirco Galliæ rex pecunias Rentio miſit; & Veneti etiam vt aliorum auxilijs facilius ciuitates in Apulia occupatas conſeruarent idem cupientes, ei duodecim naues longas offerebant; ſed rege, vt eas inſtruerent, & ſumptus octingentis auri libris, quas Lautrechio promiſerant compenſarentur, poſtulante, non audiebant: Angliæ rex ſe ordinarijs ſumptibus non defuturum pollicebatur; & Florentini in copias quas Rentius duxerat tertiam partem ſtipendiorum daturos receperant. Cæſariani in pecunia qua militibus emerita ſtipendia darentur, exigenda occupati, ad hoc incendium extinguendum minimè parati erant; quã vt facilius exigerent, ac ſeueris exemplis regnum in fide continerent, Aurangius princeps, Federicum Caietanum, Traiectenſium ducis filium, & Henricum Pandonem Bouiani ducem, ex Ferdinãdi ſenioris Neapolitani regis filia natum cum quatuor alijs Neapolitanis publicè Neapoli in rerum venalium foro, qua in ciuitate peſtilentia maximè ſæuiebat, capite plecti iuſſit; ijſdemque ſupplicijs & in alijs regni

locis est vsus: quo exemplo, omniũ animis perterrefactis, absentes, qui Gallicam factionem sequuti erant, illorum publicatis bonis persequebantur, qui rebus cõpositis ea redimebant: neque vllum acerbitatis genus, vt quantam maximam possent pecuniam extorquerent, prætermittebant: quorum omnium Hieronymus Moronus, cui Bouiani ducatus in horum operum præmium datus fuit, autor erat. His accessit quòd in Aprutio Ioannesiacobus Francus, pro Galliæ rege Matricem quæ prope Aquilam est, occupauit; qua re tota regio ad tumultũ est concitata: & Aquilæ vbi Sarra Columna cum sexcẽtis peditibus æger erat, omnes in metu erant. Veneti quoque Apuliæ rebus operam dabant; cumque mari aliquot leuis armaturæ equites ad Barletæ præsidium mitterent; aliquot ex ijs nauibus quibus vehebantur, ad Barletæ ac Tranij oram collisæ sunt, vbi legatus qui scapham conscenderat submersus perijt: equites quibus Ioannes Conradus Vrsinus præerat malè mulctati, in Cæsarianorum manus inciderunt: & Ioannes paulus Ceres qui prope Vastium naufragium fecit, Marchionis captiuus fuit. Sub huius anni finem Aquilani, eius ciuitatis episcopi, Montorij comitis & aliorum exulum opera, sese fœderatis dediderunt: cuius rei caussa fuit, quòd à Cæsarianis atrociter vexarentur. Sequitur annus M DXXIX, cuius initio aliquod ab omni parte pacis studiũ apparere cœpit; de qua apud pontificem se agere velle ostendebant. nam quum Cruceium Cardinalẽ, (sic enim Franciscanus ille Generalis vocabatur) cum Cæsaris pro pace constituenda potestate Romam ire notum esset, Galliæ rex qui id summopere cupiebat per literas legatis suis potestatem dedit; & Angliæ rex eandem ob caussam legatos Romam misit. Quæ consilia principum defatigationi adiuncta, fœderatos ad bellicas res comparandas remissiores efficiebant: nam & in Insubria maxima cura erat num Hispani qui Genuam venerant, Mediolanum vnde pecunia deficiente Germani ferè omnes discesserant, veniendi facultatem essent habituri; quibus Belgioiosus Casetum vsq; cum centũ equitibus obuiam profectus, inde ignotus Genuam petijt: vnde pedites Sauonam vt quingentos alios qui tunc demum ex Hispania Villafrãcam nauim appulerant sibi adiũ geret duxit. At in regno neapolitano Cæsariani ne Aquilæ & Matricis defectio, & vires in Apulia collectæ, aliquid grauius parerent metuentes, copias quas habebant, ad eorũ locorum expugnationem conuertere statuerunt: adeo vt Vastius cum Hispanico pedita tu ad Apuliæ loca, & princeps cum Germanis ad Aquilam & Matricem recuperanda contenderent constitutum fuit. vbi autem princeps Aquilæ castra admouit, qui intus erant exierunt, & Aurangius, ciuitatem cum agro ea lege vt mille auri pondo soluerent deditione accepit, & argenteam arcam, ab Aloisio decimo Galliæ rege Diuo Bernandino dicatam arripuit. Inde copias Matricem misit; cuius custodiæ præerat Camillus Pardus cum quadringentis peditibus, qui ante paucos dies, redeundi fide data discesserat: sed siue quòd vinũ non adesset, & aqua esset adempta, ac inter ciues & milites diffidium metuens, siue alia de caussa, non modò non redijt, verũ ne pecuniam quidem omnem à Florentinis eius loci tuendi gratia missam, remisit. quam ob caussam pedites per muros abiuerunt, & ciuitas deditionem fecit. Quorum tam felicium successuum caussa, ne Aurangius in Hetruriam pontifice ponstulante transiret, timebat: nam pontifex breui quidem sed periculosissimo morbo liberatus, tractare omnibusq; spem facere non desinebat: Gallis enim se, si Rauenna & Ceruia sibi restitueretur fœderi adhæsurum; ac honestis legibus cum Florentinis & Ferrariensium duce, qui cum primùm Lautrechio pecuniam soluit, se eam ex liberalitate, non ex debito, cum Pontifex pactionem ratam non habuisset, dare affirmauerat, compositurum pollicebatur: Verũ enimuero, quum mandatis à Cruceio Cardinale allatis (quanquam magnis donis) Ostiæ & Ciuitatisueteris arces recuperasset, occultiora certioraq; cum Cæsare consilia agitabat, magis propria (quæ occultiora solidioraq; fundamenta habere incipiebant) quã communia pacis negotia simul tractabant. In Apulia verò hic erat rerum status: Barletta Galliæ regis nomine custodiebatur; in eaq; erant Rentius Ceres, Melfiæ princeps, Federicus Caraffa, Simon Romanus, Camillus Pardus, Galeatius Farnesius, Ioannes Conradus Vrsinus, & Stiliani princeps. Veneti Tranio, Puluiano & Monopoli potiebantur; ac in his locis duo peditum millia & sexcentos Epyrotas, ex quibus ducenti Monopoli erant, habebant; & Biestri quoque portum obtinebant: his verò copijs Galliæ rex postquam initio paruam

1529

paruam pecuniæ ſummam miſiſſet,nihil amplius ſuppeditabat: neque duodecim triremes nudas à Venetis oblatas accipere voluerat: quorũ tres triremes & Myoparo vnus ſatis magnus, quę commeatum Tranium & Barletam vehebant,ad Beſtricis oram naufragium fecerunt: & diuerſis temporibus quinque naues amiſerant, ſed tormenta & reliqua armamenta recuperarant. In Gallorum poteſtate erant adhuc Angeli mons,Nardoa in Hydruntina regione, & Caſtrum in quo erat Ducenti comes:cumq; regni militibus ac regionis viribus bellum gererent,multi Cæſaris perduelles, & multi qui bellum vt voluntarij milites prædæ modò cupiditate ſequebantur,varijs in locis conuenerunt; quo fiebat,vt eius regionis ab utriuſque partis furtis,rapinis,mulctis,incendijsq; ſubiectæ,fortuna ſupra fidem miſeranda eſſet. Omniũ verò celeberrimæ erant Simonis Romani incurſiones; qui cum ſuo expedito equitatu, ac ducentis & quinquaginta peditibus,omnia circumiecta loca luſtrans,ſæpe pecora, frumentum,aliaque omnis generis Barletam trahebat: nonnunquam etiam maiore peditum numero, nunc inſidijs, nunc vi iam hoc,iam illud oppidum diripiebat, quemadmodum Canuſij fecit: quod oppidũ noctu ſcalis ingreſſus diripuit: & multos quadraginta grauis armaturæ equitum qui in arce erant,equos abduxit. Tandem verò Vaſtius Barleta natura, & opere munitiſſima vrbe non tentata,menſe Martio,cum quatuor Hiſpanorum & duobus Italorum peditũ millibus (Germani enim numero duo millia & quingenti in Aprutio hærentes in Apuliam ire recuſarunt) Monopoli vbi Camillus Vrſinus & Ioannes Viturius Venetus legatus erant,caſtra admouit,& in parua quadam valle quã mons ita tegit vt tormentis ex ciuitate in quã Rentius ſtatim trecentos pedites triremibus impoſitos miſit,peti nõ poſſit, eſt metatus. Monopolis vrbs ambitu perexigua, mari tribus ex partibus alluitur:& in ea parte quæ terram reſpicit, murum habet circiter trecẽtorum & quinquaginta paſſuum, cum foſſa:è regione huius muri Vaſtius ad ſcloppi iactum vallum extruxit:& duo alia in maris litore,vtrinque vnum: hæc autem tam procul vt & mare & portam quæ ad mare vergit infeſta facerent,quo triremibus auxilia commeatumúe aduehi prohiberent. Itaque Vaſtius initio Aprilis Monopolim oppugnauit, qui in oppugnatione vltra quingentorum militum multorumq; fabrorum & trium tormentorum, quæ fracta ſunt, iacturã fecit: & quia à propugnatorum tormentis magno incõmodo afficiebatur,mille & quingentos paſſus retroceſſit:quare Veneti eruptione facta omnia eius propugnacula percurrerunt; portumq; vallo in litore contra hoſtium vallum facto,munierunt,& plus centum ex hoſtibus interfecerunt. Vaſtius iterum Monopoli caſtra admouit, & duos ſublimes aggeres,vnde interiora vrbis pulſaret erexit; foſſasq; quibus ad vrbis foſſas perueniret,easq; ſexcentis faſcium plauſtris repleret,ducere cœpit:ſed paulo pòſt ducẽti pedites Monopoli erumpentes vallum incenderunt:ipſe autem foſſa ad locum qui verberabatur accedẽs,alia item foſſa recta ad Hiſpanorũ caſtra ad lapidis iactũ procul ab oppidi foſſa ducta,valloq; poſt eam munito, tormenta in eo collocauit; & ſexaginta muri cubitos,à terra verò circiter quatuor diruit: ſed nouas copias à Rentio noctu intromiſſas certior factus,tormenta amouit; ac tandem ſub Maij finem obſidionem ſoluit. Dum Monopolis obſideretur,poſtq; variæ res geſtæ,varijq; motus extitere:nam & qui Barletæ erãt maximas prædas agebãt,detrimẽta maxima cladesq; adferebãt:& milites qui in Angeli mõte erant,quibus Federicus Caraffa præerat, Seueri fanũ occuparunt,& Vico oppido opem ferentes Cæſarianos inde caſtra mouere coëgerunt. Caraffa deinde mari cum vigintiſex nauibus Lancianum, in cuius præſidio erant centum & ſexaginta grauis armaturæ equites petijt;& vi oppidum ingreſſus,trecentos equos militares,cum magna aliarum rerum præda nullo præſidio relicto abduxit. Multi etiam exules Baſilicatam regionem maximis damnis afficiebant:qua re Cæſariani ab imperatis pecunijs exigendis vehementer impediebantur:neque dubium eſt quin ſi Galliæ rex pecunias, & aliquot auxiliares copias miſiſſet, per vniuerſum regnum nouas moleſtias, quæ ſaltem Cæſarianum exercitum in propriarum rerum defenſione implicatum detinuiſſent, exoriturasfuiſſe:ſed tandem tumultuarij collectitijq; milites, ſine auxilio aut fauore (ſoli etenim Florentini Rentio aliquid ſuppeditabant) nihil magni gerere poterant: imò Ferrarienſium dux quatuor tormenta mari Rentio mittere recuſauit:& iam Barletæ,frumentum & pecunię deficiebant:& circiter ſexcenti rebelles,à Calabriæ præfecto Monteleo

ne obsessi,& quòd tormentario apparatu commeatuq; carerent ad deditionem coacti, captiui Neapolim perducti fuerunt. Postea Malfiæ princeps classe & Federicus Caraffa pedibus ad Malfettam,quæ olim huius principis fuerat,oppugnandam iuerunt; vbi Federicus pugnans lapidis ictu fuit interfectus: qua re princeps indignatus,expugnatã diripuit. Huiusmodi ferè infortunium Simoni Romano accidit: nam quum Veneta classis,quæ ex Hydruntino promõtorio regionem omnem infestabat, Brũdusium subijsset, militesq;, cum quibus erat Simon Romanus in litus exposuisset; vrbe quidem sunt potiti,sed in arcis oppugnatione,Simon tormenti ictu concidit. Dum hæc in regno varia fortuna geruntur,Galliæ cisalpinæ res minimè pacatæ erant: Sanpaulus enim, sub Martij mensis finem,Serrauallem expugnauit,& arx se neutri parti adhęsuram recepit:sed quũ hostes noctu furtim iterum essent ingressi, Hispanos,quo minus Mediolanum venirent non iam prohiberi posse timebatur; præsertim cum ipsius copiæ quotidie ob pecuniæ inopiam minuerentur: exiguam enim pecuniam à rege accipiebat,eiusq; partem,vt parum prouidus,in suos vsus conuertebat,partẽ ministri intercipiebant: Inter regem ac Venetos quænam expeditio esset aggrediẽda disputabatur: rex vt Genuæ rebus opera daretur,instabat,quòd ea ciuitas maximi momenti esset, ac præsertim quia Cæsarẽ proxima æstate in Italiam venturum iam pro certo habebatur: quia verò rex Venetos nunquam se ad eam vrbem vel tuendam vel recuperãdam adiuuisse animaduerterat (quã quam illi nouorum Germanorum in Italiam aduentus rumorem excusassent) eius expeditionis victoriam illis molestam esse suspicabatur: sed Venetis exiguas copias Leuæ relictas esse ostendentibus,& se Mediolano capto copias suas ad Genuæ expugnationem missuros pollicentibus,vt ex illorum voluntate Mediolanensis expeditio cũ sexdecim peditum millibus communibus impensis fieret mense Martio fuit constitutum,idq; Vrbinati absente: qui quum Aurangius princeps cum Germanico peditatu ad regni fines venisset, ferè Venetis inuitis, se in Vrbini fines contulerat: sed Veneti eum iterum ijsdem conditionibus quas antea ab ipsis habuerant Pitiliani comes, & Aluianus, conduxerunt; eiq; trecentos equites & tria peditum millia quemadmodum debebant, ad custodiam ipsius miserunt; ac Ianum Fregosium castrorum præfectum appellarunt. Erant in Veneto exercitu sexcẽti grauis,mille leuis armaturæ equites,& quatuor (quamuis duodecim habere tenerentur) peditum millia: qui exercitus sexta die Aprilis Cassianum expugnauit,eiusq; arcem vt cum ea suo arbitratu ageret,deditione cepit: Leua autem & Torniellus Mediolano,vt eos in aliam partem traherent egressi, sine vllo fructu pedem retulerunt. Hispani interea quos vt itinere prohiberent,tot res fuerant,totq; cõsilia agitata,ex Liguria Mediolanum peruenerunt: nam quum Sanpaulus & Veneti illos per Dertonensium & Alexandrinorum fines iter facturos credidissent, Vostagio profecti Belgioioſij consilio,longius per Placentinos montes & pontificij imperij fines iter ceperunt; & cum Varzium in eosdem montes venissent, etsi Sanpaulus centum & quinquaginta equitibus in eam partem missis,iter illorum ijs qui Laudæ erãt, & Venetorum ducibus significasset: qui vt eos impedirent, copiarum suarum partem Mediolanensiũ duci,sed vnius diei spacio tardius quã necesse fuisset,ac minorem quã promiserãt numerum miserunt, tamen Padum noctu Arenæ nauibus Placentia acceptis traiecerunt: nec iam quo minus cum Leua,qui vt quo facilius id fieri posset, Landrianum quod duodecim milliaria Papia abest,venerat,coniungerentur prohiberi iam poterat. Landriani igitur coniuncti,& Mediolanum profecti,quũ tam omnium rerum inopes essent,haud iniuria vulgò EGENTES appellabantur. Mediolanensium calamitates eos vel in ipsis vijs spoliantes,auxerunt. Sic Gallorum & Venetorum totius hyemis consilia quę fuerant de his militibus itinere prohibendis ac Gauio & Genuæ circumiectis locis, atque Caseto quod regionem vniuersam magno incommodo afficiebat,capiendis,irrita fuerunt. Leua etiam Binascum deditione cepit: sed quòd Hispanis naues Placẽtia suppeditatę fuissent,& quòd nisi se,si opus foret,in eam vrbem confugere posse certò sciuissent,castra moturi non fuisse crederentur, multis alijs indicijs addita, socijs suspicionem augebãt; præsertim cũ arces restitui viderent, pontificẽ cũ Cæsare fœdus aut percussisse aut percussurũ esse. is aũt quum cogitationes suas oẽs, quamuis occultè ad Florentinũ imperium recuperandum direxisset,etsi Gallos oratores circumagens varia consilia agitaret,

ac

ac varias fœderis cum eis ineundi ſpes illis & alijs ſocijs ſimul proponeret; nihilominus tum Cæſaris ſurgentem potentiam tum fortunam magnopere metuens, tum etiam cum facilius quàm Francum ad ſuos Florentiam reducendos conſtabiliendosque inducere poſſe ſperans, in Cæſaris quàm in Galliæ regis partes magis propendebat; atque vt ſibi ad eundem finem faciliorem aditum pararet, Peruſiam ſummopere ſibi obſequentem reddere cupiebat: idcirco Braccium Ballionem, qui quotidie res nouas in illis locis moliebatur, fouere credebatur: quamobrem Malateſta ne dum in eius ſtipendijs eſſet ipſius opera opprimeretur veritus, ſibi aliud patrocinium neceſſariò quærendum cenſuit: ideoque ſiue hac de cauſſa, ſiue amplioris conditionis cupiditate, ſiue inueterato odio motus, iterum ad eius ſtipendia conduci recuſabat, ſe, quod nullum ea de re ſcriptum monumentum extaret, minimè obſtrictum eſſe, etſi pontifex eum teneri affirmaret, itaque de Galliæ regis ac Florentinorum ſtipendijs accipiendis agebat; atq; à Cortonenſi cardinale conſilia contra ſe agitata fuiſſe, literasque Medicei cardinalis ad Braccium Ballionem à ſe interceptas querebatur. Pontifex autem qui id obliquè impedire volebat, publico edicto ne quis imperio ſuo ſubiectus ſine ſua venia ſtipendium ab alijs principibus caperet, publicationis bonorum omnium pœna propoſita, vetuit; nec tamen ideo Malateſta ſententiâ mutauit: cui Galli ducentos equites, duorum milliũ aureorum numûm ſtipendiũ, D. Michaëlis equeſtris ordinis dignitatẽ, & tempore belli duo peditum millia promiſerunt: & Florentini eum Magiſtrum militũ appellarunt: eiq; duo millia aureorũ numûm, belli verò tempore pedites mille, filio autẽ ipſius quinquaginta equites & totidem Horatij filio, cum quingentos aureos numos decreuerunt; ipſius ſtatus ac Peruſiæ patrocinium ſuſceperunt: & Gallię rex atq; ipſi ſimul, ei pacis tempore ſingulis menſibus centum aureorum numûm ſtipendium ad decem belli duces alendos conſtituerunt: Florentini pręterea, ei in ducentos pedites ad Peruſiæ cuſtodiam ſtipendium dabant; ipſe verò ſe cum opus foret, etiãſi à Gallis promiſſa auxilia non haberet, cum mille peditibus eis ſolis operam nauaturum recepit. Pontifex ea de re apud Galliæ regem, quaſi id apertè vt ſibi de ciuitate pontificatui ſubiecta quod vellet ſtatuendi facultas adimeretur factum eſſet, grauiter eſt queſtus: cuius animum quum rex irritare nollet, eius pactionis confirmationem protrahebat; & pontifex ideo Malateſtam ab ea ſententia remoueri poſſe ſperans, eum in ſuo ſtipendio etiam non obſtrictus perſeueraret hortabatur; eodemq; tempore clàm Braccium Ballionem, Sarram Columnã & Peruſinos exules fouebat: qui copias colligentes, Nurſię caſtra locarant: ſed hæc omnia irrita erant; quia Malateſta in pontificijs ſtipendijs perſeuerare minimè ſtatuerat; & Florentinis ipſum apertè iuuantibus, hos motus parui faciebat: qui, quum pontifex haud ſatis eſſe ad id quod cupiebat, animaduerteret, citò deſierunt. Pontifex ne Ferrarienſium quidem ducem pacatum eſſe patiebatur: tam enim ab ijs quæ pontificum collegij nomine cum eo ſtipulata fuerãt, erat alienus, vt quum Mutina iterum ob Gonzagæ cardinalis mortem epiſcopo careret, eum epiſcopatum qui in ea pactione ducis filio promiſſus fuerat, Hieronymi Moroni filio contulit: vt ſi ei poſſeſſionẽ denegaret, tanta autoritate apud Cæſarianos virum in eum concitaret. Ac per Vbertum Gambarã Bononiæ præfectũ Regij occupandi conſilia cum Hieronymo Pio agitauit: de quo dux huius conſpirationis indicijs ad ſe perlatis, meritũ ſupplicium ſumpſit. Nitebatur etiã Rauennam inſidijs recuperare; qui conatus quoq; irritus fuit: quo tempore quotidie magis animum in Cęſaris partes inflectens, cumq; iam ea de re preſſius actum eſſet, Vaſonenſem epiſcopum domus ſuæ magiſtrum ad eum miſit. Angliæ regis diuortij cauſſam ad Romanã curiam euocauit; quod quidẽ multo antè feciſſet, niſi eum priuilegium quod in Anglia penes Campegiũ erat, retinuiſſet: ſed pòſt Cęſaris rerũ ſucceſſibus in Italia auctis, cum eũ non modò non offendere deinceps vellet, ſed potius offenſionem illatam abolere (nam etiam antequam in morbum incideret cauſſam Romã vocare conſtituerat) Franciſcum Campanam in Angliam ad Campegiũ cardinalẽ regi eum alijs de cauſſis, ad idẽ tamen pertinentibus mitti oſtendens, cum mandato vt priuilegiũ igni traderet miſit; quod etſi ille pontifice interea ægrotante diſtulerit, tamen illo conualeſcente eius mandato paruit. Itaque pontifex hoc metu liberatus, ſumma cum eius regis, præſertim quum à cardinale petens quid de eo factum eſſet reſciuit, indignatione, rem ad Romanæ curiæ iu-

dicium vocauit. Hæc Eboracensi cardinali exitium pepererunt: quoniam rex tantam esse eius cardinalis apud pontificem autoritatem censebat, vt si ei suum cum Anna connubium gratum fuisset, à pontifice quicquid vellet impetraturus fuerit: qua indignatione, aduersariorum ipsius inuidiæ & calumnijs aures accomodans, pecunijs ac ingentis pretij supellectile ei ademptis, & exigua sacrorum fructuum parte tantùm concessa, eum cum paruo famulatu ad episcopatum suum relegauit: nec multo pòst, siue eius ad Galliæ regem literis interceptis, siue alia de caussa, ab ijs qui nonnullis à rege verbis quæ illius desiderium ostendebant auditis, ne pristinam autoritatem recuperaret metuebant incitatus, accusatione contra eum in regio cõsilio instituta, illum se ad caussam dicendam sistere iussit: cuius rei caussa quum tanquam captiuus ad aulam duceretur, vel impotenti ira, vel metu alui profluuio in itinere correptus, altero ægritudinis suæ die obijt: documentum nostra ætate memorabile, quo perspectum est quantum fortuna atq; inuidia in principum aulis possit. Eadem tempestate noua rerum mutatio Florentiæ, extitit aduersus Nicolaum Caponium vexilliferum ferè sub secundi ipsius magistratus anni finem, magno eius reip. detrimento, nonnullorum ciuitatis principum, qui vanæ suspicionis ac multitudinis imperitiæ occasione vsi sunt, potissimum inuidia concitata. Nicolaus sibi toto magistratus sui tempore duo potissimum proposuerat; videlicet eos qui apud Mediceos in honore fuerant à recenti inuidia tueri; imò vt præcipui inter illos quemadmodum alij ciues, honorum publicorumque consiliorum participes fierent operam dare; & in ijs quæ ad libertatem non spectabant, pontificis animum non irritare: quorum vtrunque reipublicæ vtilissimum extitisset: quoniam multi ex ijs ipsis quos vt reipublicæ hostes persequebantur, si tuti & mollius tractati fuissent, cum alijs ad reipublicæ conseruationem coniunctissimi extitissent: præsertim cum scirent, pontificem ob ea quæ quum status reipublicæ est immutatus secuta sunt, non satis æquo in se animo esse: & pontifex etsi suorum reditum vehementissimè cuperet, tamen non recenter prouocatus, minorem sese præcipitandi, & cum alijs principibus quemadmodum subinde faciebat quiritandi caussam habuisset: his autem rebus nonnullorum ambitio repugnabat, qui si qui Mediceorum amici fuerant, viri proculdubio maiore rerum peritia & virtute ad magistratus admitterentur, autoritatem suam minorem fore animaduerterent, nulli rei nisi vt pontificem eiusque clientes multitudini suspectos redderent, operam dabant: hiq; Vexilliferum cum has ob caussas, tum ne ei magistratus in tertium annum prorogaretur, animo, non quantum reip. caussa postulabat, à Mediceis alienũ esse calumniabantur. Quibus calumnijs ipse nihil commotus, & pontificẽ non irritari valde vtile ducens, eũ literis ac nuntijs priuatim demulcebat: quæ tamen nunquã nisi nonnullis ex ciuitatis principibus, & ijs qui summos magistratus gerebant conscijs, neque in alium finem quàm vt eum ab aliquo præcipiti consilio remoueret, cœperat feceratúe; sed quũ ei forte fortuna literæ quædam Roma acceptæ, quibus aliqua verba quæ ijs qui harum rerum originem & fundamẽta ignorarent suspicionem adferre possent inerant, cecidissent; eęque in nonnullorum ex ijs qui summos magistratus gerebant manus peruenissent, seditiosis aliquot iuuenibus concitatis, prætorium armis occuparunt; ac Vexilliferum quasi in custodia retinentes, magistratibus, multisq; ciuibus per tumultum ferè conuocatis, vt se magistratu abdicaret constituerunt: quare maioribus comitijs comprobata, eius caussa postea iure perquiri est cœpta; & à iudicibus liberatus, ab vniuersa ferè nobilitate summo honore domum suam est deductus; eique suffectus est Franciscus Carduccius, homo si anteactam vitam, eiusque mores & prauos fines intueare, tanto honore indignus. Hoc tempore Galliæ cisalpinæ res iterum turbari cœperunt: nam quum vigesima septima die Aprilis Sanpaulus Valentiæ Padum traiecisset; Cæsariani eam ob caussam Bassinianæ vicum, & Cairi plebem deseruerunt: itaque Sanpaulus inde Guidonem Rangonium cum exercitus parte Mortariam quæ duplici fossa, vallo & aqua munita erat, misit: qui quum noctu tormenta sine cratibus ac pluteis, sine fossis & aggeribus, ac ceteris huiusmodi apparatibus collocassent, diluculo qui intus erant erumpentibus, magnam cladem acceperunt; fueruntq; ipsis duo tormenta clauis confixa, cum omnium amittendorum periculo, idq; nõ sine Rangonij culpa; propterea quòd, etsi tunc non bene valeret, dum collocarentur non affuisset. Pertenues erant tunc

Medio-

Mediolani apparatus, at nec Gallis nec Venetis in meliores: qui dum alter alterũ accusat, apparatus negligũtur: quare inter ceteras difficultates aliqua dubitatio in sociorum animis exoriebatur, ne dux Mediolani, exigua spe principatus sui viribus, & auxilijs ipsorum recuperandi perspecta, Moroni opera aliquam cõpositionem cum Cæsarianis faceret; Gallię verò regis consilia quòd se filios alia ratione recuperare posse diffideret, ad pacẽ omnia spectabãt: cuius cũ & Cæsar cupidus esset, duo homines à Margarita regina in hunc finem in Hispaniam missi, amplissimam ei pacis faciendæ potestatem adferentes redierant: qua de re per suum ab epistolis ministrum, quem hac de caussa in Flandriam miserat certior factus rex, à socijs vt ipsi mandata suis transmitterent petijt: cumque animo prorsus omnes belli curas deposuisset, aliquem prætextum quærens, quòd Veneti pecuniam ad sumptus in aduentu suo faciendos contribuere recusarent querebatur: nam etsi ipsi initio illum vt si Cæsar veniret, ipse quoq; in Italiam transiret vehementer essent hortati: & rex se cum duobus millibus & quadringentis cataphractis, mille leuis armaturæ equitibus, ac viginti peditum millibus, si sibi à socijs pecuniæ quibus præter hos mille alios leuis armaturæ equites & alia viginti peditum millia alere posset darentur, ac sumptuum qui in tormenta fierent dimidium solueretur, id facturum obtulisset, tamen post quæcunq; tandem caussa esset, sese subtrahebant. Sanpaulus hoc tempore quatuor tormentis Sanctangelum in quo quadringenti pedites erant expugnauit; deinde Sancolumbanum deditione accepit: vt viam ibi ad commeatum Placentia accipiendum aperiret; cumq; quatuor millia peditum & in his multos, ægrotos Mediolani esse certior factus esset, ad eius oppugnationem mentem conuertit. Secunda die Maij Mortariam tormentis ita concussam vt iam propugnari non posset, ad suum arbitrium obtinuit: & Torniellus Nouaria, sed non arce in qua pauciſſimos imposuit, deserta, se Mediolanum contulit: ita vt Cæsariani vltra Ticinum nihil præter Gazanum & Abiatis arcẽ possiderent: nam Sanpaulus etiã Vigeuani arcẽ ceperat, decima die ad Loccate pontẽ, vt sese ad Sanmartinum cum Venetis coniungeret est profectus. Vrbinatium dux deinde ad exercitum venit: & quum Belgioioſi duces conueniſſent, cõmuni cõsilio bipartito Mediolani castra admouere; & vt ideò Sãpaulus Ticino traiecto ad Abiate expugnandũ deflecteret, eodemq; die Veneti ad Sammartinum ad quintum à Mediolano lapidem metarentur statuerunt: aiebant autem Venetos 12 & Sanpaulum, cui Mediolanensium ducis peditatus sese adiuncturus erat, octo peditum millia habere: quamobrem Sanpaulus Ticinum traiecit; cumq; Abiate oppidum desertum inueniſſet, arcem deditione cepit: deinde quum Gazani quod Mediolano octo millia passuum abest castra haberet, tertia die Iunij iterum Binascum venerunt: quo in loco quum Venetos vix mediam partem ex duodecim peditum millibus quæ ex fœdere debebant, habere compertum esset, eaq; de re Sanpaulus grauiter quereretur (etsi Rangonuis Antonium Leuam qui nihil præter Mediolanum & Comum possidebat Mediolanum nisi bipartito exercitu expugnari nõ posse dicere solitum diceret) coniuncto exercitu quà Lazaretum est, Mediolano castra admouere decreuerũt: sed post paucos dies, cum vtrinq; exercitus duces Laudam cõueniſſent, Mediolani & Vrbini duces, etsi prius vt exercitus Mediolanũ duceretur vrsiſſent, ac Genuensem expeditionẽ dissuasiſſent, sententia mutata contrariũ suaserunt: cuius nouæ sententiæ cõfirmandæ gratia Vrbinas multas rationes adferebat; præsertim verò, quòd quum Cæsar cuius transportandi gratia Auria cum classe octaua die Iunij Genua soluerat iter in Italiã adornaret, & nouæ copiæ in Germania quæ Felice duce in Italiam mitterentur conscribi ferrentur, vtrũ melius esset, Mediolanũ caperet præstaret, an secus, se ignorare diceret; has inquam ille rationes afferebat; verùm opinio erat illum quod pacem de qua in Flandria sedulò agebatur successurum existimaret, veneto Senatui, qui Bergomũ muniebat, Mediolani recuperãdi gratia sumptus facere inutile esse ostendisse: eius consilij summa fuit, vt Venetorũ copiæ Cassiani, Mediolanensium ducis Papiæ, & Sanpauli Abiate metarentur: & equitatu ne cõmeatus Mediolanum importaretur prohibere niterentur: nam quòd exigua tantùm eius agri pars culta fuerat, breui defuturus credebatur. Non potuit Sanpaulus eos ab hac sententia remouere; sed non tamen vt exercitus suus Abiate consideret, comprobauit: aiebat enim ad Mediolanum fame opprimendum satis esse, vt Venetorum copiæ Mon-

tiæ, Sfortianæ verò Papiæ atque Vigeueni manerent: se verò à rege nisi Mediolano castra admoueret, ad Genuensem expeditionem incitari; ideoque eam summam celeritate tentare velle; quòd Auria absente, Cæsarem Fregosium, quem Galliæ rex ipsum & non patrem eius præfectum ei vrbi destinasset, eius statum exiguis copijs mutaturum speraret, aggredi velle. Quæ res tum etiam quòd quàm peditum numerus esset imminutus sciret, Leuam ita Mediolanensium rerum periculi metu liberarant, vt Philippum Torniellum cum paucis equitibus ac trecentis peditibus, dum Galli & Veneti inter Ticinum ac Mediolanum erant, ad Nouariam expugnandam miserit: is autem per arcem quæ in ipsorum potestate erat ingressus, Nouariam recuperauit: ac cum copijs ad prædã & cõmeatum colligendum excurrit. Verùm accidit vt quum arcis præfectus, arce egressus esset, ac per ciuitatem obambularet, duo Sfortiani milites & tres Nouarienses, qui in arce captiui detinebantur, nõnullorum qui in arce aliquid faciebant operis, auxilio, qui busdã Hispanis peditibus partim cæsis partim captis, auxiliũ à suis sperantes arcẽ occuparint: quoniam Mediolanensiũ dux vbi Tornielli Mediolano discessum cognouit, de Nouaria solicitus, Ioannempaulũ fratrem suum cum minimè paruo equitum ac peditũ numero eò miserat; isq; iam Vigeuenum peruenerat: sed Torniellus arcis casu cognito statim Nouariam redijt: & minis ac oppugnationis apparatu, illos Sfortianos milites ita terruit, vt Nouarienſium qui secum erant salute neglecta, suam ipsorum tantùm pacti, arcem dediderint. Itaque vt Mediolanum Venetorum atque Sfortiæ copijs infestaretur est decretum: quanquam Vrbinas se, quo Venetorũ finibus propinquior esset, nõ Montiæ, sed Cassiani castra locaturum dixit: & Sanpaulus qui ad Biboldonis abbatiam castra habebat, vt Genuam versus contenderet trans Padum redire statuit. hoc igitur cõsilio, Landrianum duodecim millia passuum procul à Mediolano inter Laudensem & Papiensem viam se transtulit: cumq; in sequenti die videlicet XXI Iunij, Lardiragi Papiam versus metari vellet, tormenta, impedimenta, & primum agmen præmisit; ipse verò serius cum medio & nouissimo agmine castra mouit: quare Leua per exploratores de primi agminis discessu & ipsius mora certior factus, militibus linteis tunicis super induere iussis, noctu Mediolano est egressus: ipsum verò diu iam membrorum doloribus debilitatum, in sella armatum quatuor viri ferebant: cumque bis mille passus prope Landrianum sine tympanorum strepitu venissent, & Sanpaulum nondum Landriano castra mouisse per exploratores cognouissent, iter accelerans eos antequam aliquid de ipsius aduentu rescirent, cum iam primum Gallorum agmen Ioannethoma Galaratensi duce tam procul abesset vt suis in tempore opem ferre non posset, est adortus; & quamuis Sanpaulus duobus millibus & quingentis Germanis quos habebat fretus, de equo descendens fortiter pugnaret, ipsi tamen leui defensione facta inclinare cœperunt; sed eos in pugna retinuit Ioannes Hieronymus Castillionæus, & Claudius Rangonius, duorum Italorum millium qui egregiè pugnarunt duces: sed tandem equitibus & Germanis terga vertentibus, Itali quoque idem fecerunt; & Sanpaulus equo iterum conscenso, quum magnam quandam fossam tranſilire vellet, captus fuit, & cum ipso Ioannes Hieronymus Castillionæus, Claudius Rangonius, Liniacus, Carbo, & alij clari duces: milites fusi, & multi equi, ac ferè totius exercitus impedimenta, atque tormenta capta: cataphracti ferè omnes, & Guido cum primo agmine euaserunt, seque Papiam, & inde initio noctis Laudam contulerunt: ita territi vt parum abfuerit quin se ipsi per se conficerent; multique in itinere remanserunt: duces autem se eo quòd militibus stipendia numerata non fuissent, excusabant; & Galli omnes in Galliã redierunt: sic armis ferè per totam Italiam ob aduersam Gallorum fortunam positis, maiorum principũ mentes ad pacem erant conuersæ: omnium aũt prima pax inter pontificẽ & Cæsarem Barcinone, pontifici cõmodissima fuit: siue quòd Cæsar in Italiam veniendi cupidissimus, sibi ea in re pontificis amicitiã necessariã esse ratus, impedimenta amouere cuperet; siue quòd valde amplis cõditionibus iniurias quas à ministris suis exercituq; põtifex acceperat, obliterandi maiorẽ ei caussã prębere vellet. Leges aũt hæ fuerunt. Inter pontificẽ & Cæsarem pax perpetua fœdusq; esto: Pontifex Cęsariano exercitui, si ex regno neapolitano discedere voluerit, per imperij sui fines itineris faciendi facultatẽ concedito: Cæsar tum noui matrimonij, tum Italiæ tranquillitatis caussa,

Lau-

Laurentij Medicis filium Florentiam cum eadem autoritate quam maiores ipſius ante quam pellerentur obtinebant; ſumptuum tamen qui ea re fient, quemadmodum à pontifice & ipſo pronuntiatum fuerit habita ratione, reducito: Quamprimum fieri poterit vel armis vel quauis alia ratione vt pontifici, Ceruia, Rauenna, Mutina, Regium, Ruberia, abſq; Romani Imperij & ſacroſanctæ ſedis iurium fraude reſtituantur, operam dato: Pontifex verò his recuperatis, Cæſari accepti beneficij gratia, regni neapolitani iura diplomate concedito; poſtremiq; diplomatis cenſum ad niueum equum iuris in id regnum pontificij argumentum reuocato: 24 templorum cathedralium de quibus controuerſia erat, nominationẽ cõcedito: in reliqua ſacerdotia ius ſuum pontifex habeto: pontifex & Cæſar cum is in Italiam venerit, ſimul ad colloquium vt de Italiæ tranquillitate, & communi inter Chriſtianos pace agant, conueniunto; ſeque inuicem debitis conſuetisq; ceremonijs & honoribus accipiunto. Cæſar ſi pontifex eius opẽ Ferrariæ occupandæ gratia imploraverit, vt ſacroſanctæ ſedis patronus, propugnator, & primogenitus filius, eum ad finem vſq; pro ijs quæ tunc aderunt facultatibus iuuato: de ſumptibus verò & rei gerendæ ratione, ac forma, ex temporum & euentorum occaſione ſimul conſtituunto: Pontifex & Cæſar communi conſilio, vt Franciſci Sfortiæ cauſſa ex æquo & bono, ac per minimè ſuſpectos iudices cognoſcatur, aliquam rationem excogitanto; eique ſi culpa carere inuentus fuerit, imperium reſtituito; ſin ſecus, Cæſar, quamuis de Inſubriæ imperio ſtatuendi ius penes ipſum ſit, de eo cum pontificis conſilio & conſenſu ſtatuito: idque alicui qui pontifici acceptus ſit tradito, aut vt magis Italiæ tranquillitati conducere videbitur, aliud de eo ſtatuito. Cæſar Ferdinandum Vngariæ regem fratrem ſuum, vt pontifice viuo, & duos annos poſt Mediolanenſe imperium è Cerniæ ſalinis ſalem, vt in fœdere inter Cæſarem & Leonem poſtremo regni neapolitani diplomate confirmato, pactione tamen ea de re cum Galliæ regi facta minimè cõprobata, & abſq; Romani Imperij ac Vngarię regis fraude capiat, aſſenſurum promittito. Neutri ipſorum noua in huiuſce fœderis fraudem, quæ ad Italiæ res ſpectent fœdera pangere, aut iam pacta, quæ huic repugnent ſeruare fas eſto: Venetis tamen, ſi ijs quæ in regno neapolitano poſſident ceſſerint, quæ Cæſari & Ferdinando poſtremi fœderis inter ipſos contracti vi præſtiterint, & Rauennam Ceruiamq; reſtituerint, detrimentorum quoq; harum rerum cauſſa acceptorum, vectigaliumque ab ipſis iure conſeruato, ſeſe adiungendi facultas eſto. Cæſar & Ferdinandus, vt hæretici in viam reducantur omnem operam danto; & pontifex ſacra remedia adhibeto: quod ſi pertinaces perſtiterint, Cæſar & Ferdinandus eos armis cogunto; & pontifex vt ceteri Chriſtiani principes ipſos pro viribus iuuent, operam dato: Pontifex & Cæſar, alter alterius imperio ſubiectorum, beneficiariorumúe, niſi directi imperij in aliquem iure, nihil vltra progreſſi patrocinium ne ſuſcipito: & patrocinia antehac ſuſcepta intra menſem irrita ſunto. Hanc autem amicitiam coniunctionemq; vt firmior eſſet, arcto affinitatis vinculo ſanxerunt: Cæſar enim Margaritam ſuam extra matrimonium filiam, cum viginti millibus aureorum numũm dotis nomine annuis, Alexandro Medici Laurentij quondam Vrbini ducis filio; in quem pontifex, quia quum in periculo mortis eſſet Hyppolitum Iuliani filium in pontificum collegium cooptarat, familiæ ſuæ potentiam omnem conferre in animo habebat, connubio iuncturum ſpopondit. Separatim verò, & alia eodem tempore tranſacta ſunt; videlicet, vt pontifex Cæſari & fratri, ad Turcas propulſandos ſacrorum beneficiorum quartam fructuum portionem ea ratione qua Adrianus Sextus fecerat, concederet: omnibus ijs qui Romæ aut alijs in locis in ſacroſanctam ſedem deliquiſſent, quiq; eos viribus, conſilio & fauore iuuiſſent, particepsúe fuiſſent, aut ea quæ facta ſunt rata habuiſſent, tacitè vel apertè comprobaſſent veniam largiretur. Quum Cæſar ſacri belli diploma ſibi à pontifice minus amplum quàm alia ante id tempus conceſſa, nondum promulgaſſet, pontifex eo obliterato, aliud, cuiuſmodi fuere quæ Iulius & Leo pontifices cõceſſerunt, concederet. Hanc compoſitionem, omnibus difficultatibus remotis, antequam ſtipularentur, Sanpaulum fuſum fuiſſe Cæſari eſt nunciatum: & quamuis ſuſpicio eſſet ipſum vt conditiones ſuas meliores redderet, de ijs quæ tractata fuerant, aliquid immutaturũ, tamen omnia alacriter confirmauit; eodemq; die qui fuit XXIX Iunij, ad auguſtiſſimi Barcinonenſis templi auguſtiorem aram, ſolemni iureiurando ſanciuit. Nec verò minore

ardore,pacis inter Cæsarem & Galliæ regẽ negotium procedebat:ad quod tractandum vbi mandata sunt allata,destinatum fuit Cameracum, locus ad maximas res decernendas fatalis;quò Margarita Cæsaris amita,& Galliæ regis mater conuenirent.Interea verò Galliæ rex Italiæ sociorum legatis,omni diligentia & arte,etiam ea quæ nõ seruare in animo habebat promittens, quoniam Angliæ rex horum consiliorum particeps erat,se cum Cæsare absque ipsorum consensu & voluntate,nihil acturum:& quia metuebat ne quid de sua voluntate suspicantes, prius quàm ipse cum Cæsare paciscerentur, & sic ab omnium societate excluderetur,se pacem nõ spernare,quin potius toto animo bellicos apparatus meditari eis persuadere nitebatur: de quibus assiduè agens, Tarbensem episcopum in Italiam cum mandato vt Venetos, Mediolanensium ducem, Ferrariam,Florentiamq; ad res ad bellum spectantes tractandas iret,miserat;ac si Cæsar in Italiam veniret, Galliæ regem quoque eodem tempore cum potentissimo exercitu,si reliqui socij pro sua virili ad necessarios sumptus conspirarent venturum polliceretur: & nihilominus pacis negotium semper maiore studio agitabatur: cuius caussa septimo die Iulij reginæ magna pompa per diuersas portas Cameracum sunt ingressæ, & in duas contiguas domos inter se mutuo aditu patentes diuerterunt, eodemque die simul sunt colloquutæ, & per procuratores illarum pacis capita tractari cœperunt: Francus verò rex cui Veneti hac re territi,multa pollicebantur, vt ex propinquiore loco difficultates quæ inciderent dissoluere posset, Compiendium se contulerat : eum autem in locum non modò hæ duæ reginæ, verùm etiam pro Angliæ rege Londinensis episcopus,& Suffolciæ dux, quia eius regis consensu & consilio hæc tractabantur,conuenerunt: & Pontifex Capuanũ Archiepiscopum eò misit, aderãtq; omnium sociorum legati:his aũt Galli ab ijs quæ tractabantur prorsus diuersa referebant: tanta enim in rege siue inhumanitas, siue sola proprij commodi cogitatio tota in filiorum recuperatione defixa, inerat, vt quum Florentini eò, vt soceri sui Aloysij anni M D X I I cum ipsis factum & exemplum sequutus, ipsos salutis suæ gratia cum Cæsare paciscí pateretur, vehementer ab eo flagitassent,deuenerint;pollicitus sit,se nunquam pacem sine ipsis initurum, & ad bellum paratissimum esse,quemadmodum etiam in maximo pacis negotij ardore ceteris omnibus semper promittebat.Die XX I I I Iulij de pace inter pontificem & Cęsarem contracta nuntij sunt allati; cumq; negotium maximè ferueret,ob controuersiam quorundam eius Burgundiæ partis,quæ Franciæ comitatus dicitur, oppidorum caussa ortam,ita turbata sunt omnia, vt Galliæ regis mater discessum adornaret;sed pontificij legati ac potissimũ Capuani archiepiscopi opera, etsi rebus iam cõstitutis rex eadẽ quæ antea socijs promitteret, pax confecta est:ac tandem quinta die Augusti in Cameraci maximo templo est promulgata; cuius primum caput fuit,vt regij filij dimitterentur,eamq; ob caussam rex Cæsari duo decies centena millia aureorũ numũm, & Angliæ regi Cæsaris nomine ducenta millia persolueret : intra dies quinquagintaduos à pacis sanctione omnia quæ in Insubria possidebat Cæsari restitueret: Astam ei relinqueret,eiusque iuribus cederet:quamprimùm posset, Barletã & omnia quæ in regno neapolitano obtinebat, restitueret:Venetis,vt ex Cuneacensis compositionis formula Apuliæ loca restituerent, idem rex obtestaretur; ni facerent,sese illorum hostem profiteretur; ac Cæsarem ad ea recuperanda trecentis in singulos menses auri libris, duodecim triremibus,quatuor onerarijs,& quatuor longis nauibus magnis in sex menses proprijs sumptibus iuuaret:ex triremibus ad Delphinij portum captis eas quæ in potestate sua essent,restitueret;aut illarum pretium, ijs quæ post id tempus Auria vel alij Cæsaris ministri cepissent, detractis persolueret. Atq;,vt Madrilij actum fuerat,supremo Flandrię atq; Artesiæ imperio, & Tornaij,atq; Arelatis iuribus cederet:Borbonij proscriptionẽ aboleret, ipsiq; defuncto honorem,& successoribus bona restitueret;quanquam Cęsar postea regem simulac filios recepit, ea illis iterum ademisse questus est.Bona belli caussa occupata, dominis vel illorum successoribus restituerentur: in quo etiam quia rex Aurangio principi bona sua non restituit, Cæsari expostulandi caussam dedit. Omnes prouocatorij famosiúe libelli,etiam Roberti Martiani libellus in perpetuũ sublati intelligerẽtur.In hac pace primum locum obtinuit pontifex,& Subaudiæ dux vt Ro.Imperij beneficiarius,ac præsertim vt à Cæsare nominatus adiunctus fuit; additumq; est,vt rex se in Italiæ Germaniæúe

rebus

rebus pro nullo principe in Cęsaris fraudē immiscēret; etsi postea rex sibi huiusce pacis vi quo minus ea quæ Sabaudus ex Galliæ regno occuparat, & quæ ob matris suæ iurā ad se spectabant recuperaret, nō interdici assereret. Illud quoq; fuit expressū, vt Veneti Florentini si intra quatuor menses controuersias suas cum Cæsare composuissent intelligerentur inclusi; quod perinde fuit, ac si tacitè excluderentur: eadē fuit Ferrariensis in hoc fœdere ratio; neq; regni neapolitani procerum & exulum mentio vlla facta est. Rex pace cōstituta, statim vt Margaritam reginam salutaret, Cameracū venit: cumq; nonnihil eum ob tam turpe facinus puderet, per aliquot dies varijs subterfugijs fœderatorum legatorum conspectum colloquiumq; vitauit; apud quos postea tandem singulos seorsim audiens, se quòd filios alia ratione recuperare non potuisset, excusauit; sed Ammiralliū ipsorum caussa ad Cæsarem missurum dixit, aliasq; leues spes dedit: ac Florentinis se eis quadraginta aureorum numûm millia, vt sese imminentibus periculis liberarēt, mutuo daturum promisit; quæ eundem quem reliqua exitum habuerunt: & Stephano Columnæ cuius opera non amplius vti volebat, quasi id in illorum gratiam faceret, vt ipsis militaret, concessit. Dum hæc agerētur, Leua Abiate expugnarat; & Vrbinatium dux in Cassiani castris hærens, ijsq; muniendis incredibili fabrorum numero operam dans, Angeli fanum & Papiam, quòd Cassiani castra, ad Laudæ & Papiæ opem ferendam opportuna esse diceret, propugnari suadebat. Deinde Leua Enzagum ad tertium à Cassiano lapidem petijt, quo ex loco semper Venetos leuibus prælijs lacessebat; ac postremo Enzago siue vt in Bergomatium fines excurreret, siue quòd à Venetis aquarum riui euripiq; fracti essent, Vaprium castra transtulit. Hoc tempore Vistarinus Valentiam per arcem est ingressus; & ducentos pedites qui aderant oppressit: iamque mense Iulio duo Hispanorum peditum millia Genuam, vt Cæsaris aduentum præstolarentur venerant: & Cæsar statim pace cum pontifice inita, Aurangio, vt ex pontificis voluntate copias in Florentinos duceret, mandauit: Aurangius verò Aquilam profectus, copias suas in regni finibus colligebat; quem pontifex vt progrederetur vehementer vrgebat. Itaq; princeps vltima die Iulij fine copijs Romam, vt cum pontifice de rebus ad bellum necessarijs cōstitueret, petijt: vbi post varia consilia quæ variè agitata, ob difficultates quas pontifex in sumptibus interponebat, ter ferè sunt perturbata: tandem vt pontifex ei triginta aureorum numûm millia in præsentia, & post breue tempus quadraginta millia persolueret; ipse verò Cæsaris sumptibus primò Perusiam Malatesta Ballione pulso, pontificio imperio subijceret; deinde Florentinos, Medicææ familiæ in eam ciuitatem restituendæ caussa, quod pontifex illos ab omnibus desertos, maiorum suorum more potius cessuros quàm patriam summo apertissimoq; periculo obiecturos ratus, facillimum fore censebat, oppugnaret. Ideo Aurangius copias suas in quibus erant tria Germanorum ex postremis illorum qui ex Hispania cum prorege, & ex Germania cum Georgio Franspergio in Italiam venerant reliquijs, & quatuor Italorum sub diuersis, nempe Petroludouico Farnesio, sancti Secundi comite, Martio, & Sarra Columna ducibus peditum millia collegit; & pontifex tria magna & nonnulla alia tormenta quæ ei commodaret ex Angelica arce eduxit. Aurangium verò Vastius cum Hispanorum peditatu qui in Apulia erat sequuturus erat. Sed longè alia erat Florentinorum mens animiq; ad defensionem pertinacissimi; cuius vrbis quia multarum memorabilium rerum caussa fuit, situm describere operæpretium esse videtur.

Florentiæ vrbis descriptio desideratur.

Quæ dum vtrinque comparantur, Cæsar cum magna tum onerariarum tum longarum nauium classe, qua mille equites & nouem peditum millia vehebantur, Barcinone soluens, vbi non sine molestia & periculo, quindecim dies per mare vagatus esset, duodecima die Augusti Genuam, qua in vrbe de pace Cameraci contracta nuntiū accepit, peruenit: eodemq; tempore Felix cum 8 Germanorum millibus, in Insubriam ad ipsius stipendia venit. Eius cum tanto apparatu aduentus, totius Italiæ, quæ se illi à Gallię rege iam prædæ relictā certò sciebat, animos terruit: quocirca Florentini primo eius rei nuntio territi, quatuor legatos ex ciuitatis principibus qui ei aduentum ipsius gratularētur,

resque componere niterentur ad eum decreuerunt: sed pòst paulatim animum resummentes, mandata limitarunt; eaq; ad ipsius modò res, non autem ad controuersiæ cum pontifice negotium tractandum coarctarunt: Cæsari enim ob præteritarum rerum memoriam, & paruam quæ inter pontifices ac Cæsares esse solebat fiduciam, eius potentiam molestam fore, eundemq; vt pontificatus potentiæ Florentini imperij autoritatem & vires adiungeret, minimè cupere sperabant. Veneti Florentinos quum ipsis fœdere iuncti essent, sine ipsorum consensu ad communem hostem legationem decreuisse valde ægrè tulerũt, & Ferrariensium dux quoq; ea de re questus est; etsi & ipse illorũ exemplum sequutus statim idẽ fecerit: & Veneti Mediolanensiũ duci vt ipse quoq; idem faceret concesserunt: qui multò antè etiam quàm Sanpaulus victus esset, sibi Galliæ regis & & Venetorum auxilijs parum fidendum animaduertens, clàm apud pontificem, vt res suas cum Cæsare componeret egerat. Cæsar Hispanos pedites quos secum duxerat, Sauonæ exponi iussit; & vt Leua potens in aciem prodiret, in Insubriam misit: obtulerat autem se eos Spediæ vt in Hetruriam contenderent exponi curaturum; sed pontifici ob conceptam opinionem tantis viribus minimè opus esse videbatur, cum præsertim vt regioni parceret, tantum impetum nisi opus foret in eam vrbem conuertere minimè cuperet: cuius & simul contra Malatestæ Ballionis quum se iam apertè hostem profiteretur, Sperellum equitem, qui ante pacem Cameraci contractam à Galliæ rege ad Malatestam, cum quo contractam pactionem ratam habuerat, cum pecunijs missus Perusiam redibat, in põtificij imperij finibus capi curauit. Pecuniam quoq; à Florentinis Farfensi abbati, ab ipsis cum ducentis equitibus conducto, vt mille pedites conscriberet missam prope Braccianum rapi iussit, sed citò eam restituere fuit coactus: nam quum pontifex, Farnesium, Cruceium, & Medicem cardinales legatos ad Cæsarem decreuisset, & Cruceius per Farfensis ditionem iter faceret, Abbas eum cepit; neq: vnquam donec pecuniam recuperasset, dimittere voluit. Florentini verò frustra apud Cæsarem, vt donec legatos ipsorum audiuisset arma quiescerent efficere conati, in apparatibus suis perseuerabant: & ab Hercule Estensi Ferrariensiũ ducis maximo natu filio, quem ante sex menses ad exercitus sui imperium conduxerant, vt quemadmodum debebat cum copijs suis ipsis auxilio veniret petierunt: is autem, etsi pecuniam in mille pedites, quibus ad sui corporis custodiam cum equitaret destinatos ab eis accepisset; nihilominus patre suas rationes fidei anteponente, pecunia minimè restituta ire recusauit, equitatum tamen suum misit: cuius rei caussa Florentini ei in alterum annum quo vtrique liberi erant, stipendia denegarunt. At Aurangius XIX Augusti, Ternium, & Germani Fulginium vbi exercitus colligebatur peruenerant: illud autẽ ridiculum erat, quod cum pax inter Cæsarem & Galliæ regem iam contracta & promulgata esset, Tarbensis episcopus regis apud Venetos, Florentinos, Ferrariensem, & Perusinum legatus, maximos regis ad bellum apparatus extollebat, eosq; ad idem hortabatur. Aurangius deinde cum sex partim Germanorum, partim Italorum peditum millibus Spellio castra admouit: vbi quum oppidum situs explorandi caussa cum magno equitatu obiret, Ioannes Durbina qui diuturna militia in Italia exercitatus, inter omnes Hispanici peditatus duces principatum obtinebat, ab ijs qui intus erant in fœmore vulnus accepit: quo vulnere intra paucos dies magno exercitus detrimento (eius enim consilio totum ferè bellum administrabatur) interijt: tormenta deinde Spellio, vbi vltra quingenti pedites & viginti equites Leone Ballione Malatestæ ex concubina fratre præfecto erant, sunt admota: sed quum paucis ictibus turrim quandam, quæ extra oppidum prope mœnia erat concussissent, qui intus erant, etsi Leo Malatestæ fratri magnam propugnationis spem feciisset, statim ea lege oppidum cum oppidanis Aurangij arbitrio permitterentur, milites verò cum rebus suis quas ipsi ferre possent, & gladijs tantùm incolumes abirent: neq; eis intra tres menses contra pontificem Cæsaremúe stipendia capere liceret, deditionem fecerunt: sed milites quum exirent, ferè omnes spoliati fuerunt. Huius deditionis culpa non mediocriter Ioannibaptistæ Borghesio, Senensi exuli fuit attributa; qui vbi cum Fabio Petruccio qui in exercitu erat, de compositione agere cœpisset, reliquorum ducum auxilio transegit: quod Malatesta perfidiæ, multi alij animo abiecto ascripserunt. Interea verò Florentinorum legati ad Cæsarem admissi, primò omnium ei aduentum sunt gratulati;

lati; ac ciuitatem minimè ambitiosam, sed ob accepta beneficia gratam, & ad commoda ijs à quibus conseruaretur præstanda pratam esse, ostendere conati; Florentinos sese pontificis, qui tunc ipsis imperabat voluntate cum Galliæ rege fœdere iunxisse; & pòst coactos in eo perstitisse excusarunt: nec vltrà sunt progressi, quia aliud mandatum non habebant, nisi vt quid ipsis proponeretur rescriberent, & præterea vt nullam compositionis cum pontifice rationem audirent; & legatos quidem ipsius Mediceo cardinale excepto salutarent, ipsis à republica diserte iniunctum erat: quibus à Magno Cancellario qui paulo antè cardinalis designatus fuerat, responsum est, oportere eos pontifici satisfacere: & quum ipsi hanc petitionem iniustam esse quererentur, iterum respondit, ciuitatem ob fœdus cum Cæsaris hostibus initum, & copias contra ipsum missas, priuilegia amisisse atq; ad Imperium recidisse: ideoq; Cæsarem de ea quicquid vellet statuendi potestatem habere: ac tandem eis Cæsaris nomine dictum, vt sibi etiam cum pontifice componendi potestatem mitti curarent; vt de controuersijs inter pontificem & ipsos agi posset: Cæsarem enim de proprijs rebus, nisi illis prius compositis cum eis agere nolle. Florentini autem ampliſſimam cum Cæsare, sed non cum pontifice componendi potestatem miserunt: quamobrem quum Cæsar Genua profectus trigesima die Augusti Placentiam venisset, legati ipsum sequentes, quòd potestatem & mandata qualia petierat illos non habere cognitum esset, intra Placentiam non sunt admissi. Sic res sine concordia manserunt: præterea Cæsar Ferrariensium quoque ducis legatos rigidè acceptos discedere iusserat: quamuis pòst alia ratione susceptа ac fortasse nouis fauoribus fulti redeuntes, admissi fuerint. Misit quoque Cæsar Nassauium ad Galliæ regem oratorem, vt quòd nouo fœdere affinitatis vinculum corroborassent ei gratularetur; & pacis sanctionē acciperet: quas ob causas & rex, maritimæ rei præfectum quem Ammiralliū vocant, ad ipsum mittebat: & Rentio Ceriti, vt cum copijs omnib. ex Apulia discederet, pecunias misit: præterea, 12 triremes quæ Philippino Auria duce cōtra Venetos eò contenderent instruxit: aduersus quos Cæsar Andream Auriam cum triginta septem triremibus misit: quanquam rex se, si Cæsar adhuc aliquid impedimenti in Italia haberet, filios certius recuperaturum ratus, socios spe fouebat: & præsertim Florentinis se clàm per Ammirallium pecuniā missurum pollicebatur: non quidem quo vel ipsis, vel alijs adesse in animo haberet; sed vt difficilius cū Cæsare componerent. Interea de compositione inter Cæsarem & Franciscum Sfortiam, per protonotariū Caracciolū, qui Placentia Cremonā vltro citroq; ibat, agebatur: qua in re quum Cæsar ducem sibi minus quàm speraſſet fidere ægrè ferret, & ab alia parte duci vt fideret difficile persuaderi posset, vt Alexandria & Papia tandiu donec causſa dijudicaretur, in pontificis potestate essent agi cœpit: quod Cæsar illum ad vires suas sustinendas minimè parem ratus, assentiri noluit; idque maximè quia Leua Placentiam venerat; & vt erat ocij pacisque inimicus, multis rationibus eum ad bellum accenderat: quare Cæsar Leuæ vt Papiam oppugnaret mandauit, simulque vt Felix qui cum nouo Germanico peditatu, equitatuque, & tormentis Pischeriam versus, moxque in Brixiensium fines venerat, ab illa parte Venetis bellum inferret: cui expeditioni Mantuanum marchionem qui recenter Cæsari erat reconciliatus, præfecit. Pontifex interea de pace inter Cæsarem & Venetos concilianda agebat; seque eam vbi Bononiam veniret conciliaturum sperabat: nam quum prius de colloquio simul Genuæ habendo egissent, pòst communi consensu ob loci opportunitatem, vt id Bononiæ fieret distulerant: ad hunc autem congressum, non modò contracti fœderis roborandi consolidandiq; eos commune desiderium impellebat: verumetiam Cæsarem quum imperij coronam accipere in animo haberet, necessitas, & pontificem Florentinæ expeditionis cupiditas; vtrumq; autem Italiæ rerū aliqua ratione constituendarū; quod nisi Venetorū & Mediolanensiū ducis rebus cōpositis fieri non poterat, studium mouebat: atq; etiā vt periculis à Turcarū imperatore qui maximo cū exercitu Vngariā ingressus, Austriā versus vt Viennā expugnare conaretur contendebat, imminentibus prospicerent. Hoc autē tempore inter Cæsarem & Venetos nihil adeò magni gerebatur; quoniā Veneti pacem cum illo habere cupientes, ne eius animum magis irritarent, classem suam à Brundusinę arcis expugnatione Corcirā contraxerant; ac solùm ijs quę possidebant tuendis operam

dabant: & in Gallia caſalpina cum nihil adhuc præter leues excurſiones fieret, oppidorum tantùm cuſtodiæ intenti, Vrbinatium ducem Brixiæ collocarant. Germani numero mille equites & octo aut decem peditum millia, Lunatæ caſtra habebant: conſtitutum autem erat vt vnà cum Mantuano marchione Cremonam in qua Mediolanenſium dux erat oppugnarent: at Mediolanenſium dux, ſe à compoſitione cum Cæſare excluſum, & Leuam Papiæ caſtra admouiſſe, iamque Caracciolum Cremonam ad bellum ſibi denuntiandum venire cernens, cum Venetis ſe cum Cæſare ſine ipſorũ conſenſu non compoſiturum conuenit: ipſi verò ei ad imperij ſui propugnationem, duo peditum millia ſuis ipſorum ſumptibus, & octo aureorum numũm millia in ſingulos menſes promiſerunt; tormentaque & milites ad eum Cremonam miſerunt: quibus auxilijs dux ſe Cremonam & Laudem tueri poſſe ſperabat: Papia enim Leuæ parum obſtitit, non modò quia ad duos menſes commeatum non habebat, verùm etiam quia Pizzinardus eius cuſtodiæ præpoſitus, ante paucos dies quatuor peditum cohortes ad Angelifanum, cui Leua ſe caſtra admouere velle fingebat, miſerat: eamque ob cauſſam cum paucos milites ſecum haberet, de eius propugnatione diffiſus, nec tormentorum impetu, nec impreſſione expectata, vbi tormenta admoueri vidit, ea lege vt ipſe & milites cum rebus ſuis incolumes abirent deditionem fecit; non ſine magna infamia, quòd plus in eo cupiditas tot prædis congeſtas diuitias non amittendi (quæ res eum ad deditionem accelerandam impulit) quàm gloriæ multis egregijs facinoribus eo in bello, & præſertim circa Papiam partæ conſeruandæ ſtudium potuiſſet. Hoc tempore Hetruriæ bellum iam vehementer exardeſcebat: quoniam Aurangius Spellio expugnato, & Vaſtio qui ipſum cum Hiſpanico peditatu ſequebatur appropinquante, ſtatim ad ſancti Ioannis Pontem prope Peruſiam, qua in ciuitate erant tria Florentinorum peditum millia, ad Tiberim venit; quo in loco Hiſpanicus peditatus ſe illi adiunxit. Aurangius iam antequam Spellio caſtra admoueret, hominem qui Malateſtam vt pontificis voluntati cederet hortaretur, Peruſiam miſerat: Pontifex enim, vt quocunq; modo Peruſiam ſibi ſubijceret, exercitusque vlterius progrederetur, Malateſtæ ſe, ſi Peruſia excederet, ipſi proprios ſtatus ac bona conſeruaturum, vt liberè Florentinis opem ferret conceſſurum; ac vt Braccius & Sfortia Balliones, alijque ipſius hoſtes Peruſiam non redirent effecturum, obtulit; & quamuis Malateſta ſe ſine Florentinorum conſenſu nulla ratione paciſci velle diceret, ſemper tamen principis, qui poſt Spellium à ſe captum magis inſtabat, nuntijs aures præbebat. Hæc autem Malateſta, quia de ſucceſſu & fortaſſe ne tandem Florentini in auxilijs quæ cuperet, ſibi ſuppeditandis non perſeuerarent dubitabat, ad compoſitionem proculdubio animum flectens cum Florentinis communicabat: quod ſi ſibi componendum eſſet, ijs quæ proponebantur æquiores leges non ſperabat: longè enim melius cenſebat, pontifice non irritato, eique ſe bonis oppidisque quæ ſibi conſeruabantur ſpoliandi occaſione non data, Florentinorum ſtipendium retinere, quàm dum imperium ſuum tueri vellet, ſe amicis ac toti ciuitati odioſum reddere: ſed tamen ſemper ſe ſine illis componere nolle aiebat: verùm ſi Peruſiam tueri vellet, vt Florentini præter alios, mille pedites ad ſe mitterent, & reliquæ ipſorum copiæ Vrſariæ ad quintum ab Cortona lapidem in Cortonenſis & Peruſini agri finibus conſiſterent: quod quidem ipſi niſi omnia oppida ſua præſidijs nudarent, facere nõ poterant: quum tamen is locus tam parum munitus eſſet, vt ad quemuis hoſtium motũ retrocedere fuiſſent coacti: quòd ſi non componeret, principem Peruſia à tergo relicta, Florentiam verſus iter ſuſcepturum: quod ſi faceret, vt Peruſiæ mille pedites integros, qui etiam non ſatis eſſent, ipſi relinquerent oportere: propterea quòd pontifex eam ciuitatem alijs viribus, quàm Cæſariano exercitu infeſtare poſſet: ſi cõponeret, Florentinos omnes ſuos milites ad ſe cõtracturos, ſeq; præterea ducentos aut trecentos ſelectos viros ſecum ducturum; & ſtatu bonisq; ſuis cõſeruatis, ac hoſtibus ciuitate excluſis, æquiore animo ipſorum defenſioni operam nauaturũ oſtendebat. Florentinis bellum Peruſiæ fouere gratum fuiſſet, ſed quum Malateſtã continenter cum principe de cõpoſitione agere cernerẽt, eumq; nunquã eadẽ de re cũ pontifice agere deſijſſe ſcirent, ne ſuorũ incitationibus, ciuitatis & regionis detrimẽtis, hoſtiũ metu, & populi inconſtantia motus tandẽ cederet, metuebãt: ipſisq; virium ſuarum florem

ac neruum ferè omnem, in ea vrbe Malateſtæ fidei, hoſtium victoriæ, & illorum, ſi Malateſta paciſceretur, ad ſe retrahendorum difficultatis diſcrimen ſubiectum collocare valde periculoſum videbatur: præterea Perufini ſtatus mutationē Malateſtæ amicis manentibus, ipſiq; caſtellis ſuis relictis, & Braccio atque fratribus non redeuntibus; quibus ex rebus fiebat, vt pōtifex, dum illa ciuitas in eo ſtatu maneret, ſemper de ea ſolicitus eſſe cogeretur, rebus ſuis parum obeſſe poſſe cogitabant: qua in animi fluctuatione ſuorum militum ſalute omnibus rebus antepoſita, nec ſatis Malateſtæ conſtantiæ confiſi, ſexto die Septembris, ne ſi compoſitio fieret deciperentur metuentes, occultiſſimè proprium hominem ad eos reuocandos miſerunt: & pòſt illos ob hoſtium propinquitatē diſcedere non potuiſſe certiores facti, Malateſtæ vt componeret aſſenſi ſunt: ſed is dum nuntius in itinere eſſet prœoccuparat: quoniā Aurangius nona die Septembris, ad S. Ioannis pontem Tiberim traiecit; & caſtris poſitis poſt aliquod leue præliū, eadem nocte cum Malateſta his legibus pepigit: vt Perufia diſcedēs bonis ſuis frui poſſet; Florentinis tanquam miles operam nauandi illorumq; copias incolumes reducendi poteſtatem haberet: quibus vt ad ſeſe intra Florentinorū imperij fines recipiendi tempus daretur, Aurangius ſe biduum cum exercitu in ijſdem caſtris manſurum promiſit. Sic XII die exierunt, & ſumma celeritate incedentes, eodem die per montes longo & difficili, ſed tuto itinere Cortonā peruenerunt: ſic totus belli impetus in Florentinos eſt cōuerſus: quibus etſi Veneti atq; Vrbinatiū dux ſe tria peditum millia, quæ Aurangij in eas partes aduentū metuentes, in Vrbinatiū fines miſerant, ipſis auxilio miſſuros ſpem feciſſent, id tamen, quia pontificem irritare nolebant, non præſtiterunt: Veneti ſolummodo Caſtrocari quæſtori pecuniam in ducentorum peditum ſtipendia dederunt: & quamuis is Senatus & Ferrarienſium dux ſemper compoſitionem cum Cæſare quærerent; tamen vt hæc difficultas eum in rebus ipſorum facilioré redderet, Florentinos ad ſeſe tuendos hortabātur. Duo tunc Florentini ſibi in primis propoſuerant: primùm vt exercitus tandiu in itinere detineretur, vt ciuitatem ad cuius mœnia tandem bellum redactum iri putabant, munire poſſent; alterum vt Cæſaris animum etiam compoſitione cum pontifice, modò ne libertatis & popularis ſtatus forma immutaretur facta, placare niterentur. Quocirca quum legati ipſorum nondum excluſi fuiſſent, nuntium ad Aurangium miſerant, & legatos ad pontificem decreuerant; quumque ſe legatos miſſuros ei ſignificaſſent, vt exercitum ad illorum aduentum vſque ſuperſedere iuberet, rogarunt; quod ipſe recuſauit: quare Aurangius progreſſus, Cortone, qua in ciuitate ſeptingenti pedites erant, ſuburbium ad Vrſariam conuerſum tormentis verberaruit, inuaſit, & repulſus fuit. Aretij maior erat peditum numerus; verùm Antonius Franciſcus Albitius, præfectus, ne Aurangius Cortona capta, Aretioque à tergo relicto, Florentiam verſus contenderet, & ſic Aurangio ante eos milites quos ipſe Aretij ſecum habebat eò perueniente, ciuitas optimis ſuis propugnatoribus deſtituta, eamque ob rem territa paciſceretur metuens, id deſerendum ratus, ſine publico conſenſu, quamuis fortaſſe Vexillifero tacitè annuente, ducentis tantùm peditibus in arce relictis, cum omnibus copijs Aretio diſceſſit: ſed vbi Figinium peruenit, Malateſtæ qui ibi erat, & vt vires omnes ad Florentiæ propugnationem contraherentur probabat, conſilio, mille pedites Aretium ne prorſus deſertum relinqueretur remiſit. Die verò decima ſeptima Cortonenſes ad quorum tutelam mille pedites ſatis fuiſſent, ſe à Florentinis non ſtrenuè iuuari cernentes, & fortaſſe etiam Aretinarum rerum titubatione cognita, etſi ab Aurangio cum quo viginti aureorum numūm millibus compoſuerunt, non admodum premerentur, deditionem fecerunt. Cortonæ iactura peditibus qui Aretij erant; quum ſe id propugnare non poſſe cenſerent, eius ciuitatis deſerendæ cauſſam dedit. Aretini verò & ipſi decima nona die cum Aurangio eiuſmodi legibus & conſilio, vt potius ſub Cæſaris patrocinio libertate fruentes ſuis legibus viuere quàm Florentinorum imperio parere velle præ ſe ferrent, atque ante id tempus Mediceæ familiæ fauere, atque popularis ſtatus hoſtes falſo viſos eſſe & ſimulaſſe oſtenderent, compoſuerunt. Quo tempore Cæſar diſertè Florentinorum legatos, niſi Mediceis reſtitutis amplius audire recuſarat; & Aurangius, etſi cum oratoribus qui apud ſe erant, pontificis cupiditatem, eiusque expeditionis iniquitatem liberè deteſtaretur; tamen ſe

nisi Mediceis restitutis ab incœpto desistere non posse declararat: cumque trecentos grauis, quingentos leuis armaturæ equites, bis mille & quingentos Germanos selectissimos milites, duo Hispanorum & tria Italorum, Sarra Columna, Petromaria Rossio, Petro Aloysio Farnesio, & Ioannebaptista Sabello ducibus peditum millia haberet: quibus postea accesserunt Ioannes Saxatellus Florentinis à quibus conductus fuerat accepta pecunia defraudatis, & deinde Alexander Vitellius, qui tria peditum millia habebant: sed quum à tormentis haud satis esset paratus, ea à Senensibus sibi commodari petijt: qui etsi ob pontificis odium eiusque potentiæ metum, Florentinæ reipublicæ cum qua ob communis in pontificem odij vinculum, per multos menses tacitam pacem fœdusque habuerant, statum immutari molestè ferrent, tamen quum Cæsariano exercitui petita auxilia denegare non possent, tormenta quantam poterant moram interponentes, parabant. Pontifex interea Florentinorum oratores audiuerat; eisque se ciuitatis libertatem minimè turbare velle, verùm non tam ob iniurias ab ijs magistratibus acceptas, & status sui periculo liberandi necessitatem, quàm ob fœdus cum Cæsare initum eam expeditionem aggredi coactum fuisse: in qua quum nunc dignitas sua ageretur, nihil aliud nisi vt sese liberè suę potestati permitterent, petere: quo facto, quantopere communis patriæ commodum exoptarer, se ostensurum respondit: postea cum Florentinos timore præsertim, postquam legatos suos à Cęsare reiectos cognouerunt crescente, nouam ad se legationem decreuisse audiret, ipsos cedere paratos ratus, & vt agri vastatio vitaretur, rem citò perfici cuperet, Capuanum archiepiscopum per dispositos equos ad exercitum misit; qui Florentia iter faciens, diuersam ab ea quam sibi persuaserat voluntatem inuenit. Aurangius interea progrediebatur, & vigesima quarta die, Monteuarchij in Arniualle, vigintiquinque millia passus à Florentia, octo maiora tormenta quæ sequenti die itineri sunt commissa à Senensibus expectans, castra habebat: sed quum tormenta eadem qua parata fuerant tarditate veherentur, in caussa fuerunt, vt Aurangius, qui XXVII die exercitum Figinium & Anciſam vsq; duxerat, ad IIII Octobris diem eumq; totum in ijs castris manserit: ex quo totius eius expeditionis difficultas orta est: nam Florentini Aretio amisso, spes & promissa vndique irrita reddi cernentes, munitiones item quæ in vrbe montem versus fiebant, nondum eo redactas, vt quamuis diligentissimè ijs faciendis incumberetur, militibus ante octo aut decem dies propugnationi vsui esse non posse viderentur, & hostilem exercitum progredi, atq; Ramazzotum pontificis iussu cum tribus peditum millibus Bononia profectum Florentiola direpta, Mugellanum agrum ingressum audientes, ac ne Pratensem agrum ingrederetur metuentes, ciuibus territis, multisque metu ex vrbe sese subducentibus, ad compositionem animum flectere cœperunt: ita vt in Decemuirùm qui magistratus bellicis rebus præpositus est, consilio, cui primarij ciues interfuerunt, omnes liberum & amplum sese pontificis voluntati permittendi mandatum Romam mittendum censuerint: sed quum id ad summũ magistratũ sine cuius cõsensu huiusmodi res decerni non poterat, retulissent; Vexillifer qui in cõtraria sententia pertinax erat, repugnauit: & populari collegiorum magistratu, qui Romanæ vrbis plebis tribunorum potestatem ex parte referebat sibi coniuncto, in quo forte fortuna multi erant peruersa mente, & magna temeritate insolentiaq; præditi, multorum quoq; iuuenũ audacia & minis eius sententiam fouentibus, tantum potuit, vt nihil eo die statui potuerit: & tamen certum est si princeps sequenti die qui fuit vigesima octaua Septembris, vnis castris propius vrbem accessisset, eos qui compositioni repugnabant, reliquorum omnium voluntati minimè obstituros fuisse: ex tam leuibus caussis sæpe rerum maximarum momenta pendent, vana Aurangij cunctatio, quam aliqui belli fouendi caussa studiosè interpositam interpretabantur (neque enim ad castra Florentiæ admouenda tormenta erant necessaria) vt multi Florentiæ animum resumerent in caussa fuit. Illud autem maioris momenti fuit, quòd munitiones quibus faciendis nulla temporis interposita mora ingenti hominum numero incumbebant, eò perductæ sunt, vt antequam Aurangius eo ex loco castra moueret, duces ea satis ad defensionem idonea esse censuerint: quapropter, pacis studio extincto, ciuitas se pertinaciter ad propugnationem comparauit: ad quorum spem augendam illud quoque accessit, quòd Ramazzotus qui secum rusticos sine

cos sine stipendijs, non milites duxerat, quum non pugnandi sed prædandi animo veniſſet, vbi Mugellanum agrum totum diripuiſſet, ſeſe cum præda in Bononienſium fines militibus omnibus qui maximam prædæ partem ipſi vendiderant dilabentibus, receperat: ſic facilè bellum quodque paruo omnium detrimento confectum fuiſſet, in grauiſſimum atque internecinum, quod niſi tota regione vaſtata, eaque ciuitate ad extremi excidij diſcrimen redacta ad finem perduci non potuit, eſt conuerſum. Aurangius quinta Octobris die Figinio caſtra mouit: ſed vt Senenſium tormenta, quæ propè aderant opperiretur, tam lentè incedens, vt non ante vigeſimam diem copias omnes & tormenta in Ripoli planitiem, ad alterum ab vrbe lapidem duxerit: & vigeſimaquarta cum omni exercitu, in collibus muris imminentibus metatus, ita vt caſtrorum alterum à Samminiati porta, per colles qui ciuitati imminent, ad Sangeorgij portã vſque, alterum ab eadem Samminiati porta ad Nicolai portæ viam protenderentur. Erant in vrbe octo peditum millia; & Pratum, Piſtorium, Empolim, Piſas atque Ligurnũ, quæ loca omnia idoneo præſidio munita erant tueri; cetera verò loca, potius populorum fidei & voluntati, ac ſitus naturæ committere, quàm ea magnis militum præſidijs munire decreuerant: verùm iam regio tota voluntarijs militibus prædatoribusque replebatur: & Senenſes non modò paſſim prædabantur, verùm etiam copias ad Montempolitianum occupandum, ſibi poſtea vt eo potirentur à principe conceſſum iri ſperantes, miſerunt: ſed quum aliquot Florentinorum pedites adeſſent, facilè propugnatum fuit: & paulo pòſt Neapoleo Vrſinus qui Florentinis militabat, nec antequam pontifex Bononiam verſus ſeſe itineri commiſiſſet, ex Latio diſcedere voluerat, cum trecentis equitibus eò venit. Aurangius igitur caſtris poſitis, ijsque valde latè in Monticulis Galli, & Giramontis collibus protenſis, & fabris ac nonnullis minoribus tormentis à Lucenſibus acceptis, vallum (quod Miniatenſis propugnaculi oppugnandi cauſſa facere credebatur) extrui curauit: contra quod quatuor magna tormenta in Miniatenſi horto tumulo erecto collocata fuerunt. Collis & Geminiani fanum, oppida, ad commeatus qui Senis vehebatur viam aperiendam valde opportuna ſtatim principi ſeſe dediderunt. Die vigeſima nona Aurangius princeps, quatuor maiora tormenta, in Giramontis vallo contra Miniati templi turrim, vt eam dirueret collocauit: à quodam enim tormento, quod ſacrum vocant, in ea turri collocato, magnum detrimentum exercitus ſentiebat, & paucarum horarum ſpatio duo ex illis tormentis fracta ſunt: quare quum ſequenti die aliud tormentum eò aduexiſſet, & circiter centum quinquaginta globis fruſtra petiuiſſent, neque ſacrum ex ea deturbare potuiſſent, iaculari deſierunt: & omnibus iam Florentiam ab vnico præſertim exercitu difficillimè expugnari poſſe animaduertentibus, res deferueſcere, ac potius leuioribus prælijs, quàm oppugnatione geri cœpit. Secunda Nouembris die ad Georgij & Nicolai propugnacula, atque in Romana via acriter eſt dimicatum: & quarto die, eius generis tormentorum quæ longiora ſunt, ideoque colubrinæ vocantur, vnum in Giramonte contra vrbis prætorium fuit collocatum; quod primo ictu diſruptum eſt. his quoque diebus equites qui in vrbe erant, in Peſiæ vallem excurrerunt, & centum equos maxima ex parte vtiles ceperunt: & præterea nonnulli alij Florentinorum equites & ſclopetarij Eræponte erumpentes, inter Capannas & Sancti Romani turrim ſexaginta equites ceperunt. Quo tempore quum pontifex Bononiam peruenisſet, Cæſar magnorum principum more, poſt illum venit: moris enim eſt, vt quum duo principes conuenire debent, qui dignitate antecellit, primus ad conſtitutum locum veniat: nam honoris loco habetur, vt inferior ad eum veniat: Cæſar igitur à pontifice maximo honore exceptus, ijſdemque ædibus, ædiumque partibus coniunctis acceptus fuit: ita vt ex ſignis & familiaritate quæ inter eos apparebat, ſemper maxima beneuolentia neceſſitudineque iuncti fuiſſe viderentur: & quum iam Turcarum irruptionis metus deſijſſet, quoniam illorum exercitus, vnà cum ipſomet Domino, quum Viennam quæ maximo Germanorum præſidio erat munita veniſſet, non modò ſæpius fruſtra oppugnationem tentarat, verùm etiam cum ingenti ſtrage repulſus fuerat; ita vt (quum

præsertim magna tormenta ad mœnia concutienda non haberent)eius expugnandæ spe amissa, & tempestate quæ in ea regione quum mensis October esset asperrima erat, pressi, ob ea non in vicinum aliquem locum castra transtulerunt, sed Constantinopolim quæ trimestri itinere distat, abierunt. Cæsare igitur hac suspicione liberato, quæ animum ipsius antea, etsi Papia capta esset, non modò ad pacem cum Mediolanensium duce ineundam flexerat, verùm etiam vt pontificem ad aliquam compositionis cum Florentinis rationem excogitandam, quo ipse Italiæ rebus compositis cum exercitu in Germaniam contendere, & Viennæ ac fratri opem ferre posset, hortari vellet effecerat, de Italiæ rebus agere cœperunt: in quibus nihil pontifici magis quàm in Florentinos expeditio cordi erat: & ad hanc Cæsar quoque, cum vt pontifici in ijs quæ Barcinone pacti erant satisfaceret, tum quòd cum ciuitas Gallici nominis studiosa esset, eam deprimi cuperet, valde propensus erat. Idcirco cum quatuor Florentinorum ad pontificem missi oratores Bononiæ essent, & ipsum quoque conueniendi copiam sibi dari peterent, nunquam nisi semel quum pontifici, à quo etiam eis respondendi argumentum Cæsar accepit, visum est, eos audire uoluit. itaque in expeditione pergendum esse constituerunt: & quoniam ea difficilior quàm pontifex sibi proposuisset inueniebatur, vt si cum Venetis & Francisco Sfortia componendi occasio daretur, copiæ quæ in Insubria erant Cæsaris sumptibus eò mitterentur; & pontifex principi qui horum negotiorum tractandorum caussa Bononiam venerat, sexagena millia aureorum numûm in singulos menses repræsentaret: quibus quia Cæsar tantos sumptus sustinere non poterat, copiæ quæ iam circa Florentiam erant alerentur. Actum deinde est de altera pontificis caussa, hoc est, de Mutinæ & Regij rebus: in qua quum pontifex vt pertinaciæ notam vitaret, eandem cantilenam antea excogitatam, ac sæpius decantatam, ceciniſſet, videlicet se, si de ijs ciuitatibus tantùm ageretur, Cæsaris voluntati non repugnaturum; sed Mutina & Regio alienatis, Parmam atque Placentiam ita à pontificij imperij finibus seiunctas fore, vt ferè & ipsę alienatæ dici possent: Cæsar eam quidem rationem æquam esse, verùm dum vires in Florentino bello essent occupatæ, nihil præter autoritatem adhiberi posse respondebat: clam verò, vt ille vrbes bona cum pontificis venia Ferrarienſium duci, cum quo, quum Bononiam veniret Mutinæ erat loquutus, eiąue se omnem operam, vt ipsius cum pontifice controuersiæ componerentur daturum pollicitus erat, relinquerentur, cupiebat: tanta arte dux ille in eius gratiam sese insinuare, & eorum qui autoritate apud Cæsarem pollebant animos sibi conciliare norat, vt ipsi in ea aula magni fautores non deessent. Reliqua erant duo grauissima ac difficillima, nempe Venetorum & Franciſci Sfortiæ negotia: à quorum præsertim Franciſci Sfortiæ concordia, etsi Cæsar non eo animo in Italiam veniſſet, tamen quum in rebus maiores difficultates quàm sibi in Hispania proposuerat inueniret, ac Mediolanensis imperij occupationem post nouum Franciſci Sfortiæ cum Venetis fœdus difficiliorem esse animaduerteret, & ob tantas copias ex Hispania atque Germania adductas maximos sumptus sustineret, non iam ita alienus erat; cum præsertim à fratre ob Lutheranorum tumultus, & alia nouarum rerum indicia quæ apparebant, vt in Germaniam iret vrgeretur: quo etiam Turcas aliquando redituros existimare poterat: notissimum enim erat Solymanum indignatione ob acceptam ignominiam accensum, quum Vienna discederet se breui cum longè maioribus copijs rediturum iureiurando asseueraſſe: quas ob res, quum Cæsari rebus imperfectis relictis ex Italia discedere, non modò non tutum, verùm etiam parum honorificum videretur, non modò ad pacem cum Venetis ineundam, verùm etiam ad veniam Francisco Sfortiæ dandam animum flectere cœpit: quod pontifex tum communis tranquillitatis cupidus, tum vt Cæsaris vires alijs negotijs solutæ, in Florentinos conuerterentur vehementer vrgebat. Cæsarem nihil tantopere retinebat, quã quòd se ad ueniam Franciſco Sfortiæ concedendam cogi ab hominibus existimari ex

dignitate

dignitate sua minimè esse censeret; & Leua qui Bononiæ erat, vt de eo imperio aliud cõstitueretur, nunc Alexandrũ Pontificis nepotem, nunc alium proponens instabat; sed tamen quum in principatu in alium transferendo Italiæ satisfacere difficillimum uideretur, nec pontifex, quòd id sine bellis & nouis molestijs fieri non posset, de eo in suorum aliquem transferendo cogitaret, Cæsar tandem in hanc sententiam animum flectens, Francisco Sfortiæ caussæ coram se dicendæ nomine, re autem vera vt res ad aliquam compositionis rationem redigerentur, vt tutò ad se venire posset, fidem publicam concessit: cui Veneti, eodem tempore rerum suarum compositionem introductum iri sperantes, vt iret sunt assensi; nec tamen ideo arma in Insubria quiescebant: quoniam Belgioiosus, qui Leua absente eius locum Mediolani obtinebat, cum septem peditum millibus ad Angeli fanum, in quo quatuor Venetorum & Mediolanensium ducis cohortes erant, venit: cumque eius mœnia verberasset, continuæ pluuiæ, quibus eorum qui sub dio propugnabant tormenta inutilia reddebãtur, occasione, suis, quos clypei tegebant, cum ensibus & hastis admotis, ipse quoque vnà cum alijs fortiter agens, oppugnationem est aggressus: propugnatores verò cum funiculos quibus ignis sclopis admouetur manibus tenere non possent, & alijs telis pugnare cogerentur, territi retrocedere ac mœnia deserere cœperunt: sic vt ab hostib. omnes aut cæsi aut capti fuerint. postea trans Abduam ire statuit: & quum iam exercitus partem per pontem Cassiani factum traduxisset, aliquot nouæ Hispanorum cohortes Mediolanum versus iter ceperunt: sed ipse præcurrens, ciuitatem ad arma concitauit; ita vt excluſi in castra redierint. Verùm nec his, nec quòd Germani in Venetorum finibus essent impedientibus, pacis consilia ita feruebant, vt omnes belli curæ deferuescerent: quoniam Franciscus Sfortia statim vbi Bononiam venit, se coram Cæsare sistens, ei de ipsius lenitate, quòd sibi vt se adire liceret, facultatem dedisset, gratias egit: seque ipsius æquitate tãtopere fretũ esse, vt ob ea omnia quæ priusquam à Piscario in Mediolanensi arce includeretur gesta fuerant, nullam aliam cautionem præsidiumue quàm propriam innocentiam exoptaret: idcirco quòd ad ea attineret, liberè se fidei ab eo acceptæ renuntiare dixit: & hæc dicens eius literas quas manu tenebat, antè Cæsarem proiecit: quæ res ei valde grata fuit. Ipsius & Venetorum compositionis capita circiter mensem vnum agitata fuere: ac denique die vigesima tertia Decembris pontifice vehementer in id incumbente, cum vtrisque his legibus est transactum. Franciscus Sfortia Cæsari intra annum quatuor millia, decem autem annorum interuallo quinque millia, hoc est, singulis annis quingenta auri pondo soluito: interea verò Comum & Mediolanensis arx in Cæsaris potestate sunto: isque ea Francisco Sfortiæ, primi anni pecunia accepta statim tradito: præterea Cæsar imperij diploma ei dedit, vel iam antea datum confirmauit: cuius pecuniæ soluendæ gratia, & ob munera ijs qui apud Cæsarem magna autoritate pollebant promissa, Mediolanensibus totique prouinciæ, etsi populi tam atrocibus diuturnisque bellis & fame ac peste essent consumpti, ingentem censum imposuit. Veneti verò Rauennam & Ceruiam cum agris illarum, iuribus tamen suis conseruatis, pontifici tradunto: & vicissim pontifex ijs qui aliquid contra ipsum egerunt molitiue sunt ignoscito: Idem Cæsari per totum proximum Ianuarium omnia quæ in regno neapolitano tenent restituunto; eidemque duorum millium auri pondo, quæ ex postremo, cum eo fœdere debent, reliquum, hoc est ducenta & quinquaginta pondo intra mensem proximum, & deinde singulis annis itidem ducenta & quinquaginta soluunto: hoc autem si intra annum ex pacis formula loca pontifici & restituta fuerint, aut controuersiæ per communes arbitros dijudicatæ. Exulibus ex eiusdem pacis formula quotannis quinque aureorum nummum millia pro eo censu quem illi è suis fortunis caperent, danto: Cæsari alia mille auri pondo, quingenta intra decem menses, reliquum annum vnum pòst repręsentanto. Aquileiensis Patriarchæ iura ipsi in Vormacienſi fœdere contra Vngariæ regem relicta, deciduntor. Huic paci ac fœderi Vrbinatium dux, quòd Venetis adhæreat, in eorumque fide sit, incluſus esto: Veneti Brunoro Gambaræ comiti veniam danto: commertium omnium subiectis liberum esto: piratæ, qui aliquam partem turbauerint, ne recipiuntor: Venetis ijs quæ possident pacatè fruilicitum esto: omnes eos qui quòd Maxi-

miliano Cæsari, Vngariæúe regi adhæserint iam ab anno MDXXIII perduelles habiti fuerunt, ab exilio liberanto: sed tamen bona Reipub. ærario addicta eis restituere ne tenentor: Inter ipsos non modò pax, sed & fœdus ad Italiæ contra quemuis Christianum propugnationem perpetuum esto: cuius rei caussa Cæsar Mediolanensium ducé semper in imperio suo quingentos grauis, totidem leuis armaturæ equites, & sex peditum millia cum iusto tormentorum apparatu ad Venetorum defensionem habiturum, & viciſſim Venetos idem Mediolanensium ducis caussa facturos promittito: quòd si horum alicuius imperium oppugnabitur, reliqui eius qui id oppugnabit, commeatui, tormentis eorumúe apparatui, tabellarijs aut legatis per fines suos iter ne concedunto; eiqúe omnia auxilia ex regnis suis, ipsumque & eius copias itinere prohibento: si quis Christianus, vel supremæ dignitatis princeps, regnum neapolitanum inuaserit, Veneti id quindecim bene instructis triremibus tuentor: hoc fœdere omnes nominatorũ nominandorumúe clientes, sed tamen sine alia Venetorum ad illorum defensionem obligatione, comprehenduntor: si Ferrarienſium dux cum pontifice & Cæsare compo suerit, huius fœderis particeps esto: quorum perficiendorum caussa Cæsar Francisco Sfortiæ Mediolanum cum toto eiusdem imperio restituit; & milites omnes, ijs tantùm qui ad arcis & Comi, quæ pòst suo tempore restituit, præsidium erant necessarij retentis, ab eius finibus remouit: & Veneti pariter pontifici Aemiliæ, & Cæsari Apuliæ ciuitates restituerunt.

DECIMINONI LIBRI FINIS.

FRANCISCI

FRANCISCI GVICCIARDINI PATRITII FLORENTINI, HISTORIAE ITALICAE LIBER VIGESIMVS.

Bellum Florentinum à Cæsare & pontifice illatum: Cæsar Bononiæ inauguratur, Bononia in Germaniam, pontifex Romam proficiscitur. Aurangij princeps pugnans interficitur: Ferdinandus rex Rom. eligitur. Cæsar in Italiam reuertitur: Alterum pontificis & Cæsaris Bononiæ colloquium: Inter pontificem, Cæsarem, & alios principes ad Italiæ propugnationem fœdus: Cæsaris Bononia in Hispaniam profectio: Pontificis Bononia Romam reditus: Eiusdem & Galliæ regis Massiliæ colloquium: Pontificis neptis cum Galliæ regis secundo filio connubium: Pontificis Romam reuersio: Hippolyti Medicis Cardinalis obitus: Alexander Florentinorum dux à Laurentio Medice occiditur: Virtembergensium dux suum principatum recuperat: Tunetum Barbarossa capit: Clementis septimi mors: Pauli Tertij ad Pontificatum assumptio.



INE tam diuturnis grauibusq; bellis quibus per octo continuos annos tam horrendis cladibus vexata fuerat, hac pace hocque fœdere impositio, Italia tota tumultibus atque armorum periculis libera fuit, excepta Florētia, cuius bellum aliorum quidem pacem promouerat: sed aliorum pax eius bellum aggrauabat: nam vbi difficultates de quibus laborabatur ita dissolutæ sunt, vt pacem confectum iri nemo iam dubitaret, Cæsar copijs extra Venetorum imperij fines eductis, quatuor Germanorum peditum millia, bis mille & quingentos Hispanos, octingentos Italos, & vltra trecentos leuis armaturæ equites, cum vigintiquinque tormentis, ad bellum contra Florentinos misit: quo in bello quum obsidentes ciuitatem oppugnare non auderēt, neque obsessi ad fortunam periclitandam prompti: quia quū se multos menses eos sustinere posse censerent, hostes aut pecuniæ inopia, aut aliqua alia de caussa minimè diu in obsidione perseueraturos esse sperabant: pauca adhuc gesta erant, eaq; vix quæ literis mandarentur digna. Aurangius tamen mille & quingentos pedites, quadringētos equites, & quatuor tormenta ad Lastram vbi tres peditum cohortes erant expugnandam miserat: eamque antequam Florentia missum subsidium eò peruenirent, circiter ducentis militibus cæsis, expugnauit. Accidit autem vt xi Decembris noctu Stephanus Columna cum mille sclopetarijs, & quadringentis quorū alij alabardas, alij partisanas quas uocant, gerebant, omnes loricati & Hispanico more albis tunicis superinduti in Sarrę Columnæ legionē, quæ in ædibus Margaritæ Monticiæ templo propinquis stationem habebat impetum faceret, & ne vno quidem ex suis amisso multos interfecerit, ac vulnerarit. Iisdem quoq; diebus Marius Vrsinus, & Iulius Cruceius, in Miniatensis cœnobij hortis tormenti vnico ictu fuerunt interfecti: cumq; Pyrrhus à Petri castello ad Montopolim Pisani agri oppidum expugnandum iret, milites qui Empoli erant, eum inter Palaiam & Mōtopolim adorti, multis captis, fuderunt. Præterea Florentini quia Alexander Vitellius Sepulchri fanum & Anghiarium versus agros populabatur, Neapoleonem Vrsinum cum centum & quinquaginta equitibus ad sepulchri fanum miserunt: sed vbi copiæ recenter à Cæsare missæ alpes transcenderunt, Pistorienses & Pratenses, à Florentinorum militib. deserti, sese pontifici dediderunt: quare exercitus quum nullum à tergo impedimentum haberet, se alijs non coniunxit; sed in altera Arni parte Peretolæ propter vrbis mœnia Vastio duce, quamuis Aurangius princeps omnibus imperaret, rebus iam potius in obsidionis quā oppugnationis formam redactis, est metatus. Hoc ipso etiam tempore Petrasancta pontifici dedita. In huius anni fine pontifex Malatesta Ballione, qui ei compo- 1530

sitionis spem faciebat, suadente, Rodolfum Pium Fauentinum episcopum Florentiã ad eum misit; cum quo varia partim ex ciuitatis voluntate ad eius commodum spectantia, partim clam à Malatesta contra ciuitatem agitata fuerunt, quæ tamen exitum nõ habuerunt: quin opinio fuit, Malatestam cuius sacramenti tempus iam prope exactum erat, ea artificiosè procurasse, vt Florentini ne ab ipso desererentur metuentes, se iterum conducerent, eiq; imperium militare darent, quod impetrauit. Sequutus est annnus M D
1530 XXX cum eodem bello, in quo etsi Aurangius, nouis aggeribus & fossis inceptis, se propugnncula, & præsertim Sangeorgij valde munitũ, magis ex propinquo loco verberare velle ostenderet, tamen partim ipsius imperitia, partim rei difficultate nihil est effectũ: totius enim montis custodia Stephano Columnæ obuenerat. Huius anni initio Florentini ex ijs quæ cum Fauentino episcopo tractata fuerant spem capientes, iterum oratores ad pontificem & ad Cæsarem, sed cũ mandato, ne quid quod ad reip. statum immutandum imperiumúe minuẽdum pertineret audirent, miserunt: sed quum in præcipuo capite dissentirent, nec aditum ad Cæsarem impetrare potuissent, mox re infecta Florẽtiam redierunt: erant autem in vrbe nouem decemúe ad summum vtilium militum milia: verũ stipendia in plus quàm quatuordecim millia pendebantur: itaque milites magno studio & fide ciuitatem tuebantur; quorum tanto magis in fide confirmandorum gratia duces omnes in Nicolai templo conuocati, peractis sacris ad vrbem ad extremũ spiritum vsque propugnandam coram Malatesta solemni sacramento sunt adacti: solus Neapoleo Vrsinus in hac militum Italorum constantia se inconstantem præbuit: is enim pecunia à Florentinis accepta, Braccianum redijt, ac res suas cũ pontifice & Cæsare cõposuit: & vt nonnulli duces à se missi Florentia discederent, operam dedit. At pontifex nihil quo exoptatum finem consequi posset prætermittens, vt Galliæ rex Claremontiũ ad pacem filiorum recuperandorum gratia necessariò contractam; quodq; ut ipsi fœderis participes essent, effici nulla ratione potuisset excusandum; eosq; vt quascunque cõditiones modò vtiles essent & libertatem conseruarent, amplecterentur cohortandos sua ferè in eo negotio opera oblata, mitteret effecit: qui etiam Malatestæ & Stephano Columnæ tanquam regijs ministris, cum obtestatione vt Florentia discederent (etsi clam & seorsim contrarium eis diceret) imperauit: quod autem magis regis existimationem minuit, ac populum terruit, fuit, quòd vt pontifici & Cæsari gratificaretur, Viglium suum apud Florentinos oratorem reuocauit; sed tamen ne eos omni prorsus spe spoliaret, Aemilium Ferrettum velut priuatum reliquit: seq; vbi filios recuperasset, eis opem clam laturum recepit: & parum etiam abfuit, quin Florentinorum oratorem ab aula sua discedere iuberet: pontifex enim omnibus artibus vtens, purpureum galerum Cancellario per Tarbensem misit, ac non multo pòst eum Galliæ legatum constituit: cuius etiã opera, vt Cæsar, Galliæ rex & ipse Taurini conuenirẽt, sermonem introduxit: verũ Tarbensi in regio Senatu responsum est, stultum esse, dum filij captiui essent, regem quoq; ipsum carcerem quærere. Pontifex postea & Cæsar vt ex propinquiore loco expeditionem promouerent, Senas, & deinde Romam Cæsaris inaugurandi gratia se transferre decreuerunt: sed quum iam siue id re vera Cæsar in animo haberet, siue fingeret, discessuri essent, literæ ex Germania, quibus Cæsar vt in eam prouinciam se transferret vrgebatur, sunt allatæ: vrgebant autem id Septemuiri Augustales & principes comitiorum caussa: Ferdinandus vt Romanorum rex appellaretur, reliqui verò concilij caussa: quocirca vlterius progrediendi cogitatione deposita, Bononiæ maximo concursu, sed parua pompa & sumptu, die quo Diui Mathiæ memoria celebratur, die ipsi faustissimo imperatoria corona est donatus: quo etiam die natus, eodem Galliæ rex captus: eo itẽ die Cæsarea insignia ornamentaq; in Germania acceperat, sed tamen antequam discederet, Ferrariensium ducis qui VII die Martij fide accepta Bononiam venit, cum pontifice compositioni operam dedit: cumq; alius huius controuersiæ exitus non inueniretur, omnium controuersiarum suarum tam iuris quã facti compromissum Cæsari fecerunt: ad quod quidem pontisex faciendum, in quod cum generale esset compromissum, ita vt Ferrariæ quoq; de qua, quin ex iuris præscripto ad pontificatum recidisset non dubitabat, controuersia comprehenderetur, Cæsarem facilem habere rationem existimauit, vt nimirum Ferraria præterita, Mutinam & Regium restitueret: tum etiam quia Cæsar ei

fidem

fidem dederat,ſe,ſi ipſum in illas duas ciuitates ius habere comperiret,ſententiam latu rum;ſin minus,tempus ſibi ad iudicandum præſcriptum elabi permiſſurum:vt autẽ ducem qui iam in Cæſaris gratiam oratorem ſuum Florentia reuocauerat, & fabros operaſq; ad exercitum miſerat,pacta iudicataq; facturum cautum eſſet, vt Mutinam in Cæſaris poteſtate conſtitueret conuenerunt.Cæſar deinde XXII die promiſſo à põtifice accepto,ipſum ſi ad Lutheranam ſectam extirpandam vtile fore animaduerteretur,vt concilium fieret aſſenſurum,Bononia diſceſſit: & cum eo legatus Campegius Cardinalis eſt profectus:cumque Mantuam peruenisſet,ſexcentis auri libris à Ferrarienſium duce acceptis,ei Carpium oppidum in perpetuũ beneficium conceſſit.& pontifex vltima die Martij Florentiæ rebus in eodem ſtatu permanentibus,Romam eſt profectus.Cæſariani multis indicijs ſe ciuitatem oppugnare velle oſtendebant, ideoq; aggerem & foſſam ante Georgij vallum ducebant:vbi quũ XXI Martij acriter pugnatum eſſet, magna clade ſunt affecti. XXV die Aurangius turrim quæ prope Georgij vallum Romanam portã verſus eſt, quia exercitui magnam moleſtiam adferebat,tormentis verberauit: ſed quũ eam firmiſſimam inueniret, poſt multa fulmina abſtinuit: ac quia aliud bellum aliãue præda in Italia non erat,nouis quotidie militibus confluentibus, Florentini agri damna calamitatesq; ſubinde creſcebant.Volaterrani ſeſe põtifici dediderãt;ſed quum Florentini arce potirentur,ea à Cæſarianis duobus magnis tormentis & tribus colubrinis Genua aduectis oppugnabatur;cui Florentini opem ferre cupientes,centũ & quinquaginta equites,& quinque peditũ cohortes Empolim miſerunt; qui noctu egreſſi per caſtra prope Oliuetanum montem iter fecerunt:cumq; conſpecti fuiſſent, equites ad eos perſequendos ſunt miſſi: qui quidem eos ſunt aſſequuti; ſed à ſclopetarijs repulſi,cum aliqua clade pedem retulerunt: & equites alia via Florentia egreſſi,à tergo caſtrorum iter facientes,eodem quo pedites tempore incolumes Empolim peruenerunt;vbi à Frãciſco Ferrucio eius loci præfecto excepti ſunt.is enim eius belli initio à Florentinis Empolim cum paucis equitib.& non magna autoritate miſſus, belli progreſſu,eius loci opportunitate,& multarum prædarum occaſione, ſatis magnum ſelectorum militum numerum collegerat:apud quos cum ſibi audacia & liberalitate magnam autoritatem cõciliaſſet,haud in mediocri expectatione apud Florẽtinos erat.Ferrucius igitur cum duobus peditum millibus,& centũ ac quinquaginta equitibus Empoli profectus, ac celerrimè incedẽs Volaterranam arcem XXVI Aprilis tribus horis ante ſolis occaſum eſt ingreſſus; militibusq; aliquantum recreatis, ſtatim ciuitatem cuius cuſtodiæ Ioannesbaptiſta Borgheſius cum paucis peditibus præerat oppugnauit, atq; ante noctẽ binas munitiones expugnauit;ita vt ſequenti mane ciuitas deditionem fecerit, & tormenta Genua aduecta ceperit:vbi multis mulctis pecuniæ à Volaterranis extorquẽdę operam dedit:ac militum ſuorum numerum aſſiduè augens, Sangeminianum & Collem oppida cepiſſet, & commeatum qui eo itinere Senis in caſtra aduehebatur intercipiens,exercitum cuius ducibus nihil amplius niſi de obſidione cogitantibus,Vaſtius tormenta Pratum vehi curauit,in magnas anguſtias redegiſſet. ſed quum opportunè in eas partes veniſſet Maramaldus cum duobus millibus & quingentis peditibus ſine ſtipendijs, atque adeò (vt incertæ ſunt belli res)contra pontificis voluntatem,& copias ſuas in Volaterrano ſuburbio collocaſſet,eius impetũ repreſſit. Nona Maij eruptiõe facta extra Romanã portam acriter eſt dimicatum:quo in prælio ex Florentinis cẽtum & triginta partim cęſi partim vulnerati fuerunt:ex Ceſarianis,plus ducenti,ac inter eos Baragninus Hiſpanus militum prefectus.Florentini tamen adhuc aliquã opem à Galliæ rege ſperabant; qui in maximis auxilijs vbi filios recuperaſſet promittendis perſeuerabat: ac vt eos interea ſpe foueret,viginti aureorum numũm millia quæ multo ante debebat à Florẽtinis mercatorib. ipſis repręſentauit;quæ à Ludouico Alemanno Piſas per partes,ita vt parũ profuerint,ſunt allata. venit etiam Piſas Ioannespaulus Ceres,à Florẽtinis eius ciuitatis cuſtodiendæ cauſſa conductus;ſed Volaterræ expugnatio Florentinis longè maius detrimentum attulit; quia Ferrucius contra acceptum mandatum,quo maioribus virib. Volaterram peteret,nimis Empolis munitione fretus,tam paruum præſidium in ea reliquerat,vt Cæſariani eius expugnandi ſpe concepta,Vaſtio duce eò contenderint, ac paruo admodum incommodo expugnarint diripuerintq;. cuius loci iactura Florentinis om-

nium quæ eo bello accidiſſent moleſtiſſima fuit:nam quum eo in loco nouas copias col ligere ſtatuiſſent,ſitus opportunitate quæ maxima eſt,exercitum qui in ea Arni parte ca ſtra habebat in magnas anguſtias redactum,& ad commeatum in vrbem, quæ iam eius penuria laborabat conuehendi viam apertam ſe habituros confidebant:his & aliud qđ eos tanto magis concepta ſpe deijceret acceſſit: nam quum Galliæ rex Iunij menſis ini tio,vt conſtitutum fuerat,promiſſam pecuniam Cæſari dediſſet,ac filios recepiſſet, pro tantis auxilijs quanta ſemper in illud tempus reiecerat,in pontificis (qui vt regios mini ſtros ſibi deuinciret,Tarbenſem epiſcopum regis apud ſe oratorem in pontificum col legium cooptauerat)gratiam,Petrum franciſcum Pontremulenſem hominem ſibi fidũ, in Italiam ad compoſitionis negotium cum Florentinis, qui hac de cauſſa regiorum au xiliorum ſpem prorſus amiſerunt,tractandum miſit: nam Gallus & Anglus ſimul con iuncti, vt pontificem ita ſibi conciliarent,vt de eo à Cęſare diſiungendo ſperare poſsẽt, omnem operam adhibebant;eamq; ob cauſſam Galliæ rex,in Florentinis pontificis po teſtati ſubijciendis,locum & partem aliquam habere nitebatur. Vaſtius igitur Empoli capta,cum copijs ſuis in Volaterranum ſuburbium,vt ſeſe Maramaldo coniungeret cõ tendit:cumq; circiter ſex millia peditum haberent, ciuitatem tormentis verberare cœ perunt: & circiter quadraginta cubitorum ruinam edidere: ter fruſtra, muros ſubiere, cum ſuprà quadringentorum mortalium iactura eam iterum tormentis verberarunt,at que iterum magno impetu Italis & Hiſpanis ſimul permixtis,ſed maiore quã antea de trimento acceſſerunt,ita vt inde caſtra mouerint. Eodem die horam vnam ante lucem Stephanus Columna cum tribus peditum millibus lineis tunicis ſuperindutis, Fauen tina porta, & Malateſta Pratenſi porticula vt Germanos,qui in Sandonati cœnobio ca ſtra habebant,idq; munierant, adorirentur, eruptionem fecere. Stephanus aggeres ac foſſas trãſgreſſus multos interfecit; ſed reliqui acie interea inſtructa ſeſe fortiter defen derunt:& Stephanus in ore & virili membro leuiter vulneratus,quum ne ipſis alij auxi lio venirent,metu,diu hærere non poſſet,de Malateſta, quòd ſe non eſſet ſequutus gra uiter queſtus, pedem retulit. Florentiæ quo nulla ex parte commeatus aduehebatur,e ius penuria perpetuò creſcebat, nec tamen pertinacia minuebatur: cumq; Ferruccius Volaterra Piſas ſe contuliſſet,ac quàm maximum poterat peditatum colligeret, omnis Florentinorum ſpes in eius aduentu ſita erat: mandarant enim ei, vt quacunq; ratione poſſet,& quouis periculo poſthabito, ad vrbem venire niteretur. quod vbi copijs quæ Florentiæ erant coniunctus eſſet, pugnam cum hoſtibus conſerere in animo habebant: cuius conſilij, haud maior ſucceſſus felicitas,quã conſilij temeritas fuit:ſi tamen teme raria dici poſſunt ea conſilia,ad quæ extrema neceſſitate compellimur: erat enim ei per hoſtilem & à magno quamuis in varia loca diſſipato exercitu occupatam regionem iter faciendum. At princeps ea re cognita, cum exercitus parte,multis præterea Italorũ pe ditum cohortibus collectis,fortaſſe,vt Florentini ſunt ſuſpicati,fide à Malateſta,cũ quo occultiſſima conſilia agitabat,eum ſe abſente exercitum non oppugnaturum accepta,ei obuiam eſt progreſſus: cumque eum prope Cauinianam in Piſtorienſibus montanis (eam enim viam Piſis præter Lucam iter faciens,Cancellaria factione popularis ſtatus ſtudioſa fretus ceperat) offendiſſet,militum numero longè ſuperior cum eo eſt cõgreſ ſus: vbi primo impetu, Aurangius non ducis ſed equitis munere fungens, temerè pro greſſus,interimitur:ſed tamen victoria ab ipſius militibus parta, Ioannespaulus Ceres vnà cum multis alijs captus fuit;& ſimul etiam Ferrucius: qui captiuus cum eſſet, à Ma ramaldo indignatione (vt ipſe dixit) in eum quum in Volaterrana oppugnatione,prẽco nem Volaterrã à ſe ad aliquid nuntiandum miſſum in crucem tolli iuſſit, concepta, fuit iugulatus. Itaque cum Florentini omni diuina atque humana ope eſſent deſtituti, & fa mes ſine vlla eius leuandæ ſpe inualeſceret, maior tamen erat eorum qui ſe cõpoſitioni opponebant pertinacia: qui extrema deſperatione eò impulſi erant, vt exitium ſuum à patriæ excidio diſiunctum eſſe nollent: nec iam vt aut ipſi aut alij ciues patriæ conſer uandæ gratia mortem oppeterent, ſed vt patria vnà cum ipſis concideret,agebatur:ne que etiam deerant multi,qui diuinam opem prodigiosè,ſed non ante quã res eò vt nul lus ferè ſpiritus ſupereſſet redactæ eſſent, ipſis adfuturam in animo fixum haberent: & periculum erat ne bellum cum extremo eius vrbis excidio finem haberet: quoniam in

hac

hac pertinacia magistratus & ferè omnes penes quos reipublicæ autoritas erat, neque ceteris qui contrarium sentiebant, magistratuum armorumque metu contradicendi locus relinquebatur, nisi Malatesta Ballio, nullum iam rebus ipsorum effugium superesse perspiciens, eos ad compositionem tantùm non coëgisset: ad id fortasse misericordia impulsus, ne vrbem clarissimam suorum ciuium rabie funditus euerti cerneret; nec non sua ipsius ignominia atque detrimento si tantæ cladi præsens interesset: verùm multo magis (vt opinio fuit) quòd huiusce deditionis officio, se à pontifice Perusiam redeundi facultatem impetraturum speraret: quocirca dum magistratus & ceteri qui vehementiores erant, de copijs extra ciuitatem in hostes numero longè superiores & munitis in locis castra habentes educendis agunt, & ipse id recusat, in tantam insaniam deuenere, vt ei militari abrogato imperio, nonnullos ex pertinacioribus ad id ei denuntiandum, ac vt cum suis copijs ex vrbe discederet imperandum miserint: quo nuntio vehementer animo concitatus, pugione quem ad latus habebat, vnum ex illis, qui vix viuus ab ijs qui adstabant ex eius manibus ereptus fuit, vulnerauit: qua re territis reliquis, & ciuitate concitari incipiente, ac Vexilliferi qui nunc se Malatestam aggredi, nunc ad pugnam cum hostibus conserendam exire velle inquiens, se armabat, temeritate à minus insanis repressa, tandem multorum pertinacia omnium extremæ necessitati cessit: quapropter quatuor oratoribus nona die Augusti ad Ferrandum Gonzagam, qui post Aurangij principis obitum (nam Vastius multo antè discesserat) primum in exercitu locum obtinebat, missis, sequenti die compositio est facta; cuius præter quam quòd ciuitas se paucissimorum dierum spacio, quo exercitus amoueretur octingenta auri pondo daturam recepit, præcipua capita fuerunt. Pontifex & ciuitas Cæsari quænam esse debeat reip. forma, salua tamen libertate intra menses tres constituendi potestatem danto: Iniuriæ omnes pontifici eiusq; amicis & ministris illatæ, omnibus cõdonatæ sunto: tandiu donec Cæsar sententiã pronuntiauerit, Malatesta Ballio cum duobus peditum millibus vrbis custodiæ præesto. Qua compositione facta, dum pecunia exercitui numeranda, cuius quum pontifex ad ciuitatem in tanto periculo iuuandam minimè paratus esset, longè maiori summa opus fuit, comparatur, Barptholomæus Valorius, pontificis legatus, consilio cum Malatesta, qui totus in suum Perusiam reditum incumbebat, communicato, ac populo iuxta veterem ciuitatis morem in forum ad concionem conuocato, magistratibus & reliquis id metu concedentibus, nouam reip. formam introduxit: eo enim in conuentu, duodecim ciuibus qui Mediceis fauebant reip. status ex sententia sua constituendi potestas data est: qui eum ad eam formam in qua ante annum M D XXVII esse solebat redegerunt: exercitus deinde pecunia accepta inde est deductus: Sed Itali duces vt eam in vium suum cõuenterent, neq; militi stipendium darent, magna militaris disciplinæ ignominia, militem qui sine ducibus relictus in diuersas partes abijt, exigua cum pecunia dimisso, Florentiam se cum ea receperunt. Hispani autẽ & Germani stipendijs omnibus acceptis, & omnibus Florentini imperij oppidis locisq; vacuis relictis, sese in Senensem agrum ad eius ciuitatis statum constituendum contulerunt: & Malatesta pontifice ipsi Perusiam redeundi facultatem concedente, Cæsaris sententia non expectata, ciuitatem prorsus in pontificis potestate reliquit: in qua, militibus cunctis eductis, ciuium supplicia & vexationes cœperũt: nam illi ad quos reip. gubernacula peruenerant, tum quo potestatem suam melius confirmarent, tum odio in tantorum malorum autores concepto, & iniuriarum priuatim acceptarum memoria, præsertim verò, quia, etsi id paucis declararet, ea erat pontificis mens, verborum fortasse angustias seruantes, sed sensum cauillantes, caput quo ijs qui pontificem eiusq; amicos iniuria affecissent venia concedebatur, iniurias & delicta ab ijsdem in reip. rebus cõmissa minimè debere, sunt interpretati: ideoq; caussa magistratuum iudicio commissa, sex ex principibus rei capitalis sunt condemnati: alij in vincula coniecti, & innumeri relegati: quas ob res ciuitatis viribus imminutis, ijsq; qui harum rerum participes fuerant, in maiores angustias redactis, Mediceorum in ea ciuitate potestas liberior, ac solutior, imò penè regia mansit: erat autem ciuitas tam diuturno & graui bello pecunia prorsus exinanita, intus & foris incolis spoliata, domos & fortunas quæ extra ciuitatem erant amiserat; etsi vnquam fuerat, tunc maximè in varia studia diuisa: quam inopiam

annonæ regioni necessariæ per plures annos, ab exteris regionibus comparandæ necessitas auxit; quoniam eo anno neque messis facta est, neque agri culti satiúe: & quum eius anni calamitates in sequentes redundarent, maior pecuniæ vis ex ea ciuitate exhausta & afflicta, ad frumentum ex longinquis locis conuehendum, & pecora extra imperij fines conquirenda, deprompta fuerit, quàm in tam graue tantisq; sumptibus plenum bellum fuisset. Cæsar interea in Germania comitijs Augustę habitis, Ferdinandum fratrem suum Romanorum regem creari curauit: cumq; de Lutheranorum rebus etiam principum potentiæ suspectis, & ob sectatorum multitudinem ambitionemq; in varias & ferè inter se, ac Luthero ipsi huius pestis autori, contrarias sectas diuisis, cuius vita & autoritas (tam latè diffusum erat, alteque radices egerat hoc venenum) nullius iam momenti erat, ageretur, nullum Germaniæ principibus præsentius remedium, quàm vt vniuersale concilium indiceretur, in mentem veniebat: nam & Lutherani caussam suam religionis autoritate tegere cupientes, vt id fieret instabant: & opinio erat, eorum quæ à concilio constituerentur autoritate, si minus autorum animi ab erroribus suis remouerentur, saltem multitudinis partem ad meliorem sententiam reduci posse: præterquam quòd in Germania etiam ab ijs qui Romanam religionem sequebantur, concilium, vt onera & corruptelæ à Romana curia profecta corrigerentur, expetebatur, quæ & indulgentiarum autoritate, & dispensationum largitate, & beneficiorum collatorum annatis (quæ vocabula omnia vnà cum rebus ipsis in curia nata sunt) & sumptibus qui in eis obtinendis in tanta curiæ officiorum multitudine fierent, nulli rei nisi vt his artibus ingentem pecuniæ vim ab vniuersa Christiana republica extorqueret, operam dare videbatur: neque interea vllam animorum salutis, aut vt ecclesia rite administraretur curam gerebat: nam & multa sacerdotia quæ simul in eodem esse non poterant, in vnum conferebantur: nullaque meritorum ratione habita, fauore, aut ijs qui ob ætatem ad ea minimè erant idonei, aut hominibus doctrinæ & literarum cognitionis prorsus expertibus, & quod peius erat, sæpe perditissimis moribus præditis, tradebantur. Quibus totius Germaniæ petitionibus Cæsar satisfacere cupiens; & etiam quia è re sua erat tumultuum & populorum contumaciæ caussas in ea prouincia sedare, vehementer pontifice sermonibus Bononiæ simul habitis, ei in memoriam reuocatis vt Concilium indiceret postulauit: eique ne autoritatis dignitatisque suæ periculum timeret, se ipsum vt peculiarem ipsius curam gereret præsentem futurum promisit. Nihil ea re pontifici molestius esse poterat: verùm vt bonæ mentis suæ opinionem conseruaret, hanc mentem timorisúe caussam dissimulabat: sed re vera ne concilium in curiæ corruptelis, ac multorum pontificum profusis concessionibus moderandis pontificiam autoritatem minueret metuens; siue quòd etsi quum in pontificum collegium fuit cooptatus, se ex legitimo matrimonio natum esse testibus probatum fuisset, id tamen verum non esse recordaretur; & quamuis nulla scripta lex quæ sic natos à pontificatu excluderet inueniretur, tamen inueterata & communis opinio erat, eos qui ex legitimo toro nati non essent, ne cardinales quidem creari posse; siue quòd se non sine aliqua nefariæ largitionis cum Columna cardinale suspicione ad pontificatum ascendisse memoria teneret: siue ne in patriam suam cum tantis belli tumultibus acerbitas sibi apud concilium nunquam delendam infamiæ notam, quum præsertim ipsum ad id non vt initio præ se ferebat, eius ad bonam & moderatam formam redigendæ desiderio, sed fuorum imperio iterum subijciendæ cupiditate impulsum fuisse exitus ostendisset, conciliaret veritus; à concilio abhorrens, nec sibi Cæsaris fide satis cautum ducens, re cum cardinalibus huius negotij tractationi delectis, quibus etiam concilij correctio suspecta erat, communicata; multis rationibus ea de re agere minimè opportunum esse ostendens respondebat; cum præsertim pax inter Christianos principes nondum bene esset constituta; & noui Turcæ motus, à quibus Christianam rempublicam in concilij disputationibus & controuersijs occupatam inueniri minimè vtile foret timerentur; sed tamen se in eo Cæsaris iudicium sequuturum ostendens; vt is in comitijs concilium promitteret, modò in Italia, ipso Cæsare præsente, atque idoneo ad id congregandum tempore dato; & Lutherani alijque hæretici se concilij decretis staturos promittentes, interea à corruptelis suis propagandis desisterent, & Romanam sedem in pristinam

ſtinam autoritatis poſſeſſionem reſtituentes, ad priſtinum viuendi vt Chriſtiani & eccleſiæ coniuncti viuerent, morem, vt catholicos Chriſtianos decet, redirent, ſe aſſentiri concludebat: quibus rebus negotium difficilius reddebatur: quippe Luterani non modò ante concilium à ſententia ritibusque ſuis diſceſſuri non erant, verùm etiam à concilio nihil aliud ex eo, quàm opinionum ſuarum improbationem expectare poſſent: quando maxima illorum pars, eaque præcipua ſæpius antiquorum conciliorum decretis erat damnata; abhorrere credebatur: ſed eos idcirco eius conuocationem flagitare, quòd, quum pontifices eo terreri ſcirent, minimè conceſſum iri, ſibi perſuaderent: ſicque ſe cauſſam ſuam apud populos maiore autoritate tueri poſſe. In his aggitationibus finē habuit annus Milleſimus quingenteſimus trigeſimus, & Milleſimus quingenteſimus trigeſimus primus, initium; in quo paruæ motuum cauſſæ fuerunt: nam etſi 1531
multis indicijs Galliæ rex compoſitione cum Cæſare contracta minimè contentus, & nouorum tumultuum cupidiſſimus eſſe; & ad idem quoque Anglię rex, Cęſari, quia matris ſuæ ſororem defendens, diuortij cauſſam oppugnabat infenſus, inclinare animaduerteretur; tamen quum Galliæ rex pecunia exhauſtus eſſet, nec tum poſt tam diuturnorum bellorum moleſtias ſeſe quieti tradidiſſet, nondum tamen ad res nouas excitandas opportunum tempus videbatur: interea verò tum in Germania cum principibus qui animo erant à Cæſare alieni, tum in Italia cum pontifice, quo magis eum ſibi conciliaret, matrimonium inter ſuum ſecundum natu filium & ipſius neptem proponens, conſilia agitabat: atq;, id quod maiore Dei offenſione, & Francorum regum horribilli ſe infamia, qui ſe præcipuos Chriſtianæ religionis propugnatores ſemper erant profeſſi; cuius etiam rei cauſſa Chriſtianiſſimorū appellationem ſunt conſequuti, cum Turcarum principe conſilia communicabat; vt eum in Cæſarem, in quem ſemper tum ob naturæ ſuæ in Chriſtianorum nomen inſitum odium, tum ob controuerſias quas cum eius fratre, de Vngariæ regno propter Vaiuodam, cuius ipſe patrocinium ſuſceperat habebat; tum etiam quia Cæſaris potentia ipſi quoque ſuſpecta eſſe incipiebat, malè animo affectus erat, concitaret. Hoc tempore Cæſariani duces, Nouijs in pontificis gratiam Senas vt patria & bonis fruerentur, reipublicæ tamen forma non immutata, reſtitutis; ac trecentorum Hiſpanorum peditum præſidio illorum ſecuritatis cauſſa Melfiano duce vrbi impoſito, exercitum in Taurinos ducturi à Senenſium finibus amouerunt: ſed quum dux perſonam parum tueri nouiſſet, res citò in eandem perturbationem redierunt; ita vt qui in patriam reſtituti fuerant, metu diſceſſerint. Cæſar quoque Florentinæ reipublicæ formam, ea autoritatis ſibi conceſſæ parte, quæ libertatem conſeruari volebat diſſimulata, declarauit: nam pontificis ad ſe miſſam formulam ſecutus, vt ciuitas ijſdem magiſtratibus ac legibus quibus Mediceis imperantibus vti ſolebat, gubernaretur; publicæ adminiſtrationis caput eſſet Alexander pontificis nepos, idemque gener ſuus; eoque deficiente filij ordine & poſteri, aut ex eadem familia proximi ſuccederent, expreſſit: ciuitati verò omnia priuilegia aliàs à ſe atque alijs Cæſaribus conceſſa reſtituit; ſed ea lege vt quotiescunque aliquid contra Mediceæ familiæ amplitudinem molirentur, ea priuilegia amitterent: in hac autem conſtitutione huiuſmodi verba, quæ ipſorum non modò poteſtate ſibi à partibus conceſſa, verùm etiam Cæſarea autoritate dignitateque niti oſtenderent paſſim inſeruit. Quibus in rebus cum pontifici fortaſſe magis quàm ſibi conceſſæ in compromiſſo facultati ſatis feciſſet, ſtatim eum in re ipſi valde graui læſit: nam potificis cum Ferrarienſium duce controuerſia, in qua multi teſtes & multa ſcripta vtrinque prolata fuerant, & longa cauſſæ expoſitio facta, à multis iuris peritis quibus id mandatum fuerat, audita atque diſcuſſa, ex illorum conſilio & verbis Mutinam & Regium iure ad Ferrarienſium ducem ſpectare; & vt pontifex mille auri pondo ab illo acceptis, cenſum ad veterem conſuetudinem redigeret, eique Ferrarienſis imperij diploma concederet, ſanxit. Conatus deinde eſt Cæſar, pontifici oſtendere, in eo quòd contra ea quæ Bononiæ promiſerat ſententiam pronuntiaſſet, ipſum nō ſe, verùm Vaſonienſem epiſcopum internuntium ſuum accuſare debere: cui quum ſe ne contra ipſum pronuntiare cogeretur, ſententiam ferre nolle apertè dixiſſet, is tamen contrarium perſuaſus, & id ſolùm vt ſententiæ, ſi ius à pontifice eſſet, ferendæ promiſſo liberaretur fieri ratus, vt ſententiam fer-

ret ita inſtitiſſet, vt honoris ſui cauſſa id facere ſit coactus; quæ excuſatio pro babilio-
fuiſſet, niſi ſententia eodem modo quo Cæſar ſæpius rem componere conatus e
rat, lata fuiſſet. Illud autem pontificem multo magis læſit, quòd Cæſarem in Mutinæ
& Regij rebus ſeueri iudicis, in Ferrariæ verò controuerſia in qua ſtrictum ius ipſi a-
pertè fauebat, amici pacificatoris munere functum eſſe animaduertebat: quam ob cauſ-
ſam, nec Cæſaris arbitrium ratum habere, nec pecuniam quam dux ex Cæſaris arbi-
trio debebat, nec proximo diui Petri die, cenſum veteri more publicè oblatum acci-
pere voluit. Nec tamen ideò Cæſar à Mutina quam ad eam vſque diem depoſiti nomi-
ne obtinuerat duci reſtituenda, altercationes deinde ipſis inter ſe dirimendas relin-
quens, abſtinuit: quo factum eſt, vt per multos menſes inter pontificem & ducem
neque apertum bellum, neque tuta pax fuerit: Pontifex enim totus in id incumbebat,
vt aut eum inſidijs opprimeret, aut eius maiorum principum ope apertè lædendi occa-
ſionem expectaret. Hic annus alios motus non habuit: & quies etiam in ſequentem
1532. annum eſt propagata: qui ab externis bellis quàm Italiæ motibus periculoſior fuit.
Quoniam Turcarum imperator repulſæ Viennæ acceptæ ignominia accenſus, & Cæ-
ſarem in Germania eſſe audiens, ingentem exercitum comparauit: ſuoſque appara-
tus extollens, ſe bellum Cæſaris ad prælium cogendi cauſſa prædicabat: ad quorum
apparatuum famam, Cæſar quoque ſeſe quoad eius fieri poterat, inſtruebat; & Vaſtium
cum Hiſpanicis copijs, ac Italorum peditum atque equitum magna legione, in Germa-
niam tranſire iuſſit: & pontifex ei quadringẽta auri pondo in ſingulos menſes promiſit;
ac Mediceum cardinalem nepotem ſuum legatum ad eam expeditionem miſit: Germa-
niæ verò principes & liberæ ciuitates pro Cæſare & communi Germaniæ ſalute ingen-
tem exercitum compararunt. Verùm exitus longè à fama & terrore diſſimilis fuit: quo-
niam Solymanus ſerò Vngariam ingreſſus (neque enim ob apparatuum magnitudinem
atque itineris longinquitatem peruenire citius potuit) cum exercitu non rectà contra
Cæſarem contendit, ſed circumlatis modò armis, & oſtentato bello, Conſtantinopolim
redijt: nec verò in Cæſare maior apparuit alacritas: nam Turcarum aduentu audito, eis
minimè obuiam eſt progreſſus; & regreſſu cognito, occaſionem totis viribus vt Vngariã
fratris imperio ſubijceret arripiendam eſſe nõ cogitauit: verùm in Hiſpaniam redeundi
deſiderio ardens, vt Italicus peditatus cum certo Germanorũ numero ad Vngariæ bel-
lum vaderet conſtituit: verùm id cõſilium quoq; ei perturbatum fuit: quoniam Itali pe-
dites à nonnullis ex ſuis ducibus qui alios ei expeditioni præfectos cernebant, ad tumul
tum concitati, nullam tumultus ſui cauſſam adferentes, Cæſaris qui eos adijt & alloquu
tus ipſemet eſt, autoritate nihil permoti; omnes coniuncti, Italiam verſus ſumma celeri-
tate, ne qui ſe perſequerentur metuentes, atq; in itinere multos pagos & domos quaſi
hoſtiũ eſſent, incendentes, quod ſe facere, vt à Germanis in Italia incendia excitata vlci
ſcerentur, aiebant, contenderunt. Iam Cæſar quoque Italiam verſus iter ceperat: cum-
que diſciplinam quam aulici, & qui ſe ſequebantur in itinere ſeruare, & quantum iti-
neris conficere deberent conſtituiſſet; Mediceus cardinalis iuuenili impetu motus, præ-
ſcriptum ordinem tranſgrediens, præceſſit, & cum eo Petrusmaria Roſſius, cui potiſſimũ
eius ſeditionis culpa tribuebatur: qua re Cæſar indignatus, ſiue quòd eius ſeditionis ori-
ginem Cardinali, qui Alexandrum patruelẽ ſuum Florentino imperio præpoſitũ fuiſſe
ægrè ferens, illos milites ad Hetruriæ res turbandas ducturus ſequeretur tribueret, Car
dinalem & vnà cum illo Petrummariã in itinere retineri iuſſit; ſed pòſt melius rei magni
tudine ponderata, vt Hippolytus illicò dimitteretur ſcripſit; ſeq; apud illũ & apud ponti
ficem ea de re multis modis excuſauit: Petrusmaria verò captiuus manſit, ſed nõ multo
pòſt & ipſe dimiſſus: cui vt creditur, multũ apud Cęſarem profuit iniuria qua ſe Cardina
lem affeciſſe cenſebat. Turcæ diſceſſus Italiam imminenti bello liberauit; quoniã Gal-
lus & Anglus, odio & indignatione in Cæſarem incenſi, inter Caletum & Bononiã ad
colloquium venerant: vbi Turcarum imperatorẽ per eam hyemen in Vngaria manſurũ,
& ſic Cæſaris vires implicatas fore rati, vt Galliæ rex Mediolanum inuaderet, egerũt: &
pontificem in ſententiã ſuam aſperitate atq; terrore, poſtquã id alia ratione efficere non
potuerant pertrahere ſtatuentes, de regnorum ſuorum obedientia, niſi quod volebant
ab eo impetrarent, ei adimenda conſilia agitabant: volebat autem Gallus Inſubriæ im-
perium

perium,& Anglus in diuortij cauſſa pro ſe ſententiã ferri:iamq; Turnonium & Tarbenſem cardinales,quorum vterq; maxima apud Galliæ regem autoritate pollebat,cum acerbis mandatis ad eum mittere conſtituerant. Verùm hæc conſilia nonnihil molliora reddidit, quod antequam ab hoc conuentu diſcederent, Turcam retroceſſiſſe audiuerunt: idemq; quo minus Angliæ rex Annam Boleniam matrimonij in eo conuentu celebrandi cauſſa Caletũ accerſeret,impediuit;quod quidem facere decreuerat,etſi cauſſa in Romana curia penderet, & pontificio edicto, ne quid in prioris matrimonij fraudem moliretur, grauiſſimis interpoſitis pœnis & diris denuntiationibus cautum eſſet: ſed tamen Francus vt Anglo regi ſe malo in Romanam eccleſiam animo eſſe oſtenderet, quamuis lenitate pontificem demulcere cuperet, propria autoritate ſacerdotibus per vniuerſum Galliæ regnum decumas impoſuit, & duos illos cardinales ad pontificem,ſed cum mandatis ab ijs quæ prius decreta fuerant longè diuerſis, ablegauit. Cæſar in Italiam venit, cumq; pontificem alloqui cuperet, iterum Bononia inter eos eſt ad id conſtituta; quem locum pontifex cupidè eſt complexus,ne Cæſari regnum neapolitanum, ad quod multi eum ex ſuis hortabantur petendi,& ſic diutius in Italia manendi occaſionem daret; quod etiam contra Cæſaris mentem erat; qui cùm alijs de cauſſis, tum potiſſimum liberorum procreandorum deſiderio, cum vxor in Hiſpania eſſet, in Hiſpaniam quamprimum tranſire cupiebat. quocirca ambo ſub anni finem Bononiam conuenerunt;vbi eadem inter eos beneuolentiæ ſigna,eademq; familiaritas quæ prius, oſtenſa ſunt: verùm non amplius vt tunc animi in negotiorum tractatione conueniebant: Cæſar enim Germaniæ tranquillitatis, & ſatisfactionis cauſſa concilium ſummopere cupiebat; ſe exercitum & ſibi & ceteris grauem diſſoluere velle proponebat; verùm vt id tutò facere poſſet, poſtremum fœdus Bononiæ ictum,vt omnes ei inſererentur,& vt quantũ quiſq; pecuniæ ſi Italia à Gallis oppugnaretur contribuere deberet cõſtitueretur, renouari petebat: præterea Catharinam pontificis neptem Franciſco Sfortiæ,tum vt eo magis pontificem ad eius imperij principatus tutelam procurandam compelleret; tum etiã vt affinitatis quæ cum Galliæ rege tractabatur negotium impediret, connubio iungi cupiebat. Quarum rerum nulla pontifici placebat:nam fœderibus obligari, ipſius deſiderio, quod erat ſe inter Chriſtianos principes medium conſeruare, repugnabat: nam cùm alia pericula tum ne Galliæ rex, ad id præſertim ab Anglo tam vehementer inſtigatus populos ab eius obedientia remoueret, metuebat: Concilium ob veteres cauſſas ipſi moleſtiſſimum erat: neq; illi affinitas cum Mediolanenſium duce,ne apertam ferè cum Galliæ rege ſibi inimicitiam conciliaret; & quia neptis ſecundo regis filio coniungendæ deſiderio ardebat, grata erat. His de rebus & præſertim de fœdere tractatum inter eos plus duos menſes eſt; cuius negotij tractationi præpoſiti ſunt à Cæſare Coues,Lugduni maior commendatarius,Granuela, & Prata Cæſaris ſenatus principes:à pontifice verò Mediceus cardinalis,Iacobus Saluiatus, & Franciſcus Guicciardinus: qui fœdus minimè recuſantes,quòd id pontificis mentem nimis nudaſſet,& Cæſari iuſtã grauiſſimæ ſuſpicionis cauſſam dediſſet, omnẽ operam vt Veneti in id inducerentur,adhiberi petebant: propterea quòd citra illorum auxilia,tenuis defenſio omnis eſſet futura: quodq; maiore autoritate res communis conſeruari poſſet,ſi in prima fœderis fama perſiſterent; quòd ſi aliud fœdus ſine illis iniretur,Cæſarem, pontificem & Venetos inter ſe diſſidere opinionem in omniũ animis excitatum iri. quocirca à Venetis vt nouum ad totius Italiæ propugnationem fœdus inirent eſt poſtulatum: prioris enim fœderis vi nihil aliud quàm Mediolanenſe imperium & regnum neapolitanum tueri tenebantur:Cæſar autem vt Genuam quoq;,in quam ſi bellum eſſet futurum, Galli, quia id ſibi peculiari iure Madrilienſis atq; Cameracenſis compoſitionum legibus licere exiſtimabant, facilè primum impetum facturi cenſebantur, propugnare tenerentur,ſummopere cupiebat.Senatus vero etſi ſe id fœdus inuiolatum ſeruaturum pollicereturgraui Cæſaris indignatione,nouum fœdus inire,obligationeſue,quæ eo continerentur augere recuſauit: & nihilominus Cæſar eo magis pontificem contrarias rationes quæ pro ipſo adferebantur refellens vrgebat;ita vt fœderis capita tractari ſint cœpta; omnesque Italiæ poteſtates, vt legatos ad hanc tractationem mitterent,appellarunt: à quibus vt ſeſe fœderi, ſi bellum ingrueret, pro viribus & facultate contributuri adiun-

gerent, postulatum est: in quo nemine se difficilè reddente, sed solum singulis id quod à se petebatur minuere nitentibus; solus Alfonsus Estensis, se aliorum imperij propugnandi caussa, nisi prius sibi de suo cautum esset, fœdus contrahere non posse respondit: qua enim ratione conueniret vt sibi à pontifice cauendum, & fœdus cum eo ineundum esset? quomodo pecuniam suam ad Mediolani Genuæque propugnationem contribuere posset, dum eam in milites quos semper Mutinæ & Regij haberet, atque etiam Ferrariæ custodiendæ gratia insumere cogeretur? Ex hoc, noua eius cum pontifice conciliandi consilia sunt orta: Pontifex autem animo ab eo alienissimus cum esset, nec se tam apertè Cæsaris petitioni opponere vellet, inextricabiles conditiones proponebat: se si Mutina & Regium Alfonso qui alia ratione conuenturus non erat, essent relinquendę, velle se vt eas pontificij imperij beneficio se obtinere fateretur: quod cum siue Septemuirum Augustalium atque imperij principum consensu, ita vt iure vim obtineret, fieri non posset, Cæsarem in difficultatem quæ exitum non babebat, conijciebat: quamobrem pontificem vt se saltem fœdere vigente Alfonsi statum non turbaturum sponderet rogare cœpit; ac post multas altercationes pontifex, id in sesquiannum polliceri annuit: tandemque Matthiæ sacro die Cæsari fausto fœdus ictum est. Hoc fœdere Cæsar, Romanorum rex, ceteri omnes Italiæ (Venetis exceptis) principes, se se ad Italiæ propugnationem obstrinxerunt: in eo tamen Florentini ne eis illorum in Gallia commercia turbarentur, nisi quemadmodum in Cuneacensi fœdere fuerat, nominati non fuerunt. Expressum etiam fuit quem militum numerum, & quantum pecuniæ quisque singulis mensibus suppeditare deberet; nempe Cæsar triginta; pontifex pro se & Florentinis viginti, Franciscus Sfortia quindecim, Ferrariensium dux decem, Genuenses sex, Senenses duo aureorum numûm millia, & Lucenses mille in singulos mensses penderent: & vt contra repentinam irruptionem aliquo modo ita comparati essent, vt se postea contributionibus tueri possent, tunc ferè cõtributionibus par pecuniæ summa, quæ nisi cum apparatus ad Italiam oppugnandam in promptu cernerentur, exponi non posset deponeretur: constituta etiam est parua annua contributio ad duces, qui in Italia manebant alendos; & quasdam pensiones Heluetijs, ne peditatus Galliæ regi suppeditandi caussam haberent soluendas; communique consensu Antonius Leua totius fœderis copiarum imperator, cum in Insubria commorandi mandato est declaratus: de concilio nihil ex Cæsaris, qui vt pontifex id indiceret vrgebat, voluntate est constitutum: Pontifex enim ne in hac animorum distractione à Gallo & Anglo regibus reijceretur periculum esse; quod si sine illis celebraretur, neque ecclesiæ concordiam, neque correctionem introduci posse, quin potius ne seditio in ecclesia inde oriretur periculosissimum esse afferens, id recusabat; seque nuntios ad principes vt eos ad tam sanctum opus flecteret missurum aiebat: cumque Cæsar, quid igitur si illi sine iusta caussa dissentirent, quæreret, velletque vt tunc se id indicturum polliceretur, nunquam eum ad id flectere potuit: quapropter nuntij parua cum perficiendi spe delegati missique sunt, sed neque in matrimonij negotio Cæsari magis est satisfactum: nam quum duo cardinales à Galliæ rege missi Bononiam venissent, & de secundi regis filij nuptijs sermo iterum esset introductus, pontifex ad Mediolanensium ducis matrimonium à Cæsare propositum respondebat; quum rex sibi multo antè filij connubium proposuisset, & ipse ei cum Cæsaris qui tunc se assentiri ostendit consensu aures accommodasset; si dum hæc agitarentur, neptem suam eius inimico coniungeret, nimis magnam à se Galliæ regi iniuriam fieri videri se existimare, hoc negotinm à Gallo artificiosè sui fouendi non autem rei perficiendæ animo: cum gradu & sorte tam dispares essent, propositum fuisse; verùm nisi prius hoc negotium esset penitùs exclusum, se tam graui iniuria regem afficere nolle: cumq; Cæsar Galliæ regem filio suo sibi tam disparem connubio iungere velle sibi persuadere non posset, pontificem vt regis fraudes patescerent, à cardinalibus, matrimonij contrahendi potestatem ad se mitti curarent, peteret, est hortatus: illi verò se paratissimos ostendentes pauciissimorum dierum spacio amplissimam potestatem ad se perferri curarunt. quapropter non modò omnis matrimonij cum Francisco Sfortia spes sublata est, verùm etiam negotium cum Galliæ rege pressius tractatum: & insuper vt multo antè inter eos agitatum fuerat, vt pontifex &

Galliæ

Galliæ rex Nicæam, Sabandiæ ducis vrbem ad Varum fluuium qui Italiam à Prouincia diuidit sitam, conuenirent adiectum. Quæ Cæsari valde molesta erant, tum quòd ne inter pontificem & Galliæ regem maior contra se necessitudo cõtraheretur metueret (satis enim quo in se animo rex esset nouerat) tum quòd vereretur ne in põtifice adhuc captiuitatis suæ, vrbis direptionis, & Florentinæ reipub. status immutati memoria infixa resideret: mouebatur etiam quòd eum honorem quo se à pontifice in eo quòd bis Bononiam secum ad colloquium venisset affectum existimabat, si ad Galliæ regem mari Nicæam vsq; iret, minui, imò prorsus aboleri censeret: neq; hanc molestiam eiusq; causas dissimulabat, sed frustra: quoniam in pontifice huius affinitatis cupiditas exardescebat: ad quod potissimum ambitione & gloriæ cupidine mouebatur; quod cum tam humili genere esset, nepoti suo notho tanti Cæsaris filiam itidem notham matrimonio iunxisset: & nunc neptem suam ex legitimo toro natam, Galliæ regis item legitimo filio iungeret; idque multo magis eum mouebat, quàm quod à multis ei proponebatur, ipsum hac affinitate Galliæ regi ad Florentinum imperium filio & nurui vindicandum, iuris colorem, etsi non verum, speciosum tamen daturum. His rebus Cæsari non admodum gratis, quasi cumulus accessit, quod cum à pontifice vt tres cardinales à se nominatos crearet flagitasset, vix vt Bariensem archiepiscopum cooptaret, impetrauit: Pontifex enim sui excusandi gratia pontificum collegium repugnare aiebat: nec verò Cæsarem mitigauit, quòd pontifex magna alacritate occultissimũ fœdus cum eo fecit, quo se Angliæ regem & Annam Boleniam diris denuntiationibus, & omnibus modis quibus iure posset persequuturum recipiebat; ac vterq; se cum nullo principe sine alterius consensu fœdus initurum spondebat. Cæsar igitur altero à stipulato fœdere die, Bononia discessit; iam satis certus, tum connubium, tum congressum inter pontificem & Gallum processurum; veritus insuper, ne maior aliqua inter eos coniunctio coalesceret; Genuæque classe receptus, in Hispaniam eo animo, vt tum dictum fuit, nauigauit, quo si cum rege affinitas contraheretur, filiæ cum Alexandro Medice connubium locum non haberet. Paulo pòst & pontifex Romam versus contendit; eumque duo Galli cardinales nihil nouo fœdere territi, sunt comitati. Pontifex enim, vt in simulando & negotijs, modò ne timore vinceretur, tractandis præstans erat, ex eius fœderis confectione, Hispanici exercitus dissolutionem secuturam demonstrauerat: qua ex re maior ad regem vtilitas, quàm ex fœdere detrimentum redundabat: præsertim cum inter promissa & facta complures difficultates atque impedimenta possent incidere. Quapropter cœpta inter se negotia continuarunt: cumque rex magis honoris sui caussa & ambitione quàm alia de caussa, ipsius Nicæam profectionem cuperet, quo illum eò pertraheret, se neque fœdus ab eo petiturum, neque ad bellum incitaturum, neque ipsum in Angliæ regis caussa extra iuris limites abducere conaturum; vel ad nouos cardinales creandos impulsurum, promittebat: ad quod etiam Angliæ rex valde eum incitabat: qui quum clàm amicam suam grauidam effecisset, infamiæ celandæ gratia priusquam id innotesceret, matrimonium cum ea solemni more contraxerat: & quum paulo pòst filiam ex ea suscepisset, eam in filiæ ex priore coniuge susceptæ fraudem, Angliæ regni principem, quo honore qui primi in regni successione sunt, ornantur, declararat. quocirca quum pontifex tantum pontificiæ sedis contemptum dissimulare, Cæsariúe ius denegare non posset, Senatus suffragijs eum regem, pœnis in eos qui sacras leges deliquissent constitutis subiectum pronuntiarat: hanc ob caussam ipse pontificis cum Galliæ rege affinitatẽ & colloquium exoptabat: regem enim caussæ suæ metiendæ instrumentum fore; & si pontifex, vt ipse existimabat, res nouas contra Cæsarem agitare vellet, se in integrũ restituere ac in fœdus suum ptrahere, atq; quasi Italiæ leges imponendi gratia triumuiratum constituere expetiturum sperabat. Tandem verò profectio non Niceam, quia Sabaudus ne Cæsari displiceret se in arce pontifici concedenda difficilem præbuit; sed Massiliam est cõstituta: quæ res à rege, qui longè magis honorificum duceret, eum in regnum suum ad colloquiũ pertrahere, valde expetebatur: sed nec pontifici, vtpotè qui ei magis signis atq; eius ambitioni obsequendo, quàm rebus ipsius gratificari cuperet molesta erat. Põtifex se pacis potissimũ, belli in Turcas promouendi, Angliæque regis in rectam viam reducendi, ac deniq; solummodo communium rerum

cauſſa ad id colloquium proficiſci omnibus perſuadere nitebatur: ſed quum verã cauſſam diſſimulare non poſſet, antequam proficiſceretur, neptem ſuam triremibus ſibi à Galliæ rege cum Albaniæ duce puellæ auunculo miſſis, Nicæam miſit; quo facto, in Piſanum portum reuerſæ, quarto die Octobris pontificem cum multis cardinalibus acceperunt: ac ſatis felici nauigatione paucorum dierum ſpacio Maſſiliam transportarunt; in quam vrbem, cum pompa acceptus Galliæ rex poſt, qui antea illum noctu ſalutatum venerat, ingreſſus & ipſe eſt; & in vnis ædibus diuerſati, maxima mutuæ beneuolentiæ ſigna ediderunt: cumq; rex vt ipſius animum ſibi deuinciret, omnem operam adhiberet, vt puellam Maſſiliam duci iuberet ab eo petijt: quo à pontifice, qui vt ſe prius de cõmunibus rebus agere velle oſtenderet id non quærebat, cupidiſſimè facto; vbi ea ducta fuit, ſponſalia ſunt celebrata: ac ferè illico cum incredibili pontificis lætitia matrimonium perfectum: Pontifex autem negotia ſua cum ipſomet rege ſumma arte tractans, maximam apud eum fidem ac beneuolentiam ſibi conciliauit, etſi contra multorum & Cæſaris met opinionem, nullum fœdus inter eos ſit conſtitutum. verum quidẽ eſt, pontificem ſemper ſe vt Mediolanenſis principatus pro Aureliano duce neptis ſuæ viro occuparetur, propenſum oſtendiſſe; quòd & rex odio & maleuolentia qua in Cæſarem flagrabat, magnopere cupiebat: & longè magis quòd filio in eo principatu collocato, controuerſiarum poſt obitum ſuum inter filios extinguere videbatur: quæ ne exorirẽtur Britaniæ citerioris cauſſa metuendum erat; quam rex ſuperiore anno contra pactionem à rege Aloyſio cum illis populis contractã, illis potius regia autoritare, quàm ſponte ad conſentiendum compulſis, Galliæ ſceptro coniunxerat. In Angliæ vero regis cauſſa non modò rex nihil ab eo impetrauit, verùm etiam ob eius regis miniſtrorum barbariem, & quia eos in pontificis cubiculo cum atteſtatione denuntiantes, & ab ipſo ad cõcilium prouocantes inuenit, ſe ea re iratum oſtendens, ſibi ſi in eum regem ſuo iure ageret, minimè moleſtum fore dixit: nec pontificis animum vlla re læſit, niſi quòd potius vt ſuis quàm ſibi ipſi ſatisfaceret, vt tres cardinales in gratiam ſuam crearet eum rogauit: quod pontifici non modò quia Cæſaris orator repugnabat, verùm etiam quia & ad futurorum pontificum creationem, & ob contumacias quæ ſe viuo exoriri poſſent, Gallicæ genti in qua tunc ſex erant cardinales tot alios addere, ipſi res magni momenti videbatur, moleſtiſſimum erat, & nihilominus id minoris mali gratia cõceſſit; ac præter hos Albaniæ ducis fratrem quoq;, cui prius id promiſerat, ad eandem dignitatem promouit: in ceteris omnibus amiciſſimi atq; in mutua fide inter ſe manſerunt: quin etiam Francus cum pontifice multa ſua conſilia communicauit: ac præſertim nonnullorum Germaniæ principum in Cæſarem concitandorum conſilium quod agitabat, inter quos præcipui fuerunt Heſſiæ Lantgrauius, & Virtembergenſium dux, qui poſt ſequenti æſtate excitati ſunt. Vbi autem circiter menſem vnum Maſſiliæ ſimul fuiſſent, pontifex ijſdem triremibus vectus diſceſſit: ac magna maris moleſtia affectus, Sauonam peruenit: vnde neque triremium apparatui, neque gubernatorum peritiæ ſatis fidens, ijs remiſſis, Andreæ Auriæ nauibus Ciuitatemueterẽ eſt perlatus, & Romam ſumma cum autoritate & mira felicitate, apud eos præſertim qui eum in Angelica arce captiuũ viderant, reuerſus, pauciſſimorum menſium ſpacio fortunæ fauore, iam animo ea quæ futura erant præſagiens, eſt vſus: notiſſimum enim eſt illum ferè ſtatim poſt ſuum Maſſilia reditum, quaſi mortem ſibi imminere exploratum haberet, ſepulcrum, & amictum omnẽ quo pontifices quum ſepeliuntur ornari ſolent, ſibi fieri curaſſe; ac familiaribus ſuis, ſe datiſſimo animo ſe breui moriturum dixiſſe: & nihilominus conſueta ſtudia cogitationesq; minimè deponens, quo familia ſua, vt ipſi videbatur, tutior eſſet, vt Citadella, arx munitiſſima Florentiæ extrueretur (quàm citò nepotum felicitas finem eſſet habitura ineertus) vrgebat; ex quibus quum inter ſe eſſent infenſiſſimi, Hippolytus cardinalis non ſine veneni ſuſpicione anno poſt pontificis mortem nondum exacto, obijt: & Alexander alter nepos, qui Florentiæ regnabat, maxima imprudentiæ nota Florentiæ clàm noctu à Laurentio ex eadem Medicea familia fuit interfectus. Itaq; pontifex æſtate ineunte ſtomachi doloribus excruciari cœpit: quibus febri accedente diu ab illa atq; alijs offenſionib. vexatus, iam ferè ad extremum deueniſſe, iam ita ſubleuari, vt alijs, ſed non ſibi, ſalutis ſpem exhiberet, videbatur. Quo ægrotante Virtembergenſium dux, Heſſi aliorumque principum

ope,

ope, & pecunia à Galliæ rege adiutus, Virtembergēnsem principatum, quod Romanorum rex occupabat, recuperauit: cumq; maius incendium timeretur, contra Galliæ regis, qui Cæsarem huius motus causſa diuturno difficiliq; bello implicatum iri, vel fortasse victricia arma ad Mediolanense imperium turbandum transitura sperauerat, voluntatem, cum Romanorum rege composuerunt. Hoc quoq; tempore Barbarossa inter Solymani purpuratos (quos Bassas ipsi vocant) cooptatus, marisq; imperium ab eodem adeptus, ad Tunetanum regnum occupandum nauigauit: quo in itinere Calabrię oram legit, ac supra Caietam penetrauit: vnde nonnulli ipsius milites in terram expositi Fundos tanto cum aulę pontificię Romanorumq; terrore diripuerunt, vt eam vrbem si progressi fuissent, omnes deserturos fuisse opinio sit, pontifice id penitùs ignorante: qui morbo tandem cedere coactus, die XXV Septembris multis gemmis in Angelica arce, & innumeris in pontificali camera vt appellant venalibus officijs; sed contra communem omnium opinionem, exigua pecunia relictis, ex hac vita migrauit. Fuit autem hic pontifex ex humili loco admirabili felicitate ad pontificatum euectus: in eo autem admodum variam fortunam, verùm si vtraq; ponderetur, longè magis aduersam quàm secundam, est expertus: quę enim felicitas captiuitatis ipsius infelicitati, vrbis dereptioni tanto cum excidio perspectæ, tantæ cladi patriæ suæ illatæ comparari potest? obijt curiæ inuisus, principibus suspectus, fama potius graui & odiosa quàm grata: auarus, ambigua fide; & natura è beneficijs in mortales conferendis alienus. Nam etsi in suo pontificatu triginta & vnum cardinales creasset, nullum tamen ex sua voluntate, imò ferè semper coactus, præter Mediceum, quem tunc graui morbo oppressus, eiusmodi tempore quo si interijsset, suos inopes & omni præsidio destitutos reliquisset, potius ab alijs incitatus quàm sponte & proprio consilio in pontificum Senatum legit: & nihilominus in suis actionibus valde grauis, sagax, victor sui, maximoq; ingenio, nisi sæpe metus iudicium ipsius corrupisset. Illo defuncto cardinales eadem nocte qua se pontificis legendi gratia incluserunt, omnes cōcordes Alexandrum Farnesium Romanum, omnium cardinalium antiquissimum, summum pontificem legerunt: quorum suffragia cum Clementis iudicio ac ferè petitione, vt qui eum in tanto honore ceteris omnibus anteponendum censeret, cōsenserunt: est autem is literarum cognitione & morum specie ornatus: eum verò cardinales tanto libentius elegerunt, quod quum sexagesimum septimum ætatis suæ annum attigisset, ac imbecillis, nec satis bona valetudine censeretur (quam opinionem ipse aliqua arte auxit) eius pontificatum breuem fore sperarent, cuius facta atque opera, num expectationi de ipso conceptæ, & immensæ populi Romani, quòd post tertium supra centesimum annum, & post tredecim pontifices, iterum Romani generis pontificem acceperit, lætitiæ sint responsura, qui res ab eius pontificatus initio in Italia gestas scripturi sunt, fidem facient: verissimum enim est illud & summa laude dignum, quod prouerbio dici solet; Magistratum virum ostendere.

* *
*

FRANCISCI GVICCIARDINI HISTORIAE FINIS.

BASILEAE

EXCVDEBAT PETRVS PERNA
suis & HEINRICI PETRI impensis,
Anno Salutis,

M. D. LXVI.

MENSE MARTIO.